IHS


IN ACTA APOSTOLORVM, ET SINGVLAS APOSTOLORVM, IACOBI, Petri, Iohannis & Iudæ Canonicas Epiſtolas, & Apocalypſin Commentarij,

AVTHORE R.P.F. NICOLAO GORRANO, ANGLO, COLLEGII DE MERTON APVD OXONIENSES QVONDAM SOCIO,

Sacræ Theologiæ Profeſſore, ordinis Prædicatorum, & demum Francorum Regis confeſſore,

REPRÆSENTATI AD FIDEM EXEMPLARIS MS: IN Bibliotheca Mertonenſi, & nunc primum typis excuſi.

QVIBVS ACCESSIT EX BIBLIOTHECA GVILIELMI Paddei Equitis, Liber ille Sermonum Dominicalium eiuſdem Authoris, quem Robertus de Bonomonte ob inſignes ac ſtabiles thematum partitiones quas continet, Fundamenti aurei nomine inſigniuit, & Pariſiis imprimi curauit, anno 1509.



ANTVERPIÆ,

ANNO M.DC.XX.

AVTHORVM NOMINA, QVI IN COMMENTARIIS NICOLAI GORRANI IN ACTA APOSTOlorum Canonicas Epiſtolas & Apocalypſin citantur.

Ambroſius.
Auguſtinus.
Anshelmus.
Ariſtoteles.
Beda.
Bernardus.
Chryſoſtomus.
Cyprianus.
Damaſcenus.
Dionyſius.
Gregorius.
Gellebertus.
Gloſſa Ordinaria.
Hieronymus.
Hilarius.
Hugo.
Haymo.
Ioſephus.
Iſidorus.
Ioachimus Abbas.
Lombardus.
Marellinus.
Magiſter.
Petrus Comeſter ſeu hiſtoriarum.
Pythagoras.
Priſcianus.
Plinius.
Poſſidonius.
Rabanus.
Seneca.
Victorius.

ACTVVM

ACTVVM APOSTOLICORVM ELVCIDATIO.

Caput Primum.

SCRIAS *visum & explana eum super tabulam vt percurrant qui legent.* Habacuc 2. Illis verbis primò notatur auctor vel causa efficiens librum Actuum, scilicet per suppositionem huius verbi, [*Scribe.*] secundò materia vel causa materialis, ibi. [*Visum.*] tertiò modus agendi vel causa formalis, ibi: [*explana.*] quartò finis vel causa finalis: ibi: [*vt percurrant.*] Hæc ad literam dicuntur ad Habacuc qui interpretatur luctator fortis, & significat Lucam qui luctam carnis vicit. Quia vt dicit Hieronymus *in prologo*, virgo fuit Habacuc: etiam inter Prophetas de passione Christi specialiter agit: vnde cornua in manibus eius 3. cap. Sic Lucas inter Euangelistas: vnde per vitulum significatur *Ezechiel.* 1. & *Ecclesiastici* 38. [*Disciplina medici,*] id est, Lucæ qui ad literam fuit medicus, [*exaltabit*] id est, exaltatum in cruce specialiter dicet [*caput eius*] id est, Christum. Et *Iob.* 38. Concentum cœli quis dormire faciet? [*concentum cœli*] .i. concordia vel vnio Ecclesiæ Christi de cuius dormitione .i. passione Lucas specialiter agit, cui secundū Habacuc rite dicitur [*Scribe.*] Ipse enim est vir, à virtute, indutus lineis propter virginitatem, habens atramentarium, scriptoris ad renes merito continentiæ virginalis Ezech. 9. propter quam specialiter datum est ei scribere Actus. Vnde dicitur ei: [*Scribe visum*] i. res visas: ecce materia. *Ezech.* 40. *Fili hominis vide oculis tuis & auribus tuis audi, &c.* [*Filium hominis*] non homo dicitur, vt notetur quod merito virginitatis datū est ei hæc scribere. Filius fuit hominis *interioris*, .i. imitator rationis in omnibus, non *hominum*: vt modo interiorem modo exteriorem sequeretur hominem. Filii enim hominum graues corde, nec possunt cor ponere in omnibus quæ ostenduntur eis: vnde dicitur ei: [*vide oculis tuis:*] Actus. [*Et auribus tuis audi:*] Euangelium, [*& pone cor tuum:*] vt diligenter retineas. [*& annuncia quæ vides*] scil. Actus: non dicit, quæ audis, scil. Evangelium. Licet enim scripserit Evangelium, non tamen est ei proprium, quia & alii scripserunt. Sed Actus solus ipse scripsit: hoc est quod hic ei dicitur: [*scribe visum & explana.*] In hoc notatur modus agendi, vel causa formalis. Sicut enim ex coniunctione formæ cum materia fit coniunctum: sic ex materia & modo liber constituitur. Per hoc etiam quod dicitur [*explana.*]: notatur modus historicus, quia historia est de rebus notis, quæ quoniam notæ sunt maxime quoad nos, explanari dicuntur [*vt percurrant*] ecce finis in altero. Ad hoc enim scribuntur Actus planè, vt *percurrat*. id est, perfecte apprehendat *qui legit*. scil. intellectu cogitando & affectum mutando. Finis autem vel intentio pertinens ad Apostolos triplex: sicut dicitur in Glossa: prima vt ostendatur suppletio numeri Apostolici, cuius diminutio per Iudam tangitur in Evangelio. secunda, vt ostendatur authoritas Apostolatus Pauli, de quo quidam dubitauerūt, quia non fuit de duodecim: tertia vt perfecto numero Apostolorum, perfectus aduentus perfecti, i. perficientis spiritus sancti, sacri canonis enuncietur historia. Circa *materiam* huius libri multa possunt quæri. Primo quæritur, cum Actus sint singulares: ars autem & scientia non sunt de singularibus: quomodo liber Actuum ad artem vel scientiam pertinet? Item dato quòd sit scientia, videtur quod non possit esse vna scientia, quia actus sunt singulares. & singularium. & ita diuisi & diuersi: & ita videtur in eis non esse vnitas quæ debetur scientiæ. Item cum hic fiat mentio de paucis Apostolis, quare dicitur liber Actuum Apostolorum, quasi de omnibus determinet vel omnium actibus. Item cum hi sint Apostoli in Ecclesia, qui Prophetæ in Synagoga (vnde *Apocal.* 4. *vidit Iohann.* 4. *seniores*) quare in Nouo Testamento est liber de Actibus Apostolorum, cum in Veteri Testamento nullus sit de actibus Prophetarum. Item quare est vnus liber de Actibus Apostolorum, & non est vnus de Epistolis eorum? Ad primum dicimus quod Actus possunt considerari secundum essentiam, vel secundum materiam, & sic ad scientiam non pertinent vel ut sunt exemplaria, & imagines operandi, & sic docent quid & qualiter sit operandum: & pertinent ad moralem Philosophiam. Ex hoc etiam patet solutio ad secundum. Vel potest dici, quòd actus non ordinantur ad scientiam sed ad vitam: vnde non debent ad partes scientiæ sed ad partes vitæ reduci. Est autem duplex *vita, actiua.* scil. & *contemplatiua*: & potest reduci ad *actiuam*, quia ad hoc scribuntur actus, vt eam promoueant. Secundum hoc potest dici quod liber vnus est à scriptore, à modo scribendi, à fine. Ad tertium dicimus quod liber Actuum Apostolorum generaliter denominatur à prima parte, in qua dicitur quod est commune omnium, scil. videre Christū ascendentem, expectare & recipere Spiritum sanctum. Sic liber Geneseos denominatus à prima parte in q[illegible] ur de creatione. Et potest distingui triplex [illegible]eralitas: vniuersitatis, authoritatis & officii. Et est liber omnium, generalitate vniuersitatis vsque ad actus 1 [illegible]: & ab illo loco

1. (margin, beside "sunt quæri. Primo quæritur")

vsque

vsque ad actus Pauli, generalitate auctoritatis: & ab illo loco vbi incipiunt actus Pauli, generalitate officii. Licet enim omnibus cõueniat auctoritas & officium prædicandi, tamen per appropriationem Petro attribuitur auctoritas, Paulo officium: & sic in qualibet parte agitur de Actibus Apostolorum generaliter. Ad quartum dicimus, quod Apostoli fuerunt initiũ nascentis Ecclesiæ, vnde debuerunt actus eorum scribi, tanq̃ q̃dam viuendi regula, in posteris seruanda: Prophetæ autem fuerunt signum deficientis synagogæ, quæ prophetas habuit ad inuocationem, sed quia populus duræ ceruicis non potuit reuocari exemplis actuum, sed duris comminationibus prophetarũ, *sed de prophetis eorũ. Ad quintum dicimus, quod actus sunt ad *informationem*, epistolę vero ad *reformationem*: vnde actus, quod respiciunt statum adhuc vnitæ Ecclesiæ, compilari possunt: epistolæ vero statum respiciunt iam dissipatæ Ecclesiæ, quæ pluribus modis dissipata erat, & ideo diuersimode reformãda. Vnde nõ debuerunt epistolæ colligi, vel esse vna, sed plures. Item nota quod *prologus* diuiditur in quatuor partes. In *prima* dicitur de causa efficiente vel auctore huius libri: in *secunda* quod non immerito sed conuenienter agit de actibus: In *tertia* subditur causa quare agit de actibus. In *quarta* tangit breuitatem agendi. Prima incipit ibi, [*Lucas, &c.*] secunda ibi: [*hic spiritu*] vel ibi, [*cui non immerito.*] secundum diuersum modum legendi, hoc quod dico *non immerito* legitur: [*Cui*] respectiue vel absolutè, si respectiuè incipit ibi, [*hic spiritu,*] si absolute, ibi [*cui non immerito.*] Tertia ibi, [*vt Deo, &c.*] quarta, ibi: [*quod legentibus.*] Item quæritur cur dicitur, quod hic obiit 84. annorum. In prologo super Euangeliũ 74. tantum, vterque prologus est Hieronymi. Respõs. quod fuit error scriptorum, vel quod hic loquitur de annis generationis, ibi de annis regenerationis eius. Item in prima glossa quæ sic incipit, (*Lucas medicus*) dicitur Lucas quod hunc librũ Romę composuit, in sequenti quę incipit, (*de lingua*) dicitur quod Græco sermone scripti sunt actus: & ponũtur in ipsa Glossa tres rationes quare hoc. Solutio. Lucas sequebatur Paulum, & secundũ q̃ Græcis prædicabat, scribebat Græcè, ad vltimum venit Romam & prædicauit ibi, quia compleuit Actus Romana lingua: & exponitur prima Glossa: [*Roma composuit*] id est, compleuit, vel potest dici, quòd prius Græcè scripsit, postea Latinè illud idem. Nota, duplex est perfectio animæ prima secundum cognitiuam, scil. scientia, alia secundum motiuam scil. virtus, prima perfectio significatur per primum numerum perfectũ, scil. senarium constantem ex suis aliquotis. Sicut enim sextus malæ significationis est: id est, scientia si sit sola. Sexros autem in theoricis est signum laboris, propter opera sex dierum: *Gen* 1. Sex dies sunt in quibus oportet operari *Luc.* 13. In Physicis semper male ñiuta* est sexta dies. In Geomanticis sẽp male significat sexta domus. In Astronomicis hexagonis aspectus semper malus. Secunda verò perfectio per secundũ perfectũ significatur sc. 28. ad q̃ q a liber Actuũ pertinet, diuiditur in 28, cap. Itẽ diuiditur generaliter in duas partes: in prima agitur de actibus, qui sunt communes omnibus sci. vsque ad quartum capitulum: in secunda de actibus propriis & Pauli: vel aliter diuidĩ in tres partes. In prima determinat q̃dam cõmunia omnib* Apostolis: in secunda Actus Petri: in tertia Pauli, & hoc secundũ triplicem generalitatẽ prædictã, vniuersitatis, officii, auctoritatis. Item quocunq; modo diuidatur prima pars in tres partes secũdũ tria capitula. Primũ autem capitulũ diuiditur in duas partes: in prima ponit quasi prologum vsq; ibi, [*quibus & prebuit*] in secunda aggreditur opus suum. Secunda autem in tres partes diuiditur. In prima agit de apparitione Christi post passionem, scil. *quibus* p̃buit. In secunda de increpatione quęstionis factæ ab Apostolis & Ascensione eius: ibi, [*igitur qui conuenerant:*] In tertia de suppletione numeri Apostolici per Matthiã: ibi, [*In diebus illis.*]

** Forte legendum, sic: vt cumq; est locus mendosus.*

Vers. 1. *Primum:* Nominaliter. i. Euangelium, quia dicitur primum respectu secundi, sci. Actus. Dicitur autem Euangeliũ sermo vnus, quia in cubito consummata est arca. *Genes.* 6. & primus, quia de eo qui primus est: vel primum, aduerbialiter. Sermo autẽ dicitur Euangeliũ à serendo *Matth.* 13. *Exiit qui seminat semen suum.* [*De omnibus:*] partitiuè, non enim dicit omnia. *Ioa. in fine: sunt & alia multa quasi scribantur per singula nec ipsum arbitror mundũ capere:* vel *de omnibus*. i. omnino de his scribere: *narrabo omnia mirabilia tua Psalm.* 26. i. omnino narrabo. Primò sumit masculinè, secundò neutraliter. *Feci,* sc. ipsi, q a scribere, est operari, vel quia factis meruit esse scriptor Euangelii: vel de omnibus dictis & factis Christi, q̃ iudicauit digna vel idonea officio suæ dispensationis. [*O Theophile*] cui Euangelium scripserat & Actus scribit. Interpretatur autẽ Dei amator: quod si es, & tibi etiam scribitur.

Vers. 2. *Quę cepit,* à Baptismo Ioannis quo baptizatus est, [*vsque in diem,*] quia de toto illo tẽpore Lucas sermonẽ texuit & fecit quasi medicus animæ medicinã. [*Facere*], prius: & [*docere,*] Glossa ne verbum opere destruatur. Bonũ Doctorẽ instruit, qui q̃ docet facit. [*Præcipit,*] præcepta dans, q̃ vel hic vel in Euangelio legũtur: vel [*præcipit,*] supple prædicare, quasi mittens ad Euangelizandũ. [*Spiritum Sanctum,*] qui verba inspirabat & fiduciã dabar, *Marc.* 13. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus,* vel [*præcipit,*] per Spiritũ S. quia, q̃ præcipit Filius hoc & Spi. sanctus: vel propter spiritũ præcepit, quia non pręciperet nisi Spiritus S. venturus esset, vel hoc q̃ dicitur per spiritum determinat hoc quod dicitur *elegit. Ioan.* 15. *Non vos me elegistis, &c.* [*Quos elegit:*] hoc ad laudẽ Apostolorũ, quorũ Actus scribere proponit. [*Assumptus,*] à diuinitate vel à nube: Marc. in fine. Dñs quidẽ Iesus postquã locutus est eis assumptus est in cælũ, moraliter. [*Cepit facere & docere,*] rectus ordo. *Exod.* 28. prius præcipitur fieri superhumerale, deinde rationale: *& Isai.* 9. factus est principatus super humeros eius. [*Cepit,*] q a & operatio Christi quædã fuit inceptio Apostolis eadem facientibus & dicentibus: vel [*cepit,*] q a spiritus quasi incipiens fuit *Psal. & dixi nunc cepi, &c.* vel [*cepit,*] dicit p̃pter Sp. sanctum venturũ qui perfecit quod ipse ceperat.

** Forte infestuta, vel mẽtita.*

Vers. 3. *Quibus & prebuit.* Secunda pars in qua aggreditur opus suũ. Primò agens de apparitione Christi post passionẽ. Hucusq; est quasi prologus, & completio primi sermonis: hic vero est initium secundi. Nam in Euangelio dicit Iesum ascendisse & apparuisse, sed non per quadraginta dies, vt hic: nec ibi fecit mẽtionem de quæstione facta, & aliis quę hic dicuntur. [*Prebuit*] potẽtia Deitatis: [*seipsum,*] ipse dico operans interius: vnde non dicit *argumentis*. i. ostensionibus, sed *in argumentis*, quia

quia ipsa argumenta unn dederuut fidem suæ rationis, sed ipse eis. [*Seipsum,*] uon alium sed alteratum, vel proprium, non phantasticum corpus, quod & Apostolt cognouerunt. [*Viuum*] quasi mitum quod post mortem viuebat: vel *viuũ* nou amplius tuoriturum: [*suam,*] voluntariè susceptam. *Ioann.* 10. *Nemo tollit à me animam meam, &c.* vel aliis dissimilem, quia non pro culpa sua passus est sicut al·i, *per dies* 40. non continue singulis diebus, sed in spatio tot dierum, ad significãdum quod ipse erat qui 40. horis mortuus fuit: hora enim nona expirauit, vnde 4. horæ primi diei, & 12. noctis sequentis, & viginti quatuor diei sabbati sunt 40. hic etiam numerus temporalem vitã significat, in qua homo constans ea 4. elemẽtis contra transgressionem decalogi instruitur, in qua postq̃ consepulti fuimus Christo per Baptismũ in mortem (*Rom.6.*) quasi trãsito rubro mari necessariũ habemus in hac solitudine ductũ eius, qui nos præsentia Spi. sancti quasi vera quiete lubdei remuneret. *Leu.*25. *Apparens*, ꝙ erat in solitũ, & hoc ad instruendam fidem resurrectionis, vnde & palpatus est & comedit: per hoc etiam innuit se
Matth.28. impleturũ ꝙ ptumiserat in fine *Matth. Ecce ego vobiscũ sũ omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* Per hos autem 40. dies decies apparuit, sicut ex diuersis Enãgelij locis colligitur [*de regno Dei*] i. de Euangelio apetiẽs eis scripturas, vel de seipso: vel de regno cælesti, quæ omnia vnum regnum, sicut dicit Glossa: vel fidem Prophetarum, ad q̃ vocãdi erãt, vocat regnum Dei vel Ecclesiam militantẽ, de cuius ordinatione loquebatur. Per hoc autem quod de his loquitur quæ consueuerat, ostendit seipsum esse qui prius loquebatur eadem.

Vers. 4. *Et conuescens*, adhuc veram resurrectionem probat: ostendit se visu. i. in videndo, tactui, in palpando, gustui comedendo, quæ sunt signa veri corporis. [*Ne discedite*] *Luc. ult. Sedete in ciuitate quousq; induamini virtute ex alto.* Ab Ierosolimis Glossa, à visione pacis æternæ non discedit Ecclesia. [*Expectate*] ad probationem fidei, obedientiæ & patientiæ: [*promissionem patris,*] quam facit per *Ioel.* 2. *Effundam de spiritu meo, &c.* vel etsi à Filio promissam, tamen à Patre complendam. *Ose.* 2. *Et Verbum Patris est Filius*: vnde sequitur: [*quam audistis, &c.*] Ideo autem indigetis promissione spiritus & necesse haberis expectare, quia in Ioannis baptismate non est datus: vnde dicit:

Vers. 5. *Iohannes quidem, &c.* ea hoc videtur ꝙ Apostoli ante promissionem Spiritus S. non erãt baptizati nisi baptismo Iohãnis. Contra quidem Glossa dicit: conueniens erat eos esse baptizatos, qui alios baptizabant non tantũ aqua: ergo, &c. Solutio. Triplex est baptisma, aquæ scil. tantum, sicut erat Iohannis, in quo tantum erat tinctio in aquã: vnde quidam libri habent: *Iohannes tinxit aqua, &c.* non enim dabatur in eo Spiritus sanctus, nec fiebat remissio peccatorum nisi forte ex contritione addita illi. Aliud est baptisma ex aqua & spiritu quo baptizati erant Apostoli antequam baptizarent, nõ cum baptismate Iohannis de quo loquitur prima Glossa. [*conueniens, &c.*] & sic in baptismo eorum dabatur Spi. sanctus. tertium est baptisma ignis, in quo datus est Sp. sãctus de quo *Luc.* 3. *ipse baptizabit vos in Spir. S. & igni*: de quo hic loquitur, vel põt dici, [*baptizabimini,*] non in vobis sed in subditis: sc. baptizando subditos. Et nota ꝙ licet baptizarent, non tamen dicitur eis baptizabitis, sed baptizabimini, ne scil. videretur eis attribui authoritas baptizandi, quæ apud solum Dominum est cuius inuocato nomine adest virtus Spiritus sancti purificantis animas & corda baptizatorum, quod nou fiebat in baptismo Iohannis. Et innuit hoc baptismum Apostolorum præcellere baptismo Iohannis, quo baptizati erant ipsi Apostoli, vt patet in Andrea & altero discipulo, *Iohann.* 1. *Petri*, & dictum est *Iohan.* 13. *qui locutus est non indiget nisi vt pedes lauet*: quos postea lauit & corpus suum dedit, & post resurrectionem insufflauit spiritum, *Iohann.* 20. & post ascensionem plenius misit. Nunc quoque postquam baptizati in remissionem peccatorum Spi. sanctum receperint, in baptismo datur nihilominus in confirmatione ad robur, scil. à quo adiurãtur vt bonis proficiant: sic nondum baptizatus erat Petrus quando negauit, *Matth.* 26. Et nota quòd sicut iustis circumcisio non fuit necessaria donec præciperetur Abrahæ & posteritati eius: sic postquam in Nouo Testamento circumcisionis loco datus est baptismus à Christo dicente: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. sancto, &c. Ioh.* 3. certum est nullum ad corpus Christi pertinere nisi baptizatum, præter eos quibus passio est pro baptismo, propter quod Apostoli intelliguntur baptizati, licet non legatur nisi de Paulo infra. 9. [*non post multos dies*] Glossa. ad probandam eorum obedientiam tempus interponitur. Multi autem non erant dies pro celeritate salutis credentium, quibus prædicaturi erant.

Vers. 6. *Igitur*: secunda pars secundæ partis, q̃ dederat eis occasionem quærendi loquens de regno. [*Igitur qui cõuenerant*] assistentes, sc. Apostoli, adhuc carnales de regno carnali quærunt. [*Restitues,*] quia promissum erat per Prophetas, & iterũ statues, quia amisimus, in primo parente & in nobis. [*Regnum Israel*] temporale. Credebãt enim statim post resurrectionem Christum temporaliter regnaturum. Ideo cum de passione loqueretur & resurrectione futura, filij Zebedei petierunt regnare cum eo: *Marc.* 14. *& Luc. in fine. Nos autem sperabamus*, quòd ipse esset redempturus Israel. Nunc autem quærunt vtrum statim post aduentum Sp. sancti regnum illud veniat: hoc est, *in tempore hoc Israelis*, non huius, sed huic Israeli, dicit Glossa, ꝙ manifestum est in Græco: de spirituali etiã regno congruè potest intelligi.

Vers. 7. *Non est vestram*, supple quærere, quia non est vestrum scire. æqualia enim sunt quæ potestis scire & quærere, secundum illud Aristotelis, quæstiones sunt æquales numero, &c. Tẽpus autem in quo restituitur regnum Israeli ignotum est, & non expedit illud scire, vt semper ita viuamus, quasi quotidie iudicandi. Nec dicit, non erit, sed *nõ est, &c.* in quo notat eos adhuc esse infirmos & ad secreta minùs idoneos, quasi, aliquãdo erit vestrum, si non modo. [*Tempora,*] i. numerum temporum vsque ad finem seculi. Tẽpus in paruo & magno, sed momentum tantum in paruis ponitur. [*Posuit,*] non ponit, quia Deus præteritum cernit quicq̃d vult esse futurum. [*In sua potestate:*] hoc vt verus homo excusabiliter dicit: cùm vna est Patris & Filii & Spir. S. potestas, Filius etiã potestas Patris est, *Marc.* 13. *& Matt.* 24. *de die aũt il. &c.*

Vers. 8. *Sed accipietis virtutem*, Tollitur scientia temporum, q̃ parũ vel nihil valet ad virtutem: sed diuinum adhibetur auxilium, sicut prius, cũ aliud

auferetur, aliud datur ne penitus tristenť. [*virtutē,*] vt, qꝫ non potestis ex infirmitate, possitis ex virtute Sp. sancti: virtutē, inquam, scientiæ, signorum & confidentiæ. [*Superueniet*] quia superior inferiori natura infunditur, *Luc. 1. Spiritus S. superueniet in te.* Spiritus qui vos docebit, [*in vos*] interius [*& eritis*] quasi superueniens Spiritus non regnum Israel afferet vt putaris, sed virtutem testificandi de me. Tantum n. distat tempus regni illius, vt prius, non tantum in Iudæa, sed per totum mundū Euāgelium p̄dicetur. [*Testes*] resurrectionis verbo & exemplu vel signis, *Prov. 19. Falsus testis non erit impunitus.* [*In Ierusalem, &c.*] ad literam, Iudæa proxima est Ierusalem, & Samaria Iudeæ. [*Ad vltimos.*] quia in omnem terram exiuit sonus eorum, [*In Ierusalem,*] visione pacis, contritione per q̄ sit pax ipsa, *Isai 38.* Ecce in pace amaritudo amarissima [*Iudea*] confessiōe. [*Samaria.*] custodia p̄ceptorū Dei. [*Vltimum terræ.*] qui alienantur à terrenis.

Vers. 9. *Et cum hæc,* quæ prædicta sint, *Marc.* in fine dicit, *postquam locutus est eis assumptus, &c.* Lucas vero significantius adiecit hæc & expressius dicit:

Vers. 10. *Eleuatus est,* sci. virtute Deitatis, ad quam refertur etiā quod sequitur [*euntem in cælum*] quasi p̄pria virtute. [*videntibus illis*] vt testes resurrectionis sint, & testes ascensionis: [*Nubes suscepit:*] hoc refertur ad infirmitatem carnis, *3. Reg. 18 Nubecula ascendit de mari, postquam descendit pluuia gratia in missione Sp. Sancti.* Et nota q̄ creatura vbiq; seruit Creatori. Stella indicat nascentem, *Matth. 2.* Sol, terra & lapides compatiuntur patienti, *Matth. 27.* Ascendentem nubes suscepit & redeuntem ad iudicium comitatur. Gloss. dicit: vestigia Christi ascendentis loco in quo stetit ita impressa, vt reliq̄ parti pauimenti stratiæq; iri non possint. [*Cūque intuerentur in cælum,*] in Græco habetur, & cum in cælis intuerentur [*eunte illo.*] i. intenderēt in cælis quo ibat: vnde & Angeli dicunt eis: q͞d statis aspicientes in cælum? sed q͞ euntem intuerētur patet p̄ hoc quod sequitur: sic veniet quēadmodum vidistis eum euntē in cælum. [*Duo viri:*] principalis sexus, & numerus testium ostenditur, *Deut. 17. in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Duabus autē de causis apparuērt Angeli, vt sc. Apostolorum tristitiam p̄missione reditus consolentur, & vt eū verè in cælum ire monstrent: non quasi in cælum sicut Elias, *4. Reg. 2.* [*astiterunt*] q͞a infirmitatis & culpę & mortis expertes essent. [*In vestimētis albis*] q͞a prospera nunciabant, & lætitiā Angelorum, de societate humanæ naturę significabant. Albæ etiā vestes congruunt exaltationi, qui enim in natiuitate apparuit humilis Deus, in ascensione ostenditur homo sublimis: quod etiā luca significāt q͞a in humili ciuitate natus, de sublimi monte regressus est ad cælos.

Vers. 11. *Viri Galilæi, &c.* In quibus debere esse prudentior sensus, q͞a Galilęi cæteris Iudæis in sapiētia p̄eminebant: vnde Galilæi volubiles, quia instabilitate sui sensus obliti erant præcepta Dei. [*Quid statis:*] prius dictum erat sedere in ciuitate, *Luc. in fine.* Sed hic stant in cælū aspicientes, quasi subito reuersurum sperarent: quasi dicat non videbitis eū modo, q͞a nō est vir in domo sua *Prov. 7* abijt via longinquā, ideo non redibit citò: sacculū pecuniæ tulit secum corpus, & animam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, *Col. 2.* In die plenæ lunæ reuersurus: hoc est quod dicitur: *quemadmodum, &c.* sic veniet idem specie in eodem corpore præsentibus Angelis & hominibus, in eadem natura & carnis substantia, quia etsi immortalitatem assumpsit, tamen naturam non amisit. Cuius enim gloria in monte tribus discipulis p̄ostea est, *Matth. 17.* ab omnibus suis videbitur, quando tolletur impius ne videat gloriam Dei, *Isai. 26.*

Vers. 12. *Tunc:* post increpationem, quid hic statis; [*Reuersi sunt:*] vt sederent in ciuitate Hierusalem, quia inde exierant in montem Oliueti. Oliuetum dicitur multitudo Oliuarum, Glossa, victo principe tenebrarum Saluatorem locis pacis & luminis fideles inducit, montem chrismatis ascendit spiritū promissurus: cuius vnctio docet de oībus, *1. Ioh. 2.* Mōs etenim Oliueti mons luminū dicit triū, sc. lucernæ de tēplo resplendentis, & solis ab *Orientis, vel olei in ipso mōte crescentis, q̄ tria habes Ecclesia, scil. Verbi Dei lucē, solis iustitiæ fulgorem, & conscientiæ puritatem. vel mysticè Reuersio Apostolorum significat transitum perfectorum de contemplatiua ad actiuā. [*A monte.*] Glos. montem ascendit Christus, vbi in morte Antichristi Satanas est casurus. [*Sabbati habēs iter*] spatium miliarii, quod est mille passus, quod cuius sit authoritatis ignoratur, dicit Interlin. qui gloriam Christi ascendentis intuetur, itinere sabbati vrbem pacis ingreditur, eritq; sabbatum ex sabbato, *Isa. in fine.* quia qui hîc cessauerit à malis, requiescet in cælis.

* Forte ab Oceano vel Oriente.

Vers. 13. *Ascenderunt in cœnaculum:* in Græco sic, cum introissent ciuitatem ascenderunt in cœnaculum, id est, excelsam domum, quasi obuiam Spiritui sancto, in qua expectandus est. [*Manebant,*] perseuerantia perfectionis quæ Spiritum promeretur, & dicitur cœnaculum tertium tectum, in figura charitas fidei superædificatæ & spei, *Roman. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* [*Petrus:*] primus ponitur, quia Pastor & Princeps. [*Iohann s*] primi ponuntur, quia simul ad monumentum cucurrerint, *Iohann. 20.* quia plus amabant. Primus, si fas est dicere, plus cæteris dilexit, alium plurimum Iesus amabat. Quæritur quare hic mutetur ordo nominum, quia in vocatione sic combinantur. Petrus & Andreas, Iacobus & Iohannes, *Luc. 6.* Duplex fuit vinculū, quo coniuncti fuerunt Apostoli, scilic. naturæ & gratiæ; vinculo ergo naturæ sic combinantur, Petrus & Andreas, &c. q͞a fratres fuerunt: sed hic copulantur secundum vinculū gratię, sc. sicut excellebant in gratia. Rabanus: Catalogus Apostolorum ponitur, ne extra hos aliqui recipiantur: & paria loca ponuntur singulorum distinguentibus gradibus meritorum. [*Andreas*] virilis, Græcū nomē. [*Bartholoma*] Syriacū nomē. [*Thomas*] abyssus vel geminus, græcè Didymus, vel quia geminus fuit Christo, similitudinem imaginis eius gerens. [*Iacobus*] hic frater Domini dictus est, filius Mariæ Materteræ eius quæ dicitur Maria Cleophæ à patre vel familia. [*Zelotes*] Hebraicè dicitur Cananæus, quia Cana zelus interpretatur, vbi aqua in vinum versa est, *Iohann. 2.* Hic post Iacobum fratrem suum rexit Ecclesiam Hierosolymanam, hic fuit consobrinus Saluatoris, quia patrem ipsius Cleopham fratrem fuisse Ioseph *Ægypsius dicit. [*Iacobi*] supple frater, qui & Thaddæus dicitur: id est, corculus, quia cordis cultor sui & aliorum.

* Forte Egesippus.

Vers.14. *Vnanimiter.Psalm.67.* habitare facit: vnanimes in domo. [*In oratione:*] vnanimes perseuerant, qui spiritum expectant. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum *Sap.* 1 [*Perseuerãtes*] Gloss. cœpisse non est virtus sed perfecisse. [*Cum mulieribus*] quas habebant in suo comitatu; sicut & Iesus habuit, *Luc.*8. [*Et Maria*] proprio nomine cæteris dignior significaturq; a virgo, & iure. Glos. Principium nascentis Ecclesiæ adornat flore virginitatis. [*Et fratribus eius:*] Mariæ vel Iesu, quia in Græco distinctè ponuntur. Curauit enim Lucas eo tempore ostendere fratres Domini fidei participes esse, de quibus ante passionem dictum est: Neque.n. fratres eius crediderunt in eum, *Ioh.7:*

Vers.15. *In diebus illis:* cùm essent Apostoli in cœnaculo. Tertia pars secunda partis: hinc habet Ecclesia consuetudinem dicendi in diebus illis in principio epistolarum de actibus. In principio autem Euangelii in illo tempore: ad significãdum quòd scientia Christi & doctrina non fuit ei data ad mensuram sed fuit continua: sed Apostolorum non ita, quia q dico tẽpus non importat diuisionẽ vel mensurationem. Cũ vero dicitur in dieb⁹ illis, dicitur distinctio & mensuratio temporis. [*Exurgens*] carne propter turbam, spiritu propter pfectum meriti, vel exsurgere dicitur q prius negando est lapsus, *Matth.27.* [*Petrus*] Pastor pro omnibus loquitur. [*In medio*] vbi & Iesus stetisse dicitur *Iohan.*20. quasi communi miseratione condescendens. Exemplum sumendum est pastorib⁹ Ecclesiæ. [*In medio fratrum*] .i. filiorum Dei, quorũ vnus est Pater in cęlis, *Matth.*23. licet quatuor modos quib⁹ fratres dicuntur habuit ille chorus. natura Petrus erat frater Andręę, & Iohannes Iacobi: gente omnes Israelitæ: cognitione & illi qui fratres Domini vel Mariæ dicebantur erant inuicem fratres: affectu quoque carnali ex vno Adã oẽs nati sunt. Sed maximè fratres secundum regenerationis. [*Erat,&c.*] parenthesis, .i. interposita narratio. Hominum nondum deificatorum, quia nondum venerat venerat spiritus, qui homines deos facit. [*Simul*] loco & voluntate. [*Fere*] dicit secundum consuetudinẽ numerãrium, non quia de numero, spiritus qui loquebatur dubitauerit, vel propter ministerium, quia, licet tot essent numero, quantum ad res numeratas, non tñ quantum ad statum ipsorum, quia nõdum oẽs perfecti erant, sed alii plus, alii minùs ad perfectionem accedebant. [*Centum viginti:*] hoc numero ætatis Moysis (*Deut. in fine*) cui successit Iosue in ductum populi significatur, q veteri legi successit principatus Christi ducentis Israelem ad regnum cæli. Typum quoq; habet veteris & nouæ legis, q a ab vno vsq; ad 15. crescit habens 7. & 8. decebat .n. vt cum annis legislatoris pdicatores gratiæ concordarent.

Vers.16. *Viri fratres:* quoniam est discutere causas singulorũ, [*oportet*] necesse est vel opportunum. [*Impleri scripturã*] q a iam impleta est, non semiplena debet manere, vt perfectus numerus Apostolorum spiritu pparetur. [*Prædixit spiritus*] loquens in prophetia. Non .n. hominis, sed Sp. sancti fuit sententia. [*Dux*] sc. viæ eorum ad hortum, in quo erat Iesus *Ioh.*18. Sciebat autẽ & Iudas, q tradidit eum, locum. vel dux osculi ad prodendum.

Vers.17. *Connumeratus,* solo numero æquatus non merito. [*sortitus*] Deo non iuxta præsentiam iudicante. [*Sortem*] Apostolicam, [*ministerii*] doctrinæ & signorum: vel ministerium dicit ducatũ eorum, qui comprehenderunt Iesum.

Vers.18. *Possedit agrum,* contra: prius fuit suspensus quam ager emeretur: solutio. possedit agrum quia possedit pretium, vel quia sepultus est in eo cũ peregrinis, vel possedit. i. possideri fecit. Gloss: quidã ridiculosè agrum exponunt infernũ. [*De mercede:*] Ecce Isachar qui interpretatur merces. [*Iniquitatis*] suæ. [*suspensus*] Gloss. dignam sibi pœnam proditor inuenit, cum guttur, quo vox pditionis exierat, laqueo necauit: dignum etiã locum interitus quæsiuit, vt qui Angelorũ & hominum Dominum prodiderat, cælo & terræ perosus, aëreis spiritibus sociãdus periret in aëre, iuxta exemplum Achitophelis, 2.*Reg.* 17. & Absalom 2. *Reg.*18. [*Viscera*] & iustè quia sedes iniquitatis fuerunt & fraudis. & benè non per locum osculi os, quo osculatus est Iesum, quamuis falsa superficie viscera funduntur, sed per aluum cui vir⁹ occultæ malitiæ inerat. *Eccl.*10. *Nihil iniquius quam amare pecuniam. hic enim animam suam venalẽ habet.* & in vita sua proiecit intima sua.

Vers.19. *Ita vt appellaretur:* resume, possedit. vel notum factum est. [*Ita vt,&c. lingua eorum:*] habitãtium Ierusalẽ, q a etsi vtriq; loquebãtur Hebraicè, dictabat tñ proprietas linguę Hierosolymorum à Galilæis, de q bus & Apostoli erant, vnde & Petr⁹ nõlẽs lingua sua dephẽsus est esse Galilæus, *Matt.*27 [*Hacheldama*] hoc, vt dicũt q dã, sẽtẽtię Petri inserit, q a Græcè scribens agri apud Hebręos exprimit nomen & interptatione ponit. vel ipse Petrus sermone Hierosolymorum memorat nomẽ illud, quorum lingua vt dictum est aliquantulum distat à lingua Galilęorum, vel latinum interpretẽ multi existimant hoc addidisse.

Vers.20. *Scriptum est,&c.* hucusque pendet q supra dixit: *oportet impleri scripturam in illo.* Per hoc ostendit vn⁹ esse liber Psalmorũ, nõ quinq; *Cõmemoratio:* vel cõmoratio *eorũ:* i. eius, singulare pplurali. In Psalmo etiã dicit [*eius*] sed hic dicit eorũ q a nõ solũ in Iuda, sed in posteris deserta est. vel verbũ [*eorũ*] refert ad 11. quorũ cohabitatio deserta est à Iuda. [*Deserta*] i. deleat de num. 12. Apostolorũ tã in psenti q̃ in futuro. [*Et non sit*] ipse, q a pœnitẽtia indignus iudicatus est. vel supple, donec ali⁹ assumatur, vnde sequi [*Episcopatũ*] Glos. speculationẽ & super inspectionem. episcopus. n. speculator est vel super inspector. [*Alter*] comparatione Iudæ, vel alter duorum quibus sortes datę sunt, sc. Matthias, vel alius de multis discipulis.

Vers.21. *Oportet:* quia spiritus pdixit. [*ex his*] non ex aliis, qui non viderunt testanda. Testis n. non est idoneus, q non interfuit testandis. [*Viris*] non feminis, quarum ad peragẽdum sexus infirmior est, ad pdicandum psona verecundior, ad testandum autoritas inferior, [*omni tempore*] non ex medio temporis spatio. [*Intrauit*] humanitatis est. Inter nos, nobis præsentibus: vel inter homines. [*Dominus*] bonus seruus & fidelis vt prius consueuerat Christũ Dñm suũ post ascensione etiã profiteri.

Vers.22. *Incipiens,&c.* Ex tũc cępit facere & docere, vel hoc q dicit [*à Baptismo Ioãnis*] respicit q pdictũ est: [*intrauit*] q sequit. [*vsq; ad diem*] q dictũ est, [*exuit qua assũptus*] hoc potestatis fuit. Vsq; tũc autẽ in ingressu locorum & exitu semp fuit, q multis ciuitatibus pręedicauit, non habens vbi caput reclinaret. *Matt.*7 [*Resurrectionis*] quia de resurrectione prædixerat: eritis mihi testes.

* Forte gemina.

Verſ.23. *Et ſtatuerũt duos.* ꝑ caritate, q̃* gemĩa eſt, *Gloſſ.* exẽplis æqualibus duos pares eſſe cognouerunt, quos cæteris pferendos non dubitauerunt: alterũ vero alteri pferre, non hominum erat, ſed Dei. [*Barſabas*] filius quietis, vel *Barnabas*. *Gloſſ.* hoc p anticipationẽ dicĩ, qa nominis cauſa in ſequẽtibus monſtratur. [*qui cognominatus eſt*] in laude Barnabæ imorarur, ne velut indignus repelli videreĩ, ꝙ poſtea declaratur, qa cũ Paulus Apoſtol' gentiũ ordinatur infra, fuit vt etiã à Romanis qui eũ noſsẽt Iuſtus dicereĩ. Et eſt Iuſtus latinũ nomẽ vel hebraicũ, & interpretaĩ parcens vel eleuatus, dicit *Gloſſ.* [*Et Matthiam*] q interptetaĩ donũ Dei, cuius donũ appellatus collatũ à Dño eſt, vel dicĩ paruus: & nota ꝙ merito parvi tranſcẽditur ille q laude hominũ iuſt' erat. Clemens refert hos duos ad ſortẽ Apoſtolat' ſtatutos de 70. diſcipul. fuiſſe.

Verſ.24. *Orantes*: exẽplũ orandi ſortientib' daĩ, qa ſortes mittuntur in ſinum, ſed à Dño tẽperanĩ, *Prov.*16. [*Corda*] q̃ nos latent, qui opera ſola cernimus, 1. *Reg.* 16. Deus intuetur corda.

Verſ.25. *Oſtende*: de ſciẽtia Dei non dubitãt: ideo q̃rũt vt ꝙ nouit & ipſi noſcãt. [*quẽ elegeris*] pteritũ' ponit, quia iã in pſentia electus erat. [*Ex his duob'*] ſciunt alterũ eſſe, ſed neſciunt *quẽ accipere*, vt ſit vn' teſtiũ [*locũ miniſterii*] in ipsũ munus donũ, ſc. Apoſtolatum. [*prævaricatus eſt*] deiecit ſe impietate ſua [*vt abiret*] conſecutũ non cauſale. [*in locũ*] infernũ [*ſuum*] *Gloſſ.* ad id ad quod præindicatus eſt.

Verſ.26. *Dederunt ſortes*: Hieronymus ſup Ionã, & hẽc in *Gloſſ.* non hoc exẽplo indifferenter ſortibus eſt cõcedendũ, cũ priuilegia paucorũ legẽ comnẽ facere nõ poſſunt. Sicut n. in cõdẽnatiõe Balaã aſina lnqĩ, *Num.* 22. & Caiphas ꝓphetat ignorans *Ioh.* 11. ita fugitivus deprehendiĩ Ionas & hic Matthias eligĩ nõ virtute ſortiũ, ſed voluntate eius q regit ſortes incertas. Quòd ſi quis neceſſitate cõpulſus hoc exẽplo Dñi putat ſortibus conſulendũ, videat Apoſtolos hoc egiſſe collecto cætu fratrũ & fuſis ad Deũ pcibus. [*Cecidit*] quaſi* deſuper

* Forte deſuper.

qa à Deo tẽperata eſt. [*ſuper Matthiã*] vt pfecto numero pfectus daretur ſpiritus. [*cũ vndecim*] pereunte filio pditionis, *Ioan.* 17. Impfectus remanſit Apoſtolorũ numerus qa ſecundũ lunę ſimilitudinem creſcit & decreſcit Eccleſia: ſed vetera trãſierunt & noua fiunt. *Apoc.* 21. In vndenario autẽ Petrus remanere nolebat, qa peccatũ ſignificat, ſc. Decalogi trãſgreſſionẽ. Ideo redintegratur numerus in 12. vt duas ſeptenarii partes, qa ter quatuor 12. ſũt, Gratia q̃ pdicabant etiã in numero ſeruaretur, qa p ſeptẽ dona Sp. S. in quatuor mũdi partibus Trinitatis fides pdicanda erat abeis. Hi ſunt 12. filii Iacob, *Gen* 39. 12. fontes, *Exod.* 15. 12. lapides in veſte Pontificis, *Exo.* 28. 12 boues ſub mari æneo, 3. *Reg.* 7. 12 lapides de Iordane eleuati, *Ioſu.* 4. 12 ſtellæ in corona mulieris, *Apoc.* 12. 12 fundamẽta 12. portę, *Apoc.* 21. 12. mẽſes anni 12. horæ diei. *Ioh.* 11. 12. fructus ligni vitæ, *Apoc.* 22. Et nota ꝙ Matthias congruè eligitur ſorte ne à lege diſcreperin qua ſũmus ſacerdos q̃rebãtur, vt patet in Zacharia *Luc.* 1. & hic donec veniret verus ſacerdos, q p ꝓpriũ ſanguinẽ ſemel introiuit in Sancta, *Heb.* 9. cuius in Paſcha imolatur hoſtia. Sed die Pentecoſtes apparẽte ſpiritu conſumata eſt. Figurã autẽ licuit exercere donec veniret veritas. Iden Matthias ante Pentecoſtem ſorte ordinatur. Septẽ vero diaconi infra 6. non ſorte, ſed ſola Apoſtolorum electione & oratione ac manus in poſitione.

Caput II.

Verſ. 1. *& cũ cõplerentur dies Pent. &c.* Hoc ſecundum capitulũ primò diuiditur in 3. partes. In 1. agitur de miſſione Sp. S. in 2. de pdicatione Petri, ibi [*ſtans autẽ*] in 3. de cõpunctione auditorũ, ibi: [*his auditis.*] Itẽ prima pars diuidiĩ in 3. partes: in 1. agitur de miſſione Sp. S. in 2. de effectu ipſius Spi. ibi: [*& repleti ſunt*] in 3. de conſequente ad effectũ Spi. S. miſſi, ibi: [*erant autem, &c.*] Item prima pars ſubdiuiditur in 3. particulas. In prima ponit duplicem adaptationẽ ad recipiendum Spi. S. quarum prima attenditur ex parte tẽporis cum dicitur [*cũ cõplerentur dies*] 2. ex parte recipientiũ, cum dicitur [*erant omnes.*] In 2. agit de modo dandi Sp. S. ibi: & [*factus eſt repente.*] In 3. dicit in qua ſpecie apparuit, ibi: & apparuerunt, &c. ordo patet. Primò q̃ritur qmo vel ſdm q cõputationẽ dies Pẽtecoſtes ſit 50. à Paſchate: & nota quod dicitur *Lev.* 22 *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati in quo obtuliſtis manipulos primitiarum ſeptem hebdomadas vſque ad alteram diem expletionis hebdomada ſeptima:* & in illa q̃ erat 50. celebratur Pentecoſte in memoriam legis 50. die à Phaſe datæ, *Exod.* 20. Appellat autem diem Sabbati, diem quæ erat poſt Phaſe: ipſum vero Sabbatum vocat Phaſe, in quo immolatur agnus, & eadem die offerebantur manipuli. Ipſa autem dies erat 14. luna primi menſis ad veſperũ ſcil. dies Iouis. Igitur cum debeamus numerare ab altera die Sabbathi, i. à die quæ ſequitur Sabbathum, i. Phaſe, numerabim' à die veneris: ſed tũc aut incluſivè aut excluſivè. ſi incluſivè numerabimus diem veneris, & ſic computando, computatis 7. hebdomadis, id eſt 49 diebus: Sabbatum fuit dies Pentecoſtes. Et hoc concedunt plures dicentes quod die Sabbathi datus eſt Spiritus S. Illum tamen non colimus, ne videamur Iudaizare, ſed Dominicam ſequentem: ſicut & Paſcha non die veneris, ſed Dñica celebramus. Si excluſivè incipit cõputatio à Sabbato, & ſic Dominica eſt quinquageſimus dies, & ſic nomen eſt etiam conueniens. Et nota quod hoc quod dicitur [*complerentur*] poteſt dicere rem ſuam in fieri vel* in facto eſſe: ſi in facto eſſe iam cõpleti erant 50. dies. Ergo Spiritus ſanctus non eſt datus niſi poſt 50. diem, quod falſum eſt. Sed dicit rem in fieri quia etiam præteriti imperfecti, & eſt ſenſus: [*cũ complerẽtur*] id eſt, eſſent in fieri ad completionem, ſc. ipſo quinquageſimo die quo incipiebat quinquageſimus compleri. Si autem dicit rem in facto eſſe Pentecoſte, intelliguntur dies præcedentes 50. & illi autẽ completi erant. Itẽ quod dicitur in *Gloſſ.* [*die ſolemni Spiritus venit &c.*] non intelligitur de prima vel ſeptima die Pentecoſtes Iudæorum, q̃ maximè erant ſolemnes, ſed de tertia intermedia: quia omnes mediæ inter primam & ſeptimam erant ſolennes, ſed non ita vt prima & ſeptima. [*Erant omnes:*] nullus abſens erat: vel quia numerus duodecimus cõpletus erat. [*pariter*] habentes cor vnum, animam vnam. infra 4. [*In eodem loco*] non diuerſis corporaliter, ſcil. in cænaculo quo aſcenderant.

* In factum eſſe MS.

Verſ. 2. *Factus eſt repente:* contrà Beda dicit: virtus eſt lenta, vitium pceps. Solutio. Anteq̃ virtus ꝓcedat in opus, præcedit deliberatio: & ſecũdũ

hoc

hoc dicitur virt⁹ lenta: sed cũ incipit operari repentè operatur. Et sic quantũ ad infusionẽ dicit̃ sonus repente fieri, non quantũ ad deliberationẽ. E contra in vitio non est deliberatio, & sic est præceps, sed tamẽ postea conscientia remordẽte operatur lentè [*Sonus*] nõ vox propter generalitatem. Datus enim fuit Sp. Sanctus, ut linguis omniũ loquerẽtur. Son⁹ autẽ generalior est quã vox. Item in sono datur, quia sicut sonus ex percutiente est, & à vento: sic Sp. Sanctus à Patre & Filio [*de cælo*] vt significaret spiritũ cælestẽ esse. sonus autẽ potest dici locutio linguarum de ore Apostolorũ sonans [*tanquam*] similitudo est vel cõfirmatio [*Advenientis*] omni sono venit, q sonoa venerat docere [*spiritus vehementis*] nõ tamẽ aliquẽ terruit, sicut in datione legis, ubi populus longè stabat p̃ timore. *Exod.* 20. hic verò congregati erãt ex amore. vel [*vehementis*] vehementer *ad venientis, quia nunquã postea graviter peccaverunt. vel [*vehementis*] mentẽ ad superna elevantis. vel vehemẽs dicitur gratia Apostolorum comparationẽ p̃cedentium. vel in similitudine venti vehementis spiritus venit [*vbi erant*] in cœnaculo perfectionem significante. [*sedentes.*] q a dictum erat eis, *sedete in civitate &c. Luc. in fine.*

* forte adiuuantis.

Vers. 3. *Apparuerunt*, exterius igneo colore, interius spirituali inspiratione [*dispartitæ*] diuisæ in specie ignis, ut linguis omniũ loquerentur, nec interpretibus indigerent, qui in proximo debebãt dividi in omnes terras. Poterãt autẽ omnium linguas intelligere, & omniũ verba formare in quacunq; lingua. vel lingua sua i. hebræa loquẽtes ab omnib⁹ intelligebãtur, ac si linguis singulorũ p̃prijs loquerẽtur. [*tanquã ignis*] genitivi casus [*sedit*] q est regiæ potestatis. vel quia requiescit in sanctis quib⁹ est superior vel [*sedit*] stablibus stabilis *Sap.* 7. Iudex iudicibus nullo ab eis crimine effugandus [*supra singulos*] in singulis totus, nec in multis diuersus aut diuisus.

Vers. 4. *Repleti sunt*, nõ iteratione vocat, quia nõ fuit interruptio; sed perfectionẽ, ut aliũ nõ recipiãt spm̃. q a plena nõ recipiũt augmentũ. sp. n. S. dividẽs singulis p̃ut vult. 1. *Cor.* 12. ubi vult, quo modo vult, quantũ vult inspirat [*cæperũt loqui*] ecce signũ plenitudinis. plenum n. vas excepit; & ignis in sino nõ potest abscõdi *Prov.* 6. [*varijs linguis*] hoc ad plures vel ad unũ referendũ est. In Græco dicit̃ [*alijs*] iuxta illud *Isai.* 28. *in labiis alijs loquar &c.* [*prout spiritus*] quieta alve⁹ linguarũ. Linguæ omnes dñr esse 72. unde & discipuli secũdi ordinis tot sunt electi. *Luc.* 10. ut numerus prædicatorum concordaret numero linguarũ.

Vers. 5. *Erant autẽ*, ut bis habitatores [*Iudæi*] ad ad diẽ festũ collecti: ideo tam solenni die dat⁹ est sp. sanctus, ut tãta virtus haberet multos qui ap p̃barent, & varias linguas cognoscerẽt [*Ex omni natione*] quasi vndecunq; nati. Ipsos autem in omnibus gentibus nasci fecit captivitas sub Antiocho facta 1. *Macchab.* 1. nõ multis ante temporib⁹. vel si incredibile videt̃ expone. [*ex omni*] i. ex pluribus vel ex omni adiacente: sicut fluvi⁹ egrediens de paradiso. irrigare dicit̃ totã terrã adiacẽtẽ scil. *Gen.* 2. [*Religiosi*] Cõtra: ignorabãt Christũ nec credebant. solutio. non repugnabãt legi, sed parati erãt obedire, si cognoscerent Christũ.

Vers. 6. *Hac voce*, i. repentino sonitu, quando cæperunt Apostoli loqui. Vers. 7. *Stupebant*, corde [*omnes*] religiosi [*mirabantur*] facie.

Vers. 8. *Qui loquũtur*, varijs linguis [*quomodo nos*] Hebræi distãtes ab alijs hebreis [*lingua sua*] p̃pria.

Vers. 9. *Elamitæ*, ab Elam idẽ qui & p se [*Mesopotamia*] quæ interpretatur ambitus, quia duobus ambitur fluvijs, Tigri & Euphrate [*Iudæã*] sc. tribũ Iuda & Benjamin, ad differentiã Samariæ & Galliæ decapoleos, & aliarũ in eadẽ p̃vincia regionũ, quæ, licet oẽs hebræa lingua loquerẽtur, tamẽ singulæ domesticã dicendi speciẽ habebãt.

Vers. 10. *Asiam*, minorem. Hæ quinq; provinciæ post Iudæã positæ græcè loquũtur, sed est in sono diversitas: unde mira patet in Apostolis gratia, non solùm diuersis linguis loquentibus; sed in vnaquaq; lingua, secundum numerum provinciarum, distantias proprietatum observantibus.

Vers. 11. *Advenæ Romani*: In Græco peregrinantes: Iudæi scil. peregrinam vitam Romæ ducentes [*Iudæi*] de tribu Iuda [*Proselyti*] gentiles circumcisi, & ad Iudaismum conuersi.

Vers. 12: *Omnes* Religiosi.

Vers. 13. *Alii*, distantes à religiosis. [*Musto pleni*] sed quare hoc dictũ, cùm ebrietas non faciat homines facũdos, sed potiùs auferat eloquentiã. Respons. aufert eloquentiã, sed q est peritus est peritus sermo. Sed nõ removet verborũ affluentiã. tales credebãt Apostolos: sed manifest⁹ est eorũ error. nõ n. multarũ locutionũ, sed uni⁹ tm̃ loquelæ affluentiã facit ebrietas. * Mysticè [*Dies Pentecostes*] 50 die sp. datur, quia per eũ peccata remittũtur, & charitas diffundit̃ *Rom.* 5. quæ operit multit. peccatorũ *Iac.* 5. in quo tanquã spirituali Iubileo rei solvũtur, debita dimittunt̃, exules in patriã revertũtur, hæreditas amissa redditur, servi i. homines sub peccato venũdati *Rom.* 7. à iugo servitutis liberãtur. 50. septem habent id est 42. & 8. quæ partes simul faciũt id est 7. ad vetus 8. ad Novũ Testamentũ pertinẽt, quia septima die requievit Deus *Gen.* 1. & septẽ diebus azyma cõmeduntur *Exod.* 12. & noua lex in 8 beatitudinibus data est *Math.* 5. & octava die Dñs resurrexit, & octaua die resurrectio nostra speratur. Vtriã q; igitur legis docẽs completionẽ quinquagesimo die datur Sp. Sãctus qui numerus * ex septima cõstat & septẽ. Lex in monte Sina *Exod.* 20. sp. Sanctus in monte Sion datur. Lex in sublimi montis loco, sp. Sãctus in cœnaculo [*in eodẽ loco*] vt vnitas ecclesiæ cõmendetur in cœnaculo, q est tertia mãsio, q a incipiẽte tertia lege sc. gratiæ, in qua qui spiritũ desiderat carnis domiciliũ mentis contẽplatione trãscendit [*Repẽte*] q a nescit tarda molimina Sp. Sãcti gratia, vel fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei [*De Cœlo*] datur Sp. Sãctus, vt diligatur Deus: in terra, ut diligatur p̃ximus. ad quæ duo cõmendanda bis post resurrectionẽ datus est, quia *Ioh.* 20 *insufflavit & dixit: accipite sp. Sanctum; &c.* q prius soli Petro dederat *Math.* 16. sed ut creditur p anticipationẽ, tũc cũ cæteris p cõpletionẽ etiã Petro attribuit: & datur potestas dimittẽdi illis, quos ad officiũ mittebat p̃dicationis. Ante passionẽ quoq; datus est Apostolis Sp. Sãctus ad gratiã doctrinæ & sanitatum quando missi sunt prædicare *Math.* 10. ad sanãda corpora, post * ad remittẽda peccata ob remedium animarum, secundũ q homo ex anima cõstat & corpore [*ubi erãt sedẽtes*] sessio signũ stabilitatis est & humilitatis q b⁹ sedes parat̃ sp. S. q super

* Mysticè

* ex septem & octo gloss.

* post resurrectionem gloss.

per humilem requiescit *Isai. vlt.* secundum aliam literam. hæc igitur humilitas concordiã faciens meruit virtutẽ: superbia verò in turre Babel cõfusionem *Gen. 11.* Hæc enim colligit, illa dispergit. [*dispertitæ linguæ*] ad significandũ quòd ecclesia omniũ erat linguis gentiũ locutura. [*Tanquã ignis*] quia Deus videtur ignis consumens esse *Deut. 4.* & quia ad modũ ignis spirit⁹ purgat corda, vrit peccata illuminat ignorantias, calefacit, & torporẽ ignaviæ excutit, incinerat p humilitatẽ, indurat per fortitudinem, se communicat per misericordiam, sursum tendit per desideriũ æternorum. Dicit etiã Glossa quòd ignis incorporeus & invisibilis in sua natura: sed assumpto aliquo corpore, videtur diversi coloris apparẽs, propter materias in quibus ardet: sic spiritus videri nõ potest nisi p creaturas in quib⁹ operatur. *Gregorius: In linguis igneis Sp. Sanctus apparuit, quia discipulos zelo succensos & verbo eruditos intus reddit. & quia quos replet credere ex se & loqui facit de se: habent quoq; doctores linguas igneas quia auditores inflãmant, & ipsi * æmulatores ardent quos spiritus fervor accendit & per pænitentiam punit.* Item linguas attulit qui pro verbo venit. cognationẽ quippe habet lingua cum verbo, vt ab invicem nequeant separari: sic verbum Patris & Sp. Sanctus inseparabiles sunt & vnius naturę. ecce nõ relinquit orphanos *Ioh. 14.* mittens paracletum i. advocatũ qui pro eis omnibus loquitur linguis. [*varijs linguis*] quarum diversitas divisa significat dona gratiarũ. [*musto pleni*] quamvis irrideant, verum dicunt: quia nõ vino veteri, quod in nuptijs ecclesiæ defecit *Ioh. 2.* sed musto gratiæ spiritualis pleni erãt. Nã vinum novũ in vtres novos venerat. *Math. 9.* & jam non in vetustate literæ sed novitate spiritus Dei magnalia resonabant *Rom. 7.*

* Melius æmulatores, secundum Gloss.

Vers. 14. *Stans autem &c.* secunda pars huius capituli quæ dividitur in tres particulas. In prima arguit * Christus irridentes se authoritate *Ioel.* In secunda revocat ad fidẽ, authoritate David dicentis, *providebam Dominum in conspectu*: ibi: [*viri Israelitæ*] In tertia ostendit verba illa non posse intelligi de David, nec ei convenire, ibi: [*viri fratres &c.*] dicit ergo. [*stans*] vt melius audiretur. vel [*stans*] altitudine prima, vel in proposito bon . [*Petrus*] loquitur quasi pastor pro ovibus [*elevavit*] vt indiceret silentiũ ad audiendum sermonẽ. [*locutus*] vt musto plenus. [*vis*] qui convenerant. [*viri*] propter fortitudinẽ. [*Iudæi*] propter scientiã. [*Hierusalem*] propter villæ excellentiam. unde prudentes & sobrij debent esse [*vniversi*] scil. ambo populi. [*hoc*] non quod irrisores dixerunt: vel hoc mustum: vel hoc quod sequitur [*verba mea*] plena musto spirituali.

* Videtur legendũ Petrus.

Vers. 15. *Ebrij: Isai. 5. væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam.* [*hora tertia*] cùm i. quamvis vel quia non est hora bibendi propter terræ caliditatem, quia sic corrumperetur natura: vel quia hoc factũ fuit in Maio, quando Iudæi jejunabãt, & simul Apostoli adhuc servantes illam consuetudinem: vel nõ sumus ebrij cùm sciamus quòd sit hora tertia. Gloss. Sp. Sanct⁹ gloriã Trinitatis mũdo prædicaturus, cõgrue datur hora tertia orãtibus, vt pdictum est, ad significandũ quòd nõ datur nisi mentibus ad superna elevatis [*hora tertia*] tertia lex. Itẽ hæc hora qua spiritus mittitur, & sexta qua Dominus crucẽ ascẽdit, *Luc. 23.* & nona qua spiritũ emisit. *Math. 27.* p cæteris sanctificatæ nobis cõmendantur. Vnde *Dan. 5.* ter in die adorans flectebat genua contra Ierusalem.

Vers. 17. *Erit in novissimis*: hoc nõ est in Ioel, sed addit Petrus ad reverentiã verbi Dei: sicut prophetæ solent dicere: hoc dicit Dominus, vt attẽtos faciãt ad verbũ Dei quod sequitur. [*effundam*] in modũ fontis. [*de spiritu*] verbũ [*de*] diversa dona respicit 1. *Cor. 12.* non diminutionẽ substantiæ. [*Meo*] mihi coæterno, quasi ad mensuram dabo spiritũ. [*super omnẽ carnem*] masculi & feminæ, Iudæi & gentilis *Colos. 3.* *sicut est masculus & femina &c.* [*carnem*] vt sit carneũ non lapideum *Ezech. 11.* vel quæ sit *omnis caro*, exponit subdẽs. [*& prophetabũt*] i. prophetias exponẽt, vel docebũt: non ventura pdicẽt. vel [*prophetabunt*] non de Christo, sed de quolibet alio vẽtura pdicent: quia lex & prophetæ sunt de Christo vsq; ad Iohannẽ *Math. 11.* qui promissum in lege & pphetia ostẽdit digito. [*filiæ*] Philippi. infra 21. Et nota muneris largitatẽ: quia non pphetis & sacerdotibus tantũ, vt olim; sed passim omnibus spiritus erat dandus. Isti inquam [*prophetabunt*] vt sitis inexcusabiles. [*iuvenes*] vt Iohãnes & Paulus 2. *Cor. 12.* vel i. novi fideles. [*videbũt*] clare omnia mysteria. [*Senes*] vt Petrus & Iacobus, vel cęteri legi adhærentes. [*somnia*] vmbras & figuras videbunt.

Vers. 18. *Et quidem*: adhuc exponit *super omnẽ carnem.* [*Super servos*] priùs ex timore, nunc ex obedientia. [*In diebus novissimis*] huc vsq; de adventu spiritus, nũc de iudicij signis & pdigijs ad literã. Sed mysticè de Christo omnia hęc impleta sunt.

Vers. 19. *Prodigia*: quæ porrò dicunt i. longè significãt, & est prodigiũ quod proditur oculis, signũ quoad significatur: prodigia in magnis, signa in parvis. [*prodigia in cœlo*] Christo nato novũ sid⁹ apparuit *Math. 2.* & eo moriẽte sol obscuratus est, & terra tremuit *Luc. 23.* & *Math. 27.* vel pdigia in cœlo sunt labores in ecclesia. [*signa in terra*] vindicta in terrenos. [*sanguis*] martyrum [*ignis*] evangeliũ, vel Sp. Sanct⁹ [*vapor*] compũctio animæ ab ardore spirit⁹ procedens, sicut fumus ab igne. Vel sãguis delatere fluens contra naturã corporis mortui. *Ioh. 19.* qđ fuit signũ salutis nostræ, & causa vitę pcessit de illius morte, vt sicut tabernaculũ victimarũ sanguine consecratũ est. *Levit. 4.* sic fideles sanguine Christi. Et nõ tantum in Hierosolymis sit locus orationis *Ioh. 4.* sed in omni loco dominationis eius. [*Sanguis*] Christi, antequã Petræ scissæ sunt. *Math. 27.* [*ignẽ*] Sp. Sãctum quoad Apostolos. Vaporẽ quoad alios qui postea pcepetunt: sicut dicitur infra 10. Patet igitur qđ hoc potest legi pro tẽpore ante resurrectionẽ vel post, & sic maximè intendit hoc Petr⁹. Vel [*ignis*] illuminatio fideliũ, *vapor*, cæcitas Iudæorum. Vnde Dominus legẽ daturus in igne & fumo descẽdit *Exod. 20.* quia humiles illuminat, superbos caligine erroris excæcat.

Vers. 20. *Sol cõvertetur in tenebras*: ad literã in passione. [*luna in sanguinẽ*] sed cùm plena esset, quia 14. occultata obiectu terræ hominib⁹ nõ potuit nunc apparere [*Sol in tenebras*] mysticè Christus in crucẽ, vel Evangelium in hæreses, & ecclesia in martyrium. [*Dies Domini*] nõ hominum [*magnus*] separatus spatio opere, claritate. [*manifestus*] quia Dominus noster maiestate veniet.

Vers. 21. *Et erit*: quasi metuentibus consilium pro-

propunit. [*Omnis &c.*] quia nõ eſt pſonarum acceptor Deus &c. *infra* 10. [*invocaverit*] ante diem non in die. [*Invocaverit*] fide, ore, operc. [*salvus erit*] ſalute infinita corporis & animæ.

Verſ. 22. *Viri:* Secunda particula, in qua revocat ad fidẽ. [*Viri* [fortitodine. [*Iſraelita*] quibus ꝓphetatum eſt. [*audite*] à me. nõ ab irriſorib⁹ cõpletã eſſe ꝓphetiam. [*verba*] dicta vel dicenda. [*audite*] in quã leſum. *Quem vos interemiſtis:* ſimile. [*virũ*] virilẽ vel verum hominem. *Ierem.* 31. *mulier circundabit virũ:* loquẽs ſelentib⁹ legẽ, Chriſtũ a Prophetis ꝓmiſſum, non prius authoritate ſua Dei filium nominat. ſed virũ ꝓbatum a mortuis ſuſcitatum. [*In vobis*] coram vobis, vel in veſtris corporib⁹, quoad hoc q dicit [*virtutes & prodigia*] reſuſcitationibus mortuorum. [*Deus*] Pater vel Divinitas [*In medio*] vnde inexcuſabiles eſtis. Conſilio Sp. Sancti, præſcientia patris non veſtra.

Verſ. 23. *Traditũ:* Iudæis à Patre, vel à ſeipſo, vel à diſcipulo *Math.* 27. tradit militib⁹ à Iudæis. [*iniquorũ*] militũ: affligẽ va ijs illuſionibus *Luc.* 23. [*Interemiſtis*] voce; q enim iubet ille facit. Petentes Barrabã dimitti & Ieſum occidi. *Math.* 27. Gloſſ. in hoc ſolo notabiles q a nõ obedienti animo fecerunt, ſed ex invidia. Sed eſto q non ex invidia fecerint, ſed vt voluntati Dei obedirẽt, quærit vtrũ peccaſſent? videtur q non, quia ſi Abraham occidiſſet filiũ *Gen.* 22. ſuppoſito quod nõ fuiſſet revocatus: igit a ſimili. Solutio: nõ eſt ſimile, quia etſi voluntas patris eſſet Chriſtum pati non tamẽ fuit in lege expreſſum præceptum de occidendo eum.

Obiectio.

Solutio.

Verſ. 24. *Suſcitavit*, ſecundum humanitatẽ quã maxime oderã [*ſuſcitavit*] non cõmuni reſurrectione, ſed tertia die, vt huius reſurrectionis aſſertio eſſet teſtimoniũ Deitatis [*ſolutis*] vel eius reſurrectione, vel mortuorũ ſolutione. In Græco, ſolvẽs per ipſam mortis dolores, q a in deſi ẽ ſu ad inferos liberavit ſanctos q tenebat in limbo. nec priùs exire poterant, donec victor educeret in ſanguine teſtamẽti vinctos de lacu. *Zach.* 9 vincti enim erant, dicit Gloſſa, antẽq educerẽtur, iuxta Prophetiam David immutabilem. [*ab eo*] vel ab ea morte; qui enim immunis erat à morte, poterat quos vellet à dominio mortis eripere.

Verſ. 25. *In eum:* nõ in ſua ſed in Chriſti perſona. [*providebam*] vox hominis aſſumpti [*providebã*] i. pro me eſſe videbã quaſi præſens auxilium tenebam. [*Dominum*] Deitatẽ vel Patrẽ [*coram me*] q a veniens in ea quæ tranſeunt nõ abſtuli oculũ ab his quæ ſemper manent. [*ſemper*] quaſi inſeparabilẽ. [*à dextris*] proſperis [*cum*] more cuſtodis, [*ne cõmovear*] à ſpe reſurgẽdi: laboravit enim ſpe vitæ æternæ. dicit gloſſ.

Verſ. 26. *Propter hoc*, Quia caro reſurgit tertia die: vel q a Dominus à dextris ſtat. [*delectatũ eſt*] iucunditate. [*cor*] cogitatio mea. [*exultavit*] in verbis Prophetæ. [*lingua*] Patriarchæ de me locuti. [*caro*] non deficiet in interitu. [*ſed requieſcet*] in ſepulchro [*in ſpe*] reſurrectionis.

Verſ. 27. *Inferno:* Gaudebat quòd ab inimicis commoveri non poterat. Sed ſuper hoc cernit lætitiam quòd in ſua reſurrectione exemplũ dabat nobis. [*animam*] humanã quæ deſcendit ad inferos. In [*inferno*] poſſidendam ſecundum corpus ſanctificatum [*eum*] per quod alij ſanctificãdi ſunt. [*corruptionem*] putredinis & vermium, quaſi, non patieris corrumpi.

Verſ. 28. *Quia notas feciſti mihi vias:* quæ ſunt in ſanctitatis iucunditate; quibus itur ad æternitatem. quibus poſt reſurrectionem [*adimplebis*] aſcendenti in cælum dabis delectationes dextræ uſque in finem. in quibus eſt lætitia non ſemiplena [*cum facie tua*] videbo facie ad faciẽ 1. *Cor.* 13. vel cum Chriſto Deo qui eſt facies Patris. ſic loquitur Chriſtus ante reſurrectionem. Vel poteſt loqui poſt ſic: providebam ut ſupra [*à dextris*] ſiniſtra vita præſens, dextra æterna. [*ne commovear*] poſt reſurrectionem, quãdo omnia immobilia. [*exultavit*] vel quia requies poſt laborem data eſt. In paſſione dixit, *triſtis eſt anima mea. Math.* 26. *& cœpit tædere & pavere Marc.* 14. ut ſe verum hominem monſtraret: ſed poſt exultat lingua, quia paſſione ſua genus humanum ſaluatũ erat. [*Nec dabis*] probat ſe humanæ fragilitatis - - - - & ſupergreſſum eſſe humanam conditionem. Moraliter [*providebam*] docens quid fecit? putris hominibus conſulit: qui enim præſentiam Domini iugiter intuetur oculo mentis, hunc ad peccata diabolus non convertit. [*à dextris*] alioquin diabolus ſtet à dextris eius &c. [*notas*] non de illo ſolo intelligitur, qui mortem deſtruxit per ſe reſurgens ad vitam, ſed etiam de iuſtis qui per eum via veritatis inventa ad vitam redeunt: ſecundum illud *Sap.* 10. ut videant facie ad faciem, quod eſt vita & beatitudo perfecta *Ioh.* 17.

Moraliter.

Verſ. 29. *Viri*, corpore. Fratres fide vocando blanditur, & principalem ſexum alloquitur. [*liceat dicere*] hoc dicit ne indignentur: & eſt tertia particula ſecundæ partis capituli, in qua oſtendit verba præmiſſa non convenire David. [*vſq; in hodiernum diem*] unde patet eum non de ſe dixiſſe. *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

Verſ. 30. *Iuraſſet:* iuramentum Dei ſignificat immutabilitatem conſilij. [*lumborum*] viris luxuria in lombis eſt. [*ſedere*] quia Chriſtus ſuper ſpiritualem Iſrael ſedit.

Verſ. 31. *Providebam:* à longe [*derelictus*] ſecundum animam.

Verſ. 32. *Reſuſcitabit: Amos in fine. ſuſcitabo tabernaculum David quod cecidit.* [*omnes*] non tamen duo vel tres, vt teſtimonium ſit ſufficiens. [*nos*] qui vidimus eum poſt reſurrectionem. *teſtes:* *reſurrectionis.

* vetonis re. lattoan. MS.

Verſ. 33. *Igitur:* quia dixit David à dextris eſt mihi &c. [*exaltatus dextera: ablati*] . proſperitate i. vel ipſe exaltatus, qui eſt dextra Dei Patris. [*promiſſione*] Ioel. [*accepta*] accepit enim enim vt homo, vt effundat ſpiritum ſicut dixit *Ioel.* 2. vel accipiunt Apoſtoli ab ipſo exaltato promiſſum in Evangelio. *Ioh.* 16. [*ſpiritum effudit*] vt Deus. Non recedit à verbo Prophetæ dicentis, effundam, vt ipſum eſſe ſignificet, qui olim per Prophetam locutus eſt. [*hunc*] ſpiritum. In Græco effudit hoc donum. [*videtis*] in linguis igneis, vel mente [*auditis*] ſono vel noſtro ſermone.

Verſ. 34. *Non enim David:* unde patet quòd

non de sua, sed de Christi ascensione loquitor. Qui prius Iesum à Deo suscitatũ dixit, nunc fidé auditorum altius erigens, verum esse Deum assignat, quem effudisse spiritum confirmat, quod est Deitatis.

Vers. 35. Dixit: interna ratione verbi cœterni. [*Dominus pater Domino*] homini Christo. [*sede*] quiesce vel indica, quia pater omne iudiciu dedit filio *Ioh. 5.* [*à dextris*] in æternis bonis vel in vnitate Personæ cum Filio, qui est dextra Patris. Hoc est quod dicit *Petrus infra 3. quem oportet cælum recipere &c.* Sed ex hoc arguit Arrius minoré Patre. Resp. Nomē inferius illi convenite cui imperatur sedere, sicut & Petrus consequenter exponit, quia eum Dominũ & Christũ Deus fecit. [*donec posuero*] in præsenti & in futuro i. semper, qui semper por é li. [*inimicos*] dæmones vel homines [*scabellum*] humiles vel subiectos [*Pedũ*] carnis: vel Apostolorũ. apertè probat Petrus regnũ Christi nõ esse terrenũ sed cœleste, & vt ãque in eo naturã astruit, in altera docens filium David, in altera eius Dominum. vnde subdit.

Vers. 36. *Certum ergo,* quia propheta hoc dicit. [*Domus*] continens pro contẽto [*Israel*] corporalis & spiritualis. [*Dominum*] David. [*eum*] de quo dicit. [*Domino meo*] Christũ regem [*fecit*] in nativitate vel resurrectione secundum carnem. [*Deus*] pater vel Deitas [*hunc Iesum*] propriom nomẽ illius est hominis. [*crucifixistis*] secundum carnẽ, quia Deitas pati non potuit. Domin' nomẽ majestatis est & potestatis, cui omnis creatura subjici debet. Christus regiæ vel pontificalis dignitatis, in huius Christi figura in lege reges & põtifices vngebãtur. vna igitur persona in duab' naturis. Christus est Dominus in divina æternaliter ea patre, in humana temporaliter natus ex matre. Ipse verè est Christus plenitudine Sp. Sãcti, vnctus qui eundem spiritũ potenter quibus voluit dedit.

Vers. 37. *His auditis,* Tertia pars capituli, in qua agitur de compunctione auditorũ Petri, & dividitur in quatuor partes. In prima cõpuncti petunt consiliũ. in 2. dat Petrus consiliũ ibi: [*Petrus vero*] In tertia acquiescunt consilio eius tria millia ibi, [*qui ergo receperunt*] In 4. agitur de profectu conversorum, ibi: [*erant autem &c.*] [*His*
* Vers. 24. *auditis*] ex quo dixit viri Iudæi. supra. * e [*compuncti*] *Ecclesiastes in fine verba sapientum quasi stimuli. Psal. 4. & in cubilibus vestris compungimini.* Ecce, post ignem sequit suus vapor, & incipiũt cõpungi & flere qui irriserant, vt illũ sanguinem gustare valeant, & per eũ salvari, quẽ supra se & filios suos fuerãt imprecati. *Math. 27. Abacuc 3. audivi & conturbatus est venter meus. Heb. 4. vivus est sermo Dei & efficax & penetrans &c.* [*& dixerunt*] quasi ad medicos & duces cæci loquũtur & ægri. [*quid faciemus*] ecce fructus cõpunctionis. *Act. 9. v. 7. quid me vis facere?* [*fratres*] quia & ipsi Israelitæ.

Vers. 38. *Dixit*: secunda particula de cõsilio Petri. [*Petrus*] fervore præcipuus. [*pœnitentiã*.] corde agite, opere implete. [*Baptizetur:*] dicturus de Baptismate præmisit lamẽta pœnitentiæ, vt se aqua suæ afflictionis infunderẽt, & post, sacramẽ
Obiectio. to Baptismi lavarent. Sed objicitur illud *Rom. 11.*
Solutio. *sine pœnitentia sunt dona & vocationes Dei.* Verũ est de pœnitentia exteriori: interior autẽ scil. contritio vel attritio requiritur in adultis, quales isti erãt: in parvolis verò præcedit Baptismus contritionẽ [*vnusquisq;*] nullus pro alio. [*in nomine*] in honore vel in hac forma [*Christi*] in vno nomine Trinitatis fides continetur: scil. vngentis patris, vncti filij, vngentis Sp. Sancti. [*Peccatorum vestrorũ*] præcipuè crucis vel crucifixi, de qua prædixit quẽ crucifixistis. [*Iesu Christi*] de quo dictũ est quòd Deus eum Dominũ fecit & Christum. Hoc dicitur quia filiũ non crediderunt. [*donum*]
quod in nobis miramini. Ex hoc videtur quod Obiectio.
remissio peccatorũ præcedat infusionẽ gratiæ.
Resp. Spiritus Sanctus vel infusio gratiæ pcedit Solutio.
remissionẽ peccatorũ. Sed secundũ quod datur ad robur, sequitur eam, & de hac loquitur hic.

Vers. 39. *Vobis* Iudæis remissis. *Ioel. 2. effundã de spiritu meo.* Omnibus etiam gentibus, quę a dono spirituali non repelluntur [*longè*] loco vel à notitia Dei vel [*vobis*] hîc stãtibus [*& omnibus*] Iudæis procul positis [*Advocaverit*] gratiã non meritis, quia *omnis quicumq; invocaverit nomen Domini salvus erit. Ioel. 2.*

Vers. 40. *Alijs,* quæ Lucas tacet quia eiusdem erãt qualitatis, & multa verba Petri brevi cõcludit sententia. [*Testificatus est*] de Christo [*exhortabatur*] adiurabat: vel testificatio & exhortatio idem est. [*Dicens*] se medicũ & illos ægros ostendens [*salvamini*] hæc est testificationis qualitas. [*à generatione*] Iudæorũ qui non credũt nec pœnituerunt. [*prava*] *Psal. 77. generatio prava & exasperans est.* Duæ sunt generationes, prima bonorum. alia malorum.

Vers. 41. *Apposita*: numero fideliũ. [*circiter*] ad numerũ dicitur sicut *circa* ad locum [*tria millia*] numerus fidei congruit, quæ est vna vel trina; & rectè in primo Baptismo ad cõfessionẽ Trinitatis [*tria millia*] colliguntur. *Levit. 23.* quinquagesimo die à Phase, quô lex data est *Exod. 21.* solẽnitatem primitiarum Moyses pcepit initiari: nunc post adventum Sp. Sancti non manipuli spicarũ sed animarum primitiæ Domino consectantur.

Vers. 42. *Erant autem*: quarta particula [*perseverantes*] non vna die tantùm. [*Doctrina*] fidei. [*in communicatione*] non solius Petri, quia eadem erat omnium. [*Panis*] sive communis sive sancti.

Vers. 43. *Omni anima*: exceptis credentibus. [*timor*] pro prædicatione, vel prodigijs sequentibus. [*Prodigia*] prædicationi adiuncta. [*vniversis.*] imperfectis, sed perfecta charitas foris mittit timorem. *1 Iohan. 4.*

Vers. 44. *Pariter*: ecce fraternitas. [*omnia communia*] fraterni amoris indicium, nihil habere proprium.

Vers. 45. *Possessiones*, agros. [*substantias*] pecora. [*prout cuiq;*] non secundum honorem, sed secundum indigentiam. Charitas enim diffusa in corde per Sp. Sanctum [*Rom. 5.*] citò generat amorem Dei & proximi. Ideò his datus est Sp. Sanctus *Ioh. 20. & supra. vers. 33. Seneca. Si ad naturam vixeris, nunquam pauper eris, si ad opinionem, nunquam dives.*

Vers. 46. *Vnanimiter,* vt Apostoli. [*in templo*] in oratione, ecce contemplativa. [*frangentes*] ecce activa. [*circa domos*] nõ in templo, vt sanctus locus esset orationi, & cõmunis victui. [*panẽ*] corporalẽ vel eucharistiã [*cũ exultatione*] in honorẽ sui magistri [*in simplicitate*] nihil interrogantes

propter

propter conscientiam 1. Cor. 10. [*Corde:*] vnanimitate charitatis.

Vers. 47. *Collaudantes Deum*, Glos. In laude cooperantes. [*habentes gratiam:*] de perceptis gratias agentes, secundum illud: *hymno dicto, exierunt in montem oliveti. Matth.* 27. Hæc enim vicissim sibi consequuntur vt virtutes sermonibus & sermones succedant virtutibus. [*Ad plebem.*] coram plebe, vel ipsi plebi gratias referêtes, vel in conspectu plebis gratiã invenientes. Nec solùm priores perseverabant, sed etiam [*Dominus augebat quotidiè,*] non tantũ in Pentecoste, [*in idipsum:*] vnionem Apostolicæ regulæ. In Græco Domin⁹ augebat eos, qui salvi fierent quotidie ecclesiæ. Post alia narratio sic incipit [*In idipsum Petrus & Iohannes &c.*] quod sic exponitur: cùm quotidie prædicantibus Apostolis Dominus augeret ecclesiæ fideles, primi Apostolorũ ascenderunt in templum rogaturi, [*in idipsum.*] vt ecclesia semper augeret.

Caput III.

VErs. 1. *Petrus & Iohannes &c.* Hoc capitulum tertium dividitur in duas partes. In primâ agitur de sanatione claudi. In secundâ de prædicatione Petri. ibi. [*vidit autẽ Petrus*] i. ẽ secunda dividitur in quatuor particulas: in prima arguit eos qui credebant claudum sanatum ab eis. In 2. ostendit quòd Deus voluit filiũ suum glorificari in sanatione ejus, ibi; [*Deus Abraham*] in 3. invitat eos ad pœnitentiã, ibi: [*& nunc fratres*] in 4. ostẽdit quòd benè debent credere quæ dicuntur de Iesu per autoritatẽ prophetarũ, ibi: [*Moyses quidem &c.*] [*Petrus*] præcipuus exorditur. [*ascendit*] qui orat ascendit. [*nonam*] non orationis sed diei. *Dan.* 5. ter in die adorabat semper. Similiter & Iudæi, vt dicitur in quadã glossa, hora *tertia*, quia tali hora lex data est, & Apostolis spiritus sanctus: & *sextâ*, quia erectus fuit serpens in palo, *Num.* 21. & Christus in cruce: & *nona*, quia tunc exivit sanguis & aqua de latere Christi. *Ioh.* 20.

Vers. 2. *Quidam vir*, cuius notatur difficilis sanitas cum dicitur [*ex vtero*] gravis infirmitas. *baiulabatur.* [*speciosa:*] ab ornatu speciali & fecit *Ioas filius Ezechia leprã percussi &c.* 2. *Paralip.* 27. Alij dicunt quod Alexander fecit: & vterq; potuit diversis temporibus. [*ab introeuntibus:*] misericordes credidit eos qui templum frequentabant.

Vers. 3. *Accipere*, ab eis.

Vers. 4. *Respice in nos*, paupertatem in habitu demonstrantes. quasi pauperes sumus * & tu. * *vt*

Vers. 6. *Non est mihi ad manum*, i. non habeo modò: vel non habeo simpliciter, *Matth.* 10. *nolite possidere aurum neq; argentum.* Quæ enim ad pedes Apostolorum ponebantur non recondebant sibi, sed ad usus pauperum servabãt [*hoc tibi dico:*] alia ostendit se habere. [*In nomine Iesu:*] gratus servus, non se, sed dominum glorificat, vt credant in eum cui resistebant. [*Surge,*] ecce sanitas. [*ambula:*] manifestatio sanitatis vt probatio.

Vers. 7. *Dextra*, salutis est prosperitas. [*protinus:*] non medicinali tarditate. [*bases.*] ad eundum. [*Planta,*] ad standum. & dicitur planta à planitie.

Vers. 8. *Exiliens:* non exsurgens *Isai.* 35. *tunc saliet sicut ceruus claudus.* [*Stetit & ambulabat:*] duo præcepta implevit. nulla intercessit cunctatio, ne putaretur aliunde sanatio.

Vers. 9. *Vidit eum*, sanitatem ejus. [*Laudantem Deum:*] exemplum gratias agendi.

Vers. 10. *Cognoscebant*, non dubitabant de persona. [*Stupore,*] non fide glos. pavore & excessu mentis. Dicitur extasis cum mens non à pavore alienatur, sed inspiratione revelationis assumitur.

Mysticè. Apostoli templum ingressuri claudum lavant: post vsque ad vesperum multa millia verbo fidei imbuunt. Sic Doctores Ecclesiæ primò Iudæis postea gentibus prædicant; hi sunt operarii quos hora nona & vndecima paterfamilias misit in vineam, *Matth.* 20. Populus autem Israel à tempore legis rebellis quasi claudus fuit ex vtero matris, quod significat lucta Iacob cum Angelo, *Genes.* 32. in quâ factus est claudus, quia populus ille Christo prævalens in passione, in quibusdam per fidem benedictus in aliis ex infidelitate claudus est. Mystice

Vers. 2. *Porta speciosa:* Christus est, per quam qui intrat salvatur, *Ioh.* 10. ad quem claudus ille vocibus prophetarum affertur auxilium petens; sed intrare non valens nisi, per Petrum cui claves datæ sunt, *Matth.* 16.

Vers. 6. *Argentum, &c.* habuit Synagoga Tabernaculum auro & argento distinctum, sed omnibus preciosior sanguis Christi, quia populus ante postes auratos iacens debilis in nomine crucifixi templum cæleste ingreditur.

Vers. 7. *Apprehensa manu:* & verbo erigit, manu confortat, quia sermo Docturis minus valet in audiente nisi commendetur exemplo actionis propriæ.

Vers. 8. *Cum illis:* in templum cœleste: ordo rectus, primò surgit, quia iacuerat, deinde iter virtutum atripit, & sic regni ianuam intrat cum Apostolis.

Vers. 11. *Concurrit:* sanato Israel per Apostolos cucurrit totus mundus ad domum pacifici Christi, cuius multiplicabitur imperium & pacis non erit finis, *Isai.* 9. qui terreno regno ruente solus pontificum tenet imperium.

Vers. 12. *Videns autem, &c.* Secunda pars, de prædicatione Petri, in qua arguit credẽtes, quòd ipsi claudum sanauerint, respondit concursui vel stupori turbæ: [*in hoc,*] quod fecimus: [*quasi nostrâ:*] apparet quare currebat populus, [*virtute & pietate:*] hæc duo necessaria sunt saluti, autoritas & pietas. [*fecimus:*] nos, non Deus.

Vers. 13. *Deus Abraham:* quia credidit ei etiam tempore præputii, *Genes.* 20. [*Deus Iacob*] in tribus Trinitatem notat, [*Patrum nostrorum:*] triũs vel omnium. Non est enim Deus mortuorum, sed viventium, *Matth.* 22. Et in hoc quod dicit [*nostrorum*] notatur vnitas, tres annumerantur, nullo impio medio; vel propter principatum iustitiæ, vel propter continuam iustorũ seriem, vel propter numerum testium, *Deut.* 17. [*Patrum nostrorum:*] memorans patres fidem suadet, ne quasi nouũ introducere videretur. [*Deus Abraham, &c.*] his tribus omne Sacramentũ Ecclesiæ completur, aut enim ex bonis boni, vt Isaac ex Abraham, aut ex malis mali: vt Ismael ex A-

gat: aut ea bonis mali, vt ex Isaac Esau: aut è malis boni, vt filii Iacob ex ancilla. [*Glorificant:*] in sanatione paralytici, [*Iesum*] Saluatorem mundi, [*quem vos*] quasi ad saluandum veneret, & vos eum [*tradidistis*] militibus ad mortem: hoc dicit vt terreat. [*Pilati*] gentilis: [*iudicante*] in quo iudicantur Iudæ, [*dimitti*] sine iniquitate.

Vers. 14. *Sanctum*, in se, sine peccato. [*iustum*] ad proximum: [*negastis*] non hunc sed Barrabbam petentes dimitti.

Vers. 15. *Vita*, præsentis & futuri: vel vitæ Lazari & cæterorum. [*Interfecistis*] voluntate, verbo: contra illud, *Exod.* 21. *qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur.* [*Deus*] pater [*à mortuis*] longe ne iterum moriatur [*cuius*] Christi vel Sancti. Sapiens doctor, primò humanitatis qua occidi potuit recordatur, deinde resurrectione patefacta Dominum docet, & prædicat autorem vitæ.

Vers. 16. *Vidistis*, prius paralyticum, nunc sanum, [*confirmauit*] in sanitate [*nomen*] cognitio. [*fides*] nominis inuocatio [*per eum*] Christum vel hominem. [*integram*] corpore & anima. [*istam*] corporalem.

Vers. 17. *Scio*: suauiter scelus eorum arguit. [*per ignorantiam*] tam minores, ignorantes eum esse Messiam, quam maiores, qui non credebant eum esse Deum, licet scirent esse Messiam: si enim cognouissent, nonquam Deum crucifixissent, 1. *Cor.* 2.

* *f* *rè non omnes.* Vers. 18. *Omnium*: contra: * omnes prophetauerunt de passione. Solutio: ab vno prophetabant omnes, & ab illa vnitate dicitur ab omnibus idem dici. vel [*omnium*] i. plurium suorum ad differentiam pseudoprophetarum.

Vers. 19. *Igitur*, quia sic fecistis. [*pœnitemini*] de malis. & [*conuertimini*] ad bona. Psalm. 34. *declina à malo & fac bonum.* [*peccata*] licet per ignorantiam facta.

Vers. 20. *Tempora*, discretio vniuersalis iudicii, & redemptio iustorum. [*refrigerii,*] quod præteritum est in incarnatione vel futurum in iudicio. Tunc plene delebuntur peccata virtute resurrectionis, & mors destruetur, 1. *Corinth.* 15 [*à conspectu*, facie Christi. [*miserit*: in carne.

Vers. 21. *Cælum*, Ad literam, sicut ei dicitur à Patre in *Psalm.* 110. *Sede à dextris meis, &c. Marc. vlt. Assumptus est in cælum, &c.* vel cælum Ecclesiam, & tunc construitur cum verbo suscipere à parte post [*in tempora,*] in iudicio, [*restitutionis:*] completionis & renouationis mundi. Tunc enim saluatis bonis cum Christo, & malis damnatis cum diabolo, nihil restabit de omnibus quæ promissa sunt. [*per os:*] non ab hominibus sed per homines. [*à seculo,*] non nuper inuentum, sed olim scriptum: & ponit exemplum non de omnibus qui locuti sunt, sed de Mose magis authentico, & primo latore cui magis credendum.

Vers. 22. *Prophetam, &c.* Sensum Moysi posuit Petrus non verba. *Deut.* 18. [*suscitabit.*] non Iesum filium Naue, sed Dominum Iesum. [*vobis*] ad profectum vestrum. [*suscitabit,*] in quam nascendo vel resurgendo. [*Dominus noster:*] ad differentiam falsorum deorum. [*de fratribus*] de tribu Iuda. [*tanquam me,*] obeditote sicut mihi. [*me,*] verum hominem. [*audietis,*] indicatiuũ pro imperatiuo. In hoc confunduntur Iudæi, quòd si iste audiendus erat sicut Moyses, cùm nullus fuit comparabilis Moysi, oportet de Christo intelligi. [*iuxta omnia,*] nihil addentes vel subtrahentes.

Vers. 23. *Erit*, hoc scil. quod [*omnis anima,*] pars principalis pro toto homine. [*audierit,*] obedierit. [*exterminabitur,*] ab hominibus vel a Deo: quia secundum legem occidebatur. [*de plebe,*] spirituali Israel.

Vers. 24. *Omnes post Moysem à Samuel*, quasi à principe Prophetarum. [*Deinceps,*] vsque ad Iohannem Baptistam: & non ta quòd licet ante Samuelem Patriarchæ dictis & factis de Christo prophetarunt, ab isto incipit, qui Iudicum & regum tempore fuit, quando mala creuerunt quibus corrupta est synagoga, & ex tunc habuit reuocari per Prophetas vsque ad tempus captiuitatis Babylonicæ. [*Locuti sunt,*] prophetice tempora [*refrigerij,*] i. vtriusque aduentus Domini.

Vers. 25. *Estis filii*, ideo inexcusabiles. Filij antiqua consuetudine vel naturæ. [*testamenti,*] quia infra sequitur, [*in semine tuo, &c.*] [*ad patres,*] quia non soli Abrahæ, sed Isaac & Iacob promissum. [*Abraha,*] cui primum facta est promissio, *Genes.* 15. [*In semine,*] non in seminibus quasi in multis, &c. *Gal.* 3. [*omnes familiæ,*] non vna gens tantùm. Sed Græcis & Barbaris benedictio promissa est per Christum, qui dicit omnibus electis *venite benedicti, &c. Matth.* 25. qui prius in Adam erant maledicti. [*omnes familiæ,*] i. sine exceptione, sicut illud *Iohann.* 1. *illuminat omnem hominem*, i. eum qui illuminatur.

Vers. 26. *Primum* ante gentes demulcet eos vt libentiùs credant. [*suscitare:*] secundum carnem. [*Filium suum:*] quem dixerat semen Abrahæ, dicit etiã Filium Dei, propter duas eius naturas, vt nullus crederet errori Nestoriano. [*misit,*] incarnari fecit [*benedicentem:*] prædicantem, vel benedictiones facientem. [*vt conuertat:*] libertatem arbitrij ostendit. [*à nequitia:*] qua impugnat. [*sua:*] ex se. Mysticè. [*Prophetam &c.*] Sicut Moses carnalem populum ceremonijs legalibus instruxit in terram promissionis introducendum: sic Christus per gratiam Euangelij ducit in cælum, cuius contemptores ejiciuntur de cætu sanctorum. [*In semine tuo:*] ex hoc testamento & prædicto à Moyse patet seueritas vel bonitas Dei erga obedientes vel rebelles. Ideo sicut docuit Petrus, Propheta ille ab omnibus est audiendus. *Mystice.*

Caput IV.

L*Oquentibus autem illis*: Hoc caput diuiditur in tres partes. In prima, agitur de sacerdotum aduentu & incarceratione Apostolorum, & quæstione eis proposita, & responsione Petri. In secunda, de prohibitione prædicationis, & reditu Apostolorum ad fratres, ibi: [*Videntes autem.*] In tertia, de oratione eorum & signo exauditionis, & de statu eorum post orationem. ibi: [*qui cum audissent.*]

Vers. 1. *Loquentibus*: Petrus pro se & Iohanne locutus est, vel multitudini ambo locuti sunt.

Vers. 2.

Verſ. 1. *Loquentibus*: Petrus pro ſe & Iohanne locutus eſt, vel multitudini ambo locuti ſunt.

Verſ. 2. *Sadducæi*: negantes reſurrectionem; ideo doctrinâ eorum dolebant [*reſurrectionem*] hoc maximè contra Sadducæos. omnes verò dolebant quia Ieſum quem occiderant Dei filium à patre glorificatum affirmabant.

Verſ. 3. *In cuſtodiam*: in carcerem. [*Erat autem*] ecce cauſa cuſtodiæ.

Verſ. 4. *Multi*, non omnes utinàm ſaltem hodiè pauci *Mich. 7. væ mihi quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* [*virorũ*] omnium qui vocẽ paſtoris audierant & agnouerant *Ioh. 10.* [*quinq; millia*] noviter conuerſorũ, vel duo millia cũ tribus primis, & ſignificant populum gentium legem ſpiritualiter ſeruaturum. ſicut 5. millia quos Dominus pauit *Ioh. 6.* ſignificant populum Iudæorum à Chriſto liberatum. utrumque fit in veſpere, quia *cùm venit plenitudo temporis miſit Deus &c. Gal. 4.*

Verſ. 5. *Principes &c.* qui magiſtratus erant cõſiliarij totius populi.

Verſ. 6. *Annas*, ſeorſum ponitur *quia princeps* [*Caiphas & Iohannes*] ſacerdotes, qui de genere Aaron principatum gerebant [*quotquot*] de ſcriptis principibus alij ſine numero ponuntur.

Verſ. 7. *In medio*, concilij [*In qua virtute?*] utrum divina propter claritatem facti, vel alia factum dicerent virtute.

Verſ. 8. *Tunc*, in medio concilij [*repletus*] in pentecoſte. vel hoc dicitur propter argumentum gratiæ: vel quia conuertebat in uſum quod habebat in habitu [*dixit*] quaſi princeps.

Verſ. 9. *Si nos*, interrogatio poteſt eſſe [*dijudicamur*] ad judices ducimur [*in benefacto*] pro ſanitate paralytici.

Verſ. 10. *Omnibus*, principibus & ſenioribus [*Ieſu Chriſti*] à ſaluatore ſaluatus eſt [*à mortuis*] meliùs dicit, quàm à morte, quia pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & per eum alij ſurrexerũt: ſed fidelis debet reſurgere à morte non à mortuis [*adſtat*] præſens qui antè ſtare non poterat.

Verſ. 11. *Hic*, & vos crucifixiſtis. [*lapis qui reprobatus eſt*] *Auguſtin. de lapide reprobato hiſtoria non habetur. Quod enim dicitur in pſalmo, non eſt hiſtoria ſed allegoria* [*Ædificantibus*] ſecundum legem [*qui factus*] à mortuis ſuſcitatus [*caput anguli*] ut ſit princeps duorum teſtamentorum, & populorum in eadem fide; & duos condat in ſe parietes *Epheſ. 2.* quoniam Iudæi reprobant, volentes ſoli ſalvari in uno pariete.

Verſ. 12. *In alio*, niſi in ſaluatore [*ſalus*] mundi vel hominis huius. Per ipſum enim & Patres noſtri ſalui facti ſunt, quia de incarnatione crediderunt futurũ, quod nos credimus præteritũ.

Verſ. 13. *Videntes autem*, 2. pars in qua poſt reſponſionem Petri, habito conſilio prohibent ne prædicent [*conſtantiam*] audaciam [*ſine literis*] quia literas non didicerant, vel quia Grammaticæ peritiã non habebant [*Idiotæ*] quia propriũ ingeniũ non exercuerãt per doctrinã. idioma Græcè, proprietas Latinè. vel dicitur idiota ab *idos*, quod eſt diuiſio, & *iota*, quod eſt litera. vel ab aure diuiſus. i. doctrina quæ aure ſuſcipitur. vel à literis, quaſi nec per ſe exercitati nec ab alijs docti [*admirabantur*] neſcientes cauſam conſtantiæ & virtutis. Hîc docemur quod paruulis & minus peritis quandoq; communicatur verbũ Dei. *Gen. 43.* Iacob credidit Benjamin Iudæ non Reuben qui interpretatur filius viſionis. Sẽper dux populi Moyſes, nõ Aaron licet facũdior. *& Ierem. 1. neſcio loqui. Amos 7. non ſum propheta &c.* [*cum Ieſu*] illiterato.

Verſ. 14. *Cum eis*, Apoſtolis [*contradicere*] quia ipſe non eſſet, vel quia non ſanatus fuiſſet.

Verſ. 15. *Extra concilium. Ioh. 16.* abſq; ſynagogis facient vos.

Verſ. 16. *Quid faciemus?* ne factum illud amplius divulgetur [*hominibus*] prædictis.

Verſ. 17. *Comminemur*, hoc conſilium tantum reſtat [*ulli hominũ*] Iudæo & gentili.

Verſ. 18. *Omnino*, aliqua occaſione vel in aliquo loco [*docerent*] prædicarent *Math. 23. odio eritis omnibus propter nomen meum. Iudith. 7.* Olofernes incîdit aquæductus. *Amos 7.* Amaſias prohibuit ne prædicaretur in Bethel.

Verſ. 19. *In cõſpectu Dei*, apud Deũ cui veritas placet [*vos*] ꝓhibẽtes ꝑdicare [*quàm Deũ*] imperantẽ.

Verſ. 20. *Non poſſumus*, id eſt nolumus; vel in naturam verſum eſt. ut angelis confirmatis non peccare. [*non eloqui*] *væ enim mihi eſt ſi non evangelizavero. 1 Cor. 9.* [*quæ*] ſigna. gloſ. ecce plenum frumentum in ſpica invenitur quod ante quaſi in herba flectebatur.

Verſ. 21. *Comminantes*, ne putarentur crediſſe [*nihil invenientes*] cauſam quæ placeret populo non conſcientiæ eorum [*propter populum*] non propter Deũ [*clarificabant*] Deũ in cuius nomine hæc fecerunt [*id quod factum eſt*] res clarificatur quando fama vulgante in notitiam defertur. Deus autem in factis hominum glorificatur. *Math. 5. videant opera veſtra & glorificent Patrem in cælo* [*in eo*] paralytico ſanato [*quod acciderat*] hoc non habetur in græco.

Verſ. 22. *Annorum*, cauſa clarificationis eſt longum tempus infirmitatis [*amplius quadraginta*] ad literam perfecta ætas oſtenditur. Myſticè ſignificatur quod Iſrael non tantum quadraginta annis in deſerto, manna contempto, ſordes Ægypti concupivit, ſed etiam in terra promiſſionis inter Deum & idola claudicavit. *4. Reg. 19. vt quid claudicatis &c.* vel numerus ille geminæ legis plenitudinem ſignificat, quia quaterdeni quadraginta ſunt. Vtriuſque ergo tranſgreſſor quaſi quadragenariam perfectionem iacendo debilis tranſcendit. *Myſtic.*

Verſ. 23. *Dimiſſi*, Petrus & Iohannes.

Verſ. 24. *Qui cum audiſſent*, 3. pars capituli. auditis perſecutorum minis, fiduciam reſiſtendi per ſigna virtutum ſibi depoſcunt [*vnanimiter*] *Math. 18. ſi duo ex vobis conſenſerint de omni re &c.* [*levaverunt*] more ſolito, ut alijs dent exemplũ. [*ad Deum*] non ad hominem [*qui feciſti*] magna potentia oſtenditur.

Verſ. 25. *Sp. Sancto*, non ſenſu humano [*per os*] quaſi per tubam, ut non crederetur vox hominis [*Patris noſtri*] noſter fuit Pater ſed nunc puer [*Quare*] non quod neſcius quærit, ſed inſaniam corripit eorum qui in ſalvatorem inſurrexerunt, nõ læſi ab eo, ſed in multis adiuti [*fremuerunt*] more ferorũ agitati motu imperito & irrationali [*gentes*] Romani milites, ne regnũ ad Iudæos transiret [*& populi*] Iudæi [*meditati*] ex deliberatione facientes *Math. 26 conſiliũ fecerãt vt Ieſum*

dolo tenerent & occiderent [*inania*] Christum non resurgere.

Vers.26. *Reges*, i. Herodes, plurale pro singulari: vel Herodes & Pilatus dicuntur reges [*terræ*] non cæli [*Principes*] sacerdotum. [*in vnum*] in atrium Caiphæ *Math.* 26. vel Herodes & Pilatus convenerunt in amicitiam. *Luc.* 23. [*Dominum*] Patrem. vnde hoc probas? quia aduersus Christum, qui est Patris eius Filius.

Vers. 27. *Et*, pro quia [*adversus Christum*] qui contradicit filio & patri 1. *Ioh.* 2. *qui negat filium nec patrem habet* [*Christum eius*] patris, de quo dicitur: ego autem constitutus sum rex ab eo [*in ciuitate*] *malignitate [*pueri tui*] qui peccatum non fecit 1. *Pet.* 1. [*vnxisti*] Sp. Sancto. i. Christum fecisti illum. vnxit te Deus oleo lætitiæ.

** malignale Gloss.*

Vers.28. *Manus*, potestas [*tua*] nō sua [*consiliū*] p̄scientia [*decreverunt*] sicut de Christo p̄scietas.

Vers. 29. *Respice*, Deo commendant quod patiūtur [*in animas*] vel minas [*Da servis tuis*] id postulāt quo indigent [*loqui*] etiā inter p̄secutores.

Vers. 30. *Manum*, potentiam vel Christum [*sanitates*] ad corroborationem prædicationis [*filii tui*] in græco parui tui, q̄ magis congruit votis Apostolorum satagentium, ut per miracula homo crucifix⁹ innotesceret De⁹ esse & Dei Filius.

Vers. 31. *Motus est*, ad excitandas mentes in quo pater virtus orationis: & significat corda terrena sibi cessura, sub quorū pedib⁹ spiritu veniēte terra concutitur pavore, ut discussa terrenitate discant ad cælestia consurgere [*repleti sunt*] quantum ad noviter conuersos, vel quantum ad augmentum gratiæ [*loquebantur*] hoc enim postulaverant.

Vers. 32. *Multitudinis*, quia supra dictū est quod multiplicabantur. [*cor vnum*] unus sensus. [*& anima*] voluntas, qui mundū perfectè reliquerāt nō se alijs præferebant, sed tanq̄ vnius ecclesiæ visceribus editi fraternitatis amore gaudebant. Nota in Babel facta & linguarū & voluntatū cōfusio *Gen.* 11 cùm alter non intelligeretur ab altero. Hîc linguæ & voluntates omnium humilitatis merito uniuntur, quod usq; hodiè servant claustrales. reprobi autē diabolo servienties diversa mēte & pugnaci inter se certamini agitantur [*nec quisq̄*] virtutes quas possident iusti non suas iudicāt, sed eorum quorum utilitati dispensant [*communia*] Græce cœna. Inde cœnobitæ cōmuniter viuētes: cœnobia eorū habitacula: quæ vita tāto est felicior, quantò statum futuri seculi imitatur, ubi erit Deus omnia in omnib⁹. 1. *Cor.* 15. & quia ibi erit summa pax, typus eius fit in Hierusalem in visione pacis.

Claustrales.

Cœnobia

Vers. 33. *Virtute*, fiduciæ & signorum, vel latitudine charitatis, æquanimiter portātes omnia prospera & adversa [*testimoniū*] hoc erat p̄prium eorum quibus dictum est: *eritis mihi testes supra* 1. [*Resurrectionis*] quam maximè oderant, & quæ fidei principale est iudicium. Per hoc autem discernit ordinem doctorum & auditorum. nam multitudo copulā charitas invicē iungebatur, Apostoli verò virtute fulgentes Christi mysteria prædicabant. [*Gratia magna*] spiritus sancti vel *condonationis; de qua sequitur.

** Communicationis legit Gloss.*

Vers. 34. *Vendentes agros*, cōgruit hic loc⁹ ei q̄ supra dictum est, q̄ qui sp. Sanctum receperāt, linguas omnes loquebantur: & significabat quòd ecclesia in diuersis nationibus & linguis habitura erat cor unum & animam vnam. non enim omnes loquebantur omnibus linguis, sed diversarum linguarum adunatio in fide Christi indicabat, *quod vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma* *Eph.* 4. [*quisquam egens*] in illo principio abundabant vel non reputabā: se egere, quia læti omnia sustinebāt: tamē Apostolus dicit, *in fame & siti &c.* 2. *Cor.* 11. [*Ante pedes*] quasi ad genua procidētes.

Vers. 35. *Prout*, non secundum personas & munera sed secundum indigentiam.

Vers. 36. *Ioseph autem*, nota duas glossas contrarias, quarum una est Rabani dicentis, quòd Ioseph fuit electus cum Matthia, & socius Pauli. Beda dicit quòd fuit socius Pauli, sed nō fuit ille qui cum Matthia electus fuit. hæc autē contrarietas quæ est facti benè sustinetur. Sed * vocabulorum [*quod interpretatur*] Beda; ubicunque scriptura nominū interpretationes ponit, sensum sacratiorem inesse significat [*filius consolationis*] vel propter eleemosynam qua pauperes cōsolatus est, vel pro mercedis consolatione quam meruit, vel quia dignus fuit pro Iuda Apostolos consolari [*Levites*] et sic non habebat hæreditatem *Num. vltimo.* quomodo igitur agrum vendidit? solutio. habebant Levitæ agros ad alend. pecora. unde & *Ierem.* 32. *possedit agrum in Anathoth.* vel litera soluit quæ dicit, quod fuit.

** Videtur aliquid deesse.*

Obiectio.

Solutio.

Vers. 37. *Cyprius genere*, quia in dispersione facta sub Antiocho illuc secessit pater eius, & ibi agrū habere potuit & vendere. Et ideo dicit Interlinearis [*haberet*] ubicunq; vel quacunq; occasione. Gloss. quia Cypri⁹ fuit. postea discedēs à Paulo patriam repetijt [*precium*] non partem sed totum [*ante pedes*] ut commune fieret omnium & significaret aurum esse calcandum quod ad pedes projicit.

Caput V.

VIr autem quidam &c. hoe capitulum dividitur in 4. partes. in prima agit de Anania & Sapphira. in 2. de virtute & operibus Apostolorum, ibi: [*per manus*] in 3. de invidia sacerdotum contra Apostolos, ibi: [*exsurgens autem Petrus*] in 4. de consilio Gamalielis, ibi: [*surgens autem &c.*] Item prima pars habet tres particulas. in prima agitur quomodo Ananias fraudavit de pretio agri. In 2 quomodo arguitus à Petro exspirauit, ibi: [*dixit autē Petrus*] in 3. quomodo * uxor arguitur à Petro, & similiter mortua est, ibi: [*factum est &c.*]

** Vxor*

Vers. 1. *Dicit igitur*: [*vir autem quidam*:] Istius nomen ante non ponitur ut Ioseph supra proximo, quia illum culpa ignobilem fecit [*Sapphira*] quæ fuit consors criminis & ideo mortis.

Vers. 2. *Fraudavit*, ideo fraus fuit, quia totum voverat, sicut alij [*partem*] quasi non præcipuam, quia totum vendidit: sed non totum attulit Contra illud *Math.* 19. *si vis perfectus esse vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Incepit perfectionē vendendo, sed non perfecit totū dando.

Vers. 3. *Petrus*, secunda particula; quasi princeps Apostolorum loquitur [*tentavit*] increpatio est. in Græco, [*implevit*] non intrādo qa sol⁹ Dei est, q̄ cor sol⁹ replere potest. sed malitiæ suæ

virus

viruainserendo & trahendo affectum ad incentiva vitiorum quibus plenus est [*tentavit*] præteritũ ponit, quia præterita & consummata erat tẽtatio, quæ agit tribus modis: suasione, delectatione, cõsensu; qđ totum cõpletum est in i. ideo interpretatũ *satanas* cõtrarius, qui sp. S. cõtradicit [*mentiri te*] hoc sciebat, revelatione Sp. Sancti: ideo non dicit nobis sed Sp. Sancto mendacium fuit, quia totũ voverat *Eccles. 5. melius est non vovere, quam post* votum promissum nõ reddere.

Vers. 4. *Nonne manens*, quasi, aliter poteras agere. [*in tua*] tuum erat, tibi proficere poterat. [*potestate*] quia non cogimur perfecti esse. *Math. 19. si vis perfectus esse &c.* [*posuisti*] definito consilio [*in corde*] quod custodire debueras [*rem*] mẽtiri vel fraudare [*sed Deo*] supra dixit sp Sancto, per quod patet spiritum Deum esse *Ioh. 4.* [*Deo*] qui scrutatur corda. & perdit omnes qui loquũtur mendacium. quod iste putavit secretum, apparet propter infidelitatem.

Vers. 5. *Exspiravit*, ut transgressores legis Christi carnis temporali morte non puniantur mortem sciant sibi imminere æternam. *Rabbanus*. legum initia semper vindictæ commẽdantur. Nadab & Abihu igne consumuntur *Levit. 10.* Oza percutitur *2. Reg. 6.* Heli de sella cadit *1. Reg. 4.* ut cæteri terreantur. Lex enim Dei incipit à timore, & finitur in amore. Ideò nunc non ita punit delinquentes, quia servitur ei ex amore [*factus est timor*] propter velocem vindictam. Anticipatio est, quia ante mortẽ uxoris pauci audierunt, quam via etiam pauci timuerunt.

Vers. 7. *Factum est*, tertia particula de morte Sapphiræ [*hora tertia*] tempus pœnitentiæ datur, quia minus peccavit quæ capiti consensit *1. Cor. 11.* [*nesciens*] mortem viri.

Vers. 8. *Respondit*, rei non verbo, iorrnitui uxoris, nõ sermoni vel cogitationi suæ, quia antequam veniret, proposuerat arguere eam [*dic mihi*] culpam uxoris interrogans, declarat ex eius confessione. quam vir suam monstraverat in opere [*Si tanti*] ex revelatione Sp. Sancti scivit pretium agri, & potest supponere verbum [*tanti*] pro toto pretio; & sic monstratur culpa confitentis, quia totum non attulit: vel pro parte præsenti: & sic mentita est celans partem reservatam.

Vers. 9. *Quid?* supple, est hoc quod fecisti, qđ malum? quia hoc faciendo [*convenit vobis tentare*] quia credebant posse latere; vel quia probaverunt quanta sit eius scientia vel totum est increpatio [*quid utiq; & spiritum Domini?*] non nos homines, ut portatis *Exod. 16. non contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum. & Num. 16. quid est Aaron quod murmuratis contra eum?* [*qui sepelierunt*] brevi narratione totum concludit. qui enim sepelitur mortuus est [*efferent te*] statim moriturã significat, non quæstus causa sed ad terrorem posterorum, causa zizaniorum, quæ simplicitatem ecclesiæ moribus adulterarent. Ex his, ut dicit glossa, orti sunt Sarabitæ, de quibus dicitur in regula beati Benedicti qui rebus suis nequaquam derelictis Apostolorum districtionem se simulant custodire.

Vers. 10. *Cecidit*, quia consenserat. *Rom. 1.* non solùm qui facit sed qui consentit facit. Ex hoc videtur quòd mulier non debet eripi ab ex communicatione. [*ad virum*] i. iuxta virum: ex quo multi sumunt * exemplum: alij indignum putant à prævaricatoribus exempla sumere. *fuit ut uxores ad viros suos sepeliant Glos.*

Vers. 11. *Ecclesia*: congregatione fidelium [*in omnes*] in fideles.

Vers. 12. *Per manum*, secunda pars principalis; quæ non dividitur, sed tota est e virtute & opere Apostolorum [*per manum*] non tantum per verba, vel umbram, quod de Petro dicitur Infra * E. [*Apostolorum*] non solius Petri, quia licet pro honore eius taceant, tamen facta eorũ non tacentur [*fieri signa*] amplior causa timoris describitur, & zelus sacerdotum suscitatur [*in plebe*] non in sacerdotibus, quia isti credebant, illi non [*unanimiter*] in hoc mirandi sunt, quòd magnitudo gratiæ non fecerat sensus diversitatem. [*In porta*] orationi instantes & doctrinæ. [*Salomonis*] per quam Salomon intrabat in templum. * *vers. 15.*

Vers. 13. *Cæterorum*, i. fidelium [*coniungere*] ficte, territi exemplo Ananiæ & Sapphiræ. *illis* cœtui fidelium [*coniungere*] æquiparare, sed magis reverentiam exhibebant: unde sequitur, [*sed magnificabat eos populus*] Glos. à longe stupens.

Vers. 14. *At multitudo*; nullus enim sexus à Domino excluditur, quia non est personarum acceptor Deus. *infra 10. Coloss. 3. non est masculus & femina.*

Vers. 15. *In plateis*, quasi tanta erat multitudo credentium, ut omnes non possent Petrum cõtingere. vel tanta fidei fortitudo, ut crederent solam Petri umbram ad curationẽ infirmorum sufficere. vel tot infirmi afferebantur à credentibus, ut Petrus omnes non posset tangere [*in lectulis*] qualibuscunq; [*grabatis*] à graba quod est caput, quando aliquid capiti tantum non corpori substernitur [*Petro*] quasi principe. & [*liberarentur*] *Ioh. 14.* maiora horum facit.

Vers. 16. *Vicinarum civitatum*, præter habitatores Hierusalem. [*omnes*] ecce generalitas curationis [*Exsurgens*] tertia pars, quæ dividitur in septem. In prima agitur quomodo sacerdotes invidentes Apostolis miserunt eos in carcerem. in 2. quomodo aperto carcere angelus iussit eos prædicare: ibi: [*Angelus autem*] in 3. quomodo obedientes Angelo prædicaverunt, ibi [*qui cùm audissent.*] In 4. quomodo congregati sunt sacerdotes ad iudicandũ eos, ibi: [*adveniens autem*] In 5. nunciatur eis quòd Apostoli prædicarent. ibi: [*adveniens autem quidam.*] In 6. adducuntur Apostoli sine vi. ibi: [*tunc abiit*] In 7. respondet Petrus, ibi: [*Respondens autem.*]

Vers. 17. *Exsurgens*, ad tenendos Apostolos [*& omnes*] id terrendum populum [*quæ est hæresis*] i. hæc est una de 7. hæresibus Iudæorum. Hæresis autem scissio interpretatur, vel dicitur ab electione, quia spretis aliorum dictis quod sequendum putant eligitur [*Sadducæorum*] qui interpretantur iusti, dicti à Sadoc sacerdote, vel propter genus, vel propter mores. Iustificantes enim seipsos, vendicabant sibi quod non erant, negantes resurrectionem corporum, animam cum corpore mori dicebant. *Infra 23.* omnes scripturas respuentes præter quinque libros Moysis: & ideò maxime persequebantur Apostolos, quia reddebãt testimonium resurrectionis Christi [*Zelo.*] invidia.

Vers. 18. *Iniecerunt*, ecce fructus zeli, qui tunc

primò nō incepit: sed illa hora ad plenitudinem malitiæ pervenit. [*Publica*] in qua erant latrones: nobiles enim in secreto ponebantur: vel [*publica*] quia multi ibi erāt propter loci firmitatē.

Vers. 19. *Angelus*, 2. particula [*Domini*] ad differentiam mali.

Vers. 20. *Ite*: firmi [*stantes*] stabiles vel manifesti [*in templo*] loco celebri quem sacerdotes frequentabant. [*plebi*] non sacerdotibus [*omnia*] nihil pro timore celantes [*vitæ huius*] Christianæ vel æternæ, dicit Glossa. quod ideò non additur quia famosa erat secta Christianorum, pro qua incarcerati erant. Et nota quòd hic dicitur angelus aperuisse ianuas carceris: paulò post dicitur quòd ministri clausum invenerunt carcerem. Responsio: quod duæ erant portæ, anterior scil. & interior, quarum alteram aperuit, alteram non. vel dicitur Angelus aperuisse, quia ita facilè eduxit ac si aperta essent, & hoc miraculosè. vel hoc dicit secundum opinionem Apostolorum, opinantium januam fuisse apertam, huic concordat glossa Bedæ: non dubitat Thomas Christum carnem & ossa habuisse, quē januis clausis vidit intrasse: ecce Petrus cum sociis mortali adhuc carne vestitus clausis januis egreditur.

Obiectio.

Solutio.

Vers. 21. *Qui cum audissent*, 3. particula, in qua secundum præceptum angeli prompta est obedientia prædicandi, [*docebant*] sicut erant jussi [*loquimini &c.*] [*Adveniens autem princeps sacerdotum*] quarta particula. [*concilium*] ad hoc enim positi fuerunt in custodia, ut ad judicium traherentur. [*seniores*] ætate. [*filiorum Israel*] sacerdotium vel scribarum [*adducerentur*] Apostoli.

Vers. 22. *Aperto carcere*. quē clausum invenerāt.

Vers. 23. *Cum omni diligentia*: ut maius sit miraculum [*& custodes*] ut minor sit credendi facultas. [*stantes*] non negligentes. [*ad ianuam*] non ex latere, vel post tergum.

Vers. 24. *Magistratus*. potentes vel sapientes; & est legendum singulari numero secundū Græcum. sic & paulo post dicitur, abijt magistratus, [*ambigebat*] utrum fraude factum esset vel * pecunia. vel mirabantur tum propter firmitatem carceris, tum propter celebritatem virtutis in publico factæ, sicut dicit glossa Bedæ. qui stimulantur invidia, dicunt, Iesum furāribus Apostolis de monumento sublatum: *Math. in fine*: quo furto dicūt Apostolos de carcere clauso ablatos.

* *Potentia legit glos.*

Vers. 25. *Adveniens autem quidam*: quinta particula. [*in templo*] patet non fuisse fraudem cū non lateant post evasionem [*docentes*] quod vos prohibuistis.

Vers. 26. *Tunc abijt*: sexta pars. nec sic creduntur. malitia enim interior cor perfidum signis etiam manifestis obdurat [*sine vi*] magnitudo fidei: non timere facit eos, qui vinxerant. [*populum non Dominum.*]

Vers. 27. *In concilio*: *Math. 10. tradent vos in concilia.*

Vers. 28. *Præcipiendo*, non leniter diximus, sed auctoritate pontificali præcepimus. In Græco: nonne præcipiēdo præcepimus vobis &c. nā sic loq. magis cōvenit interroganti. [*in nomine isto*:] Iesu, scil. q. propter claritatē vel odium tacēt [*replestis*] nō solum propter claritatē vestrā docuistis. [*Ierusalem*] Metropolim, in qua nos etiā conversamur: in quo ignorātes laudant Apostolos, qui minis non territi, prædicare non cessant. [*vestra*] nova & culpabili. [*& vultis*] interrogative dicūt, solet enim in verbis esse dubietas, cùm in corde firma habeatur sententia. [*sanguinem*] id est sanguinis vindictam, prædicando enim iustum fuisse Christum. hoc tamen & ipsi petierant. *Math. 27. sanguis eius super nos.* quod dixerunt non animo imprecandi sibi, sed timentes ne Christus permitteretur vivere, quem præ invidia non poterant etiam videre: ideo omnibus modis volebant effundi sanguinem eius [*hominis*] non dei. iterum nomen Iesu tacent. ut supra.

Vers. 29. *Respondens*, septima particula. temeraria pontificis interrogatio prudēti responsione confutatur. [*& Apostoli*] ex fervore & zelo non patiuntur, ut prius, unum pro omnibus loqui. [*obedire*] breviter loquendo dant exemplum non utendi verborum circuitu.

Vers. 30. *Deus patrum*, non novus necā nobis nuper inventus, ut eorum inobedientia sit inexcusabilis. [*patrum nostrorum*] supra cap. 3. dixerat, Deus Abraham Isaac & Iacob; ideò nunc breviter transit. [*suscitavit*] in resurrectione: hoc maximè oderant. [*interemistis*] hîc manifestè sanguinem inducunt [*suspendentes*] quasi reum & maledictum: *Deut. 21.*

Vers. 31. *Principem*, totius ecclesiæ, quæ in cælo & in terra est. [*salvatorem*] hominum. [*exaltavit*] virtutibus, vel ascensu in cœlum. [*dextra sua:*] *prosperitate æternitatis* vel filio [*ad dandam*] utrique populo. [*pœnitentiam*] ideo virtutes ostendit, ideo in cœlum ascendit. [*& remissionem*] quæ est fructus pœnitentiæ.

Vers. 32. *Testes*, resurrectionis & ascensionis, & virtutum & missionis Sp. Sancti. [*& Sp. Sanctus*] testis & ne vilis sit sermo humanus. [*dedit*] iam curam vobis omnibus, non tantum nobis, sed etiam vobis si vultis accipere, & sic ad pœnitentiam vocat. qui spiritus ita nos roboravit ut etiam vobis resistentibus prædicemus, qui loquēs in nobis format verba quæ auditis *Math. 10.*

Vers. 33. *Dissecabantur*, corde quia nullus dolor maior quam invidia. [*interficere*:] quia verbis non poterant eos prohibere.

Vers. 34. *Surgens*. quarta pars de consilio Gamalielis: & habet tres particulas. in prima movet Iudæos, ut discretè se habeant circa Apostolos, ad hoc inducens per quædam exempla. In 2. cæduntur Apostoli & sic dimittuntur, ibi: [*consenserunt.*] In 3. dicitur quòd ibant gaudentes à conspectu concilij. [*Pharisæus*] non Sadducæus, qui negabant resurrectionem. [*Gamaliel*] qui, ut Clemēs dicit, cōsocius Apostolorū erat, sed eorū cōsilio cum Iudæis erat, ut iniqua eorū consilia destrueret & furorem mitigaret. [*doctor*] non imperitus qui non audiretur. [*honorabilis*] propter * quem facilius ei consenserunt. [*iussit*] secedere iubet quasi excludendos, ut tollat à se suspitionem. * *quod*

Vers. 35. *Viri*, qui sobrij & prudentes esse debetis [*acturi estis*] non iudicando eum furore.

Vers. 36. *Aliquem*: magnum prophetam. hic, ut dicit Iosephus suasit multis, ut sublatis de civitate facultatibus suis venirent ad ripas Iordanis, promittens se, diviso fluvio, secum suis præstare transitum quia magnus erat. quod

audien-

audientes Romani, missa multitudine equitum multos ex illis peremerunt, & caput eius Hierusalem detulerunt.

Vers. 37. *In diebus professionis*: quando exiit edictum à Cæsare Augusto &c. *Luc.* 2. ut singuli soluendo tributum profiterentur de qua natione essent. Iste verò Iudas dissuadebat tributum dari, ne libertatem amitterent, docens ex *Deut.* 6. soli Deo serviendum, cui decimas soluerent & primitias & oblationes. Et nota quem similiter occiderunt Romani: cuius error ita prævaluit ut super hoc Iesus interrogaretur *Math.* 22. [*avertit*] à veritate [*populum*] multum, ut non miremur multitudinem credentium.

Vers. 38. *Discedite*: nolite interficere [*si verò*] gravius inculcat consilium ne spernatur.

Vers. 39. *Consenserunt* 2. particula consentire est sensum sensui jungere.

Vers. 40. *Convocantes*, communi consensu. [*cæsis*:] *Math.* 10. *in synagogis suis flagellabunt vos.* [*in nomine Iesu*:] & eritis odio omnibus propter nomen meum.

Vers. 41. *Gaudentes*: *gaudete & exultate quia merces vestra &c. Math.* 5. *Luc.* 6. [*digni*] non putabant se laborare, sed magnum munus accipere, quia beati qui persecutionem patiuntur. *Math.* 5. [*pro nomine*] non pro alio crimine. Gloss. ubi Christus in causa est, maledictio est optanda 1. *Pet.* 4. *nullus vestrum ut fur &c.*

Vers. 42. [*circa domos*: templo vicinas: vel totius civitatis [*docentes*] quæ pertinent ad mores evangelij, fidem Iesu qui fuit Christus. Ex hoc patet fidei fortitudo, quia nec verbo prohibiti, nec flagellis cæsi possent à prædicatione prohiberi.

Caput VI.

IN *diebus illis &c.* Hoc capitulum sextum dividitur in tres partes. In primâ agitur de murmure discipulorum & causâ murmuris. In 2. de sedatione murmuris per institutionem septem diaconorum, ibi: [*convocantes*] In 3. de virtutibus Stephani & p̃dicatione eius, ibi *Stephanus &c.*

Vers. 1. *In diebus illis*: Prius dixerat omni die [*crescente numero*] sedulitate prædicantium [*discipulorum*] Christianorum qui tunc discipuli vocabantur [*orta est*] Gloss. sæpè talia interponuntur capitula multa breuiter colligentia, or finē præterito sermoni, & fundamentū faciant sequenti [*crescente*] numero non merito *Isai.* 9. *multiplicasti gentem non magnificasti lætitiam* [*adversus Hebræos*] quia viduas suas præferebant viduis Græcorum in ministerio: ut potè eruditores. Græci autem vocantur de gentibus conuersi: vel ipsi Iudæi inter Græcos conuersati tempore dispersionis [*despicerentur*] ut ex despectu plus grauarentur: vel quia nimis occupabātur in ministerio, eò quod bene scirent ministrare: sicut Martha conqueritur de Maria *Luc.* 10. vel quia minùs sufficienter ministrabant eis Hebræi: vel quia non vocabantur ad ministerium quotidianum: sicut de Moyse conqueruntur Dathan & Abiron & Core *Num.* 16. Et quandoque contemplatiui Claustrales vellent ministrare in actiua. Conquerente Maria de Martha significatur per Ephraim contra Gedeonem murmurantem. *Iud.* 8.

Vers. 2. *Convocantes*, secunda pars quasi communi consensu [*multitudinem*] Gloss. consensum quærunt multitudinis, quod in exemplum debet assumi, quamuis aliter possent sedare murmur si voluissent [*non est æquum*] ostendunt Episcopos & Doctores non debere temporalibus implicari. 2. *Tim.* 2. [*ministrare*] glos. meliora sunt fercula mentis quam dapes corporis.

Vers. 3. *Considerate*, notat discretionem habendam in electione [*fratres*] concordiam [*viros*] non mulieres, non effeminatos. *Isai.* 3. *dabo pueros principes eorum.* [*ex vobis*] omnibus sine acceptione personarum, ut digniores eligantur. [*boni testimonij*] quantum ad famam [*septem*] qui numerus conuenit Sp. Sancto: unde sequitur. [*plenos Sp. Sancto*:] quantum ad se conuenit [*sapientia*] scripturarum, ut sint apti ad docendum alios. *Psal.* 143. promptuaria eorum plena. vel qui receperint Sp. Sanctum in linguis & signis. [*quos constituamus*] quasi nostrum est eligere, vestrum confirmare [*super hoc opus*] ut ministrent ipsi pro nobis & alijs: vel præsint ministrantibus.

Vers. 4. *Nos verò*: glos. de seipsis nō interrogant, sed indicant. gloss. isti actioni nos adhærebimus, theoricæ i. contemplationi. Sed in me prædicatio est opus misericordiæ, ergo opus actiuæ. *Obiectio.* Solutio. Actus prædicationis est de actiua, sed theorica dicitur propter annexam, scil. lectionem, orationem, & meditationē quæ sunt partes contemplatiuæ. In lectione habetur materia prædicationis: in meditatione dispositio vel ordo, in oratione formalis efficacia quæ obtinetur per orationem. [*verbi*] prædicationis. [*instantes*] ut alij instituantur [*orationi*] instanter 1. *Thes.* 5. *sine intermissione orate.* *Solutio.*

Vers. 5. *Elegerunt*, populi multitudo [*Stephanum*] hic primus ponitur & solus laudatur, ut in uno omnes laudentur, vel primo martyrij honor deferatur [*plenum fide*] in Dominum, vel cui ab omnibus debeat credi, probauit ex ētus. *Prov.* 9. *virum fidelem quis inveniet.* vel [*plenum fide*] quoad intellectum [*Sp. Sancto*] quoad affectum [*& Philippum*] septem eliguntur, quorum loco substituti sunt archidiaconi, ut quasi columnæ ferant pondus ecclesiæ. [*Nicolaum*] hic solus advena dicitur, vel quia cæteri advenæ non erant, vel quia nobilis facta futurus, quasi alienus reputatur & ultimus ponitur: sicut Iudas in catalogo Apostolorum.

Vers. 6. *Statuerunt*, qui elegerant. gloss. Rabanus. hic ordo servandus est in * ordinibus, ut eligat populus, ordinet Episcopus. Hi sunt septem Angeli, *Apoc.* 1. & 7. candelabra lucentia. his dantur septem tubæ, id est gratia prædicationis *Apoc.* 8. [*orantes*] hoc exemplo orationes sunt in ordinationibus licet Apostolorum oratio non sit scripta. [*Imposuerunt manus*] gloss. placuit eosdem sacri altaris & Dominici sanguinis, sicut refectionis & mensæ communis ministros ordinari. impositio enim manus propriè est eorum qui ad sacri altaris promoventur officium. Ex hoc volunt quidam Stephanum fuisse sacerdotem

* Ordinandi legit Gloss.

dotem. potest tamen dici quod prius ministraverunt mensis, quia diligēter -- fecerunt: postmodum ad mensam Domini sunt admissi, altaria scil. ministerium, & tunc imposuerunt eis manus non statim post electionem. Sed Stephanus tantum non vixit, qui paulò post lapidatus est: vel potest dici, quòd antiquitus benc imponebantur manus diaconis, sed crescente ecclesia, ut fiat distinctio donorum quæ dantur in ordinibus, modo solis sacerdotibus imponuntur.

Vers. 7. *Et verbum Dei*: Idem per alia verba supra dixerat; *non cessabant docere &c.* Sed hoc recapitulat, ut ad narrationis seriem ordinatè redeat, ne subito introductæ vilescant sententiæ: [*crescebat*] in fide & opere credentium [*& multiplicabatur*] hoc ad laudem Evangelij & Apostolorum ponitur: hic est rectus ordo ut crescēte verbo multiplicetur numerus. [*in Hierusalem*] quia nondum erat alijs civitatibus prædicatum [*sacerdotum*] maior causa persecutionis, quia prius crescente plebe zelus fuerat concitatus.

Vers. 8. *Stephanus autem*, 3. pars. qui interpretatur coronatus sublimiter, quia lapidatus humiliter: vel forma martyrij scil. credentibus [*gratia*] Sp. Sancti. [*fortitudine*] fidei. vel [*gratia*] quoad se [*fortitudine*] quoad alios. *Prov. 15. domus justi plurima fortitudo* [*faciebat*] ecce fortitudo [*signa*] in parvis [*prodigia*] in magnis.

Vers. 9. *Synagoga*, congregatio vel collectio [*Libertinorum*] à regione, qui erant congregati ad festivitatem: vel sunt filij libertorum, id est manumissorum. Constat ergo de stirpe esse servili qui primùm restiterunt fidei, qui etsi ab hominibus emancipati, tamen servi sunt peccati. *Ioh* 9. figura hæreticorum, sanctitatis & fidei persecutorum. [*Cyrenensium*] à Cyrene. [*Alexandrinorum*] ab Alexandria Metropoli Ægypti. hæc tria loca sibi propinqna sunt, ideo simul ponuntur. [*Cilicia & Asia*] minore, quæ etiā sunt proximæ.

Vers. 10. *Non poterant*, volebant quidem & conabantur. [*resistere*] non tamen acquiescebant, quia *non recipit stultus verba prudentum &c. Prov. 18.* [*sapientiæ*] scripturarum. loquebatur cum Dei fiducia & sine timore. *Luc. 21. dabo vobis os & sapientiam. Math. 10. nolite cogitare &c. & Ioh. 14. non relinquam vos orphanos.*

Vers. 11. *Summiserunt*, occultè introduxerunt [*viros*] quia authenticos, non unum sed plures ut ratum esset testimonium. [*dicerent*] calliditate fraudis. [*Blasphemiæ*] quia novam legem veteri præferebat [*Deum*] patrem, cui æqualem dicebat Christum.

Vers. 12. *Commoverunt*, ad concilium. [*seniores*] authoritate præcellentes. [*concurrentes*] quia non poterant resistere mortem parant inferre. *rapuerunt*: ecce violentia.

Vers. 13. *Falsos testes*, sicut in passione Christi. *Math. 26. Proverb. 19. falsus testis non erit impunitus.* [*dicentes*] ex invidia accusantes. [*homo iste*] ex despectu non proprio nomine: sed hominem quasi carnalem & infirmum dicunt. [*non cessat*] addunt ad hoc quod fuerant jussi. [*locum*] Hierusalem. [*& legem*] quia templo & legi ecclesiam præferebant.

Vers. 14. *Nazarenus*: à Nazaret, quæ est villa & inferior locus. [*istum*] sanctum & cunctis reverendum [*traditiones*] ut veteri legi succedat nova. Sed quare dicuntur falsi testes? Dominus enim dixerat de Hierusalem, quod non remaneret lapis super lapidem. & semper lex mutata est. solutio. Dominus non dixit se hoc facturum, scil. quod lapis non remaneret &c. sed Romani in ultione sanguinis Christi fecerunt. legem etiā non mutavit sed implevit. *Math. 5.*

Vers. 15. *Faciem angeli*, pro fulgore terribili: vel pulchritudine candoris. & vere angelus erat, id est nuncius voluntatis Dei. [*Si hæc ita*] scil. blasphamia in Deum & legem & locum istum.

Caput VII.

VErs. 1. *Viri fratres &c.* Capitulum septimum dividitur in duas partes. in prima agitur de prædicatione Stephani. in secunda de commotione Iudæorum contra eum, ibi: [*audientes hoc dissecabantur*] Item prima dividitur in 4. particulas. in prima agit quomodo Deus gloriæ promiserit semen Abrahæ, & sic se excusat à blasphamia in Deum & patres. In secunda texit historiam à principio Exodi usque ad Tobiam, & ibi commendans Moysen ostendit se non blasphemare eum: ibi: [*crevit populus*] In 3. dicit quomodo David voluit pro tabernaculo ædificare templum quod reservatum est Salomoni; & sic ostendit se non blasphemare locum: ibi: [*Tabernaculum Testimonii*] hæc triplex blasphemia imponebatur ei. In 4. arguit eos de duritia cordis, quia nunquam voluerunt intelligere scripturas. ibi: [*dura cervice.*]

Vers. 2. *Viri*: propter fortitudinem, vel prudentiàm. [*fratres*] coævi, vel quia ejusdem generis. [*patres*] quoad seniores, vel propter reverentiam. [*audite*] aure interiori: blandè loquitur ut libentius audiatur. *Prov. 25. Mollis responsio frangit iram. & Ecclesiast. 6. verbum dulce multiplicat amicum &c.* [*Deus gloriæ*] primò ostendit se non blasphemare Deum. [*apparuit*] per angelum. [*patri*] tam fide quam carne. [*Mesopotamia*] quæ est in capite Syriæ ad Aquilonem. [*Charran*] In hebræo dicitur haharan: & nota quòd ubi Hebræi ponunt vocalem aspiratam ante & post, septuaginta ponunt C aspiratum: unde dicunt Charam: R verò additur causa euphoniæ.

Vers. 3. *Dixit*: *Gen. 12. exi &c.* Contra *Gen. 11.* in fine dicitur quòd Abrahā cum patre suo exivit de Vr Chaldæorum & venit in Aram, ubi mortuo patre *Gen. 12. v. 1.* [*egredere de terra tua &c.*] Obiectio.
Solutio. Ibi dicitur per anticipationem: secundum historiam hic. vel bis locutus est Dominus, Solutio.
semel ante mortem Patris & semel post, secundum Hieronymum. & dicitur hic de prima vice. *Gen. 12.* de secunda. [*Exi de terra*] mente: quia cum patre suo iam exierat corpore: sed proponebat redire. vel [*exi*] amplius: quia secundum Glossam Mesopotamia & Charran sunt in Chaldæa secundum Rabanum. Vnde licet de vna parte Chaldææ exiisset, nondū penitus exierat, [*& de Cognatione*] tertium quod dicitur in Gen. scilicet,

scilicet, & de domo patris tui prætermittit Stephanus tanquam notum his quibus loquebatur. [*in terram*] Chanaan. [*quam monstrauero*] ut maior sit obedientia.

Vers. 4. *Tunc*, ex voluntate & desiderio: vel ex tota terra Chaldæorum, cuius partes sunt Mesopotamia, Vr, & Aran vel Charran. [*& habitauit*] dicit Gloss. quod secundum fidem chronicorum eodem anno Chaldæam egressus, Mesopotamiā ingressus, in Charran moratus & in terrā promissionis inductus est. [*habitatis*] vos non Apostoli, nec Stephanus, qui iam quasi in morte positus erat.

Vers. 5. *Hæreditatem*, quamuis multos agros possedit, tamen proprium non habuit, dicit Glossa. quia non hæreditario iure vel ratione promissionis diuinæ, sed titulo emptoris, & quasi colonus possedit. [*nec passum pedis*] id est, nec nimiam partem. Speluncam enim duplicem non gratis habuit, sed emit ad Ephron, *Genes. vigesimo-tertio*: [*& semini*] quia merito eius data est semini. [*cum non haberet filium:*] vt magis appareat præscientia Dei præmittentis.

Vers. 6. *Locutus est*, per Angelum *Gen. 15.* redit ad originem generis Israel & amicitiæ diuinæ exordium, ut nil prætermittat in quo blasphemasse videatur. [*accola*] aduena, qui non suam colit terram. [*in terra.*] Chanaan vel Ægypto. [*subiicient*] Ægyptii. [*tractabunt*] affligentes duris operibus luti & lateris. [*annis*] ecce tot annis peregrinabuntur: sed in parte eorum seruitute: scilicet 144. annis qui fuerunt à morte Ioseph usque ad exitum de Ægypto, sicut probatur in historiis. Cæterum à prima peregrinatione Abrahæ quæ incepit *Gen. 12.* usque ad mortem Ioseph fuerunt anni 286. Nam 75. annorum fuit Abram quando exiuit de Haram *Genes. 12.* Et post annos 25. natus est Isaac. Centenarius n. fuit pater quando natus est *Gen. 17.* His adde omnes annos Isaac scilicet 180. *Gen. 35.* & sunt anni 205. Iacob autem in morte Isaac 120. annorum fuit ut probatur *Genes. 38.* in principio: & decimo anno post intrauit in Ægyptum, quia 130. annorum tunc erat. Ioseph aduentu patris, *quod ex eo patet quia 30 annorum fuit quando eductus fuit de carcere. *Gen. 41.* & 9 anno post venit pater ad eum, quia post septem annos fertilitatis, & duos sterilitatis. Omnes autem anni Ioseph fuerunt 110. *Gen. vltimo.* ex quibus si deputeris 39 remanent 71. quibus adde 205 & 10 & erunt 286. His si 144 annos seruitutis addideris fient anni 430. vt hic habetur & *Gal. 4. & Exod. duodecimo.* quod autem *Genes. decimo quinto*: tantum de 400 fit mentio, dicit quod illi à natiuitate Isaac computantur, quæ fuit vigesimo quinto annis post factam promissionem. Sed adhuc 5. anni superfluunt. Sed illos tacet scriptura more suo, quæ non curat minutias numerorum: Sic ergo lege literam. [*erit semen eius accola 400 annis*] & quod additur: [*& seruituti eos subiicient, &c.*] hyperbaton est. id est, interpositio.

a Faciē supplenda fic. & hoc verba. [Ioseph erat 39 anno rum] quod ex eo patet, &c.

Vers. 7. *Et gentem*, Ægyptios. [*iudicabo*] decem plagis & submersione Pharaonis eum populo suo *Exod. 14.* Iudicium enim quandoque notat discretionem *Psalm. 43.* *Iudica me Deus & discerne causam meam* quandoque pœnā *Psal. 5.* *Iudica illos Deus*, [*exibunt*] de Ægypto. [*seruient*] seruire incipient liberati à seruitute humana. [*isto*] etc a promissionis ostendit locum sanctum.

Vers. 8. *Dedit*, *Gen. 17.* [*testamentum*] non blasphemat. [*circumcisionis*] quæ ideo fiebat in membro & occulto, quia per omnes per generationes illius temporis erat seruanda non ab omnibus gentibus, sed ab illo populo, qui per hoc ab aliis nationibus diuidebatur. Mysticè autem significat carnis mortificationem, quia illo membro voluptas carnis expletur. occultatio autem membri significat iactātiam esse vitandam in circūcisione spirituali. [*& sic*] circumcisus non io præputio. [*circumcidit*] *Genes. 31.* [*octaua die*] quæ significat octo beatitudines, vel octauam resurrectionis, in qua plene circumcidemur à culpa & pœna. [*& Isaac*] circumcisus circumcisum. [*& Iacob*] *Gen. 25.* [*duodecim Patriarchas*] repete circūcisos, ut potius laudet quam vituperet eos.

Mystice.

Vers. 9. *Æmulantes*, quia plus cæteris amabatur à patre *Gen. 38.* [*vendiderunt*] propter somnia, quæ pollicebantur eum magna. [*in Ægyptum:*] succinctè transit, idest, mercatoribus Madianitis, qui duxerunt eum in Ægyptum.

Vers. 10. *Ex omnibus tribulationibus*: de manu fratrum, de cisterna, de manu negotiatorū, de manu Ægyptiæ, de periculo mortis. & laudē de ipso carcere. [*gratiā*] corā principe carceris, & Pharaone & sacerdote, cuius filiā duxit. [*sapientiā*] interpretandi somnium, & prouidendi consilium, *Genes. 41.*

Vers. 11. *Tribulatio*, fames. Gloss. ex hoc putatur vbique fuisse famem. [*patres*] Patriarchæ. Patet quod Patres non blasphemat, quos etiam suos dicit.

Vers. 12. *Cum audisset*: *Gen. 42.* [*Patres*] præter Beniamin. [*Primum*] prima vice: & tunc Ioseph cognouit eos, non ipsi eum.

Vers. 13. *Cognitus*: *Gen. 45.* [*manifestatum*] prius n. celauerat, quia Ægyptii omnem adorantes: eum ouium oderant, quas Israel offerebat.

Vers. 14. *Cognationem*, fratres suos & fratrum filios, qui Iacob non erant cognatio sed progenies. [*septuaginta quinq.*] *Gen. 46.* computantur in 66. præter Iacob & Ioseph cum duobus filiis suis. Lucas quinq; superaddit secundum editionem septuaginta, quæ tunc erat famosa, & à Græcis approbata: & ideo maluit consentiendo eis fidem Christi firmari quam sermonem suum suspectum reddere, si olim crederat veritati videretur cōtr[...]s. vel potest dici quod hic cōputantur quinq; nepotes Iacob filii filiorum Ioseph qui erant in Ægypto, qui non cō computantur in Genesi.

Vers. 15. *Descendit*: secundum locorum descensus est de terra promissionis in Ægyptum. Mysticè quoque descendere dicuntur quia libertati successura erat seruitus. Et moraliter: qui mūdo adhæret, verè descendit. [*defunctus*] in Ægypto.

Mystice. *Moraliter.*

Vers. 16. *Positi in Sichem*: Synecdochicè, totum pro parte, quia hucde solo Ioseph legitur *Iosue in fine*: qui fuit caput eorum: vel potest dici verum esse quod omnes translati sunt, ut dicit Stephanus sequens opinionem vulgi. Et Hieronymus, qui locum incoluit, dicit de Paula quod transiuit Sichem, & vidit sepulchra duodecim Patriarcharum. Ide. Duodecim Patriarchæ nō sunt sepulti in Arbe sed in Sichem. Sed memoria Ioseph celebrior est, qui hoc de ossibus suis mandauit. *Genes. vlt.* ad cuius tribum Sichem pertinuit, quia pater dedit eam sibi, *Gen. 48.* [*in sepulchro*] hoc de solo Iacob

legitur quod sepultus sit in spelunca duplici, *Gen. vlt.* vbi Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lea, vnde & Hebron dicta est. i. coniugij, [*emit*] 400. siclis ab Ephron filios Seon, *Gen.* 23. [*à filiis Emor:*] duas historias confundit in vnam, non tam ordinem historiæ, quam causam, de qua agebat, intendens: vt ostendat & Moysi rebelles fuisse in Christo, in lege promisso, *Gen.* 33. Iacob emit Sichem centum agnis à filiis Emor, patris Siché. Hic vero dicitur Emor & patrem & filiú habuit nomine Sichem, à quo dicitur emisse Abrahã in Iacob emente, sicut ei data est terra in semine suo. vnde sic construe. [*emit*] Iacob Sichem, vt sit nomen ciuitatis. [*à filiis Emor filii*] i. habitatoris Siché. & sic vltimú Siché est explanatio prioris. vel sic: [*à filiis Emor filii Sichem*] quia filii Emor erant filii, i. habitatores Sichem. [*vel translati sunt in Sichem*] & resume Sichem dicendo quam emit Iacob, vt supra. & inde [*positi sunt in sepulchro quod emit*] non à filiis Emor, sed ab Ephron, vt supra, & sic sunt 12. Patriarchæ cum Patriarcha Iacob in spelunca duplici vt videtur velle Stephanus & sic construitur primum Sichem cum vltimo, & est vtrumq; nomen ciuitatis.

Vers. 17. Cũq; redit ad ordinationẽ narrationis, Anticipatio enim fuit, quod de patribus præmisit [*tempus*] anni 430. *Exod.* 12. [*tempus promissionis.*] *Gen.* 15 *post hæc exibunt &c.* [*confessus*] in Græco pollicitus. [*creuit populus*] mortuo Ioseph & fratribus &c. & est secunda particula primæ partis capituli, Mystic. Mysticè. Crucifixo Christo & Apostolis passis creuit Ecclesia.

Vers. 18. *Rex alius:* diabolus, qui effæminatos diligit, masculos odit, surrexit per superbiam. [*nesciebat*] i. beneficium non reddebat.

Vers. 19. *Circumueniens:* præcipiendo obstetricibus vt necarent masculos. [*nostrum*] ne blasphemare videatur. [*afflixit*] in tantum [*vt exponerent*] in flumen [*ne viuificarentur*] id est, viui custodirentur.

Vers. 20. *Eodem tempore:* quo surrexit rex nouus, [*gratus Deo*] à quo gratias habuit: nec Moysen blasphemat. [*& nutritus est*] quia elegantem habuit faciem. *Exod.* 2. [*in domo*] occulte.

Vers. 21. *Exposito* in Nilo. [*sustulit*] de flumine. [*filia*] quæ venerat vt lauaretur.

Vers. 22 *Eruditus* vt alios doceret. potens in verbis: Gloss. loquens, contra, *Exod.* 4. impeditæ linguæ dicitur. verum respectu ad Deum, ipse & omnis homo est ineloquens. vel eloquẽs erat quoad scientiam & discretionẽ sententiarum, non quantum ad formationem verborum, vel propter gracilitatem vocis dicitur ineloquẽs secundum Augustinum. dicitur autem Moyses q interpretatur liniens, ꝓpter fiscellam bitumine linitam, vel ad literam, sumptus ab aquis.

Mystic. Mysticè. Christus est percusso diabolo liberans gentes suum, qui [*proiectus*] à Iudæis, ab Ecclesia gentium sumpitur ad Baptismum veniente, prius filia diaboli, [*potens in opere & sermone*] *Luc. in fine.* *quia in plenitudine temporis, Gal.* 4. *Visitauit nos & fecit redemptionem populo suo, Luc.* 1. [*in operibus*] fortis.

Vers. 23. *Ascendit in cor:* Gloss. de bona cogitatione dicit q ascendit in cor, q a de sursum venit, & cor post se sursum trahit: mala etiam cogitatio q ab homine est ascendere dicitur, quia deorsum est, *Luc.* 24 *cogitationes ascendũt in cordibus vestris.* [*fratres*] genere. [*visitare*] quia onere seruitutis infirmabantur.

Vers. 24. *Illum:* fratrem suum dicit Gloss. ostendens quod faciens iniuriam non erat de genere suo.

Vers. 25. *Intelligere:* quod sicut in vno fecerat in omnibus faceret, & eos penitus ab Ægyptiis liberaret: quia, licet nullus præsens esset qui videret *Exod.* 2. liberatus tamen potuit aliis dicere, & sic possent intelligere si vellent [*per manum*] opus. non intellexerunt: manifesta Iudæorum figura.

Vers. 26. *Reconciliabat:* Christus pacem per Apostolos prædicabat, quibus & Iudæi restiterunt.

Vers. 27. *Repulit.* verbo sicut Iudæi Christum, dicit Glossa: [*quis te constituit?*] quidam putant primum qui defensus est ex ira propalasse: & ignarus prophetat Moysen datum Israeli Principem & Iudicem. [*quis te constituit?*] solus Deus, quia *non est potestas nisi à Deo, Rom.* 13. *Ecclesiast.* 10. *in manu Dei potestas hominis.* sic respondit Christus *Luc.* 12. *quis me constituit iudicem ac diuisorẽ super vos?* Mysticè. solus in eodem tentione sua illos redarguit Moysi & legi fuisse contrarios.

Vers. 29. *Fugit,* volens occultum esse: timens Ægyptios. [*in terra Madian*] Christus ad gentes. [*generauit*] de Sephora vxore sua *Exod.* 2. [*duos*] Gersan & Eliezer.

Vers. 30. *Apparuit,* cum minaret gregem ad interiora deserti. *Exod.* 3. *Angelus:* Gloss. Michael in persona Dñi vel ipse magni consilii Angelus. [*flamma*] vt timerent scientes q a Deus noster ignis consumens est *Deut.* 4. vel ne aliquam similitudinem eius facerent & adorarent, quia flamma non est imitabilis.

Vers. 31. *Admiratus* quia contra consuetudinẽ rubus ardens non combureretur. [*vox Domini:*] nunc dicitur Dñs qui prius Angelus. sum semper præsens q est verbum ꝓprium Dñi secundum illud *Exod.* 3. *Ego sum qui sum.*

Vers. 32. *Deus:* non recens & nouus, [*sed patrum*] nondum tuus vocandus. [*tuorum*] vt ostendat eum verum esse filium eorum, & sic vtrosque simul & Dominum commendat Stephanus, non blasphemat. [*Iacob:*] hi tres commemorantur quia ipsis facta est promissio quæ impletur. [*non audebat:*] audiens nomen Domini.

Vers. 33. *Dixit. Exod.* 3. expositum est. [*solue calceamentum, &c.*] Gloss. serpentes non sunt timendi vbi Deus præsens loquitur. [*Sancta est*] Gloss. sancti pedes sanctum locum debent contingere.

Vers. 34. *Videns* Deus totus visus est, totus auditus. omnia videt, omnia audit: sed videre & audire dicitur quando miseretur. [*audiui*] quia licet aliquem tentari permittam, tamen non est putandum quod nesciam. [*mei*] dicens suum miserere se ostendit. [*descendi*] eius descendere est cõpati: & nota quod duo signa liberationis dedit Dominus. hoc primum, quia sicut rubus non cõburebatur, ita populus in secutione seruitutis nõ deficeret, sed liberaretur. secundum in solutione calceamenti quod est contra offendicula: ita & seruitutis offendiculum erat amouendum ita leniter sicut aliquis discalciatur. Mysticè. ignis rubum incomburens Spiritus Sanctus, peccata illius populi non consumens, quia densas nequitias Mystic.

tiæ spinas Dei beneficiis opposuit. vel Ecclesia persecutione flammata non perit, & Christus in ea loquitur. [*solue calceamentum*] ne te putes esse Ecclesiæ sponsum licet dux sis populi: sicut & Iohannes Baptista fecisse dicitur *Marc.* 1. cuius non dignus corrigiam calceamenti soluere. de modo triplici descalceiendi habes satis super *Deuteronom. vigesimo quinto.* * sed quod propinquus nolebat accipere vxorem defuncti. vel moraliter. [*solue calceamentum*] operibus mortuis renuncia.

Scilicet. *Moraliter.*

Vers. 35. *Quem negauerunt:* à parte totum: quia vnus negauit cæteri consenserunt. [*hunc Deus*] ab humili soluitur, quod superbus interrogauit dicens: [*quis te constituit Principem & Rectorem:*] ecce laus non blasphemia. [*cum manu:*] opere vel potestate, quia primogenita occidit *Exod.* 12. & alias plagas intulit.

Vers. 36. *Hic* Moyses. [*eduxit:*] culpam in eos refundit, quam ipsi rebelles, & increduli in Deũ & Moysen retorquebant.

Vers. 37. *Filiis Israel*, vobis, *Deuteron.* 18. vnhis non aliis præter vos. [*tanquam me*] carne visibilem, sed supra me maiestate terribilem, quem Moyses prædicat in forma hominis venturum & præcepta vitæ daturum, ne noua videatur doctrina eius cum veniret.

Vers. 38. *In Ecclesia:* congregatione populi non solus vt prius. [*qui loquebatur*] hæc tamei quã omni populo. [*in Sina*] *Exod.* 20. [*nostris*] non tantum vestris [*verba vitæ*] id est, legem. *Gal.* 3 *qui fecerit ea viuet in eis.* Idem *Leuit.* 18. & *Ezech.* 20. Contra *Hebr.* 7. *Nihil ad perfectum duxit lex.* Solutio verba vitæ, idest, præparantia ad vitam quæ est in Nouo Testamento. vel quantum ad significationem non quantum ad literam: vel quod dicitur [*vita viuet*] expone: id est, non punietur secundum legem, quæ punit transgressores.

Obiectio. *Solutio.*

Vers. 39. *Cui* Moysi [*noluerunt*] dupliciter accusantur. & quia noluerunt, & quia non obedierunt. [*obedire*] opere, licet prumiserint, *Exod. vigesimo.* [*repleuerunt eum*] *Num. vigesimo primo. Cur eduxisti nos &c.* [*cordibus*] si non corporibus. [*in Ægyptum*] ad quam optabant reuerti: vel ad mores Ægyptiorum reuersi sunt idolum adorando. [*ad Aaron*] quasi Principem: *Exodi trigesimo secundo.*

Vers. 40. *Deos*, errore gentium pluraliter dicunt deos non Deum, tanquam diuinitatis ignari. Deus enim factus non est, sed omnia fecit; Creator non creatura Gloss. deos dicunt propter duas columnas quæ præcesserunt exeuntes de Ægypto, in quarum honore factum est vnum simulachrum. Sed ambæ adoratæ sunt. vnde dicunt, [*precedant*] duo: prouidentia & potestate. [*columnæ:*] duæ: nubes in die ad refrigerandum & ignis nocte ad illuminandum præcedebat populum. Tamen *Exod. decimo quarto*, dicitur quod eadem erat nubes quæ dicitur columna densa per diem, clara per noctem. Sed dicitur duæ, propter duplicem effectum vel officium. [*Huic*] derogando dicunt & inhonorando. [*quid factum est*] mors vel vita, quia quadraginta diebus & noctibus fuerat in monte cum Domino, *Exod.* 24. & *Deut.* 9.

Vers. 41. *Fecerunt* imò Aaron, ad * iustam eorum, ———— [*vitulum*] ut adorarent sicut in Ægypto viderent coli Apim in specie bouis. Quidã dicunt quod factus est ductilis, alii q̃ fusilis, & tantum caput vituli, vel vitulus integre casu exiit de fornace, in quam misit Aaron aurum & argentum *Exod.* 32. [*simulachrum*] plus accusatur, quam si viuo animali fecissent. [*in operibus*] non creatorem, sed opera venerantes à se facta.

* *Forte legendum* [*instantiam.*]

Vers. 42. *Tradidit* permittendo. [*militiæ*] soli lunæ & stellis q̃ Deu militant peragentes cursus suos: Quandoq; etiã dicit exercitus angelorum militia cæli: sed non ita accipitur hic, quia statim subditur, de sidere. Augustinus in Gloss. manifestum est Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates ad bonum siue ad malum. [*In libro Prophetarum*] quia apud Hebræos licet 12. sunt auctores, vnus reputatur liber 12. prophetarum, quia secundum literas Alphabeti 22. volumina tantũ computant in canone scripturæ. [*numquid victimas*] *Amos.* 5. quasi non, quia non amore faciebant, sed timore mortis illatæ adoratibus vituli. Veraciter autem, & ex corde idolis seruiebant. Vbicunque enim occasio fuit semper corde reuersi sunt in Ægyptum. Et Dominus non quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentis, *Gen.* 4. *Respexit Deus ad Abel prius, & post ad munera eius.*

Vers. 43. *Suscepisti* pro Tabernaculo Dei. [*tabernaculum*] factum supple. [*Moloch*] vel Melchom pro Deo vero: & est idolum Ammonitarum, quod interpretatur Rex noster. & [*sidus*] supple suscepistis. [*Dei vestri*] Luciferi quem colitis vt Deum: sicut alii Saraceni adorantes deos in figuris solis tanquam Luciferi & lunæ & stellarum [*Remphan*] qui interpretatur factura vel requies vestra: vnde statim sequitur: [*figuras quas fecistis*] quidam dicunt sidus Dei vestri siue Remphan vt ad Deum pertineat verbum, quia non Dominum, sed sidus eius susceperunt. [*adorare*] in veritate, licet videremini ad Tabernaculum Domini hostias offerre. [*& transferam:*] ppter hæc sacrilegia: [*in Babylone*] vbi ducemini captiui. In Amos dicitur, trans Damascum est. & Stephanus magis sequitur sensum quam verba Prophetæ.

Vers. 44. *Tabernaculum*, Tertia particula in qua excusat se de blasphemia loci, sicut supra, de bla- in Deum & Patres. [*Testimonii*] quia in eo arca erat continẽs testimonium. id est, legem. [*nostris*] Gloss. semper cõmunes appellat patres. [*disposuit*] qui totius artis auctor fuit & dispositor. [*secundũ formã*] q̃a res secundũ formã fit, ostenditur ipsum Tabernaculum formam fuisse. [*quam viderat*] in monte Sina *Exod.* 25. suscepit venerandum & humeris portandum *Num.* 4.

Vers. 45. *Cum Iesu:* in figura Christi. [*in diebus David*] inclusiuè. quia si exclusiuè, falsum est. Non enim tempore Dauid factum est Templum: vel exclusiuè potest sumi propter distinctionem Templi factam à Dauid, licet tempore eius opus non fuit inchoatum.

Vers. 46. *Gratiam* gratus Deo: gratis quod petebat accepit ab eo [*petiit*] sciens tabernaculum illud non semper sufficere, & Ecclesiæ formam esse: significans Ecclesiam cum arca id est, scriptura ad gentes transferendam. Sicut enim facto Templo destructum est Tabernaculum

lum: sic & illud Templum meliore succedente delendum erat, quod latenter innuit Stephanus, *Ierem. 7. non confidatis in verbis mendacii, dicentes templum Domini, &c.* & post: *faciam domui huic sicut in Silo.*

Vers. 47. *Salomon: Gloss.* Dauid vir sanguinum prohibitus est, 1. *Paralipom. vigesimo octauo.* Sed Salomon in figura veri pacifici Christi Templum ædificauit. Et nota, quod secundum Rabanum: Dauid magis dicitur vir sanguinum propter mortem Vriæ, quàm pro bellis contra gentes gestis ex præcepto Dei. [*Domum:*] Templũ ad literam. Mysticè Ecclesiam per illud significatam.

Vers. 48. *Habitat,* 2. *Paralip. 6.* dicit Salomon: *si cælum & cæli cælorum non capiunt quanto magis, &c.* & sic de verbo Salomonis Iudæos conuincit, addēs testimonium, *Isai. vlt.*

Vers. 49. *Cælum sedes mea, &c:* vt manifestius sit Deum non tantum in templo eorum habitare, sed omnem creaturam Creatoris comparatione paruam esse. *Deuteronom 18. In ore duorum vel trium trium testium, &c.* [*Cælum*] sancti quibus inhabitando Deus præsidet: [*Sedes*] quasi thronus, non domus: sic ostendit se circumdare omnia. [*Scabellum*] peccatores quos damnatione prosternit. [*quam domum?*] quasi non confidatis in templo, quasi illius tantum sim habitator. [*quis locus requietionis mihi*] cuius sedes cælum, terra scabellum, quasi dicat, non aureus vel marmoreus, sed quem Propheta Isaias subdit. *Super quem requiescit spiritus meus nisi super humilem &c.*

Vers. 51. *Dura ceruice,* quarta particula: in qua primo purgatus à crimine triplici, à falsis testibus sibi impolito, arguit Iudæos, quia qui sine crimine est dignus est officio Doctoris. [*Dura ceruice.*] non sustinentes iugum legis, sed nec iugum Christi suaue, *Matth. 11. Isai. 48. Durus es tu & neruus ferreus ceruix tua.* [*Incircumcisi,*] etsi carne non tamen corde ab infidelitate, [*auribus:*] quæ sunt surdæ nec à vitiis purgatæ: ostendit carnalem circumcisionem de qua contra gratiam Euangelii gloriabantur non valere ad salutem sine spirituali, *Ierem. 4. Auferte præputium cordis vestri:* [*vos*] non ego. Huc usque dixit patres nostri, persuadendo loquens, nunc increpans patres tantum dicit eorum quibus similes sunt in malitia. [*Spiritui*] non mihi quem actu fastis. [*restitistis*] quia nunquam pœnitentiã agitis: [*sicut Patres*] quibus pates estis in nequitia, de quibus prædixit: *cum noluerunt obedire patres nostri.*

Vers. 52. *Quem:* quasi nullus est. [*vestri*] non nostri, [*& occiderunt,*] Tertius gradus malitiæ. Ponit primo quod Spiritu sancto restiterunt, secundo, quod Prophetas persecuti sunt: tertio quod eos occiderunt, crescente semper malitia.

Vers. 53. [*Iusti*] Christi, [*accepistis.*] vnde inexcusabiles estis. [*dispositione*] ministerio vel dispensatione. [*non custodistis*] opere, scienter peccdo.

Vers. 54. *Audientes autem* secunda pars capituli, de commotione Iudæorum contra Stephanũ, & lapidatione eius, [*dissecabantur*] quia zelabant legem Dei, [*stridebant*] nimietate furoris [*dentibus*] more bestiali.

Vers. 55 *Plenus Spiritu* sient esse solebat, vel hora illa maximè superabundauit gratia. [*In cælum*] vnde sperabat auxilium [*vidit*] visione corporali, sicut in coruscatione videtur signum diuisionis in cælo, non tamen est: vel spirituali: vel etiam ex parte instrumenti videndi, quia Dominus aperuit oculos eius, vt posset videre vltra etiam sine apertione facta in cælo. [*gloriam*] vt tribulatus carne consolaretur spiritu. [*Dei*] quem Stephanus innocabat. [*Stantem*] *Heb. 12. Aspicientes in auctorem Fidei & remuneratorem Iesum* [*à dextris:*] verum hominem, qui verè resurrexit & ascendit: [*Dei*] vbi post labores quiescit, iudicans & sedens in throno, dicit Glossa, video, non reseratione elementorum, sed reuelatione spirituali, q̃ fiebat in corde iusti.

Vers. 56. *Cælos apertos:* sic & Ezech. 1. *Aperti sunt cæli* [*Filium hominis:*] quem vos tantum hominem æstimastis: vel virtutem resurrectionis ostendit, & in hoc Iudæos confundit. [*stantem*] immobiliter, quasi non iterum casurum: vel habitus adiuuantis, iniurias vindicantis & pro seruo pugnantis exprimitur per verbũ *standi;* [*virtutis*]: quasi iudex omnium visibiliter veniet. [*video cælos,*] in ipsa passione præmium vider, vt qui terrenam vitam pro Christo contempsit sciat se metuisse cælestem.

Vers. 57. *Continuerunt* ne audirent blasphemiam. [*vnanimiter:*] omnis turba arguitur quia consensit.

Vers. 58. *Eiicientes:* quasi abominabilem, [*extra ciuitatem,*] sic se legem implere gloriabantur, *Leuit. 24. Educ blasphemum extra castra & lapidet eum populus. Christus extra portam passus est Hebr. 13,* ad significandum quod hic non habemus manentem ciuitatem [*testes*] falsi qui primi lapidabant secundum legem, *Deut. 17: Manus testium &c.* [*deposuerunt*] præ nimio furore: vel ne vestimentis pollutum tangerent: vel vt expeditius lapidarẽt. [*Saulus*] post Paulus: infra 13. in quo notantur duo; primò quod pœnitentia quælibet peccata* remittuntur. ——— secundo quod Deo custodiente manus Pauli non est pollutus sanguine innocentis.

* *Verbum remittuntur ubi esse in MS.*

Vers. 59. *Stephanum,* hic nomen ponitur vt cautà nominis aperiatur. Hic enim verè est coronatus. [*Domine*] quasi præsentem precatur [*suscipe*] in cælum quod vidi apertum. Christus dicit commendo Spiritum meum, *Luc. 23.* quia patri loquitur securus. Ille quasi seruus Domino supplicat. [*Spiritum*] orat conseruari, quia corpus expositum lapidationi.

Vers. 60. *Positis:* securus pro se genua non flexit. [*voce magna*] quia magnum est orare pro inimicis, quorum maior iniquitas maius supplicandi remedium postulat. [*ne statuas*] Christum imitatur, *Luca vigesimo tertio* dimitte illis hoc peccatum vt non sit insolubile, sed pœnitentibus dimitte. [*quia nesciunt*] mira virtus martyris, orans excusat eos charitate accensus, quibus paulo ante culpam improperauit perfidiæ. Zelo armatus [*obdormiuit*] resuscitandus. Gloss. Sancti moriuntur, quia in melius mutantur & vita temporalis in æternam vertitur.

Cap.

Cap. VIII.

Saulus autem, &c. Hoc capitulum diuiditur in duas partes. In prima agitur de persecutione Ecclesiæ, & dispersione fratrum. In secunda de actibus dispersorum, ibi: [*Igitur qui dispersi erant,*] prima autem pars diuiditur in quatuor: in prima dicitur consensus Pauli in necem Stephani. In secunda persecutio facta & dispersio fratrum, ibi: [*facta est autem.*] In tertia sepultura & planctus Stephani. In quarta persecutio Ecclesiæ specialis p Saulum. ibi: [*Saulus vero &c. consentiens neci*]non quidem lapidauit, dicit Glossa: vnde periret, nisi gratia & pœnitentia subueniret: quia non solùm *qui faciunt digni sunt morte, sed qui consentiunt facientibus, Rom.* 1. Et intellige de gratia illuminâte q̃ præcedit pœnitētiā, non de informante, quæ sequitur motum liberi arbitrii: alioquin prima gratia illuminans vel præueniens non sufficit siue pœnitentia, in his maximè* quæ habent actuale peccatum. [*necem*] in qua arbitrabantur obsequium se præstare Deo, *Ioh.* 15.

* qui.

Vers. 1. *Facta est.* Secunda pars. *illa die:* occiso vno de principibus Ecclesiæ: & ante fuerat persecutio sed non ita magna. *In Hierosolymis:* non dū alibi: secundum illud: eritis mihi testes primo in Hierusalem. &c. supra primo. *Dispersi:* sicut grana seminis vt ex ipsis multiplicaretur seges fidei, *præter Apostolos:* qui vt pastores gregis constantiores erant cæteris.

Vers. 2. *Curauerunt:* Tertia pars: id est, sepelierunt, redit ad hoc quod dimiserat. dixerat enim de morte Stephani, sed non de sepultura. [*timorati:*] timore persecutorum, vel timentes Deum, Christiani qui postea sunt dispersi: vel ipsi Iudæi timentes Deum, etsi nondum Christiani. [*planctum.*] secundum antiquum morem legis.

Vers. 3. *Saulus vero*, quarta pars. [*deuastabat.*] discurrebat impiger ad vastandum. [*viros*] more vastantium nulli sexui parcebat. [*trahens*] non occidens, quia fortè manus eius seruabat Dominus ne polluerentur. [*in custodiam*] carceris. Dicitur autem Saulus à Saule Rege Israel qui fuit persecutor Dauid de tribu Beniamin, de qua & Paulus. solent enim posteri à maioribus suis denominari: Ecce Beniamin lupus rapax, *Genes. penult.* quia quasi lupus in gregem grassabatur in Christianos. [*Igitur qui dispersi erant.*] Secunda pars capituli, quæ diuiditur in quinque. In prima agitur de prædicatione Philippi in Samaria & conuersione Simonis Magi. In secunda de missione Iohannis & Petri in Samariam vt darent Spiritum sanctum conuersis à Philippo, ibi: [*cum audissent.*] In tertia, quomodo Simō voluit emere Spiritum sanctum, & increpatur à Petro, ibi: [*cum vidisset.*] In quarta de reditu Apostolorum in Hierusalem, ibi: Et illi quidem. In quinta quomodo Philippus iussus ab Angelo docuit & baptizauit.

Vers. 4. *Dispersi:* vt occasione tribulationis fieret seminarium Euangelii. [*pertransierunt*] de loco ad locum, *Matth.* 10. cum persequuntur vos in vna ciuitate fugite in aliam. Euangelii: q̃uis timore dispersi tamen stabiles erant in prædicatione Euangelii.

Vers. 5. *Philippus:* Diaconus, secundus à Stephano, secundus post ipsum narratur, quasi hæres & eiusdem gradus. patet enim ipsum non fuisse Apostolum, quia non dedit Spiritum sanctum, sed Petrus & Iohannes. Et quia præmissum est quod omnes dispersi sunt præter Apostolos. Hic dicitur eum Petro missus ad solutionem pulli & asinæ. *Matth.* 21. quia vterque primus prædicauit gentibus: nec propter hoc necesse est ipsum dici Apostolum, sed discipulum* de septuaginta & vno. [*descendit*] secundum situm loci, vel quia erat inferior Hierusalē [*Christum:*] hominem esse verum Deum.

* Fortè de septuaginta duobus, Luc. 10.

Vers. 6. *Audientes* verba. [*videntes*] miracula & ideo [*intendebant*] i. credebant [*gaudium*] quia cognita veritate exierāt de tenebris ignorātiæ, *Gloss.* Ex hoc loco & Samaritanæ historia *Iohan.* 4. probatur animos huius gentis ad credendum fuisse promptos.

Vers. 9. *Vir quidā:* ignobilis. [*nomine*] nō merito, q a opere inobediens erat. [*Magus*] *Gloss.* Magi de singulis philosophanē, de natura mundi cursu & motibus siderū. [*Seducens*] seorsum à veritate ducens, vel in stuporem & admirationē conuertens per præstigia sua. [*Magnum*] Properam vel Angelum vel Dei filium, *Gloss.* semper bonis mala contraria aduersantur.

Vers. 10. *A minimo* sermo vel iuniore. [*ad maximū.*] regē vel decrepitum. [*Hic:*] Simon: [virtus.] Christus [*Dei*] non Angeli. [*quæ vocatur:*] ignorabant nomen Christi.

Vers. 11. *Magicis.* artibus, vel falsis virtutibus. [*Dementasset:*] rationem mentis ab eis absentasset.

Vers. 12. *De regno, Matt.* 4. pœnitentiā agite, appinquabit regnum cælorum [*Iesu Christi:*] cuius erant ignari vt p̃dictum est: vel in nomine Iesu prædicauit Trinitatem. Qui .n. vnā persorā de Trinitate perfectè credit, fide aliarum duarum carere nequit. [*Ac mulieres:*] In Christo Iesu non est masculus vel femina, *Col.* 3.

Vers. 13. *Simon:* verbis Philippi & virtute deuictus [*credidit,*] verè, vel sicut dicit *Glossa* fictè ne credentibus resistens despectus haberetur. [*adhærebat*] corpore non corde volens potestatem habere faciendi miracula. [*stupens.*] cupiens se talia posse.

Vers. 14. *Cum autem audissent:* Secunda particula [*Apostoli*] de quibus non erat Philippus dicit *Glossa*, [*Samaria:*] nunc patet quod ipsa ciuitas fuit Samaria, quæ supra dicitur ciuitas Samariæ. [*Petrum & Ioannē:*] qui erant columnæ, *Gal.* 2. hos sociat, quia virginitas Ecclesiæ placet. Sic & Christus binos mittit, *Luc.* 10. vt in ore duorum, &c. *Deut.* 19.

Vers. 15. *Vt acciperent: Gloss.* iam enim sola aqua erant baptizati, i. solo baptismo aquæ in qua receperant quidam gratiam Sp. sancti, sed non visibiliter vel ad robur.

Vers. 16. *Domini Iesu:* quia patrem credebant & Sp. S. sicut alii Iudæi: vel quia plena fides vnius personæ fidem Trinitatis confirmat.

Vers. 17. *Tunc:* ecce exemplum confirmationis. [*imponebant.*] Petrus & Iohannes non Philippus, q̃ faceret si Apostolus esset. Hoc hodie solis Episcopis licet sicut tūc solis Apostolis. [*accipiebāt*] ad robur,

cobus, quod demonſtrabatur in hoc quod linguis loquebantur. Sic Presbyter baptizatum inungit chriſmate ab Epiſcopo conſecrato. Solus Epiſcopus in fronte linit oleo, dans Spiritum ſanctum.

Verſ.18. *Cum vidiſſet.* Tertia pars.

Verſ.19. *Date mihi*, quod facere non poterant quia audierant *Matth.*10. gratis accepiſtis, gratis date: quod volebat Simon, imò proponebat vendere poteſtatem non baptizandi tantum in aqua, vel miracula faciendi, quia & ipſe miracula falſa fecerat, ſed [*vt cuicunque, &c.*] Gloſſ. Succeſſores eius falſa miracula feciſſe leguntur, qui malignis inſtructi artibus Eccleſiam fraudulenter ingreſſi baptiſma furantur.

Verſ.20. *Pecunia tua*: non noſtra qui non cupimus ſed tua quam ſpiritui comparas, ſi illam pro eo védas & eam ſpiritu emas. Ideo enim ſpiritum emere volebat vt aliis vendés plus pecuniæ acciperet, [*tecum ſit*] hic exemplum ſumitur vt perditorum eleemoſynæ nõ recipiant. [*In perditionem,*] non vt ſimpliciter pereat pecunia, *& pecunia ei, vel *tecum ſit*:] id eſt, tu eam retine, & hoc in perditionem vt pro ea iniuſte congregata in æternum puniaris. [*Donum Dei.*] Sp. ſanctus qui Deus eſt & donum Dei.

*Forti ſed.

Verſ.21. *In ſermone iſto:* vt per manus tuas accipiatur Sp. ſanctus, & nota quod nõ eſt imprecatio ſed prædictio vel conformatio voluntatis ſuæ voluntati diuinæ.

Verſ.22. *Ab hac nequitia* duplici, cupiditatis ſcil. quia de ſpiritu commercium facere voluiſti, & prauæ fidei, [*pœnitentiam age.*] vt omnes videant quod es: non quod ignoret eum pœnitentiam nõ acturum, ſed quia iuſſus eſt omnibus prædicare, facit officium ſuum, vt ſit inexcuſabilis coram omnibus: & arguitur ne amplius eos fallat. [*roga Deum*] cui patet cor, quem fallere non potes, quia Spir. ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, *Sap.*1. [*Si forte:*] non affirmat, ſed dubitãdo loquitur ne deſperemus.

Verſ.23. *In felle* perfidia, [*obligatione*] *Prov.*5. Funiculis peccatorum ſuorum quiſque cõſtringitur [*video*] quamuis celeste, non es mihi occultus: ſed ideo Sp. ſanctus in columba deſcendit, *Iohann.*1. vt à ſimplicibus ſuſcipi ſe doceret. nam qui amaritudinem ſeruat in corde licet baptizari videatur, non eſt à peccato ſolutus, ſed quaſi ad punctũ purgatus acriore mox dæmone ſeptempliciter opprimitur, *Matth.*12.

Verſ.24. *Precamini*: cauſa deſperationis non audet ipſe precari quia nõ credit ſe exaudiri & Apoſtolus ficte loquitur: [*nihil veniat.*] p̃ſeores plagas timens vult vitare, [*quæ dixiſtis:*] non quæ ego credidi, quaſi infidelis imputat eis quæ ventura ſunt. Sed quare non periit iſte ſtatim ſicut Ananias ſupra quinto: cum plus peccauit quam ille? ſolutio in iſto erant alia ſigna pœnitentiæ, vnde ſi ſtatim puniretur, deſperarent alii, & non curarent pœnitere. Ideo etiam Dominus regnare permittit hypocritas, *Iob.*34. quia in eis videtur eſſe pœnitentia.

Verſ.25. *Et illi*: quarta pars, ſcil. Petrus & Iohannes. [*teſtificati*] ſignis & [*locuti*] ſermonibus, & [*multis:*] non tantum in Samaria.

Verſ.26. *Angelus:* quinta pars, in qua poſt reditũ Apoſtolorum texitur hiſtoria de Philippo. [*Domini:*] ad differentiam angeli Satanæ, qui & ipſe eſt domini, quia ſeruit ei in punitione malorum, ſed bonus ſervit opere & intentione, malus operantum. [*Surge & vade contra meridiem.*] Indicium perfectionis eſt in vtroque: [*ab Hieruſalem.*] metropoli Iudæorum: [*in Gazam*] metropolim Philiſtinorum: Africam dicit Gloſſa Bedæ. Vetus Gaza quondam terminus Chananæorum iuxta Ægyptum funditus eſt deſtructa & loco eius alia ædificata, [*deſcendit*] id eſt, per quam deſcenditur & ex natura loci. [*hæc eſt deſerta*] non via, ſed Gaza.

Verſ.27. *Abiit*, in altero perfectio, in altero obedientia. Myſticè. Ad Meridiem Philippus exit: i. Apoſtoli ad gentes vbi calor fidei. Gaza gentilitas prius à Deo deſerta, ad quam de Hieruſalem via Chriſtus eſt viam ſalutis aperiens & peccati nigredinem vnda Baptiſmi dealbans. Benè etiam in medio inuenitur & abluitur, qui deuotione ardens tanquam primitiæ gentium Domino conſecratur. [*Vir*] ꝓpter virilem animum. [*Æthiops*] natura & merito quia tenebroſos, *Pſal.*67. Æthiopia præueniet manus eius Deo. [*Eunuchus*] typus gentium, q̃ in Chriſto à carnalibus deſideriis circũciduntur: [*potens*] virtute & mentis integritate. tam ſtudioſus, vt nec in via ceſſaret legere, tam religioſus, vt de vltimis mundi partibus ad templũ Domini veniret. [*Candacis*] mos erat illius regionis, à feminis regi, & eas Candaces vocari, ſicut Imperatores Cæſares. [*ſuper omnes theſauros*] officium erat Eunuchorum ſeruare theſauros potentum. Myſticè.

Verſ.28. *Reuertebatur*, antequam Philippo loqueretur. In [*Hieruſalem*] propter vrbis celebritatem & templi famã, quia mos erat gentilium famoſa adire loca cultui deorum dicata. Myſticè. Candaces quæ interpretatur commendata theſaurantium: præmittens Eccleſia eſt gentium fidei & virtutis dona largitura de qua in Pſalmo 44. ſcribitur pro his qui commutabuntur. & alibi: obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Hæc eſt regina quæ venit à finibus terræ Sapientiam Salomonis, *Matth. vigeſimo ſecundo*, & 2. *Paralipom.*9. Myſticè.

Verſ.29. *Spiritus ſanctus:* vel angelus. [*Philippo:*] loquens in corde eius. quaſi enim in corde facit Spiritus Verba, dum quæ agenda ſunt interius nunciat.

Verſ.30. *Iſaiam Prophetam:* [*Rabanus*] vbicunq; in Nouo Teſtamento ſalutis narratur principiũ de Iſaia ſumitur teſtimonium qui interpretatur Domini ſalus. [*& dixit*] Rabanus: ſuas inuicem linguas cognoſcunt, vel per doctrinam Eunuchi vel per ſpiritum Philippi.

Verſ.31. *Quomodo poſſum*, arguit illorum audaciam qui ſine Doctore Sacram Scripturam ſe putant intelligere. [*oſtenderit*] vnde Propheta agat, linguam enim nõ ignorabat qui librum legebat. rogauit in figura Doctorum qui de gentibus aſſumpti ſunt. [*aſcenderet*] in hoc profectus: [*& ſederet*] cum ſedente.

Verſ.32. *Erat*, Domino præparante [*hic*] vel ſtes [*tanquam ouis*] innocens. [*ad victimam*] Iſai. 53. paſſionem crucis, [*ductus*] vt crucifigeretur propria voluntate non reluctans, ſicut nec ouis, *Ierem.*11. [*Agnus*] Dei qui tollit peccata mundi, *Iohann.*1. vel Agnus Paſchalis, quia Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, 1. *Cor.*5. qui non ſolum ſanguine redemit, ſed lana veſtit contra frigus infidelitatis, *Coloſ.*3. Chriſtum induiſtis carne, paſcit caro mea,

mea, verè est cibus, *Iohannis 6.* [*Coram tondente*] Pilato & Iudæis. [*non aperuit*] cum accusaretur à Principibus Sacerdotum nihil respoodit, *Matth.27.*

Vers.33. *In humilitate,* passionis io qua humiliauit se factus obediens, *Phil.2.* [*iudicium*] quia non iudicauit, sed se ininstè iudicari permisit, seditione Iudæorum & voce Pilati damnatus. [*sublatum*] in Barrabam quem iudicauerunt liberandum. *Matthæi vigesimo septimo.* [*Generationem eius*] temporalem, quomodo natus de virgine sine semine; vel æternam ex patre *Iohann.1.* [*de terra*] vt io cælo nō in terra viuat. [*vita eius:*] *1.Cor.15: Secundus homo de cælo cælestis sanctitate segregatus à terrenis.*

Vers. 34. *Respondens:* loco scripturæ si ipse legebat, vel Philippo, si Philippus reuelabat.

Vers. 35. *Aperiens:* Thesaurum scientiæ ut spiritus loquatur in eo, *Psalm.80. Dilata os tuum.* [*os suum*] Gloss. quod oomini suo congruit qui interpretatur os lampadis, quia obscuritatem prophetiæ protulit in lucem scientiæ. vel circumlocutio significat longiorem sermonem. [*scriptura ista*] tanquam ouis, &c. *Isai: 53.* [*Euangelizabat*] soluit quæstionem, quia hoc de Iesu prophetatum est.

Vers. 36. *Quis prohibet?* Fides plena est, aqua prope, baptizator præsens, ad hoc enim prædicatio duxerat vt aqua indigerat qui de baptismo in via audierat.

Vers.37. *Si credis:* non ignorabat eius fidem, sed quærebat apertam confessionem ad exemplū baptizandorum. [*licet*] baptizari. [*esse Iesum*] id est filium hominis.

Vers.38. *Iussit:* Eonuchus vel Philippus. [*descendit*] humiliari debet baptizandus, quia Iordanis descensus interpretatur. Gloss. quæreos interpretem lectionis, Iesum, quem quærebat nesciens innenit. & secundum *Hieronymum plus in deserto fonte Ecclesiæ, quam inaurato Synagogæ templo reperit.* Hic mutauit Æthiops pellem suam, *Ieremi. trigesimo.* ascendit proficiendo.

Vers.39. *De aqua:* quæ est quasi fundamentum. [*rapuit*] Gloss. Hieronymus dicit hoc Angelum fecisse in Spiritu sancto. Glossa Rabani: vel sic secundum aliam literam: Spiritus irruit in Eunuchum: id est, fortiter sicut in Apostolos venit: quia quando fides fortior tanto spiritus impetus maior. Hinc dicunt quidam Philippum fuisse Apostolum, tamen non legitur manum imposuisse nec Spiritum sanctum inuocasse. unde patet Spiritum sponte in primitias gentium descendisse: vt excusationem haberent Apostoli erga Iudæos accusantes quod gentes baptizabant. [*non vidit:*] qa perfectus factus noo indigebat amplius doctrina: Spiritus enim sanctus docet omnia: *Iohan.16.* [*ibat, &c.*] ad terram suam, vel ad regnum cælorum.

Vers.40. *In Azotum:* vna de 5. ciuitatibus Philistinorum. [*cunctis*] non discernens personas. [*Cæsaream*] Palestinæ, vbi domum habuisse dicitur: Infra vigesimo primo, quæ vsq; hodie demonstratur, & cubiculum quatuor filiarum eius virginum prophetaotium.

* * *

Cap. IX.

SAulus adhuc spirans, &c. Hoc capitulum diuiditur in duas partes. In prima agitur de actibus Sauli. In secunda de actibus Petri, ibi: [*factum est autem vt Petrus.*] Prima autem pars diuiditur in sex. In prima agitur qoomodo petiit epistolas ad captiuandum & persequendum Christianos. In secunda de coouersione eius, ibi: [*subito circumfulsit.*] In tertia de eius prædicatione, ibi: [*& continuo.*] In quarta de euasione insidiarum in Damasco, ibi: [*cum autem implerentur.*] In quinta quomodo iunxit se Apostolis, ibi: [*cum autem venisset.*] In sexta de euasione secundarum insidiarum in Hierusalem, ibi: [*illi autem quærebant &c.*]

Vers. 1. *Adhuc Spirans:* nondum desistens, & continuatur ei quod supradictum est, [*Saulus deuastabat Ecclesiam:*] [*minarum*] in verbis. [*cædis*] in opere. vel minis terrens absentes, cæde afficiens præsentes. dubitatur tamen utrum occideret. vel flagellaret, vel vtrumque. [*Spirans*] ad modum ignis, ooo ab aliis incitatus: sed ipse alios accendebat. [*in discipulos:*] ita vocabaotur tunc Christiani.

Vers.2. *Accessit:* noo vocatus sed sponte. Zelo enim comitante petiit, non expectans vt iniungeretur ei. [*Damascum*] Syriæ ciuitatem remotam, quia in proximis iam exercuerat persecutionem. [*si quos*] quia pauci erant. [*huius vitæ:*] quam viuebant discipuli. [*perduceret:*] non dicit occideret. [*contingit:*] hoc verbum de bonis dicitur.

Vers.3. *Appropinquaret:* antequam perueniret ꝓhibendus erat. [*Subito:*] nescit tarda molimina Spiritus S. gratia. secunda pars, de conuersione & modo eius. [*circumfulsit*] vt terreretur [*lux*] Gloss. vt prius Apostolis ignis supra secundo, ita Paulo lux fulsit. & potest dici quod fulsit lux solis quæ subito illuminauit aërem sine præparatione alia, & fuit quasi coruscatio, & tunc illuminatio fuit miraculosa, sed visio naturalis, sicut in cæco illuminato naturalis, sed visio miraculosa. vel claritas angeli ad eum missi.

Vers. 4. *Cadens:* territus, vel quia adorans in faciem cadit. [*audiuit*] prius terretur visu post auditu. [*Saule*] nomen dicit vt sciat se non igootum Deo. [*Quid?*] increpādo non nesciendo interrogat. [*me:*] in membris in quibus adbuc patitur & beneficia recipit, *Matth.25. quod vni horum &c.*

Vers.5. *Quis es,* angelus an Deus? [*Domine:*] Deū legis q̄rebat, Dn̄m nesciēs qui de cælo vocem dabat. [*Ego sum*] Deus de cælo loquens, quē mortuū putabas sensu Iudaico: [*Iesus Nazarenus.*] non Deum se dicit, vel Dei filium, sed nomen humilitatis quasi exemplo inuitans ad superbiam deponendam. [*persequeris*] vt hominem. [*stimulos:*] verba & potentiam meam. *Eccles. in fine.* verba sapientum quasi stimuli.

Vers.6. *Tremens,* præ fulgore. [*stupens:*] quia non putabat Iesum in cęlo esse. vel ꝓpter vocem q̄ fuit cum stupore? [*quid me?*] indica voluntatem tuā & obediam. Intellexit n. q̄ stimolus orgebat ad op⁹.

Verſ.7. *Surge*: non ſtatim quæ facienda ſunt monſtrat, ſed in ciuitatem mittit, ut tanto poſt ſolidius ſtaret, quanto funditus euerſus ab errore priſtino excid ſſet. [*Ingredere ciuitatem*] antequam intret terretur, ne ſanctis inferet triſtitiam: tertius iubetur ingredi, ut fidem diſcat quam impugnauerat. [*dicetur tibi*] exemplũ diſcendi datur, ut nullus alium indignum exiſtimet à quo doceatur quod ignoret. [*oportet facere*] quaſi impiger operare, ut bos, & eſto Doctor Eccleſiæ. Sciens ſcriptum eſſe, non obligabis os boui trituranti, *Deuteronom. vigeſimo quinto.* [*ſtabant*] non crediderunt: [*ſtupefacti*] lumine claritatis. [*neminem*] faciem loquentis non videbant: audientes vocem: Pauli non Chriſti ſicut dicitur infra vigeſimo ſecundo.

Verſ.8. *Apertis oculis*, oſtenditur ei in corpore ꝙ patiebatur in anima. Sicut enim apertos oculus ſine viſu ſic lex inutilis ſine fide Chriſti, *Num.* 24. ꝗ cadit apertos habet oculos. [*nihil videns*] quia benè videre non poſſet niſi prius cæcatus, ſapientia qua turbab.t excluſa, fidei ſe cõmitteret. [*ad manus*] manus eius manibus tenentes.

Verſ.9. *Tribus diebus*: quia non credebat Deum tertia die reſurgendo mortem viciſſe: [*non videns*] ut ſciat ꝗ optimum ſit animæ à cæcitate liberari. [*non manducans*] hoc animæ ſuæ acciderat, q̃ cibũ interiorem nõ habebat. Docet ergo corporis inedia animam indigẽtem oportere ſatiari. Raban⁹. pænitentibus forma datur ut à triduo incipiant. Gloſſ. apparet quod triduum quo cæcatus lucem gratiæ expectabat non torpens, ſed illuſtratus à Deo cæleſtia rimabatur: & eſt credibile ꝙ tũc Euangelium didicerit quod ſe non accepiſſe ab homine gloriatur *Gal.* 1. Et nota in eius conuerſione

Moraliter. quinque moraliter in quolibet peccatore: primò illuminatur: deinde cadit & humiliatur: tertiò arguitur: quartò cogitat à quo arguitur, quia quãdoque angelus Satanę transfert ſe in angelũ lucis. 2. *Cor.* 11. quintò cũ videre licet quod à bono arguitur, debet eſſe paratus ad omnia, & tunc unctio docet eum quid oportet facere.

Verſ.10. *Diſcipulus* Chriſti, ſcilicet Chriſtianus. [*Ananias*] Gloſſ. meritò vocatur gratia Dei cui à Deo data eſt illuminatio Pauli. [*Anania*] familiaritatis eſt indicium vocare ex nomine. [*Ecce ego*] confitetur ſe ſeruum & obedire paratum.

Verſ.11. *Surge vade*, quaſi, ſtatim ut ſurrexeris vade. [*in vicum*] Gloſſ. vici dicuntur agri aut extra ciuitatem aut intra ſibi proximi. [*Iudæ*] proprium nomen hoſpitis: vel in tribu Iuda. id eſt, inter Iudæos qui in vno ſimul habitabant vico. [*Tharſenſem*] de Tharſo Ciliciæ. infra 22. unde cũ parentibus migrauerat [*orat*] mitem eum feci iam nulli timendum: ſed amplectendus eſt ut frater, quia mala quæ ſanctis intulit paratus eſt ſuſtinere cum ſanctis.

Verſ.12. *Ananiam nomine*, In viſu alter oſtenditur alteri & nomen indicatur, ut prius ſint ſibi inuicem noti quàm ſe videant. *viſum*] interiorem & exteriorem.

Verſ.13. *Audiui* onis lupum timet. [*in Hieruſalẽ*] & ideo in aliis locis timendus eſt.

Verſ.14. *Habet poteſtatem*, quia voluntas non deeſt: [*alligandi*] non occidendi.

Verſ.15. *Vas electionis*: probandus multis tribulationibus, vel integer carne. *Ierem. decimo octauo: Conuerſus fecit vas alterum ſicut placuerat, &c.* [*portare nomen*] cuius inuocatores alligare venit.

Verſ.16. *Oſtendam*. nõ tu eum docebis ſed baptizabis. [*oportet eum pati*] ut in tentationibus ꝓbetur electum vas. *Eccl.* 27. *Vaſa figuli probantur fornace &c.*

Verſ.17. *Introiuit*, ad Saulum. [*imponens*] ut catechumenis fieri ſolet. [*Dominus Ieſus*] cui dixiſti Domine quid me vis facere: [*qui apparuit*] ſignũ dicit ut ſciat ſe à Domino eſſe miſſũ. [*videas*] utroquẽ modo. [*implearis*] in baptiſmo.

Verſ.18. *Confeſtim*: ne putetur caſu factũ: [*ſquamæ*] in ſignum interioris viſus renouati, depoſito legis velamine, 2. *Cor.* 3. Serpens ſquamas haber. & Iudæi dicuntur *genimina viperarum, Luc.* 3. quorũ perfidiam ſecutus perdiderat viſum cordis.

Verſ.19. *Cibum*: duplicem. [*fuit autem*] *Iſai.* 9. *habitabit Lupus cum agno*: Saulus cum Anania.

Verſ.20. *Et continuo*: tertia pars. [*prædicabat*] Ieſum eſſe hominem & Deum.

Verſ.21. *Omnes*: Infideles myſterium ignorãtes. [*nomen illud*] Ieſu quod modo prædicat. [*ad hoc*:] tantam diligentiã adhibuit perſecutioni. [*& huc*] non ad hoc quod facit.

Verſ.22. *Saulus autem*: tale exordium habuit vaſis probatio. [*affirmans*] Rabanus. Exemplum dat non erubeſcendi mutare ſententias ſuas ubi patet veritas, *Iſai. quadrageſimo: Mutabunt fortitudinem, hæc mutatio dextræ excelſi.* [*Hic*] Ieſus homo. [*eſt Chriſtus*] Deus.

Verſ.23. *Cum autem implerentur*, à baptiſmo Pauli quarta pars. [*concilium*] vel conſilium. [*fecerunt*] vtrum in Damaſco dubitatur: ſed tamen magis videtur ibi factum eſſe.

Verſ.24. *Nota*, aut per indicium hominum, aut per Spiritum S. non tantum conſilium fecerunt, ſed etiam [*cuſtodiebant*] non ipſi Iudæi, ſed ciues cũ Areta rege ſuo, 2. *Cor.* 12. Iudæis enim concordabant gentiles in perſecutione Chriſtianorum, vel Iudæi [*cuſtodiebant*,] miniſterio non auctoritate propria vel ſuggeſtione.

Verſ.25. *Diſcipuli eius*, In Græco non eſt eius, ut intelligatur Chriſti vel Eccleſiæ generaliter, quia nondum Paulus habebat diſcipulos. [*per murum*] Gregorius. In morem militis fecit qui obſeſſus in anguſto in latitudinem exit ut plures occidat. Nõ enim timore mortis fugit, qui pluribus acquiſitis poſtmodum ꝓ Chriſto mortuus eſt, *Philip.* 1. *Mihi viuere Chriſtus eſt & mori lucrum.* [*ſubmittentes*] de ſummo deorſũm. Moraliter. Inſidiæ Iudæorum Moraliter.
laquei diaboli. Damaſcus. i. ſanguinem bibẽs aduerſitas ſeculi. Sporta de palmis & iuncis, fidei & ſpei cõiunctio. Iuncus enim fidei viriditas, palma ſpes æternitatis.

Verſ.26. *Cum autem veniſſet*: quinta pars non ſ[illegible] citò baptizatus eſt venit Hieruſalem, ſed abiit in Arabiam & iterum reuerſus eſt Damaſcum, &c. *Gal.* 1. Vtrũ autem prima vel ſecunda vice inſidias pertulerit non facilè patet, quia & ſecunda poteſt intelligi ex eo quod dictum eſt, cum implerentur multi dies. &c. [*tentabat*] hoc quod dicitur *Gal.* 1. eram ignotus facie Eccleſiæ &c.

Verſ.27. *Barnabas*: Leuites Cyprius, qui agrum vẽdidit. ſupra quarto. [*narrauit*] Barnabas de Paulo vel Paulus de ſeipſo. [*ad Apoſtolos*] Petrum & Iacobum, *Gal.* 1. *In nomine Ieſu.* & prædicauit in Damaſco.

Verſ.28.

Verſ.28. *Intrans & exiens* diebus q̃ndecim, quibus cum Petro moratus & Iacobo *Gal.1.* q̃ autem ſequitur veni in partes Syriæ & Ciciliæ: hic dicitur.

Verſ.29. *Diſputabat cum Græcis*: ſcil. Iudæis qui in diſperſione nati ſunt inter Græcos. Beda. Græcos in Hieruſalē, Iudæos docuit in Damaſco, q̃a in ciuitate Dei gentiles erant adunandi, & Iudæi in pfidia gentium permanſuri.

Verſ.30. *Deduxerunt*: ipſe non timuit ſed fratribus conſenſit. [*Cæſaream*] Paleſtinæ: [*Tharſum*] ciuitatem Ciliciæ ad amicos Eccleſiæ: *Matth.10. Fugite in aliam.*

Verſ.31. *Per totam Iudæam*: non tantum in Hieruſalem. [*& Samariam*] ſupra primo: *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem*: [*Eccleſia quidem*] talia ſæpè inſeruntur ad commendationem Apoſtolorum & fidei vt ſupra. [*pacem*] in ſeipſa. [*ædificabatur*] in vnum Dei Templum, *1. Cor.3.* [*Ambulans*:] creſcēdo & pficiendo per gradus timoris: quaſi & merito & in numero. [*conſolatione*] quæ in labore daſ, vnde patet q̃ tunc Eccleſia tentabatur. [*Spiritus*:] qui eſt paracletus.

Verſ.32. *Factum eſt autem &c.* ſecunda pars principalis de actibus Petri quæ habet duas partes. In prima agitur de curatione paralytici. In ſecunda de ſuſcitatione Tabithæ, ibi: *in Ioppe autem &c.* [*tranſiret*] diſcurrens prædicando.

Verſ.33. *Annis octo*: non nouem, ut virtus ſit glorioſior. Contrà: quantò diutiùs tanto maius miraculum fuiſſet. Solutio. Octauo die ſecundū naturam non eſt curatio infirmitatis: unde videtur eſſe contra naturam. Nonus autem dies tertius eſt ſecundum naturam. vel Myſticè Octo ſunt bis quatuor, ſcilicet partes mundi & tempora anni: uterque autem ſcilicet mundus & annus volubilis eſt. Difficile igitur eſt bis quaternariis inuolutum curari. [*grabatum*] ſegnities in qua quieſcit animus æger voluptate carnis & delectatione ſeculi, vel aliter corrige Gloſſam, quæ dicit non *nouem* pro nouiter, ut virtus ſit glorioſior, & eſt planum.

Obiectio. Solutio.

Myſticè.

Verſ.34. *Æneas*: interpretatur frater. [*Ieſus*:] non ego. Domini quærit gloriam non ſuam. [*ſterne*] non alius ſternat. [*ſurrexit*] *Iſai.35. Tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus.*

Verſ.35. *Omnes*: totum pro parte. [*conuerſi*] cum prius eſſent auerſi. [*ſurge & ſterne*] ut qui fidem corde præceperat, opera patet in quibus quieſcat.

Verſ. 36. *In Ioppe.* Secunda pars. [*Dorcas*] licet Gloſſa dicat quod eſt Latinum quia notum apud Latinos, tamen Græcum eſt, & interpretatur damula vel caprea, *quæ ab acumine viſus, *Leuit.11.* dorcades Græcè, dicuntur munda animalia in rupibus morantia. Hi ſunt meritis excelſi, ſupernis intenti, in operibus circumſpecti, licet mundo cōtemptibiles, diſcreti, & in lege Dei ruminantes. [*plena operibus*] nihil habens imperfectum. [*quas faciebat*] non accipiens perſonas.

**Glo. legit ſic: Hæc animalia morantia in montibus acutè vident unde acumine viſus dorcades græcè vocātur.*

Verſ.37. *In diebus illis*: quibus Petrus venit Liddam. [*infirmata*] non fuit mors ſubita. [*lauiſſent.*] quidam libri habent *vnguentis*. [*in cænaculo*:] pptex ſublimitatem miraculi futuri.

Verſ.38. *Duos*: ſicut Dominus binos miſit. *Luc.10.* quibus creditur in teſtimonio, *Deut.19.* [*viros*] ſexū prudentiorē. [*ne pigriteris*] cauſam non exprimunt ne venire recuſet propter humilitatem.

Verſ.39. *Exſurgens* impiger & humilis. [*venit*] nulla excuſatione vſus. [*viduæ*] ſanctæ pro ſancta ſanctum rogant. [*Flentes*] miſeriæ ſuæ miſericordem, coram eo qui erat miſericors; ideo compatitur. [*oſtendentes*] non tantum ſuis vocibus pro defuncta ſed ipſius allegant opera, quia eleemoſyna liberat non tantum à ſecunda morte: *Apoc.21.* ſed etiam à prima: *Tobit.4. Eccleſiaſt. 29. Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa exorabit, &c.*

Verſ.40. *Orauit*: ut ſeruus, & Ieſus exaudiuit ut Domin'. [*Surge*] in nomine Ieſu Chriſti, nō meo. [*at illa*] facta oratione: [*reſedit*] ex viſione Petri.

Verſ.41. *Manum*: auxilium, vel boni operis exēplum. [*cum vocaſſet ſanctos*:] qui non fuerunt præſentes in ſuſcitatione. Sed ad vitandam elationē exemplo uſus eſt Chriſti, archiſynagogi filiam ſuſcitantis in ſecreto *Matt.9.* vel ne indigni ſignū viderent.

Verſ. 42. *Crediderunt*: hæc erat præcipua cauſa virtutum.

Verſ.43. *Coriariū*, à coriis, vel curiatium à curia. Moraliter. Anima in peccatis mortua operibus miſericordiæ ſanctorum orationibus & exemplis adiuta ad vitam redit, ita ut recepto lumine circumſpectionis amiſſo, ad doctrinam eorum qui adiuuant, viuat.

Cap. X.

Vir autem quidam &c. Hoc capitulum diuiditur in quatuor partes. In prima dicit̃ quomodo Cornelius iuſſus ab Angelo miſit ad Petrum. In 2 de aduentu Petri ad Cornelium, ibi: [*loquente aūt*] In 3. de pdicatione Petri. ibi: [*aperiens &c.*] In 4. de miſſione Sp.S. in Cornelium & ſuos, ibi: [*adhuc loquente.*] Item prima pars habet 5. particulas. In 1. cōmendatur Cornelius, & iubetur ab Angelo acceſſere Petrum. In 2. mittit nuncios, ibi: [*& cū diſceſſiſſet.* In 3. Petrus videt viſionem orans in cœnaculo, ibi poſtera autem die. In 4. veniunt nuncii ad Petrum & iubetur à ſpiritu venire cum eis, ibi: [*ecce viri.*] In 5. deſcendit Petrus & loquitur nunciis, ibi: deſcendit.

Verſ.1. *Vir*, perfectione & virili opere, ſicut *Iob:1. Vir erat in terra Hus.* [*In Cæſarea*:] à Cæſare dicta, in cuius honore fuit ædificata, à Philippo Tetrarcha. [*Centurio*] princeps perfecti numeri habens ſub ſe centum. [*cohortis*] militum Romanorum. [*Italica*] miſſa à Roma quæ eſt in Italia.

Verſ.2. *Religioſus*: ſupra gradum timoris. [*timens Deum*] infra gradum religionis. [*familia*] domus ſuæ quæ erat religioſa & timorata, *Eccl.10. in fine. Qualis rector ciuitatis, &c.* [*plebi*] ſine acceptione perſonarum.

Verſ.3. [*Semper*:] *ſine intermiſſione orate. 1. Theſſ. in fine.* Rabanus. *Hæc omnia bono naturæ, familiaritate Iudæorum, & ſpirituali inſpiratione ei collata creduntur: plus tamen inſpiratione, vt Eccleſia gentium primitiua ſicut Maria virgo ſine viri ſemine, i. doctrina magiſtri concepiſſe de ſpiritu credatur.* [*manifeſtè*] non nocte nec in ſomnio, quia gentiles, ſpirituales & myſticas viſiones videre non conſueuerant. [*nona hora.*] in quo ſignificatur myſterium Dei ſine figura gen-

tibus manifeſtandum nona hora. *Beda. Oraculum baptiſmi competenter accepit nona hora quia in morte illius baptizandus erat (Rom. 6.)* qui nona tradidit ſpiritum, *Matth.* 27. Hæc etiam hora dedicatur orationi, ſicut in Petri & Iohânis exemplo, ſupra tertio. Hac hora veniunt georgi operari in vinea Domini *Matth.* 20. [*Angelum Dei*] nô Satanæ: in quo excuſatur Apoſtoli gentibus prædicantes contra voluntatem Iudæorū. Quomodo n. celaretur ab homine quod manifeſtatur ab angelo.

Quæſtio. Sed quæritur quomodo potuit videre maieſtatem non in figura hominis, ut antiqui patres, quod eſt contra naturam hominis mortalis. *Reſponſio.* Reſponſ. Potuit fulgor ille angelicus mitigari, & natura humana potuit à Domino confortari, Gloſſa etiam dicit quod bona opera & eleemoſynæ fulgorem angelicū temperauerunt. [*Cornelii*] familiaritas oſtenditur cùm nomen gentilis notitiæ angelorum inſeritur.

Verſ. 4. *Timore*, quia homo inferior angelo, dicit Gloſſ. [*correptus*] non tamen in faciem cecidit. [*quis es?*] ad quid veniſti? [*aſcenderunt*] de valle gentilitatis, cuius obliuiſcitur Deus. [*in memoriam*] ut retribuatur tibi in cælo.

Verſ. 5. *Et nunc*, ne differas. [*mitte*] Ipſe nô mittitur quia tota eius familia baptizāda erat. [*viros*] ſexum principalem. [*in Ioppen*] ciuitas eſt terræ ꝓmiſſionis mari Tyrrheno proxima in ipſius orientali littore ſita: ubi Ionas primò nauem intrauit ut fugeret. [*arcerſi*] ex hoc patet quòd eleemoſynis & orationibus quæ dicuntur exauditi, plenam ſalutis ſuæ notitiam quærebat, quòd Doctor ſalutis vocari iubetur. Innuitur quoque, ut dicit Gloſſa, quòd non operibus ad fidem, ſed fide venit ad opera. Si enim non crederet, quem oraret? vel quomodo audiret Deus ſi profectum boni ab ipſo non peteret? ſciebat quidem Deum Creatorem omnium ſed ignorabat filium incarnatum, quem bonis operibus cognoſcere meruit. Fide ergo venit ad opera, in qua ſolidatur per opera [*quendā*] hactenus tibi ignotum. [*Petrus*] ad differentiam coriarii hoſpitia ei*.

Verſ. 6. *Coriarium*, ad differentiam Petri. [*Mare*] Tyrrhenum.

Moraliter. Moraliter. Doctor Eccleſiæ libenter habitat cum obediente qui caſtigat corpus ſuum & in ſeruitutem redigit 1 *Cor.* 9. & fluxam mundi gloriam terroreſque contemnit.

Verſ. 7. *Et cum diſceſſiſſet.* Secunda particula: non dicit cùm euigilaſſet, quia non in ecſtaſi, ſed manifeſtè vidit, ut dictum eſt. [*vocauit*] non diſtulit obedire. [*duos*] ampliorem mittit numerum & teſtes idoneos. [*militem metuentem*] non dicit domeſticos metuentes quia iam dixit eum religioſum & timentem Deum cum omni domo ſua. [*ex his*] centum ſibi ſubditis.

Myſticè. Verſ. 8. *Omnia*: quæ ſibi angelus dixerat. Myſticè. Tres mittit, quia credens gentilitas Apoſtolicę fidei tres mundi partes ſubegit, partim militiâ ꝓdicationis, de qua: *Nemo militans Deo &c.* 1. *Tim.* 2. partim domeſticis negociis occupando. Vnus eſt miles, duo domeſtici, quia plures ſunt auditores quam prædicatores, qui quantò fortiores tantò ſunt in membris Eccleſiæ pauciores, *Iſai. trigeſimo-tertio, Vbi eſt literatus? vbi legis verba ponderans?*

Verſ. 9. *Poſtera die*, poſt viſionem Cornelii. Tertia particula de viſione Petri. [*appropinquantibus*] quidam libri habent, [*apparentibus*] quaſi tam propè exiſtentibus ut videri poſſent de domo Simonis. [*ciuitati*] Ioppe. [*aſcendit*:] ſuperna viſurus myſteria, quaſi obuiam pergit viſioni. [*hora ſexta*:] exemplum datur orandi horâ illâ.

Verſ. 10. *Eſuriens*, Ieiunii ſimul & orationis exēplum. [*parantibus*] prandium [*illis*] miniſtris. [*cecidit*] de ſurſum à Deo vel à cælo: [*apertum*] non reſeratione elementi ſed reuelatione ſpirituali. [*initiis*] angulis. [*quadrupedia*] animalium genera. [*commune*] apud gẽtes. [*immundum*] apud Iudæos quod non findit ungulam nec ruminat, *Leuit.* 11. [*purificauit*] dicens occide & manduca. [*per ter*:] pro cōmendanda veritate viſionis.

Myſticè. [*In ſuperiora*] ſignificatur Eccleſia relicta terrena cupiditate conuerſationem in cælo habitura, *Philippenſ.* 3. Gentilis enim populus ſuperior domus, Synagoga inferior, quia terræ immerſa. [*eſuriebat*] ſalutem gentium, quæ ſexta ætate facta eſt. [*eſuriens*] corpore, reficit mente, & ſalute gentium paſcitur, quas conuertere iubet. [*exceſſus*] eleuatio à terrenis. *Myſticè.*

Verſ. 11. *Apertio celi*, reuelatio ſacramentorum cito futura gentibus. [*vas*] corpus Chriſti quaſi [*linteum*] quia ſine ſemine conceptum candorem caſtitatis cuſtodiuit. [*magnum*] propter Deitatis conſortium. vel [*linteum*;] quia moriturum. [*magnum*:] quia reſurrexit. [*quatuor initia*:] Euangelia de ipſo ſcripta. vel [*vas & linteum*] Eccleſia incorruptibili veritate prædita, quam tinea hæreſis vel vitiorum peſtis non conſumit ſicut alias veſtes, habens candorem ſanctitatis & mortificationem carnis, cuius incorruptibilis ſubtilitas ſignificatur in tunica inconſutili quæ non eſt diuiſa. *Iohann.* 19 [*quatuor initia*] quatuor partes orbis in quibus quatuor Euangelia prędicantur. [*de celo*] inde monemur ut ubi caput noſtrum eſt & radix cuius rami ſumus, illuc penetret anchora ſpei noſtræ: vel quia gratiâ ſubuenientis ſpiritus conſeruatur Eccleſia & augetur.

Verſ. 12. *Omnia quadrupedia*, omnes gentes credituræ & in unitatem corporis Eccleſiæ aſſumendæ, cuius Petrus Princeps. [*quadrupedia*] hærentes terrenis. [*ſerpentes*] virulenti & doloſi. [*volatilia*] ſuperbi, de quibus: Homo cū in honore eſſet non intellexit *Pſa* 48. & iterum: facies peccatorum ſumitis *Pſ.* 81. unum autem incorruptum oſtendit *Eccl. in fine.* Deum time hoc eſt omnis, i. veri* homo. [*ſurge ad Euangelizandum*] *Marc. in fine. Ite docete omnes gentes.*

Verſ. 13. *Occide*, in gentibus, quod ſunt, & fac q̄ es. [*& manduca*] Eccleſiæ incorpora, quaſi mortifica ut hoſtiam Deo facias, ut de vetuſtate in nouitatem tranſeant.

Verſ. 14. *Abſit*, ſignificat faſtidium Iudæorum contra gentes futurum, & metum prædicandi gẽtibus, ꝓpter ſcandalum Iudæorum & imūnditiam incredulitatis gentium.

Verſ. 15. *Secundo*, prius in Veteri poſt in Nouo Teſtamento præcipitur ſalus prædicari gentibus. [*purificauit*] per crucē Chriſti purificandi ſaluandi de gentibus.

Verſ. 16. *Per ter*: pro fide Trinitatis in quo baptizandæ ſunt gentes, quam & baptizandi confitentur interrogati: [*credis in Deū, &c.*] Petrus quoque quia tertiò negauit, *Matth.* 27. trina confeſſione correxit. *Iohann. in fine.* [*receptum eſt in celum*]

uelum] corpus Christi in ascensione rediens unde descendit, & ecclesia in fine asendet quando cōgregabuntur electi à quatuor plagis, *Matth. vigesimo quarto*. Hæc Petro congruè ostenduntur dum Cornelius ad eum mitit, qui erat de animalibus ei ostensis, ideò ne trepidet ad faciendum spiritu roboratur.

Vers. 17. *Ecce viri*: quasi ad reserationem occulti mysterii. quarta particula.

Vers. 19. *Dixit*, in mente, non in aure carnis: vel angelus quem viderat Cornelius. [*viri tres*] numerus testium & principalis sexus in figura horū trium. tertio ostensa est visio.

Vers. 20. *Descende*, explanat quod dictum erat: surge occide & manduca. [*nihil dubitans*] ad hoc respondet q̄ dixerat: *absit Domine*. [*misi*] ꝓpter hoc dictum est, quòd Deus purificauit.

Vers. 21. *Descendens*, quinta pars: quia spiritus dixerat, *descende*, non expectat nuncium ab eis mittendum. [*quem quæritis*] ostendit se scire aduentum eorum. Humilitatis etiam dat exemplum dimittens circuitum verborum. [*quæ est causa*] Beda: *Spiritus adesse illos dixit & qua causa venerant tacuit, quia ad conseruandam humilitatem aliquando prophetiæ spiritus ex parte animum tangit ex parte non.* Huic videtur obuiare Interlinearis, q̄ dicit non quod ignoret interrogat, sed ut confiteantur & iactantiæ vitandæ relinquat exemplum. Solutio. Nec omnino ignorabat, nec pro certò sciebat nisi per quasdam coniecturas.

Obiectio. Solutio.

Vers. 22. *Iudæorum*: scil. vestra quia tu Iudæus es, quod dicit ad persuadēdum. [*responsum*] eleemosynis & orationibus. [*ab Angelo*] per quem respondet Dominus. [*sancto*] non spiritu imūndo. [*audire*] obedire iubenti.

Vers. 23. *Introducens*, hic incipit cōmunio Apostolorum cum gentibus quia descenderat ad eos audiens præceptum ab Angelo ut intraret domū gentilis: ideo gentiles hospitio recepit. [*Sequenti autem die*.] Secunda pars principalis quæ habet quatuor partes. In prima venit Petrus cum nunciis. In 2. occurrit ei Cornelius, ibi: [*& factum est*.] In 3. adorat Petrum & leuatur ab eo, ibi: [*& procidens*.] In quarta quærit Petrus ad quid vocatus sit: & respondet Cornelius, ibi: [*Interrogo*.] [*Sequenti*] quia nocte illa manserunt, ibi.

Vers. 24. *Altera*, quia nocte una fuerunt in via: [*expectabat*] desiderium & diligentiam eius notat. [*cognatis*] duplex causa vocationis, cognatio & amicitia. [*& necessariis*] amici inseparabiles qui nec in necessitate discedunt.

Vers. 25. *Introisset* Cæsaream. [*obuius*] 2. pars: obedire paratus. [*Procidit*] 3. pars. gestu corporis ostēdit deuotionem mentis. [*ad pedes*] secundum morem orandi. [*adorauit*] ut Deum, quod fuit imperitia non nequitia.

Vers. 26. *Eleuauit*, non enim angelus eum Deum docuit, sed Doctorem demonstrauit: sicut de Saulo dictum est supra 9. [*& ego*] ut tu. [*homo*] verus, non Deus.

Vers. 27. *Loquens*, supradictum sermonem, i. surge &c. vel si aliud locutus est breuitatis causa tacetur. [*multos*] quos vocauerat.

Mysticè. Mysticè. Deuotus auditor occurrit Doctori. Qui autem tarde credit, quasi à Doctore iacens inuenitur, sed à præceptore erigitur si humilitatis & pudoris ꝓferi iudicia.

Vers. 28. *Vos scitis*, interrogatio est vel affirmatio. [*ostendit*] in vase. [*Deus*] ut non dubitem. [*neminem*] intellexit Petrus hoc de omnibus gentib⁹ dictum esse. [*cōmunem*] quia nullus homo discernendus est, dicit Glossa.

Vers. 29. *Veni absque dubitatione*, Glossa: cōmunionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, sicut in Ananiæ & Sapphiræ culpâ zelus ultionis* vim aperuit potestatis. supra quarto. [*Interrogo*] quarta pars. non propter ignorantiam, sed propter eorum confessionem. * im: Gloss.

Vers. 30. *Quartana die*, prima die vidit angelum & misit nuncios. Secunda, nuncii ꝑuenerunt Ioppen. Tertia, ꝑfectus est cum eis. Quarta venerunt Cæsaream. Beda dicit quod in quibusdam libris in Græco dicitur, [*eram ieiunans & orans à sexta usque ad nonam*] Glossa. Instantia ieiunii & orationis meruit exaudiri illa præcipuè hora qua Christus orauit expansis in cruce manibus, *Lucæ 23*.

Vers. 31. *Ecce vir*, semper in forma viri apparent angeli propter excellentiam sexus: & dicitur vir quia aliqua lineamenta corporis habuit, licet supra dicatur quod vidit manifestè. [*stetit*] stare angeli est non cadere. [*candida*] quia nunciabat prospera.

Vers. 33. *Benefecisti*, Sicut & ego ad te mittendo. *nunc* [*ergo*] quia bene fecisti, veniendo non malè ut Iudæi putabāt. [*adsum*] ego & amici mei. Rabanus. In Græco dicitur in conspectu Dei adsumus. q̄ dicit rectè qui Deo paratus est obedire, credens eum ubiq; præsentem esse. [*audire*] obedire. [*omnia*] nihil addemus [*quæcunq;*] nihil dimittemus. [*à Domino*] doctus à Petro: iam non putat eū Deum sed Dei Apostolum.

Vers. 34. *Aperiens*, Tertia pars principalis, habet duas partes. In prima dicitur Deus non acceptor personarum ratione recreationis & creationis hominis. In secunda percurrit articulos fidei, ibi: [*vos scitis*.] [*Aperiens*] qui quasi clauso ore patienter audierat. [*In veritate*] non tantum in visione sed manifestis signis narrante Cornelio q̄ sibi acciderat.

Vers. 35. *Non est personarum*, non discernit inter gentiles & Iudæos. [*in omni*] tam gentili quam Iudæa. [*qui timet*] ut tu. [*est operatur*] eleemosynas, orationes, ieiunia. [*acceptus est*] sicut & tu acceptauit.

Vers. 36. *Verbum misit*, i. filium incarnari fecit, vel verbum Euangelii. [*filiis Israel*] *Matth. 15. Non sum missus nisi ad oues &c. Isai. 9. Verbum misit Dominus in Iacob & cecidit in Israel.* [*annuncians*] per verbum suum. [*per Iesum Christum*] non per alium, qui est verbum caro factum, *Iohan. 1*. [*pacem*] reconciliationis, & hoc non solum Iudæis, sed & gentibus spiritualibus filiis Israel. [*hic est*] Iesus, [*omniū*] nō unius gentis tantum. [*Deus*] Creator scilicet:

Vers. 37. *Vos scitis*, secunda pars. in qua breuiter percurrit omnes articulos qui in Symbolo continentur. [*verbum*] prædicationem Euangelii. Benè enim audierant de hoc loqui. [*Iudæam*] quia alibi non prędicauerat Iesus. [*incipiens*] supple, fuit post baptismum, *Matth. 4. Exinde cœpit Iesus prædicare.* [*à Galilæa*] hoc est quod dicitur paulò post: circuibat Iesus totam Galilæam. [*Iohannes*] Baptista.

Vers. 38. *Iesum*, sic construe: scitis Iesum, ut prædicauit Iohannes Iesum à Nazareth. [*quomodo unxit eum &c.*] ut verbum (quomodo) determinet

verbum [*scitis*] vel hoc prædicauit Iohânes, quomodo vnxit eum. *Iohann.1. Vidi Spiritum descendentem super eum & Marc.1. Ipse vos baptizabit Spiritu S. & igni.* & sic verbum [*quomodo*] determinat verbum [*prædicauit.*] Alia litera, sicut unxit eũ Deus, [*& planior est*] non oleo visibili, sed dono gratiæ: significãdo per oleum quomodo unguntur baptizati. [*virtute*] signorum, *Isai. 61. vers. prim. Spiritus Domini super me eo quod vnxit me.* & statim sequitur de virtute Euangelii: *pauperibus misit me vt mederer, &c.* Et nota quod secundum Bedam non debet intelligi unctus spiritu tunc quando descendit super eum in Baptismo. *Matth.3.* Hoc enim fuit figura quòd Spir.S. datur in baptismo. Sed unctione inuisibili unctus est quando verbũ caro factum est: *i.* humana natura verbo Dei in utero virginis copulata facta est cum eo una persona. Ideo confitemur eum natum de Spiritu S. & virgine Maria. Melius est enim sic intelligere, quam diuinitatem filii cum homine quem assumpsit cohabitantem significare, ne Christi personam geminemus sicut Nestorius. [*pertransiit.*] non habens ubi caput reclinaret, *Matth.8.* impiger humilis. [*benefaciendo*] mores instruendo verbo & exemplo quia cœpit facere & docere. Supra primo. [*sanando*] per signa [*omnes*] non paucos vel plures. [*oppressos*] corporali vexatione, q̃ semp permittit diabolus inferre: vel quia maligno spiritu vexabantur. *Matth 11. Venite ad me omnes qui laboratis, &c.* [*cum illo*] Pater cum filio vel Deitas cũ homine vero. *2. Cor. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Vers. 39. *Testes*, sicut dixit supra primo eritis mihi testes, &c. [*testes sumus*] in regione vel omnium q̃ fecit in regione. [*quem occiderunt*] hic patet q̃ merito reprobatur Iudæi, gentibus electis. [*suspendentes*] ut reum & maledictum, *Deut. 21.*

Vers. 40. *Hunc Deus* pater vel diuinitas hominẽ [*tertia die*] *Osea. 6. die tertia suscitabit nos.*

Vers. 41. *Manifestam fieri*, post resurrectionem. [*ordinatis*] quos elegerat Deus & præfiguraueràt in multis. [*manducauimus*] piscem assum & fauum mellis, *Luc. vlt.* quæ sunt signa veræ resurrectionis. In Glossa additur per 40. dies non assiduè, sed aliquoties in tanto spatio. tot diebus ieiunauit cibo indigens ante mortem *Matth. 4.* comedit post resurrectionem non indigens. Per primum docens abstinere à carnalibus desideriis, per secundum quod *nobiscum est vsq; ad consummationem seculi Matth. vlt.* [*& bibimus*] hic exponit Petrus quod in Euangelio non habetur, nisi ibi credamus indicatum vbi ait: *donec illud bibam vobiscum in regno, Matth. 26.*

Vers. 42. *Nobis*, figuratis per ciborum reliquias. [*præcepit*] *Marc. in fine. Ite docete omnes gentes.* [*populo*] non Iudæis tantum. [*à Deo*] qui omne iudicium dedit filio. *Ioh. 5.* [*viuorũ iustorum*] vel qui viui erũt in aduentu Christi. Moraliter. Peccatorum, vel qui antè mortui dormierunt.

Vers. 43. *Omnes Prophetæ.* non nos soli. [*per nomen*] *Iael. 3. quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* [*qui credunt*] fide & operibus.

Vers. 44. *Adhuc loquente*: necdum similis verbis. quarta pars principalis. [*cecidit*] repentè descendit: vel de monte Iudæorum cecidit in valle gentium, *Psal. sexagesimo quarto*, valles abundabũt frumento, quia super humilem requiescit. *Isaiæ in fine.*

Vers. 45. [*Obstupuerunt*,] nescientes gratiam pertinere ad gentes: ne dubitet Petrus baptizare gentes, vel à sociis arguatur. Ante baptismum etiam sine inuocatione Petri datur nouo ordine Spiritus S. in testimonium fidei gentium, q̃ nunq̃ Iudæis legitur euenisse. [*gratia Sp. sancti*] Glos. donum spiritus donũ Dei est in quantum eis datur qui per ipsum amant Deum: apud se autem Deus est etsi nulli detur, patri & filio coæternus: nec quia illi dant & ipse datur ideo minor est illis: ita enim datur ut donum Dei & seipsum dat sicut Deus. Spiritus enim ubi vult spirat. *Iohan. 3.* [*effusa est*] *Ioel. 3. Effundam, &c.*

Vers. 46. *Loquentes* signum est quòd spiritus descendit. [*magnalia*] quasi nõ magna loquebantur sed magnalia Dei.

Vers. 47. *Respondit*, stupori sociorum. [*nunquid*] quasi Deus quod maius est prius dedit & ordinem præposterauit, nunquid potest prohiberi quod minus est.

Vers. 48. *Baptizari* à sociis suis vel à seipso. [*in nomine Domini Iesu*] quare non in nomine Trinitatis? *Obiectio.* Respons. Ambrosius, per unitatem nominis plenum mysterium fieri: *Solutio.* quia qui Christum nominat & patrem, à quo filius & Sp. sanctum definat, & è cõtrario: quia qui dicit unctum & ungentem & unguentum non tacet. Nomen autem Iesu potius nominatur ne veniet in notitiam: & quia *Rom. 6. in morte eius baptizati sumus*: & orationi iungatur auctoritas. Ecce hic in spiritu baptizãtur supra primo baptizabimini Spiritu S. & in uno spiritu baptizati sumus. *1. Cor. 12.*

Cap. XI.

A*Vdierant autem &c.* Hoc capitulum diuiditur in 5. partes. In prima Apostoli arguunt Petrũ de baptizatione gentium. In secunda excusat se Petrus & ponit duodecim excusationes. Prima [*Surge Petre*] 2 [*Respondit autem vox*] 3. [*factum per ter*] 4. [*receptus sum in cælum*] 5. [*ecce confestim*] 6 [*dixit autem*] 7. [*venerunt autem*] 8 [*Narrauit autem,*] 9. [*qui cognominatur*] 10. [*in quibus*] 11. [*cecidit Spiritus sanctus*] duodecima [*recordatus sum.*] In 3. de receptione excusationis, ibi: [*qui auditis*] In 4. redit ad historiam discipulorum dispersorum & actus eorum: [*Et illi quidem.*] In quinta agitur de collecta facta in Antiochia ad opus eorum de Iudæa, ibi: [*in his autem &c.*] Dicit igitur:

Vers. 1. *Cum audissent Apostoli & fratres*; præter Apostolos. [*qui erant*;] quasi non comites Petri. [*gentes:*] propter Eunuchum & Cornelium.

Vers. 3. *Et manducasti*, quasi duo contra legem fecisti. Hic Apostoli minores arguunt Petrum, ut Nathan Dauid, *2. Reg. 12.* & Asina Balaam. *Num. 22.* ex quo videtur quod liceat minoribus subditis arguere Prælatos. Contra: *Gal. 2. Restiti ei in facie*, *Obiectio.* Gloss. quod facere non deberet nisi quia se æqualem existimaret. ex hoc videtur quod par potest redarguere non minor. *Item 2. Reg. 6.* Oza mortuus est quia tetigit arcam quæ significat Prælatum. Solutio. Non licet minori maiorem arguere, nisi quando excessus Prælati est notorius, *Solutio.*

&non

& non est alius qui arguat. Hoc fuit in Nathan & asina. glossa autem super Gal. non loquitur de argutione sed de modo, quia iste modus scil. in facie resistere non pertinet nisi ad patres. Oza autem mortuus est quia, ut dicitur, nocte illa cognoverat uxorem, in qua significantur subditi polluti quibus non licet prælatum arguere. Item videtur quod injustè arguant Apostoli Petrum quia supra 8. miserunt Petrum & Iohannem dare Sp. Sanctum Samaritanis qui erant gentiles. Resp: Samaritani non erant penitus gentiles, imò in multis servabant ritum Iudæorum & habebant Pentateuchum, ideo non est simile huic facto.

Vers. 4. *Incipiens*, à principio visionis: vel salutem gentibus nunciare.

Vers. 5. *Orans*: gloss. in qua hora Deus me falli non fineret. [*& venit*] non ab alio nunciatum est mihi.

Vers. 6. *Considerabam*: solerter & fine negligentia. [*quadrupedia*] gloss. quosdam miror hoc interpretari de escis prohibitis. *Lev.* 11. cum nec reptilia edi possunt, nec Petrus sic intellexit sed æqualiter vocat ad Evangelium. Præterea non quod bestias comedit arguitur sed quia gentibus communicavit. [*quadrupedia*] Moraliter, avari propter quatuor animi affectiones. [*bestiæ*] voluptuosi. *Ierem.* 5 o grex perditus Israel, leones ejecerunt eum. [*reptilia*] invidi & detractores. *Math. ult. lingent sanguinem sicut serpentes.* [*volatilia*] superbi. Abdias. si exaltatus fueris ut aquila.

Moraliter.

Vers. 7. *Surge Petre*. familiaris ostenditur ex nomine: prima excusatio.

Vers. 8. *Quia commune*: sicut & vos modò refutatis.

Vers. 9. *De Cœlo*: facta. [*Deus*] non alius. [*mundavit*] mundari præcepit. [*ne commune dixeris*] non solùm facto, sed & verbo ne tractes.

Vers. 10. *Per ter*, Indicium firmitatis, unde oritur tertia excusatio. [*recepta sunt*] in quo significatur gentes in cœlo recipi.

Vers. 11. *Et viri*, ne pro alia causa visio æstimetur ostensa. [*astiterunt*] non ego adij.

Vers. 12. *Ut irem*, prohibuit facere quod facieris & jussit quod arguitis. [*sex fratres*] perfectionis opera significantes, quæ sunt cum doctore quando verba roborat per exempla.

Vers. 13. *Qui cognominatur Petrus*, bona excusatio propter nomen dictum ab angelo ne error putaretur in nomine Simonis.

Vers. 14. *Salvus eris*. ecce angelus salutem nunciat quam negatis.

Vers. 15. *Sicut & nobis*, eodem modo non inferiore quoad signa *in visibilia non quoad robur.

*forte visibilia.

Vers. 16. *Verbi Domini*, quod completum est in gentibus.

Vers. 17. *Ego quis essem*, glos. nolite conari: si enim ego non potui nec vos poteritis.

Vers. 18. *His auditis*: tertia pars. [*tacuerunt*] ab increpatione Petri. [*glorificantes*] gratias agentes. [*& gentibus*] ut nobis. *Iob.* 37. *ab aquilone aurum venit*: id est. fides oritur in gentilitate & ad Deum formidolosa laudatio: quod ideò Iudæa tremendo laudat Deum. Quæritur quis fuerit primitiæ gentium. tres reges primi crediderunt. *Math.* 2. & dicuntur primitiæ gentium. In homilia supra 8. dicit glossa quòd Samaritani fuerunt primitiæ: & hic dicit glossa quod incipit communio Apostolorum cum gentibus. Resp. Eunuchus simpliciter fuit primitiæ gentium. sed Cornelius primitiæ multitudinis gentium, quia plures cum eo crediderunt. vel aliter: Eunnchus fuit primitiæ quantum ad baptismum, quia prius baptizabatur. Cornelius quantum ad communionem, reges autem quantum ad fidem.

Vers. 19. *Et illi quidem*, 4. pars in qua redit ad id quod dixit: quod pertransibant evangelizantes supra 8. [*sub Stephano*] à morte eius incepta. [*Antiochiam*] Syriæ civitatem. [*nemini loquentes*] exemplo Christi dicentis. *Math.* 15. *non sum missus nisi ad oves &c.*

Vers. 20. *Ad Græcos*, contrà; jam dixit quòd solis Iudæis. solutio. Illi Græci erant Iudæi in dispersione nati. vel illud [*nemini loquentes*] legitur cum exceptione. supple nisi in Antiochia, dicit Inter linearis: vel discipuli non loquebantur nisi Iudæis, sed conversi per eos vel eis adjuncti prædicabant Græcis. unde dicuntur Cyprij & Syrenæi, non de Hierusalem. *Beda.* Ecce post vasis ostensionem gentibus evangeliũ prædicatur.

Obiectio. Solutio.

Vers. 22. *Pervenit*, quòd & Græcis locuti sunt [*super*] Græcis in Antiochia credentibus. [*miserunt Barnabam*] ad probandum eorum fidem.

Vers. 23. *Gratiam*, virtutem per quam multus numerus est conversus. [*proposito*] sicut proposuerant & cœperant. [*in Domino*] fide Domini vel ut membra Domini erant.

Vers. 24. *Apposita*, in adventu Barnabæ ad priorem numerum. [*hortabatur*] nihil mutavit, nihil addidit sed tantùm perseverentiam docuit quia plenè credebant.

Vers. 26. *Antiochiam*, ad fideles à quibus non erat ei timendum. Dictum est enim supra 9. quòd fratres deduxerunt eum Cæsaream & dimiserunt Tharsum. [*conversati*] non ociose [*turbam*] quam prius diacrat Domino appositam eum bis qui per annum augebantur. [*Christiani*] hoc nomine à Christo, sicut quælibet secta trahit nomen à suo autore. [*Antiochia*] ubi præ cæteris locis fides florebat: & nota Bonitatem Barnabæ, qui non solùm præsumens docere quærit Saulum ut habeat consortem: hic sæpe commendatur à Luca, ne propter dignitatem meritia postolatu caruisse videatur.

Vers. 27. *In diebus* illo anno quo ibi conversati sunt. [*supervenerunt*] de emiorntiori loco ram situ quam merito [*Prophetæ*] de quibus *Ioel.* 3. *prophetabunt filij vestri*. Laus est Antiochiæ multos perfectos ibi convenire.

Vers. 28. *Surgens*, corpore quia multitudini loquebatur. [*Agabus*] nuncius tribulationis secundum nomen suum prædicit hic famem generalem, & Paulo vincula, infra 21. [*orbe terrarum*] non per locorum intervalla. [*sub Claudio*] tempus dicitur & locus, ut certior sit prophetia.

Vers. 29. *Habebat*, Contrà: supra 4. dicitur quod ponebant omnia ad pedes Apostolorum, ergo nihil habebant. solutio. hoc fuit in Hierusalẽ, sed nõ inter gẽtes quæ paulatim cõvertebãt & nõ etant statim perfecti sed paulatim *proficiebãt

Obiectio. Solutio.

*proficiebantur vel proficiebant.

 [*mittere*] tibant.

[*mittere*] collectionem eleemosynæ. [*fratribus*] non sibi ipsis. Contrà. *Math. 6. nolite soliciti esse de crastino.* solutio. duplex solicitudo: suffocatiu-*Obiectio. Solutio solicitudo duplex.* nis, quando amor terrenorum amori Dei præponitur: hoc prohibetur: & providentiæ, hoc conceditur, si tamen non pro terrenis militet quis Deo sed in eorum provisione regnum Dei attendat, & in militia Dei temporalia nō cogitet [*In Iudæa*] sciebant enim famem ibi amplius sævituram, ubi erant pauperes sanctorum *Rom. 15.* qui agris venditis præcia Apostolis detulerunt, & non multum vacabant lucris. multi etiam pro fide à Iudæis spoliabantur bonis suis quibus dicitur: *rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis Heb.* 10.

Vers. 30. *Barnabæ & Sauli*, qui erant probati & fideles ministri.

Caput XII.

E*Odem autem tempore*: Hoc capitulum dividitur in 4. partes. In prima dicitur quòd Herodes quosdam afflixit, Iacobum occidit, Petrū incarceravit. In 2. quando angelus eum liberavit, ibi: [*cùm autem producturus*] In 3. quomodo venit ad domum ubi erant discipuli congregati. ibi: [*consideransq;*] In 4. quomodo Herodes de Evasione Petri voluit punire milites, sed necesse habuit ire Cæsaream ubi & mortuus est, ibi: [*Herodes autem.*]

Vers. 1. *Eodem tempore*, quo Barnabas & Saulus missi sunt in ministerium nun tempore famis quæ facta est quarto anno Claudij: hoc autem tertio. [*manus*] ad tenendum & ligandum. [*misit*] glos. per ministros. qui iubet ipse facit. [*Herodes*] nota, *tres* leguntur *Herodes. primus Ascalonita*, sub quo Dominus natus est, qui & * innocentes occidit: *secundus Herodes, Antipas* filius ejus tetrarcha Galilææ, qui Iohannem decollavit. *Math.* 14. & Pilato in necem Christi consensit. *Luc.* 23. *tertius Herodes, Agrippa* filius Aristobuli filij Herodis magni, quem Cajus succedens Tyberio in imperio regem fecit Iudææ, datis ei quatuor tetrarchiis. Iste est de quo hîc agitur. Qualiter autem ad regnū venerit planè dicitur in historijs. Si verò alia glossa dicit quòd Herodes Tetrarcha hoc fecit quod hic dicitur marginalis est & non est vera, cùm ille perpetuo damnatus fuerit exilio cum uxore sua Herodiade à Caio. Iste verò tertio Claudij anno, sui autem regni 7. percussus est ab angelo: sicut supra dicitur regnum reliquit Agrippæ filio suo.

Herodes tres.
** infantes*

Vers. 2. *Occidit*, non tantùm afflixit. [*Iacobum*] Zebedæi de quo *Clemens Alexandrinus* dicit: quòd qui obtulit eum judici ad martyrium, confitens se esse Christianum visus est eum eo decollari. Et cùm ducerentur rogavit dari sibi à Iacobo remissionem: at ille, pax tibi, inquit, & osculatus est eum, & sic capite truncati sunt.

Vers. 3. *Apposuit*, afflictionem quorundam & occisionem Iacobi. [*Petrum*] quia plus placeret si princeps occideretur. [*azymorum*] ideò non fuit occisus sicut de Christo dixerunt Iudæi, quòd in Pascha non licebat eis occidere quenquam. *Ioh.* 19.

Vers. 4. *In carcerem*, putant licere teneri quamdiu non licebat occidi [*quaternionibus*] quaternio dicitur qui præest quatuor militibus, sicut centurio qui centum. [*custodiendum*] quia non sufficiebat solius carceris custodia [*producere*] quia amplior esset gratia si Iudæi eum occiderent, qui erat princeps, quam si ipse Herodes, sicut & Iacobum.

Vers. 5. *Oratio*, exemplum orandi pro periclitantibus, maximè pro pastoribus ecclesiæ. [*sine intermissione*] 1. *Thes.* 5. quia *multum valet deprecatio iusti assidua Iac. in fine.*

Vers. 6. *Cum autem producturus*, secunda pars. [*in ipsa nocte*] quando opportuna erat solutio. [*dormiens*] non habens spem evadendi illa hora. [*catenis duabus*] quatuor difficultates cumulant custodiam; milites, catenæ, carcer, custodes.

Vers. 7. *Angelus Domini*, non quilibet. [*lumen*] signum potentię vel præsentiæ angeli Dei, cuius potentia soli Petro lumen dabat. [*percusso*] tactum corporalem habere potuit corpore ex aere formato. Et nota, quòd *tripliciter* unitur spiritus corpori: *primò* per sensum & motum: sic unitur anima corpori. 2. quoad motum & non sensum, sicut fit in angelo corpus assumente. 3. spiritus ab igne in purgatorio, quia ibi est sensus pœnæ, sed non dat motum igni. Prima naturalis & simplex. 2. voluntaria & secundum quid. 3. violenta, & similiter secundum quid, non simplex. [*ceciderunt catenæ*] prima solvitur angustia.

Spiritus unitur corpori tripliciter.

Vers. 8. *Caligas*, gloss. genus est calceamenti, & datur exemplum non ambulandi sine calciamentis. Contrà: *Math. 10. neq; calciamenta &c.* solutio. mysticè intelligendum est: calceamenta sanctorum exempla, quæ debemus etsi non operibus, saltem affectibus imitari. vel docemur * in nudis pedibus tangere terram i. temporalia diligere immediatè & propter se, sed per mediū, utentes eis non fruentes. [*præcingere*] Glos. prophetas & Apostolos duris cingulis legimus usos ad domandam scilicet carnem. Helias 4. *Reg.* 1. & *Iohannes Math.* 3. sed Petrus propter rigorem carceris ad horā laxaverat ut tunica circa pedes dimissa frig⁹ noctis temperaret. Exemplū alijs infirmis ut ingruente molestia persecutorū liceat aliquid laxare de rigore propositi. sed quia dicitur, sint lumbi vestri pcincti *Luc.* 12. & calciati pedes in pparatione evangelij pacis *Ephes.* 6. virtutū verbiq; prædicādi jubemur spiritualiter insignia resumere. *sequere me*: ne te timor impediat.

Obiectio. Solutio.
** forte non*

Vers. 9. *Verum*, non putabat fieri, sed imaginariè ostendi.

Vers. 10. *Primam*, primam quaternionem cum suis. [*& secundam*] similiter vel duos milites & alios carceris custodes [*ad portā*] quæ putatur fuisse in atrio carceris [*ad civitatem*] ex quo patet carcerē fuisse extra civitatē. vel in exteriori parte ipsius [*ultrò*] sine labore humano. *Beda.* arcta & quasi ferrea est via quæ ducit ad vitam *Math.* 7. * scil. Hierusalem cælestem. sed Apostolorum vestigijs facta est nobis meabilis, q̄ pprio sanguine ostiū ferreum vicerunt. ferrea enim ostia Petro cedunt custodi aulæ cælestis, qui ecclesiæ tenent

** Vers. 14.*

nens cacumen, infernum superat *Math.* 16. [*dicessit angelus*] ut sciret verum esse quod fiebat nō somnium. [*nunc scio*] quasi prius nesciui.

Moraliter. *Moraliter.* [*Eodem tempore:*] quo facta est collecta quia quanto plus crescit ecclesia in temporalibus tanto plus affligitur. [*manus*] opera malorum bonos opprimentium *Exod.* 1. *& Iac.* 2. [*mittit*] ut affligat, & Dominus mittit verbum ut sanet. [*Iacobum fratrem Iohannis*] non Esau : id est luctantem vel operantem cum gratia non pro temporalibus. [*apprehendere & Petrum*] cognoscentem. Hunc bene reseruat, captum tamen, id est ociosum, torpentem ab opere: sed operarios occidit. 1. *Reg.* 11. Naas vult eruere oculos dextros. *Deut.* 33. viuat Reuben filius visionis & non moriatur. [*dies azymorum*] tunc maximè cum facit solennitatem. *Amos.* 5. odi & proieci solennitates vestras. [*cum apprehendisset*] 3. *Reg.* 22. *non pugnabitis contra maiorem & minorem. Iob.* 24. *abstulerunt pro pignore bovem viduæ* [*carcerem*] peccatum vel mala conscientia. [*quaternionibus quatuor*] animæ affectiones. [*duo milites*] caro & mundus [*duæ catenæ*] omissio & commissio. [*custodes*] dæmones. [*ostium*] carceris & conscientiæ. Gloss. ne quis confitearur & sic solvatur. *Ose.* 13. colligata est iniquitas Ephraim, abscondita peccata eius. [*angelus*] gratia. [*percussio lateris*] recordatio passionis Christi de cuius latere latus nostra fluxit. quasi viuctos percurit. 1. *Pet.* 4. *Christo passo in carne & vos eadem cogitatione armamini.* Excitatur [*percussus*] per contritionem. [*lumen*] refulget per peccati recordationem. [*ostium carceris*] id est os aperitur per confessionem. [*cadunt catenæ*] per satisfactionem. [*vestimentum*] honesta conversatio præcingenda ne ad terram defluat, id est pro terrenis assumatur. [*prima & secunda custodia*] mundus & caro, quibus contemptis porta ferrea id est propria voluntas, quam durum est, contemnere, facilè aperitur per gratiam. hæc ducit ad supernam ciuitatem. [*vicus vnus*] status perfectionis. [*tunc discessit angelus*] ad literam, quia tunc non est necessarius.

Vers. 11. *Ad se reversus*, quamdiu est humo in statu vitæ carnalis quasi extra se est, & nescit quid circa se geritur, sed cum processerit vicum unū, & tunc ad se redit cognoscens & periculum in quo fuit & securitatem ad quam venit. [*ad se reversus*] à culmine contemplationis, ad quam perfectus quasi egressus mente excedens Deo. 2. *Cor.* 5. revertitur quando sobrius est cum subditis & fit intellectu communis.

Vers. 12. *Considerans*, ubi esset. 3. pars. *Iohannis*: qui infra 13. fuit socius Pauli & Barnabæ. *congregati*: ad orandum pro Petro vel casu vel forte præ timore.

Vers. 14. *Non aperuit*, ex impatientia nunciādi adventū Petri. [*nunciavit*] sicut Dominum resurgentem mulier prima nunciavit *Math.* 18. ut ibi abundavit delictum superabundaret & gratia *Rom.* 5.

Vers. 15. *Insanis*: quia sciebant Petrum incarceratum. [*Angelus*] Hieronymus. magna dignitas animarum ut unaquæq; habeat ab ortu natiuitatis angelum ad sui custodiam deputatū *Math.* 18. angeli eorum &c. *& Gen.* 48. angelus qui eripuit me. Quod autē dicit glossa Ticonij; videtur angelus hominis interior ratio qua Deum fide speculatur non est verum. Sed quæritur utrum Antichristus habebit Angelum custodem? & videtur quod nō quia nihil proficiet propter eius obstinatiam. Resp: Habebit non ut emendetur sed ad manifestandam Dei iustitiam & illius inobedientiam. Christus autem non habuit quia non poterat demereri.

Vers. 16. *Obstupuerunt*: quia certum habebant quod ab hominibus non dimitteretur.

Vers. 17. *Vt tacerent*: donec narraret miraculum. vel ne clamore gaudentium adventus eius in civitate cognosceretur. [*dominus*] non homo, vel sua calliditas aut fortitudo. [*Hæc*] virtutem donatam eorum præcibus. [*Iacobo*] Iusto, filio Alphei: alter enim decollatus est. [*fratribus*] pro me orantibus. [*abyt*] eadem nocte. [*in alium locum*] timore Herodis & Iudæorum.

Vers. 18. *Facta die*, crastina post eductionem Petri de carcere. [*milites*] custodes: [*quid nam*] paret quod clausum reliquit Petrus carcerem, quo aperto non esset ambiguum eum evasisse.

Vers. 19. *Herodes autem*, quarta pars. [*requisisset*] in carcere. [*inquisitione*] utrum custodes scirent quid factum esset de Petro. [*duci*] ut vindicaret in eos. [*descendit*] ut Petri solutio nulli noceret non permittitur punire custodes. [*Cæsaream*] Palestinæ ut dicit Iosephus quæ olim dicta est turris Stratonis in Confinio Phænicis & Palestinæ in littore magni maris. licet secundum situm locorum Cæsaream Philippi dicere videatur quæ etiam civitas erat Phænicis sicut Tyrus & Sidon.

Vers. 20. *Iratus*: Ideò illuc ibat. [*Illi*] Tirij & Sidonij. [*persuaso*] id est persuaserunt. [*super cubiculum*] quasi custos thesaurorum. [*alerentur*] ideo necessariam habebant vicini regis pacem, quia regio eorum augusta erat Galilææ & Damasci finibus pressa. [*ab illo*] Herode vel Blasto qui erat amicus illorum & patronus.

Vers. 21. *Veste regali*, describitur gloria ut post maior sit miseria. *pro tribunali*: in vel super scil. in loco iudicij. [*concionem*] blandiendo & adulando.

Vers. 22. *Acclamabat*, vel quia bene concionabatur, vel propter regium cultum. [*Dei voces*] quasi esset Deus & non homo.

Vers. 23. *Confestim*: dicitur in historiis quod vidit bubonem indicem mortis suæ infra quinque dies futuræ: sicut prædixerat ei augur in carcere Tyberii nunciās ei prosperitatem futuram & statim inclinans ad populū dixit, en ego Deus vester morior. Hic bubo potest dici angelus. id est nuncius percussionis & ideo dicitur percussisse. vel fortè fuit angelus in figura avis illius. [*non dedit*] respuendo honorem diuinum sibi oblatum: vel persequendo apostolos. & est liptote, minus dicit & plus significat. [*consumptus*] non subitò sed paulatim, scil: per quinq; dies. [*à vermibus*] viscera eius corrodentibus.

Vers. 24. *Verbum Dei*: mortuo falso Deo verè Dei verbum crescit in fidelibus. [*multiplicabatur*] in his qui quotidie augebantur.

Vers. 25. *Barnabas*, redit ad id quod dixerat supra 11. mittentes per manus Barnabæ & Sauli.

Caput

Caput XIII.

Erant autem &c. Hoc capitulum dividitur in tres partes. In prima dicitur quomodo ex præcepto spiritus Sancti Paulus & Barnabas missi sunt prædicare. In 2. dicitur quid acciderit eis quamdiu Marcus fuit cum eis, ibi: [*& ipsi quidem*] In 3. quid acciderit postquam recessit ab eis, ibi: [*Illi vero &c.*]

Vers. 1. *Erant autem*, præter illos q; veniebant de Ierusalē. [*Propheta*] de futuris. [*Doctores*] de præteritis. Iidē scilicet: vel alij prophetæ, alij doctores. [*Niger*] à colore si latinum est: vel ascendens interpretatur si Hebræum est. [*Cyrenensis*] à Cyrene civitate prædicta [*collactaneus*] eodem lacte nutritus. [*& Saulus*] Gloss. decimo tertio anno post passionem videtur Saulus secundum ordinem historiatum Apostolatum cum Barnaba & Pauli nomen accepisse: decimo quarto autem juxta condictum Iacobi Cephæ & Iohannis *Gal.* 2. ad magisterium gentium profectus, cui consentit Ecclesiastica historia, dicens Apostolis fuisse præceptum ut duodecim annis in Iudæa prædicarent. Vnde circa fines Iudææ prædicaverunt gentibus, publicæ autem in 14. anno.

Vers. 2. *Ministrantibus*, prædictis prophetis. [*segregate*] ut soli serviant doctrinæ. [*Barnabam*] patet eos à Hierusalem Antiochiam redijsse. [*& Saulum*] ideo dicitur vas electionis, supra 9. & segregatus in evangelium Dei *Rom.* 1. [*in opus*] Apostolat⁹ [*assumpsi*] assumā, in ore prophetico.

Vers. 3. *Ieiunantes*, ecce quod jejunium debet præcedere electionem vel ordinationem Episcoporum. [*orantes*] ut eorum prædicatio prosperaretur. [*imponentes*] in morem ordinandorum. Sed constat quod discipuli nec confirmare nec ordinare poterant & ibi nullus legitur fuisse de Apostolis: ideo exponit Magister in historijs quod audita jussione Sp. Sancti miserunt Barnabam & Saulum ad Petrum & Iacobum & Iohannem in Hierusalem, & illi gaudentes imposuerunt eis manus ordinātes eos. [*dimiserant*] in opus ad quod assumpti sunt.

Vers. 4. *Et ipsi*, Barnabas & Saulus, secunda pars, quæ dividitur in quatuor. In prima agitur de via eorum & societate Iohannis. In 2. de proconsule Sergio, quem impediebat Elymas Magus ne crederet prædicationi Pauli, ibi: [*cum perambulassent*] In 3. de arguitione eius & cæcatione per Paulum, & conversione Consulis, ibi: [*Saulus autē*] In 4. de discessu Iohannis, ibi: [*Iohannes autem*] [*Seleuciam*] à Seleuco rege dictā. dimissi ab hominibus, illuc a spiritu mittuntur.

Vers. 5. *Salaminam*, quæ est in Cypro. quidā libri habent Seleuciam quæ est Salamina, & sunt duo eiusdem civitatis nomina. [*In Synagogis*] propter reverentiam vel duritiam eorum. Rabanus. Propter ignaros locorum semel dicēdum credidi, ut ubicunq; synagogā legeris scias in civitate gesta quæ dicuntur.

Vers. 6. *Cum perambulassent*, secunda pars. *Magum*: maleficum.

Vers. 7. *Proconsule*, nomen dignitatis secundæ à Consule. [*Sergio Paulo*] binomius erat & ex bono naturæ verbum Dei audire desiderabat.

Vers. 8. *Elymas*, qui interpretatur magus, quod transgressionem respicit, ideò resistebat volens eum qui converti cœperat à fide pervertere ad transgressionem secundum nomen suum quod interpretatur etiam transgressio, vel Dei mei mensura. Nomen vero magi & malefici quod alijs est commune proprium ei erat.

Vers. 9. *Saulus autem*, 3. pars. Interpretatur autem * deprecatio respicientis vel securitas vel mirabilis. [*Paulus*] à Paulo Consule quem convertit. Gloss. aptè gentium Apostolus à gentili nomen sortitur: non enim credendum est illis qui dicunt eum fuisse binomium. *Isai. 65. vocabit servos suos nomine alio*. Rabanus. Cum meritis mutantur nomina. Prius filius doloris nunc filius dextræ *Gen.* 35. non solùm se sed alios plures ad dextram vocans post gradum Apostolatus. Paulus dicitur de superbo factus humilis. de persecutore prædicator, unde nomē suum ipse interpretatur 1. *Cor.* 5. ego sum minimus Apostolorū. Sic Barnabas filius consolationis dictus pro Ioseph: supra 4. [*repletus*] olim & nunc vivacius [*Intuens*] per spiritum. [*in eum*] magum. [*plene*] Glos. plena non recipiunt augmentum.

* *tentatio legit gloss.*

Vers. 10. *Fili Diaboli*, imitando. [*omnis iustitiæ*] Dei & legis eius [*vias*] fidem & pænitentiam.

Vers. 11. *Et nunc*, potestas. [*cæcus*] extra sicut & intus es. [*solem*] materialem, sicut non vides solem justitiæ. [*ad tempus*] pænitentiæ vel mortis. [*cecidit*] non casu, sed de sursum à Deo [*caligo*] cæcitatis initium. [*tenebræ*] ipsa cæcitas [*circumiens*] in circuitu se vertens in modum cæcorum. [*daret*] ad se ducendū. Beda. oportuit Paulū facere miracula ad consummationē Apostolatus, quem diu calcitrantem Dominus elegit. supra 9.

Vers. 12. *Factum*, id est cum doctrina Christi virtutum miracula. Hîc à Paulo capitur pseudopropheta, vulpes parvula demoliens vineā proconsulis mentem. *Cantic.* 2. sciebat enim sui memor exempli de oculorum tenebris posse surgere lumē mentis, nec dignum esse oculis carnis qui alijs eruere volebat oculis mentis.

Vers. 13. *Qui cum eo*, Barnabas & Iohannes. [*Pergen*] nomen civitatis. [*Pamphiliæ*] regionis [*Iohannes autē*] quarta pars [*reversus*] hæc est causa dissidij [*Hierosolymam*] unde cum eis venerat.

Vers. 14. *Illi vero*: Tertia pars Capituli quæ habet 4. partes. In primā dicitur quomodo venientes Antiocham rogati sunt facere sermones. In 2. de prædicatione Pauli, ibi: [*surgens autem*] In 3. de effectu sermonis & utilitate, ibi: [*exeuntibus illis*] In 4. de invidia Iudæorū erga Apostolos, ibi: videntes autem. [*Illi autem*] Paulus & Barnabas cum suis. [*pertransseuntes*] pedibus non navigantes [*Pisidiæ*] nomen est provinciæ ad differentiam alterius Antiochiæ quæ est in Syria à Seleuco fundata quæ olim Reblata dicta est & nunc Antiochia vocatur, à multis tamen putatur eadem esse, qua primò vocati sunt dicipuli Christiani supra 11. [*die Sabbatorum*] qua consueverunt Iudæi convenire, nunc dominica die. [*sederunt*] tanquam audituri lectionem legis non prædicaturi. ecce exemplum humilitatis.

Vers. 15. *Miserunt*, non potest civitas abscondi supra montem posita: *Math.* 5. fratres quia Iudæi

dæi

dæi estis [*si quis*] dubitando dicunt, quod est perfidiæ signum. [*exhortationis*] non prædicationis nō lectionis. [*ad plebem*] nō ad nos quia non indigemus. [*dicite*] quia hoc est opus diei quo nihil aliud operantur.

Vers. 16. *Surgens*: secundum consuetudinem legentium propter multitudinem audientium: & est 2. pars. [*manu*] aliquo consueto silentij signo.

Vers. 17. *Israel*, Iudæi [*& qui*] gentiles timentes segregat, quia non omnes timebant Deum [*elegit*] ex omni genere hominum deos colentium. [*patres*] non patres eum. *Ioh.* 15. *non vos me elegistis sed ego vos.* [*nostros*] non vestros dicit ut facilius persuadeat. [*exaltavit*] de servitio Ægypti. [*Incola*] servientes in luto & latere. *Exod.* 1. [*Brachio.*] Christo.

Vers. 18. *Per quadraginta*, longam patientiam significat. *Num.* 13. *Deut.* 8. [*mores*] malos. [*sustinuit*] gravitas eorum ostenditur.

Vers. 19. *Destruens*, potestate qua Ægyptios plagis percussit. [*gentes septem*] vitia septem vel innumerabilia. [*sorte*] pacem significat & divisionis æqualitatem *Ios.* 14. [*eorum*] Chananæorum, quæ secundum Glossam Rabani, ideo data est Israeli, quia in prima habitatione post diluvium filij Sem sortiti sunt eam, sed post à Chananæis violenter possessa est & ideò iure prælij pristinis habitatoribus est reddita: iure ergo delentur, quia in patre suo Cham maledicti sunt, quia in patrem Noe impius fuit *Gen.* 9. *Maledictus Chanaan &c.*

Vers. 20. *Post quadringentos*, quod secundum diversos numeros & diversos terminos computationis diversimodè exponitur. De hoc supra 7. Ab ortu Isaac in quo vocatum est Abrahæ semen *Rom.* 9. fuerunt secundum *Exod.* 405. anni usq; ad exitum Israel de Ægypto. His adde 40. annos deserti & 5. in terra Chanaan quibus peractis legitur terra à prælijs cessasse *Ios.* 14 *& sors missa est, & habebis* 450. *annos* sicut hîc dicitur. [*post hæc*] tempus Iudicum. transit ad comprobandam Dei patientiam.

Vers. 21. *Postulaverunt*, contra voluntatem Dei. [*dedit*] cumulatur Dei patientia. [*virum*] malum. dicit annis quadraginta. *Beda.* Liber Regum non aperte exprimit, quot annis Saul regnaverit: sed Apostolus vulgo loquens dicit quod crebrior fama habuit. Chronica vero testantur quod Saul & Samuel 40. annis præfuerunt Israeli.

Vers. 22. *Amotes* pro malitia [*suscitavit*] propter humilitatem * iudicis vel personæ. vel propter figuram Christi suscitatur. [*David regem*] cōtinua ostenditur patientia. [*Inveni*] nisi ego quærerem nullibi appareret. 1. *Reg.* 13. Quæsivit sibi Dominus virum iuxta cor suum &c. [*filium Iessæ*] parvæ stirpis. [*virum*] hoc propter ipsum vel Christum de semine ejus natum. [*qui faciet*] hoc maxime Christo convenit.

* radicis in gloss.

Vers. 23. *Huic Deus &c.* id est ad hoc tendebant prædicta. [*secundum promissionem*] Istam: qui faciet omnes voluntates meas in eis: & de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. [*Eduxit*] non subitò, sed post multas promissiones prophetarum. [*Israel*] Spirituali. [*Iesum*] interpretationem ponit eum nomine.

Vers. 24. *Prædicante*: non dante quod Christō servabatur. [*Iohanne*] cuius authoritas magna: [*ante faciem*] in modum lucernæ, de quo: paravi lucernam Christo meo. [*pænitentiæ*] Gloss. id est promissionis, quia per pænitentiam peccatum remittitur. cursum præcursoris officium.

Vers. 25. *Quem me arbitramini*, interrogativè. [*non sum*] esse proprium Deitatis est. vel non sum ego Christus quem me arbitramini esse. [*Post me*] quia ego precursor eius sum. [*Non sum dignus*] humilitas. [*calceamentum solvere,*] id est incarnationis mysterium aperire scil. unionem Deitatis ad carnem, tā quam pedis ad calceamētum. vel [*calceamentum solvere*] id est, Ecclesiam in sponsam ducere sicut mos erat in lege secundum unum modum. vel, id est, humanitatem Christi à me removere quia per ipsum necesse habeo salvari sicut alij.

Vers. 26. *Viri fratres*, sermo suavis. vobis. *Math.* 15. *non veni nisi ad oves quæ perierant domus Israel.* vel [*vobis*] dispersis, quia habitatores Hierusalem illud repulerunt. [*verbum*] Evangelium vel Christum verbum patris

Vers. 27. *Hanc*, Iesum. [*ignorantes*] esse salvatorem. [*iudicantes*] Christum reum esse mortis, quia Iudices plebis erant. vel [*Iudices*] voces prophetarum quia non credentes. qui enim detrahit fratri aut iudicat fratrem detrahit legi & iudicat legem. *Iac.* 4. quanto magis Christo detrahentes impleverunt prophetiam nescientes, quia sit manus inermis os armatum.

Vers. 28. *In venientes*. quamvis quærerent [*petierunt*] *Luc.* 23. *Instabant voce magna postulantes ut crucifigeretur.* [*Interficere*] per manus militum.

Vers. 29. *Consummavissent*: unde ipse dicit, *Iohan.* 19. *consummatum est.* [*scripta*] de passione ejus prophetata [*deponentes*] non Iudæi sed Ioseph genere Iudæus: per synecdochen. vel [*deponentes*] i. deponi permittentes quia ad hoc urgebantur secundum legem *Deut.* 21. quæ dicit *maledictus est qui pendet in ligno.* quasi satis est maledictus: * sed debet plus maledici, & ita nec plus pendere. [*posuerunt*] non ministerio nec autoritate quæ apud Pilatū erat sed ut prius permissione.

*forte ...

Vers. 30. *Deus verò*, Deitas sua quæ cum patre & spiritu sancto una est. [*suscitavit*:] secundū hominem.

Vers. 31. *Multos*, quadraginta. [*his qui*] certis & notis cognitoribus. [*ascendit*] ad montana proxima Hierusalem [*qui*] non eorum successores [*testes*] idonei.

Vers. 32. *Eam*, repromissionem [*hanc*] prophetiam quæ sequitur, genui te.

Vers. 33. *Deus*, qui suscitavit eum. [*filijs vestris*] in Græco filijs eorum scil. Hierosolymorū. [*In Psal.* 2.] quidam libri habent [*primo*] & exponitur q apud Hebræos primus & secundus Psalmus in unum sunt compilati & à beatitudine incipit & in beatitudine finitur. [*filius*] non servus ut cæteri. [*meus*] consubstantialis. [*ego*:] proprium Deitatis est. [*genui*] in Deitate nec heri nec hodiè nec cras. [*hodie*] de virgine, quia & illa generatio à Deo est. & sic patet, quod nō ad resurrectionē, cuius primè meminit pertinet

pertinet hoc exemplum psalmi sed ad incarnationem. sequens autem versus manifestè agit de resurrectione. quod enim de incarnatione passione & resurrectione dixit, propheta testimonio astruit. quasi dicat: tu qui es æternus ante sæcula, filius apparebis in tempore de virgine natus. Probata incarnatione statim probat & resurrectionem ita dixit. *Isai* 55. qui Novi Testamenti mysteria prærogat. *Constituam vobis testamentum æternum sancta David fidelia.* ubi nos habemus: *feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David, secundum Christum de eo nasciturum.*

Vers. 34. *Sancta David*: sanctum templum corporis Christi in passione solui *Ioh.* 2. tertia die resuscitari in corruptionem glorificari. vel sancta verba & exempla David. id est Christi manu fortis. [*fidelia*] sine mendacio.

Vers. 35. *Sanctum tuum*: corpus Christi [*corruptionem*] putrefactionem, quia resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. *Rom.* 6. Ideò dicit sancta David fidelia: id est incorrupta & in æternum mansura.

Vers. 36. *In sua generatione*: decima quarta ab Abraham. *Matt.* 1. [*administrasset*] fecisset voluntatem Dei. unde supra: qui faciet omnes voluntates meas [*dormivit*] ut nascentium ita & morientium numero appositus. [*vidit*] experimento.

Vers. 37. *Corruptionem*, vermium. ideo prædicta de Christo & nō de David intelligi oportet.

Vers. 38. *Notum igitur*, ad id respondet quod dixit, Deus vero suscitavit eum [*per hunc*] Iesum [*à quibus*] peccatis. [*non potuistis*] ne de lege confidant. [*in lege*] Gloss. quæ fuit vittus & augmētum peccati. 1. *Cor.* 15. & nihil ad perfectum adduxit *Heb.* 7. [*iustificari*] quia iustus ex fide vivit. *Habacuc.* 2.

Vers. 40. *Videte*, dum credens iustificatur. [*quod dictum est*] scil. vos esse contemptores. [*in prophetis*] in uno libro duodecim prophetarum.

Vers. 41. *Videte contemptores*, cavete infideles. [*dispergimini*] *Habacuc.* 2. ab Assyrijs & Chaldæis, tandem à Romanis [*quia opus*] utriusq; vindictæ [*vel opus*] incarnationem, cui non credendo cōtemptores estis [*non credetis*] negantes incarnationem verbi, vel propter utriusq; vindictæ magnitudinem dicuntur non credere donec compleantur. In Græco: audite contemptores & admiramini, respicite & disperdimini. Litera nostra habet. *Habacuc.* 1. *aspicite in gentibus & videte & admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris &c.*

Vers. 42. *Exeuntibus*, Tertia pars de effectu sermonis [*rogabant &c.*] ergo acquiescebant verbo Dei? solutio. non ex fide sed ex perfidia dicebant. vel sic: videbatur eis Paulus aliqua dixisse supra legem quæ volebant repeti ut ex verbis eius condemnarent illum.

Obiectio. *Solutio.*

Vers. 43. *Dimissa*: ab Apostolis vel cum incepèrent domum redire. [*multi*] non principes [*colentes*] Deum dicit glossa. & intelligitur de Iudæis vel melius de proselytis, qui natura gentiles erant, sed religione Iudæi. [*permanerent*] perseverando, tam incipientes quam perfecti & non tantum auditores sed factores essent verbi. *Iac.* 1. *& Rom.* 2. [*in gratia*] quam acceperant, sed adhuc rudes erant.

Vers. 44. *Civitas*: metonomasticè, continens pro contento [*convenit*] secundum consuetudinem Iudæorum.

Vers. 45. *Videntes*, quarta pars, de invidia Iudæorum. [*turbas*] convenire ad Apostolos [*zelo*] invidiæ non parvo. [*contradicit*] Gloss. veritati contradicit invidia. [*blasphemantes*] Gloss. qui contradicit veritati blasphemus est.

Vers. 46. *Constanter*, non timentes principes Iudæorum [*vobis oportebat*] secundū illud *Math.* 15. *non sum missus &c.* [*primum*] quia vobis promissum [*indignos &c.*] Contrà. zelabant legem, ut haberent vitam æternam. solutio. loquuntur Apostoli secundum sensum & fidem suam non illorum qui errabant. [*æterna vitæ*] Illo scil. qui est vita æterna non tamē in quantum vita æterna, quia illā non respuebant [*convertimur*] Gloss. transferuntur montes in cor maris. *Rabanus.* primo filiā principis venit Iesus sanare, sed Emorroissa præcipit sanitatem *Math.* 9. *Obiectio.* *Solutio.*

Vers. 47. *Præcepit*, prædixit. non enim fuit præceptum, sed prædictio ex parte prophetantis, sed ex parte recipientium, quia ita servavetunt ac si esset præceptum [*nobis*] quia licet sit prophetia de Christo ad quem loquitur pater, non incongruè membris attribuitur quod capitis est. *supra* 9. *Saule Saule* quid me persequeris. [*posui te*] *Isai.* 49. nos habemus: *dedi te in lucem gentium.* [*in lumine*] post tenebras perfidiæ. [*gentibus*] non in una tantum gente Iudæorum. [*in salutem*] quæ necessaria contra peccati infirmitatem [*ad extremum*] per omnes terminos.

Vers. 48. *Gavisæ sunt*, post tenebras de lumine, post infirmitatem de sanitate [*præordinati*] à Deo. ordo est ut post laborem quies, post mortificationem carnis vita sequatur [*ad vitam*] qua indignos se iudicabant Iudæi.

Vers. 49. *Disseminabatur*, quia verum semen verbum Dei *Math.* 13. [*verbum*] evangelium vel Christus. [*per universam regionem*] ut iam non esset tantum notum in Iudæa Deus sed tam gentibus quam Iudæis prædicabatur.

Vers. 50. *Religiosas mulieres*, sive de Iudæis sive de proselytis. [*primos*] principes, primarios [*civitates*] Antiochiæ Pisidiæ [*eiecerunt*] primatij quia non credebant.

Vers. 51. *Excusso pulvere*, secundum illud *Math.* 10. v. 14. in testimonium quòd inanem fecerunt laborem Apostolorum, & quòd nihil acciplatur ab eis, qui evangelium respuunt, nec etiam necessaria victui: & tales à Christo eijcientur, sicut pulvis quē proijcit ventus à facie terræ. qui si Apostolos recepissent sensus suos à pulvere vitiorum soluissent.

Vers. 52. *Discipuli*, Christiani [*gaudio*] de fructibus Sp. Sancti. *Gal.* 5. Bedæ Glossa. Iudæis fidem persequentibus discipuli è contra gaudio spiritus ditantur.

Caput XIV.

Factum est autem &c. Hoc capitulum dividitur in tres partes. In prima agitur de multiplicatione fidelium in Iconio, & schismate infidelium contra fideles & fuga Apostolorum. In 2. de sana-

de fanatione claudi in Lyftris & fedatione volentium facrificare Apoftolis ibi: [*& quidam vir*] In 3. de lapidatione Pauli procurata ab illis qui venerunt de Antiochia & Iconio & evafione eius, & reditu cum Barnaba in Derbem & Antiochiā confirmatis fratribus, & ordinatis per fingulas civitates epifcopis, ibi: [*fupervenerunt.*]

Verf. 1. *Simul*, Paulus & Barnabas. [*Græcorum*] vel gentilium, vel Iudæorum difperforum.

Verf. 2. *Fratres*: credentes. *Beda.* quod in Græco dicitur: *Dominus autem dedit cito pacē*, quidam latini codices non habent.

Verf. 3. *Morati*, Iconij. [*fiducialiter*] enim fiducia prædicantes. [*teftimonium*] & fignis & prodigijs. [*verbo*] in quo per fpiritum fanctum datur remiffio peccatorum.

Verf. 6. *Confugerunt*: *Math.* 10. *fi vos perfecuti fuerint in vnam civitatem &c.* [*Lycaonia*] regionis, cuius civitates funt Lyftra & Derbe. [*evangelizātes*] ad hoc fugerunt. Vnde *Beda*: *fuga Apoftolorum non plus ex timore quam ex amore erat Dei. & hoc de timore naturali qui non eft vitium.*

Verf. 7. *Et quidam*: fecunda pars. [*fedebat*] quia nec ftare nec ire poterat. [*ex vtero*] nunquā ambulaverat, tantò maius miraculum.

Verf. 8. *Intuitus*, Sp. Sancto monftrante, vel fignis infirmitatis & fidei apparentibus, ibi: [*fidem*,] quæ tanta erat, ut falvari poffet per eam, vel ut crederet per eam falvari.

Verf. 9. *Surge*, qui huc usq; fedifti. in Græco habetur, *tibi dico in nomine Domini noftri Iefu Chrifti*, furge. Cui refpondet Interlinearis. Bonus fervus Dominum glorificat. [*pedes tuos*] non alienos ut prius. [*exilivit*] velocitas oftenditur fanitatis. *Ifai.* 35. *falit & ficut cervus claudus.* [*ambulabat*] ne ad horam tantum exiliiffe putaretur. Sicut antè in illo clando, fupra 3. falus Iudæorum fignificatur primo fidei tempore cum nec prædicaretur gentibus, ita in ifto falus gentium inter nova cōverfæ gentilitatis gaudia fanato, Indæis ob perfidiam expulfis & damnationis pulvere refperfis.

Verf. 10. *Turba*: quarum fenfus erant turbati. [*levaverunt*] in quo notatur petulantia: vel altior erat fententia quam fua lingua barbara uni Dei ignara. [*Diifimiles*] ftultus error gentilium, qui omne quod fupra fe vident deos putant, qui in diverfis formis appatuiffe referuntur.

Verf. 11. *Barnabam*: qui prior effe videbatur. [*Iovem*] Deorum patrem & hominum regem. [*Mercurium*] qui eloquens & literatus fuiffe traditur, & linguam & fapientiam præftare putatur. Et dicitur Mercurius, quafi in medio currens, fcil. inter aures & linguam: græcè verò Hermes, id eft, interpres.

Verf. 12. *Ante civitatem*, Lyftris. [*tauros*] ad immolandum. [*coronas*] ad ornandum caput Dei fui, aliquo modo nobis ignoto. Vel eorum mos erat ut facrificantes dijs ad honorem eorū coronas fibi imponerent, victimis pariter coronatis, vel ut faciem templi ornarent iuxta ritum gentium. 1. *Machab.* 4. [*facrificare*] Barnabæ quafi Jovi.

Verf. 13. *Quod ubi audierunt*: fcil. quod vellent facrificare. [*confciffis*] in fignum magni doloris fecundum morem Iudæorum. [*exierunt*] animo commoti, non patientes fere ntes fe honorari in iniuriam Dei, ficut Herodes: fupra 12. & ideò ab angelo percuffus eft.

Verf. 14. *Similes vobis*, mortalibus. [*ab his*] Iove, Mercurio & alijs diis. [*converti*] quia averfi eftis. [*vivum*] non mortuum ut vos & dij veftri. [*qui fecit*] nō factus eft. [*cælum &c.*] id eft omnes creaturas.

Verf. 15. *Dimifit*, libertati arbitrij. [*ingredi*] nō vlam, fed [*vias*,] diverforum errorum. [*fuas*] non Dei. [*fine tefte*] quia per creaturas & beneficia Deum fe effe teftatus eft.

Verf. 16. *Reliquit*, non ex toto, fed benefecit. [*implens*] ventri & voluptati carnis fatisfaciens *Rabanus.* carnalibus loquitur de carnalibus, de lætitia, cibis & vino, q lætificat cor hominis.

Verf. 17. *Vix fedaverunt*, ad oftenfionem infirmitatis fuæ.

Verf. 18. *Supervenerunt autem*, Tertia pars, perfuafis in occifionem Pauli. [*traxerunt*] ad lapidandum fieut cadaver 2. *Cor.* 12. femel lapidatus fum. [*extra civitatem*] ut abominabilem, fimiliter & Stephanum, *fupra* . Supera dixerat in generali quod fugerunt ad partes Licaoniæ, & poftea per partes narravit, primò quid factum eft in Lyftris: fecundò quid in Derbe: unde ftatim fubditur.

Verf. 19. *Circumdantibus*, ne viderentur à Iudæis: & fic eum defendere volebant. [*cum Barnaba*] fed quare Paulus & non Barnabas lapidatus eft. Refp. quia Paulus tunc prædicabat. *Quæftio* *Refponfio*

Verf. 20 *Multos*, quia non omnes recipiebant. [*Lyftram*] per eadem veftigia quæ venerant.

Verf. 21. *Confirmantes*, fidem in eis fundatam roborantes. [*exhortantes*] vel exorantes pro eis, quafi incerti utrum fint ad eos amplius reverfuri. unde infra dicitur conftituunt presbyteros. [*in fide*] fortes contra multitudinem tribulationum quæ fidei pofcit conftantiam, [*per multas*] labor præmittitur, & poft regni introitus prædicatur, quia eft difficilis via, negnum tamen quo itur ad vitam appetendum eft.

Verf. 22. *Presbyteros*, Iidem tunc dicebantur presbyteri qui Epifcopi. [*oraffent*] pro eis. [*cum jejunationibus*] cum difcipulis jejunantibus, dicit Gloffa. unde manifeftum eft & ipfos jejnnaffe. [*commendaverunt*] oratione ut fortiores effent.

Verf. 23. *Pifidiam*, regionem in qua erat alia Antiochia. [*Phamphilium*] in qua erat civitas Perge.

Verf. 24. *In Attaliam*, civitatem ut plures dicunt.

Verf. 25. *Antiochiam*, de qua exierunt miffi à fpiritu fancto. [*traditi*] à fratribus. [*gratia*] Sp. Sancto vocanti eos fupra 13.

Verf. 26. *Cumq; veniffent*, Antiochiam. [*retulerunt*] affignaverunt fructum fui laboris. [*quanta*] in doctrina & fignis. [*cum illis*] illorum obedientiæ cooperans. [*oftium*] Chriftum *Ioh.* 10. vel fidem. 1. *Cor.* 16. *oftium mihi apertum eft.*

Caput XV.

Et *quidam defcendentes &c.* Hoc capitulū dividitur in 4. partes. In prima dicitur de diffen-

sione orta Antiochiæ propter eos qui dicebant conversos ex gentibus debere circumcidi & servare legem: pro quo Barnabas & Paulus missi sunt ad Apostolos in Hierusalem. In 2. dicitur quòd Apostoli & seniores ad hoc respondent, ibi: [*convenerunt*] In 3. quòd miserunt per nuncios epistolam, sententiam suam continentem, ibi: [*tunc placuit*] In 4. de dissensione inter Barnabam & Paulum pro Marco & separatione eorum, ibi: [*post aliquot.*]

Vers. 1. *Et quidam descendentes*, de Iudæis Christiani quidē sed adhuc iudaizantes [*descendentes*] secundum situm loci vel pravitatem sensus. [*de Iudæa*] vera confessione. [*fratres*] de gentibus credentes. [*non potestis*] non sufficit sola circumcisio spiritualis.]

Vers. 2. *Facta*, à Iudæis [*Paulo*] contra Paulum vel à Paulo & Barnaba contra Iudæos [*statuerunt*] illi Iudæi & fratres qui docebantur circumcidi & etiam ipsi Apostoli. [*ascenderent*] situ loci vel altitudine sensus: [*alii*] ex utrisque dissentientibus: de hac ascensione *Gal. 2. post annos 14. ascendi &c.* Vnde probat *Beda* in eadem glossa Paolum in eodem anno quo Christus passus est conuersum: sic Petrus & Paulus post passionem Christi anno 39. Neronis ultimo passi sunt. Petrus verò sedit Romæ Episcopus 25. annis: quibus si addas 14. prædictos, erunt 39. & sic eodem 14. anno quo Paulus venit Hierusalem Petrus ivit Romam 4. anno Claudij qui & ipse erat 14. à conuersione Pauli & passione Christi: quod verum est de anno emergenti computando scil. à passione Christi: de anno autem usuali qui incipit à Ianuario non est verum, quia in Ianuario sequentis anni conversus. Ideo dicit magister in historia ipsum conversum 2. anno à passione anno inquam usuali non emergenti. [*presbyteros*] ætate vel gradu *Deut. 17. si difficile & ambiguum &c. & Malach. 2. labia sacerdotis custodiūt scientiā.*

Vers. 3. *Illi*, qui statuti sunt ut ascenderent ab ecclesia Antiochiæ quam dixerat congregatam. [*faciebant gaudium*] charitas congaudet veritati. 1. *Cor.* 13.

Vers. 5. *Surrexit*, corpore vel incontinentia animi. [*de hæresi*] qui prius Pharisæi modò in Christum credebant [*præcipere*] oportet vos o Iudices [*servare*] gentiles Christo credentes. hoc errore decepti Galatę circumcisionem cum Baptismi gratia miscebant.

Vers. 6. *Convenerunt*, ad audiendam utriusq; partis sententiam post illorum denunciationem. Hîc habetur exemplum faciendi conventus ad discernendum quæ necessaria sunt.

Vers. 7. *Conquisitio*, utriusq; partis inter Iudices. [*Petrus*] frequenter surgere dicitur & pro omnibus loquitur quasi princeps. [*ab antiquis*] ex quo Cornelius baptizatus est supra 10 [*Deus*] non ego propria voluntate, sed qui Cornelio ostendit & mihi [*per os meum*] non alterius ex Apostolis. quasi qui primus prædicavi gentibus primus ab eis excutiam jugum legis. Eunucho nisi Philippus diaconus non Apostolus prædicavit. supra 8.

Vers. 8. *Corda*, veram eorum fidem [*testimonium*] sine quo non auderem [*sicut & nobis*] in linguis varijs.

Vers. 9. *Nihil discrevit*, eundē dans spiritum, & eadē dona [*inter nos*] Circumcisos & incircumcisos. fide non circumcisione. *Rom. 10. Non enim est distinctio Iudæi & Græci.*

Vers. 10. *Nunc ergo*, ex quo testimonium perhibuit Deus [*quid tentatis*] quasi eius testimonio non credentes: quasi hoc non facimus nos sed vos. Deum qui spiritum dedit incircumcisis [*iugum*] circumcisionis & servitutem legis, quia ubi spiritus ibi libertas. 2. *Cor.* 3. [*discipulorum*] robur fidei credentium. *Deut. 7. non tentabis Dominum Deum tuum. Beda.* Deum tentat qui aliter quàm ipse præcipit facere laborat, qui præcepta eius sine gratia se posse implere confidit. [*neq; patres*] quia nō potuerunt omnia quæ in lege erant observare pro intolerabili gravitate & ideo obnoxij maledictioni. *Deut. 26. maledictus qui non permanserit &c* ideò *Gal. 3.* quod verum de maledictione pœnæ est. vel expone, [*non potuimus*] id est vix potuimus.

Vers. 11. *Per gratiam*, gratuitum Dei donum sine operibus legis [*credimus*] etiam nos circumcisi [*& illi*] gentiles credunt. vel patres nostri iugum legis portare non valentes per gratiam se salvos fieri crediderunt. *Habac. 2. Iustus ex fide vivit.* Vnde sacramenta etsi pro diversis temporibus mutata ad unitatem tamen fidei concorditer currebant. Ideò Petrus grave jugum tollere vult, ut suave imponat libertatis.

Ex præmissis oritur quæstio, utrum lex gravior sit an Evangelium, an paria sint? & videtur evangelium gravius quia cohibet animum cum manu. & lex manum tantum: contra *Math.* 11. jugum meum suave est. Item multo plura præcipiuntur in lege quàm hic dicitur. Quod æque gravia sint videtur per illud *Ezech. 1. vers.* 15. rota in rota. Solutio. possunt considerari* *vel quantum ad* substantiam præceptorum, ut de manu & animo, sic difficilius est evangelium: vel quātum ad motum quia timor in lege movet, in evangelio * *amor* & sic levius: vel quantum ad numerum, sic lex gravior. Si autem lex spiritualiter intelligatur æque sunt gravia, quia tunc est rota in rota, unum in altero: sicut promissum est quod & patres per gratiam sunt salvati *Math. 21. qui præibant & qui sequebantur clamabant Hosanna filio David.* *Quæstio.* *Solutio.* ** illa verba non sunt in MS.* ** amor non est in MS.*

Vers. 12. *Tacuit*, nota ordinem loquentium, quia singulis loquentibus tacent, prius Petro, deinde Barnaba & Paolo.

Vers. 14. *In gentibus*, quia præpotium non impedit virtutes [*visitavit*] quia infirmæ erant, & infirma mundi elegit Deus 1. *Cor.* 1. id est visitando voluit. [*ex gentibus*] *Isai 65. Ecce ego ad gentes quas nesciebam vocabar.* [*nomini suo*] ut vocentur populus Dei. *Ose. 1. & 1. Pet.* 2.

Vers. 15. *Huic*, Simoni vel Simeoni. [*Prophetarum dicta*] licet de uno tantùm faciat mentionem quia unus est liber 12. Prophetarum, & omnes communicant illo libro. vel Interlinearis solvit: verba de salute gentium agentia [*scriptum est*] *Amos in fine*: secundum aliam literam.

Vers. 16. *Revertar*, ad literam post transmigrationem & captivitatem Iudæorum & destructionē tabernacoli reduxit eos Dominus in Ierusalē & reædificaverūt Hierusalē & templū, ita ut gentes hoc vidētes laudarent Deum. sed de hoc nihil

Mysticè nihil ad præsens. Sed mysticè, consonat ei quod dictum est supra proximo: *dimisit eos* scil. gentes ingredi vias suas. sed post hoc revertar ad eas & reædificabo locis tabernaculum David, id est fidem dando per quam purificentur. Hoc intendunt Simon & Iacobus. vel tabernaculum umbra legis est Pharisæorum traditionibus corrupta, quæ Deo in carne apparente per gratiam & fidem erecta est, ut non tantum Iudæi sed & gentes nomen eius requirant.

Vers. 17. *Cæteri*, præter Iudæos Christo credentes [*Dominum*] qui benefecit Israeli in se confidenti [*invocatum*] a sacerdotibus in baptismo *Num. 7. Invocabunt nomen meum super filios Israel*, & ponitur hic præteritum pro futuro more prophetico, id est invocabitur. [*Hæc*] qua prophetata erant implens.

Vers. 18. *A seculo*: præscivit ab æterno quod futurum erat in gentibus.

Vers. 19. *Ego*, concordans Petro. [*judico*] rectè judicat quod trium testimonio confirmatur, duorum scil. Apostolorum & Prophetæ. *Deut. 19. In ore duorum vel trium testium &c.* [*non inquietari*] Gloss. quos Deus ædificat homo non
Quæstio. inquietet. Sed quare judicat & definit Iacobus
Solutio. & non Petrus? solutio. quia erat Episcopus Hierosolymitanus, & quia ibi mota erat quæstio ad ipsum spectabat solutio.

Vers. 20. *Scribere*, judico [*abstinere*] hoc sit eorum circumcisio [*contaminationibus*] coltibus [*& fornicatione*] ut casti sint ad quæ maxime pronæ erant gentes, [*& sanguine*] ne bibant sanguinem dijs suis immolatum secundum pristinum morem. Quare autem suffocatum prohibuerint non satis patet, sicut dicitur in historia. primum prohibetur propter cultum unius Dei. 2. propter moralia decalogi. 3. & 4. propter sobrietatem & honestatem. inhonestum est enim & ascribitur gulositati vel avaritiæ comedere suffocatum morticinum scilicet vel à bestia jugulatum & in parte comestum. Item lecacitatis est sic occidere volatilia ut non extrahatur sanguis quod faciunt lecatores ut carnes sint teneriores. Hæc duo ultima dicit *Beda in Glossa* ad tempus prohibita gentibus donec confirmati essent in Evangelio: sed postmodum concessa pro inveterata gentilitatis consuetudine, sed ne putentur eadem perfectioribus sufficere, statim signanter additur.

Vers. 21. *Moyses enim &c.* quasi etsi præceptorum acerbitate non graventur modò, postmodum tamen cum ad lectionem Moysis & Prophetarum convenerint paulatim vita instituta & servandæ invicem dilectionis jura suscipient. primitivam enim ecclesiam adhuc Iudaizantem hæc sabbatis celebrasse constat. Et nota quod observantia legalium utilis fuit & necessaria ante passionem Christi, & erat peccatum non servare à passione usque ad confirmationem discipulorum in fide Christi & evangelij. & differentia post confirmationem abolita, & esset peccatum servare ea, quod patet *Gal. 5.* unde in illo medio statu potuit dici gentibus ut audirent ea
** nomen MS.* * [*non ut*] facerent sed ut spiritualiter intelligerent, & etiam sic in fide confirmarentur. Potest etiam dici Iacobum hoc dixisse non ut artaret eos ad legem sed ut honorificè duceretur synagoga ad sepulchrum, & ne omnino gentes despicerent legem si nihil imponeretur eis de legalibus. Ideo ad tempus hæc duo prohibita sunt scil. quamdiu fuerunt legalia indifferentia: & hæc duo præcipuè ad quæ proniores erant.

Sed contra hanc Bedæ sententiam opponi- *Obiectio.*
tur, quia dicitur in textu, [*hæc necessaria*] *Rabanus* autem dicit necessaria esse sine quibus non est salus. ergo simpliciter non ad tempus prohibita. Item videtur hoc ipsum astruere Hieronymus super illud *Ezechielis 44. morticinum & captum à bestiis non comedet sacerdos.* dicens & hoc ponitur illa Glossa, (oleo spirituali) ergo &c: si conceditur, contra 1. *Tim. 4. nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. & Rom. 14. scio quod nihil in. mundũ &c.* Et infra v. 20. *omnia mun-*
da sunt: ergo licet eis oti. Solutio. secundum *Solutio.*
Bedam dicendum quod necessaria dicuntur utilia & intelligitur dictum de idololatria & fornicatione. Ad aliud dicendum quòd Rabanus & Beda de hoc diversa sentiunt. unde secundum hoc non est inconveniens si Rabanus dicit falsum vel è contrario. Hieronymus autem non
dicit quòd sit necesse servari * & conveniens, ** fortè sed*
& hoc verum est propter prædictas rationes: ut scil. nota avaritiæ & leccacitatis declinetur. Vel si vis dicere quòd sit necesse, verum est secundum veritatem prout accipiuntur hic & tenemur ad ea sicut ad alia non ad tempus sed semper, & sunt præcepta non veteris sed novæ legis. Intelligitur autem non de quolibet sed de sanguine humano qui effundi prohibetur secundum glossam, ut quæ sibi non vult fieri alteri non faciat. *Tob. 4.* quod est inferius præceptum dilectionis proximi: quo superius est illud *Math. 7. quæcunq; vultis ut faciant &c.* Per primum malitia compescitur, per secundum benignitas propagatur, quod quasi rudibus nec dum impo-
nunt. [*Moyses enim &c.*] quasi ibi paulatim * di- ** dicere MS.*
scere possunt integram dilectionem proximi. Similiter intelligitur suffocatum non jugulatum à bestia sed coarctatur ad oppressionem quæ fit inter homines quando major opprimit minorem, & suffocat, & sic idem prohibetur hinc & inde: scil. ut quod sibi non vult fieri non faciat alij, & sic nulla est contrarietas inter Hie-
ronymum & Rabanum. Sed adhuc quæritur *Quæstio.*
quare hæc sententia definitiva non declaratur? magis enim debuit poni nomen speciei quam
nomen generis ut diceretur à quo sanguine & à ** fortè quia*
quo suffocato. Solutio duplex. Prima, * quæ *Solutiones.*
scribebatur gentibus habentibus usum comedendi sanguinem, quibus non erat abominabilis sanguis, nisi humanus, unde sciebant Apostoli quod intelligeretur; & sic plana est sententia respectu eorum ad quos mittebatur. Alia: ut servaretur mysticus sensus, quia comedere
suffocatum est * imitari eum qui per confessio- ** Mori MS.*
nem non eijcit sanguinem peccati. [*Moyses enim*] sic junge ne sententia sit dubia. Ideò judico non tantum dicere sed scribere quia scriptura Moysi, qua mãdatur circucisio singulis sabbatis legitur.

Vers. 22. *Tunc*, tertia pars: dicente Petro, narrantibus Paulo & Barnaba, judicante Iacobo merito. placuit commendare legatis fidelibus. [*viros*] præter Apostolos & seniores [*pri-*

 mos]

mos] qui non erant Apostoli. *Rabanus*. missi à Christo legati suos possunt mittere legatos.

Vers. 23. *Apostoli*, communis titulus ponitur ne aliqua dissentionis occasio relinquatur. [*Salutem*] eclipsis: quia omne verbum augustum est in latitudine charitatis. nullum verbum ponitur ut omnia simul bona eis velle intelligantur. Et nota primum stili beneficium est quod Apostoli gentiles vocant fratres id est unius Dei filios.

Vers. 24. *Quidam ex nobis*, de quibus supra est simile 1. *Ioh*. 2. *turbaverunt*: gravem volentes imponere sententiam. *evertentes*: à veritate evangelij. *non mandavimus*: ideo dictũ est, *exeuntes &c.* veleuntes à veritate, supple verborum quæ *non mandamus*: *Ierem*. 23. non mittebam prophetas & ipsi currebant.

Vers. 25. *Placuit*, non coacti sumus sed ex voluntate decrevimus. *collectu*: ut major sit autoritas.

Vers. 26. *Hominibus*, commendantur credatur eis. *tradiderunt*: in omnem tentationem. *animas*: vitas. *pro nomine*: nominis annunciatione.

Vers. 27. *Misimus ergo*, quia complacuit nobis. *& ipsi*: cum Paulo & Barnaba. *referent*: quæ in epistola continentur. *eadem*: quæ Paulus & Barnabas.

Vers. 28. *Visum*, humano quidem sensu sed sano. *Spiritui Sancto*: qui arbiter suæ potestatis ubi vult spirat *Ioh* 3 & quæ vult loquitur. *& nobis*: quibus sine spiritu nihil visum est. *hæc necessaria*: ut supra.

Vers. 29. *Bene agitis*, perfecta justitia, declina à malo & fac bonum. talis institutio sobrietatem & prudentiam docet & justitiam *Sap*. 8.

Vers. 31. *Cum legissent*, fideles ex gentibus in Antiochia. *consolatione*: qua dictum est nihil oneris imponere &c.

Vers. 32. *Ipsi*, præter Paulum & Barnabam. *Propheta*: doctrina & futurorum denunciatione. *consolati sunt*: consolatione prædicta. sicut in ipsa epistola continetur. *confirmaverunt*: in fide evangelij præter legem.

Vers. 33. *Facto*, in Antiochia. *dimissi sunt*: Iudas & Silas, id est abire permissi in Hierusalem.

Vers. 34. *Visum est*, materia futuri sermonis. *abiit*: Hierusalem.

Vers. 35. *Docentes*, de moribus perfectis. *evangelizantes*: Christum & regnum cæleste. *pluribus*: doctoribus. *Domini* non suum nec fictum. his diebus impletum est illud *Gal*. x. cum venisset Cephas &c.

Vers. 36. *Post aliquot*, quarta pars. *visitemus*: utrum firma sit eorum fides.

Vers. 38. *Eum*, Barnabam. *in opus*. evangilij. *non debere*. ne contagione eius qui timore fugerat vires aliorum corrumperentur.

Vers. 39. *Discederent*. non vitio commoti, sed spiritu instigati ut pluribus prædicarent. non enim omnis contentio peccatum est, sed tantum injusta, nec erant eis voluntates contrariæ sed vita. uterq; enim intendebat commodum ecclesiæ. Barnabas timebat ne ille desperaret, Paulus ne alios pusillanimes faceret. *assumpto Marco*: qui legitur eius consobrinus fuisse. *Cyprum*: primam insulam. supra 4. ibi, prædicaturus.

Vers. 40. *Electo Sila*, quem ad hoc remanere fecerat. *traditus*: commendatus.

Vers. 41. *Syriam & Ciliciam*, brevitatis causa non nominat singula loca. *ecclesiam*: quę jam fundata erat.

Caput XVI.

PErvenit autem &c. Hoc capitulum dividitur in quatuor partes. In prima agitur de inventione, commendatione & circumcisione Timothei quem secum duxit Paulus. In secunda de prohibitione prædicationis in Asia & visione Macedonis & transitu in Macedoniam, ibi: [*transeuntes*] In 3. de prædicatione facta mulieribus in sabbato & conversione Lydiæ quæ eos recepit hospitio, ibi: [*eramus autem*] In 4. de clamore Pythonissæ & sanatione eius & incarceratione Pauli ad instantiam Dominorum eius & liberatione per orationem, ibi: [*factum est autem*]

Vers. 1. *Timotheus*, qui interpretatur beneficus. [*viduæ*] vel Iudææ. Gloss. & Iudæam eam fuisse patet ex hoc quòd ait. [*patre gentili*]

Vers. 3. *Circumcidit*, quare hunc & non Titum? *Gal*. 2. Solutio triplex: Ratione temporis personæ & officii. Temporis, quia tunc erat indifferens servare legalia ut prædictum, nec epistola Apostolorum prohibebat vel iubebat hoc fieri. Sed in conversione Titi iam divulgatum erat evangelium & cessabant omnino legalia. Personæ; quia Timotheus Iudæus erat ex parte matris, Titus utrobiq; gentilis. unde esset scandalum Iudæorum nisi circumcideretur. Officij; quia Timotheus fuit episcopus conversorum ex Iudæis & ideo eis debuit simulari: Titus Episcopus conversorum ex gentibus. [*propter Iudæos*] ne scandalizarentur vel ipsum persequerentur, vel à fide abalienarentur 1. *Cor*. 10. *Iudæus Iudæis factus sum &c.* quibus vetus umbra paulatim tollenda erat, sicut gentibus Idololatria. Item lex à Deo instituta illo tempore potuit ab Apostolis usurpari pro declinanda perfidia Iudæorum: gentilis autem ritus à Satana institutus à sanctis nunquam est receptus, nec conversi redire permittebantur ad illum, sicut revertentes ad piscationem. *Ioh*. *vlt*. Matthæus non redijt ad telonium. Titum autem ideo non circumcidit ne occasionem circumcidendi acciperent gentes ab eo. unde dicit: *Gal*. 2. sed propter subintroductos falsos fratres. [*Illis locis*] Lystris & Iconio.

Vers. 4. *Dogmata*, statuta non quod ipsi fecerant. exemplum rectè docendi etiam quę non feceris. [*decreta*] per voluntatem Dei.

Vers. 5. *Confirmabantur*, in his qui ante crediderant. [*abundabant*] inferitur ad laudem Apostolorum & commendationem evangelij.

Vers. 6. *Transeuntes*, secunda pars. [*Galatiæ*] in qua sunt Galatæ, dicti à candore quia interpretantur lactei. [*In Asia*] minore quia ferè omnes civitates & regiones prædictæ sunt in Asia maiore. Beda. terribilis Deus in consiliis super filios hominum. Quidam vult sequi Iesum nec permittitur. alter sequi jussus

patrem

patrem sepelire prohibetur. *Math.* 8. Saulus repugnans trahitur: *supra* 9. Cornelio oranti & eleemosynas facienti quasi pro remuneratione via salutis ostenditur: *supra* 10. Et nunc qui novit corda, beneficij gratia doctorem removet ab Asia ne sanctum detur canibus *Math.* 7. & cor iniquum contempta prædicatione gravius judicetur. Item vetantur isti quia Asia servabatur Iohanni. Hieronymus etiam dicit quod tunc erat fames facta sub Claudio, & quia adhuc canes erat Asiani permisissent Apostolos mori fame. [*à spiritu*] Gloss. qui præsciebat illos non modò credituros.

Vers. 7. *In Mysiam*: quæ est in Europa. tunc enim de Asia transierunt in Europam. [*in Bithyniam*:] id est rursus in Asiam in qua nondum ostium apertum. *Col.* 4. Ergo faciebant contra prohibitionem spiritus Sancti. Solutio. non credebant prohibitum nisi ad tempus. [*non permisit*] quia non erant salutem recepturi. *Rabanus.* in figura huius facti feminalibus induebantur sacerdotes *Exod.* 28. *& Ezech.* 44. velut *feminandi opus non facturi. *Rabanus.* permittuntur Apostoli velle sed non ire ut appareat infirmitas humana, & dicat Deo fiat voluntas tua, nominantur & provinciæ alijs reservatæ, ut Iohanni, Philippo & Lucæ qui in Bithynia obijt.

* *feminaturi legis Glossa.*

Vers. 8. *Troadem*, ubi erat ostium apertum.

Vers. 9 *Vir*, Angelus illius gentis assimilatus Macedoni proprietate linguæ in quo notatur solicitudo angelorum circa nos, & instruitur prælatus ut quærat sibi adjutorem. *Prov.* 18. *frater qui adiuvatur à fratre &c.* [*stans*] Angeli domini semper stare dicuntur. [*deprecans*] ex forma humana. [*dicens*] forma speciali vel indicio verbi. [*in Macedoniam*] hic patet virum fuisse Macedonum. [*nos*] ex persona hominis dicitur. non enim indigent angeli auxilio hominum, & innuit Macedones per angelos à Deo inspirari vel per alios doctores cæpisse doceri.

Vers. 10. *Statim*, vel ea obedientia. quæsivimus. hic primò ostendit Lucas se fuisse comitem Pauli.

Vers. 11. *Recto cursu*: scil. plenis velis.

Vers. 12. *Et inde Philippos*: prima venientibus à mari, & sunt prædicta nomina civitatum. [*Colonia*] *Beda.* quæ pro defectu indigenarum cultoribus impletur. unde à cultura agri dicitur colonia.

Eramus autem: tertia pars. [*conferentes*] consiliando vel cogitando: quidam libri habent cõferentes verbum Domini die sabbati.

Vers. 13. *Oratio*, id est locus aptus locutioni prædicantium vel prædicationi orantium. qui enim orat sibi tacitè prædicat vel alijs exemplo. [*loquebamur*] patet quod orationem vocavit locutionem.

Vers. 14. *Purpuraria*, id est purpura induta, vel eam texens vel vendens. ecclesiam significat, quæ sanguinem fundit ut vitam emat, quia purpura sanguine tingitur: & prædicationem à judæis repulsam devotè suscipit. [*Colens Deum*] verũ, quia natura dictabat, vel fortè à Iudæis audierat. [*aperuit*] diabolus corda claudit, sed Dominus aperit.

Vers. 15. *Si judicastis*, id est si digna sum ut in me habitet Deus, & vos. [*manete*] in domos gentilium non consueverant intrare causa Iudæorum. [*coegit*] *Luc. vlt.* Hîc duo exempla sunt cogendi hospites & intrandi ad nuper conversos.

Vers. 16. *Factum est*, quarta pars. [*Pythonem*] nomen maligni spiritus per quem Pythonissę agunt, ut mortuos ad divinationẽ suscitent. sicut 1. *Reg.* 28. Samuel vel potiùs pro eo spiritus immundus suscitatus est, dicit *Beda*. Hoc genus ab Apolline Pythio inventum & nomen accepit: cui etiam Hebræum consonat, quia Pythona dicitur os abyssi. [*divinando*] id est divinationis pretio: & nota quod quidam dicunt hanc non fuisse obsessam, sed habuisse spiritum familiarem, tamen revelantem sibi futura: pro eo quod quædam *Glossa Rabani* dicit, non in facie sed post eos clamitat, femineam servans pudicitiam, ergo erat compos mentis. Item alia *glossa Bedæ Bariæ*: qui fidem impugnavit arte privatum cæcavit, supra 14. hanc quæ perversa licet mente loquebatur vera, solũmodo arte privavit: ergo artem tantum divinandi habens non erat obsessa. Vbi autem infra jubetur spiritus exire solvunt, non quantum ad obsessionem, sed quantum ad revelationem. alij dicunt & melius quòd erat obsessa sicut videtur dicere textus. Et sicut spiritus prophetiæ non datur ad semper nec ad omnem actum; ita & spiritus malus non vexat semper: unde benè poterat quandoque compos esse mentis & femineam servare pudicitiam. Ad aliud dicimus quod arte privata est, non divinandi sed lucrandi, quia non habebat artem licet prædiceret futura.

Vers. 17. *Isti homines*, non est voluntatis ista confessio, sed timore Sp. Sancti cogente vera loquitur. ut mendax spiritus non ausus luce præsente suas tenebras cælare. *excelsi*: licet sint humiles excelsus eorum Deus; qui *annunciant*. servos Dei & Deum breviter laudat ejusque doctrinam.

Vers. 18. *Hoc faciebat*, clamabat aut per bonum naturæ aut Deo cogente per spiritum Pythonicum. [*dolens*] Gloss. illam à diabolo possideri: patet quod èrat obsessa. [*conversus*] quia post eum clamabat. [*præcipio*] potestate non adjuro oratione. hæc est enim potestas eorum ut quæ ligaverint sint signata. *Math.* 16. [*Iesu Christi:*] non meo. [*exire:*] quia indignum erat ut verbum evangelij immundus spiritus nunciaret. Beda. qui purpuratiam ecclesiæ adunavit, hanc immundo ore Deum prædicantem puniens arte privavit non divinandi sed lucrandi ut supra. [*exijt*] ab ea quia erat obsessa.

Vers. 19. *Ejus*, puellæ. [*quia exijt spiritus*] vel spes. [*apprehendentes*] de se tacet Lucas licet cum eis fuit ut vitet arrogantiam.

Vers. 20. *Iudæi*: quia mali sunt vel captivi vel alterius legis.

Vers. 21. *Morem*, fidem Christi in cuius nomine spiritus eiecerat. [*non licet*] Iam enim decreverant Romani ne quis Deus reciperetur ni-

si approbante senatu. [*suscipere*] auditu. [*facere*] actu. [*Romani*] qui meliores Iudæis sunt; vel Domini, vel dissimilis legis.

Vers. 21. *Scissa &c.* alterum ad abominationem, alterum ad pœnam. [*diligenter*] per quod pater major virtus liberationis, & per hoc etiam quod sequitur.

Psal. 118. Vers. 23. *Miserunt eos &c.* [*media nocte*] surgebam ad confitendum tibi. Glos. hac hora & maxime in periculis servanda est diligentia orationis. [*eos*] Paulum & Silam.

Vers. 25. *Erant*, juncti.

Vers. 26. *Vt moverentur*, devotio orantium & virtus orationis exprimitur. [*omnia*] interiora & exteriora. [*vniversorum*] non tantum Pauli & Silæ. Horum exemplo Deum laudat qui esse gaudendum existimat cum in varias tentationes incidit. *Iac. 1. & in suis infirmitatibus gloriatur &c. 2. Cor. 11.*

Vers. 27. *Expergefactus*, magno terræ motu. [*custos*] carceris.

Vers. 28. *Clamavit, Rabanus.* magna vox qua occulta declarantur: sciebat enim in tenebris illum velle occidere se, & inimico custodi pepercit [*vniversi*] vincti quos custodiebas, quos timens fugisse, juste occidere * [*procidit*] propter potentiam aperti carceris & scientiam occultorum.

* *Supple fortasse: se volebat.*

Vers. 30. *Foras*, de carcere. [*Domini*] honorare eos incipit plus quam decuit. [*facere*] sentit se hactenus male fecisse.

Vers. 31. *In Dominum*, non in Dominos ut de nobis dixisti. [*Iesum*] salvatorem illi nunciant qui quærebat salutem. [*domus tua*] credens in eum.

Vers. 32. *Locuti*, non nos tantum, sed ambo præ gaudio, quia ostium fidei apertum erat, vel ostenditur æquitas bene faciendi.

Vers. 33. *Lavit.* & per eos plagas criminis amisit. [*continuò*] Gloss. velocitas obedientiæ, quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.

Vers. 34. *Et apposuit*, bonum utrumq; exemplum. *lætatus*: hic est fructus baptismi scil. lætitia spiritualis.

Vers. 35. *Dimitte*, ne plures credant. [*illos*] quasi despectos. [*indemnatos*] sine reatu certo a judicibus prolato. [*Romanos*] Census professione vel cohabitatione, vel quia filius erat civis Romani: *Infra 22.*

Vers. 37. *Occultè*, cùm publicè flagellaverunt. nolebat eum, ut cum alijs civitatibus prædicaret posset objici quod per fraudem fugisset.

Vers. 40. *Ad Lydiam*, regionem. [*fratribus*] Christianis qui ibi erant. [*consolati sunt*] adventu suo, doctrina, & exemplo. [*profecti*] post verbum consolationis.

Caput XVII.

Cum autem perambulassent &c. Hoc capitulum dividitur in 3. partes. In prima dicitur de adventu Pauli Thessalonicam & de prædicatione eius, & de persecutione ibi insurgente ibi. In 2. dicitur de adventu eius Beræam & quid ibi accidit ei, ibi: [*fratres verò confestim*] In 3. quomodo venit Athenas & quid ibi fecerit, ibi: [*Paulus verò.*]

Vers. 1. *Amphipolim*, nomina civitatum.

Vers. 2. *Consuetudinem*, Iudæorum & Pauli.

Vers. 3. *Pati & resurgere*, quod ad solum Iesum pertinet. Iudæi enim qui passionem & resurrectionem negare non poterant, Antichristum expectantes ea ad Iesum pertinere contradicebant: ideò Paulus non modo Christi mysteria prædicat, sed docet omnia consummata esse in Christo.

Vers. 4. *De colentibus*, Deum. [*gentilibus*] i. de illis qui gentilismum Iudaismo mutaverant, & de his qui gentiles permanserant multi credebant. [*mulieres*] quæ ideò prius credunt ut levius viros trahant.

Vers. 5. *Zelantes*, illos qui credebant. [*assumentes*] *Rabanus.* prima causa malitiæ de vulgo quod pro vulgo mali erant. [*turba*] propter sensum turbatum. [*concitaverunt*] ad conventum commoverunt. [*civitatem*] Thessalonicam *Iasonis*: viri fidelis.

Vers. 6 *Eos*, Paulum & Silam, quos putabant ibi esse. [*trahebant*] putabant eos ab eo occultatos. [*quosdam fratres*] in Græco additur alios: per quod innuitur Iasonem fuisse fratrem.

Vers. 7. *Hi*, Apostoli & eorum successores: supple [*sunt*] [*regem alium*] quod est contra decretum Cæsaris: *Ioh. 19. qui se regem facit contradicit Cæsari.* Apostoli dicebant Christum regem Iudæorum, id est confitentium: unde & Iudæi accusabant. [*concitant*] ipsi prius concitati.

Vers. 8. *Audientes*, qui defendebant & excusabant.

Vers. 9. *Satisfactione*, pecuniaris vel corporali: vel quia negavit se suscepisse eos & sic contra conscientiam: ergo peccavit mortaliter sicut Ananias supra 5. Solutio hoc mendacium fuit officiosum quia profuit non nocuit, illud nocuit & non profuit. Item licet fecerit contra conscientiam facti * vel faciendi, quis conscientia dictavit ei quod non deberet aliter dicere, & si diceret peccaret mortaliter prodendo homines utiles ecclesiæ.

* *forte le: ut tamen faciendi.*

Vers. 10. *Fratres vero*, secunda pars [*Beraam*] civitas. [*synagogam*] fortitudo fidei ostenditur * [*qui*] pro Iudæorum persecutione loqui non cessant.

* *forte, quia*

Vers. 11. *Hi autem*, qui susceperunt eos in Beræa [*nobiliores*] genere vel animo [*scrutantes*] *Ioh. 7. scrutamini scripturas &c.*

Vers. 12. *Multi*, de Beræa [*& viri*] vel virorum.

Vers. 13. *In Thessalonica*, existentes [*& Beraa*] præter Thessalonicam [*& Paulo*] qui erat dux verbi, & ideò postea solus dimissus est ut iret ad mare, ibi: [*Beræa*] [*Athenas*] civitatem Atticæ. [*accepto mandato*] verbo vel per epistolam. [*profecti*] ab Athenis.

Vers. 14. *Fratres*, qui deduxerunt Paulum. quidam putant dictum de Sila & Timotheo ad Paulum profectis.

Vers. 16. *Paulus*, Tertia pars. [*spiritus eius*] ad compatiendum non malitiæ eorum sed naturæ: sicut Christus fremuit in suscitatione Lazari *Ioh. 11.* & David * Absolom 2. *Reg. 14.*

* *forte lege: pro Absolom.*

Vers. 17.

Verſ. 17. *Diſputabat*, inſtigante ſpiritu. [*colentibus*] Deum vel deos: gentilibus.

Verſ. 18. *Epicurei*, ab auctore ſuo qui dicitur voluptatis aſſertor, cuius traditiones ſequentes, felicitatem hominis ſolam corporis voluptatem dicebant. [*Stoici*] Græcè, Latinè elementa: contendebant omnia peccata eſſe paria, felicitatem in ſola animi virtute ponentes, qui inter ſe diſſidentes Apoſtolos unanimiter impugnabant, quia hominem docebant beatum fore in corpore & in anima non in præſenti nec ex ſe ſed gratia Dei in reſurrectione per Ieſum. [*ſeminator verborum:*] quia ſemen eius verbum. *Matth* 13. *&* 1. *Corint*. 9. *Si nos vobis ſpiritualia &c.* Secundum *Auguſtinum* irridendo dicunt, ſed nos non reſpuimus quia verbi ſeminator erat, & meſſor morum quod etiam nos facimus. [*demoniorum*] hoc nomen audierant à Iudæis eſſe abominabile, ideo ei comparant doctrinam Pauli. vel Iudæi ſunt, ſcil. Sadducæi qui hoc dicunt, negantes reſurrectionem, cũ Epicureis qui dicunt ſpiritum mori cum corpore.

Verſ. 19. *Areopagum*, nomen curiæ Athenienſis: ab *Arios* idolo Martis, & *pagos*, quod eſt villa: [*hæc noua*] quantum ad opinionem hęc dicentium, nõ quantum ad veritatem, quia nihil nouum ſub ſole *Eccleſiaſt*. 1. vel [*noua*] quantum ad genera & ſpecies non quantum ad indiuidua, [*ſcire*] qualia ſint & ad quod tendant.

Verſ. 21. *Et nihil aliud*, ideo interrogabant qualis eſſet doctrina Pauli. [*audire*] diſcere. [*aliquid noui*] non ut firmiter crederent, ſed tantum mirarentur.

Verſ. 22. *Per omnia*, i. omnium genera, vel per per omnia dogmata.

Verſ. 23 *Simulachra*, Deorum vobis notorum, [*ſcriptum*] ſingulis aris inſcriptum erat cui eſſent dedicatæ. [*Ignoto Deo*] ſupple *dedicata eſt hac ara:* & unde hoc dicitur in hiſtoria, quia in paſſione Domini quando factæ ſunt tenebræ per tres horas, *Matth*. 28. per totam terram, perceperunt Athenienſes non eſſe eclypſin ſolis naturalem, quam impoſſibile eſt fieri luna decimaquinta, ſed nec tamdiu durat, & ſenſerunt aliam eſſe virtutem ſupra naturam ſolis & planetarum quæ hoc faceret, & Deus eſſet & quem ignorabant quis eſſet, vocauerunt ignotum Deum & ſic colebant eum, [*quod ergo ignorantes*,] ſcilicet, quòd ara confitetur colitis, quia aram eius habetis. [*hoc ego*] non noua ut dicitis ſed illud ignotum. [*annuncio*] ut iam non ſit ignotus Deus. *Beda*. notus in Iudæa Deus ſed non receptus: ignotus Achaiæ licet per multa quæſitus, ideo ignorans ignorabitur *prim. Corinth. decimo quarto*, prævaricator damnabitur, neuter immunis à culpa ſed excuſabilior qui fidem non obtulit Chriſto quem neſciuit quàm qui manus iniecit in Chriſtum quem ſciuit. Dicitur autem Deus ignotus, quem nemo nouit, ut eſt: *Nemo enim nouit filium niſi pater, &c. Matth. vndecim*. Sic erat ignotus & Paulo. vel dicitur ſimpliciter ignotus, quia à gentibus ignoratus.

Verſ. 24. *Deus qui fecit*, per creaturas notificat Creatorem, & nota ſermonis ordinem: prius docet unum eſſe Deum Creatorem hominũ: deinde idolorum opinionem deſtruit eo quod ſaxeis non includatur templis nec egeat ſanguine victimarum omnium Dominus. Tandem aſtruit eum ad cuius ſimilitudinem factus eſt homo non eſſe metallis ſimilem, erroris remedium docens pœnitentiam: & congruè, quia ſi prius cultus idolorum deſtrueret non audiretur à gentibus. unum autem aſſerens Deum, dicit per Chriſtum ſalutem nobis datam, quem tamen magis hominem quam Deum nominat incipiens ab his quæ geſſit in corpore ſupra hominẽ ut comprobet Deum eſſe, fide paulatim creſcente, quia de initiis ad perfecta aſcenditur non è contrario. [*omnia:*] fructus & habitatores cæli & terræ.

Verſ. 25. *Non in manu factis*: non in paruo loco clauditur nec variis coloribus diſtinguitur ut idola: ecce idola deſtruit. [*nec manibus*] quaſi facientium eum. [*colitur*] fit ad hoc ut ſit Deus. [*vitam*] animam quam inſpirat. [*inſpirationem*] aërẽ [*fecit*] Adam.

Verſ. 26. *Ex vno*, homine: in Græco ex uno ſanguine, quia ſanguis propagationem carnis ſignificat, & per carnem intelligitur homo. [*tempora*] ætatum & regnorum. [*terminos*] fines gentium ſingularum.

Verſ. 27. *Quærere*, ad hoc fecit genus humanum ut q̃rat Deum fide. [*attrectent*] charitate. [*quãuis*] quaſi quæritur ab homine, quamuis ſit propè.

Verſ. 28. *Viuimus*, utraque vita.] *mouemur*] utroque motu ſci membrorum & diſcurſu locorũ, [*ſumus*] corporaliter vel ſpiritualiter. *Auguſt. Id operatur in nobis quod viuimus &c.* hoc eſt opus quo continet omnia pertingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter, *Sapient*. 8. *Quod opus ſi ſubtraxerit nec viuemus nec mouebimur nec erimus.* **Quæſtio.** Quæritur quam habitudinem notet hæc propoſitio, [*in ipſo*] & conſtat ſecũdum expoſitionem Auguſtini ꝙ cauſæ efficientis: ſed videtur ꝙ cauſam efficientem verius importaret hæc propoſitio *ab* quam *in*: ſic ab ipſo viuimus &c. **Solutio.** Solutio aliter eſt Deus cauſa efficiens quam aliæ cauſæ: aliæ enim extrinſecæ ſunt non unitæ rei. Deus autem prima eſt cauſa efficiens quod unitur effectui, id eſt ideo in aliis ponitur cauſa quæ notet ſemper actionem, hic autem unionem. Item *viuimus in ipſo*, vita. *mouemur in ipſo*, via; *ſumus in ipſo*, veritate, *Iohann*. 14. vel viuimus quoad initium vitæ, mouemur quoad progreſſum. ſumus quoad conſummationem. [*ſicut & quidam.*] *Beda*. His qui prophetas non recipiunt, auctorum ſuorum loquitur teſtimonio, verſum Arati [illegible] ponens, & de falſis eorum quibus contradicere non poſſunt ſuam veritatem confirmat. [*genus ſumus*,] id eſt creatura & opus quod creauit. *Auguſtinus*. In his quæ creauit oſtenditur indeſinenter operari. neque enim tanquam eius ſubſtantia in ipſo ſumus ſicut dicitur, vitam habere in ſe. *Iohann*. 5. ſed cùm aliud ſumus quàm ipſe, non aliud in ipſo ſumus, niſi quia illud operatur quod viuimus mouemur & ſumus, quia ſi pars poteſt eſſe in toto cuius pars eſt, ipſum totum non eſt niſi in illo à quo conditum eſt: neque hoc ſecundum corpus dicitur, quia & de mundo ſimiliter dici poteſt in quo ſecundum corpus viuimus mouemur & ſumus, ſed de mente ad imaginem Dei facta dicitur quodam excellenti modo, quia qui non eſt in ipſo de quo dicitur *Romanorum vndecimo*, *Ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia*, nihil eſt.

Vers. 29. *Genus ergo*, non natura sed spiritu eius editi voluntate creati & adoptione recreati. [*non debemus*] homo in medio est habens Deum superiorem, aurum & argentum & cætera huiusmodi inferiora quæ non debent ei comparari, ut adorētur opera manuū hominum [*sculpturæ artis*] actibus humanis.

Vers. 30. *Tempora*, præterita. [*ignorantiæ*] qua ignoratus est. [*despiciens*] ignoscens ut venialia: vel de alto aspiciens, vel spernens & indigna iudicans sua noticia. [*annunciat*] per Apostolos. [*hominibus*] prudentibus. [*omnes*] personæ. [*pœnitentiam agant*] ad hoc omnia dicta sunt ut pœniteotiam, quæ est in corde agant in opere.

Vers. 31. *Statuit*, Gloss. quia Deo nihil futurum est. Item dies statutus causa pœniteotiæ est. [*iudicaturus*] introducit quod oderant qui resurrectionem non credebant. [*in æquitate*] ooo secundum acceptionem personarum. [*viro*] Christo vero homine, vel virili & forti cui patet omne iudicium dedit *Iohann. 5.* [*fidem*] resurrectionis suæ exemplo, vel sic statuit indicate, [*fidē præbens omnibus*] quod resurgent. Itē quasi modo oee credimus nec respicimus.

Vers. 33. *Exiuit*, quasi excommunicans eos.

Vers. 34. *Adhærentes*, oon remanentes pro timore. [*Areopagita*] iudex Areopagi qui postea Episcopus Corinthiorum beoedixit Ecclesiam ad euius utilitatem multa reliquit volumina à loco dictus Areopagita.

Cap. XVIII.

Post egressus, &c. Hoc capitulum diuiditur in tres partes. In prima agitur de aduentu Pauli Corinthum, & quid ibi ei acciderit. In secunda de transitu eius in Syriam cum Priscilla & Aquila & disputatione cum Iudæis in Epheso, & transitu in Galatiam & Phrigiam, ibi: [*Paulus vero.*] In tertia de aduentu Apollo in Ephesum & prædicatione eius, quid priscilla & Aquila plenius docuerint, qui post in Achaia prædicauit, ibi: [*Iudæus autem.*]

Vers. 2. *Præcepisset Claudius*, quia uxorem eius sibi familiarem conuerterant ad Iudaismum: quod Ioseph[illegible] nono anoo Claudii factum dicit.

Vers. 3. *Scenofactoriæ, Beda.* exules & peregrini tentoria sibi quibus io via uterentur faciebant. Scenæ enim dicuntur tabernacula quæ obūbrant & fiebant de sagis vel arborum frondibus vel virgultis. vel schenos Græcè Latine funis dicitur, & fecerant funicularii.

Mystice. Mysticè. Sicut Petrus per retia fidei pisces de mari extrahit: sic Paulus umbracula erigendo ab ardore tentationum & ventorum iniuriis verbo & opere defendit.

Vers. 5. *Verbo* Euangelii. [*esse Iesum*] hominem illum esse [*Christum*] i. Deum.

Vers. 6. *Contradicentibus*, Christum non esse. prius autem quam illi venirent Corinthiis non legitur prædicasse, sed expectabat eos, fortè ut firma esset prædicatio duorum vel trium testimonio, vel quia nihil accidebat ab illis, sicut dicitur 1. *Cor. 9. Beda.* Necesse habebat operari ut quæreret sibi cibum: sed illi venientes intenderunt operi, Paulus vero prædicationi. [*excutiens vestimentum*] Gloss. Euangelii complet præceptum, *Matth. 10.* Sed ibi dicitur de pedibus hic de vestibus. Solutio. Non est contrarium, quia excussio pulueris undecunque signum est ingratitudinis auditorū, quod præcipit Domin' fieri, fortè non habebat puluerem in pedibus quia non veniebat de longè, sed ibi diu moram fecerat: ideo excussit de vestibus. *Sanguis*: reatus vestræ mortis sit vel cadat. [*super caput*] animam. *mundus*: in cuius signum excussit vestimenta. *Ezech. 3. Tu animam tuam liberasti.* [*ex hoc*] sanguine ne quæratur de manu mea: vel *ex hoc* tempore, vel loco.

Vers. 7. *Titi*: gentilis. [*Iusti*] aut proprium nomen eius fuit, aut pro iustitiæ merito sic cognominatur. [*colendo Deum*] quia de proximo legem audiebat. Non est ille Titus cum quo & Barnaba Hierusalem ascendit conferre Euangelium cum Apostolis, *Gal. 2.* cui epistolam scribit Episcopo Cretensium.

Vers. 8. *Crispus*, hic quem se baptizasse dicit 1. *Cor. 1.* Crispū & Gaium. [*Archisynagogus*] Princeps synagogæ cui iuncta erat domus Titi.

Vers. 9. *Noli timere*, proximam ostendit tentationem. [*loquere*] Euangelium.

Vers. 10. *Ne taceas*, veritatem propter timorem. [*tecum sum*] *Matt. in fine. Vobiscum sum in &c.*

Vers. 12. *Achaia*, regionis in qua est Corinthus. [*ad tribunal*] ubi proconsul sedebat.

Vers. 13. *Deum*, alterum scilicet Iesum vel [*Deū*] Iudæorum, sed aliter coli præcipit, id est quam patrem.

Vers. 14. *Aperire*, secundum quod erat ei dictum ne taceas, & ex hoc patet Deum cum eo fuisse. [*facinus*] manifestum scelus. etiam gentibus magnum. [*sustinerem*] iudex essem inter vos.

Vers. 15. *De verbo*, declarato & nunc narrato: [*& nominibus*] Iesu & Dei vel Dei patris. [*vestra*] non oostræ & nobis ootæ. [*ipsi videritis*] quasi vos ipsi iudicetis. [*horum*] verborum, argumentum q̃ iudex sæcularis non debet se intromittere de negotiis Ecclesiasticis & è contrario à sensu contrario ubi fiunt annexa iuri Ecclesiastico. Ideo Ozias lepra percussus. *2 Paral. 26.*

Vers. 17. *Apprehendentes omnes*, fideles: in Græco additur, *Græci* [*percutiebant*] & Paulus hoc permittebat: argumentum q̃ percuti possunt, quicunque prædicationem vel diuinum officium vel oogotium fidei impediunt. Græci enim fideles iudicabant in principem infidelem iniuriam quam fecerat Paulo, impediens prædicationem. *curæ*, datiui casus vel ponitur genitiuus pro ablatiuo.

Vers. 18. *Paulus vero*, secunda pars. [*sustinuisset*] persecutionem vel moram. [*dies multos*] annum & sex menses, [*fratribus*] Christianis. [*valefaciens*] benedicens. [*nauigauit*] rediit de Europa in Asiam: sed breuiter anticipat quia prius venit Ephesum, quæ vicinior erat loco in quo erat. [*Priscilla & Aquila*] ordine præpostero. Gloss. fides mutauit ordinem quia illa prior conuersa est. *Col. 3.* non est masculus & femina. & non est masculus & femina, & non est personarum acceptor Deus, supra decimo. [*Cumeo.*] Cōtrà iosra dicitur, quòd reliqui eos in Ephesō? expone [*nauigauit*]

gauit] id eſt nauigare cœpit ut iret in Syriam & iſti cum eo uſque Epheſum non uſq; in Syriam, vel quando receſſit à Corintho, iſti per Epheſum venerunt cum eo in Syriam, rediens autem de Syria ſecunda vice reliquit eos in Epheſo, vel forte antequam perueniret in Syriam miſit pro eis ut venirent ad ſe de Epheſu, & ſimul ierunt in Syriam. [*Cenchreu*] portus eſt Corinthi [*totundit*] quidam legunt pluraliter de Priſcilla & Aquila: quidam ſingulariter de Aquila: *Auguſtiam* & *Hieronymum* de Paulo. unde Hieronymus ſic ponit: [*nauigaa*... Syriam & cum eo priſcilla & Aquila & totundit caput in Cenchreis ſecundum legem Nazaræorum *Leuit* 6 Fecerat votum ad tempus, quo expleto totundit: nec fecit contra decretum Apoſtolorum *ſupra* 15. quia epiſtola illa miſſa fuit gentilibus nō Iudæis, & nōdum erāt ad plenum abolita legalia ſecundum uſum, licet ſecundum fructum, ſed erant indifferentia. Paulus autem Iudæis factus eſt Iudæus ut &c. 1. *Cor.* 9. potius in iſto quam in alio quia hoc parum erat Euangelicum & morale, ſcilicet, quantum ad ieiunium & macerationē carnis, ſed quantum ad tonſionem ceremoniale.

Verſ. 19. *Deuenit*, eundo. *rogantibus*: Iudæis.

Verſ. 21. *Deo volente*, ſimile Iac: 3. ſi Deus voluerit.

Verſ. 22. *Cæſaream*, à Cæſare Auguſto ſic vocatam, metropolin Capadociæ vel Paleſtinæ, nondum in Syriam Phænicis venerat. [*aſcendit*] loco vel merito. [*Antiochiam*] Syriæ.

Verſ. 23. *Facto*, ut ante ſolitus erat. [*profectus*] quia prius crediderant. [*diſcipulos*] ſuos vel Chriſtianos.

Verſ. 24. *Iudæus*, Tertia pars. *Epheſum*: ubi remanſerant Priſcilla & Aquila. [*in ſcripturis*] veteribus.

Verſ. 25. *Viam*, fidem Chriſti, [*Spiritu*] ſancto vel ſuo. [*loquebatur*] prædicabat Ieſum. *Baptiſma*: in aqua tantum & non in ſpiritu. *Iohannis primo.*

Verſ. 26. *Aſſumpſerunt*, ad hoſpitium vel priuatū colloquium. [*expoſuerunt*] docentes ſpiritum eſſe neceſſarium.

Verſ. 27. *Achaiam*, ad Corinthos. [*ſcripſerunt*] Priſcilla & Aquila & cæteri fideles. [*diſcipulis*] Corinthiis. [*ſuſciperent*] ne timerent quaſi Iudæū. [*contulit*] conſolationem, vel profuit, 1. *Cor.* 3. *Ego plantaui Apollos rigauit &c.* [*crediderant*] prius Paulo prædicanti.

Verſ. 28. *Reuincebat*, & ſic conſolabatur Chriſtianos.

Caput XIX.

F*Actum eſt autem &c.* Hoc capitulum diuiditur in tres partes. In prima agitur de aduentu Pauli Epheſum & de his quæ fecit ibi. In ſecunda dicitur quomodo propoſuit ire Hieruſalem & inde Romam, & de diſcipulis, quos miſit in Macedoniam pro collecta, ibi: [*his autem expletis.*] In tertia de commotione populi facta per Demetrium & eius artifices, ibi: [*facta eſt autem*] Item prima pars diuiditur in tres. In prima agitur de baptizatis baptiſmo Iohannis, quos Paulus baptizauit in Epheſo. In ſecunda de prædicatione Pauli & in duratione quorundam & aliorum ædificatione & miraculis eius, ibi: [*Introgreſſus autem*] In tertia de quibuſdam Iudæis adiurantibus dæmones quos ipſi dæmones inuaſerunt, & confeſſione fidelium & combuſtione librorum, ibi: tentauerunt autem.

Verſ. 1. *Veniret Epheſum*, ut Priſcillam & Aquilam reliquit. [*quoſdam*:] baptizatos forte ab Apollo vel à Iohanne: ſecundum Auguſtinum. [*Spiritum Sanctum*:] id eſt, ſi baptizati eſtis baptiſmo Chriſti quo datur Spiritus ſanctus.

Verſ. 2. *Si Spiritum ſanctum*, i. impoſitionem manus poſt baptiſma qua datur Spiritus ſanctus ad robur.

Verſ. 4. *Pænitentiæ*, non indulgentiæ quia Iohannes pænitentiam docuit non peccata remiſit, ſicut circumciſio in patribus fuit ſignaculum fidei *Roman.* 4. ſic baptiſmus Iohannis ſignum fuit deuotionis populi & figura baptiſmi Chriſti quo peccata remittuntur. [*dicens*] baptizando. [*poſt ipſum*] cuius erat præcurſor. [*in Ieſum*:] dicentem. *Matth. in fine. Docete omnes gentes baptizando eos.*

Verſ. 5. *His auditis*: quaſi credere in Spiritum ſanctum. Iohanni non eſt contrarium dicenti, ego baptizo aqua, ille autem baptizabit vos Spiritu ſancto, *Marc.* 1. [*baptizati*] Gloſſ. non rebaptizati. *Rabanus.* Non eſt baptiſma quod non datur in nomine Trinitatis quæ in nomine Chriſti intelligitur per ungentem, unctum & unguentum. Quòd autem Gloſſa Rabani dicit, Baptizati à Iohanne rebaptizati ſunt, non dicit iterationem effectus quia nullus præceſſerat, ſed tinctionis in aqua. [*In nomine Domini Ieſu*] quod audierant Iohanni congruere dicenti ut crederetur in Ieſum.

Verſ. 6. *Manus*, conſumationis. *loquebātur*: ſignū conſuetum Sp. S. ſuſcepti. *prophetabant*: docendo vel futura prædicendo.

Verſ. 7. *Fere duodecim*, *Beda.* Iudicia Dei abyſſus multa: Aſia prius viſitatione Apoſtolorum indigna (*ſupra* 16.) numero ſacratur Apoſtolico & prophetiæ munere ſublimatur.

Verſ. 8. *Introgreſſus*, ſecunda pars. loquebatur. breuiandi cauſa tacet quid loquebatur. [*diſputans & ſuadens*] rectus ordo, diſputat oſtendens regnum Dei eſſe, & ſuadet illud quærere, per tres menſes: id eſt tres defectus qui in nobis ſunt: ſcilicet, imperfectio cognitionis & dilectionis & carentia fruitionis. *Pſal.* 88. *Nunquid vane conſtituiſti omnes filios hominum?* quaſi non, ſed ut perfecte te cognoſcant, te diligant, te fruātur, & ita ſequitur regnum Dei eſſe.

Verſ. 9. *Maledicentes*, non ſolum non credentes. [*viam*] doctrinam. [*Diſcedens*] *hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correctionem deuita*, *Tit.* 3. [*diſcipulos*] ne interficerentur. *Beda.* infidelium blaſphemmiis inficerentur *prim. Corinth. quint. modicum fermentum &c.* [*in ſchola*] ædificio quo tyrannus docebat, ut ubi abundauit perfidia fides floreat: & poteſt eſſe nomen dignitatis, vel proprium quod interpretatur continens eos vel confirmans. *Gloſ.* traditur quod ab hora quinta uſque ad nonam vel decimam docebat, quinque horas dans doctrinæ & quinque operi duas cibo & orationi, quod nulla tamen auctoritate confirmatur.

Verſ. 10. *Hoc* diſputatio in ſchola. [*per biennium:*] hoc tempore in Epheſo ſcripſit primam ad Corinthios Epiſtolam, mittens per Timotheum. [*in Aſia*] minore, à qua prohibiti ſunt *ſupra* 16. Sed nunc permiſſi. vel prohibiti ſunt quoad conſummationem miniſterii quæ ſeruabatur Iohanni, non quoad intrandum primitias fidelium.

Verſ. 11. *Non quaslibet*, id eſt non modicas, quia nulla Dei virtus modica eſt. vel [*virtutes quaslibet*] id eſt quantumuis magnas quia nulla erat Deo impoſſibilis, qui nullo impeditur loco.

Verſ. 12. *Super languidos:* more ſuo narrationem breuiat. [*ſudaria*] quibus ſudor laborantibus tergitur. [*ſemicinctia*] veſtes ex uno latere pendentes, vel zonæ, vel veſtes nocturnæ, vel genus ſudarii quo Hebræi utuntur in capite. [*& recedebant*] *Iohan.* 14. *maiora horum faciet.*

Verſ. 13. *Tentauerunt*, Tertia pars. [*circameuntibus*] inconſtantibus. [*exorciſtis*] adiuratoribus. Ioſephus. excogitauit Salomon, & docuit ſuos modos exorciſmi, quibus immundi ſpiritus expulſi non audebant ultra ad hominem reuerti, etiam per reprobos ad eorum condemnationem, & audientium utilitatem, quia licet illos deſpiciant q ſigna faciunt, Deum tamen honorant, ad cuius innocationem exeunt. *Matth.* 7. *Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus:* [*prædicat*] quaſi nos non prædicamus: ecce ſignum infidelitatis. [*cuidam*] vel cuiuſdam.

Verſ. 14. *Sceua* proprium nomen Sacerdotis.

Verſ. 15. *Ieſum noui.* Gloſſ. de hoc dicitur:

Arati verſus.

——— ——— ——— cognoſce furorem
Gens inimica tuum, dæmon regnare fatetur,
Quem veniſſe negas, atq; hoc conuincere ipſo,
Quo ſtimulante ruis.

[*Qui eſtis*] tentantes inuocate nomen Ieſu. quaſi in hoc actu non cognoſco vos. alias autem melius cognoſcebat eos quàm Paulum, quia ſuam in his videbat imaginem.

Verſ. 16. *Amborum* exorciſtarum. forte alii quinque fratres fugerunt vel ipſi duo ſoli adiurabant eum. [*peſſimam*] graue ad nocendum. *Beda.* ſicut Sathanas transformat ſe in angelum lucis, 2. *Cor.* 11. ita & miniſtros ſuos. unde ſicut ſeptem ſunt dona Spiritus ſancti, &c. cum ſeptem diſcipulis Dominus poſt reſurrectionem comedit *Iohan. vlt.* ſic ſeptem decurrunt filii Sceuæ qui interpretatur vulpecula clamans, & ſignificat propter aſtutiam omnes Eccleſiæ inſidiantes, hæreticos gentiles & Iudæos. *Cant.* 3. *Capite nobis vulpes paruas garrula voce contra Eccleſiam perſtrepentes.*

Verſ. 17. *Hoc*, quod dæmon inualuit. [*cecidit*] propter hoc factum.

Verſ. 19. *Multi*, Philoſophi: [*curioſa*] artem magicam vel philoſophicam quæ inutilis eſt quoad animam, vel necromantiam cuius licet ſit bona ſcientia, tamen uſus uno modo ſimpliciter malus, ſcilicet, quando homo diabolo thurificat adorãs eum ut faciat quod vult. alio modo bonus* inſidiat malo fine. quando per occultas virtutes herbarum & verborum coguntur dæmones homini obedire. [*coram omnibus*] exemplum relinquentes [*pretiis*] quæ inde poſſent haberi ſi venderentur: vel quibus cõparati erant, ſed ad* ——— ex quo cõburebantur. *Rabanus.* ad oſtendendum maiorem virtutem fidei illorum: nec mirum, quia dæmões quibus ſeruiebant videbant Ieſum appellare & eius Apoſtolos honorare. [*quinquaginta millium denariorum*] *Beda*, ſub quinquageſimo numero debitorum laxatur *Luc.* 19. quia per quinque ſenſus corporis tranſgredimur decalogum. Sed hic propter enormitatem magici ſceleris millenarius additur. aliter 50. numerus additur ad pænitentiam & remiſſionem peccatorum: unde quinquageſimus Pſalmus pænitentialis eſt, & quinquageſimus annus remiſſionis. *Deuteronom. quint.* & 25.

**forte niſi ſias*

** Forte ſupple [ad nihil valebant] aut aliquid ſimile.*

Verſ. 20 *Ita fortiter*, quod libros combuſſerũt.

Verſ. 21. *His autem expletis*, biennio [*in Spiritu*] ſancto vel ſuo. [*tranſita*] quia iam ibi prædicatum fuerat, ideo tranſitus ſufficiebat. tranſire volebat de Aſia in qua eſt Epheſus in Europam: ubi Macedonia & Achaia ſunt, & ſic per Aſiam redire in Hieruſalem. [*Romam videre*] forte prius non viderat, vel leuem ducebat tribulationem quam ibi paſſurus erat.

Verſ. 22. *Mittens autem*, quamuis ꝑponeret venire ad præparandam eleemoſynam quam ferret ſanctis in Hieruſalem, 2. *Cor.* 9. [*in Aſia*] minore.

Verſ. 23. *Turbatio*, diſſenſio Pauli & fidelium cõtra Demetriũ & infideles. Tertia pars capituli.

Verſ. 24. *Artificibus*, eadem operantibus.

Verſ. 25. *De hoc artificio*, quia de eius pretio lucra habebant.

Verſ. 26. *Non ſunt dii*, opere proprio ſe condemnant. Gloſſa. mira ſtoliditas talia colere quæ ab homine conſtrui vel deſtrui poſſe conſtat.

Verſ. 27. *Pars*, acquiſitio lucrorum. *Beda.* non ſolum opera noſtra vana nec mercede digna redarguentur, ſed religio noſtra dehoneſtabitur, ſi huius doctrina præualuerit, idola deos non eſſe, [*in nihilum*] *prim. Corinth. octau. Idolum nihil eſt.*

Verſ. 28. *Magna*, ſupple: deſtrui non poterit q̃ Demetrius perituram dixit.

Verſ. 29. *Confuſione*, huius clamoris vel duarum partium. [*in theatrum*] Interlinearis. ſpectaculum ubi rei puniebantur, volentes eos ibi puniri. vel ſecundum Bedam locus eſt ſemicirculi formam habens, ubi populus ludos inſpiciebat, unde & nomen habet. De hoc *Arator:*

Non alio decuit cauſas meritumq; Dianæ,
Laſciuo tractare foro, caput area turpis
Conciliis deformis opus.

Verſ. 30. *In populum*, id eſt in theatrum ad populum quia non timebat puniri. [*diſcipuli*] ſui vel fideles amici.

Verſ. 31. *in theatrum*, ubi conuentus populi, ne occideret. [*alii aliud*] alium Deũ dicebant magnũ vel aliud idolum, vel opprobria in Paulum.

Verſ. 32. *Eccleſia*, Catholica. [*confuſa*] à cultoribus Dianæ. [*vel Eccleſia*] tanta collectio illa in theatro permixta fidelibus ſimul & perfidis diuerſa clamantibus.

Verſ. 33. *Traxerunt*, pro reuerentia Iudæi ne defenderet Paulum: vel Chriſtiani ne occideretur quia fauebat eis. [*ſilentio poſtulato*] dum trahit [*volebat reddere rationem*] id eſt, populus redderet rationem concilii, vel ipſe rationem redderet ꝑ Paulo & ſuis.

Verſ. 34. *Quem*, Alexandum: [*omnium*] Iudæorum.

Verſ.35. *Sedaſſet*, vix poſtulaſſet ſilentium. [*viri*] hæc eſt ratio. Supple oportet vos ſedari. [*enim*] pro quia, [*quis eſt, &c.*] & ſic legitur cauſaliter vel expletiuè poteſt legi, ut ſit tantum ad ornatum ſermonis ſicut Martinus ergo . . [*quis neſcit*] quaſi nullus noſtro clamori contradicit. [*Iouiſque prolis*] ſecundum fabulas.

Verſ.36. *Agere*, in Paulum & ſuos.

Verſ.37. *Homines iſtos*, ex induſtria communiter loquitur ne Paulũ defendere videat. [*ſacrilegos*] *Rabanus*. qui dicuntur à prophana diligenta quaſi colligentes ſuperſtitioſa in doctrina. Sacrum enim dicitur execrabile vel prophanum.

Verſ.38. *Aliquem*, Chriſtianorum. [*forenſes*] à fo ubi cauſæ ventilantur, non theatrales vel damnari puniuntur. [*Proconſules:*] ut iudicent. [*accuſent.*] Demetrius & ſui coram conſulibus diſceptent.

Verſ.39. *Si quid*, præter cauſam artificum. [*in legitima*] ubi de legibus agitur non de occiſionibus.

Verſ.40 *Nam & periclitamur*, Ideo agantur quia putabimur ſeditionem aduerſus alios concitare. [*obnoxius*] reus & occidi dignus. [*ratio concurſus*] cauſam conueniendi. *Rabanus*. hoc ait quaſi Iudæus nolens Iudæos ab idololatris occidi, vel quaſi Chriſtianus.

Myſticè. Iſte Demetrius ex re nomen habet qui interpretatur multum perſequens; templum Dianæ argento ædificat quia gentilis aſtutia religionem ſuam nudo ſermonis nitore ſolet aſtruere. Myſticè.

Cap. XX.

Poſtquam autem ceſſauit &c. Hoc capitulum diuiditur in quatuor partes. In prima dicitur quomodo Paulus recedens ab Epheſo venit Athenas. inde propter inſidias Iudæorum rediit Macedoniam præcedentibus eum ſeptem ſociis. In ſecunda de ſuſcitatione iuuenis cadentis de feneſtra Paulo prædicante, ibi, [*vna autem ſabbathi.*] In tertia dicitur quomodo venit Miletum conuocatis maioribus natu Epheſiorum, ibi: [*nos autem aſcendentes*] In quarta agitur de de ſermone quem fecit Mileti, ibi: [*vos ſcitis.*]

Verſ.1. *Profectus eſt*, ut propoſuerat.

Verſ.2. *Exhortatus*: ſuo more hiſtoriam breuiat. [*ad Graciam:*] Athenas.

Verſ.3. *Inſidiæ*, obſederunt viam expectantes nauigaturum. [*In Syriam*] Hieruſalem. [*vt reuerteretur*] fugiendo inſidias.

Verſ.4. *Comitatus*, nominatiuus caſus. Soſipater. Rabanus. Antiqui ſic diſtinguunt Soſi pater Pyrrhi, quaſi Pyrrhus clarior fuerit quam pater. vel ſic [*Soſipater Pyrrhi*] ſupple filius, & interpretatur narrans vel ſaluans diſperſos. [*Beroenſis.*] nominatiuus [*Ariſtarchus*] ſuſcitans coronam vel mons ſtructuræ ſuperfluæ. [*Secundus*] proprium nomen & interpretatur eleuans. [*Derbæus:*] à loco [*Timotheus*] beneficus [*Tychicus*] tacens vel taciturnitas. [*Trophymus:*] diſſolutus vel diſſoluens thalamos.

Verſ.5. *Præceſſiſſent*, recta via, quia non timebant inſidias [*nos:*] Paulum Lucam & alios in circuitu venientes.

Verſ.6. *A Philippis*, quæ eſt prima pars Macedoniæ.

Verſ.7. *Vna ſabbathi*, ſecunda pars. [*vna*] i. prima ſcil: dominica quæ eſt prima à ſabbato. Gloſſ. nomen diei ponitur vt ſit præparatio virtutis faciendæ, vel docendæ. [*frangendum.*] ad myſteria celebranda congregati. [*panem:*] ſpiritualem vel corporalem. [*mediam noctem*] quia in craſtino iturus erat.

Verſ.8. *In cænaculo*, quod myſtice eſt altitudo chariſmatũ: [*nox*] obſcuritas ſcripturarum: [*lampades*] exquiſitio ſecretorum: [*dies dominica*] memoria reſurrectionis Chriſti vel noſtræ. Hic datur exemplum & via prædicatoribus de obſcuris lucide prædicandi [*ſicut*] Gal. 4. Abraham duos filios habuit. & poſt, hæc ſunt duo teſtamenta. Myſticè.

Verſ.9. *Feneſtra*, ad literã vel myſticè fide. [*graui*] propter infirmitatem fidei. [*ſomno*] ſpirituali vel carnali. [*diſputante*] quaſi hæc eſt cauſa dormitationis. [*de tertio*] in aliqualem errorem Trinitatis. vel triplex *cænaculum, fides, ſpes, charitas, ſed maior eſt charitas.* 1. *Cor.* 14. de qua q. cadit moritur, [*ſublatus*] de terra vel de prauitate ſenſus, [*mortuus*] carne vel ſpiritu. Gloſ: inter verba prædicationis occurrit occaſio curationis vt dulcedine mirabili ſermo firmetur & vigiliarum labor arceatur, diſceſſuri etiam magiſtri memoria menti arctius imprimatur. Myſticè.

Verſ.10. *Deſcendiſſet*, de cænaculo vel compatiendo. [*anima eius*] Gloſſ. non ex toto abſceſſit. Obiectio.
Contrà, ſupra dicitur mortuus? Solutio. verbum Solutio.
[*toto*] dicit totalitatem temporis, quaſi [*abſceſſit*] ſed non ſic quaſi nunquam reuerſura, imò ſtatim. ſimile, *Math.* 9. *non eſt mortua puella ſed dormit.* [*ia ipſa eſt*] id eſt erit in proximo & loquitur prophetical i certitudine. vel hoc dixit poſtquam iam fuerat amplexatus eum & ſic anima redierat.

Verſ.11. [*Guſtans*] cibum ſed paruum. Gloſſ.

Verſ.12. [*Conſolati ſunt*] paſſiuè.

Myſticè. [*Incubuit & complexus,*] *Galat. quart.* quos iterum parturio. operoſiur eſt enim ſuſcitatio peccantium per negligentiam quam per infirmitatem. hæc per iſtum illa per Tabitbam ſignificatur *ſupra* 9. illa die, hic nocte moritur, illa in cænaculo ponitur, unde iſte cadens moritur. illa Petro abſente hic doctore præſente: illa mox viſo Petro reſedit, hic tandem manè reſurgit orta ſule iuſtitiæ *Mal. in fine.* interpretatur aut amens aut fortunatus, quorum alterum caſu alterum reſuſcitatione tangit. Myſticè.

Verſ.13. *Aſcendentes nauem:* Tertia pars. Paulo per terram eunte.

Verſ.14. *Aſſon*, ciuitas vel inſula. [*Mitylenen*] Gloſſ. inſula vel ciuitas circa Aſiam quæ interpretatur declinans vel tranſmigrans: vel Mitylene ciuitas eſt in Cypro inſula.

Verſ.15. *Chium*, inſula vel ciuitas. [*Miletum*] inſula eſt.

Verſ.16. *Propoſuerat*, ſed mutauit propoſitum. [*Epheſum*] ad vel præter [*Pentecoſten*] ſcil. 50. *Beda* cunctat Paſchæ tẽpus & Pentecoſtes temporibus Apoſtolorum celebratũ. [*Hieroſolymis*] ſecundum præceptum legis, *Deut.* 16. ter in anno, &c. ſed ipſe non ad literam, ſed ſolutis ſeculi nexibus quin-

quinquagesimum diem remissionis, *Leuit.* 25. & Spiritus sanctus agere festiuat. Argumentum q; Episcopi si possunt in solemnitatibus suis debent Ecclesiis interesse.

Vers. 17. *Mittens*, non nauigans. [*maiores*] in Græco Presbyteros.

Vers. 18. *Vos scitis*, quarta pars quæ diuiditur in tres. Primò proponit se exemplum in tribulationibus tam præteritis quam futuris. Secundò proponit se exemplum diligentię habendæ circa subditos, ibi: [*quapropter &c.*] Tertiò ponit se exemplum vitandæ auaritiæ, ibi, [*argentum & aurum.*] Vltimò facta oratione, flentibus omnibus ascendit nauim. [*vos scitis*] non gloriatur sed exemplum se proponit ut imitentur. [*prima die*] quia dictum est supra deuenit Ephesum.

Vers. 20. *Vtilium*, verborum contra hæreticos. [*per domos*] in occulto.

Vers. 22. *Alligatus*, quasi coactus ad illud iter. [*spiritu*] sancto præsciente, vel mente mea. [*mihi*] per me, vel per alios. [*ignorans*] ex me sed sciens ex spiritu: vel [*ignorans*] explicitè, sciens implicitè. [*omnes ciuitates*] non tantum in uno loco.

Vers. 23. *Protestatur*, à parte ostendit. hæc non sibi sed aliis reuelata de se, *infra* 21. In Tyro monebant eum discipuli ne iret in Hierusalem & Agabus. [*Hierosolymis*] ut aliquando persecutus est Ecclesiam, ibi nunc pro pace Ecclesiæ doceret.

Vers. 24. *Animam*, vitam quæ inspiratur ab anima temporaliter, quam pro nihilo ducit qui æternam vitam expectat. [*quam me*] id est animam meam, *Iohann.* 12. *Qui amat animam suam perdet eā.* [*consummem*] more militari, 2. *Ti.* 4. cursum consūmaui. *gratiæ:* remissionis peccatorum, vel *gratia* spiritualis.

Vers. 25. *Vos omnes*, qui estis in prouinciis quibus prædicaui.

Vers. 26. *Quapropter*, quia non videbitis. [*contestor*] testamentum relinquo hoc: [*quia mundus:*] quia non peperci vitiis quoniam terrem. Gregorius. Tot occidimus quot mortem ire quotidie tepidi & iacentes videmus. [*omnium*] vestrum.

Vers. 27. *Subterfugi*, prætermisi aliquem sermonem doctrinæ. [*consilium*] maximè de incarnatione.

Vers. 28. *Attendite*, maioribus natu dicit: id est, vos & gregem custodite ab hæreticis. [*Episcopos*] speculatores, non propter nomen solum vel honorem, sed [*regere Ecclesiam Dei:*] non vestram: non quod una ciuitas plures habuit Episcopos, sed quos supra presbyteros Ephesi nunc dicit Episcopos. Coniunctus est enim gradus & in multis similis. [*sanguine*] scil. non paruo precio *Apoc.* 1. *Lauit nos in sanguine suo.* *Beda.* non dubitat sanguinem Dei dicere, propter unionem personæ in duabus naturis, pro qua dicitur *Filius hominis qui est in cælo.* *Iohannis tertio*, contra Nestorium.

Vers. 29. *Ego scio*, ideò attendendum. [*intrabūt*] qui deforis sunt ex extraneis. [*post discessionem*] de mundo, erit timendum cum abero. [*lupi*] hæretici callidi in fraude, fortes in disputatione, crudeles in occisione, non parcentes, *Sophon.* 3.

Vers. 30. *Lupi vespere &c.* [*ex vobis*] præter eos qui deforis intrabunt, 1 *Iohann.* 2. *Ex nobis exierunt, &c.*

Vers. 31. *Propter quod*, quia intrabunt & exsurgent. [*per triennium.*] Vnde* Aratus:

Qui canit Ecclesiæ tria dogmata sæpius edit,
Historicum morale sonans typicumq; volumen:
*Hinc Iudæa *vacans, sterilis quæ dicitur arbor,*
Expectata tribus fructum non protulit annis.
Luc. 16.

* *Aratus Poeta.*

* *vocans Glos.*

Vers. 32. *Et nunc*, fragiles designat Episcopos. [*commendo*] ut custodes aliorum custodiat Deus. [*verbo*] Spiritus sancti qui loquebatur in Paulo [*gratiæ*] quod præstat gratiam audientibus. Hoc verbum dixerat memoriter retinendum, quia nō parua est custodia Dei præcepti memoria. [*ædificare*] ut ipsi sanctificentur dono eius & sint eius hæreditas.

Vers. 33. *Argentum*, in hoc cognòscuntur lupi, quia hoc concupiscunt. *Michę.* 3. *Sacerdotes tui mercede docebant.* [*concupiui*] 2. *Thess.* 3. *Neq; gratis panem manducauimus &c.* *Num.* 16. *Tu scis quod nec asellum quidem vnquam acceperim,* 1. *Reg.* 12. *Si de manu cuiusquam munus acceperim.*

Vers. 34. *Ministrauerunt*, exemplum operandi etiam Episcopis, & signum quo discernantur à lupis. 1. *Thess.* 4. *Operemini manibus vestris.* Item 2. *Thes.* 3 *nocte operantes &c.*

Vers. 35. *Hæc omnia*, exempla operandi maximè, non tantum prædicandi. [*sic*] ut ego cuius manus ministrauerunt. [*suscipere infirmos*] administrandum eis sicut ego his qui mecum sunt, vel parcere eis ne grauentur in dandis expensis prædicatoribus. *Luc.* 10 *Si quid supererogaueris &c.* hoc est Euangelium p̄dicare & sumptus officio debitos non quærere, 1. *Cor.* 9. [*Beatius est*] hoc in Euangelio non legitur. non enim omnia scripta sunt: sed fortè hoc Paulus ab Apostolis audiuit vel à Spiritu sancto accepit. *Iohan. vlt.* *Multa quidem & alia &c.* vel potest dici quòd huius sensus est, *Luc.* 6 omni petenti te tribue. & *Matth.* 10. *Nolite accipere aurum &c.* *Beda.* non illis qui secuti sunt eum relictis omnibus *Matth.* 19. diuites eleemosynarios proponit, sed illos maxime glorificat, qui renunciantes omnibus quæ possident, nihilominus laborant manibus suis ut habeant unde tribuant necessitatem patienti, *Ephes.* 4.

Vers. 36. *Orauit:* pro se qui profecturus erat cōmendans eos Deo, maximè propter suum recessū & luporum aduentum.

Cap. XXI.

C*Vm autem factum esset, &c.* Hoc capitulum diuiditur in quatuor partes. In prima dicitur quomodo Paulus per diuersa loca transiens, & veniens Tyrum rogatus est à Fratribus ne iret Hierusalem. In secunda quomodo de Tyro venit Cæsaream ad domum Philippi, & de aduentu & prophetia Agabi de Paulo, ibi: [*& expletis.*] In tertia quomodo veniens Hierusalem de consilio Iacobi assumpsit votum Nazaræorum propter Iudæos, ibi: [*post dies*] In quarta quomodo Iudæi manus iniecerunt in Paulum falso accusantes eum, & de aduentu tribuni qui ereptum de manibus Iudæorum duxit in castra, à quo petitam loquendi ad populum licentiā obtinuit, ibi: [*cum autem septem dies.*]

Vers. 2

Vers. 1. *Phœnicen*, Prouinciam Syriæ in qua Tyrus & Sydon.

Vers. 3. *Apparuissemus*, id est cum propinquassemus ut videre, vel de ea videri possumus. [*ad sinistram*] ad occidentem retrorsum euntes consueto more nautarum. [*in Syriam*] id est, Phœnicen, [*Tyrum*] urbem Phænicis Prouinciæ. [*per spiritum*] suum vel propheticum, scientes eum alligandum.

Vers. 4 *Diebus septem*. prædictis.

Vers. 5. *Profecti*, de Tyro. [*ibamus*] Hierosolymam. [*orauimus*] alterutrum. *Beda*. usque hodie monstratur locus in arenis ubi pariter orabant. hic impleta est prophetia *Psalmi* 44. *Filia Tyri, &c.* Nulla enim ciuitas cum maiori dulcedine Apostolum suscepit tenuit & dimisit.

Vers. 6. *Illi*, Tyri.

Vers. 7. *Nauigatione expleta*, hucusque naui vehuntur.

Vers. 8. *Profecti*, per terram. [*Cæsaream*] Palestinæ. [*Philippi*] non Apostoli sed prædicatoris, qui Eunucho prædicauit & in Samaria, *supra* 8. & ob promptum pdicationis officiū Euangelista dictus est [*de septem*] diaconis.

Vers. 9. *Huic erant*, *Rabanus*. Alibi filiæ Philippi Apostoli & prophetissæ leguntur. *Hieronymus* sup *Ioel*. 3. Sed veritati huius loci non contradicendum, nisi forte uterque filias prophetissas habuisse intelligatur. [*prophetantes*] sicut dicitur *Ioel*. 3.

Vers. 10. *A Iudæa*, q ideo dicitur quia Cęsarea in qua erant ad Samariam pertinet, in confinio Phœnicis & Palestinæ sita.

Vers. 11. *Zonam Pauli*, *Beda*. veteres prophetas imitatur, dicentes, hoc dicit Dominus quia Spiritus sanctus æquè Dominus est ut Pater ac Filius, ne eorum operatio separari posset, quorum una natura & volontas una. [*alligans*] per hoc fortitudo fidei monstratur in Paulo.

Vers. 14. *Voluntas*, de vita vel morte Pauli.

Vers. 15. *Post dies autem*, tertia pars. *pati*: siue mori ad voluntatem Domini. [*Hunc*] Gloss. Philippū Euangelistam vel Iasonē de quo supra 17. *antiquū*: olim fidelem.

Vers. 18. *Ad Iacobum*, Alphæi filium & Mariæ Matertetæ Christi, fratrem Domini, qui post passionem Domini statim ordinatus Episcopus Hierusalem 30. annis rexit Ecclesiam usque ad 7. Neronis annum; qui iuxta templum ubi præcipitat* fuit sepultus est.

Vers. 19. *Salutasset*, Paulus.

Vers. 20. *Magnificabant*, gratias agentes. [*vides frater*:] interrogatiuè. *æmulatores*: zelatores aduersus te.

Vers. 21. *Audierunt*, inde est zelus. *à Moyse*: id est Moysis lege: *secundum consuetudinem*: antiquam. *ingredi*: in synagogam vel conuersari in lege damnans Scripta Moysis tanquam sacrilegia & non à Deo mandata. Hoc dicebant Iudæi de Paulo nescientes Iudæos fideles hoc obseruare non pro adipiscenda salute, quæ in Christo reuelata per baptismum dabatur, sed pro commendanda Dei auctoritate & ipsorum sacramentorum sanctitate. Ipsi vero & seruabant quasi necessaria, quibus aduersabatur Paulus docens iustificari hominem per gratiam in lege præfiguratiua. Ideo eum persequebantur quasi legis inimicum Hanc eorum falsam criminationem vitauit eadem celebrando, quæ ipsum damnare dicebant, ostendens nec Iudæos ab huiusmodi quasi nefariis prohibendos, nec gentiles ad ea quasi necessaria cogendos.

Vers. 24. *Impende*, impēde te illis, *ut* id est, donec *radant capita & sciant quia ambulas &c.* Non enim ita reprobas legalia sicut dictum est. Si autem ideò celebrare ut actione simulata suam occultaret sententiam non hoc diceret Iacobus.

Vers. 25. *De his*, quia non est contra Epistolam nostram quod modo dicimus. *iudicantes*: non tantum dicentes: *ut abstineant*: nihil tale seruantes & non cogantur Iudaizare. Rabanus. Non sunt prohibiti eodem tempore Iudæi credentes secundum legem ingredi stante adhuc templo: sed credentes ex gentibus prohibebantur ad legem conuerti qui tamen moralia legis seruare iubebantur. Et nota quod hæc est quarta Synodus Hierosolymis habita. Prima pro electione alterius Apostoli pro Iuda supra primo. Secunda pro electione septem Diaconorum supra sexto. Tertia pro circumcisione non imponenda gentibus conuersis supra decimo-quinto. Quarta hic pro Iudæis non prohibendis à ceremoniis propter scandalum eorum qui putabant Apostolos legem Moysis condemnare sicut idololatriam.

Vers. 26. *Assumptis viris*. quatuor habentibus votum. [*purificatus*] radens caput. [*in templum*] donec offeretur. [*expletionem*] finem.

Vers. 27. *Cum autem septem dies*, tertia pars. [*consummarētur*] nondum consummati essent. in Græco expressius: cum incipiebant septem dies consummari. alioquin non staret quod post quinque dies sui aduentus in Cæsaream infra vigesimo quarto, dixit præsidi non sunt plus quam duodecim dies ex quo ascendi Hierusalem. Si. o. his septem & illis quinque diebus concilii, dies quo ipse Pharisæos & Sadducæos dissociauit, & alter dies quo eum Iudæi occidere voluerunt, *infra* 23. adiciantur, erunt plus quam duodecim dies. Sed de istis septem iam transierant dun, & sic nulla est contrarietas, *infra vigesi. quart.* [*De Asia*] minore. [*concitauerunt*] in Paulum & suos.

Vers. 28. *Qui aduersus populum*, quia dicebat credentes esse veram Hierusalem, & nouam legem, præferebat, & locum Dei dicebat esse totam Ecclesiam. [*sanctum locum*] ciuitatem Hierusalem vel Templum, *Beda*. quia videbat gentiles gratiæ sectatores legis ceremonias & Templi solennia minùs frequentare, timebant ne venirent Romani & tollerent locum & gentem, *Iohannis undecimo*.

Vers. 30. *Clausæ sunt ianuæ*] ne in Templum refugeret.

Vers. 33. *Tunc accedens*, vel ascendens. [*ligari*] donec causa eius iudicaretur.

Vers. 34. *Alii aliud*, diuersi diuersa dicebant, qa certam causam non habebant. [*in turba*] qui turbidam profert sententiam. *in castra*: militum suorum ne Iudæi occiderent eum.

Vers. 35. *Ad gradus*, quibus descendebatur de tēplo vel ascendebatur in Castra. [*propter vim*] ideò à fortibus portabatur.

Vers. 36. *Tolle eum*, quod & de Christo dixerunt *Iohan*. 19. quasi noli inquirere causam sed duc ad mortem.

Verf.37. *Induci*, cum pararetur eius inductio, nondum tamen à gradibus exierat *Græcè*: interrogatiuè, quia ut putatur tribunus Græcum loquebatur; vel ne Iudæi intelligerent.

Verf.38 *Ægyptius*, *Beda*. Quidam Ægyptius venerat in Iudæam qui fidē sibi prophetiæ magica arte consciscens congregauit triginta millia Iudæorum, quos ducens per desertum venit ad montem oliueti paratus irruere in Hierusalem & eam sibi subiugare, cui occurrens Felix cum armatis, Ægypto cū paucis fugato alios interfecit. Quod si de hoc numero satellitum dissentio est inter tribunum qui hoc dicit, & Iosephum qui de Ægyptio scripsit non est curandum. Potuit enim primò cum paucis venire postea plures colligere, & isti primo venerunt tempore Felicis. [*Sicariorum* :] gladiatorum, quia sica dicitur gladius quem manu * positantes populo permixti occultè vulnerabant, ut querelam mors præueniret & percussor lateret.

*G Bantes Gloss.

Verf. 39. *Iudæus*, non Ægyptius. [*à Tharso*:] quò portatus est à parentibus migrantibus capto à Romanis oppido Galilææ, * Gliscali nomine ubi natus est : sed Tharsensem se dicit, quia ibi nutritus sicut Christus in Bethlehem natus dicitur Nazarenus. Sed postmodum ob studium legis Hierosolymam veniens eruditus est à Gamaliele. Et nota quod non in Ciuitate Tharso nutritus est, sed in municipiis adiacentibus. Dicitur autem municipium territoriū vel terra adiacentia quæ tributa debita reddit ciuitati. Vnde non vocat se ciuem Tharsensem, sed municipem. Quidam tamen libri habent [*ciuis*] pro [*municeps*.] [*non ignotæ*:] Romanis: vel municeps, id est munia capiens. quasi censum Romanis professus. [*rogo autem*] quia vellet sum.

*Gis cali legit Gloss.

Verf.40. *Hebrea*, ut omnis populus intelligeret, vel plus taceret.

Caput XXII.

V*Iri fratres & patres audite &c.* Hoc capitulum diuiditur in duas partes. In prima agitur de sermone Pauli in quo breuiter dicit quid ante conuersionem fecerit & modum conuersionis & de turbatione Iudæorum pro eo quod dixit se missum à Domino ad gentes. In secunda quomodo Paulus flagellari iussus dixit se esse ciuem Romanum & sic solutus in crastino adductus est ad Iudæos ut sciretur causa eius, *ibi*: [*vociferans autem*.]

Verf.1. *Viri*, à virtute. [*fratres*] coæui. [*patres*] seniores.

Verf.2. *Præstiterunt silentium*, propter hoc Hebræum loquebatur.

Verf.3. *Natus*, id nutritus in pueritia. [*nutritus autem*] in adolescentia quando legem didicit. [*ad pedes*] ad obsequium & quia paruus & humilis sedebat ad pedes magistri. [*æmulator*] imitator vel zelator aduersus Christianos. in Græco æmulator legis Dei existēs, secundum illud *Ro.*10 testimonium illis perhibeo quod æmulationem Dei habent.

Verf.4. *Viam*, Fidem Christi quam nunc prædico. [*ad mortem*] Christianorum : vel Stephani: vel mori paratus pro lege. [*in custodias*] carceris sc. non quia ipse faceret manu sua sed consentiebat facientibus, supra 8. tales digni sunt morte, *Rom.*1.

Verf.5. *Sicut Princeps*, expertum vocat testimonium in p̄senti, vel tunc testimonium reddebat quando per eum epistolas mittebat [*ad fratres*] pro tempore moderno non pro tempore persecutionis. Tunc enim reputabat eos non fratres sed hostes.

Verf.6. *Media die*, ut sciatur sole lucidior esse. [*de celo*] à Deo. [*circumfulsit*] exterius, significans illuminandus esset interius.

Verf.7. *Saule*, Gloss. quidam libri habent Saul, ut ostendatur de nomine Saulis dictum.

Verf.9. *Lumen*, non faciem. [*non audierunt*] intellexerunt, sed tantum sonum vocis Pauli vel eius qui Paulo loquebatur, non verborum discrimen. & sic non erit contrarium ei quod dictum est supra 14.

Verf. 10. *Quid faciam*, te cognoscens ut obediā tibi. [*dicetur*] exemplum contra Doctores non disputandi aut præsumendi licet à Deo sumus docti. [*oportet facere*] non dicere, quia de dicendo edoctus fuit à Deo.

Verf. 11. *Preclaritate*, quæ exæcauerat. [*vel manum*] non ad oculum.

Verf. 12. *Iudæus*, & à Deo habebat sed plus credabatur Iudæis.

Verf. 13. *Respice*, Gloss. * lux erat in oculis Pauli exæcati & illuminati, & ideò merito credidit. & multipliciter exponitur ne contrarius videatur [*illuminati & excæcati*] secundum prius & posterius: vel de luce interiori & exteriori: vel de miraculosa & naturali, corporali & spirituali. unde *supra* 9. Lux enim corporalis exterior excæcauit eum disgregando spiritus visibiles, sed intus illuminatus est, ideo credidit, id est ampliorem fidem habuit, quia & prius credebat sicut dicit Glossa. Deum esse credebat qui desuper loquebatur.

* Duo erant in oculis Pauli excæcatio & illuminatio. sic legit Gloss.

Verf. 14. *Deus Patrum*: non recens ut Iudæi putabant. [*ut cognoscas*] *Rabanus*. ordo conueniens. p̄ordinatus in præsentia Dei cognoscit veritatem, videt iustum, Christum: vel Euangelium audit, ex ore eius non Apostolorum *Gal.* 1. non ab hominibus neque per hominem. & sic fit testis visorum & auditorum per prædicationem vel scripturam vel famam suam.

Verf.15. *Ad omnes*, ætates, conditiones, sexus & linguas. [*vidisti*] *Gloss.* ibi luce fulgenti priusquam excæcareris. [*audisti*] in voce * lucenti dicit Glossa. non quia vox luceret, sed quia voci lux erat annexa.

* vocante Gloss.

Verf. 16. *Baptizare inuocato nomine ipsius & ablue, &c.* Sic iunge quia tinctio in aqua cum inuocatione nominis eius sufficit ad abluenda peccata.

Verf. 17. *Factum est autem*, *Gloss.* locum & tempus præterit: & intellige [*locum*] non orationis vel visionis qui ponitur in litera, sed locum à quo reuersus est, scil: post magnum circuitum de Arabia & Damasco. *Gal.* 1. ubi totum determinat vel in hac Glossa, [*locum*] supple dicit [*& tempus præterit*] vel locum præterit scil. ubi tunc manebat in Hierusalem. *oranti*: ne Sathanas illuderet. [*stupore*] alii ponunt [*pauore*] alii [*alienatione vel exstasi*. [*illum*] Christum.

Verf.18.

Vers. 18. *Festina, Gloss.* necessitate & admonitione Dei facit omnia. *Beda.* hoc nō ad elatione sed ꝓpter necessitatem dicit, ut videatur idoneus Euāgelizare gentibus.

Vers. 19 *ipsi*, sacerdotes: quasi possit eis sufficere exemplum conuersionis meæ.

Vers. 20. *Testis*, martyris. *Beda.* consentiendo quod consensit notat quod non occidit, & sic minus peccauit. Contra Augustinus dicit quod plus omnibus peccauit: quod verum est compatando consensum consensui non opus operi, quia omnibus lapidantibus consensit, singuli autem in actum suum consentiebant.

Vers. 21. *Vade*, quamuis sciant tamen recipient. *longe*, tam loco quam fide.

Vers. 22. *Ad hoc verbum vsq*, mitram te, [*dicentes*] tribuno. per hoc enim maximè timebāt amittere locum & gētem, *Io.* 11. & est hoc argumentū ꝙ qn aliquis non potest proficere in uno loco debet se transferre in alium.

Vers. 23. *Vociferātibus*, secunda pars. [*proiicientibus*, *Glos.* ut occideret eum: vel signum est meroris. [*iactantibus*] vel mœrore vel more brutorum animalium. *Beda.* Solus Sacerdos scidit vestimenta sua *Matth.* 26 quando sacerdotium vetus erat mutandum, nunc autem quia tota gens spolianda erat, gloria regni, omnes proiiciunt vestimenta iacto puluere in cælum. Secundum illud *Psalm.* 73. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Vers. 23. *Induci*, quod prius præparatum fuerat nunc impleret. [*torqueri*] ut eius tormentis satiarentur: [*vt sciret*] ideo iussit non occidi.

Vers. 25. *Astrinxissent*, ad flagellandum. *indemnatum*: in iudicario ordine de nullo reatu conuictum.

Vers. 28. *Multa summa*, pecuniæ vel annorum. [*hanc ciuilitatem*] Romanam, ꝓ qua censum dedi, quod est aponit alia litera quam ponit Beda. Tam facile dicis te ciuem Romanum esse cum sis pauper? supple: ego enim scio quanto pretio ciuilitatem hanc possedi. Alia Glossa Bedæ dicit ciuilitatem, reipublicæ administrationem cui annexa erat ciuilis societas & illam magna pecunia emit.

Vers. 29. *Natus*, & in hoc melius sum Romanus quam tu qui Romanum nomen emisti. Ex hoc videtur quod pater Pauli ante habuit ciuilem societatem cum Romanis quam Paulus nasceretur. Potuit enim esse ut castrum *Gliscalis unum erat quod non capretur à Romanis vi, sed voluntate se tradiderunt: cuius redditionis forte fuit auctor pater Pauli. Capto Gliscali Tharsum Ciliciæ commigrauit. migratio non est voluntatia captiuitas. vel potest dici quod ante fuerit Paulus natus: quia tunc expone [*natus*] id est à natalibus meis habeo quod sim ciuis Romanus ab emptione. Sibi enim & suis hæredibus ciuilitatem acquisiuit pater eius.

* Gisfalis.

Cap. XXIII.

INtendens autem in concilium Paulus ait: Viri Fratres. &c. Hoc capitulum diuiditur in 4. partes. In prima dicit Paulus se bona consci ntia conuersatum in lege, pro quo Ananias iussit eum percuti, quem Paulus maledicens postea se excusauit. In 2. Pharisæos & Sadducæos qmō ab inuicem separauit, quibus turbatis milites tribuni raptum Paulum duxerunt in castra quem Dominus nocte illa consolatus, *ibi:* [*sciens autem.*] In tertia de quibusdam qui vouerunt se occidere Paulum, quod per nepotem Pauli innotuit tribuno, *ibi:* [*facta autem die.*] In quarta dicitur quomodo missus est Paulus per milites nocte Cæsaream ad Felicem Præsidem cū literis causam missionis continentibus & susceptus à Felice, *ibi:* [*Tribunus igitur.*

Vers. 1. *Conscientia bona*, contra persecutor fuit, ergo, &c. Solutio. Verbū (bona) potest sumi multipliciter & est sensus, i. conscientia boni, q̄a licet erraret non erat conscius sibi nisi boni, 1. *Tim.* 1. ignorans psecutus sum. vel sumitur formaliter & hoc dupliciter: vel à principio suæ natiuitatis sic est falsum, vel à tempore suæ conuersionis, sic verum est.

Vers. 2. *Os eius*, quasi impudenter gloriantis.

Vers. 3. *Percutiet*, destruet, & est prædictio non optatio propter conformitatem iustitiæ Dei cum ipse dixerit *Rom.* 12. *vers.* 14. Benedicite & nolite maledicere. *&* *Luc.* 6. Benedicite maledicentibus vos. Aliqui libri habent [*percutiat*] ꝙ non ex motu iracūdiæ sed inspiratione diuina dixit ꝙ maximè patet sequenti responsione. Mysticè autem prædixit illud Sacerdotium simile parieti dealbato intus fissuras habenti in proximo destruendum per Sacerdotium Christi. [*paries dealbate*] videris esse ꝙ non es. *Matth.* 23. *Sepulchra dealbata.* [*Iudicas*] prauo iudicio & ficto *superbiæ ex sensu tuo. [*Sedes.*] *Matth.* 23. *Super Cathedram Moysis sedent Scribæ & Pharisæi.* [*secundum legem*] *Leuit.* 24. *vers.* 14. *Educ blasphemum extra castra & lapida eum &c.* [*contra legē*] *Exod.* 23. *Innocentem & iustum non interficito.* ubi per locum à maiori omnis læsio prohibetur: quasi si innocens non percutiendus, si blasphemus, educendus & lapidandus.

Mysticè.

* A superficie legit Glossa.

Vers. 5. *Nesciebam*, mollis responsio frangit irā. *Bed.* & si hunc vere noverat in Nouo Testamento non esse Pontificem, tamen docens modestius se habere erga eos in quorum sunt potestate, temperatè respondet. [*quia Princeps*] personaliter potest legi ut nesciret ipsum esse principem. vel potest dici ꝙ sciebat ipsum esse qui dicebatur Princeps, sed sciebat ipsum non esse verum & Deo gratum Sacerdotum Principem, quia Sacerdotium iam venale erat & forte ille emerat: vel secundum Rabanum, subtiliter dicit se nescire Principem quia Sacerdotium vetus reprobatum erat. scriptum est *Exod.* 22. *Quasi si sciret ipsum esse Principem reus esset.*

Vers. 6. *Sciens autem*, secunda pars. [*filius Pharisæi*] contra 2. *Tim.* 4. penulam quam reliqui. *Glos.* dicit quod est vestis consularis quam Romani dederant patri Pauli, quando factus est ciuis, quam adhuc Paulus seruabat sibi. ex quo videtur quod pater eius non fuerit Pharisæus, sed miles vel nobilis, quia Pharisæi non utebantur huius vestis. Solutio. [*Filius*] i. imitator scilicet Gamalielis cuius fuit discipulus, *supra* 22. [*de spe*] quantum ad beatitudinem animarum [*& resurrectione*] quoad corpora. [*iudicor*] condemnor vel ad iudicium trahor. & ponitur spes pro confidentia quam habemus pro mortuis, vel quam habent ipsi mortui in gloria & purgatorio, sed ali-

 ter

ret aliter: nam isti habent confidentiam de habenda gloria quam nondum habent, illi de continuatione iam habitæ.

Vers.7. *Dissensio, Beda.* sicut bonorum unitas utilis, sic malorum unitas semper nociua bonis, & dispersio utilis: ideo Paulus eos dissociare satagit ut quem iuncti vinxerant dissociati laxarent. sic mare solidum filios Israel arctauit *Exod.* 14. diuisũ liberauit ut irent ad loca sua.

Vers.8. *Neq; spiritum, Gloss.* sanctum, ergo nec Deum, quia Deus spiritus est *Io.* 4. Solutio. Spiritus accipitur hic pro diuina essentia vel persona, sed sicut dicit Glossa, idem est Angelus quod spiritus: sed Angelus dicitur quoad eos qui assistunt Deo *Daniel.* 7. vel potest dici quod in Glossa sumit [*sanctum*] pro [*firmum*] & intelligitur de spiritu humano: credebant hominem habere spiritum, sed non firmum, id est manentem sed mortalem cum homine sicut habent bruta.

Vers.9. *Pugnabant, Gloss.* pro Paulo contra Sadducæos volentes liberare eum, non zelo iustitiæ sed superbiæ & sectæ suæ defendendæ. [*Quid?*] supple mirandum. [*Angelus*] per subiectam creaturam. *Rabanus.* patet quod secundum Hieronymum Sadducæi nec spiritum nec angelum confitetur: ideo autem Pharisæi nominant quia nouerant illis contrarium.

Vers.10. *Discerperetur,* auelleretur. [*ab ipsis*] Sadducæis volentibus eum rapere vel ab utrisq; simul contendentibus.

Vers.11. *Constans,* oportuna adhibetur consolatio. [*testificatus*] significat eum de cetero laboraturum, vel solatium est ei volenti testificari eum coram multis. de hoc: 2. *Timoth.* 4. *in fine. Dominus mihi astitit, &c.* Et nota quod quater apparuit Dominus Paulo. Primò in via Damasci *supra nono.* Secundò oranti in templo supra 22. dicens. [*Festina & exi.*] Tertiò in Corintho *supra* 18. dicens [*Noli timere, &c.*] quæ licet prius narretur per recapitulationem, tamen secunda fuit prior tempore. Quartò hîc: Fuit autem prima ad ministrationem: quia vidit arcana Dei: secunda & tertia ad profectum, quarta ad consummationem. dicit enim iturus Romam ubi consummauit vitam.

Vers.12. *Facta autem die,* tertia pars. [*deuouerunt*] maledictione astrinxerunt. In Græco anathematizauerunt: quod verbum quantæ sit auctoritatis norunt qui anathemate Sacerdotali à consortio Christi & Ecclesiæ alienantur. *Isai.* 8. Omnia quæ loquitur populus ille coniuratio est. [*Donec occiderent*] beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam *Matth. quin.* isti è contrario iniquitatem esuriunt, sanguinem sitiunt: sed non est sapientia, nõ est prudentia non est consilium cõtra Dominum *Prov.* 21.

Vers.15. *Notum facite,* non quod coniurauimus, sed [*ut adducat illum, tum consilio*] ad celandum coniurationem. [*de eo*] i. causa eius & reatu.

Vers.17. *De Centurionibus,* qui præerat centum, quia alius non ita facilè vel citò habuisset accessũ ad tribunum, & mora periculosa erat quod forte Paulus dixit centurioni, unde facilius acquieuit non dedignatus ducem puerum.

Vers.21. *Promissam,* sc. quod promitras.

Vers.23. *Parate milites, Gloss.* pedestres, ignobiles qui pedites pugnabant. tales fuerunt qui Christũ crucifixerunt, *Io.* 19. Si enim nobiles essent, ipsum pro mercede non crucifixissent, nec vestimenta pauperis hominis diuisissent. [*equites*] *Rabanus.* ne Iudæi in via raperent Paulum, & tribunus criminis accusaretur apud præsidem, quasi accepisset pretium à Iudæis pro morte Pauli.

Vers.24. *Ad Felicem,* minor ad maiorem mittit causam.

Vers. 26. *Claudius Lysias,* non curauit Lucas superioris nomen præponere, plus rei gestæ ordinem quam literaturæ attendens honestatem.

Vers.31. *Antipatridem,* ciuitatem ab Antipatre sic notatam.

Vers.32. *Reuersi,* pedestres ad Antipatridem.

Vers.33. *Qui,* equites. [*Paulum*] cum Epistola.

Vers.35. *Audiam* audierat enim ipsum esse à Cilicia quæ erat subiugata Romanis & ipse à Romanis missus erat Præses regionis. [*Herodis*] antiqui præsidis.

Cap. XXIV.

Post quinq; autem dies, &c. Hoc capitulum diuiditur in quinque partes. In prima dicitur quomodo Princeps Sacerdotum venit accusaturus Paulum & ponitur ipsa accusatio facta per Tertullum oratorem. In 2. Paulus annuente præside excusat se, ibi: [*respondet autem Paulus.*] In 3. cognita causa utriusque præses differt sententiam usq; ad aduentum Lysiæ, iubens Paulum interim custodi. ibi: [*distulit autem*] In 4. quomodo Felix cum uxore sua venit audire Paulum & ipso prædicante perterritus dedit Paulo liberam custodiam, ibi: [*post aliquot.*] In 5. quomodo præses cedens suæ* perfectioni reliqui Paulum vinctum volens gratiam præstare Iudæis, ibi: [*biennio, &c.*] *Præfidatu Gloss.

Vers.1. *Post quinq;,* dubitatio quæ hic possit esse de numero dierum soluta est, *supra* 21. [*descendit*] ad accusãdum Paulum. [*Tertullo*] qui loqueretur contra Paulum.

Vers.2. *Citato,* ad collocutionem. Moraliter. [*quinq; dies*] spes, fides charitas, actio & contemplatio. vel contritio, confessio & satisfactio, ieiuniũ eleemosyna. post hoc descendit homo de Hierusalem Samariam quæ interpretatur excelsa superbia. *Moraliter.*

Vers.3. *Felix,* excludens diabolus, rex super omnes filios superbiæ, *Iob.* 31. & accusatus [*Paulus*] humilitas. [*Princeps Sacerdotum*] simile *Amos* 7. de Sacerdota Bethel. [*seniores*] à quibus egressa est iniquitas. *Daniel.* 14. *Prov.* 17. *Iustus in principio accusator est sui, non alterius.* [*Tertullus*] placens stercore. *Phil.* 4. aduocati moderni. [*Suscepimus*] supple beneficia & est adulatio ad capiandam beneuolentiam. vel [*suscipimus*] i. gratum habemus supple iudicari apud te.

Vers.5. *Inuenimus,* per illos qui venerunt de Asia. *supra* 21. [*pestiferum*] i. ferentem pestem, i. morbũ lethalem, i. mortem, sc. prædicationem quæ erat uniuersalis morbus Iudæorum. *Isai.* 5. *Væ qui dicitis &c.* [*seditionis secta*] i. quæ est secta, vel quam facit secta, transitiue, vel intransitiuè. [*Nazarenorũ*] à Iesu Nazareno, quod erat illo tempore opprobriũ, apud Iudæos. postea surrexit hæresis quæ dicit Nazarenorũ, qui volunt esse Christiani simul & Iudæi, quia credunt Christum natum & passum Dei filium, & neutrum sunt.

Vers.6

Verſ.6. *Templum violare*, inducendo in illud gentiles.

Verſ.8 *A quo*, tribuno [*audierunt*] vel adiecerunt, perhibentes teſtimonium. *Iob.41. corpus eius quaſi ſcuta fuſilia, &c.*

Verſ.10. *Reſpondit*, ſecunda pars. [*annuente*] ſignum faciente. [*in duem genti*] beneuolum, quaſi di cat amicitiam veſtram noui. [*bono animo*] cum fiducia; ſed ex hoc magis deberet diffidere. Solutio Sciebat ipſum bene ſeruaturum ius reipublicæ & quod iuſtè indicaret & ipſe nullius mali ſibi conſcius erat. [*ſatisfaciam*] excuſabo me.

Verſ.11. *Cognoſcere*, à teſtibus, [*non plus*] quaſi non eſt antiquum tempus [*orare*] non violare templum, ad hoc principaliter venerat: ſecundò autem ut faceret eleemoſynas, ſicut dicit infra eodem. Contra *Iohann.4. Venit hora, &c.* ergo iam venerat veritas & ſic non debebat diſcernere locum orationis. Solutio. Nondum venerat veritas ſecundum plenam manifeſtationem: ideo licebat ſicut & de voto Nazaræorum *ſupra 21.*

Verſ.12. *Diſputantem*, quæſtionantem vel prædicantem. ergo videbatur peccare cum ſciret illos indigere. *Prov.4. Diſcurre feſtina*. Solutio. Non tenebatur ibi prædicare: non enim erat Iudæorum Apoſtolus, ſed gentium maxime, quia erant de Epiſcopatu Iacobi qui præſens erat. aliis autem Iudæis inter gentes diſperſis prædicaverat quia hoc ipſo erant de eius Apoſtolatu, ſed non iſti.

Verſ.14. *Sectam*, Nazarenorum. in Græco ſecundum viam, quam increduli hæreſin vocant. diaetũt enim ipſum auctorem ſectæ &c. [*deſeruio*] prophetica ſeruitute dicit Gloſſ. id eſt bona, ſicut prophetæ boni reputabantur apud Iudæos: nec ſtia&antia quod comparat ſe prophetis, qui per inſpirationem loquebatur ſicut & illi. [*patrio Deo*] cuius filius demonſtrot non ſeruus. [*credens omnibus*] non ut Sadducæi quædam reprobantes. [*ſcripta*] in quantum veritas ſubiacet nõ in quantum ſunt umbra.

Verſ.15. *Spem*, de reſurrectione mortuorum.

Verſ.16. *In hoc*, credens. [*ſine offendiculo*] actiuè o on paſſiuè: quia licet aliqui offenderentur, ipſe tamen non offendebat eos, ſicut & Iudæi de verbis Domini ſcandalizabantur, *Matth.13. & 15.*

Verſ. 17. *Plures*, à conuerſione mea: *ſupra 21.* [*in gentem meam*] in Hieruſalem. [*oblationes & vota*] facturus, licet ad hoc non venerit, tamen de conſilio Iacobi fecit votum & oblationes pro more voti: quia ad orandum & eleemoſynas faciendũ tantum venerat.

Verſ.18. *Purificatum*, raſo capite ſeruantem legem, *Num.6.*

Verſ.19. *Quidam ex Aſia*, inuenerunt me in templo. *quos* Aſianos.

Verſ.20. *Hi ipſi* Ananias cum ſuis. [*cum ſtẽ*] modò. [*niſi*] q̃a p̃dicaui. [*de vna*] hoc per antiphraſio: ſciebat enim hoc ipſis placere.

Verſ.21. *De reſurrectione*: quod tñ ipſi credunt.

Verſ.22. *Diſtulit*, Iudicare inter eos. tertia pars. [*de via*] veritatis, quæ in Paulo erat; vel iniquitatis quam faciebant in Paulum. Quare ergo non ſententiabat ſtatim pro Paulo? quia Iudex tenetur iudicare ſecundum allegata, & quia ab utraq; parte Lyſias inuocabatur teſtis, ideò ea pectauit eum.

Verſ.23. *De ſuis*, diſcipulis vel ſociis vel de ſuis facultatibus nullus prohibetur ei miniſtrare.

Verſ.24. *Poſt aliquot*, quarta pars.

Verſ.25. *Diſputante*, prædicante. nota quod in hoc libro fere ubique prædicatio vocatur diſputatio quia tunc iaciebant Apoſtoli fundamentum Eccleſiæ, & neceſſe erat ut eſſent ſemper parati omni poſcenti reddere rationem de fide Chriſti, 1. *Pet.3*: vel per miracula vel per rationes. [*tremefactus*] ſeruili timore perterritus. [*vade*] liberam oſtendit cuſtodiam.

Verſ.26. *Simul*, iunge tremefactus & ſperans: vnde timore Dei & ſpe pecuniæ [*dimiſit*] eum liberè cuſtodiri.

Verſ.27. *Biennio*, quinta pars. *Bed.* conuerſationis Pauli in Cæſarea non præſidatus Felicis qui ſupra dictus eſt multis annis iudex fuiſſe. cum hiſtoriæ narrent ſecundo Neronis anno miſſum Romam Apoſtolum. Claudium vero Cæſarem eo tempore quo Agrippam filium Herodis ab Angelo percuſſi *ſupra duodecimo* regem conſt tuit Iudæorum, Felicem quoque totius prouinciæ & Samariæ procuratorem miſiſſe. Sed adhuc non videtur quod ita citò biennium conuerſationis Pauli in Cæſarea ſit elapſum: ideò aliter ſoluit Magiſter in hiſtoriis, quia ante biennium Felix fuerat accuſatus apud Romanos* aliquid. contentio fuerat inter Iudæos & gentes de principatu ciuitatis Cæſareæ. & in principio Felia fouit partem Iudæorum donec exhauſit burſas eorum: poſt fouit partem gentium ſuper qua accuſatus fuit Romæ: à qua accuſatione computat magiſter hoc biennium. [*reliquit*] *Rabanus*. vtrum viuens vel moriens incertum eſt. ſed tamen melius videtur quod viuens Iudæis præſtitit.

* *Forte ſiquidem.*

Cap. XXV.

F*Eſtus ergo cum veniſſet in prouinciam &c.* Hoc capitulum diuiditur in quatuor partes. In prima veniens Feſtus Hieruſalem rogatur à Iudæis ut Paulus adducatur Hieruſalem, quo negante venerunt Cæſaream accuſaturi eum. In ſecunda excuſat ſe Paulus de omnibus, & oe granetur Cæſarem appellat, *ibi:* [*Paulo rationem reddente.*] In tertia venit Agrippa ſalutare Feſtum, & exponit ei totum negotium Pauli *ibi:* [*& cum dies aliquot.*] In quarta producitur Paulus coram Agrippa volente videre eum, & replicante Feſto cauſam appellationis Pauli, & Agrippam ſuper hoc conſultante datur Paulo licentia loquendi, p ſcribi: [*altera autem die.*]

Verſ.1. *In Prouinciam*, Paleſtinæ, ſicut ſemper mittebantur à Romanis præſides aliis ſuccedẽtes, [*poſt triduum*] ex quo venerat. [*à Cæſarea:*] ad quã prius venit.

Verſ.2. *Principes Sacerdotum*, propter inuidiam q̃ præ aliis habebant erga Paulum, & q̃a præ cæteris tenebãt defendere legem de qua erat diſceptatio contra Paulum [*aduerſus Paulum*] loquuturi.

Verſ.3. *Inberet perduci*, quia quæſtio erat de lege & videbatur quod ibi deberet determinari ubi præcipuè lex vigebat maximè cum & ipſe præſes eſſet, & hoc etiam pro gratia petebant non quia debitum.

Verſ.4. *Maturius*, citò. Fortè quia iam cognoſcebat fraudes eorum negauit, vel quia iudex nihil debet immutare circa perſonas antequam cognoſcatur aliquid de cauſa.

Verſ.5. *Potentes*, non quod ſit acceptor perſonarum in iudicio, ſed dicit [*potentes*] ſc. eundi Cæſaream: non enim omnes ire poterant.

Verſ.6. *Octo aut decem*, in Cæſarea autem tãtum, quare? quia in Cæſarea omnes gentiles habebant eundum modum viuendi: in Hieruſalem verò diuerſorum erant rituum. Ideo plus habuit ibi facere. [*pro tribunali*] quod eſt locus iudicii. Sed quare non dicitur in tribunali, quod videtur melius ſonare? Solutio. [*Pro*] notat finem ꝓ quo ſederet ibi, ſc. ut faciat iudicium: [*in*] verò tantũ ſonat ſeſſionem & quietem.

Verſ. 9. *Vis Hieroſolymam*, optionem dat quia ciuis Romanus erat, ſed videtur quod iniuſtè agat: iam enim fuerat accuſatus & nihil probare poterant contra eum, ſed purgauerat ſe ſufficienter, ergo debuit dimitti. Promittebant Iudæi ſe probaturos in Hieruſalem ubi erant teſtes, & poſſet facilius Paulus ſolus illuc ire quam multi teſtes venire.

Verſ.10. *Ad tribunal Cæſaris*: quod Cæſari ſpecialiter factum erat in Cæſarea in eius honorem ædificata: alioquin non eſſet Cæſaris ſed præſidis tribunal. [*vbi me*] quia hic eſt locus iudicii, viam fecit appellationi. [*melius noſti*] quam Iudæi vel Paulus vel vicini. Contra de nouo venerat. Solutio. [*melius:*] ſupple quam prius, quia ex accuſationibus, & reſponſione Pauli ſatis perpendebat iniuſte agi contra ipſum, ideò dicit [*noſti,*] quia ſimpliciter non ſciebat, vel [*non melius*] quam eſſet neceſſarium ad liberationem meam ad quam minor rei notitia ſufficere poſſet.

Verſ.11. *Nemo poteſt*, de iure hoc ſumitur. Illud ſolum poſſumus quod de iure poſſumus: & ſi tu velis, videris gratiam præſtare donando me.

Verſ.12. *Cæſarem appello*, ad nomen confugio. *Beda*. quod Cæſarem appellat & Romam feſtinat. ideo facit ut diutius prædicans multis fidelibus coronatus eat ad Chriſtum, 1. *Theſ.* 2. *Quæ eſt ſpes noſtra aut corona &c.*

Verſ.13. *Et cum dies aliquot*: tertia pars. [*Agrippa*] Hic Herodis Agrippæ filius uſque ad ſubuerſionem Hieruſalem regnum Iudææ tenuit. [*Bernice*] vel *Beronice*: vir ſecundum quoſdam, vel ſecũdum Gloſſ. vxor eius. ſecundum Hieron. cognata & dicitur uxor quia prę nimio affectu aſſiſtebat ei quaſi uxor, cum quidam dicunt ꝙ cognoſcebat eã ſecundum illud.

Cognato poterit nomine culpa tegi.

Alii volunt quod fuit vir quia non eſt conſuetum mulieres ſedere cum viris in iudicio. Ad hoc *Rabanus*: quod in hoc notatur impudentia utriuſque, qui ſeſe carere non poterant vel ad tempus præ nimio amore.

Verſ. 15. *Damnationem*, mortis quæ grata eſſet eis.

Verſ.16. *Conſuetudo*, ſecundum leges Romanas. [*locum*] ſpatium.

Verſ.17. *Huc*, Cæſaream.

Verſ.18. *Deferebant*: nihil contra Paulum probant. [*de quibus*] cauſis vel verbis vel rebus [*ſuſpicabar*] expectabam ab accuſatoribus. [*malum*] ꝙ probaretur contra Paulum de verbo vel doctrina mala. vel [*de quibus*] accuſatoribus. [*ſuſpicabar malum*] quod ſcil. nullam cauſam dignam morte deferrent.

Verſ.19. *De ſuperſtitione*, *Rabanus*, amborum, id eſt Pauli & Iudæorum, legem vocat ſuperſtitionem. [*Ieſu defuncto*] ſecundum ſenſum Iudæorum.

Verſ.20. *Quæſtione*, quam ignorabam [*Hieroſolymam*] ubi ſapientiores.

Verſ. 21. *Auguſti cognitioni*, Neronis iudicio.

Verſ.22. *Volebam*, vellem nunc.

Verſ.23. *Altera autem die*, quarta pars. [*cum multa ambitione*] id eſt deſiderio videndi Paulum: vel multa pompa & turba regalis officii eos ambiente. *Beda*. in Græco, pro ambitione ponitur phantaſia. [*auditorium*] domum ubi cauſæ audiebantur coram iudicibus [*principalibus*] vel principibus, rex Iudææ,

Verſ.24. *Et omnes*, Ananias & præſentes Iudæi. [*clamantes*] hic ſicut in Hieruſalem.

Verſ. 25. *Admiſiſſe*, in opere, quia nihil erat probatum & ipſe ſufficienter ſe purgauerat. Superius autem hæſitauit de materia quæſtionis de lege, non de Pauli innocentia & ſic non contrarium.

Verſ.26. *Quid ſcribam*, de teſtimoniis alicuius pro quo ſit victus.

Cap. XXVI.

AGrippa vero ad Paulum ait, &c. Hoc capitulum diuiditur in quinque partes. In prima captans Paulus beneuolentiam Agrippæ explicat conuerſationem ſuam in Iudaiſmo multorum teſtimonio commendatam, dicens ſe ſpem reſurrectionis habere ſicut cæteri Iudęi. In ſecunda recapitulat quomodo perſecutus eſt Eccleſiam & modũ ſuæ conuerſionis & miſſionis ad gentes *ibi:* [*& ego quidem*] In tertia dicit ſe propter hoc à Iudæis captum & fere occiſum, teſtem nunc eſſe paſſionis & reſurrectionis Chriſti, *ibi:* [*hac de cauſa*] In quarta dicit Feſtus eum inſanire, & aſtmens ſe verum dicere, de ſcripturis Agrippam inuocat teſtem, *ibi:* [*hoc loquente.*] In quinta dicit Agrippa Paulum fere perſuadere ſibi ut fiat Chriſtianus, quod optat Paulus ipſi & aliis, & ſecedentes dicunt Paulum non meruiſſe mortem *ibi:* [*Agrippa autem, &c.*]

Verſ.1. *Tunc Paulus extenſa manu*, more concionantium vel pro ſilentio faciendo.

Verſ.2. *Me beatum*, eſſe dicendum non beatitudine patriæ ſed viæ, quæ eſt eſſe immaculatum *Pſal.* 118. Beati immaculati in via. & *Eccleſiaſt.* 31. *Beatus qui inventus eſt ſine macula tranſgreßionis vel omißionis. Pſalm.* 36. *Declina à malo & fac bonum.* [*cum ſim:*] quia confidebat de conſcientia. vel [*cum ſis*] Agrippa enim ſciebat quod propter altercationes & quæſtiones Iudæorum crebro corã ſe ventilatas nullus damnabatur ad mortem: in hoc confidebat Paulus.

Verſ.3. *Sciente omnia*, vel omnes, quaſi peritus es Iudaicæ conſuetudinis. [*conſuetudines*] bonæ [*quæſtiones*] malæ. Gloſſa Bedæ. Legerat illud Iſaiæ. *Beatus qui aures loquitur ſapientis.* Hoc litera noſtra non habet: & nouerat tantum orationis verba ꝓficere quantum iudicis ſententia cognouiſſet.

Verſ. 4

Verſ. 5. *Praſcientes*, ante cognoſcentes quam vos gentiles. [*certiſſimam ſectam*] in græco pro [*ſectam*] hæreſin: ergo bona vita hæreſis dicebatur? quod verum eſt à malis non à bonis.&notaquod inter ſectas minus mala erat Phariſæorum, quia ponit reſurrectionem & obſervantiā legis & prophetarum. unde plus concordat veritati quam aliqua aliarum.

Verſ. 6. *Repromiſſionis*, reſurrectionis: ergo reſurrectio fuit repromiſſa? verum eſt *Oſe. 6. Soph. 3. Iob. 30. Ezech. 26.* [*ſto*] ante tribunal [*iudicio*] tuo.

Verſ. 7. *In qua*, ſpe reſurgendi. [*devenire*] ſic ſupponit ſpes pro re ſperata. vel ſecundum aliā literam, *invenire*, vivi vel perfecti dicit gloſſa ſic ſupponit pro habitu. [*ſervientes*] propter illam ſpem. *die ac nocte*: hoc non dicitur pro toto ſed pro parte ſcil. duabus tribubus quæ ſub Cyro & Dario redierunt de captivitate 1. *Eſd.* 2. Nam decem tribuum captivatio ſub Oſee 4. *Reg.* 18. ultima fuit & perpetua *Oſee* 1. non addam ultra miſereri &c. & de iſtis pauci redierunt ut servirent Deo.

Verſ. 8. *Quid?* adverbium interrogandi. [*incredibile iudicatur*] hoc ſcil. ſi Deus &c. vel ſic: [*quid incredibile*] ut prius [*ſi*] pro quia. [*mortuos ſuſcitat*] particulariter, quaſi non eſt incredibile ſi ab eo ſperatur generalis reſurrectio. vel [*quid*] nomen, quaſi [*quid*] dicitis, ô Agrippa, vel tibi videtur &c. ut prius.

Verſ. 9. *Et ego*, ſecunda pars. ſicut iſti æſtimant modo.

Verſ. 10. *Detuli. gloſſ.* judicavi occidendos non ait occidi. *Beda*, ponit alia litera occidendis, quia illis detuli ſententiam, id eſt qualiter occiderentur ſententiam dedi.

Verſ. 11. *Amplius*, quam prius [*inſaniens*] ſicut lupus. [*perſequebar*] ex magno effectu. [*exteras*] non tantum propinquas.

Verſ. 12. *In quibus*, civitatibus, vel operibus inſaniæ. [*Damaſcum*] metropolim Syriæ & Phœnicis. [*poteſtate & permiſſu*] Sed principes Sacerdotum hoc non poterant, imò Romani? Solutio. Principes ſacerdotum acceperant hanc poteſtatem à præſide ita ut poſſent eam delegare cui vellent, quam Saulo dederunt. Ideò utrumque tangit & poteſtatem delegatam à præſide & permiſſum, id eſt aſſenſum principis ſacerdotum.

Verſ. 14. *Decidiſſemus*: Contra ſupra 9 dicitur q́ ſtabāt ſtupefacti. ibi gloſſa: nō ceciderunt. Solutio. Ceciderūt quidē prius ad ſubitū fulgorē ſed ſocii ſtatim ſurrexerunt, Paulo adhuc jacente, & ſtabant cum Dominus loqueretur illi. Ideò autem dicit eos gloſſa non occidiſſe quia ſtatim ſurrexerunt. [*Hebraā*] id eſt in qua olim Deus patribus loquebatur ut magis crederetur quod dicitur. [*me*] in membris. [*Saule*] gloſſ. nomen geminat ut ad ipſum pertinere viſionem oſtendat. [*contra ſtimulos*] correctionem, quaſi dicat huc uſque ſine ſtimulo reſtitiſti, nunc vero ſi recalcitrabis plus pungeris. Innuitur bos futurus agriculturæ Dei 1. *Cor.* 3. vel ſtimulus charitas 2. *Cor.* 5. *Charitas Chriſti urget nos.*

Verſ. 16. *Miniſtrum & teſtem*, non eſt verus teſtis qui non eſt miniſter exemplo eius *Math.* 20. non veni miniſtrari. [*vidiſti*] in hac prima viſione [*apparebo*] poſtea multis viſionibus.

Verſ. 17. *In quas*: vel in quos ambos, quia & Iudæorum & gentium inſidias paſſus & injurias.

Verſ. 18. *Aperire*, cæci enim ſunt. [*oculos*] interiores vel etiam exteriores. [*de poteſtate*] ecce tenebræ. [*Deum*] lucem. unde ſi eſt in litera [*& de poteſtate*] poteſt legi expoſitivè & pro id eſt quaſi de infidelitate ad fidem, de vitijs ad virtutes & mores. [*ſortem*] hæreditatem quæ ſois dicitur, quæ ſine libero arbitrio provenit propter radicem merendi, primam ſcilicet gratiam gratis datam ſine prævisione liberi arbitrij. [*inter ſanctos*] ſed cum hæc propoſitio dicat æqualitatē, ſicut ſuper ſuperioritatē, & ſubter inferioritatem videtur quod malè, cum ſancti non ſint æquales. 1. *Cor.* 15. ſtella enim à ſtella differt in claritate. Solutio. Sunt æquales quoad denarium *Math.* 20. vel dupliciter comparantur ſancti: inter ſe & ſic eſt ibi æqualitas quia nulla prælatio quæ cauſatur ex infirmitate; vel ad Deum à quo plus præmij accidentalis vel eſſentialis accipit unus quam alius, & ſic major vel minor. [*per fidem*] *ſupra* 15. fide purificans corda eorum. Sed quare non ita per ſpem vel charitatem? Solutio. charitas magis conjuncta eſt dilecto & ſpes ſperato quam fides credito vel vero, & tanto difficilior eſt & magis habet purgare.

Verſ. 20. *Et Hieroſolymis*, antequam ordinaretur Apoſtolus gentium electus ad hoc à ſpiritu ſancto ſupra 13. tunc prædicavit Hieroſolymis. Sed poſt tantum ſolvit votum ſupra 21. quia dicit, erat tantum Apoſtolus gentium & ipſo jure Iudæorum inter gentes diſperſorum.

Verſ. 21. *Hac de cauſa*, tertia pars.

Verſ. 22. *Auxilio Dei*. autoritate & Lyſiæ miniſterio *ſupra* 21. [*ſto*] perſevero. vel in mortem non cado. [*minori*] ætate, vel perſona. [*Moyſes*] qui & ipſe fuit propheta ſecundum tem, ſecundum officium dux populi & ſic quodammodo plus quam propheta.

Verſ. 23. *Si*, pro [*quod*] [*paſſibilis*] Chriſtus erit. ſupple bor dixerunt Prophetæ *Iſai.* 53. ſatis de paſſione. [*primus*] quia primus reſurrexit non iterum moriturus *Rom.* 6. [*Populo*] Iſrael per ſe *Math.* 15. *non ſum miſſus &c.* [*gentibus*] per Apoſtolos. vel [*populo ex gentibus*] ſupple ſeparatim ſcil. Iſrael.

Verſ. 24. *Hæc loquente*, quarta pars. [*Inſanis*] quia vinctus loco defenderſui ſe accepto impertinentia ſuæ liberationi loquebatur: vel quia prædicabat in Chriſto reſurrectionem mortuorum. [*multæ literæ*] *Rabanus*. Philoſophi gentium multa legendo vel ſciendo ſectas mutabant. [*ad inſaniam*] mutabilitatem de ſententia inſententiam vel de doctrina in doctrinam, ut te excuſatorus prædices reſurrectionem & tuam narres converſionem. *Beda*. Sicut ſtulta amentia fuit quod filius prodigus porcos pavit *Luc.* 15. ſic de ſpirituali amentia 2. *Cor.* 5. *ſive mente excedimus, Deo &c. Pſal.* 93. non reſpexi in vanitates & inſanias falſas.

Verſ. 25. *Optime*, adulator videtur ſed captat benevolentiam & loquitur ut plures; non ſecundum ſenſum ſuum: vel [*optime*] in quantum judex quia tenebat locū optimi Dei ſcilicet

[*veritatis*] falsitas & petulantia insaniæ sunt propria.

Vers. 16. *De his*, quæ de me narravi. [*horum*] vel de me vel de Christo.

Vers. 27. *Scio*, hoc ad persuadendum loquitur non adulando. [*Credis*] quicquid dictum est de prædictis vel de Christo. imbutus enim ritu & lege Iudæorum credebat prophetas vera dixisse ignorans illam veritatẽ ad Christũ ptinere, quamvis in concione habita cum Iudæis dixisse legatur *sed de religionis auxilio præsumitur*.

Vers. 28. *Agrippa*, 5. pars. [*& in modico*] id est quocunq; modo vel in quocunq; statu.

Vers. 29. *Et ego*. Christianus scilicet. [*exceptis*] quia non opto vos vinctos esse.

Vers. 32. *Dimitti*, solvi à vinculis.

Caput XXVII.

VT *autem judicatum est &c.* Hoc capitulum dividitur in quinq; partes. In prima dicitur quomodo Centurio, tradito sibi Paulo cum cæteris vinctis, volens navigare in Italiam ascendit navem Adrumentinam & per Sidonem & Cyprum venit Lystrã. In 2. quomodo ascẽdunt navem Alexandrinam & per Buniportũ venerunt Thessalã, & prohibente Paulo navigationẽ propter ineptiam temporis, Centurio plus credens naucleris, quia ibi non erat bonum hiemare, volebat venire Phenicem, ibi: [*& invenient*] In 3. quomodo venientes ad insulam Claudam, orta tempestate, projectis in mare quæ in navi erant, desperantes de salute consolatus est Paulus narrans visionem & promittens quod nullus periret eorum, præter solam navim: *ibi*: [*aspirante autem*] In 4. quomodo explorata aquæ profunditate Paulus indicavit Centurioni nautas velle fugere qui impediti sunt per dimissionem scaphæ: *ibi*: [*sed postea*] In 5. quomodo Paulus hortatus est eos comedere & committere se mari & vento, & quomodo propinquaverunt terræ, & fixa prora in littore puppis dissolvebatur, ubi volentibus militibus occidere vinctos ne enatantes evaderent centurio non permisit, *ibi*: [*& cum lux &c.*]

Vers. 1. *Indicatum est*, Agrippa decernente. [*custodijs*] vinctis qui custodiebantur. [*cohortis Augustæ*] a nomine Augusti qui milites miserat.

Vers. 2. *Autem*, expletivè. [*Adrumetinam*] id est ad Romam navigantem, vel melius dictam ab Adrumeti civitate Africæ. [*circa Asiam*] ad aquilonem ubi erant portus famosi quia in Cæsarea non invenerunt navem euntem in Italiam directè.

Vers. 3. *Sequenti*, post egressum de Cæsarea. [*tractans*] cogitans. [*ire*] in Sidonem Phœnicis urbem. [*curam*] procurationem navigationis.

Vers. 4. *Inde*, à Sidone. [*Cyprum*] ad occidentem. [*propterea*] supple appropinquavimus Cypro.

Vers. 5 *Lyciæ*, civitas. *Beda*, pro Lystra: in græco dicitur Smyrna. Hieronymus verò Myrrham ponit.

Vers. 6. *Et inveniens*, 2. pars. transposuit de navi in navim.

Vers. 7. *Gnidum*, insulam vel Chium secundum quosdam quæ est insula contra Asiam. [*prohibente*] ideo dixit [*tardè*] [*Creta*] insula est. [*Salmonem*] nomen loci. [*juxta*] Salmonem, vel [*locum*] in Creta.

Vers. 8. *Boniportus*, à bonitate vel proprium nomen est.

Vers. 9. *Iejunium*: *Rabanus*. fames magna in navigio infirmiores reddens nautas. Alij dicunt quadragesimam ante natale Domini, sed non videtur quia nondum erat instituta nec Lucas inde aliquid sciebat. Sed melius putatur jejunium mensis septimi quod faciebant Iudæi pro eo quod tunc occisus est Godolias 4. *Reg. in fine* vel jejunium mensis decimi quando cognoverant transmigrati in Babylonem templum esse destructum 4. *Reg.* 25. mensis autem decimus Iudæorum est Ianuarius quia ab Aprili incipiunt computare & tunc navigatio non est tuta. [*consolabatur*] hortabatur. video ex signis tempestatum vel spiritu prophetico.

Vers. 11. *Nauclero*, id est naviculario scil. Domino navis.

Vers. 12. *Phœnicem*, retrò unde venerant. [*portum Cretæ*] qui est in Phœnice regione Cretæ, ad quam ire volebant. [*ad Africum*] meridianam occidentis partem quæ de Africa nomen accepit. [*Corum*] insulam vel civitatem in Creta. *Beda*. Africus flat inter meridianam & occidentalem plagam magis vergens ad occidentẽ. Chorus ventus est inter septentrionem & occidentem plus deflexus ad occidentem; & provincia Phœnicis Cretam habebat ad occidentem.

Vers. 13. *Aspirante*, 3. pars. à Creta, quia ad Boream erat portus Cretæ. [*propositum*] ad portum Cretæ venire. [*de Asson*] nomen loci sic dicti quia inde solvuntur naves in mare progredientes. interpretatur solutio.

Vers. 14. *Typhonicus*, à typhos quod est inflatio, quòd facit mare inflari [*Euroaquilo*] à nomine regionis & est ventus inter aquilonem & orientem contrarius ituris in Phœnicem. alia litera habet. [*ventus tempestuosus.*]

Vers. 15. *Arrepta*, à vento. [*in*] contra [*data nave*] cessante remigio.

Vers. 16. *Scapham*, *Beda*: levis est navicula de vimine facta crudo corio tecta, dicta græcè à cõtemplando eo quod per eam nautæ vel piratæ qui maxime talibus utuntur terram vel littus perspiciunt. vel est navicula de una arbore cavata quæ intra magnam navem fertur ut imminente tempestate per eam in mare missam navis minuatur, quam in mare dimissam vix tenere potuerunt propter impetum tempestatis.

Vers. 17. *Sublata*, à fluctibus. [*adjutorijs*] scaphæ. [*accingentes*] in procinctu tempestatis armantes, vase quodam facientes eam graviorem ut magis posset subsistere. [*syrtim*] loca arenosa ubi naves facile periclitantur: & interpretatur angustia vel tribulatio. [*vase*] scapha. [*submisso*] contra navem ligatam ad minutionem. [*ferebantur*] vento contrario & scapha. Alia litera: timentes ne in syrtes inciderent laxantes navim ita ferebantur, *Beda*. Alia litera apertius dicit:

arrepta

arrepta navi cum non possent occurre vento commendata navi fluctibus colligere vela cœperunt; tunc transcurrimus insulam quæ dicitur Clauda, quam occupare non potuerunt, sed scaphâ amissâ adjuvare cœperunt navem præcingentes eam, trahebant autem & anchoram timentes ne incurrerent in Syrtes: ex quo patet quod funibus à medio navis lateri utrinque circa eius anteriora demersis, - anchoras his quæ traherentur adjunxerunt, quod fiebat ad retardandum navigium ne cursu præpropero incideret in syrtes solo auditu terribiles, quia omnia ad se rapiunt.

Vers. 18. *Iacturam*, ejectionem eorum quæ erant in navi.

Vers. 19. *Armamenta*, utensilia.

Vers. 21. *Ieiunatio*, voluntaria singulis ad honorem Deorum suorum pro periculo. simile, *Ionæ* 1. *Beda*. vel necessaria pro penuria [*tollere*] iter arripere & sic [*lucrifacere*] vitare per antiphrasin. [*iniuriam*] tempestatis, [*iacturam*] ut supra, vel damnum vasorum perditorum.

Vers. 22. *Et nunc*, licet non audieritis me [*bono*] sano & forti. [*nullius anima*] ut viros simul & mulieres comprehendat. [*preterquam navis*] terminus designans exceptum debet contineri sub toto à quo fit exceptio, sed navis non continetur sub anima ergo &c. Solutio. exponitur verbum. [*præter*] ponitur privativè, & est sensus [*præter*] id est sine ea re quæ est navis. quasi salus erit omni animæ sine navi. vel per suppletionē, quasi nullius animę erit amissio &c. nec alicuius alterius rei præterquam navis. Iactura enim iam facta præterita erat non futura. vel sic, ut verbum [*quam*] sit nomen. quasi nullius erit animæ amissio [*præter quam*] amissionem erit affirmando, amissio navis.

Vers. 23. *Astitit*, non dicit jactando sed ad fidem provocando. Ideo enim mare turbatum est ut per id quòd auditus non est & per illud quò l auditus est specialis in eo gratia commendetur. [*ego*] Apostolus. [*deservio*] in evangelio.

Vers. 24. *Ne timeas*, periculum maris. [*Cæsari*] quasi non fluctibus mergeris sed Romæ peric litaberis. [*& ecce*] quasi nec socijs tuis timendum est.

Vers. 26. *In Insulam*, quasi pro signo est prophetia veritatis ut eum ad illam venerint de salute sua sint certi.

Vers. 27. *Sed post*, quarta pars. [*Adria*] regio ad quam navigabant, vel nomen cujusdam freti in Tyrrheno mari: vel nomen illius terræ de qua dicitur Adriaticum mare. vel [*Adria*] pluraliter accipitur pro scopulis, & ideo putabant nautæ regionem apparere. in libro Hebræorum. [*Adria*] continens mala, vel littus malorum dicitur.

Vers. 28. *Bolidem*, vel polidem, pondus plumbi, quo maris profunditas exploratur. [*invenerunt*] in profunditate maris. [*passus quindecim*] appropinquante terra.

Vers. 29. *Timentes*, quia adhuc nox erat [*aspera*] scopulosa ut supra. [*anchoras quatuor*] ne procedere possent donec veniret dies.

Vers. 30. *Nautis*, qui semper in navi fuerant. [*misissent*] dimisissent. [*obtentu*] occasione. [*anchoras extendere*] ut navim sedarent.

Vers. 32. *Absciderunt*, *Gloss.* quia in nausi agio magis nautarum qui sunt gnari maris scientia proderat quam militum arma levius ferebant scapham quam nautas excidere, ne occasionem fugiendi darent.

Vers. 33. *Et cum lux*, quinta pars. [*sumere cibum*] ut fortiores essent ad laborem sustinendum [*quarta decima die*] videtur dicere eos jejunasse 17. diebus quod esset impossibile. Sed dicitur respectivè, quia parum comederant, timore periculi non comedisse dicuntur: vel verbum [*hodie*] determinat verbum [*ieiuni*] quasi hodie estis jejuni, quæ est decimaquarta dies, vel forsitan in die non edebāt ut dicit glossa. [*expectantes*] prosperitatem à qua jejuni erant quia non veneiat. ecce alia expositio.

Vers. 35. *Sumens panem*, ut alijs daret exemplum. [*gratias egit*] secundum morem suum in comedendo & pro salute navigantium.

Vers. 36. *Animæquiores*, exhortationis verbo & operis exemplo. *Beda*. nemo seculi tempestatem evadit nisi qui pascitur pane vitæ, & qui in nocte tribulationis quatuor virtutum cardinalium quasi quatuor anchorarum nutritur auxilio, coruscante æternitatis die portum salutis ingreditur, quærens flammam dilectionis qua interiora calefiant.

Vers. 37. *Anima*, *Beda*. non dicit viri, quia forte erant & mulieres; vel propter confusionem Christianorum militum & nautarum.

Vers. 38. *Satiati*, fortiores facti vel non indigentes tritico. [*alleviabant*] leviorem faciebant [*iactantes triticum*] contra supra dictum est quòd nullius rei fieret amissio nisi navis. Solutio. non erant multi valoris triticum & cætera quæ jactabantur comparatione hominum, ideò non reputantur.

Vers. 39. *Sinum*, portum. [*litus*] non turpem sed aditum facilem.

Vers. 40. *Sustulissent*, de mari in navem. [*committebant*] sine conatu navigij. [*artemon*] modicum velum directioni potius navis accommodatum quam celeritati. [*secundum auræ*] sicut ventus ducebat.

Vers. 41. *Dithalassum*, id est bimaritimum: locus ubi terra inter jecta duplex mare intervenit, ut duæ sint reflexiones maris, quod scil. mare græce dicitur thalassa vel thassala. [*impegerunt*] in illud, quasi dorsum mari injectum. [*solvebatur*] disrumpebatur. Glossa. talis est casus animæ sæcularia desideria non calcantis, qui proram intentionis terræ infigit, & sequens opus curarum fluctibus solvit: sed fracta nave evadentes terram petunt quia pereuntium exemplo alij cautius agent.

Vers. 42. *Custodiat*, vinctos.

Vers. 43. *Primos*, ante vinctos.

Vers. 44. *Cæteros*, non natantes. [*super ea*] præter tabulas.

Cap. XXVIII.

ET *cum evasissemus &c.* Huc capitulū divid.. in tres partes in prima dicitur de nomine & habitatorib' insulę humanè excipientib' naufragiū passos, & vipera quę adhęsit manui Pauli sarmēta colligen..

colligentis ut ignem faceret, qua excuſſa illæſus perſtitit mirantibus cunctis. In 2. de patre principis inſulæ oratione Pauli à febribus ſanato & multis alijs infirmis & de profectu & nave Alexandrina & adventu Romam & occurſu fratrum ibi: [*In locis autem*] In 3. de convocatione Iudæorum, quibus expoſita cauſa ſua prædicationem non recipientibus confutat eos Iſaiæ teſtimonio, prædicans liberè gentibus ad ſe venientibus. ibi: [*cum veniſſemus.*]

Verſ. 1. *Melite*: vel Militene, non mitylene ut quidam volunt, quod eſt nomẽ cuiuſdam civitatis non inſulæ. volunt etiam quidam hanc eſſe inſulam in qua prædicavit Iohannes ſcil. Aſiã minorem: quod eſſe non poteſt. quia illa non eſt Siciliæ oppoſita ſicut iſta. [*Barbari*] habitatores inſulæ.

Verſ. 2. *Pyra*, maſſa vel ſtrue lignorum: à pyr quod eſt ignis, ſecundum alios nomen eſt ligni. [*reficiebant*] igne. Contra: refectio eſt deperditorum reſtauratio: ſed ignis conſumit, ergo &c. Solutio. duplex eſt nutritio vel refectio materialis & formalis: ſecundum primam ignis non nutrit vel reficit, ſed ſecundam, quia calor exterior excitat calorem naturalem interiorem.

Verſ. 3. *Sarmenta*, ramos vinearum aptos igni. [*à calore*] fugiens nimium calorem quia temperatum diligit naturaliter. [*invaſit*] non deſtruxit.

Verſ. 4. *Homicida*, quem ſciebant debere mori. [*ultio*] divina.

Verſ. 6. *In tumorem*, ſecundum morem percuſſorum à ſerpente. [*ſubito*] citò poſt, quia venenum ſucceſſive operatur. [*expectantibus*] credentibus Paulum mori. [*convertentes*] facies ad invicem vertentes.

Myſticè. Myſticè. *Rabanus*. Egreſſus de mari ignem accendit, quia corda quæ undis tempeſtatum eripit docendo amoris igne calefacit. [*ſarmenta*] exhortationis verba de ſcripturis quaſi vineis excerpta. hac flamma pulſus diabulus de cordibus fidelium doctores perfundit veneno perſecutionum ut eorum opera impediat. ſed ipſo igne comburitur, quia iiſdem virtutibus quibus ſancti proficiunt, impii cum autore ſuo invidẽdo deficiunt. *Iſai. 26. videant & confundantur zelantes populi & ignis hoſtes tuos devoret.*

Verſ. 7. *In illis*, 2. pars. [*prædia*] vineæ vel agri.

Verſ. 8. *Febribus*, à fervore dictis. [*dyſenteria*] quæ eſt paſſio inteſtinorum cum profluvio ventris. [*triduo benignè*] fortè quia audivit miraculum de vipera. [*ſalvavit eum*] quærit Beda cur infidelem ægrum ſanans, Trophimum reliquit infirmum Mileti 2. *Tim. in fine.* & Thimotheum ſimiliter infirmum 1. *Tim. 5. fideles non curat?* Solutio. Quia ille per miraculum foris ſanandus erat, qui intus non vivebat: hoc non indigebant diſcipuli, intus ſalubriter viventes.

Verſ. 11. *Poſt menſes*, ex quo primum venerant de Aſia, vel illam intraverant inſulam. Quæſtio. Quæritur de illis ſanatis aut receperunt fidem aut nõ: ſi ſic, debuit ſcribi: ſi non, videtur ſanctum dare canibus *Math. 7.* Reſponſio. Reſponſio. probabile videtur quod ſic. ſed quia Paulus non fuit in eis niſi nunciator fidei & quaſi in tranſitu nec poſtea ad eos confirmandos rediit, non curavit Lucas ſcribere, ſed reliquit illi qui eos in fide poſtea confirmavit. [*Alexandrina*] altera. [*inſula*] Militene. [*cui*] inſulæ. [*inſigne caſtrorum*] quia forte aliqua Caſtra olim fuerunt ibi fundata. vel [*cui*] navi: quia ſub forma caſtrorum inſignia velis erant intexta nautarum. vel [*caſtrorum*] id eſt populi armati. vel [*caſtorum*] ſine, r: *Beda.* Gemini Caſtores ſunt, Caſtor & Pollux, quos ideo gentiles in mari deos vocant quia in prodigiis nautarum ſi ſolæ ſtellæ apparuerint in navi vel antennis periculoſi, ſi vero geminæ proſperi curſus ſunt nunciæ. Alia litera cui erat ſignum Iovis filij, quia ſecundum fabulas Iupiter in ſpecie agni cygnoſceos Ledam genuit ex ea duo ova, de uno nata eſt Helena, de altero Iſti Caſtor & Pollux.

Verſ. 12. *Syracuſas*, Syciliæ civitatem.

Verſ. 13. *Circumlegimus*, circa Syciliam navigantes. [*Rhegium*] aliam civitatem Syciliæ. [*flante auſtro*] quo indigebant Romam ituri. [*Puteolos*] inſulam. multi legunt. [*Pateoloſin*] & eſt locus ultra Romam ubi virgilius fecit balnea medicinalia ſingulis inſcripta titulis, ut dicitur, cõtra quam ſcilicet valerent ægritudinem. unde invidentes Salernitani ſupervenientes in manu forti titulos deſtruxerunt, ædificia mutilantes.

Verſ. 15. *Fratres*, Chriſtiani Romæ habitantes, unde Paulum non primùm prædicaſſe Romanis patet. [*Apij forum*] ab Appio Claudio cõſtructum proximum mari. [*tribus Tabernis*] tribus domibus in litore poſitis ex uno fundamento ædificatis. [*accepit fiduciam*] Gloſ. minus timuit: ergo prius timebat: ſi mortem, hoc erat imperfectionis: ſi ne Romani converterentur hoc erat incredulitatis contra promiſſum ſibi à Domino ſupra 23. Solutio. non propter ipſam converſionem timuit ſed propter modum convertendi, in qua moram timebat: ſed nunc fiduciam accepit de celeri converſione.

Verſ. 16. *Cum veniſſemus*, tertia pars. [*permiſſum*] gloſſa. à principe peregrinorum cui peregrini commendabantur. [*ſibimet*] non cum cæteris peregrinis. [*cuſtodiente*] donec daretur in manus Romanorum. [*milite*] fortè de militibus Lyſiæ Tribuni. vel præſidum Felicis & Feſti.

Verſ. 17. *Primos Iudæorum*, timens ne forte de Iudæa mandaſſent eis ut eum in dolo occiderent. [*Romanorum*] id eſt præſidis miſſi à Romanis.

Verſ. 18. *Interrogatione*, quid commiſiſſem.

Verſ. 19. *Accuſare*, coram Cæſare.

Verſ. 20. *Propter hanc igitur*, quia nulla cauſa mortis eſt in me. [*propter ſpem*] reſurrectionis. [*Iſrael*] quam habent meliores qui ſunt in Iſrael.

Verſ. 21. *Nos neq; literas*: Sed videtur quod ſic Obiectio. dicitur in 2. Hiſtoriarum quòd eo tempore quo traditus eſt Paulus Iulio Centurioni *ſupra* 27. miſerunt Iudæi Romam contra Agrippam accuſantes eum de multis, maximè quia Iſmaelem qui non erat de genere Aaron inſtituerat ſummum Sacerdotem, & videtur quod eodem modo ſcripſerunt contra Paulum. Solutio. Imò Solutio. ideò omiſerunt ſcribere contra Paulum, quia per hoc poſſet impediri maius negotium quod habebant contra Agrippam, vel fortè tunc facilius liberaretur Paulus Agrippa pro ipſo teſtificante: vel ſi forte ſcripſerunt nondum venerat Romam nuncius.

Verſ. 22.

Verſ. 22. *De ſecta*, Chriſtianorum.

Verſ. 23. *Conſtituiſſent illi*, Iudæi: vel [*illi*] Paulo.

Verſ. 25. *Conſentientes*, fideles & increduli. [*Spiritus Sanctus bene*] Hoc aſſerit *Iſaias cap. 6.* dictum eſſe à Domino: ex quo paret unam eſſe voluntatem & naturam Domini & ſpiritus ſancti, & in nomine ſpiritus ſancti Domini quoque nomen intelligi.

Verſ. 26. *Vade*, dicitur Chriſto vel cuilibet doctori. [*aure*] exteriori. [*audietis*] doctrinam. [*& non intelligetis*] aure interiori. [*videbitis*] ſigna [*non perſpicietis*] quid ſigna protendant.

Verſ. 27. *Incraſſatum*, ingroſſatum & induratum graviter quia ſurdi. [*ne forte*] *Beda.* ne putetur craſſitudo cordis & gravitas aurium naturæ eſſe non voluntatis, ſubdit culpam liberi arbitrii, dicendo [*compreſſerunt*] [*ne forte*] quaſi præcedentibus meritis ipſi cauſa fuerunt ut Deus eis oculos clauderet, & ſic verbum [*ne forte*] legitur negativè: vel poteſt legi affirmativè & continuari ei quod præceſſit: ſic: quaſi, [*vade ad populum*] & impropera peccata eorum, [*ne forte*] [*ne*] pro [*an*] quaſi ſi forte, vel ſic audiant & [*convertantur*] quaſi ſi intelligerent, converterentur. [*convertantur*] propter præparationem quæ poteſt eſſe ab homine ante ſanationem. ſed perfectam converſionem præcedit ſanatio. qui enim prius converſus non fuerit perfectè ſanari non poteſt. Simile dicitur de Iudæis *Ioh. 9.*

Verſ. 28. *Salutare*, Chriſtus vel evangelium. [*ipſi*] gentes, ſcil. [*audient* aure interiori, non ut Iudæi.

Verſ. 30. *Conducto*. hoſpitio quod conduxerat; vel, ſecundum *Rabanum*, in libera cuſtodia per quam conducebatur: vel in ſua conductione qua contra Iudæos diſputabat. Sed mirum videtur quomodo Nero tam propitius fuit Paulo. Reſp. nondum regnaverat niſi per duos annos, & nondum ita excreverat malitia eius ſicut excrevit poſtea, & de controverſia Iudæorum contra gentiles non multum curabat. Huius enim regni anno 2. in quo Feſtus Iudææ procurator Felici ſucceſſit, qui erat à paſſione Chriſti viceſimus quintus, venit Romam Paulus ſecundum Rabanum. Nero autem nec dum benè cõfirmatus in regno prius permiſit Paulum eſſe Romæ ſub libera cuſtodia, ut quicquid vellet ageret toto biennio, & poſtmodum liberius permiſit ut in partibus occidentis evangelium prædicaret per decennium: quo expleto creſcente Neronis malitia & Apoſtoli fama, prius in carcerem Neronis miſſus ubi plures de familia eius convertit & Senecæ magiſtri eius familiaritatẽ obtinuit, & ipſo anno decollatus eſt ſcil. 37. à paſſione, & Neronis 14. additis ad 25. annos à paſſione duobus annis regni ipſius jam elapſis quando venit Apoſtolus & biennio liberæ cuſtodiæ in Roma, & decennio prædicationis in occidente. Sed ſecundum Bedam 39. anno à paſſione, paſſi ſunt Petrus & Paulus; ſicut probatum eſt *ſupra 15.* & ipſe fuit Neronis ultimus. Non autem ſunt audiendi qui dicunt Apoſtolos eodem die & anno * -- ſicut dicit Magiſter in hiſtorijs. Vnde de ipſis canitur glorioſi principes * & terræ &c.

* *forte ſuppl. martyrio coronatos*
* *Supple celi.*

Verſ. 31. *Suſcipiebat omnes*, non tantum Iudæos ſed etiam gentes quas ſupra dixit ſalvandas reprobatis Iudæis. [*ſine prohibitione*] quia nec Romæ nec in partibus occidentis prohibitus eſt prædicare evangelium uſque ad 14. Neronis annum in quo retentus eſt & martyrio coronatus.

Expliciunt Actus Apoſtolorum.

INCI-

INCIPIT PROLOGUS POSTILLATORIS SUPER EPISTOLAM IACOBI.

IN EPISTOLAM IACOBI PROLOGUS.

M*issæ sunt Epistolæ ex Regis nomine per veredarios qui per omnes provincias discurrentes, veteres literas novis nunciis prævenirent.* Verba ista scripta sunt: *Hest. vel 5. vel 8. capitulo*, & satis spiritualiter intellecta competūt proposito libro. Et ut melius videamus *sensum spiritualem*, primò videamus *literalem*.

Narrat hæc historia ad *literam*, quomodo à rege *Assuero* per falsam suggestionem *Aman* proditoris lata fuit sententia condemnationis & interfectionis totius populi Iudaici in regno suo existentis. Iam sententia erat lata, jam erat annulo regis obsignata, jam per nuncios erat publicata: jam dies erat assignata non restabat nisi quod interficerentur. Sed, sicut narrat eadem historia per reginam *Hester* fuit revocata, scilicet per eius intercessionem, per virgę aureæ extensionem, & osculum summitatis eiusdem. Nec solùm sententia fuit revocata; imò ipsa revocatio per veredarios ad hoc specialiter missos fuit promulgata. hoc est quod dicitur in verbis propositis: *Missæ sunt epistolæ &c.* Sicut dicitur 1. *ad Cor. 10. Omnia contingebant illis in figura*: veritas autem respondens huic figuræ hæc est. Per peccatum enim primorum parentum, per falsam suggestionem *Aman* proditoris perpetratum, à rege Assuero scil. Deo sententia damnationis totius humani generis fuit lata. *Gen.* 2. *quacunq; comederis die ex eo morte morieris*: quia dictum est Adæ non solum pro se, sed etiam pro tota sua posteritate. & dicit. *quacunq; die comederis morte morieris*: innuens *triplicem mortem*. nam ipsa comestio fuit mortifera; Statim ergo cùm comedit lignum vetitum, mortuus fuit *spiritualiter*, sed habuit necessitatem moriendi *corporaliter*, & quantum est de se *æternaliter*. Iam ergo sententia erat lata, jam erat in sacra scriptura obsignata *Gen.* 2. jam erat per nuntios, scil. prophetas, promulgata, jam dies erat assignata. Statim enim cùm moriebamur ad inferos descendebamus. Sed per *Hester* Reginam, id est, *Virginem beatam fuit* revocata, per eius scil. *intercessionem*, per virgæ aureæ extensionem, & osculum summitatis eiusdem. De hoc habetur *Hester* 5. & 8. ubi dicitur quòd *placuit Hester regina in oculis regis, & extendit contra eam virgam auream, quæ accedens osculata est summitatem virgæ, & dixit ei rex: Quid vis Hester? & quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris impetrabis: quæ respondit; Si inveni gratiam in oculis tuis, & si placet tibi ô Rex, dona mihi animam meam pro qua rogo & populum meum pro quo obsecro.* Traditi enim sumus ut conteramur & iugulemur & pereamus per peccatū originale contractum & per peccata nostra actualia superaddita. Traditi enim eramus ut iugularemur in corpore, periremus in anima, conteremur, id est simul tereremur in utroque. vel iugularemur *corporaliter*, periremus *spiritualiter*. contereremur, id est continuè tereremur *æternaliter*. Sed Hester Regina, id est virgo beata placuit in oculis Regis ad restaurationem generis humani, invenitq; gratiam coram eo non solùm pro se sed pro toto humano genere extenditq; Rex virgam auream contra eam. Ista virga aurea secundum glossam fuit crux sive passio dominica quæ tota fuit aurea, id est charitativa. Nihil enim fuit in ipso contractum, nec passibilitas contracta, nec originale contractum: nihil fuit in Ipso actum quia nec veniale nec mortale: imò pro salute generis humani passus fuit. Nullius sancti cuiuscunque fuerit conditionis passio fuit tota aurea, quia in omnibus fuit passibilitas contracta, originale contractum. & aliquod peccatum actum saltem veniale. Hanc virgam auream Deus pater nobis extendit quando ex charitate maxima quā habebat ad nos Filium suum passioni exposuit. Summitatem huius virgæ virgo beata tetigit, quando Filium Dei in utero suo concepit & postmodùm peperit, & sic dimidiam partem Dei impetravit, ut ipsa sit regina misericordiæ, cuius filius est rex iustitiæ. Sic etiam sententia nostræ damnationis revocata fuit per veredarios, id est Apostolos ad hoc specialiter missos. Revocatio fuit promulgata: hoc est quod dicitur in verbis propositis: [*Missæ sunt epistolæ ex regis nomine*] id est, autoritate. [*per veredarios*] id est Apostolos [*qui per omnes provincias discurrentes*] Glossa: per prædicatores summi regis cursores. [*veteres literas*] scil. damnationis nostræ [*novis nunciis*] scil. Apostolis prævenirent. In verbis autem istis notantur tria, secundum tria cuilibet missioni solenni necessaria. Quælibet enim missio solennis requirit in mittente autoritatem: in misso celerem adimpletionem, in eo cui fit missio, utilitatem. In verbis autem propositis notantur

Mors triplex.

Virgo beata.

tur ista tria: in mittente *autoritas*, cum dicitur. [*Missæ sunt Epistolæ ex regis nomine*] in missis *adimplendi celeritas* cùm dicitur, [*per veredarios, qui per omnes provincias discurrentes*] in illis quibus facta est missio, *utilitas*, cùm sequitur: [*veteres literas novis nuncijs prævenirent.*] Primum ergo notatur cum dicitur, [*missæ sunt epistolæ ex regis nomine.*] Iste Rex Assuerus significat Christum. interpretatur enim *atrium* vel *beatitudo*. Christus verò est *atrium* bonorum qui sunt in statu viæ & *beatitudo*, quantum ad illos qui sunt in statu patriæ. De utroque dicitur *in psalmo 83. Beati qui habitant in domo tua Domine &c.* Et parùm post: melior est dies una in atriis tuis super millia. Ipse est rex regum & Dominus dominantium 1. *Tim. 6.* Excellit enim omnes alios reges: *in psalmo* 88. *ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* Excellit omnes alios reges.

Primò naturali innatæ & infinitæ regiæ majestatis dignitate. Fuit enim rex quando natus est ex Deo patre æternaliter, & rex antequam natus ex virgine temporaliter. Ideo sapienter quærunt illi magi *Math. 2. vbi est qui natus est rex.* Rex enim Franciæ natus est, sed non est natus rex. Christus autem fuit in ipsa nativitate. imò antequam nasceretur ex virgine. *Psal. 73. Deus autem rex noster ante sæcula &c.*

Secundò excellit eos in aliorum instructione. Ipse enim omnes alios reges instituit, quod nullus alius potest. Rex enim Franciæ non instituit regem Angliæ. *Prov. 8. per me reges regnant &c.* unde omnes alij reges sunt eius servi, & tributarij. *Psal. 71. omnes reges servient ei*: id est servire debent: vel ut sit distributio accommoda: quotquot servient ei, erunt reges, *quia ei servire regnare est*: secundum glossam Gregorij in glossa super illud: *Paulus servus &c. Rom* 1.

Tertiò excellit eos in regni sui æternitate, sive æterna duratione; caret enim principio & fine. *Psal. 144. regnum tuum, regnum omnium sæculorum &c. & Dan. 7. potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* omnia aliorum regna sunt temporalia & corruptibilia, ac per hoc momentanea. *Ecclesiastici 10. Hodie est rex & cras morietur.* Vnde ipsi sunt reges de Saba, quorum regnum non durat, nisi per unum diē, & postea similes sunt, vel forte deterioris conditionis.

Quartò excellit in regni sui liberali & totali distributione. omnibus enim illis qui sunt de regno suo, liberaliter regnum suum totum distribuit quod nullus alius rex. *Luc. 21. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum.* non dicit partem regni, sed regnum. Legitur 1. *Machab.* 1. quòd Alexander cùm moreretur vocavit pueros suos, cum quibus nutritus fuerat à pueritia sua, & divisit eis regnum suum. Aliter enim est de regno Dei & mundi. videre enim regnum mundi non est habere *Math. 4. ostendit illi omnia regna mundi & dixit ei: hæc omnia tibi dabo*: non dicit tibi do. Sed videre regnum Dei est habere illud. *Sap. 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi regnum Dei*, id est, dedit. Scitis autem quòd eadem res simul & semel à pluribus immò ab omnibus potest videri. Rex ergo Assuerus est Christus: ex eius nomine, id est autoritate epistolæ illæ missæ sunt: ille enim facit cuius autoritate fit; Apostoli verò autoritate Christi istas Epistolas scripserunt & miserunt, & ideo possunt dici à Christo missæ. Ecce ergo primum, scil. in *mittente autoritas*: quæ significata est 2. *Paralip.* 30. ubi dicitur quòd *Ezechias rex misit nuncios ad omnem Israel & Iudam, & scripsit Epistolas ad Ephraim & Manassen, ut venirent in domum Domini in Hierusalem, & facerent Phase Domino Deo suo.* Rex ecce Christus qui misit nuncios id est Apostolos & scripsit Epistolas scil. Canonicas.

Secundò notatur in verbis propositis, in missis *adimplendi celeritas*, cùm dicitur, [*per veredarios &c.*] Isti veredarij sunt Apostoli. Veredarius est auriga vel nuncius in reda portatus. Est autem reda genus vehiculi quatuor rotarum. & dicitur reda à redeo redis, eo quod talis currus agilis est ad eundum & redeundum. Istud vehiculum per quod portamur in cælis est sacra scriptura generaliter, vel doctrina Apostolica specialiter.

Quatuor rotæ sacræ scripturæ sunt quatuor modi exponendi sacram scripturam, scil. *historicus, tropologicus, allegoricus, anagogicus.*

Quatuor rotæ doctrinæ Apostolicæ sunt quatuor de quibus principaliter in eorum epistolis agitur.

Prima rota est contemptus mundanæ prosperitatis, de qua principaliter agitur in Canonica Iacobi. Docet enim contemnere *quatuor* ad mundanam prosperitatem pertinentia. scil. *mundanam sapientiam in primo capitulo*: ubi docet Canonica Iacobi docet quatuor.
gaudere in tribulatione. *Omne gaudium existimate &c. Et gloriari in humilitate. glorietur frater humilis &c. Secularem pompam, in secundo capitulo*, ubi reprobat acceptionem personarum. *Popularem famam, in tertio capitulo* ubi reprobat appetentes magisterium. *Nolite plures magistri fieri fratres mei. Temporalem affluentiam in quarto & quinto capitulo.*

Secunda rota est *sustinentia adversitatis*, de qua agit principaliter Petrus. Scribit enim proselytis qui erant dispersi, & pro fide Christi patiebantur, & ideò scribit eis, consolando & informando in sustinentia adversitatis. unde statim in principio Epistolæ: [*modicum si oportet nunc contristari &c.* — 2. Canonica Petri.

Tertia rota est *amor superna & divina charitatis*. 3. Canonica Ioh.
de qua principaliter agitur in *Epistolis Iohannis.* 1. *Ioh. 4. Charissimi diligamus invicem quia charitas ex Deo est.*

Quarta est *fuga carnalis voluptatis*, de qua 4 Canonica Iudæ.
principaliter agitur *in capitulo Iudæ.* unde ibi dicitur: *odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam.*

De istis quatuor rotis dicitur *Ezech.* 1. *Spiritus vitæ erat in rotis. veredarii* ergo sunt nuncij in vehiculo *quatuor rotarum* portati. Isti autem sunt Apostoli, qui per omnes provincias discurrerunt, quia ubique nomen Christi annunciaverunt. *Psal. 18. in omnem terram exivit sonus eorum: &c.* quod satis significatum fuit 2. *Paralip.* 30. ubi dicitur quod *perrexerunt cursores cum Epistolis ex imperio regis & principum ad universum Israel & Iudam prædicantes,* [*filii Israel revertimini ad Dominum Deum Abraham Isaac & Iacob*] & parum post: [*pergebant igitur cursores velociores de civitate in civitatem*

ad omnem Ephraim & Manassem illis irridentibus & subsannantibus.]

Tertiò notatur in illis quibus facta est missio *utilitas*, cùm dicitur: [*qui veteres literas novis nunciis praevenirent:*] istae veteres literae nostrae damnationis. istae sunt literae sive epistolae Vriae de quo legitur 2. *Regum.* 11. *quòd portavit literas mortis suae.* Literas mortis suae portant viri literati, qui sciunt & docent & non faciunt. Istae sunt literae sine sigillo, id est scientia sine vita, & ideo non creditur eis. Vel literae veteres istae sunt peccata ad veterem hominem pertinentia. Istae literae in peccatoribus sunt scriptae. *Ierem.* 17. *Peccatum Iudae scriptum est stilo ferreo, ungue adamantino exaratum.* Sed per doctrinam Apostolorum sunt praeventae & revocatae. Et nota quòd per praedicationem & doctrinam Apostolorum istae literae in aliquibus sunt praeventae. scil. in innocentibus: in aliquibus irritae factae sunt, scil. in poenitentibus. in aliquibus correctae sunt, scil. in proficientibus. in aliquibus totaliter deletae, scil. in pervenientibus. & hoc totum per doctrinam istorum Apostolorum. Ipsi enim docent innocentiam servare, de peccatis poenitere, de bono in melius proficere & sic ad caeleste praemium pervenire. De primo dicitur hîc. [*veteres literas novis nunciis praevenirent:*] veteres literas novis nuncijs praevenire est se a peccatis praeservare & innocentiam baptismalem servare. De secundo & tertio dicitur *Hester.* 8. quòd oravit Hester regem ut malitiam Aman Agagitae & machinationes pessimas quas cogitaverat contra Iudaeos juberet irritas fieri, & novis epistolis veteres literae Aman insidiatoris & hostis Iudaeorum, quos per cunctas regis provincias perire praeceperat, corrigerentur. Et sicut patet ex textu quod ipsa petijt impetravit. Corriguntur autem hae literae in proficientibus. correctio enim est veterum literarum deletio & novarum superscriptio: ita correctio spiritualis est veterum peccatorum deletio, & novarum literarum, scil. gratiarum, virtutum, donorum bonorum operum superscriptio. In pervenientibus autem erunt totaliter deletae. & quantum ad culpam & quantum ad poenam. immò etiam peccata occasionaliter erunt eis in gloriam. 2. *Cor.* 3. *Quod si administratio mortis literis in lapidibus formata fuit in gloria &c.* Literae istae sunt peccata quibus deformata est anima, quae sunt ministratio mortis causaliter: sed erunt in gloriam bonis occasionaliter, non occasione data sed accepta; secundum quod dicit Apostolus *Rom.* 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *& alibi: ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

His visis patet quis sit autor huius libri. *Autor* enim *principalis* est *rex Assuerus* scil. *Christus* cujus autoritate epistolae & scriptae & missae sunt. *Autores secundarii* sunt *veredarii*, id est *Apostoli.*

Materia hujus libri est contemptus mundanae prosperitatis in Canonica Iacobi: sustinentia adversitatis in Canonica Petri: amor supernae & divinae charitatis in Canonica Iohannis: fuga carnalis voluptatis in Canonica Iudae.

Finis est deletio veterum literarum, id est, peccatorum & subscriptio novarum scil. gratiarum virtutum, donorum, bonorum operum.

Modus agendi attenditur in divisione & ordine epistolarum & capitulorum. taurum scilendom est quod modus procedendi aliquando est exemplaris, aliquando est comminativus, aliquando promissorius. Exemplaris est ut magis moveat ad operationem boni. *magis enim movent exempla, quàm verba*, ut dicit Bernardus *Efficacius loquitur vox operis quam sermonis.* Vnde in sacra scriptura non solum verba, sed etiam facta significant. [*Comminativus*] ut * incutiat terrorem supplicij. *Promissivus* verò, ut alliciat ad amorem regni.

Bernardus.

* *incutiens MS.*

Titulus est: [*Incipiunt Epistolae Canonicae*] id est regulares.

Liber autem iste dividitur in partes quatuor, secundum numerum autorum: vel in partes septem secundum numerum Epistolarum.

Sapientia mundana docet: Amorem prosperitatis: fugam adversitatis: amorem singularitatis: Concupiscentiam voluptatis. *Marginalis nota.*

E contrario sapientia evangelica docet quatuor his contraria, de quibus sunt quatuor Epistolae canonicae, quoniam Epistola,

Iacobi, de contemptu prosperitatis contra primum:

Petri, de sustinentia adversitatis contra secundum:

Iohannis, de amore communitatis cōtra tertiū.

Iudae, de cōtemptu voluptatis contra quartum.

Sic posset hic prosequi hoc Thema. Sapientia aedificavit sibi domum excidit in ea septem columnas scil. septem epistolas Canonicas Prov. 9.

Fecit & Beseleel lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa, ubi quae emuncta sunt extinguantur, de auro mundissimo. Exod. 37. Licet secundum personam ——de quolibet sanctae scripturae verbo verum sit, *Lucerna pedibus meis verbum tuum &c.* verumtamen *superius* 25. *cap.* exponit glossa partem praedictorum verborum de Apostolica doctrina, cujus pars magna prae manibus est, scil. septem epistolae Canonicae, quas Petrus, Iacobus, Iohannes & Iudas Apostoli Iesu Christi tam mysticas quā succinctas ediderunt & scripserunt. nec mirum si eorum doctrina lucerna dicitur quibus Dominus *Math.* 5. *vos estis lux mundi.* De hac ergo doctrina septem Epistolarum congruè accipitur quod dictum est: [*fecit Beseleel septem lucernas &c.*] Beseleel interpretatur umbraculum Dei, vel umbraculum divinum & significat Christū Dominum, in quo humanitas quasi umbraculum, & tabernaculum quod nequaquam transferri poterit fuit divinitatis, ubi ita obumbrata fuit divinitas ut de eo dicatur *Isai.* 45. *vere tu es Deus absconditus, scil.* sub umbra humanitatis. Iste fecit has septem lucernas, sicut primus auctor licet Apostoli sint ministri & coadjutores exstiterint secundum verbum beati *Pauli* 1. *Cor.* 3. unde Dominus dixit Apostolis *Luc.* 21. *Ego dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.*

Septē autem lucernae 7. sunt Epistolae, quae in tabernaculo militātis ecclesiae super candelabrū doctrinae evāgelicae vel fidē Christi positae p manifestatione & expositione & totā ecclesiā illuminā & illustrāt. Si enim sub legis modio aut in abscōdito, solis Iudaeae populis doctrina Apostolica tradita

tradita extitisset, & nõ super eat delabrũ, Christũ scilicet, ut istæ lucernæ Christum non prædicarent, sed legis iustitiam, nec omnibus lucerent, qui in domu ecclesiæ sunt: nec emunctoria sunt: unde sequitur: [*cum emunctorijs suis*] ipsæ epistolæ quæ lucernæ sunt, emunctoria sunt, & hoc respectu veteris testamenti. quia sicut per emunctoria, & amoto * lychno, qui consumptus jam lucernam obscurat, lucerna lucidius lucet: sic per Apostolicam doctrinam ceremonijs quæ sicut jam superfluis lychnis tempore Christi & deinceps amotis ab observantia fidelium, doctrina veteris testamenti clarius nobis lucet. Exempli gratia, cum dicit Apostolus, *Gal. 5. si circumcidamini Christus nihil vobis proderit*: emunctum est quoad literalem observantiam lychnum circumcisionis. Sunt nihilominus ipsæ epistolæ emunctoria vitæ humanæ ab ipsa, ut clarius luceat, omnem superfluitatem peccati resecantes. hoc emunctorio vel forcipe, quod idem est, sublatus fuit calculus de altari quo tacta fuerunt labia Isaiæ prophetæ, in quo immunditia labiorum & peccatum eius ostenditur mundatum fuisse ut habetur *Isai. 6.* habent nihilominus hæ septem lucernæ sua emunctoria scil. expositiones sanctorum quibus quod in eis obscurum est quasi emungitur & in vasis sacræ scripturæ aqua salutaris sapientiæ plenis, quodammodo quod emunctũ est extingitur, cum per sacrã scripturã sic exponendo monstratur. unde sequitur [*& vasa ubi quæ emuncta sunt extinguantur*] hæc eadem vasa ipsæ epistulæ sunt, sic enim emungunt veteris legis observantias ut in seipsis eas extinguant, & spiritualiter servandas decernant in moribus, quibus nos instruũt & informãt. verbi gratia 1. *Pet. 2. offerre spirituales hostias &c.* Ecce quòd carnales emergit & extinguit cum spirituales offerendas dicit. alias enim fœtidũ odorẽ viderentur emuncta reddere, si ista lex destrueretur ut non spiritualiter impleretur, cum Dominus dicat *Math. 5. non veni legem solvere sed adimplere. & Iota unum aut unus apex &c.* Hinc autem omnia vasa de auro purissimo non solum sunt ad illuminandum; imo & ad defendendum & resistendũ contra hostem & insidias diaboli, cui resistendũ est & fugiet à nobis ut dicitur *Iacob. 4.* unde sunt scuta quæ fecit Salomon de auro purissimo 3. *Reg. 10.* ideò dicitur *Proverb. 30. omnis sermo Dei ignitus clipeus est omnibus sperãtibus in se.* Sunt nihilominus vasa epulatoria in quibus continetur spiritualis refectio, quia in domo Salomonis erant omnia vasa aurea & universa vasa domus saltus Libani de auro purissimo. Sunt nihilominus vasa luminantia luminari, quia circa credenda agenda fugienda nos illuminant 2. *Tim. 3. omnis scientia &c.* vel scriptura. Sunt autem hæc vasa nova, quæ profert de suo thesauro, ubi omnes thesauri sapientiæ & sciẽtiæ absconditi sunt, paterfamilias Christus ecclesiæ, pater & sponsus & Dominus. vetera enim protulerat olim legis antiquæ, nunc nova faciens omnia nova protulit. omnia ista vasa sunt de auro, per quod sapientia designatur, quia sapientiã docent & continent.

* *Lichno MS.*

In istis epistolis quadruplex fructuosa sapientia contra quadruplicem secularem & perniciosam continetur & docetur.

Sapientia seculi in quatuor.

Sapientia enim seculi consistit in quatuor. primò in amore temporalis prosperitatis. De hac dicitur *Baruc. 3. filii Agar qui exquisierunt sapientiã & prudentiã quæ de terra est, negotiatores terræ & Theman.* Theman interpretatur auster, per quam notatur mundana prosperitas. *Secundò* inconstantia sive intolerantia adversitatis, de qua *Ierem. 8. confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt.* Verbum enim Domini projecerunt & sapientia nulla est in eis. *Tertiò* in amore singularitatis & excellentiæ singularis de qua *Isai. 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris & coram vobismet ipsis prudentes.* *Quartò* in amore carnalis voluptatis. *Rom. 8 prudentia carnis mors est. & post: sapientia carnis inimica est Deo.*

Contra istam quadruplicem perniciosam sapientiam, est quadruplex sapientia spiritualis quæ ab Apostolis in istis epistolis docetur & traditur. prima consistit in contemptu temporalis prosperitatis ob amorem perpetuæ felicitatis de qua dicitur *Ecclesiast. 4. melior est puer pauper & sapiens rege stulto & sene qui nescit prævidere in posterum, quia de carcere catenisq; interdum quis egreditur ad regnum.* Hanc docet beatus Iacobus, quia in Epistola sua hortatur ad contemptum mundanæ felicitatis. unde 1. *cap.* dicitur *beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Secunda consistit in sustinentia adversitatis obtentu perpetuæ quietis *Prov. 24. vir sapiens, fortis, & vir doctus, robustus & validus. Ecclesiastici 7. cor sapientum ubi tristitia.* Istam docet Beatus *Petrus* dicens: *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. Pet. ult. & 2. Pet. 2. novit Deus pios de tentatione eripere.*

Tertia consistit in amore fraternitatis ex consideratione cælestis unitatis: de qua *Ecclesiastic. 1. dilectio Dei honorabilis sapientia. & Eccles. 3. filii sapientiæ ecclesia justorum.* Istam docet Beatus Iohannes unde dicitur. 1. *Ioh. 4. Charissimi si Deus dilexerit nos, & nos debemus invicem diligere. & ibidem: diligamus invicem &c.*

Quarta consistit in fuga carnalis voluptatis, præ desiderio delectationis futuræ in fruitione deitatis, contra amorem carnalitatis. de hac *Prov. 29. vir qui amat sapientiam lætificat patrem suum; qui autem nutrit scortum perdet substantiã. Prov. 23. Audi fili mi & esto sapiens, noli esse in conviviis potatorum &c.* Istam docet Beatus *Iudas*. unde: *væ his qui in via Cain abierunt. & post. hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semet ipsos pascentes &c.*

Sic igitur patet quid in istis vasis aureis continetur. Sunt enim ista vasa de auro purissimo, quia omnia verba divinæ sapientiæ purissima sunt, quia nihil falsitatis, nil vanitatis nil malitiæ admixtum habent. Aliæ autem scientiæ vel vanitatem ut Physice, vel falsitatem ut Heretice, vel perversitatem ut magice mixtam habent. Vnde si aliquid ibi de auro sapientiæ & argento eloquentiæ, quod Salomonis tempore non esse reputandum habetur, & impurum & corruptum est. Non autem sic in divina sapientia. quia sicut dicitur in *Psalmo 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Et nota quod ista luminaria in tabernaculo in australi parte posita aquilonalem partem illuminabant: sic &

F 2 ista

ad omnem Ephraim & Manaſſem illis irridentibus & ſubſannantibus.]

Tertiò notatur in illis quibus facta eſt miſſio vtilitas, cùm dicitur: [*qui veteres literas novis nunciis praevenirent:*] iſtæ veteres literæ noſtræ damnationis. iſtæ ſunt literæ ſive epiſtolæ Vriæ de quo legitur 2. *Regum.* 11. *quòd portavit literas mortis ſuæ.* Literas mortis ſuæ portant viri literati, qui ſciunt & docent & non faciunt. Iſtæ ſunt literæ ſine ſigillo, id eſt ſcientia ſine vita, & ideo non creditur eis. Vel literæ veteres iſtæ ſunt peccata ad veterem hominem pertinentia. Iſtæ literæ in peccatoribus ſunt ſcriptæ. *Ierem.* 17. *Peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtilo ferreo, ungue adamantino exaratum.* Sed per doctrinam Apoſtolorum ſunt præventæ & revocatæ. Et nota quòd per prædicationem & doctrinam Apoſtolorum iſtæ literæ in aliquibus ſunt præventæ. ſcil. in innocentibus: in aliquibus irritæ factæ ſunt, ſcil. in pænitentibus. in aliquibus correctæ ſunt, ſcil. in proficientibus. in aliquibus totaliter deletæ, ſcil. in pervenientibus. & hoc totum per doctrinam iſtorum Apoſtolorum. Ipſi enim docent innocentiam ſervare, de peccatis pænitere, de bono in melius proficere & ſic ad cæleſte præmium pervenire. De primo dicitur hîc. [*veteres literas novis nunciis praevenirent:*] veteres literas novis nuncijs prævenire eſt ſe à peccatis præſervare & innocentiam baptiſmalem ſervare. De ſecundo & tertio dicitur *Heſter.* 8. quòd oravit Heſter regem ut malitiam Aman Agagitæ & machinationes peſſimas quas cogitaverat contra Iudæos juberet irritas fieri, & novis epiſtolis veteres literæ Aman inſidiatoris & hoſtis Iudæorum, quos per cunctas regis provincias perire præceperat, corrigerentur. Et ſicut patet ex textu quod ipſa petijt impetravit. Corriguntur autem hæ literæ in proficientibus. correctio enim eſt veterum literarum deletio & novarum ſuperſcriptio: ita correctio ſpiritualis eſt veterum peccatorum deletio, & novarum literarum, ſcil. gratiarum, virtutum, donorum bonorum operum ſuperſcriptio. In pervenientibus autem erunt totaliter deletæ. & quantum ad culpam & quantum ad pænam. immò etiam peccata occaſionaliter erunt eis in gloriam. 2. *Cor.* 3. *Quod ſi adminiſtratio mortis literis in lapidibus formata fuit in gloria &c.* Literæ iſtæ ſunt peccata quibus deformata eſt anima, quæ ſunt miniſtratio mortis cauſaliter: ſed erunt in gloriam bonis occaſionaliter, non occaſione data ſed accepta; ſecundum quod dicit Apoſtolus *Rom.* 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *& alibi: vbi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*

His viſis patet quis ſit autor huius libri. *Autor* enim *principalis* eſt *rex Aſſuerus* ſcil. *Chriſtus* cujus autoritate epiſtolæ & ſcriptæ & miſſæ ſunt. *Autores ſecundarii* ſunt *veredarii,* id eſt *Apoſtoli.*

Materia hujus libri eſt contemptus mundanæ proſperitatis in Canonica Iacobi: ſuſtinentia adverſitatis in Canonica Petri: amor ſupernæ & divinæ charitatis in Canonica Iohannis: fuga carnalis voluptatis in Canonica Iudæ.

Finis eſt deletio veterum literarum, id eſt, peccatorum & ſubſcriptio novarum ſcil. gratiarum virtutum, donorum, bonorum operum.

Modus agendi attenditur in diviſione & ordine epiſtolarum & capitulorum. tantum ſciendum eſt quod modus procedendi aliquando eſt exemplaris, aliquando eſt cōminativus, aliquando promiſſorius. Exemplaris eſt ut magis moveat ad operationem boni. *magis enim movent exempla, quàm verba,* ut dicit Bernardus *Efficacius loquitur vox operis quam ſermonis.* Vnde in ſacra ſcriptura non ſolum verba, ſed etiam facta ſignificant. [*Comminativus*] ut * incutiat terrorem ſupplicij. *Promiſſivus* verò, ut alliciat ad amorem regni. — *Bernardus.* — * *incutiens* MS.

Titulus eſt: [*Incipiunt Epiſtolæ Canonicæ*] id eſt regulares.

Liber autem iſte dividitur in partes quatuor, ſecundum numerum autorum: vel in partes ſeptem ſecundum numerum Epiſtolarum.

Marginalis nota.

Sapientia mundana docet: Amorem proſperitatis: fugam adverſitatis: amorem ſingularitatis: Concupiſcentiam voluptatis.

E contrario ſapientia evangelica docet quatuor his contraria, de quibus ſunt quatuor Epiſtolæ canonicæ. quoniam Epiſtola,

Iacobi, de contemptu proſperitatis contra primum:

Petri, de ſuſtinentia adverſitatis contra ſecundum:

Iohannis, de amore communitatis cōtra tertiū.

Iudæ, de cōtemptu voluptatis contra quartum.

Sic poſſet hic proſequi hoc Thema. Sapientia ædificavit ſibi domum excidit in ea ſeptem columnas ſcil. ſeptem epiſtolas Canonicas Prov. 9.

Fecit & Beſeleel lucernas ſeptem cum emunctoriis ſuis, & vaſa, vbi quæ emuncta ſunt extinguantur, de auro mundiſſimo. Exod. 37. Licet ſecundum perſonam —— de quolibet ſanctæ ſcripturæ verbo verum ſit, *Lucerna pedibus meis verbum tuum &c.* veruntamen *ſuperius* 25. *cap.* exponit gloſſa partem prædictorum verborum de Apoſtolica doctrina, cuius pars magna præ manibus eſt, ſcil. ſeptem epiſtolæ Canonicæ, quas Petrus, Iacobus, Iohannes & Iudas Apoſtoli Ieſu Chriſti tam myſticas quā ſuccinctas ediderunt & ſcripſerunt. nec mirum ſi eorum doctrina lucerna dicitur quibus Dominus *Math.* 5. *vos eſtis lux mundi.* De hac ergo doctrina ſeptem Epiſtolarum congruè accipitur quod dictum eſt: [*fecit Beſeleel ſeptem lucernas &c.*] Beſeleel interpretatur umbraculum Dei, vel umbraculum divinum & ſignificat Chriſtū Dominum, in quo humanitas quaſi umbraculum, & tabernaculum quod nequaquam transferri poterit fuit divinitatis, ubi ita obumbrata fuit divinitas ut de eo dicatur *Iſai.* 45. *vere tu es Deus abſconditus, ſcil.* ſub umbra humanitatis. Iſte fecit has ſeptem lucernas, ſicut primus auctor licet Apoſtoli ſint miniſtri & coadjutores extiterint ſecundum verbum beati *Pauli* 1. *Cor.* 3. unde Dominus dixit Apoſtolis *Luc.* 21. *Ego dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.*

Septē autem lucernæ 7. ſunt Epiſtolæ, quæ in tabernaculo militātis eccleſiæ ſuper candelabrū doctrinæ evāgelicæ vel fidē Chriſti poſitæ ꝑ manifeſtationē & expoſitionē totā eccleſiā illuminātā & illuſtrāt. Si enim ſub legis modio aut in abſcōdito, ſolis Iudæis populis doctrina Apoſtolica tradita

traditis extitisset, & nō super eam delabrū, Christū scilicet, ut istæ lucernæ Christum non prædicarent, sed legis iustitiam, nec omnibus lucerent, qui in domo ecclesiæ sunt: nec emunctoria sunt: unde sequitur: [*cum emunctorijs suis*] ipsæ epistolæ quæ lucernæ sunt, emunctoria sunt, & hoc respectu veteris testamenti. quia sicut per emūctoria, & amoto* lychno, qui consumptus jam lucernam obscurat, lucerna lucidius lucet: sic per Apostolicam doctrinam ceremonijs quæ sicut jam superfluis lychnis tempore Christi & deinceps amotis ab observantia fidelium, doctrina veteris testamenti clarius nobis lucet. Exempli gratia, cum dicit Apostolus, *Gal. 5. si circumcidamini Christus nihil vobis proderit*: emunctum est quoad literalem observantiam lychnum circūcisionis. Sunt nihilominus ipsæ epistolæ emunctoria vitæ humanæ ab ipsa, ut clarius luceat, omnem superfluitatem peccati resecantes. hoc emunctorio vel forcipe, quod idem est, sublatus fuit calculus de altari quo tacta fuerunt labia Isaiæ prophetæ, in quo immunditia labiorum & peccatum eius ostenditur mundatum fuisse ut habetur *Isai. 6.* habent nihilominus hæ septem lucernæ sua emunctoria scil. expositiones sanctorum quibus quod in eis obscurum est quasi emungitur & in vasis sacræ scripturæ aqua salutaris sapientiæ plenis, quodammodo quod emunctū est extinguitur, cum per sacrā scripturā sic exponendo monstratur. unde sequitur [*& vasa ubi quæ emuncta sunt extinguantur*] hæc eadem vasa ipsæ epistolæ sunt, sic enim emungunt veteris legis observantias ut in seipsis eas extinguant, & spiritualiter servandas decernant in moribus, quibus nos instruūt & informāt. verbi gratia 1. *Pet. 2. offerre spirituales hostias ait.* Ecce quòd carnales emergit & extinguit cum spirituales offerendas dicit. alias enim fœtidū odorē viderent emuncta reddere, si ista lex destrueretur ut non spiritualiter impleretur, cum Dominus dicat *Math. 5. non veni legem solvere sed adimplere. & Iota vnum aut vnus apex &c.* Hinc autem omnia vasa de auro purissimo non solum sunt ad illuminandam; imo & ad defendendum & resistendū contra hostem & insidias diaboli, cui resistendū est & fugiet à nobis ut dicitur *Iacob. 4.* unde sunt scuta quæ fecit Salomon de auro purissimo 3. *Reg. 10.* ideò dicitur *Proverb. 30. omnis sermo Dei ignitus clipeus est omnibus sperāntibus in se.* Sunt nihilominus vasa epulatoria in quibus continetur spiritualis refectio, quia in domo Salomonis erant omnia vasa aurea & universa vasa domus saltus Libani de auro purissimo. Sunt nihilominus vasa luminantia luminari, quia circa credenda agenda fugienda nos illuminant 2. *Tim. 3. omnis scientia &c.* vel scriptura. Sunt autem hæc vasa nova, quæ profert de suo thesauro, ubi omnes thesauri sapientiæ & sciētiæ absconditi sunt, paterfamilias Christus ecclesiæ, pater & sponsus & Dominus. vetera enim protulerat olim legis antiquæ, nunc nova faciens omnia nova protulit. omnia ista vasa sunt de auro, per quod sapientia designatur, quia sapientiā docent & continent.

In istis epistolis quadruplex fructuosa sapientia contra quadruplicem secularem & pernitiosam continetur & docetur.

Sapientia enim seculi consistit in quatuor. *primò* in amore temporalis prosperitatis. De hac dicitur *Baruc. 3. filii Agar qui exquisierunt sapientiā & prudentiā quæ de terra est, negotiatores terræ & Theman.* Theman interpretatur auster, per quam notatur mundana prosperitas. *Secundò* inconstantia, sive intolerantia adversitatis, de qua *Ierem. 8. confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt.* Verbum enim Domini prejecerunt & sapientia nulla est in eis. *Tertiò* in amore singularitatis & excellentiæ singularis de qua *Isai. 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris & coram vobismet ipsis prudentes.* *Quartò* in amore carnalis voluptatis. *Rom. 8. prudentia carnis mors est. & post: sapientia carnis inimica est Deo.*

Contra istam quadruplicem pernitiosam sapientiam, est quadruplex sapientia spiritualis quæ ab Apostolis in istis epistolis docetur & traditur. prima consistit in contemptu temporalis prosperitatis ob amorem perpetuæ felicitatis de qua dicitur *Ecclesiast. 4. melior est puer pauper & sapiens rege stulto & sene qui nescit prævidere in posterum, quia de carcere catenisq; interdum quis egreditur ad regnum.* Hanc docet beatus Iacobus, quia in Epistola sua hortatur ad contemptum mundanæ felicitatis. unde 1. *cap.* dicitur *beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Secunda consistit in sustinentia adversitatis obtentu perpetuæ quietis *Prov. 24. vir sapiens, fortis, & vir doctus, robustus & validus. Ecclesiastici 7. cor sapientum ubi tristitia.* Istam docet Beatus *Petrus* dicens: *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. Pet. ult. & 2. Pet. 2. novit Deus pios de tentatione eripere.*

Tertia consistit in amore fraternitatis ex consideratione cælestis unitatis: de qua *Ecclesiastici. 1. dilectio Dei honorabilis sapientia. & Eccles. 3. filii sapientiæ ecclesia justorum.* Istam docet Beatus Iohannes unde dicitur. 1. *Ioh. 4. Charissimi si Deus dilexerit nos, & nos debemus invicem diligere. & ibidem: diligamus invicem &c.*

Quarta consistit in fuga carnalis voluptatis, præ desiderio delectationis futuræ in fruitione deitatis. contra amorem carnalitatis. de hac *Prov. 29. vir qui amat sapientiam lætificat patrem suum; qui autem nutrit scortum perdet substantiā. Prov. 23. Audi fili mi & esto sapiens, noli esse in conviviis potatorum &c.* Istam docet Beatus *Iudas.* unde: *væ his qui in via Cain abierunt. & post. hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semet ipsos pascentes &c.*

Sic igitur patet quid in istis vasis aureis continetur. Sunt enim ista vasa de auro purissimo, quia omnia verba divinæ sapientiæ purissima sunt, quia nihil falsitatis, nil vanitatis nil malitiæ admixtum habent. Aliæ autem scientiæ vel vanitatem ut Physice, vel falsitatem ut Heretice, vel perversitatem ut magice mixtam habent. Unde si aliquid ibi de auro sapientiæ & argento eloquentiæ, quod Salomonis tempore non esse reputandum habetur, & impurum & corruptum est. Non autem sic in divina sapientia. quia sicut dicitur in *Psalmo 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Et nota quod ista luminaria in tabernaculo in australi parte posita aquilonalem partem illuminabant: sic &

*Lichno MS.

Sapientia seculi in quatuor.

ista doctrina: quia doctrina ab Apostolis & contra Iudæos sita & edita fuit. Sed ecclesiam quæ de gentibus sumpta est, ubi est mensa & propositio panum, latera scil. aquilonis prius istæ lucernæ illuminant. In quo ergo notantur autores proximi harum epistolarum scil. Apostoli, & illi quibus missæ sunt specialiter, quia Iudæis.

* Autor

Notatur autem ut visum est primus * actor & principalis nomine *Besaleel.* Materia in auro. modus vero in illuminatione intelligitur, quia planus & exhortatorius est. utilitas autem & finis designatur per lucernarum, emunctoriorũ & aliorum vasorum nomen, quæ inquam utilitas est illuminatio & instructio ecclesiæ, & maxime in agendis. Teneamus ergo charissimi has lucernas septem in nostris manibus ut illuminati in via ad claritatem patriæ valeamus pervenire: ad quam nos perducat Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre & spiritu Sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Expositio Prologi.

AD commendationem autem operis Hieronymus præmittit huic operi prologum, ubi Primò ostendit apud Latinos epistolarum Canonicarum corruptum ordinem.

Secundò in sua translatione earum ad debitum ordinem reductionem. *Sed sicut evangelistas.*

Tertiò aliarum translationum infidelitatem. *quæ si ut ab eis digesta.*

Quartò suæ translationis commendationem: *in cæteris vero epistolis.*

Quintò invidorum suæ translationi invidentium malignitatem: *Sed tu virgo Christi &c.*

Dicit ergo, *non est ita ordo apud Græcos qui integrè sapiunt & fidem rectam sectantur epistolarum septem &c.* Vult dicere quòd alius est ordo istarum epistolarum apud Græcos, quam secundum veteres interpretes invenitur in antiquis codicibus apud latinos. dicuntur autem Græci sapere integrè, quia primam veritatem scripturæ habent integram. Totum enim novum testamentum editum est in græco idiomate, præter Evangelium Matthæi & epistolam ad Hebræos, & Evangelium Marci quod scriptum est in Latino secundum quosdam. unde dicuntur integrè sapere, quia non mediante aliqua translatione sive interpretatione. Sicut enim vinum quantò frequentius de vase in vas transfunditur, tantò magis integritatem saporis & substantiæ amittit: sic quantò frequentius aliqua scriptura ab uno idiomate in aliud transfertur, tantò facilius integritatem virtutis amittit.

Quæstio. Sed quid est quod dicit *Græcos sectari rectam fidem*? per hoc videtur dicere quod fides sit habenda in ordine epistolarum.

Responsio. Responsio. fides accipitur pro fidelitate unde fidem rectam id est fideliter & rectè sectãtur ordinem & integritatem veritatis. [*Epistolarum septem*] gloss. Septem sunt epistolæ propter septẽ dona Sp. Sancti, vel propter fidem sanctæ Trinitatis quam continent, quæ per quatuor mundi partes diffusa est. [*quæ canonicæ nuncupantur*] glossa. Canonicæ dicuntur hæ epistolæ, id est universales à fide ecclesiæ universalis non discrepantes. vel Canonicæ id est regulares ad differentiam earum quas fecerunt pseudo sub nomine Apostolorum. vel ideò quia in Canone ecclesiasticæ scripturæ receptæ sunt. vel ideò quia regulas supplent ecclesiæ. *sicut*, id est qui: *in latinis codicibus invenitur*, qui scil. erant ante translationem Hieronymi. *quia Petrus est primus in numero Apostolorum:* secundum quod cantat ecclesia: *Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum.* Et primus etiam enumeratur *Math.* 10. *Luc.* 6. *Primæ sunt etiam eius epistolæ:* in ordine cæterarum. quasi dicat: Latini ordinabant epistolas secundum dignitatem scribentium, quod non Græci.

Sed sicut Evangelistas &c. Hæc est secunda pars in qua ostendit earum ad debitum ordinem reductionem. [*sed sicut Evangelistas dudum*] id est antiquitus. [*ad veritatis lineam correximus*] jam enim transtulerat evangelia & emendaverat. dicitur autem [*veritatis linea*] quia veritas rectissima linea est. quia ut dicit *Anselmus, veritas est rectitudo sola mente perceptibilis.* [*Ita has epistolas proprio ordine Deo nos iuvante*] sine quo nihil possumus facere nec cogitare. 2. *Cor.* 3. *non quod sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* [*reddidimus*] *Est enim prima earum una Iacobi:* secundũ translationem Hieronymi, & secundum veritatem exemplarium Græcorum.

Iste fuit Iacobus Alphæi, dictus frater Domini, primus Episcopus Hierosolymis, qui præsedit in primo concilio. *Act.* 15.

Ejus epistola ponitur prima, propter dignitatem eorum quibus scribit, quia his qui conversi erant ex Iudæis: propter dignitatem etiam loci cui præsidebat, quia ecclesiæ Hierosolymitanæ, unde fons Evangelicæ prædicationis processit. [*Petri duæ, Iohannis tres, & Iudæ una*] scil. Thaddæi non Iscariotis.

Et sic in universo septẽ sunt Epistolæ; hæ sunt septem buccinæ quibus usus est populus Israel in Iubilæo. ut dicitur *Iosua* 6.

Sed quare de hoc quod dicit, quòd correxit evangelistas. Quæstio.

Contra. Aut posuit idem quod Dominus dixit aut aliud: Si idem ergo non correxit: si aliud ergo anathema fuit *Gal.* 1. *Si quis vobis aliud præter id quod accepistis, evangelizaverit, anathema sit.* Obiectio.

Responsio. Correxerat quod fuerat per pseudo depravatum, vel per ind[i]scretionem translatorum mutatum, ponendo solum quod Dominus dixerat, vel ad veritatem evangelij pertinebat. Solutio.

Quæ si sic ut ab eis &c. Hæc est tertia pars in qua ostendit præcedentium translationum infidelitatem quia aliqua omiserunt maximè necessaria. [*quæ*] scil. epistolæ septem. [*si ut ab eis*] scil. Apostolis. [*digesta sunt*] quasi jam diu gestæ. [*ita quoq; ab interpretibus fideliter*] id est veraciter. [*in latinum eloquium verterentur, nec ambiguitatem legentibus facerent*] & ita ostendit primum vitium, quod est obscuritas. postea ostendit secundum vitium, quod est contrarietas: [*nec sermonum*] postea tertiũ quod est falsitas: [*in qua*] epistola. etiam benè dicit [*nec sermonũ varietas sese impugnaret*] Contraria enim sese impugnant. Natura

tura enim eſt contrariorum mutuò ſeſe expellere. [*illo præcipuè loco*] ubi de unitate Trinitatis, [*In prima epiſtola Iohannis poſitum*] ſcil. teſtimonium [*legimus illud*] ſcil. *tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo: Pater Filius & ſpiritus ſanctus.* ubi tamen error periculoſior eſt. quia, ut ait *Auguſtinus, nec periculoſius alicubi erratur, nec utilius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur.* [*in qua etiam epiſtola*] ſcil. 1. Iohannis. [*ab infidelibus tranſlatoribus multum erratum eſſe &c.* Vſque ibi: [*Et in quo maximè &c.*] ponit enim Iohannes duplex teſtimonium datum Chriſto : unum de cælo in baptiſmo *Luc. 3. in quo apparuit pater in voce, filius in carne, Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ.* [*Aliud de terra*] in paſſione ſcil. ſpiritus, quando clamans exſpiravit: aquæ & ſanguinis, quando de latere ejus jam mortui utrumque exivit. *in Iohan.* 19. per primũ probatur eius divinitas, per ſecundum ejus vera humanitas. tranſlatores vero omiſerunt teſtimonium de cælo, quod erat nobilius & magis neceſſarium. [*In quo*] ſcil. teſtimonio cæleſti. [*fides catholica roboratur*] quia hic eſt præcipuus & principalis articulus, qui eo quod ſupra rationem eſt, autoritate maximè probari indiget. [*& patris & filii & Spiritus Sancti una divinitatis eſſe ſubſtantia*] id eſt divinitas quæ eſt ſubſtantia, [*comprobatur*] id eſt contra hæreticos probatur. unde tangitur duplex utilitas, ſcil. confirmatio fidelium, & convictio hæreticorum.

In cæteris vero Epiſtolis : Hæc eſt quarta pars in qua ponit ſuæ tranſlationis commendationem. unde dicit, [*in cæteris vero epiſtolis*] ſex ſcil. aliis à prima Iohannis. [*Quantum à noſtra aliorum diſtet editio lectoris prudentiæ derelinquo*] cujus eſt diſcernere inter verum & falſum, inter bonum & malum, inter bonum & melius, inter malũ & pejus.

Sed tu virgo &c. Hæc eſt quinta pars in qua ponit invidorum ſuę tranſlationi invidentium malignitatem. [*ſed tu*] hic convertit ſe ad virginem cujus precibus Canonicas tranſtulerat. [*virgo Chriſti*] quia Chriſto virginitatem ſuam devoverat. [*Euſtochium*] filia erat Paulæ ſanctiſſimæ matronæ Romanæ, de quibus ipſe ait in ſermone de aſſumptione beatæ virginis : *Cogitis me ô Paula & Euſtochium.* [*Dum à me impenſius*] id eſt diligentius [*ſcripturæ veritatem*] ſcil. ſacræ quæ antonomaſticè dicitur ſcriptura quia à nobili ſcriptore, ſcil. Sp. Sancto tradita, de quo *Pſal. 44. lingua mea calamus ſcribæ &c.* Ideò dicit *Hieronymus, neſcit literas qui ſacras ignorat.* Et conſonat illud quod dicitur *Sap. 13. vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* [*requiris meam quodammodo ſenectutem invidorum dentibus corrodendam*] morſibus, ſcil. detractionis *expono.* [*qui*] ſcil. detractores. [*me falſarium*] apponendo falſum [*corruptoremq;*] detrahendo aut mutando verum vel [*falſarium*] quantum ad ſententiam. [*corruptorem*] quantum ad verba : hæc enim duo vitiant ſcripturam, falſitas ſententiæ, & corruptio verborum.

Sanctarum pronunciant ſcripturarum : nota quod ſcripturæ dicuntur ſanctæ, quia de rebus ſanctis agunt materialiter. & modo ſanctiſſimo formaliter: & quia traditæ ſunt à ſpiritu ſancto & à ſanctis viris efficienter, & ad ſanctitatem ordinantur finaliter. [*Sed ego in tali opere*] ſcil. tam arduo tam neceſſario. [*nec inimicorum meorum*] activè non paſſivè, ſicut Iudas amicus dictus eſt paſſivè non activè *Math. 26. amice ad quid veniſti.* [*invidentiam pertimeſco, nec ſanctæ ſcripturæ veritatem poſcentibus denegabo*] ex hoc patet quod veritas ſacræ ſcripturæ non eſt omittenda propter ſcandalum. docere enim veritatem opus privilegiatum eſt & excellens, & ideo non vitat ſcandalum. ſecundum illud: *Scandalum non vitant Doctor, Iudex, bene vivens.*

Scriptura dicitur ſancta, quare?

* * *

EPISTOLÆ IACOBI,

CAPUT PRIMUM.

Marginalis nota. Iste Apostolus vocatus est Jacobus
- Alphæi, quia filius Alphæi.
- Frater Domini quia ei simillimus, & quia filij duarum sororum, vel quia à duobus fratribus scil. Ioseph & Cleopha descendere putabantur.
- Minor, ad differentiam Jacobo Zebedæi. licet enim Iacobi Zebedæi natu sit prior, tamen vocatione posterior & ideo minor, ut in religione consuevit fieri.
- Justus propter meritum excellentissimę sanctitatis. Nam secundum Hieronymum tantæ fuit reverentiæ & sanctitatis ut fimbriam vestimenti ejus certatim tangere cæperunt. De hoc in Legenda sanctorum Philippi & Jacobi.

I*Acobus Dei & Domini nostri Iesu Christi servus &c.* Hæc Epistola principaliter dividitur in duas partes: scil. in salutationem & instructionem, Secunda pars ibi: [*omne gaudium &c.*] In salutatione primo describitur persona salutans, secundò salutatæ: [*Duodecim tribubus*] tertiò necessitas salutandi: [*quæ sunt in dispersione*] quartò forma salutationis: [*salutem.*]

Vers. 1. Dicit ergo: [*Iacobus*] gloss. celebris persona. ideo nomē suū pponit, qa nomē erat celebre. Nā sicut dicit glossa. iste Iacobus cognominatus est just' & fuit filius Mariæ sororis matris Domini, post passionem Domini Hierosolymorū ordinatus Episcopus, quia sicut dicit Egippus ex utero matris sanctus fuit, vinum vel siceram non bibit, carnem nullam comedit, solus autē templum ingrediebatur, & flexis genibus pro populo orabat, in tantum ut genua eius camelorum duritiam traxisse crederentur. [*Dei*] scil. patris. [*& Domini nostri Iesu Christi*] ipse enim est *Dominus* jure creationis. *noster* jure incarnationis. [*Iesu*] id est *Salvator* jure redemptionis. [*Christus*] jure collationis gratiæ in præsenti, gloriæ in futuro. Christus enim interpretatur unctus. In his vero duabus personis intelligitur Spiritus Sanctus tanquam nexus & amor amborū. vel dicit [*Dei*] quoad divinitatem. [*Domini nostri Iesu Christi*] quoad humanitatem. Christus enim secundum humanitatem habet dominium creatum super omnem creaturam, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cęlestiū terrestriū & infernorū. [*Servus*] glos. officium celebre. nam servire Deo regnare est, ut dicit Gregorius. [*duodecim tribubus*] glos. Intellige non omnibus sed quibusdam de omnibus scil. electis. [*quæ sunt in dispersione*] de qua *Act. 8. facta est in illa die magna persecutio in ecclesia quæ erat Hierosolymis, & dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ.* Illis scripsit Iacobus ad consolationē, ut non dispergerentur mēte, sicut dispersi erant corpore, sed potius mēte congregarentur. [*Salutem*] in præsenti gratiæ, in futuro gloriæ.

Omne Gaudium &c. Hic est secunda pars in qua ponit exhortationē sive instructionē. Et i. informat in patiētia tribulationū: 2. in sanctitate operum 2. capitolo. 3. in expectatione præmiorum.

Vel sic primò hortatur eos ad bonū cap. 1. secundo dehortatur eos à malo in trib' sequētibus capitulis. 5. docet remedia contra malum 5. capitulo in principio. primò ergo hortatur eos ad bonum sc. ad patientiam tribulationū. & primo docet qualiter se habeant in tentationibus exterioribus: cætera non mutātur. [*patientes ergo estote*] *infra 5.* parum post principiū. In prima primo docet qualiter se habeant in tentationibus exterioribus. secūdo qualiter in interioribus. [*nemo cum tentatur*] tertio ad nostri notitiam habendā monet libenter verbū Dei audiri. [*sit autem omnis homo velox &c.*] In prima parte ponitur exhortatio ad patientiam, ubi primo docet patientię fructum. secondo radicem. [*si quis autem vestrum indiget*] tertio modum. [*glorietur frater humilis &c.*] quarto præmium: [*beatus vir qui suffert*] In prima parte primo ponitur exhortatio; 2. exhortationis ratio: [*scientes quod probatio &c.*]

Vers. 2. Dicit ergo: [*omne gaudiū*] id est pfectum gaudium bonorum qd est in bonitate consciētię, in spe gloriæ. & est perfectum quia tristitia est eis materia gaudij, immo tristitia vertetur eis in gaudium: *in Ioh. 16. tristitia vestra vertetur in gaudium.* E contrario gaudium malorum imperfectum est quia materia est tristitiæ, immo vertetur eis in tristitiam *Iob. 21. Gaudent ad sonitum organi. ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt. Glossa:* Ne indignemini si mali in mundo florent, si vos patimini, qa non est Christianę veritatis in talibus exaltari, sed potius deprimi: Mali nihil habēt in cælo, vos nihil in mūdo. Spe illius boni ad qd tenditis quicquid in via cōtingat gaudere debetis. Optima glossa &c. [*Existimate*] vobis sc. provenire. [*fratres mei*] quasi eandē habituri hæreditatē. vocat autē eos fratres, ut eos magis alliciat ad mutuā dilectionē. Dicit autem frater, quasi ferens alterū [*cùm in tentationes varias*] maxime exteriores. Nā, ut dicit glossa una: *pfectis loquitur de extrinsecis tentationibus. Has enim aliquando optant sancti. *Psal. 25. proba me Domine & tenta me.* Alia tamen glossa exponit de utraq;. unde dicit à persecutore vel à concupiscentia quæ variè tentant.

** à perfectioribus incipit: legit Glossa.*

Sed cum tentatio interior non sit sine peccato quomodo in ea est gaudendum? *Obiectio.*

Resp. Non in ipsa secundum se, sed in quantum ei resistendo est materia exercendæ virtutis & causa reprimendi superbiam. [*incideritis*] glos. ex alto fidei vestræ. *Responsio.*

Sed contra de tali casu non est gaudendum. *Obiectio.*

Resp. Casus iste est intelligendus secundum opinionem persecutorum qui credebant eos avertere à fide, persecutionibus. *Responsio.*

Vers. 3. *Scientes quod probatio:* Hic ponitur exhortationis * ratio: quare scilicet habenda est patiētia in tentationibus, & est una declaratio virtutis; alia perfectio operis.

** rationis M S.*

Vers. 4. *Patientia autem opus perfectum.* Dicit ergo. [*scientes quod probatio fidei vestra*] id est tribulatio fidem vestram probans. [*patientiam operatur*] id est declarat vel exercitat.

Contra *Rom. 5. tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem:* nō ergo pbatio patientiā.

Resp. Probatio operatur patientiam ostendendo, sed patientia probationem efficiendo. [*Patientia autem opus perfectum habet*] quia stabile & firmum. illud enim dicitur haberi quod firmiter

miter habetur, quia habitus est difficilè mobilis, unde & in ipsa dicitur haberi firma possessio animarum: *Luc.21. In patientia vestra possidebitis animas vestras.* vel [*opus perfectum.*] id est opus priuilegiatum scilicet opus martyrii aureola dignum. [*vt sitis*] existimate inquam vt per opus patientiæ [*sitis perfecti*] ad sustinendam tribulationũ diuturnitatem. [*& integri*] ad sustinendam grauitatem. [*in nullo deficientes*] ad sustinendam earum omnimodam diuersitatem. vel [*perfecti*] in agendo. [*integri*] in patiendo. [*in nullo deficientes*] in perseuerando.

Vers.5. *Si quis autem vestrum, &c.* hic ostendit perfectæ patientiæ radicem scil. sapientiam diuinitus infusam: quia *Qui patiens est multa gubernatur sapientia. Prouerb. decimo quarto.* unde monet petere sapientiam ad acquirendam patientiam. Et primò dat fiduciam impetrandi. 2 docet modũ petendi.

Vers.6. *Postulet autem in fide.* Tertiò ostendit rationem modi. [*qui enim hæsitat.*]

Dicit ergo [*Si quis autem vestrum indiget sapientia.*] id est sapida sapientia ad condiendum amaritudinem tribulationum, vel degustandum prædictæ patientiæ fructum. postulet à Deo, à quo est omnis sapientia. *Ecclesiast. prim.* qui potest dare, quia omnipotens est, & scit, quia omnisciens, & vult dare quia misericors est. [*qui dat*] id est paratus est dare [*omnibus*] sine personarum acceptione. *Glossa.* piè petentibus [*affluenter*] non parcè unde dicitur effundere. Ille qui effundit, totum dat, nihil sibi retinet. *Ioel. secundo. Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* [*& non improperat:*] vnde dat liberaliter; vnde ostendit ibi optimas conditiones apertè dantis. Dat enim liberaliter non vendit sicut multi. dat generaliter, non vni sed omnibus; dat abundanter non parcè. Vnde affluenter. [*curialiter*] [*quia non improperat*] *Psalm. 144. Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Augustinus. Erubescat humana pigritia, plus paratus est Deus dare quam nos accipere.* [*postulet autem in fide:*] hic docet modum petendi. [*postulet autem in fide.*] i. in fidelis nominis Christi confessione sicut petit Ecclesia: per Dominum nostrum Iesum Christum. In *Iohann. decimo-sexto. Amen dico vobis quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* vel [*in fide*] id est in fiducia obtinendi illud quod petit [*nihil hæsitans*] id est de impetratione non diffidens. *Matthæi. 21. Si habueritis fidem & non hæsitaueritis &c.* [*qui autem hæsitat*] hic ponit rationem modi: & primo ponit rationem: secundo infert conclusionem.

Vers.7. *Non ergo*, Tertio subdit conclusionis manifestationem. [*vir duplex*] animo. [*qui enim hæsitat*] id est dubitat de impetrandis ad salutem: vel diffidit de necessariis. [*similis est fluctui maris qui à vento mouetur*] à loco scil. suo. & [*circumfertur*] in locis alienis, Sic homo dubius in fide à vento tentationis mouetur à statu fidei, & circumfertur varietate erro. ũ. vel mouetur & circumfertur à tentatione in tentationem. *Iob. 24. Leuis est super faciem aquæ, Glossa.* qui conscientia peccati pressus dubitat de præmiis cælestibus, superueniente vento tentationum, facile deserit fidei statum, & secundum tentatoris voluntatem distrahitur ad errorem, & fit à Deo alienus. [*Non ergo æstimet homo ille*] *Gloss.* carnalis. unde hic sonat in uitium. [*quod accipiat aliquid.*] *Gloss.* vel hic vel in futuro. [*à Domino:*] ex meritis suis. Et nota quod dicit [*aliquid*] scili. magnum. Spiritualia enim sunt quid magnum, non temporalia, unde & peccatoribus communicantur. Et certe merito hæsitans non impetrat.

Vers.8. *Quia vir duplex animo*, *Gloss.* duplex est qui genu ad precem flectit, & mordente conscientia de impetratione diffidit. duplex est qui vult gaudere in seculo & gaudere cum Deo. duplex qui de bonis quæ agit non Deum sed fauorem quærit. vel [*duplex*] non vnicus, sed ad hoc & illud inclinatur. vel duplex qui aliud est interius aliud agit exterius. *Ecclesiast. secundo. Væ duplici corde & homini ingredienti duabus viis.* [*inconstans est:*] quia fluctuat in confidentiam & diffidentiam. *Gloss.* facile aduersis terretur, prosperis irritatur, ut à veritate diuertat. [*in omnibus viis suis:*] siue sit dextra prosperitatis siue sinistra aduersitatis. & dicit [*suis*] & non Dei. viæ enim hominis sunt peccata, sed viæ Domini opera bona.

Vers.9. *Glorietur autem frater humilis, &c.* Hic ostendit perfectæ patientiæ modum docens in tribulatione esse gloriandum: & primo ostendit in quo gloriandum pauperibus: secundo in quo diuitibus.

Vers.10. *Diues autem:* Tertio subdit causam, [*quia sicut flos.*] Quarto explanat & adaptat eam: [*exortus est enim sol.*] Dicit ergo, [*glorietur*] non tantum gaudeat in se interius, sed etiam glorietur exterius apud alios. [*Frater humilis:*] id est oppressus & deiectus, & ita humiliatus. [*in sua exaltatione*] scilicet ventura post humiliationem, quia qui se humiliat exaltabitur. *Luc. decimo octauo.* [*Diues autem*] scilicet diuitiarum amator non solum possessor. [*in humilitate sua:*] ventura scilicet post diuitias. & hoc modo est ironia secundum Glossam. [*vel in humilitate sua,*] id est in sublimitate & gloria quæ est causa humiliationis & deiectionis: & adhuc est ironia, quasi non est in huiusmodi gloriandum. vel [*in humilitate.*] scil. in obsequio humilitatis exibendo pauperibus. [*quoniam sicut flos fœni transibit:*] intellige gloriam mundi. [*transibit*] id est velociter ultra ibit, & penitus non reuertetur. *Psalm. 48.* cum interierit non sumet omnia, neque descendet cũ eo gloria eius.

Vers.11. *Exortus est enim sol*, persequitur parabolam. [*cum ardore*] sicut fit tempore æstiuo circa meridiem. [*& arefecit fœnum:*] id est vigorem fœni. [*& flos eius decidit:*] in mane sc. ortus. [*& decor vultus eius deperiit*] i. pulchra apparentia per q̃ delectabat aspicientes. Nota q̃ ortus solis significat aduentum iudicis. *Mal. vlt. Vobis timentibus nomen meum &c.* dicit autem [*exortus*] i. extra se ortus, q̃a quasi extra se oritur prauis per iustitiã, cũ sit eius pprium misereri. [*feruor*] autem eius significat districtionem & zelum aduenientis. *Isai. 30.* ardens furor eius & grauis ad portandum. [*arefactio fœni*] obitum diuitis. *Psal. 36. Sicut fœnum velociter arescet.* [*casus floris*] amissionẽ gloriæ temporalis, vel carnalis. *Isai. 28. Væ flori decidenti gloriæ exultationis eius. Gregor.* q̃d sunt homines in hoc mũdo nisi flores in cãpo? vita in carne flos est in fœno. [*& flos eius decidit*] i. deperiit. [*& decor vultus eius deperiit*] humanæ scil. gratiæ & decoris [*ita*] i. sicut flos fœni. [*& diues*] i. diuitiarũ amator non tm̃ possessor. [*in itineribus suis marcescet*] i. deficiet, & quasi putrescet. unde intellige: [*vtæ*] diuitis. temporalia, in quibus beatificari quærit, quæ citò destruentur.

Quadruplex gloria.

Glorietur autem frater humilis, &c. Nota quod quadruplex est gloria: una est interior alia exterior. 3. inferior, quarta superior.

De gloria interiori dicitur in *Psal. 44. omnis gloria filiæ regis ab intus.* Ista autem gloria consistit in multis. Primò in conscientiæ puritate 2. *ad Cor. 1. ubi: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate intentionis & sinceritate affectionis, & gratia* bonæ operationis, & *sapientia* diuinæ degustationis conuersati sumus. Secundò consistit in Dei cognitione *Hierem. 9. Non glorietur sapiens in sapientia; sed in hoc glorietur scire & nosse me.* Tertio consistit in bona operatione *Matth. quint. Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.* Quarto in exteriori conuersatione: *prim. Petr. secundo. Conuersationem vestrã inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis, &c. Glorificent Deum in die visitationis.* Quinto in opinione bonæ famæ. *Ecclesiastic. trigesimo-septimo. In omnibus operibus tuis præcellens esto & ne dederis maculam in gloriam tuã.* Sexto, In sustinentia patientis molestiæ. *secund. ad Corinth. duodecimo. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Septimo in Christi conformitate & imitatione. *Galat. vltim. Mihi absit gloria nisi in cruce Domini nostri.* Octauo in profectu commissæ familiæ. *Prouerb. 10.* secundum literam Ambrosii. *Gloria Patris Filius Sapiens.* Nono in spe remunerationis æternæ. *Romanorum quinto. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*

Secunda gloria est exterior: & ista est in tribus scil. in diuitiis. *Psalm. 48. Ne timueris cum diues factus fuerit homo &c. Philipp. 3. Gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt.* Secundo cõsistit in delitiis *prim. Machab. secundo. A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus & vermis.* vermis conscientiæ. *Isa. vltim. Vermis eorum non morietur.* & stercus infamiæ. *Ecclesiast. 9. Omnis mulier quæ est fornicaria quasi stercus in via conculcabitur.* Tertio. Consistit in honoribus ambiendis. *Ose. quart. Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* & de *Nabuchodonosor dicitur *Iudith. prim. Gloriabatur quasi potens in potentia sua.*

*Arphaxad.

Tertia gloria est inferior; scil. gloria peccati: quæ dicitur inferior, quia hominem facit inferiorem & viliorem quam sit aliqua creatura. *Psalm. 51. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.*

Quarta gloria est superior, scil. gloria Dei, quæ consistit in interiori gloria animę & exteriori stola corporis. *Psalm. 149. Exultabunt Sancti in gloria:* ecce stola corporis. *lætabuntur in cubilibus suis:* ecce stola animæ.

Vers. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniã cum probatus fuerit.* Hic ostendit perfectæ patientiæ præmium; & primò tangit meritum, secundò præmium: [*quoniam cum probatus fuerit.*] Dicit ergo, [*beatus vir:*] non mollis & effæminatus sed vir, ecclesia virtute animi, vigore fidei, vigore spei, virilitate charitatis. [*qui suffert tentationem:*] id est in sensualitate sub ratione, ne scil. ratio succumbat tentationi. *Genes. quart. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* [*vel suffert.*] id est, sursum fert, id est pro eis quæ sursum sunt [*quoniam cum probatus fuerit*] id est exercitatus & depuratus, sicut aurum in igne. *Sap. 3. Tanquam aurum in fornace probauit eos.* [*accipiet coronam vitæ*] id est vitam perpetuam, quæ non finitur, sicut nec corona quæ dabitur victoribus in signum victoriæ. *Apocalyps. 2. Esto fidelis vsq; ad mortem. &c.* & dicit [*vitæ*] ad differentiã coronæ mortis qua coronantur mali *Isa. vigesimo-secundo.* coronans coronabit te tribulatione. [*quam repromisit Deus &c.*] id est iterum & iterum promisit. Promisit in veteri, sed repromisit in nouo: promisit per Prophetas, repromisit per Apostolos. *secundo ad Tim. vltim. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Et nota q. dicit [*accipiet*] scil. gratis non reddetur suis meritis: quia *Romanorum octauo. Non sunt condigna passiones huius temporis &c. Bernardus.* Non sunt condignę ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præsentis consolationis gratiam, quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur.

Nemo cum tentatur &c. Hic ostendit qualiter se habere debeant in tentationibus interioribus, quæ sunt de malis culpæ. Innuit quod non debent in eis gloriari, sed eis resistere quia non sunt à Deo; quod probat dupliciter. Primo quia Deus non est auctor malorum. Secundo quia potius est largitor omnium bonorum. [*omne datum optimum, &c.*] In prima primo ponitur exhortatio. Secundo exhortationis ratio. [*Deus enim intentator.*] Tertio rationis confirmatio: [*vnusquisq; autem.*] Quarto conclusio, [*Nolite itaq; errare &c.*] Dicit ergo:

Vers. 13. *Nemo &c.* quasi dicat *beatus vir qui suffert* tentationem exteriorem, quia illa à Deo immittitur. Sed tentatio interior non sic: & ideò *nemo* vestrum cum *tentatur*, tentatione interiori non exteriori solum. Gloria cum tentatione interiori capitur, vel ei succumbit. [*dicat quoniam à Deo tentatur:*] id est à Deo esse, quod capitur vel succumbit. *Gloss.* quasi Deus immittat malas cogitationes, quod non est verum. [*Deus enim intentator malorum est*] *Glos.* tentamentorum: sic enim fit tentatio ab hoste & carne. ipse enim neminem tentat, scil. ut decipiat vel peruertat. *Gloss.* nullum in tentationem ducit

Sed contra *Genes. vigesimo-secundo. Tentauit Deus Abraham.* & *Deuteronom. 13. Tentat vos Dominus Deus vester.* Obiectio.

Ad hoc respondet Glossa, quòd duo genera tentationum sunt: unum quod probat, alterum quod decipit. Tentationem ergo probantem immittit Deus, tentationem vero decipientem non. Solutio. Tentatio duplex.

Hæc autem tentatio decipiens, ut dicit Glossa, tribus modis agitur. suggestione hostis, delectatione carnis, consensu mentis. Vnde nota quod diabolus tentat ut decipiat & peruertat, caro ut alliciat, mundus ut abstrahat, homo ut experimentum habeat, vel sciat, Deus autem ut promoueat. unde ipse tentat ut probet, probat ut acceptet, acceptat ut remuneret. De istis quatuor *Sapientia tertio. Deus tentauit illos & inuenit illos dignos se: tanquam aurum in fornace probauit illos & quasi holocausti hostiam accepit illos.*

Vers. 14. *Vnusquisque tentatur*, Tentatione seducente, interiori à [*concupiscentia sua*] id est à fomite originaliter. hæc est lex membrorum: de qua *Roman. 7.* hoc etiam appellatur caro concupiscens aduersus spiritum *Galat. 5.* [*abstractus*] à bono. *Gloss.* à recto itinere. [*& illectus*] *Gloss.* ad malum. Tangit duos terminos motus defectus, q. est peccatum. vel [*abstractus*] à bono incõmutabili;

bili, [*illectum*] ad bonum commutabile. peccatum enim est spreto incommutabili bono, commutabili adhærere, secundum *Augustinum*.

Obiectio. Sed numquid à Diabolo aliquando huiusmodi tentatio immittitur, sicut in primis parentibus? non ergo omnis tentatio est ex concupiscentia.

Solutio. „ Responsio. *Quamuis occasio tentationis immittatur à diabolo, tamen vis tentationis siue concupiscentia non completur: sicut flatu ligna nisi ignis præsens fuerit non accenditur.*

Vnde sicut aliter recognoscit infirmitatem medicus in vrina, aliter infirmus in seipso: quia ille scientia simplicis notitiæ, iste scientia experientiæ: ita aliter est de tentatione exteriori quæ est ab hoste, & de interiori quæ est de concupiscentia.

Gradus tentationis. Vers. 15. *Deinde concupiscentia*: Ponit hic gradus tentationis scil. in delectatione qua homo allicitur: in consensu quo peccatum concipitur: in opere quo peragitur: in consuetudine qua consummatur. [*Deinde concupiscentia*] illecta scilicet per amorem boni commutabilis. [*cum conceperit*] per consensum, vel in opus, & in delectationem operis, aut morosæ delectationis, quæ est occulta fornicatio maligni fœtus. Conceptio verò huiusmodi est ex diabolo tanquam patre agente & semen immittente; & concupiscentia tanquam matre consentiente. Ideo dicitur *Ezechiel. decimo-sexto. Pater tuus Amorrhæus & mater tua Chethæa.* In *Iohann. octauo. Vos ex patre diabolo estis.* [*parit peccatum;*] *Glossa.* producit ad actum manifestum. Hic est partus de quo in *Psalmo septimo. Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* [*Peccatum vero cum consummatum fuerit:*] *Glossa.* id est peccatum, in consuetudinem prauæ vitæ productum. Sicut officium mortui consummatur exhibitione sepulturæ: sicut Lazari in *Iohann. vndecimo.* [*generat mortem:*] reatus & damnationis æternæ. *Romanorum 6. Stipendia peccati mors. Glossa.* Sicut qui tentatus superat, præmia vitæ acquirit, ita qui concupiscentiis illectus superatur mortis ruinam incurrit.

Quæstio. Sed cum omne peccatũ mortale generet mortem, quare hic tantum dicit de peccato consuetudinis.

Responsio. Responsio. Licet peccatum actus & consensus possint dici generare mortem, tamen de peccato consuetudinis hoc propriè dicitur, q̃a quando iam peccatum tractum est in consuetudinem, nulla apparent signa vitę. & est parua spes de reditu: sed in aliis habet homo plura signa vitę, quando peccatum tantum est in cogitatione, pauciora verò quando in opere.

Vers. 16. *Nolite itaq; errare*, *Glossa*. existimando q̃ tentamenta vitiorum à Deo procedant. [*Fratres mei dilectissimi*] dilecti propter similitudinem naturæ, dilectiores propter participationem gratiæ: dilectissimi propter præparationem hæreditatis æternæ.

Vers. 17. *Omne datum optimum.* Hîc ostendit q̃ Deus est largitor omnium bonorum & quod omnia bona sunt à Deo. Et primò hoc ostendit ex copiositate datorum. Secundo ex immutabili bonitate dantis: [*apud quem non est transmutatio.*] Tertio ex liberalitate dandi: [*voluntariè enim genuit nos*] 4. ex iudicio ipsorum: [*Scitis autem fratres mei.*] Dicit ergo: [*omne datum optimum:*] bona sũt temporalia, meliora naturalia, optima gratuita. vel potest exponi totum de naturalibus: bonum est quod sumus: melius est quod viuimus; optimum quod intelligimus. vel bona sunt naturalia quibus sustentamur: meliora dona misericordiæ quibus à peccatis liberamur: optima dona gratiæ quibus de virtute in virtutem proficimus. [*& omne donum perfectum.*] id est gloria, qua habita nihil remanet imperfectum. dicitur autem [*datum*] quod datur in via, quia significat cum tempore, quasi participialiter. [*donum*] vero quod datur in patria, quia significat sine tempore, quasi nominaliter. vtrumque istorum *de sursum est*, id est à Deo non ab homine. [*descendens*] non cadens, in quo notatur gradus in huiusmodi donis secũdum dispositionem recipientis & beneplacitum dantis, qui omnia disposuit in numero pondere & mensura. [*à patre luminum:*] id est Deo auctore omnium gratiarum quę lumina sunt. Sicut enim sol materialis auctor est luminum materialium: sic sol intelligentiæ luminum spiritualium: [*apud quem*] sc. Deum. [*non est transmutatio*] in natura sua q̃a omnino immortalis. *Mal. 3. Ego Deus & non mutor.* [*nec vicissitudinis obumbratio.*] in effectu ut mutabilis, quia ab ipso semper procedit lux, nunquam tenebræ. [*vel vicissitudinis obumbratio.*] id est vicissitudo vel mutatio obumbrans. non enim vicissim succedunt in eo bona & mala quia sola bona dat, mala vero q̃ obumbrant: non, sed huius vicissitudinaria obumbratio q̃ in nobis frequenter lucet gratiæ, succedit umbra peccati quæ ex nobis est.

Vers. 18. *Voluntariè enim &c.* Aliquis posset dicere licet omnia bona nobis sint à Deo, tamen meritis nostris. Ideo dicit quod non: imò sua gratuita bonitate. [*voluntariè enim:*] id est gratis sine meritis. *Tit. 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos.* [*genuit nos*] in filios gratiæ, qui prius eramus filii iræ. [*verbo veritatis*] id est verbo Euangelii Christi, qui veritas est. *in Iohann. decimoquarto. Verbo inquam tanquam semine spirituali. Luc. octauo. In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* [*vt simus initium aliquod:*] id est caput principatum habendo in omnibus creaturis eius inferioribus recuperando principatum per gratiam, quam primi parẽtes perdiderunt per culpam. vel simus [*initium aliquod creaturæ eius*] id est recreationis siue reformationis totius mundi, hic in parte scil. anima per gratiam, sed in futuro in toto, scilicet in anima & corpore per gloriam. Vnde *Romanorum octauo. Ipsa creatura ingemiscit expectando reuelationem filiorũ Dei.*

Vers. 19. *Scitis autem fratres, &c.* Hîc probat omnia esse à Deo iudicio ipsorum siue testimonio [*scitis autem*] se veraces esse quæ loquor. [*fratres mei*] per fidei vnitatem. [*dilectissimi*] per charitatem. *Gloss.* conclusio prædictorum est, scil. quod à Deo sunt bona & à nobis mala.

Sed obiicitur contra hoc quod dicit, *vt simus initium aliquod &c.* quia *Iob. 40.* dicitur de *Behemoth Ipse est principium viarum Dei.* Obiectio.

Responsio. Behemoth fuit principium in via creationis, homo vero in via recreationis. Responsio. [*Sit autem omnis homo velox:*] supra docuit modum se habendi in tentationibus exterioribus, & etiam in interioribus. Hîc vero ad vtriusque modi notitiam monet ad auditum Verbi Dei. Vbi primò monet libenter audire. Secundò

deuotè

deuotè ſuſcipere: [*propter quod abiicientes.*] tertiò opere implere: [*eſtote factores*] quartò linguam refreoare. [*ſi quis autem putat.*] In prima parte primò hortatur ad illud quod expedit, ſecundo remouet illud quod impedit [*tardus autem ad loquendum.*] Dicit ergo [*ſit omnis*] quaſi dicat, ita *voluntariè genuit nos verbo veritatis*: ot ergo hæc generatio in oobis conſeruetur, *ſit omnis homo*, ſiue ſit incipiens, ſiue perficiens, ſiue perfectus, *velox ad audiendum*, verbum ſcil. Dei, id eſt promptus & paratus, *Tardus autem ad loquendum*: hoc eſt impedimentum contra auditum exteriorem. *Eccleſiaſtici vigeſimo. Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus.* Doctrinæ quippe Pythagoricæ erat tacere per quinquennium & poſtea poſt eruditos loqui. [*& tardus ad iram*] hoc eſt impedimentum contra auditum interiorem.

Impedit enim *ira animum ne poſſit cernere verum.*

Verſ. 20. *Ira enim viri:* id eſt, ira fortis vel deliberata, noo dicit pueri, quæ citò tranſit. [*iuſtitiam Dei non operatur*] minus dicit & plus ſignificat, id eſt contra Dei iuſtitiam operatur. *Matth. quint. Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio.* & intelligendum eſt quando procedit ex libidine vindictæ, non ex amore iuſtitiæ: quia ut dicit *Gregorius* vera iuſtitia compaſſionem habet non indignationem.

Verſ. 21. *Propter quod*, ut ſcilicet: dignè audire poſſitis. Hic docet deuotè ſuſcipere. [*abiicientes omnem immunditiam*] quantum ad peccata carnalia quæ animam & corpus polluunt. *Epheſ. 5. Fornicatio & immunditia non nominetur in vobis.* [*& abundantiam malitiæ*] id eſt peccata ſpiritualia in quibus abundat malitia. quia ut dicit *Gregorius*: peccata ſpiritualia maioris ſunt culpæ & maioris infamiæ. [*in manſuetudine*] captiuantes intellectum in obſequium Chriſti. vel [*in manſuetudine*] adimplendo opere. Eſt enim manſuetus idem quod manu aſſuetus. [*ſuſcipite*] *Gloſſ.* cum magno honore. vel [*ſuſcipite,*] i. ſemoti à curis temporalibus capite. [*inſitum verbum:*] verbum quidem creatum inſitum eſt cordi per prædicationem & inſpirationem. Verbum vero increatum etiam inſitum eſt naturæ humanæ per incarnationem: cor autem humanum ante fidem verbi, & natura humana ante incarnationem Filii Dei erat tanquam truncus ſilueſtris. *Romanorum vndecimo. Ex naturali excíſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam.* [*quod poteſt ſaluare animas veſtras:*] Verbum creatum diſpoſitiuè, verbum autem increatum effectiuè. Et dicit [*quod poteſt ſaluare,*] non ſaluabit, ne excludat libertatem arbitrii.

Quæſtio. Sed quæritur de hoc quod dicit. [*Tardus ad iram;*] utrum intelligatur de ira per zelum vel per vitium? noo de prima quia noo debemus eſſe tardi ad illam; noo de ſecunda, quia ad illam nullo modo debemus eſſe etiam inclinati.

Reſponſio. Reſponſio: Poteſt intelligi de utraque, quia ad iram per zelum debet homo eſſe tardus: id eſt, maturus & diſcretus, ut ſcilicet diſcretè faciat: ad iram vero per vitium debet eſſe tardus negatiuè, id eſt nullo modo paratus.

Quæritur quare dicit magis [*iuſtitiam Dei non operatur*] quam aliam virtutem. *Quæſtio.*

Reſponſio. Quia ira magis induit formam iniuſtitiæ quam alterius virtutis, vel intelligitur de iuſtitia generali, quæ continet omnes virtutes. *Reſponſio.*

Notandum quod verbum Dei eſt aure audiendum. *in Iohannis octauo. Qui ex Deo eſt verba &c.* *Verbum Dei.* ſecundo, corde ſuſcipiendum ut hic. *Deuteronom. 11. Ponite verba hæc in cordibus veſtris.* Tertio intellectu* conferendum. *Luc. 2. Maria conſeruabat omnia verba hæc.* ** Conſeruandum.* Quarto affectu guſtandum. *Hebr. 6. Guſtauerunt etiam bonum Dei verbum.* Quinto in ore habendum. *Ierem. primo. Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Sexto in opere faciendum, ut hîc: *Eſtote factores verbi, &c.* Septimo in memoria cuſtodiendum. *Luc. vndecimo. Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Octauo in libro ſcribendum *Eccl. vltim. Quæſiuit verba vtilia & conſcripſit ſermones rectiſſimos.*

Eſtote factores verbi. Hîc monet verbum Dei opere implere; proponens primo damnum, ſecundo exemplum. quia ſi quis auditor eſt verbi, tertio præmium. [*qui autem proſpexerit &c.* Dicit ergo.

Verſ. 22. *Eſtote factores verbi & non auditores tantum, Gloſſ.* non ſolo auditu ſuſcipite verbum, ſed etiam opere implete, quia non auditores legis ſed factores iuſti ſunt. *Gregorius.* Loquendi auctoritas perditur cum vox opere non impletur. *Gregorius.* Dicit autem, [*factores verbi,*] id eſt rei ſignificatæ per verbum: vel [*factores*] id eſt impletores verbi. [*fallentes vosmetipſos*] *Gloſſ.* ſi per ſolum auditum vos ſaluandos putatis.

Verſ. 23. *Quia ſi quis auditor eſt verbi & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo.* *Speculum.* Ad literam talis fallitur, quia videtur ſibi quod videat rem, ſed non videt rem, ſed ſolum rei idolum vel imaginem. Sic ille qui audit & non facit, ſolam verborum umbram habet, non corpus operis. unde Verbum Dei comparatur ſpeculo. Doctrina quidem ſapientis eſt mare æneum factum de ſpeculis mulierum. *Exod. trigeſimo-octauo. Quia in ipſa aſpici poſſunt macula animarum.* & dicit *vultum natiuitatis*, id eſt quem habet à natiuitate vel à natura.

Verſ. 24. *Conſiderauit enim ſe*, id eſt imaginem vel idolum ſuum, & abiit, ſcilicet, à ſe ad exteriora, id eſt à conſideratione ſui ceſſauit: [*& ſtatim oblitus eſt quaſi fuerit*] ſcilicet, quia non vidit veritatem rei, ſed umbram. vel pro tanto ponitur ſimilitudo quia ſicut nihil prodeſt homini vidiſſe in ſpeculo maculam vultus ſui ſi illam noo abſtergit: ſic nihil prodeſt homini audire verbum ſcripturæ vel prædicationis niſi illud adimpleat opere. Nota ergo quod verbum prædicationis eſt ſicut ſpeculum, in quo homo videt defectus ſuos, quibus inſpectis compungitur ad horam, ſed recedens à loco ſtatim dat obliuioni. *Speculum Verbum Dei.* Talis eſt ſicut aqua quæ ſtatim recipit impreſſionem.

Verſ. 25. *Qui autem perſpexerit*, id eſt perfectè aſpexerit non tantum vultum exteriorem. [*in lege perfectæ libertatis*] id eſt in doctrina Euangelii, quæ dicitur lex perfectæ libertatis, quia reſtituit libertati à culpa in præſenti per gratiam in Sacra-

tramentis, à miseria vero in futuro per gloriam immortalitatis, quando scilicet mortale hoc induerit immortalitatem. *prim. ad Corinth. decimo-quinto.* [Et *permanserit in ea*] idest perfectè manserit, per perseuerantiam operis. [*non auditor obliuiosus*: audita scilicet memorando. [*sed factor operis*:] opere scil. implendo. [*hic beatus in facto suo erit*] non in verbo tantum. *Psalm. decimo-octauo. In custodiendis illis retributio multa.* non dicit in audiendis.

Si quis autem putat, &c. Hic ad complementum boni operis, docet linguam refrænare. circa quam admonitionem primo ostēdit quæ sit religio vana. Secundo quæ sit vera. *ibi:* [*Religio munda &c.*]

Religio. Dicit ergo [*si quis putat*] quamuis non sit. [*se religiosum esse.*] propter fidem & opera quæ habet. dicitur autem religiosus, quasi religatus Deo, qui per peccatum fuerat diuisus, qui ligatus præceptis, religatur consiliis. vel religatur post dissolutionem membrorum, sicut dolium religatur post dissolutionem asserum, ut contineat vinum: & hoc pceptis & prohibitionibus & aliis obseruantiis minoribus. & quia lingua maximè indiget religatione, quia sedet in humido & ideò labilis, ideò subdiuit: [*non refrenans linguam suam.*] fræno scilicet discretæ taciturnitatis secundum illud: *Ecclesiast. vigesimo-octauo. Verbis tuis facito stateram & frenos ori tuo rectos.* [*Sed seducens cor suum*] id est seorsum ducens extra veritatem *Gloss.* non intelligens se puniendum pro peccato linguæ. [*huius vana est religio*] id est inutilis & non vera, quia non est bene regulatus soluto vinculo linguæ, quæ cum sit indomita, *infra tertio* ligari eget. vel sic: seducens cor suum id est seorsum à lingua ducens, ut scilicet cor & lingua nō conueniant, sicut est in mendacio. *Ecclesiast. Cor* Lingua. ingrediens duas vias non habet successus bonos. cor mentientis ingreditur duas vias, quia unam veritatis in cognoscendo, alteram falsitatis in loquendo. Sed è contrario.

Vers. 27. *Religio munda, Gloss.* in cordis intentione, & [*immaculata*] *Gloss.* in operis executione. vel [*munda*] interius à se ipso. [*immaculata*:] exterius ab aliis. [*apud Deum*] scilicet Filium qui est Deus per naturam. [*& patrem*] scilicet Deum, qui est pater noster per adoptionis gratiam. [*hæc est, visitare*:] corporaliter consolatione verborum, & erogatione munerum & protectione malorum; unde per hoc intelligit omnia opera misericordiæ quæ impendimus proximo. [*pupillos*:] sine patre. [*& viduas.*] siue marito, non diuites. [*in tribulatione eorum*] vel temporali vel spirituali. non in prosperitate sicut multi faciunt, qui sunt socij mensæ. *Eccles. 6.* [*Et immaculatum se custodire ab hoc seculo,*] maculatu scil. unde *glossa*: qui mundum diligit, immaculatum se à seculo non custodit. undę solent dici versus.

Mundus non mundus quia mundos polluit: ergo

Qui manet in mundo quomodo mundus erit? In *Canonica Iuda*: *odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam.* Hæc est perfecta religio in medio macularum immaculatum se custodire.

Caput II.

F*Ratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi, &c.* supra egit de informatione in tribulationibus, hîc agit de informatione in bonis operibus. Et quia tria solent maximè progressum in bonis operibus impedire, scil. potentia, scientiæ diuitiæ, ideò hæc pars diuiditur in tres partes.

Primo enim informat quantum ad modum agendi in his quæ spectant ad potentiam.

Secundo quantum ad modum agendi in his q̄ spectant ad scientiam, *infra tertio capitulo.*

Tertio quantum ad modum se habendi in his quæ spectant ad diuitias *quarto capitulo.*

Vel sic: Supra hortatus est ad bonum, hîc dehortatur à malo: &

Primo à malo quod est in contemptu proximi.

Secundo à malo quod est in excellentia sui per appetitum magisterii, *cap. tertio.*

Tertio à malo q̄ est in concupiscentia mundi *quinto capitulo in principio.*

In prima primo instruit quantum ad exhibitionē honoris debiti ratione animę quę est imago Dei. Secundo ad exhibitionem sustētationis quæ debetur ratione corporis, *ibi*: [*sic loquimini & sic facite.*] Et quia exhibitionem honoris debiti impedit personarum acceptio, ideo ipsa in hac prima prima parte dissuadetur: & primò ratione sumpta ex peruersione iudicii rationalis. Secundo ratiōe sumpta ab exemplo diuinæ electionis. [*Audite fratres mei, &c.*] tertio ratione sumpta ex ipsarum personarum meritis. [*nonne diuites opprimunt*:] quarto ratione sumpta ex transgressione legis. [*Si tamen legem perficitis.*] In prima parte primo ponitur exhortatio. Secundo exhortationis ratio: [*etenim si introierit*:] ubi primo ponit personarum diuersitatem: secundo tangit iudicii inæqualitatem [*& intendatis in eum.*] Tertio subdit inęqualitatis reprehensionem: *nonne iudicatis?*

Vers. 1. Dicit ergo [*Fratres mei, &c.*] Continuatur sic: *Ita religio munda immaculata est, &c.* & ut possitis immaculati esse, fratres mei: subditos suos vocat *fratres* æquales eos sibi reputans ex humilitate. [*Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ.*] id est nolitę credere quod Dominus noster Iesus Christus glorietur in personarum acceptione: ipse enim contrarium fecit *Act. 10. In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus.* vel sic secundum Glossam: [*Nolite in personarum acceptione, &c.*] id est non æstimetis quod fides Domini sit in huiusmodi personis acceptis, ut Dominus sc. ad fidem vocauerit diuites & non pauperes. vel sic: persona dicitur quasi per se una: unde personæ sunt illi qui volunt singulares videri, ut potentes in diuitiis: vel in genere vel huiusmodi. [*Nolite ergo*] fidem Domini nostri in talibus ponere ut illos quasi Deum singulariter colatis. Et nota quod hoc dicit ut alliciat eos ad amorem pauperum ut inde acquirant cælum. vnde *Augustinus.* Da tectum & accipe cælum. [*etenim si introierit*:] quasi non debetis personas accipere. Augustinus.

Vers. 2. *Etenim si introierit in conuentum vestrum,* i. in

conq

congregationem veſtrã. Eccleſia enim primitiua erat quaſi quædam religio, quidam conuentus, quia erant eis omnia communia. [*vir*] à virore potius corporis quam mentis. Nam gratia virtutis ſpiritualis hominem honorare peccatum nõ eſt. [*annulum aureum habens:*] in ſignum diuitiarum. [*in veſte candida*] in ſignum deliciarum. [*introierit autem & pauper in ſordido habitu*] ſcilicet, corporis, quamuis in habitu honorato mentis. [*& intendatis*] ecce perſonarum acceptio in actu interiori: alias non eſſet acceptio perſonarum. Nam ut ait *Auguſtinus in Gloſſa: In quotidianis* conſeſſibus qui præfert diuitem pauperi, non in hoc peccat, niſi cum apud ſemetipſum ita indicat, ut ei tanto melior quanto ditior ille videatur. dicit ergo.

Verſ. 3. *Vt intendatis*, quaſi ex animo & intentione tendatis. [*in eum qui indutus eſt veſte præclara:*] eum ſcilicet ꝓpter indumentum honorando & pauperi pręferendo. [*& dixeritis ei*] ecce acceptio perſonarum in actu exteriori. [*tu ſede hic bene*] id eſt honeſto loco. [*pauperi autem*] quia pauper eſt. [*dicatis, tu ſta illic*] longe ſc. quaſi non curando de illo. *aut ſede ſub ſcabello pedum meorum*: in vili loco.

Verſ. 4. *Nonne iudicatis apud voſmetipſos*, id eſt nõne à vobis accipitis hoc iudicium & non à Deo? quaſi dicat ſic: [*& ſic facti eſtis iudices cogitationum iniquarum*: id eſt iudicatis ſecundum iniquas cogitationes: quaſi dicat: iniqua eſt talis cogitatio. vere iniqua cogitatio, quia non reſpicit exiſtentẽ pſonæ bonitatẽ, ſed apparentem ſc. exteriorẽ, nõ interiorẽ. unde *Gloſſ.* mundus pauperem abiicit, diuitem colit, fides Chriſt *æqua docet. unde iniquum eſt diuitem quærentem honorem in diuitiis *præferre* pauperi timenti Deum. Notandum autem quod ſecundum *Auguſtinum in Gloſſa*, hoc quod hic dicitur intelligitur de seſſione communi. intelligitur in cauſa qua iudicatur propter hoc debere præferri tanquam melior. vnde *Gloſſ.* Si hanc diſtantiam ſedendi & ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus, non eſt putãdum leue eſſe peccatum perſonarum acceptione habere fidem Domini gloriæ, &c.

** à contra legit Gloſſ.*

Quæſt. de perſonarum acceptione. Auguſt.

Hic quæritur utrum acceptio perſonæ ſit peccatum? videtur quod non: *Auguſtinus*. Accipere pſonam eſt exhibitio honoris ſeruato gradu dignitatis & officii: ſed ſic honorare non eſt peccatum, ergo accipere perſonam non eſt peccatum. Item, *Gregorius*. Accipere perſonam eſt hominem, non quia homo eſt, ſed propter aliquid quod circa ipſum eſt honorare: ſed hoc non eſt malum, immo bonum honorare hominem propter dignitatem quæ circumſtat ipſum.

Contra: *Qui cognoſcit perſonam in iudicio non bene facit, Prov.* 28 Item hoc prohibetur pluries in ſcriptura: ergo eſt malum.

Item quæritur quare hoc vitium ita frequenter exclusum à Deo inueniatur magis quam aliud.

Reſponſio.

Reſponſio. Acceptio perſonæ quandoque accipitur in bono quandoque in malo. Secundum quod accipitur in bono accipere perſonam eſt honorare vnumquemque ſecundum gradum dignitatis ſuæ & officii ſic non oportet ꝙ fiat cõparatio perſonæ ad perſonã in acceptione pſonę: & ſic accipere perſonam non eſt peccatum. Sic autem definitur ab *Auguſtino*. Alio modo accipitur perſonarum acceptio ſecundum quod dicit comparationem perſonæ ad perſonam: & ſic definitur à *Gregorio*. unde ſic accipere perſonam eſt præferre perſonam perſonæ. nec tamen quando poſtfertur perſona perſonæ ſemper eſt acceptio perſonæ, ſed quando præfertur perſona perſonæ ex cauſa indebita. unde accipere perſonam eſt præferre perſonam perſonæ ex cauſa indebita. Præferre autem diuitem pauperi propter diuitias in promotione ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam, ut ad Epiſcopum vel huiuſmodi, vel etiam in executione iudicii, ut cum aliquis ſententiat ꝓ diuite quia diues eſt; vel etiam in collatione temporalis beneficii, ut quando datur aliquid diuiti quia diues eſt, & non datur pauperi quia pauper, eſt pręferre perſonam perſonæ ex cauſa indebita. non tamen dico ſi aliquis daret aliquid diuiti ad acquirendam eius familiaritatem, quod eſſet peccatum: ſed præferre diuitem pauperi in exhibitione alicuius reuerentiæ tantum, ut cum aliquis aſſurgit diuiti nõ pauperi, inclinat ſe diuiti nõ pauperi, vel aufert caputium coram diuite, non ſic coram paupere, non eſt perſonam perſonæ præferre ex cauſa indebita, vnde non eſt peccatum niſi ratione originis, ut cum iudico in corde meo quod melior eſt diues paupere.

Quod obiicitur de diggnitate: Reſpondeo. Dignitas officii vel poteſtas non eſt circa hominẽ ſed ſupra, ſcil. à Deo, & ibi honoratur homo propter eum cuius loco eſt, ſc. Deum, Sed hîc habitus pretioſus & diuitiæ ſunt circa ea quæ data ſunt homini non ut pręſit ſed ad uſum & ſupplementum neceſſitate. *Reſponſio.*

Ad aliud dicendum quod acceptio perſonę declinat in partem: Deus autem cauſa vniuerſalis eſt rerum & in producendo & in conſeruando, & ideo frequenter remouetur à Deo.

Nota in quibus cauendus eſt perſonarum acceptio. *Nota quod perſonarum acceptio cauenda in multis.*

Primò in audientia cauſarum. *Deut.* 1. *Ita paruũ audietis ut magnum.*

Secundò in definitione ſententiarum: *Poverb.* 18. accipere perſonam impii in iudicio non eſt bonum.

Tertiò in tractatibus electionum, ut hic: [*nonne pauperes elegit Deus?*] *Gloſſ.* quis fecit eligi diuitem ad ſedem honoris.

Qartô in collationibus beneficiorum. *Rom.* 2. *Gloria honor & pax omni operanti bonum*; non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.

Quintò in promotionibus dignitatum. de his qui videbantur eſſe aliquid quales aliquando fuerunt nil mea intereſt. *Deus enim perſonam hominis non accipit. Gal.* 2.

Sextò. In exhibitione honoris & obſequiorũ. *Leuit.* 19. *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis: iuſtè proximo tuo iudica.*

Septimò. In comparatione meritorum, ut hîc: *Nonne iudicatis apud voſmetipſos & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?*

Octanò. In correctione culparum: *Matth.* 22. *Non enim reſpicis perſonam hominum.*

Nonò. In approbatione beneficiorum. *In veritate comperi quod non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Act.* 10

Verſ. 5. *Audite fratres mei.* Hic diſſuadet perſonarum acceptionem ratione ſumpta ab exemplo

plo diuinæ electionis. [*audite fratres mei:*] dicit *Gloss.* diligentius attendite quia non qui ditiores in seculo, hi sunt meliores in examine diuino, & ideo non sunt præferendi. [*Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo* ,] id est in rebus huius mundi. Christus enim in Apostolos elegit piscatores: in Patriarchas elegit pastores. *Genes. quadragesimo-sexto.* viri pastores ouium sumus *prim. ad Corinth. prim.* Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, & contemptibilia. in quo apparet q electio Dei est contraria electioni mundi qui eligit illum qui est potentior vel nobilior vel ditior: ut cum aliquis debet creari in Episcopum. [*diuites in fide*,] in præsenti. Hæ sunt maximæ diuitiæ.

Augustinus. *Augustinus. Aurum habens in arca diues est, Deum habens in conscientia diues non est?* [*& heredes regni:*] in futuro. *Matth. quinto. Beati pauperes spiritu, &c.* [*quod repromisit*] promisit per Prophetas, repromisit per Apostolos. [*diligentibus se*] quia per dilectionem accipitur. Ipsa. n. sola diuidit inter filios regni & filios perditionis secundum *Augustinum.* Ipsa est fons proprius cui non communicat alienus. *1. ad Corinth. 2. Oculus non vidit nec aure audiuit. &c.*

Vers. 6. *Vos autem*, acceptoribus personarum loquitur. [*exhonorastis*] id est extra honorem posuistis: vel honore priuastis [*pauperem*] dicendo: [*tu sta illic.*]

Quæstio. Sed quæritur de hoc quod dicit, *diuites in fide.* Cum enim Sancti modo habeant in spe q in patria habituri sunt in re, potius debuit dicere diuites in spe, quam in fide.

Responsio. Responsio. Existentes in fide sunt diuites in spe. vel [*diuites in fide*] i. ex fide quia fides generat spem: unde fides est substantia rerum sperandarum, i. basis vel fundamentum per q res sperandæ sunt in nobis. vel [*diuites in fide*] i. abundantes, quia credunt omnia credenda, & nunc per fidem vident in ænigmate quæcunque videbunt in patria in aperta visione.

Et nota quod Christo multum videtur placere paupertas.

Paupertas. Primo quia paupertatem sibi assumpsit. *2. Cor. 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam cum diues esset, &c.*

Secundo quia paupertatis signa in sua natiuitate ostendit. *Luc. secundo, Inuenietis infantem positum &c.*

Tertio quia pauperes parentes habere voluit. *Luc. 1. Missus est Angelus &c.*

Quarto quia paupertatem inter homines conuersando tenuit *Matt. 8. Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos &c.*

Quinto quia pauperes discipulos elegit *Matth. 4. Ambulans Iesus iuxta mare Galilaa &c.* & hîc pauperes elegit Deus.

Sexto quia pauperibus regnum cælorum promittit *Matt. 5. Beati pauperes spiritu.*

Septimo quia paupertatis consilium dedit *Matt. 19. Si vis perfectus esse vade &c.*

Octauo quia pauperrimus & nudus in cruce pependit. *Thren. 3. Recordare paupertatis meæ &c.*

Nonne diuites per potentiam. Hæc est tertia ratio sumpta ex personarum meritis, quia diuites eis mala inferunt; pauperes autem non. Mala autem à diuitibus illata ostendit tria. Primò in rebus suis eos opprimendo. Secundo in personis eos accusando. [*& ipsi trahunt.*] Tertiò in Deo suo, eum scil. blasphemando: [*Nonne ipsi?*] Dicit ergo [*Nonne diuites, &c.*] quasi dicat meritò non debetis præferre diuites pauperibus. quia [*nonne diuites*] scilicet Scribæ, Pharisæi. Pontifices [*per potentiam opprimunt vos*] bona vestra scilicet rapiendo, & ipsi trahunt vos ad iudicia violenter, & sine culpa faciunt vos condemnari, vos accusando tanquam maleficos. *Glossa.* sine culpa faciunt vos condemnari.

Vers 7. *Nonne ipsi blasphemant? Hieronymus.* Blasphemia est iniuria Deo irrogata. [*bonum nomen*] i. saluiferum nomen Iesu Christi. *Act. quart. Non est aliud nomen sub cælo in quo oporteat saluos fieri credentes.* [*quod inuocatum est*] quia à Christo dicebantur Christiani. [*super vos*] ad vestram scilicet protectionem & sui venerationem. *Ierem. 14. Tu in nobis es Domine, & nomen tuum, &c.* *Hieronymus.*

Vers. 8. *Si tamen legem perficitis.* Hæc est quarta ratio quæ sumitur ex transgressione legis. ubi primo ostendit quod lex præcipit diuitum dilectionem. secundo quod prohibet personarum diuitum acceptionem. *Si autem personas.* Tertio ostẽdit q huius prohibitionis transgressio facit totius legis transgressionem: quincũque autem legem. Dicit ergo

Vers. 8. *Si tamen legem &c.* quasi non debetis personas diuitum accipere, sed si eos diligeretis bonum est. vnde, [*Si tamen legẽ perficitis regalem:*] i. adimpletis legem Euangelii, quæ dicitur regalis & ab affectu quia reges facit, *Apoca. 5. Fecisti nos regnum Deo & Sacerdotes. prim. Petr. secund. Vos estis genus electum &c.* Item à generalitate, quia omnes ligat, & nullum eximit. Sicut strata publica dicitur via regia. vel ab auctore, quia rex eam ore promulgauit. *Matth. vigesimo-secundo.* Item ab excellentia. *Gloss.* excellentem inter alias. [*secundum scripturas.*] id est sicut scripturæ monent: legem inquam hanc: [*diliges proximum tuum sicut teipsum.*] *Matth. 22. Lev. 19.* [*sicut teipsum*] i. quomodo teipsum, scilicet gratis, non causa renumerationis humanæ. vel [*sicut teipsum*] i. propter teipsum, i. propter Deum. vel [*sicut teipsum*] id est ad illud ad q teipsum. vel [*sicut teipsum*] id est in quo gradu teipsum, scilicet infra Deum & priusquam corpus tuum. vel [*sicut teipsum*] id est sicut gaudes de bono tuo, & tristaris de malo: ita gaudeas de bono proximi, & doleas de malo eius & infortunio. Si ita perficitis deligendo. [*benefacitis.*] Nam præcipuè bonitas in dilectione consistit. ut patet *1. ad Cor. 13. Si linguis hominũ loquar &c. Glossa.* Etsi diuites ꝓpter diuitias non sunt eligendi, non tñ propter Deum minus sunt diligendi.

Ver. 9. *Si aũt personas accipitis, Glos.* i. pauperẽ ꝓpter pauptatẽ ab honore abiicitis, & diuites ad honorẽ ꝓpter opulentiã ꝓmouetis. [*peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores. Deut. 1. quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille siue peregrinus:* nulla erit distantia personarum. ita paruum audietis ut magnum. & *Leuit. 10. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.*

Quæstio. Sed quæritur vnde hoc q in iudicio, id est, in opere iustitiæ non sunt aliqui præeligendi, in opere vero misericordiæ sunt, sicut in datione eleemosynarum. *Eccl. duodecimo. Benefac iusto & ne dederis peccatori.*

Responsio. Responsio. Ratio huius est quia in iudicio respiciuntur merita causarum, sed in misericordia conditiones personarum. Quod autem dicit quasi trans-

ſi tranſgreſſores, expreſſiuum eſt veritatis.

Verſ. 10. *Qui autem totam legem ſeruauerit*, id eſt ſeruare in anima propoſuerit. [*offendat autem in vno*] ideſt in Deo datore omnium, vel in vno. ideſt in præcepto charitatis, quod eſt vinculum omnium præceptorum. *Gregorius. Præcepta Domini & multa ſunt & vnum. multa per diuerſitatem operis: vnum in radice charitatis.* vel [*in vno*] ideſt in quolibet præcepto. vel [*in vno*] id eſt in vna virtute, quia virtutes ſunt connexæ: & qui peccat contra charitatem peccat contra omnes virtutes: ſicut qui offendit aliquem offendit ex conſequenti omnes amicos eius. [*factus eſt omnium reus.* [*omnium*] ſcilicet, præceptorum, quia illa ſibi inutilia reddit. vel [*omnium*] peccatorum, quia pro vno ac ſi pro omnibus peribit. vel [*omnium*] bonorum: quia charitatem, quæ eſt forma omnium, perdit. *Hieronymus.* vbi eſt charitas quid eſt quod poſſit abeſſe? vbi non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe? vel [*omnium*] ſci. virtutum: qui enim habet unã habet omnes. *Hieronymus.* omnes virtutes ſic ſibi cohærent, ut qui una caruerit omnibus careat. *Eccleſ. 9. Qui in vno peccauerit multa bona perdet*: quia omnia bona interiora.

Offendere in vno.

Gregorius.

Hieronymus.

Verſ. 11. *Qui enim dixit*, Hîc probat quod reus eſt omnium, quia peccat in eũdem legislatorem, omnium præceptorum. [*Qui enim dixit non mœchaberis*:] nomine mœchiæ omne peccatum luxuriæ continetur. *Exod. 20. Dixit & non occides*: in eodem, ubi prohibentur homicidia operis, & linguæ, & cordis, & omiſſionis. [*quod ſi non mœchaberis occides autem, factus es legis tranſgreſſor*: quod unumquodq; præceptum æqualiter continet, & una lex eſt data ab uno Deo. Et nota quod propriè tranſgreſſor dicitur qui facit contra legem ſcriptam. Sed præuaricator qui facit contra legem naturalem.

Verſ. 12. *Sic loquimini*: Supra inſtruxit eos quantũ ad exhibitionem honoris debiti. Hic autẽ inſtruit quantum ad exhibitionẽ ſuſtentationis. unde hic inſtruit de operibus miſericordiæ: & primò inuitat ad opera miſericordiæ. ſecũdo oſtendit ea eſſe neceſſaria cum fide.

Verſ. 14. *Quid proderit homini.* In prima parte ad opera miſericordiæ manu dicit, tripliciter: allegando primo præceptum. ſecundo ſupplicium [*iudicium enim ſine miſericordia.*] tertio præmium: [*ſuperexaltat autem.*] Dicit ergo [*ſic loquimini &c.*] quaſi ne ergo ſitis tranſgreſſores legis. [*ſic loquimini*] ſcil. verba pietatis & amoris. [*& ſic facite*:] ſcil. opera pietatis & charitatis: non enim ſufficit pietas & charitas *in verbo*, niſi etiam ſit *in facto*. [*ſicut per legem libertatis*] ideſt per legem Euangelii, ſub qua ſeruitur Deo ſpontaneè, liberè, non coactè. [*Incipientes iudicari*] id eſt ſi inciperetis modò iudicari ſecundum legem id eſt ſi ſtaretis ante iudicem legis libertatis, ſcil. Chriſtum: in hoc monens eos ut in noſtris operibus ſemper attendamus iudicium quaſi inſtar. *Infra vltim.* Ecce iudex ante ianuam aſſiſtit. *Hieronymus.* Siue comedam ſiue bibam, ſiue aliquid aliud faciam, ſemper videtur auribus meis intonare illa extremi iudicii buccina: ſurgite mortui venite ad iudiciũ. vel ſic: [*ſic loquimini & ſic facite*] id eſt ita benignè & charitatiuè vos habeatis verbo & facto, [*ſicut per legem libertatis*] id eſt charitatis, quæ facit ſe & ſua liberè proximo exponere. [*incipientes iudicari*] id eſt ita faciatis, ut oſtendatis vos eſſe ſub lege charitatis q̃ ſemper debet eſſe in inceptione, *Auguſtinus.* Sola charitas eſt quæ ſemper detinet debitorem; redditur enim cum impenditur, & cum reddita fuerit debetur, quia nullum eſt tempus in quo impendenda non ſit. dicitur autem charitas lex libertatis quia nos Deo ligat non cogendo timore pœnarum, ſed alliciendo deſiderio prœmiorum. *Gal. quint. Alter alterius onera portate & ſic. &c.*

Verſ. 13. *Iudicium enim ſine miſericordia*] id eſt iudicium condemnationis. [*illi qui non fecerit miſericordiam*] exemplum patet in ſeruo nequam cui debitum dimiſſum replicatur, *Matth. 18. quia non miſertus conſerui ſui.* è contra, *Beati miſericordes, quia miſericordiam conſequentur. Matth. 5.*

Sed obiicitur contra hoc quod dicit: [*Iudicium ſine miſericordia &c.*] quia in *Pſa. 24.* dicitur: *Vniuerſa via Domini miſericordia & veritas.*

Reſpon. Duplex eſt miſericordia liberans & *relaxans. De prima loquitur hîc, de ſecunda in Pſalmo. vel ſic [*iudicium ſine miſericordia*] tanta ſcilicet quantam inuenit et ſi miſericors fuiſſet. [*ſuperexaltat miſericordia iudicium*:] hoc multipliciter exponitur: primo modo de miſericordia & iudicio hominis, & eſt ſenſus, quod miſericordia hominis iudicium eius quo iudicabitur reddit commendabilius. Secundo modo de miſericordia Dei & iudicio eius: & eſt ſenſus, quod miſericordia Dei ſemper relaxat, & quia temperat iudicium ſuæ ſeueritatis. Tertio modo de miſericordia hominis & iudicio Dei, & eſt ſenſus, quod miſericordia hominis quaſi vincit rigorem diſtrictionis diuinæ debitæ pro peccatis. Quarto modo de effectu miſericordiæ Dei in præſenti, & de effectu diuini iudicii in futuro, & eſt ſenſus, quod quanto miſericordia maior alicui in præſenti impenditur, tantò, ſi ingratus fuerit, grauius in futuro punietur. Nota quod ex quo miſericordia ſuperexaltat iudicium, & maior eſt curia miſericordiæ quam iuſtitiæ. Sicut à minori curia licitum eſt appellare ad maiorem: ita à curia iuſtitiæ ad curiam miſericordiæ.

** Releuans Al. MS.*

Miſericordia primo peccata purgat. *Prouerb. decimo-quinto. Per miſericordiam & fidem purgantur peccata.* *Miſericordiæ*

Secundo pœnam peccatorum relaxat. *Daniel. 4. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.*

Tertio cuſtodit à malo. *Prov. 20.* miſericordia & veritas cuſtodiunt regem.

Quarto, abundare facit in bono. *Prov. 9. Miſericordia & veritas præparant bona.*

Quinto, hominum benedictionem meretur. *Prouerb. 22.* qui pronus eſt ad miſericordiam benedicetur.

Sexto, Dei miſericordiam conſequitur. *Matt. 5. Beati miſericordes &c.*

Septimo, euadit iudicium, ut hîc *ſuperexaltat miſericordia iudicium.*

Octauo introducit ad cœlum. *Eccleſiaſtic. 16. Omnis miſericordia faciet locum vnicuiq; ſecundum meritum ſuum.*

Verſ. 14. *Quid proderit fratres mei.* Hîc oſtendit huiuſmodi opera eſſe neceſſaria cum fide, & primo rationibus. Secundo exemplis [*vis autem ſcire.*]

Rationibus probat quatuor. Primo quia fides informis non eſt homini ſalutifera. Secundo quod mortua eſt in ſemetipſa. [*ſi autẽ frater aut ſoror*] Ter

tio

tio, quia meretur irrideri. [*Sed dicet quis &c.*] Quarto quia communis est dæmoni: [*Tu credis quoniam vnus est Deus.*

Dicit ergo [*quid proderit*] ita necessaria sunt opa misericordiæ & verè, qa *Quid proderit fratres mei, ad salutem.* scilicet si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat conuenientia scilicet ipsi fidei: & loquitur secundum Glossam de illo qui habet tempus operandi & negligit. quasi dicat fides informis non valet ad adeptionem beatitudinis, quamuis valere possit ad euitationem damnationis grauioris. [*numquid fides poterit saluare eum:*] quasi dicat non. Sed contra *Matth. vltim. Qui crediderit & baptizatus erit saluus erit.* non dicit, qui operatus fuerit. Item *Romanorum tertio. Arbitramur per fidem iustificari sine operibus legis.*

Respondeo, ut dicit Glossa: verbum illud intelligitur in non habentibus tempus operãdi: vel de fide formata quæ est in paruulis: hîc vero de fide informi.

Vers. 15. *Si autem frater autem soror.* Fraternitate corporali vel maxime spiritoali. [*nudi sunt*] ecce indigentia vestitus. [*& indigent victu quotidiano:*] id est quotidie necessario: ecce indigentia victus.

Vers. 16. *Dicat autem*, de vobis aliquis. [*ite in pace.*] quoad hospitium. [*calefacimini*] quoad vestitum. & [*saturamini*] quoad cibum. [*Non dederitis autem quæ necessaria sunt corpori.*] Nec hospitium nec vestitum nec cibum. [*quid proderit*] quasi dicat: nihil. Vnde si aliquis dicat pulchra verba indigenti, sine supplemento necessitatis nihil prosunt.

Obiectio. Contra *Eccl. 18. Nonne ardorem refrigerabit ros. sic & verbum melius quam datum.*

Solutio. Respon. Non sit comparatio verbi solius ad datum, sed verbi cum dato ad solum datum. vel loquitur ad ardore vitii sc. impatientiæ ipsius pauperis no naturæ sed esuriei.

Vers. 17. *Sic & fides si non habeat opera mortua est in semetipsa*, *Glossa.* Sicut sola verba pietatis nudum vel esurientem non recreant si non cibus præbeatur & vestis: ita fides verbo tenus seruata non saluat, & dicit [*in semetipsa*] quia non est coniuncta principio vitæ scilicet charitati. *Gloss.* [*mortua est in semetipsa*] id est contra semetipsam. quod enim verbis ꝓmittit opere non implet. 1. *Iohann.* 4. *Non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate.* Et nota quod mortuum dicitur quod caret sensu & motu: sic qui fidem habet sine operibus, nec sẽsu viget compatientiæ & dilectionis qui est ex caritate, & motu caret bonæ operationis. Dicit autẽ [*sine operibus*] pluraliter, quia ad fidem sequitur actus interior, qui est credere, & exterior qui est in bono opere.

Vers. 18. *Sed dicet quis*, quasi non solum in se est mortua, sed apud alios irridenda. [*sed dicet*] *Glossa.* irridendo quis habens fidem & opera. [*tu fidem habes*] id est habere te dicis, [*solam*] id est sine operibus. [*& ego opera habeo*] cum fide. [*Ostende mihi fidem tuam sine operibus:* quasi dicat proba mihi te habere fidem per aliqua signa certa: quasi dicat non poteris probare, cum desint opera, & verba non sunt testis sufficiens.

Fides Augustinus. Gregorius. Nam sicut dicit Augustinus: fides dicitur eo quod fit quod dicitur. Et Gregorius dicit quod probatio dilectionis est exhibitio operis. [*Et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* id est probare possum me fidelem per opera mea.

Vers. 19. *Tu credis quoniam vnus est Deus.* Hic ostendit quod communis est dæmoni, quasi non potes probare fidem tuam. Sed posito quod habeas, non sufficit. [*Tu credis quoniam vnus est Deus; bene facis*] nam huiusmodi credere est bonum quoddam, sed sine operibus imperfectum. [*Et dæmones credunt:*] quod unus est Deus, sicut tu: qui tamen non sunt in »
statu salutis sed damnationis, illa tamen fides »
dæmonum non est propriè fides, quia non est »
habitus infusus, sed est quædam credulitas, nun »
voluntaria sed necessaria, & quasi rationibus Nota.
& tormentis extorta: vnde non assentiunt primæ veritati ꝓpter se, sed magis sentiunt eam. unde fides in eis est conclusio non argumentum. nec habent cognitionem articulorum in quantum articuli. sed in quantum entia nobilia. [*Et contremiscunt,*] in hoc peioris conditionis est fides malorum hominum qui non timent diuinum iudicium. Gloss. qui Deum non timent vel creditum non timent, dæmonibus crudeliores & proteruiores sunt.

Vers. 20. *Vis autem scire &c.* Hic probat exemplis primo bonorum, secundo malorum. [*Similiter & Rahab.*] Tertio omnium. [*sicut enim corpus.*] In prima parte primo ponit Abrahæ exemplum. Secundo adaptat ad propositum. [*vides ergo quoniam fides.*] Tertio confirmat per sacræ scripturæ testimonũ. [*& impleta est scriptura*] Quarto concludit propositum iam sufficienter probatum. [*videtis quoniam &c.*]

Dicit ergo [*vis autem scire,*] certius scilicet per exempla scripturæ [*O homo inanis*] id est vacuus à bonis operibus. *quoniam sine operibus mortua est:* qa non habet propositum dilectionis, nec motum bonæ operationis.

Vers. 21. *Abraham pater noster*, secundum carnem & secundum fidem. exemplum autem meritò inducit quia fuit prima via credendi. [*Nonne ex operibus iustificatus est*] supple amplius ut dicit Interlinearis Glossa. [*offerens*] id est offerre paratus *Genes. vigesimo-secundo. Filium suum Isaac super altare.* Hoc autem fuit post fidem susceptam: unde *Glossa:* per fidem quam habebat iustus erat, tamen per opera quæ addidit amplius est iustificatus, quæ si non fecisset, meritum præcedentis fidei amisisset. *Glossa Beda* Magna tentatio cum Beda.
filium iubebatur occidere: magna fides cum etiam de mortuo credebat se semen posse suscipere: magnum opus cum dilectissimum non dubitaret offerre. Ecce qualis fuit eius oblatio & qualis debeat esse nostra. Debet enim fieri de re cara & pretiosa: quod notatur cum dicitur [*filium.*] *Malach. prim. Maledictus qui habet in grege suo masculum & offert debilem Deo.* Item debet esse de propria non aliena cum dicitur [*suum.*] *Ecclesiast. vigesimo-quarto. Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Item debet esse cum cordis alacritate & lætitia quod notatur cum dicitur [*Isaac*] qui interpretatur risus. *prim. Paralipomen. vigesimo-nono. In simplicitate cordis lætus obtuli omnia hæc.* Quarto cum debito honore & reuerentia, quod notatur cum dicitur [*super altare*] *Psal. 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. &c.*

Sed videtur falsum quod dicit: [*Nonne ex operibus* Quæstio.

bus

bus iuſtificatus eſt,] quia *Romanorum* 4. probat Apoſtolus quod Abraham ex fide iuſtificatus eſt non operibus. & *ibid.* dicitur: *credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: ibi Gloſſa Auguſtini:* non ex operibus iuſtificatus eſt ſed ex fide.

Reſponſio. Apoſtolus & Auguſtinus loquuntur de operibus præcedentibus fidem ſcil. operibus legalibus ut patet ibidem, ex quibus nullus plenè iuſtificatus eſt. hic autem loquitur de operibus ſequentibus fidem quæ dicuntur iuſtificare non ſecundum quod iuſtificatio dicitur iuſtitiæ infuſio ſecundum quod dicitur iuſtitiæ exercitatio vel oſtenſio vel conſummatio. res enim dicitur fieri quando perficitur vel innoteſcit.

Verſ. 22. *Videtis.* Hic adaptat ad propoſitum. [*videtis*] per exemplū ſc. Abrahæ. [*quoniam fides cooperabatur operibus illius:*] id eſt fides per quam ante iuſtus erat duxit eum ad opera. & [*ex operibus*] ſcilicet ſequentibus fidem. [*fides autem conſummata eſt:*] id eſt augmentata, & approbata, & oſtenſa. *Geneſ. vigeſimo-ſecundo. Nunc cognoui quod timeas Deum.*

Verſ. 23. *Et ſuperimpleta eſt:* per hoc ſcilicet quod filium ſuum offerebat, & tamen ſuſcitandum credebat dicens. *Gen.* 15. credidit Abraham Deo ſc. præcipienti & promittenti difficilia. [*Et reputatum eſt illi à Deo ad iuſtitiam*] ſcilicet maiorem, ipſum credere. [*& amicus Dei appellatus eſt:*] ab hominibus illius temporis: vel à Deo propter ſignum dilectionis Dei quod —— —— fuit offerre filium ſuum pro amore eius. non ſolùm paſſiuè, ſicut Iudas, ſed actiuè & paſſiuè.

Verſ. 28. *Videtis ergo,* id eſt videre poteſtis auctoritate ſcripturæ. [*quoniam ex operibus*] ſequentibus fidem [*iuſtificatur homo:*] id eſt, magis iuſtus efficitur. & in iuſtitia conſeruatur. [*& non ex fide tantum*] quando ſcilicet adeſt facultas operandi, alioquin fides ſufficit ut in latrone, cui dictum eſt propter fidem cordis & confeſſionem oris: hodie mecum eris in paradiſo. *Lucæ vigeſimo-ſecundo*

Verſ. 25. *Similiter & Rahab,* probauit exemplo fidelium hic ꝓbat exemplo infidelium. [*ſimiliter & Rahab meretrix. nonne ex operibus iuſtificata eſt*] ne accuſarentur opera tanti patris ſe imitari non poſſe, addit exemplum peccatricis mulieris, quæ per opera miſericordiæ & hoſpitalitatis ſoluta eſt à peccatis & annumerata generationibus ſaluatoris. quia etſi non poteſtis ſequi Abraham, ſequamini meretricem. ſed per quæ opera? ꝑ opera hoſpitalitatis & occultatiōis & inſtructionis quâ viâ reuerterentur: quæ omnia erant opera miſericordiæ. unde ſequitur [*ſuſcipiens nuncios*] exploratores urbis Iericho. *Ioſ.* 2. *Et alia via eiiciens, Gloſſ.* ne à viris ciuitatis occidērentur [*eiiciens*] per feneſtrā eos dimittendo. *Ioſ.* 2. quod autem habuit fidem antequam ſic operaretur, patet ex verbis ſuis: *Noui quod Dominus tradidit vobis terram.*

Verſ. 26. *Sicut enim corpus ſine ſpiritu,* hic probat exemplo omnium [*ſicut enim*] quaſi verè ea operibus hæ perſonæ perfectè iuſtificatæ ſunt. [*Sicut .n. corpus humanum mortuum eſt ſine ſpiritu*] carens ſenſu & motu. [*ita & fides ſine operibus mortua eſt*] quia à charitate operante quæ eſt vita eius ſeparata *Hieronymus.* Ille vero credit, qui exercet operibus ꝙ credit. *Hieronymus.* quid prodeſt ſi impie agis. Deū voce inuocans quem operibus negas.

Hieronymus.

Nota quod oportet nos habere fidem verā non fictam. 1 *Tim.* 1 *Charitas eſt finis præcepti &c.* Certam non dubiam. *ſupra.* 1. *Poſtulet aūt &c. Mat.* 13. *modicæ fidei.* unā non diuiſam. *Epheſ.* 4. *Vnus Deus, vna fides:* viuā non mortuam. *Habac.* 2. *Iuſtus ex fide viuit:* magnam non paruam. *Matth.* 15. *O mulier magna eſt fides tua &c.* feruidam non tepidam. *Matth.* 14. *Si habueritis fidem ſicut granum &c.* operoſam non otioſā: ut hic: *fides ſine operibus otioſa eſt.* firmam nō infirmā: *Col.* 2. *Gaudeo videns ordinem veſtrum & firmamentum fidei veſtræ:* animoſam non timidam: *Epheſ.* 6. *In omnibus ſuſcipientes ſcutum fidei:* perpetuam non tranſitoriam. *Tobiæ ſecundo Filii Sanctorum ſumus, & vitam expectamus quam Deus daturus eſt illis qui fidem non mutant.*

Cap. III.

Nolite plures magiſtri fieri &c. Supra inſtruxit Iacobus quantum ad modum ſe habēdi in his quæ ſpectant ad potentiam: Hîc informat quantum ad modum ſe habendi in his quæ ſpectant ad ſcientiam. Ad habendum autem ſe ordinatè in ſcientia, requiritur ordinatio cordis, oris, & conuerſationis: ideo

Hæc pars diuiditur in tres. In prima informat ſaluatos quantum ad ordinationem cordis.

In ſecunda quantum ad ordinationem ſermonis. [*Si quis in verbo non offendit.*]

In tertia quantum ad ordinationem conuerſationis: *quis ſapiens & diſciplinatus.* Ad informandum autem nos, quantum ad ordinem cordis reuocat nos ab indigno appetitu magiſterii, oſtendens duo pericula huius officii. Primum ea aggrauatione pœnæ, ſecundum eſt ea multiplicatione offenſæ, ibi: [*in multis enim offendimus.*] vel ſecundum aliam diuiſionem. Hic hortatur de malo quod eſt in extollentia ſui per officium magiſterii: ubi ab āmbitione magiſterii primò retrahit imperitos, ſecundo peritos: [*quis ſapiens*] In prima retrahit à deordinatione cordis: ſecundò oris. *ibi:* [*ſi quis in verbo non offendit.*]

Verſ. 1. Dicit ergo [*Nolite*] *Gloſſ.* ſicut monui vos ad bona opera facienda, ſic moneo vos ad vitanda ſtulta magiſteria. Huius autē ea hortationis neceſſitatem oſtendit *Bed. in Gloſſa.* Multi fuerunt tēporibus Apoſtolorum qui deſcendentes de Iudæa Anthiochiam non bene inſtructi in lege fidei docebant credentes ex gentibus debere circūcidi, & alios errores inducebant. Hos igitur ab officio verbi remouet. ne impendiant veros ꝓdicatores. unde B. Iacobus magis prohibet inſufficientiam q̄ frequenter oritur ex pluralitate, quàm pluralitatem. unde [*nolite plures magiſtri fieri*] plures id eſt diuiſi, quia in eo quod vera dicunt plures magiſtri, unus magiſter ſunt, quia officium vnius magiſtri cæleſtis peragunt. *Matth.* 23. *Vnus eſt magiſter veſter.* vel hoc dicit quia magiſterium ex neceſſitate eſt ſuſcipiendum, non ambitioſa voluntate appetendum. vel plures magiſtri dicuntur ratione inordinatæ intentionis quia quærunt temporalia, de animabus non curant. vel plures ſunt q aliud docent. vel [*nolite plures magiſtri fieri.*] id eſt idiotæ & ſtulti, niſi tantum diſcreti, & in ſcripturis docti. vel [*plures magiſtri:*] id eſt plurium Eccleſiarum rectores. unde *Gloſſ.* in pluribus Eccleſiis [*fratres mei*] quibus bona cupio.

[*Sicut-*

[*Scientes quoniam maius iudicium sumitis:*] scilicet damnationis. *Glossa.* qui indoctus officium docendi usurpat & Christum nō sinceriter nunciat, is maiorem damnationem meretur, quam si solus in in suo scelere periret. Et contra, qui benè docet maiorem gloriam acquirit. *Sapient. sexto. Iudicium durissimum his qui præsunt. fiet.* & verè periculosum est hoc.

Vers. 2. *Quia in multis offendimus omnes*, multò fortius qui aliis præsunt. *Glossa.* [*omnes*] non tantum nos minus eruditi, sed etiam nos maiores: *Gloss.* se illis connumerat, ut liberius arguat. aliter tamen offendit iustus, aliter iniustus ut tāgit *Glos.* nam iustus venialiter, carnis fragilitate, & cito resurgit, iniust⁹ mortaliter animi malignitate, nec p pœnitentiam resurgit. Sed obiicitur de hoc quod dicit: [*Nolite plures magistri fieri.*]

Quæstio. Secundum hoc videtur quod magistri veritatis non sunt multiplicandi, maximè in eadē Ecclesia ut tangit Glossa.

Responsio. Responsio. Ad hoc respondet *Glossa.* [*Nolite plures magistri fieri*,] n. si discreti & in scripturis docti. non ergo prohibet quantitatem sed qualitatem, quam cum nomine qualitatis significat, quia frequenter eam consequitur.

Si quis verbo non offendit. Hic instruit eos quantum ad ordinationem sermonis. Et primo ostenditur commodum cohibitionis linguæ. Secundo damna laxationis [*ecce quantus ignis.*] Tertio difficultas repressionis. [*omnis enim natura.*] In prima parte primò cōmoditas moderaminis linguæ ꝑponit. secundo probatur: [*potest enim fræno.*] tertio, probatio declaratur, per exempla equorū & nauium. [*si autem equis fræna.*] ubi primo ponit illa exempla, postea adaptat illa ad propositum: [*ita & lingua &c.*]

Dicit ergo: *Si quis &c.* & quasi verè in multis offendimus. Sed [*si quis in verbo non offendit:*] quasi dicat: rarus est *Gloss.* vult ostendere ineuitabilem offensionem verbi, ut imperitos deterreat ne cupiant ꝑlationem: q̃a qui cupit præesse, oportet aliis perfectionem esse ne offendat, dum debet ꝓdesse. [*hic perfectus est,*] *Gloss.* non alius.

Obiectio. Ex hoc videtur quod nullus sit perfectus, quia *Eccl. 19.* Quis enim qui non offendit in lingua.

Responsio. Loquitur de offensa in verbo doctrinę, à qua potest homo cauere bene. vel secundum Glossam loquitur non de offensa in verbis omnibus, sed de offēsa grauiori in verbis dolosis, aut detractoriis, aut mendacibus.

Responsio. *Potest enim fræno.* Hic probat quod perfectus est vir qui non offendit verbo; ratio talis est. qui potest corpus suū circumducere ad voluntatem suam ad opus bonum, hic perfectus est. Sed qui potest moderari linguā suam, potest ad libitum corpus suum circumducere ad opus bonum, ergo &c. prima per se nota est: media ostenditur duplici similitudine: prima sumitur à fræno, quo circumducitur equus iuxta voluntatem sessoris: secunda à gubernaculo, quo regitur nauis secundū placitum gubernatoris.

Dicit ergo *potest enim*: quasi qui non offendit in verbo hic perfectus est. [*potest enim fræno*] id est moderamine vel temperantia linguæ circumducere, id est ad voluntatem suam quando vult ducere [*totum corpus*] id est omnia membra sua corporis, ut Glossa. quia lingua inter cætera minus potest refrenari. Ideo dicitur *Eccl. 28. Verbis tuis facito stateram & frenos ori tuo rectos. & attende ne forte labaris in lingua tua.*

Vers. 3. *Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis*, id est ut consentiant nobis volentibus circumducere eos. [*& omne*] id est totum [*corpus illorum circumferimus.*] id est ad voluntatem nostram circumducimus. *Glos.* subaudi, multò magis in ora nostra debemus mittere. unde sicut dicit alia glossa. Similitudo de equis ad linguam, continentiam & facultatem refrenandæ linguæ ostendit. postea ponit aliam similitudinem.

Vers. 4. *Et ecce naues cū magnæ sint*, & ideo maiori impetu feruntur. & à ventis valentibus, id est à fortibus vel validis. [*minentur*] id est ducantur quadam violentia, sicut qui minantur. [*circumferuntur tamen à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit*] id est voluntas gubernantis, quæ bene dicitur impetus, quia non semper per deliberationem operatur, scil. quando naues impetu ventorum agitantur.

Vers. 5. *Ita & lingua modicum quidem membrum est*, in quantitate, sed magnum in virtute. [*& magna*] id est mentes hominum magnas [*exaltat*] id est exaltari facit in magnis prēmiis si custodiatur, vel etiam in magnis pœnis si nō custodiatur *Matt. 15. Ex verbis tuis condemnaberis.* vel [*magna exaltat*] se iactādo & alios adulando. Et nota quod sicut dicit *Glossa.* magnæ naues in mari mentes hominum in mundo significant. unde *Psal. 103. Hoc mare magnum & spatiosum *manibus.* Venti à quibus minantꝰ sunt appetitus mentium. Isti autem venti in mari huius mundi quatuor, à quatuor partibus flantes & fere totum mundum subuertentes. de quibus dicitur *Dan. 7.* quod *quatuor venti pugnabant in magno mari.*

*Forte redundat.

4. Venti.

Primus est tentatio præsumptionis: iste flat ab oriente, i. à nimia cōfidentia diuinæ misericordię, vel à nimia operum suorum pręsumptione.

Secundus ventus est tētatio desperationis: iste flat ab occidente, i. à diffidentia diuinæ misericordiæ & consideratione iniquitatis propriæ.

Tertius est tentatio mundanæ prosperitatis, qui flat à meridie, id est à prosperitatis consideratione.

Quartus verò est tentatio siue timor aduersitatis & miseriæ. Iste flat ab aquilone ex consideratione asperitatis pœnitentiæ. gubernaculum vero in isto mari est cordis intentio sicut dicit *Glos.* Qui ergo habet peruersam intentionē est sicut sopitus gubernator in medio mari amisso clauo.

Ecce quantus ignis: supra posuit commodum cohibitionis linguæ; hic ponit damna quæ proueniunt ex eius laxatione. unum est in quantum bonū consumit, vnde cōparatur igni. aliud in quantum mala cōmittit: vnde dicitur *vniuersitas iniquitatis*: primò ergo ponit ista duo damna in generali, secundò in speciali, ibi. *lingua constituitur in membris nostris, &c.*

Dicit ergo: *Ecce quantus ignis*: ita lingua modicum membrum est, & [*magna exaltat.*] [*& ecce*] id est in euidenti est. [*quantus ignis:*] id est quam paruus ignis. [*quam magnam syluam incendit:*] id est valde magnam. *Ecclesiast. 11. A scintilla vna augetur ignis. Gloss.* sic lingua incontinens magnam materiam perire fecit.

Vers. 6. *Et lingua ignis est*, id est inflammata sicut ignis. dicitur autem ignis ꝓpter sui nobilitatem,

siue velocitatem, quia vtrumque maxime mobile est: vel propter ardorem loquendi & alios inflāmandi. *Eccles. 20. apertio oris illius inflammatio est* [*vniuersitas iniquitatis.*] supple ipsa est, quia sicut dicit Glossa, p ipsam omnia facinora aut concinnātur ut latrocinia & stupra, aut patrantur ut piuria & falsa testimonia, aut defenduntur ut cū quilibet impius excusat malum q cōmisit, simulat bonum quod non fecit. vel dicitur [*vniuersitas iniquitatis*] quia per linguam peccat homo contra Deum, blasphemando & periurando. contra proximum detrahendo & conuitiando contra seipsum iactando, & sic euacuat omnia bona. [*lingua constituitur. &c.*] Hic ponuntur damna in speciali. unde dicit, [*lingua constituitur in membris nostris*] i. inter membra nostra. [*quæ maculat totum corpus:*] id est totam congeriem bonorum operum, quasi quorundam membrorum: & hoc quoad opera iam facta. sic accipitur corpus *Luc. 11. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* [*& inflammat rotam natiuitatis nostræ.*] i. cursum vitæ huius instabilem. unde fortunæ dicitur, & hoc quoad opera facienda. *Gloss.* inflammatur hęc rota natiuitatis nostræ igne linguæ: cū vitiū natiuæ perturbationis ineptiis & noxiis sermonibus accumulatur. [*inflāmata*] sc. lingua. [*à gehenna*] à suggestione diaboli, qui secundum Gloss. merito gehennæ comparatur, q a sicut gehenna semper ardet, ita diabolus ubicunque sit siue in aere siue sub terra secum fert tormenta suarum flammarum hic primo inuidendo malum suggerit: deinde per linguam aperitur, & postea per cætera membra ad effectum producit: sicut dicit Glossa.

Vers. 7. *Omnis enim natura &c.* Hic est alia pars in qua ostenditur difficultatis causa. [*inquietum enim malum est*] hæc autem difficultas ostenditur ex cōparatione ad alia: alia difficilè domabilia. unde dicit [*omnis enim natura &c.*] Ita hæc prædicta mala proueniunt ex lingua. & certè non est mirū quia est difficilis ad domandum. [*omnis enim natura bestiarum*] i. animaliū ferociū quadrupedū, [*vt leonum*] & huiusmodi, [*& volucrum*] ut aquilarum: [*& serpentium,*] quales sunt qui repunt in terra. [*& cæterorum animalium:*] siluestrium. [*domatur*] *Gloss.* quotidie, vel [*domatur*] i. domabilis & domita est. *Gloss.* est iam antea. [*à natura humana*] i. ab homine.

Quæstio. Sed quomodo est hoc verum cum multa videantur indomita.

Responsio. Resp. Potest dici quod loquitur pro statu primæ innocentiæ. vel [*omnis natura bestiarum,*] i. aliqua de omni, sc. de bestiis, volucribus & serpentibus &c. nam ut dicit Gloss. Narrat *Plin.* immanissimam aspidem in Ægypto à patrefamilias domitā & quotidie de *camera sua egressam, & à mēsa ei annonā accipere solitā. Narrat etiam *Marcellinus* tigridem mansuetam factam, ab India Anastasio Principi Missam. vel ut vult *Glossa,* hæc verba possunt intelligi metaphoricè. quidam enim sunt bestiæ, i. bestiales sensu & opere, ut prædones & homicidæ: quidam volucres, instabilitate: quidam verò serpentes, astutiā nocendi. & isti possunt facilius conuerti, quam lingua, à *malo refrenari. vnde sequitur.

Plinius.

** Cauerna in MS.*

** magistro alias.*

Vers. 8. *Linguam autem nullus hominum domare potest.*] i. regere quin labatur aliquo modo. *Gloss.* nullus est qui aliqñ in lingua non delinquat.

Obiectio. Sed contra *Psal. 38. Dixi custodiam vias meas, &c.*

Resp. Potest seruari à delicto graui, sicut doli detractionis, iactantiæ, sed nō *à leui semper. imò oēs offendunt, vel superfluè, vel ociose aliquādo. *Glos.* nullus Doctorum potest domare linguā verbosorum subditorum.

Solutio.

** Alieni MS.*

Inquietum enim est malum, hic ostenditur causa difficultatis repressionis linguæ: & ponit duplex: prima sumpta est ab inquietudine, secunda ab infectione: [*plena veneno*] tertiu hoc probat.

Vers. 9 *In ipsa benedicimus:* ubi primo pbat. secūdo improbat: [*non oportet*] tertiò exemplis cōfirmat: [*nunquid fons*] primo exemplo fontis. 2. exēplo arboris. [*nunquid potest*] 3. exēplo aquæ. [*sic neq; &c.*] quasi dicat ita nō potest domari. vel reprimi. [*quia inquietum malum est*] quia est membrum labile & lubricum: quia consistit in humido, vel non ita citò fatigatur sicut aliud membrum. *inquietum* dicitur, quia citò transit de malo in malum ut à conuitiis ad scurrilia, ab illis ad detractiones, vel quia citò transit de uno in alium & multos facit malos, vel eos offendendo vel exemplo corrumpendo. [*plena veneno mortifero*] *Glossa.* more veneni serpit de uno in alium transeundo. & dicit [*mortifero*] ferente mortem non corporis tantum sed animæ, ut patet in detractore, qui uno ictu tres interficit: scil. se loquentem, & libenter audientem & eum de quo loquitur impatienter sustinentem: & verè [*plena veneno*] quia ex ipsa pcedit benedictio & maledictio: unde [*in ipsa benedicimus Deum Patrem.*] id est totam Trinitatem, quæ Deus est per potentiam creationis: [*Pater*] p gratiam adoptionis. vel [*Deum*] id est filium cui appropriatur sapientia. Deus enim dicitur à Theos, quod est videns. [*& patrem*] cui appropriatur potentia. benedicimus in quā gratias agendo & laudando. [*& in ipsa maledicimus:*] apertè conuitiādo, vel occulte detrahendo: [*homines qui ad similitudinē Dei facti sunt*] *Gloss.* rationales, ut ipse est vel sicut ipse principaliter pest omnib⁹: ita & homines cæteris creaturis. unde similitudo accipitur ibi large pro omni conformitate ad Deum siue naturali siue gratuita. *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* dicitur autem factus ad similitudinem ex parte animæ, secundū tres potentias imaginis, & ex parte corporis secundū erectionē eius ad cælestia, & ex parte coniuncti secundum repræsentationem totius exemplaris quoad corporalia & spiritualia.

Vers. 10. *Ex ipso ore,* primo ex ore cordis, postmodum ex ore corporis. [*procedit maledictio*] in hominem: [*& benedictio*] in Deum qui est Creator hominis, quæ sunt res valdè cōtrariæ. & dicit. [*procedit*] ad exemplum aliorum: quia ut dicit Glossa: alia videntes q agimus, exemplo nostro inducuntur ut similiter faciant. [*Non oportet fratres mei hæc ita fieri*] *Gloss.* non est utile, sci. benedictionem & maledictionem procedere ex eodem ore. & hoc patet per exemplum.

Vers. 11. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* quasi dicat non: similiter nec aliquis debet dissoluere linguam in amaritudinem maledictionis & dulcedinem benedictionis. Sicut .n. tangit Gloss. si misces simul dulcē & amarā aquā, cōmixtione amaræ, dulcis in amaram vertitur, non amara in dulcem.

Quæstio. Si quæratur quæ est ratio quare potius dulcia in amarum quam amara in dulce vertuntur?

Res-

Responsio. Respondeo Dulce medium est in saporibus quod patet ex hoc quod sensus in medijs delectatur: amarum verò est extremum quod patet ex hoc, quod sensus tristatur in extremis. facile verò disceditur à medio, sed non facilè acceditur. Item probat exemplo arboris.

Vers. 12. *Numquid potest fratres mei ficus uvas, aut vitis ficus:* quasi dicat, non. Nam ut dicit *glossa*, sicut arbor amisso naturali fructu, fructum alterius arboris ferre non potest sic maledicus etsi benè loqui videatur, fructum benedictionis non habet. [*sic*] id est sicut fons & arbor. [*neq; salsa*] aqua scilicet. [*dulcem potest facere aquam*] immediate scilicet. potest tantum de aqua salsa fieri & extrahi dulcis per transcolationem factam in vase cereo misso in mare, ut docet Philosophus. Sicut etiam de mari exeunt flumina dulcia per transcolationem terræ.

Lingua mala multiplex. Nota linguam malam multiplicem: [*Tertiam,*] detractorum *Eccles.* 28. *Lingua tertia multos commovet.* [*falsam*] adulatorum. *Eccles.* 20. *qui edunt panem illius falsa lingua sunt.* [*Magniloquam*] superborum. *Psal.* 11. *disperdat Dominus universa labia dolosa.* [*vipeream*] hæreticorum *Iob.* 20. *occidet eum lingua viperæ* [*blasphemam,*] maledicorum: *Iob.* 15. *imitaris linguam blasphemantium, condemnabit te os tuum.* [*Dolosam*] hypocritarum. *Psal.* 119. *quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* [*Coinquinatam,*] luxuriosorum. *Eccles.* 51. *liberasti me à lingua coinquinata.* [*Iniquam*] advocatorum: *Prov.* 17. *malus obedit linguæ, & fallax obtemperat labijs mendacibus.*

Vers. 13. *Omnis sapiens & disciplinatus:* Supra instruxit Iacobus salvatos, quantū ad ordinationē cordis & sermonis, hic instruit eos quantum ad ordinationem conversationis, ubi primò monet eos facto potius quam verbo ostendere sapientiam suam. 2. ostendit quòd aliter non veram sed falsam habent sapientiam.

Vers. 14. *Quod si zelum amarum.* 3. describit sapientiam falsam: [*non est enim ista sapientia*] 4. e contra describit sapientiam veram: [*quæ autem de sursum est*] & primò à merito præsenti 2. à præmio futuro. [*fructus autem iustitiæ.*]

Dicit ergo: [*quis sapiens*] *glos.* non debetis citò effici doctores. quia [*quis est è vobis sapiens*] *glos.* cognitione. est enim Sapientia rerum humanarum atq; divinarum cognitio, ut dicit *Augustinus.*

Augustinus. [*& disciplinatus*] exercitio vitæ ut dicit *glossa.* Nā ut dicit *Augustinus*, disciplina est ordinata morum correctio. Hoc petit *Psalmus. bonitatem & disciplinam & sapientiam & scientiam doce me.* [*quis*] quasi dicat rarus. [*ostendat ex bona conversatione:*] scil. exteriori. *glos.* prius discat bene operari quam alios instruere, ut bene conversando totet vos exemplum aliorum possit esse. *Act.* 1. *cœpit Iesus facere & docere.* *Bernardus.* *Efficacior est vox*

Bernardus. *operis quam sermonis, nec sufficit doctori facere sed etiam ostendere. Math.* 5. *Sic luceat lux vestra &c.* 1. *Pet.* 2. *conversationem vestram inter gentes &c.* [*& hoc in mansuetudine sapientiæ:*] id est sine indignatione, ne propter suam sapientiam & bonam operationem despiciat alios ut dicit glossa. debet enim sic ostendere exempla perfectionis ne propter hoc indignetur contra imperfectos, & despiciat eos. [*sapientiæ*] id est sapienti vel discretæ: vel quam sapientia facit. [*Quod si Zelum amarum*] indignationis, respectu aliorum. Quia de malis indignatio dicitur zelus quantum ad animi commotionem: [*amarus*] quoad annexam perturbationis anxietatem. [*& contentiones*] dissentionis de bonis. & dicit [*contentiones*] pluraliter, quia frequenter difficile est non contendere, sed contentionibus deservire & eas frequentare. hoc turpe est. 1. *ad Cor.* 11. *Si quis videatur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus neq; ecclesia Dei.* [*sunt in cordibus vestris:*] quamvis non prorumpant in verba ut dicit glossa. [*nolite gloriari*] de sapientia superbiendo, aut ex hujusmodi sapientia gloriam æternam spernando. [*& mendaces esse*] disciplinam quam non habetis simulando, quia ut ait. *Hieronymus.* vera justitia compassionem habet, falsa indignationem. [*adversus veritatem*] id est Christum qui est veritas. *glos.* nolite mentiri Deo cui in baptismo promisistis abrenunciare pompis Diaboli, quod non facitis cum de bonis operibus superbitis.

Aliter exponitur in glossa, quoad principium sic. [*quod si zelum habetis*] quoad Deum, ut faciatis bona opera & placentia ei. [*amarum*] quoad proximum, verbis indignantibus ipsum exasperando & despiciendo. [*& contentiones*] id est fervores contendendi. [*sunt in cordibus vestris:*] etsi in verba non prorumpitis. [*Nolite gloriari:*] ut prius. Notandum autem quod quadruplex est Zelus. scilicet *ignarus. Rom.* 10. secundum aliam literam: legem habent, æmulationem Dei habent sed non secundum scientiam &c. Item [*amarus:*] *Iac.* 3. *quod si zelum amarum habeatis. &* 1. *ad Cor.* 3. [*Malignus:*] *Sap.* 1. *nolite zelare mortem in errore vitæ.* Item [*bonus*] *Psal.* 68. *zelus domus tuæ comedit me.*

Vers. 15. *Non est enim ista sapientia:* Hic describit sapientiam falsam. merito in tali sapientia non est gloriandum. [*non est enim ista sapientia:*] quæ est scil. cum indignatione ad alios, & contentione. *glossa.* inflata & indignans. [*de sursum descendens*] id est non est à Deo à quo est omne bonum. supra. 1. Omne datum optimum: sed potius deorsum ascendens.

Contra *Eccles.* 1. *omnis sapientia à Domino Deo est.*

Resp. Sapientia est à Deo, sed malus usus non est à Deo. sicut *Rom.* 7. *prudentia carnis mors est.* vel potest dici quod ista sapientia de qua loquitur hic non est sapientia secundum existentiam, sed secundum apparentiam. nam de vera sapientia dicitur quod non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed gaudium & lætitiam. [*sed terrena*] id est terrenæ gloriæ cupida *animalis:* quærens voluptuosa & carnalia, in quibus delectatur sensus, motus animalium, non spiritualis, in quibus gaudet Spiritus. [*& Diabolica:*] quærens dignitates quas suggerit Diabolus. vel [*terrena*] propter concupiscentiam carnis. [*Diabolica*] propter superbiam vitæ 1 *Iohan* 2. *omne quod est in mundo &c.* vel [*terrena*] propter divitias. [*animalis*] propter delicias. [*Diabolica*] propter honores. & vere [*non est à Deo:*]

Vers. 16. *Ubi enim est Zelus:* id est indignatio animi. [*& contentio*] id est dissensio in verbis quæ

frequenter ſequitur ex indignatione animi. [*ibi inconſtantia*] id eſt inſtabilitas in booo. nec mirum qoia non habet firmum humilitatis fundamentum. [*& omne opus*] interius & exterius. [*pravum*] in malo, quia ex mala arbore nun poteſt procedere niſi malus fructus *Math.* 7. vel ſic. [*ubi eſt Zelus*] id eſt invidia. [*& contentio*] in verbis. [*ibi inconſtantia* :] id eſt progreſſus in peccatis. quia talis noo ſtat in uno malo, ſed à malo cordis procedit ad malum otis, & ab illo ad peccatum operis.

Verſ. 17. *Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia* : hic deſcribit veram ſapientiam à merito & primò à merito qood conſiſtit in operatione boni : ſecondò ab eo quod coonſiſtit in declioatione mali: [*non indicans*] à merito in operatione boni dupliciter. primò ab eo quod facit homo per ſe 2. ab eo quod facit homo excitatus aliunde. [*ſuadibilis*] Booum quod facit homo per ſe vel pertinet ad ordinationem concupiſcibilis, ſic dicitur [*pudica* [vel iraſcibilis ſic, [*pacifica*] vel rationalis, [*ſic modeſta*] Booum autem quod facit homo excitatus alionde, vel facit excitatus alterius verbo; [*ſuadibilis*] vel alterius exemplo, [*bonis conſentiens*] vel alterius in eommodo : [*plena miſericordia*] [*non indicans*] hic tangitur meritum ſapientiæ in mali declinatiooe. primò ne fallatur [*non iudicans*] ſecundo oe fallat: [*ſine ſimulatione.*]

Dicit ergo: [*quæ autem de ſurſum eſt ſapientia*] id eſt à Deo. *Eccleſ.* 1. *fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* [*primum quidem pudica eſt :*] id eſt caſta in ſe, hic eſt primus color io pictura ſapientiæ, qoa format imaginem Dei in anima per peccatum deformata, ſcilicet candor pudicitiæ. *gloſ.* oiſi primum pudicitia ſedeat in meote, nulla perfectio ſequitur in opere. [*Deinde pacifica:*] ad proximom. *gloſ.* Per elationem ſe à Deo vel à proximorum ſocietate non diſiungit. [*pacifica*] id eſt hominem pacificans cum Deo, hominem cum homine, & in eodem homine ſpiritum cum carne, ut carnem ſibi ſubijciat. [*modeſta*] in operibus ſois modum teneus. modos eſt ſtare in medio, nec modom excedens, nec infra ſubſiſtens nec parvum nec minus.

Eſt modus in rebus ſunt certi deniq; fines.
Quos vltra citraq; nequit conſiſtere rectum.

[*Suadibilis.*] ab alijs, in corrigendis defectibus ſois. *gloſ.* Si in aliquo minus agit propter negligentiam vel ignorantiam, ſoaſioni booorum aſſeoſum præbet : cui ergo ſuaderi noo poteſt, ſecum errasse recognoſcat ; ſapientia caret. [*bonis conſentiens*] amando & promovendo aliorom bona. & etiam imitando. gloſ. quæ boois placet ſibi nō diſciplent. [*plena miſericordia*] relevando aliorum mala pœnæ. [*& fructibus bonis*] id eſt bonis operibus. [*miſericordia*] quantum ad affectū per bonam operationem. unde *gloſſa.* [*fructibus bonis*] id eſt pænitentiæ operibus, jejuniis, vigiliis, orationibus. [*non iudicans*] quoad intentionem aliorum, judicio, ſcil. ſuſpicionis vel coodemnatioois. *Math.* 6. nolite judicare & non judicabimini. [*ſine ſimulatione*] quoad intentionē propriam. gloſ. non poſtulat videri doctior vel ſanctior quam eſt, oe laceret proximom ad commendationem ſui, quod contentioſa ſapientia facit : ſcit enim quod ſimolatores & callidi provocant iram Dei. *Iob.* 36. & quòd ut ait *Auguſtinus*, *ſimulata æquitas non eſt æquitas ſed duplex iniquitas.*

Poſſent autem hæ octo conditiones ſapientiæ reduci ad octo beatitudioes. *Math.* 5. ipſa quidem ſapientia [*pudica eſt*] per monditiam cordis [*pacifica*] per pacificationem: [*modeſta*] per paupertatem: [*ſuadibilis*] per mititatem : [*bonis conſentiens*] per eſuriem iuſtitiæ. [*plena miſericordia*] per miſericordiæ amorem. [*non judicans*] ſed rō patiens per luctum. Aliqui libri habeot : [*iudicans*] ſine ſimulatione.

Taoguntur autem ſeptem conditiones ſecundum ſeptem peccata mortalia.

Primò facit hominem pudicum contra luxuriam.

2. Pacificum contra ſuperbiam : oam inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt.

3. Modeſtum contra gulam.

4. Suadibilem ſive manſuetum contra iram.

5. Bonis conſentientem contra iovidiam.

6. Plenam miſericordia, contra avaritiam.

7. Iudicans ſive ſimulatione contra acidiam, quæ ſimulationem ſemper prætendit. [*ſine ſimulatione*] per tolerantiam perſecutionum.

Verſ. 18. *Fructus autem iuſtitiæ* : Hic deſcribit eam à præmio. quaſi, ſicut dicit *gloſſa*: non ſolum lum propter prædicta debetis huiuſmodi ſapiētiam appetere, ſed ideò [*quia fructus*] id eſt merces [*iuſtitiæ*] quæ pro juſtis operibus redditur, & dicit juſtitiæ quia ipſa eſt vera ſapientia *Iob.* 28. *Ecce timor Domini ipſe eſt ſapientia.* [*in pace*] id eſt in ſpe pacis æternæ. [*ſeminatur*] & ad habendum præparatur. ſeminatur inquam [*facientibus*] id eſt ad utilitatem facientium. [*pacem*] *gloſ.* opera pacis. *Iſai.* 32. *Erit opus iuſtitiæ pax.* 1. *ad Cor.* 9. *quæ ſeminaverit homo hæc & metet.*

Caput IV.

V*Nde bella & lites &c.* Supra informavit Iacobus quantum ad modum ſe habendi in his quæ pertinent ad potentiam & ſcientiam : hic informat quantum ad modum ſe habendi io his, quæ pertinent ad divitias, ut ſic revocet à cupiditate : & quia circa divitias homo deordinatur dupliciter, primò per coocupiſcentiam in appetendo. 2. per avaritiam in retinendo, ideo primò inſtruit contra concupiſcentiam acquirendi.. 2. contra avaritiam retinendi. 5. *cap.* [*agite nunc divites.*]

Vel ſic : Supra 2. capite dehortatus eſt à malo, qood eſt in contemptu proximi. Supra 3. à malo qood eſt io excellentia ſui per appetitum magiſterij. hic dehortatur eos à malo quod eſt in concupiſcentia mundi, & hoc tribus modis. Primò oſtendendo mala mundanæ concupiſcentiæ. 2. exhortando ad ſtatum pœnitentiæ. [*ſubditi eſtote Deo*] 3. declarando incertitudinem humanæ vitæ : [*ecce qui nunc dicitis :*] In prima parte mala quæ ſequuntur mundi concupiſcentiam oſtendit : Et primò mala reſpectu proximi. 2. mala reſpectu Dei : [*Adulteri neſcitis*] Malorū reſpectu proximi primò cauſam inquianimi. [*& contentio*] id eſt diſſenſio in verbis quæ

rit. a.

tic. 2. multa mala exponit. [*concupiscitis &c.*] 3. damnum consequens ostendit. [*petitis & non accipitis &c.*]

Vers. 1. Dicit ergo: [*unde bella*] *glos.* quasi ex sapientia habetur pax hic & in futuro: sed è contra in vobis [*unde bella ?*] id est impugnationes in factis. [*& lites*] id est impugnationes in verbis. [*in vobis*] id est inter vos. [*nonne ex concupiscentiis vestris*] interioribus. *glos.* quod mens prava suggerit, manus & lingua intemperatæ obedit. cum tamen scriptum sit: *Ecclesi. 18. post concupiscentias tuas non eas.* Ex concupiscentias dicit pluraliter, quia plures sunt. quia ergo malè concupiscitis divitias, ideo lites & bella sunt in vobis: quę inquam concupiscentiæ militant, id est pugnant & dominantur sicut ille qui militat dominatur equo suo. [*In membris vestris*] quia concupiscentia dominator membris & eius imperio membra moventur ad divitias adipiscendas & concupiscentias exequendas, & hoc in factis exterioribus.

Vers. 2. *Concupiscitis &c.* Posita radice mala, determinat ramos eius: primus est rei alienæ desiderium. [*concupiscitis*] 2. personæ possidentis odium. [*occiditis*] 3. ostendit que effectum. [*litigatis*] Dicit ergo, [*concupiscitis*] id est ex concupiscentis desideratis, [*& non habetis*] scil. quod concupiscitis. immo divitiæ quandoq; fugiunt appetentes, sicut umbra fugit sequentem eam. *Ecclesi. 11. si secutus fueris non apprehendes.* [*occiditis*] ecce odium exterius. & hoc, ut dicit *glossa* ut habeatis, & si non audetis occidere. [*Zelatis*] id est invidetis: ecce odium interius. Nam invidia est odiū felicitatis alienæ. *glos.* qui cupit præferri vel temporalibus abundare, odit invidet, occidit. ex hoc enim quod aliquis appetit propriam excellentiam, considerans eam per alienam felicitatem impediri vel diminui, invidet ei, & cum non potest illud destruere persequitur personam. [*& non potestis adipisci*] illa pro quibus occiditis & zelatis. [*litigatis*] coram judice volendo obtinere per violentiam vel per calumniam, sub pallio justitiæ. [*& belligeratis*] volendo obtinere per violentiam injuriæ manifestè: [*& non habetis propter hoc*] scilicet quòd non postulatis, à Deo dignè. *glos.* Si eum pia intentione postularetis, etiam temporalia necessaria ad usum, non solum sempiterna daret, & quia possent dicere imò quotidiè petimus. respondet: [*petitis*] aliquando, & tamen [*non accipitis*] quod petitis, eò quod malè petatis, petentes omnino transitoria & non spiritualia.

Contrà quod *Math. 6. primum quærite regnum Dei*, vel sic: [*eo quod petatis*] id est ex malo amore, quo temporalia Deo præponentur. unde glossa: magis illa quam Deum amatis. ut,

Vers. 3. *In concupiscentiis vestris insumatis*: id est consumatis vos ipsos scilicet. tanto enim desiderio petitis ut ipso desiderio consumamini. unde alia litera, ut [*insumamini*] id est consumamini. vel [*insumatis ea,*] scilicet quæ petitis. [*in concupiscentiis vestris*] saturandis scilicet & explendis. quasi dicat malè petitis, quia petitis superflua non necessaria, nociva non utilia. vel ut [*in concupiscentiis vestris insumatis:*] id est non sumatis propter hoc quod male petitis.

Quæstio. Sed quæritur de hoc quod dicit *petitis & non accipitis.* Contra *Math. 7. petite & accipietis.*

Resp. Hoc verum est si adsunt conditiones quæ faciunt orationem efficacem scil. pro se, piè, perseveranter & ad salutem.

Adulteri: Hic ponit mala mundanæ concupiscentiæ respectu Dei. primò quod facit inimicum Dei: 2. quia est contrà scripturam Dei: [*an putatis*] 3. quia impedit gratiā Dei, propter quod dicit: [*Deus superbis &c.*]

Vers. 4. Dicit ergo: [*Adulteri*] qui relictâ gratia Dei tanquā sponsa fornicamini cum mūdi concupiscentia. Est autem gratia Dei sponsa multorum secundum illud: *Sap. 8. proposui illam sponsam mihi assumere.* vel [*adulteri*] scilicet non quærentes fructum prolis spiritualis, sed voluptatem in divitijs & delitijs relicto sponso scilicet Christo. [*nescitis*] quasi hoc ignorare non debetis. [*quod amicitia huius mundi*] qua scilicet amator hic mundus. mundus verò hic intelligitur vanitas mundi, non substantia mundi: sicut ibi. 1. *Iohan. 2. Nolite diligere mundum &c.* inimica est Deo, quia est contraria caritati. *Augustinus. venenum charitatis est spes adipiscendi vel retinendi temporalia.* ergo [*quicunque ergo quicunque*] nullo * excepto: [*voluerit amicus esse:*] activè id est amator. [*seculi huius.*] seculum sonat hic in vitium, non in naturam, secundum illud *Luc. 16 filii seculi huius prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.* vel [*amicus huius seculi:*] diligendo supra Deum, ea quæ sunt huius seculi. [*inimicus Dei constituitur:*] id est firmiter scil. æternaliter statuitur, eo scil. ipso quod temporalia præponit Deo. In hoc autem quod dicit [*voluerit*] notatur libertas arbitrij. In hoc etiam notatur quod non solum qui est amicus, sed etiam qui vult esse amicus huius seculi quamuis non possit esse est inimicus Dei. * *excepto MS.*

Vers. 5 *An putatis:* quasi putare non debetis [*quod inaniter*] id est falso & sine ratione, quod esse nō potest cū sit scriptura veritatis. [*scriptura*] sacra quæ sc. antonomasticè scriptura dicit [*dicat*] id est loquitur de hac materia, suadēdo separationé ab amore mundi *Deut. 7. non inibis fœdus cum eis;* scil. cum alienigenis, amatoribus mundi. & *Rom. 12. nolite conformari huic sæculo.* vel potest cōstrui cū sequentibus. [*An putatis quod inaniter scriptura dicat*] hanc scil. sententiam quæ sequitur. [*ad invidiā concupiscit spiritus &c.*] quasi dicat verè inimic⁹ est: à spirit⁹ divinus non facit concupiscentiā sed dat grat ā: spirit⁹ verò mūdanus è cōtrariò. tamen verbum istud multipliciter exponitū. uno modo de Sp. Sancto: alio modo de spiritu humano. De Spiritu Sancto potest legi primo modo interrogativè sic: [*Spiritus Sanctus qui habitat in vobis*] per gratiā baptismi. [*concupiscit ne ad invidiam*] id est ut invideatis alijs super eorum temporali felicitate? quasi dicat, non.

Vers. 6. *Autem:* pro sed [*maiorem dat gratiam*] id est maiora dona gratuita, quam sint hujus temporalia, ex quibus nascitur invidia. Secundo modo remissivè legitur & hoc dicitur dupliciter, primo modo de invidia mala: sic Spiritus Sanctus. [*concupiscit*] id est desiderat quia desiderare facit ad invidiam, id est contra invidiam scilicet ut tollatur invidia: nec solum hoc facit; [*autem,*] sed ut ipsa tollat [*maiorem dat gratiam*] id est augmentū gratię. secūdo modo de invidia bona sic. [*spiritus*] Sanctus

ctus ſcil. [*concupiſcit*] id eſt concupiſcere facit. [*ad invidiam*] mundi ſcil. hoc eſt ut mundo invideatis & ipſum odio habeatis. Alio vero modo exponitur De ſpiritu humano ſic. [*ſpiritus*] hominis, id eſt affectus hominis corruptus, concupiſcit res aliorum. [*ad invidiam*] id eſt propter invidiam, quæ invidet bonis aliorum, reputans ſe illis inferiorem. *Iob.* 5. *parvulum occidit invidia.* [*autem*] pro ſed. [*maiorem gratiam*] id eſt augmentum gratiæ, contra hujuſmodi concupiſcentiam. [*dat*] ſcil. Deus, cuius ſolius eſt dare gratiam: nec addit ſuppoſitum, quia intelligitur in actu verbi, cum ſit exceptæ actionis: ut ſulgurat tonat & hujuſmodi. prima lectura magis cõvenit literæ. ꝓpter q̃ gloſſa dicit, ut ſciatur q̃bus dat gratiã, & q̃bꝰ non. [*dicit ſcriptura*] vel ſpiritus in ea *Prov.* 3. ſecundum aliam literã. ubi nos habemus: illuſores ipſe deludet. & manſuetis dabit gratiam. vel poteſt dici quod innitur de illo loco. Prov. 29. ſuperbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. [*Deus ſuperbis reſiſtit*] *gloſ.* Deus * ſpiritualiter ſuperbis dic̃ r̃ reſiſtere quia maiori pæna plectuntur, qui Deo ſubdi pænitendo negligunt, & ita non facit invidere, quia ex ſuperbia naſcitur invidia. [*humilibus autem*] id eſt vacuis [*dat gratiam*] ſcil. maiorem, ut patet in beata virgine. *Luc.* 1. quia reputant ſe vacuos, & ideò magis habent de capacitate *Pſal.* 103. *inter medium montium pertranſibunt aquæ.*

* Specialiter le: gloſſ.

Subditi eſtote: Hîc dehortatur concupiſcentiã mundi, exhortaudo ad ſtatum pænitentiæ. primò docens qualiter ſe habeant ad Deum: 2. qualiter ad proximum: [*nolite detrahere &c.*] concupiſcentia quippe mundi generat in eis contemptum Dei, & odium proximi, qualiter autem ſe habeant ad Deum oſtendit in quinq; conditionibus. primò in ſubjectione. 2. in motum imitatione: [*appropinquate*] 3. in purificatione: [*emũdate*] 4. in contritione: [*miſeri eſtote*] 5. in humiliatione: [*humiliamini.*]

Verſ. 7. Dicit ergo [*ſubditi eſtote*] *gloſ.* q̃ a humilibus dat gratiam. [*ſubditi eſtote*] Deo p obedientiæ ſubjectionem. *gloſ.* voluntatem Dei implete. 2. *Mach.* 9. *Iuſtum eſt eſſe ſubditum Deo.* Et quia nullus poteſt eſſe ſubditus Deo niſi reſiſtat inimico ſuo ſc. Diabolo: ideo ſequitur: [*reſiſtite diabolo*] *gloſ.* mala ſuggerenti. [*reſiſtite*] declinando tentationes adverſitatum. [*& fugiet à vobis*] ſic victus & confuſus: non enim poteſt vincere niſi volentem. unde eo ipſo quod reſiſtetis victus eſt & cõfuſus, & ita fugiet 1. *Pet.* 5. *cui reſiſtite fortes in fide.*

Verſ. 8. *Appropinquate Deo*: per motũ imitatior ẽ. *gloſ.* per bona opera. *Auguſtinus.* Deus ubiq; eſt, cui non locis ſed moribus appropinquamus. [*& appropinquabit vobis*] per gratię infuſionem & gloriæ præparationem. *Math.* 4. agite pænitentiam: apppropinquavit enim regnum cælorum. Nota quòd quantumcunq; aliquis elongatus eſſet à Pariſijs appropinquaret eum ſecundum quod ipſe appropinquat Pariſius: citò eſſet Pariſiis. Ita quantumcunq; peccator ſit elongatus à Deo citò erit ad Deum, quia ſecundum quod ipſe appropinquat Deum, Deus appropinquat eum, imo magis. Exemplum de filio prodigo. *Luc.* 15.

Et nota quod quatuor bona conſequitur homo ex hac appropinquatione:

Primum eſt mentis illuminatio reſpectu cognoſcendorum: *Luc.* 18. dicitur de cæco *cum appropinquaſſet interrogavit eum Ieſus quid vis &c.* Et ſequitur quod illuminavit eum.

Secundum eſt inſtructio reſpectu operandorum: *Deut.* 33. *Qui appropinquat pedibus eius accipiet de doctrina illius.*

Tertium eſt recuperatio divinæ gratiæ *Iac.* 4. *appropinquate Deo.*

Quartum eſt delectatio internæ lætitiæ. *Pſal.* 148. *Hymnus omnibus ſanctis eius filiis Iſrael, populo appropinquanti ſibi.*

Sed obijcitur contra hoc quod dicitur *reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis.* Contra *Iob.* 15. *non eſt poteſtas ſuper terram &c.* Obiectio.

Reſp. Sine adjutorio Dei non poſſumus ſufficienter, cum adjutorio poſſumus: illud tamen adjutorium eſt nobis promptum & paratum, & ideo niſi illud habeamus, nobis eſt imputandum. Nota exemplum de illo, qui eſt in tenebris & poteſt aperire feneſtram & illuminari, quod benè debet imputari ei quod eſt in tenebris. Vt autem appropinquare poſſitis, quia longè à peccatoribus ſalus, & filius luxurioſus abijt in regnum longinquum *Luc.* 15. [*emundate*] id eſt extra mundate: [*manus*] id eſt opera. quaſi purgate vos à malis operibus. de quibus. *Iſai.* 1. *manus enim veſtra ſanguine plena ſunt.* vel [*emundate manus*:] id eſt innocentiam manuum habere, id eſt ceſſare à malis operibus. *Iob.* 22. *ſalvabitur innocens*: ſalvabitur autem in munditia manuum ſuarum. [*O peccatores*] qui hactenus fuiſtis peccatores: & poteſt hoc referri ad peccata carnalia. [*& purificate corda*] quaſi non tantum manus à malis operibus, ſed etiam [*corda*] à pravis cogitationibus, ut ſitis mundi corde *Math.* 5. *beati mundo corde &c.* perfecta enim purgatio ab interiori incipit, ſcil. ab humorum interiorum purgatione. iſti enim medici quando volunt curare ab una magna infirmitate primo purgant interiores humores; & poteſt hoc referri ad peccata ſpiritualia. Reſponſio.

Sed quid eſt quod dicit *purificate corda veſtra*? Dicitur enim *Act.* 15. *fide purificans corda eorum*: ergo homo non purificat ſed fides? Obiectio.

Reſp. Deus purificat efficiendo, fides informando. homo peccatum deteſtando & ita ſe ad hoc diſponendo. [*duplices animo*] ſecundum *gloſſam* duplices vocat eos ut ſimul temporalia & æterna, Deum & Mundum diligunt. *Eccleſ.* 2. *væ duplici corde.* ut autem emundari & purificari poſſitis. Reſponſio.

Verſ. 9. *Miſeri eſtote*: id eſt miſeriam veſtram recogitate & recognoſcite in quantum ſcil. per peccatum incidiſtis. vel [*miſeri eſtote*] miſeria doloris interioris. [*& lugete*] ſignu doloris exterioris. *Pſal.* 6. *lavabo per ſingulas noctes &c.* vel [*miſeri eſtote*:] pro commiſſis. [*lugete*] pro omiſſis. vel [*miſeri eſtote*] pro gloria quam amiſiſtis. [*lugete*] pro pænitentia cuius debitores facti eſtis. [*riſus veſter*] id eſt gaudium exterius. [*in luctum convertatur*] doloris ſcil. exterioris. niſi enim cõvertatur in luctum momentaneum in præſenti, convertetur in luctum æternum in futuro. *Prov.* 14. riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus

dij luctua

dij luctus occupat. [*& gaudium*] interius quo gaudebatis in peccatis. [*in mærorem*] scil. doloris interioris. si enim gaudium momentaneum in præsenti vertitur in mærorem momentaneum, hujusmodi mæror momentaneus postea in futuro scil. vertetur in gaudium æternum. *Ioh. 16. tristitia vestra vertetur in gaudium.* Vt autem hæc commutatio valeat fieri.

Vers. 10. *Humiliamini*, humiliatio enim veniã impetrat 4. *Reg. 21. Nonne vidistis Achab humiliatum coram me? ideirco non inducam malum &c.* [*in conspectu Dei*] idest in humilitate vera non ficta, interiori non tantum exteriori. *Est enim qui nequiter se humiliat. Eccles. 19.* Et nota quod dicit [*humiliamini*] non alius humiliet vos, ut sit humiliatio voluntaria non necessaria. Nec dicit [*humiliamini*] caput, vel vestem, vel habitum, sed simpliciter cor scil. vestrum: quia tales exaltat Dominus. unde sequitur: & [*exaltabit vos*] merito scil. humilitatis. Simile: 1. *Pet. 5. humiliamini sub potenti manu Dei ut vos exaltet.* Vita enim præsens & futura sunt quædam statera in qua sunt duæ partes, & secundum quod una magis deprimit & abijcit se in præsenti, magis elevabitur in futuro. Vnde qui se humiliat exaltabitur *Luc. 18.*

Miseri estote & lugete: Hic notatur quod propter quatuor est lugendum.

Primò propter incolatum præsentis miseriæ: quod notatur ibi: [*miseri estote:*]

Secundo propter transgressionem culpæ, quod notatur ibi: [*& lugete:*]

Tertio propter imminentem damnationẽ pænæ quod notatur *ibi*: [*risus vester convertetur in luctum:*]

Quarto propter gratiam reconciliationis obtinendæ, quod notatur *ibi*: [*& gaudium in mærorem.*]

Hic autem quatruplex fletus significatus fuit per quadruplicem fletum Domini; quorum.

Primus fuit in infantia ad modum aliorum infantium.

Secundus super Lazarum *Ioh. 11. & lachrymatus est.*

Tertius super civitatem Hierusalem.

Quartus in cruce propter nostram reconciliationẽ. *Heb. 5. cum clamore valido & lachrymis &c.*

Et nota quod multiplex est miseria.

Miseria multiplex. Prima est culpæ originalis *Iob. 3. quare misero data est lux & vita his qui in amaritudine animæ sunt.*

Secunda peccati actualis. *Prov. 14. miseros facit populos peccatum.*

Tertia innatæ fragilitatis *Iob. 14. homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis.*

Quarta mundanæ paupertatis *Iob. 30. qui mandebant arborum cortices squalentes calamitate & miseria.*

Quinta humanæ persecutionis 1. *Machab. 14. miserias Iudaeorum prosperitates rerum suarum arbitrantur.*

Sexta diabolicæ tentationis. *Iob. 30. aperta janua irruerunt super me & ad meas miserias devoluti sunt.*

Septima æternæ calamitatis &c.

Octava pænitentiæ salutaris, ut hic & *Psal. 11. propter miseriam inopum & gemitum pauperum.*

Nolite detrahere: Hic docet qualiter se habeant ad proximum ut scil. alter alteri non detrahat, à quo retrahit triplici ratione. prima est quia per hoc fit injuria legi sive juri. 2. per hoc fit injuria judici scil. legislatori. [*si autem judicas*] 3. quia per hoc fit iniuria proximo qui iudicatur. [*tu autem quis es &c.*]

Vers. 11. Dicit ergo [*nolite detrahere*] *glos.* non solum erga Deum ita vos habeatis sed etiam erga fratres boni sitis & ideo nolite [*detrahere*] alterutrum fratres, id est unus alteri malum imponendo, vel augmentando, vel bonum adnihilando vel diminuendo. *Sap. 1. à detractione parcite linguæ. Prov. 4. remove à te os pravum & detrahentia labia sint procul à te.* Est autem detrahere, aliquid de bono minuendo trahere. Et nota quod dicit [*nolite*] ut sic prohibeat voluntatem, multi enim non detrahunt, qui libenter detraherent si auderent: sed non audent propter bonos. *Prov. 24.* abominatio hominum detractor. [*qui enim detrahit fratri*] ore bona eius detrahendo, [*aut judicat fratrem,*] corde, ipsum propter mala condemnando: *detrahit legi*: quæ hoc prohibet, & lex vetus. *Levit. 19. non eris criminator nec susurro in populis*: & nova *Math. 5. Nolite iudicare &c.* [*& judicat legem:*] eam malam reputando & vituperando, & si non secundum rem tamen secundum suam reputationem quia legẽ transgreditur, nec curat de eius observantia ac si esset mala, vel non bona [*si autem judicas legem*] eam quasi vituperando dum ipsam transgrederis. judicare enim de lege nemini licet postquam statuta est, sed secundum ipsam: ut dicit *Augustinus.* [*non es factor legis*] ut legi subditus & obediens. Contra illud supra 1. estote factores verbi & non auditores. [*sed judex*] *glos.* vituperator, ratione contemptus. Et certe judex legis non debes esse, quia unus est legislator principalis & Dominus, licet alii sint ministri, scil. Christus qui legem dedit, ut impleretur. *Psal. 83.* benedictionem dabit legislator.

Vers. 12. *Et judex*: iustus omnium, qui judicabit secundum illam legem. *Act. 10. ipse constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum. Isai. 33. Dominus rex noster, Dominus legifer noster Dominus judex noster, ipse salvabit nos.* [*qui potest perdere*] legis suæ transgressores. [*& salvare*] legis suæ observatores. 1. *Reg. 2. Dominus mortificat & vivificat.*

Vers. 13. *Tu autem*: quasi ex quo tu non es legislator. [*quis es*] id est cuius autoritatis vel sanctitatis. [*qui judicas*] condemnando proximum tuum tibi parem, aut te meliorem. par enim in parem non habet imperium, nec minor in maiorem *Rom. 8. tu quis es qui judicas alienum servum, non tibi subditum sed conservũ. Gregorius.* cogitare debemus cum aliquem redarguimus, quòd fortè in eisdem peccatis fuimus, aut certè esse poterimus & sic eum in mansuetudine corripiemus. & Isidorus. Non detrahas peccanti sed condole, quod in alio detrahis in te potius pertimesce. Nota exemplum in vitis Patrum.

Ecce nunc qui dicitis: Hic dehortatur à concupiscentia propter incertitudinem vitæ humanæ: ubi primò ostendit quòd propter vitæ incertitudinem non est de futuris luctis confidendum. 2. quod propter hoc potius de futuris semper est sub cõditione loquendum: [*pro eo ut dicatis*] 3. ostendit quod propter hoc de præsentibus divitiis non

tiis non

tijs non est gloriandum: [*nunc autem exultatis*] vitæ autem incertitudinem ostendit primò ex ignorantia viventium. 2. ex fragilitate vitæ eorum: [*quæ enim est vita vestra:*]

Vers. 14. Dicit ergo [*ecce nunc*] aliud vitium quod facitis. [*qui dicitis*] stulta animi levitate spatium vitæ promittentes. sicut dives ille cui dictum est, hac nocte repetent animam tuam à te *Luc. 12. & quid dicitis hoc scil.* [*hodie aut crastino*] cum nec diei hodiernæ nec crastinæ habeatis certitudinem. *Eccles. 9. nescit homo finem suum.* [*Ibimus in civitatem illam, & faciemus quidem ibi annum, & mercabimur & faciemus lucrum*] *gloss.* multimodam eorum stultitiam notat quia de lucrorum augmento agunt & se multo tempore victuros arbitrantur, & suæ potestatis æstimant, ubi annum finiant. & dicit. [*lucrum faciemus*] id est lucrabimur lucro temporali, quod frequenter est cum damno majori, id est spirituali. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur animæ verò suæ detrimentum patiatur Math. 16. Augustinus.* Nūquam est injustum lucrum sine justo damno: lucrum in arca damnum in conscientia. [*qui ignoratis, quid sit futurum vobis, in crastino*] multò magis in longum tempus, scil. usq; in annum. *Prov. 27. ne glorieris in crastinum, nescis enim quid superventura parat dies.* & certe ignoratis, [*quæ est enim vita vestra?*] quam brevis, quam fragilis? *Augustinus:* vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aera morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas deijcit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mæror deprimit, & post hæc omnia mors interimit, universis gaudijs finem imponens, ita ut cum esse desierint, nec fuisse putentur. Et dicit [*vita vestra*] carnalis scil. non spiritualis, naturæ nō gratiæ. vita enim gratiæ à Deo est & quid magnum est. 1. *Ioh. 1.* & vita erat lux hominum. [*vapor est ad modicum parens*] id est brevis & transitoria ad modum vaporis, id est fumi resoluti ex aliquo humido: [*& deinceps*] id est parum post; [*exterminabitur*] id est extra terminos vitæ ponetur, id est citò deficiet. *Baruc. 3. Exterminati sunt & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt.* Hæc autem non dicit Iacobus, quod homo post mortem omnino desinit esse, ut tangit *glossa*: manet enim vita in anima, licet non in corpore.

Augustinus.

Vers. 15. *Pro eo ut dicatis*: *gloss.* hæc omnia dico vobis, ut spe longioris vitæ non promittatis vobis lucra futuri temporis, sed potius dicatis, [*si Deus voluerit*] sine cuius voluntate nihil fieri potest. [*& si vixerimus faciemus hoc vel illud*] unde & angelus loquens Abrahæ de ortu Isaac, hanc conditionem apponit: *Gen. 18.* si vita comes fuerit. unde tangit duplicem conditionem, quarū una est ex parte Dei, alia ex parte hominis, quam post ponit præcedenti, quia pendet ex illa, scil. voluntate divina.

Vers. 16. *Nunc autem*, quasi vos non ita facitis. sed etiā [*nunc*] id est in hac vita brevi. vel [*nunc*] id est tēpore gratiæ, & tempore tribulationis ecclesiæ, quæ tunc erat in dispersione. [*exultatis*] id est gaudium extra ostenditis. [*in superbijs vestris*] id est in divitijs quæ sunt vobis materia superbiæ *Augustinus.* vermis divitum superbia est. *glos.* id divitijs quæ faciunt vos superbos. [*omnis exultatio talis maligna est*] id est malo igne ignita, scilicet concupiscentiæ, vel cupiditatis, hoc est ignis infernalis qui nunquam dicit, sufficit *Prov. 30.* & dicit: [*Talis exultatio*] non omnis simpliciter. est enim quædam exultatio bona, qua scil. exultant justi. *Psal. 32. exultate justi in domino* [*talis*] *glos.* quæ est ad depressionem aliorum.

Vers. 17. *Scienti ergo*: *glos.* exultatis & superbitis, ergo graviter puniemini. quia scitis bonum & non facitis: unde, *scienti ergo bonum facere & non facienti peccatum est illi*: omissionis scil. gravioris. quia secundum *Gregorium*: ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. & hoc propter contemptum annexum scientiæ, non quia scientia in se sit mala. *Luc. 12. Servus qui scit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus vapulabit multis.* [*Nolite detrahere: Detractor est*] in morsu Gregorius.

Detractor 7. modis.

Serpenti similis. Eccles. 10. si mordeat serpens in silentio nihil eo minus habet qui occultè detrahit.

Hominibus abominabilis. Prov. 24. abominatio hominum detractor.

Deo odibilis Rom. 1. Detractores Deo odibiles.

Confusione dignus Psal. 18. induantur qui detrahunt mihi pudore.

Ad pœnam obligatus. Prov. 13. qui detrahit alicui rei ipse se in futurum obligat.

Perditioni proximus. Prov. 14. cum detractoribus non commisceatis, quoniam repente consurget perditio eorum. Avisione patriæ alienus *Num. 14. Nec quisquam ex illis qui detraxerunt intuebuntur eam*, scil. terram promissionis.

Cap. V.

AGite nunc divites &c. Supra instruxit eos contra inordinationem in appetendo per concupiscentiam: hic contra inordinationem in retinendo per avaritiam. Vbi primo de inordinata retentione hortatur ad pænitentiam: secundo aggravat culpam: [*Divitiæ vestræ &c.*] Et primò aggravat eam circumstantia temporis. 2. ex circumstantia personæ. [*ecce merces vestra*] ubi primo aggravat culpam commissam in proximū: 2. in se: [*epulati estis super terram*] 3. in Deum in die occisionis &c.

Vers. 1. Dicit ergo: [*agite nunc*] *glos.* hucusque peccastis, sed jam nunc pænitentiam agite. [*Divites*] *glos.* in pecunia & in peccatis. hujusmodi enim divitiæ de facili sese concomitantur. *Eccles. 11. si dives fueris non eris immunis à delicto.* nec dicit quid agant, quia agere bonum simpliciter est agere, agere malum non est agere, sed destruere. agite ergo pænitentiam, recuperando per pænitentiam quod destruxistis per culpā. *Math. 3. pænitentiam agite &c.* nunc scil. dum tempus habetis. vel nunc id est tempore gratiæ. 2 *ad Cor. 6. ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Postea specificat modum agendi: [*plorate*] lachrymis contritionis. *glos.* in corde. [*ululate*] voce lachrymosæ confessionis p magnitudine doloris. *glos.* manifestatione vocis, & operis. [*in miserijs vestris*] id est pro miserijs: potest autem intelligi de miserijs

de miseriis æternis. *Lu. 6. Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram.* [*vel de miseriis:*] quæ futuræ erant in destructione Iudæorum futura per Romanos, pro culpa quam promeruerunt, Dominum crucifigendo: & tunc est quasi prophetia.

Vers. 2. [*Diuitiæ vestræ: &c.*] Hic aggrauat culpam ex circumstantia temporis: vbi primo aggrauat culpam: Secundo subiungit pœnam: ibi: [*ærugo eorum*] & primo in corpore. Secundo in anima: [*thesaurizastis:*] [*diuitiæ vestræ:*] id est fructuum abundantiæ pertinentes ad victũ. [*putrefacta sunt:*] ad literam, putrescunt enim fructus auarorum præ nimia conseruatione. vel [*putrefacta sunt*] id est putredo & stercora reputandæ sunt. vel potest intelligi de futuro, id est *cito putrescent*: vnde non proderunt vobis. & vestimenta vestra, id est † pertinentia ad vestitum, [*à tineis comesta sunt:*] *glos.* non vsu necessario attrita * vestimentis eum parcunt, vt cibum tineis præparent, & pauperes nudos dimittunt contra illud *Esa. 58. Cum videris nudum, operi eum.*

*† Superstantes pertinentes. Lo. Al. MS. * vestiunt eum persi. eius: legit MS codex Mertonensis.*

Vers. 3. [*Aurum & argentum vestrum:*] quæ sunt durabilia & præcellunt in metallis. [*æruginauit:*] hoc est ærugine & rubigine periit, propter longam conseruationem. vel [*æruginauit.*] id est nihil valebit, sicut illud quod est ærugine cõsumptum. *Ezech. 7. argentum eorum foras proiicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit*, & non valebit liberare eos. [*& ærugo eorum:*] id est rubigo contracta ex nimia conseruatione eorum quæ deberent pauperibus distribui [*erit vobis:*] id est contra vos. [*in testimonium:*] culpæ scil. auaritiæ. Simile. Habac. 2 *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum est respondebit. glos.* ærugo pecuniæ vertetur in testimonium nequitiæ & augmentum pœnæ, quia intelligit se male congregasse ea quibus indigebat ad vsum vitæ. [*& manducabit carnes vestras:*] id est erit causa qua te cruciabitur caro. [*sicut ignis:*] flamma enim exterior corpora, & vermis interior animas cruciabit. *Iudith.* 16. dabit ignem & vermes in carnes eorum, & vrantur, & sentiant vsque in sempiternum. & vere [*manducabit,*] quia [*thesaurizastis vobis:*] id est occulte & abundanter præparastis [*iram,*] id est iræ causam. [*in nouissimis diebus:*] id est in die iudicii, quam vocat pluraliter, quia pœna erit perpetua, licet iudicium vna die fiat. Et nota quod in thesauro intelligitur quantitas pœnæ, & qualitas siue acerbitas. Thesaurus enim fit de rebus magnis & multis. sic pœna æterna magna est æternitate, & multa pœnarum diuersitate, & acerbitate pœnæ *Iob. 38. numquid ingressus es thesauros niuis aut thesauros grandinis aspexisti?*

Vers. 4. [*Ecce merces vestra &c.*] Hic aggrauat culpam commissam in proximum, [*ecce*] *glos.* non solum damnabimini quia vestra non datis, sed etiam quia aliena non retinetis: quia [*ecce merces operariorum vestrorum, qui messuerunt regiones vestras:*] id est messes in regionibus seminatas, quæ scil. merces debita operariis [*quæ fraudata est à vobis:*] scil, non reddendo vel diminuendo, vel differendo reddere. *glos.* magna iniquitas est non tantum pauperibus nihil dare, sed etiam mercenarios defraudare. [*clamat:*] id est facit clamare pauperes & conqueri. vel quia materia clamoris siue accusationis est. In quo notatur magnitudo peccati. vnde *Eccl. 34. Qui effundit sanguinem & qui facit fraudem mercenario* fratres sunt. & dicit [*merces clamat:*] non pauper: quia aliquando cõtingit quod pauper non audet mutire præ timore diuitis: nec talis clamor caret effectu. vnde sequitur: & [*clamor eorum*] id est operariorum defraudatorũ. [*in aures Domini Sabaoth:*] id est exercituum hominum & angelorum, qui potest vindicare & vult [*introiuit:*] hoc dicit ad terrorem diuitum, vt sciant Deum esse tutorem & defensorem pauperum. *Psal. 10. Tibi derelictus est pauper &c. & alibi.* non spernit Dominus deprecationem pauperum.

Peccata 4. clamant ad Deum.

Notandum vero quod quatuor sunt peccata, quæ præ sui enormitate dicũtur clamare ad Dominum. scil. *homicidium. Gen. 4. Ecce vox sanguinis fratris tui Abel* clamat ad me de terra. secundo *peccatum contra naturam. Gen. 18. clamor Sodomorum venit ad me, descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me compleuerint.* Tertio *oppressio iustorum. Exod.* 3. Clamor filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem, quia ab Ægyptiis opprimuntur. Quarto *defraudatio pauperum*, vt hic.

Vers. 5. [*Epulati estis:*] hic aggrauat culpam in se. glos. non tantum peccatis superflue aggregando, aliena rapiendo, sed etiam superflue expendendo: vnde dicit: [*Epulati estis super terram:*] id est super exigentiam carnis quæ est de terra, non scil. ad necessitatem, sed ad voluptatem. hoc dicit quoad gulam. [*Et in luxuriis enutristis:*] id est extra mensuram nutristis. [*corda vestra*] id est satiastis implendo scil. desideria cordium vestrorum. contra illud *Eccl. 17. Si præstes animæ tuæ concupiscentias suas, facient te in gaudium inimicis tuis.* hoc dicit quoad luxuriam. Hæc enim duo vitia sibi inuicem sunt annexa. *Hieronymus.* venter & genitalia vicina sous, & ex vicinitate membrorum nascitur conformitas vitiorum. Idem. venter mero æstuans cito despumat in libidinem. [*in die occisionis.*] *glos.* apparet quod illos diuites specialiter alloquitur, qui in necem Domini conspirauerunt, & nec fidem eius qua saluarentur acceperunt [*occisionis:*] id est passionis Domini, quæ est dies Domini.

Hieronym.

Vers. 6. *Adduxistis*: trahendo ad iudicium coram Pilato. *Luca.* 23. [*& occidistis iustum:*] antonomastice scil. Christũ, qui nihil habuit de opposito iustitiæ nec actu nec potentia. eius occisionem eis attribuit, quia fuerunt causa eius occisionis, quamuis eum gentiles crucifixerunt. *Act. 2. Autorem vitæ interemistis.* [*& non restitit vobis;*] cum tamen possit. *Matt. 26.* An *putas quod non possum rogare patrem &c.*

Quæstio.

Ex his quæ dicta sunt supra, *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt &c.* patet quod habere superfluum sit peccatum, super illud, 1. *ad Tim. 6. habentes alimenta &c. glos.* qui vltra tendit malum inuenit. *Resp.* superfluum est quod superest necessario victui & vestitui naturæ & personæ, secundum iustam æstimationem, respectu præsentis & futuri. naturæ & personæ dico, quia quod superfluum est naturæ, potest esse necessarium personæ. persona enim plus exigit quam natura. & dico personam prout importat dignitatem vel officium: sicut plura sunt necessaria Episcopo quam Canonico. *secundum iustam æstimationem* dico propter auaros, quia auaritia nunquam iuste æstimat *respectu præsentis & futuri*, quia quod superfluit vt nunc, potest esse necessarium respectu futuri. Habere ergo superfluum naturæ propter naturam pecca-

Responsio.

tum est: sed habere superfluum naturæ propter necessitatem personæ non est peccatum. Habere autem superfluum personæ semper est peccatum, si non est necessarium respectu præsentis vel futuri. quod enim superfluit ad præsens potest reseruari vt in futuro melius dispensetur, cũ maior erit necessitas. quod autem dicitur hic intelligitur de superfluo personæ respectu cuiuslibet temporis.

[*Patientes ergo estote*:] supra instruxit eos in patientia tribulationum & in sanctitate operum; hic instruit eos in expectatione præmiorum. & primo hortatur eos ad patientiam & longanimitatem. Secundo docet remedia contra aduersitatem & tribulationem [*tristatur aliquis vestrum &c.*] In prima parte primo docet seruare patientiam & longanimitatem in facto: Secundo in verbo: [*ante omnia fratres mei*] In prima parte primo hortatur ad patientiam spe præmii: Secundo timore supplicii: [*nolite ingemiscere*] Tertio exemplo sanctorum generaliter [*exemplum accipite*] Quarto exemplo aliquorum sanctorum specialiter, *ibi*: [*sufferentiam Iob &c.*] In prima parte primo ponit exhortationem: Secundo cõfirmationem: [*ecce agricola*] Tertio conclusionem: [*patientes estote*]

Vers. 7. Dicit ergo: [*patientes estote ergo: &c.*] *glos.* Increpatis superbis & incredulis, rursum conuertitur ad bonos qui opprimuntur: [*fratres vsque ad aduentum Domini*] quando punientur oppressores. & liberabuntur oppressi. *Ecclesiastic. 1. vsque in tempus sustinebit patiens &c.* aduentus autem Domini secundum *glossam* incipit in fine cuiuslibet. quia secundum *Augustinum* talis repræsentabitur vnusquisque in iudicio Domini qualis hinc discedit. & debetis esse patientes exemplo agricolæ. [*ecce agricola expectat pretiosam*] quia laboris sui pretium [*fructum terræ*] de terra scilicet ortum [*patienter ferens*] id est multas passiones & labores sustinens. [*donec accipiat temporaneum*] id est fructum primitiuum & præmaturum ante generalem maturitatem. [*& serotinum*] id est permaturum. Spiritualiter autem quasi fructus temporaneus est stola animæ, quasi fructus vero serotinus est stola corporis. vel quasi fructus temporaneus est gratia: Serotinus gloria. *Roman. 6. habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem* vero vitam æternam. cum ergo Agricola hoc faciat,

Augustinus

Ve. 8. [*Patientes estote & vos:*] quasi dicat multo * fortius esse debetis, quia ille pro fructu terreno expectat, vos pro cælesti. [*& cõfirmate corda vestra*] id est firma corda habete ad grauiora sustinenda, ne deficiatis in tribulationibus. vel [*confortate quoniam aduentus Domini*] ad iudicium particulare, vel etiam ad vniuersale [*appropinquabit*] *glos.* vt vos ad gloriam, illi ad pœnam rapiantur. *Mat. 24. Scitote quod prope est in ianuis.* Et enim Domini aduentus sit prope,

* Fortiores.

Vers. 9. [*Nolite ingemiscere*] corde murmurare inter tribulationes. [*fratres in alterutrum*] id est tribulati contra tribulantes, vel boni contra malos, eo quod boni patiuntur, mali vero florent. florent enim nimis cito, quia ante hiemem, & ideo adueniente hieme, futura scilicet damnatione amittent florem. [*vt non iudicemini*] iudicio scilicet condemnationis. *glos.* id est damnemini eo quod iustum iudicem quasi inique iudicanté vituperetis. nec debetis ingemiscere, quia

Vers. 10. [*Ecce Iudex*] dicit [*ecce*] quia euidenter veniet. [*Iudex*] scilicet vniuersalis. [*ante ianuam*] id est prope, sicut quod est in ianuis, id est in exitu animæ & corporis per ianuam mortis. [*assistit*] *glos.* quia proximus est ad cognoscendum quæ geritis. vel cito veniet ad retribuendum vobis & illis. [*Exemplum accipite*] Continuatur sic: Monui vos ad longanimitatem verbo adhuc: nunc moneo vos exemplo, quia frequenter magis mouent exempla quam verba. vnde [*exemplum accipite fratres exitus mali*] maliuiæ pœnæ non culpæ, id est supplicii in moriendo, [*& longanimitatis*] in expectando præmio, [*& laboris*] in bene operando, [*& patientiæ*] in aduersa sustinendo. [*Prophetas*] hos eis proponit tanquam maioris auctoritatis apud ipsos. [*qui locuti sunt in nomine Domini*] id est in inuocatione vel honore nominis eius ad ampliandum nomen Domini. & certe debetis eos in exemplum accipere.

Vers. 11. [*quia ecce*] admiratiue: quasi mirabile est quomodo per tantam miseriam deuenerũt ad tantam gloriam. [*Beatificamus*] id est beatos reputamus, & dicimus. glos. illos magnos reputamus & veneramur illos, & tamen pauci imitari eos volunt, sed sunt sicut Balaam. *Num. 23. moriatur anima mea morte iustorum.* [*eos qui sustinuerunt*] id est qui patientiá vel longanimitatem habuerunt. *supra primo. Beatus vir qui suffert tentationem.* *glos.* Malis pro bonis temporalia; bonis cælestia redduntur. Nota quod Dominus soluit eis super vnguem, bonis vero differt soluere vsque ad vltimum pagamentum. [*Sufferentiam Iob audistis*] de Iob & Christo specialiter exemplificat quia horum duorum patientia euidentius laudabilis est. Iob in veteri Testamẽto Christus in nouo, quorum vni reddita sunt temporalia, alteri æterna. [*sufferentiam Iob audistis*] quanta scilicet sustinuit à diabolo, à prædonibus, ab vxore, ab amicis. & [*finem Domini vidistis*] oculis scil. vestris. *glos.* pendentem in cruce longanimiter patientem. loquitur ad illos, quorum aliqui interfuerunt passioni Christi. & nota quod dicit [*sufferentiam Iob*] non finem, & è contrario finem Domini non sufferentiam ad significandum, quod exemplo Iob pati debemus non propter temporalia sed æterna. finis enim Iob fuerunt temporalia multiplicata, sed finis Domini æterna. Nota etiam quod duplex est finis Domini: vnus quem habuit in mundo scilicet mors pœnalis quam in cruce sustinuit: alius extra mundum: scilicet resurrectio gloriosa. de vtroque dicit: [*finem Domini vidistis*] primum proponit pugnantibus vt fortiter pugnent. 1. *Pet. 2.* Christus passus est pro nobis &c. secundum viatoribus vt se cum eo gloriari sperent. [*quoniam misericors*] quasi in hoc apparuit & videre potestis, [*quoniam misericors*] *glos.* in natura. [*& miserator*] in effectu *glos.* in exhibitionibus gratiarum. & ideo, vt dicit glossa, debetis eum imitari.

Et nota quod Dominus est misericors:

Primo in peccatorum dimissione. *Ecclesi. 9. Pius & misericors est Deus, & remittit in tempore tribulationis peccata.* Misericors legitur Dominus in 7.

Secundo in afflictorum compassione. *Marc 8. Misereor super turbam quia ecce iam triduo &c.*

Tertio in debilium sustentatione: *Psalm. 93. si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.*

Quarto

Quarto in vindictæ suæ retractione. *Ionæ 3. Misertus est Dominus super malitiam quam locutus fuerat vt faceret eis. Threno. 3. Misericordia Domini est, quia non sumus consumpti.*

Quinto in charitatiua correctione: *Psalm. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum.* & parum post: *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.*

Sexto in pœna debitæ dimissione. *Habacuc. 3. cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.*

Septimo in temporalium collatione: *Psalm. 110. Miserator & misericors Dominus, escam dedit timentibus eum.*

[*Ante omnia fratres:*] Hîc docet patientiam seruare in verbo, ne scil. ex impatientia proni fiant ad male iurandum. Vbi primo dissuadet iurandi pronitatem. Secundo suadet loquendi simplicitatem. [*sit autem sermo vester.*]

V. 12. Dicit ergo [*ante omnia:*] gl. cû omnia prædicta sunt vitanda, [*ante omnia:*] non quod hoc sit grauius præcedentibus, sed quia ad hoc videbatur prouiores. vel [*ante omnia:*] id est in principio cuiuslibet verbi vel facti: contra quorundam prauam consuetudinem qui statim in principio verbi prorumpunt in iuramentum. [*nolite iurare:*] prohibet iurandi appetitum, non actum necessarium, vnde *glossa*: ideo adiurationis culpam compesco ne frequenter iurando vera, aliquando etiam in periurium cadatis, sed eo longius à periurio stetis, quod nec vera iurare velitis nisi necessitas cogat.

Obiecti o. Sed contra hoc obiicitur. Bene enim sequitur, currere non est malum, ergo appetere currere non est malum: ergo nec appetere iurare. si dicas sicut dicit *glossa*, quod non prohibet iuramentum sed consuetudinem iurandi: Contra: eius quod non est malum, iteratio non est mala vel consuetudo: sic ergo iurare non est malum.

Solutio. Responsio: Cum Dominus iurauerit & Apostolus *Rom. 1. Testis mihi est Deus:* & in veteri Testamento non sit prohibitum, Beatus *Iacobus* non intendit prohibere iuramentum sed iurandi appetitum. Licet enim iurare in se non sit malum, tamen est periculosum, quia inclinat ad malum & periurii & irreuerentiæ omnis diuini. Sicut licet præesse non sit malum, tamen inclinat ad malum elationis & superbiæ, & ideo est periculosum. & ideo voluntas transiens super actus tales est inordinata & libidinosa, nisi ad bonum finem actualiter ordinetur. vnde in talibus inordinatio est pro priuatione finis vel ordinis: & ideo appetere iurare vel præesse est malum, nisi actualiter ad bonum finem ordinetur. & quia inclinatio frequenter reducitur ad actum in consuetudine, ideo videtur dicere *glossa*, quod prohibet consuetudinem, tamen hoc est propter periculum, vnde dicitur *Ecclesiast. 23. iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* [*neque per cælum:*] id est per superiores creaturas. [*neque per terram:*] id est per inferiores creaturas. Iurare vero per creaturam prohibet duplici ratione, quam tangit glossa. *Matt. 5. Glos.* non iuremus per creaturas, venerantes eas vltra quam debemus, nec viles eas æstimantes vt nihil iurare putemus. vnde quatuor modis contingit iurare per creaturam: aut ipsam tanquam aliquid diuinum venerando: aut iuramentum factum tanquam per rem vilem contemnendo: aut Deum qui in ipsa relucet & præsidet testem inuocando: aut ipsum quoad vsum quem inde iurans sperat Deum oppignorando: duobus primis modis est illicitum: duobus aliis modis licitum. [*neque aliud quodcunque iuramentum:*] id est neque per aliquem modum iurandi, sicut dicitur: testis est mihi Deus, vel Deum inuoco testem, vel coram Deo, vel Deus scit quod sic est: omnibus istis modis iuratur. Simile habetur: *Matth. 5. Ego autem dico vobis non iurare omnino. Augustinus.* Iuratio falsa perniciosa, vera periculosa, nulla secura. [*sit autem:*] pro sed potius. [*sermo vester est, est, non, non.*] id est vbi debetis dicere est, hoc est aliquid affirmare, dicatis, [*Est*] similiter vbi debetis dicere, [*non,*] hoc est aliquid negare, dicatis, [*non.*] vel sic: [*sit sermo vester, est, est:*] id est sicut est in corde, sic sit in ore. quasi dicat veritatem puram dicatis sine iuratione. [*vt non sub iudicio decidatis:*] id est deorsum à statu gratiæ cadatis. vel sic: iudicemini iudicio condemnationis, vel quia mendacium dicitis vel quia peieratis.

Augustin.

Tristatur aliquis vestrum: Hic docet remedia contra aduersitatem: & primo contra malum pœnæ: secundo contra malum culpæ: [*confitemini &c.*] In prima primo contra malum pœnæ quod est in anima: secundo contra malum pœnæ quod est in corpore: [*Infirmatur quis in vobis.*]

Dicit ergo: [*tristatur aliquis vestrum:*] *glossa.* quia in pressuris ingemiscere prohibuit, nunc quid contra gerendum, id est agendum ostendit. [*tristatur aliquis vestrum:*] pro violentia tribulationum, vel pro damno rerum, vel amicorum, vel periculo corporum: vel pro culpa, vel illata iniuria. [*oret:*] obsecrando & petendo, æquo animo non turbato. glos. nec murmuret nec iudicia Dei vituperet, sed ad ecclesiam currat flexis genibus vt Deus consolationem immittat. [*& psallat:*] dulcedine psalmorum tristitiam expellendo. oratio pertinet ad nostram necessitatem, psalmodia ad Dei laudem: oratio est in petendo, psalmodia in gratias agendo. *Gregorius.* cum vox psalmodiæ per intentionem cordis agitur, aut prophetiæ mysteria, aut compunctionis gratia inspiratur.

Vers. 14. *Infirmatur quis:* glos. sicut dederat contristato, sic & dat infirmanti consiliũ, † qualiter murmur actionis stultitia tuebatur. [*infirmatur quis:*] id est si infirmatur. *glos.* tristatus pro se oret: infirmatus corpore vel fide, quia maiorem sustinet plagam, plurimorum & seniorum adiutorio meminerit se curari. [*in vobis:*] in numero fidelium. nec intelligendum est hoc de qualibet infirmitate, sed de graui seu desperata [*inducat:*] non ait inducantur. in quo ostendit quod sacramentum extremæ vnctionis, quod vt hic institutum legitur, non nisi petentibus verbo vel signo dari debet, secundum morem ecclesiæ. [*presbyteros ecclesiæ*] apud quos scilicet residet potestas ministrandi sacramentum. nec dicit Sacerdotes sed [*presbyteros,*] in quo significatur & officium vt sint Doctores, & qualitas vt sint maturi & sapientes: nam presbyter senior interpretatur. *glossa.* non ad minores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referat, ne forte quid per eos allocutionis vel consilii nocentis accipiat.

† Qualiter se a murmuratione stultitia tueatur legit glossa & alter MS.

Extrema vnctio.

Sed contra non refert à quocunque Episcopo quis

Obiectio.

quis ordinetur dummodo ordinet secundum formam ecclesiæ: ergo à simili non refert à quocunque presbitero fiat vnctio.

Solutio. *Respon.* Quoad vnctionem non est facienda discretio: sed quia ad hoc sacramentum exigitur oratio quæ melior est vnius quam alterius, quia maiorem habet efficaciam, propter hoc debet eligi. nec est simile de aliis sacramentis, quia in aliis non exigitur ita bonitas personæ sicut in isto, sed sufficit quod seruetur forma ecclesiæ.

Quæstio. Propter hoc quæritur quare magis exigitur hic oratio in vnctione quam in aliis?

Responsio. *Respon.* Quia hoc sacramentum institutum fuit ad duo, scilicet ad remissionem peccati, quæ fit per vnctionem, & alleuationem infirmi quæ impetratur per orationem.

Quæstio. Sed quæritur cum semper fit oratio, quare nō semper impetratur alleuiatio?

Responsio. *Respon.* Hoc est vel quia indignus est qui petit vel pro quo petitur: vel melius, quia non semper expedit: & quia vnctio quæ fit de oleo significat peccati remissionem, quia oleum sanatiuū est ideo confertur semper peccati remissio: est enim sacramentum nouæ legis quod efficit quod figurat.

Quæstio. Quæritur etiam si hoc sacramentum potest iterari.

Respon. Iteratio Sacramenti. *Respon.* Concedo quod sic: tum quia morbus est iterabilis, tum quia caracterem non imprimit. Iteratio tamen sacramenti dicitur dupliciter: vno modo idem est quod iterata benedictio sacramenti, & sic nullum sacramentum iterabile est: alio modo iteratio dicitur iterata susceptio, & sic quædam iterantur & quædam non. Illa enim quæ imprimunt characterem non iterantur: alia sic. [*presbyteros ecclesiæ*] non hæreticos sed catholicos. [*vt orent super eum*] id est super eius necessitatē. [*vngentes eum oleo*] simplici scilicet, benedicto tamen.

Nota. Nota quod in baptismo quod est sacramentum intrantium fit vnctio ex chrismate quod componitur ex oleo, & ex balsamo: in extrema vnctione, quod est sacramentum exeuntium, solo oleo benedicto: quia intrantibus necessaria est conscientia nitida, quæ intelligitur in oleo, & fama odorifera quæ in balsamo: exeuntibus vero sufficit conscientia. [*In nomine Domini*] scilicet consecrato. vel [*in nomine Domini*] id est in nominis eius inuocatione. *Glossa.* quando inungitur, nomen Domini inuocetur: vnde simul debet fieri vnctio & inuocatio.

Ex his quæ hic dicuntur patet de necessitate huius sacramenti est ordo: [*presbyteros*] oratio: [*orent*] vnctio: [*vngentes*] hæc autem vnctio ortum habuit à prima missione Apostolorū, quando infirmos inungebant oleo & sanabantur. *Marc. 6.*

Vers. 15. Et [*oratio fidei*] fide facta. *supra 1. postulet in fide.* [*saluabit infirmum*] non dicit [*sanabit*] quest in corporis salute corporali, & spirituali quando dignus est & expedit. *Psalm. 35. Homines & iumenta, id est animas & corpora saluabis Domine.* [*& alleuiabit eum Dominus*] ab infirmitate corporis, vel simpliciter vel vt leuius ferat, si tamen expedit vt in corpore alleuietur [*& si in peccatis fit*] scilicet venialibus [*dimittentur ei*] virtute scilicet sacramenti: aliquando enim incurritur infirmitas ex peccato. Ecce duplex effectus huius sacramenti: secundum digne accedens semper suscipit, primum vero non, quia non semper expedit.

Vers. 16. [*Confitemini &c.*] Hic ponit remedia contra malum culpæ. & primo ponit remedium mutuæ confessionis: Secundo mutuæ orationis: [*& orate pro inuicem*] Tertio mutuæ exhortationis [*si quis autem ex vobis*] In secunda parte primo hortatur ad orationem. Secunda ostendit orationis virtutem: *multum enim valet*: Tertio ostendit exemplo Eliæ: [*Elias homo erat &c.*] Confessio.

Dicit ergo: [*confitemini*] quasi dicat ita dimittentur ei peccata scilicet si fuerit ea confessus, ergo [*confitemini in alterutrum peccata vestra*] *glossa.* quotidiana & leuia coequalibus, grauiora culpæ immundiciam sacerdoti pandamus, & quanto iusserit tempore purgare curemus. [*peccata vestra*] *glossa.* peccata quæ fuerint ex ignorantia, vel ex infirmitate humana committuntur, præcipit alterutrum confiteri, quia facile dimittuntur: quæ vero ex deliberatione non nisi per pœnitentiam: ergo secundum istam glossam confessio venialium est in præcepto.

Obiectio. Confessio. Hieronym. Contra Hieronymus dicit quod pœnitentia est secunda tabula post naufragium: per venialia vero homo non patitur naufragium.

Responsio. *Respon.* Non tenetur homo confiteri venialia intentione, cuius oppositum sit transgressio, ex præcepto Ita tamen quod non faciat in contemptum, nisi in casu verbi gratia, si non habet mortale tenetur in quadragesima confiteri aliquod veniale ad implendum præceptum ecclesiæ. vel dicendum quod ex vi sacramenti non tenetur quis venialia confiteri, sed ratione statuti ecclesiastici, quando non habet alia quæ confiteatur: quæ institutio edita est in concilio generali ab Innocentio * Tertio, vbi dicitur: *omnis vtriusque sexus* fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia peccata sua semel saltem in anno fideliter confiteatur, & hoc vt quilibet se peccatorem cognoscat. omnes enim peccauerunt & egent gratia Dei. Item vt ad eucharistiam cum maiori reuerentia accedat & vt ecclesiam rectoribus suis subditi innotescant, ne lupi inter greges lateant. Confessio autem quoad mortalia est in præcepto, quoad venialia in consilio. Ideo de mortalibus debet fieri presbytero, sed de venialibus etiam potest fieri socio, quia non necessario requirit virtutem clauium. vnde generalis confessio venialium secundum vsum ecclesiæ fit quotidie illis qui nō sunt presbyteri. In prima in completorio in Missa. Hic autem habetur expressa institutio Confessionis quæ fit homini. In Veteri Testamento quia Deus nondum erat homo, sufficiebat confiteri Deo. *Psalm. 31. Dixi confitebor iniustitiam meam.* In Nouo vero Testamento, quia Deus est homo oportet fieri confessionem Deo & homini Dei vicario. Hanc autem confessionem Christus quantum ad illud quod erat formale instituit, quando claues Petro dedit: illud autem quod erat materiale instituendum insinuant quando dixit. *Luc. 17. Ite ostendite vos Sacerdotibus.* Ecclesia vero postmodū instituit. Sed Beatus *Iacobus Hierosolymitanus Episcopus* promulgauit sicut dicitur hic.

* Aliud MS. legit: Quarto.

Confessio hominis.

Confessionis institutio.

hic. Ecclesia vero postmodum magis determinauit & arctauit dicens: [*Omnis vtriusque sexus fidelis &c.*]

Notantur autem hic conditiones confessionis: scil. quod sit *integra*: [*confitemini*:] id est simul fatemini. & quod sit *pura*: [*peccata*] non merita. quod sit propria non aliena: [*vestra*] [*& orate pro inuicem*:] confessor & confitens. vel omnes fide-

Gregorius. les. *Gregorius.* quanto grauiori carnalium cogitationum tumultu premimur, tanto ardentius orationi insistere debemus. [*vt saluemini.*] ecce quid orandum: pro eo dum est enim quod pertinet ad salutem. *in Ioh. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo. &c.* & debetis orare. [*multum enim valet deprecatio iusti assidua:*] non dicit totum va-

Oratio efficax. let, [*sed multum.*] Ad hoc enim quod oratio sit efficax exiguntur quatuor: scil. quod fiat pie, perseueranter, & ad salutem, & pro se. Iustus ergo cum pro alio orat, non semper impetrat, licet pie petat, perseueranter & ad salutem, quia potest esse impedimentum ex parte eius pro quo orat. ideo dicit [*multum*] non totum. Hæc conditio, [*ad salutem*] intelligitur *ibi*, [*vt saluemini:*] hæc conditio [*pie*,] cum dicitur [*iusti.*] hæc conditio, [*perseueranter*] cum dicitur [*assidua*] quarta conditio deficit.

Dicit ergo: [*multum valet deprecatio iusti:*] non peccatoris, quia peccatores non sunt digni vt exaudiantur *Ioh. 9. Scimus quoniam peccatores Deus non audit.* [*assidua:*] non momentanea & rara. *Luc. 8. Oportet semper orare & non deficere. Coloss vlt. sine inter-*

Orationis virtus. *missione orate.* Et nota quod ostensa est *virtus orationis in quatuor* Elementis, & in *cælo*, & in *inferno*, & in *terra Act. 4. cum orassent motus est locus in quo erant.* in *mari*, vt patet exemplo *Ionæ 2.* Item in *aere* vt patet hic in retentione pluuiarum. Item in *igne*, vt patet in tribus pueris: *Dan. 3.* & in Aaron *Num. 16. In cælo*, vt patet in statione solis: *Iosue 10.* & in retrogradatione. *Esa 38.* Item in *inferno. Eccl. 48. qui sustulisti mortuum ab inferis.*

Vers. 17. [*Elias:*] quasi exemplo patet quod [*multum valet.*] quia [*Elias homo erat:*] id est fragilis, sicut homo, quia nondum in paradiso translatus. [*similis nobis.*] *glos.* mentis & carnis fragilitate: mentis quidem quia timore Iezabel fugit: carnis, quia à vidua sustentari indiguit. de vtroque habetur 4. *Reg. 19.* Quamuis autem esset nobis similis fragilitate naturæ, tamen secundum glossam nulli erat similis virtute gratiæ. [*& oratione:*] vna scil. non pluribus orauit, idem corde & ore orauit. [*vt non plueret super terram.*] ad edomandam, vt tangit glossa, regis superbiam, & idolatriæ gentis duritiam [*super terram:*] Israel specialiter. [*Et non pluit annos tres & menses sex:*] In hoc significatur cessatura pluuia verbi Dei tribus annis & dimidio, tempore Antichristi. *Dan. 7. vsque ad tempus & tempora & dimidium temporis.*

Vers. 18. [*Et rursum orauit:*] vt tangit *glossa*, postquam per tanti temporis inediam cor regis & populi ad pœnitentiam inflexum vidit, [*orauit*] sc. semel. Si ergo vt tangit *glossa* Elias vna oratione tanta impetrauit, quid ergo multi fideles multis orationibus. [*& cælum dedit pluuiam & terra dedit fructum suum*] *glos.* fructus & aquas quas terris negauerat, restituit.

Vers. 19. [*Fratres, si quis autem ex vobis:*] Hic ponit tertium remedium: quasi non solum pro mutua salute orandum, imo etiam pro fratrum conuersione laborandum.

[*Fratres mei si quis ex vobis errauerit à veritate:*] fidei vel morum. [*& conuerterit:*] id est ad viam veritatis reduxerit. *glos.* vel bene monendo vel tacite exempla bonæ actionis ostendendo. [*quis:*] quasi ratus est, quis hoc faciat.

V. 20. [*Scire debet, quoniã qui conuerti fecerit peccatorẽ ab errore viæ suæ*] id est, vitæ. nã vita nostra est quasi quædam via, aut in infernum si est mala, aut in paradisum si est bona. [*saluabit animã eius:*] occasionaliter: Deus vero causaliter. [*à morte:*] æterna scil. *glos.* si magnæ mercedis est à morte eripere corpus quandocunque moriturum, quanti meriti est à morte liberare animam in cælesti patria sine fine victuram. *Prou. 24.* Erue eos qui ducuntur ad mortem. Aliqui libri habent [*animam suam,*] id est illius qui facit eam conuerti. [*& operit multitudinem peccatorum:* *glos.* ab aspectu interni iudicis, superpositione vitæ melioris abscondit, pallium vero quo operit charitas est. *1. Pet 4. charitas operit multitudinem peccatorum.* operire autem peccata coram Deo, qui omnia videt est facere quod non habet peccatum.

Notandum vero quod non tantum per hoc saluat animam eius & operit peccata eius sed etiã sua. vnde vt dicit gloss., quidam codices habent [*saluabit animam à morte*] & vere, quia errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vitæ cælestis sibi acquirit.

[*Multum valet deprecatio iusti &c.*]

Primo dissoluit vincula. *Act. 12. Petrus quidem seruabatur in carcere, oratio autem fiebat pro eo.* & parum post sequitur: *subito ceciderunt catenæ de manibus eius.*

Secundo fugat Dæmonia. *Matth. 17. Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur nisi per orationẽ & ieiunium.* *Oratio valet.*

Tertio liberat à morte. Exemplum de Susanna. *Dan. 13. exaudiuit Dominus vocem:* & subditur quod liberata fuit *à morte.*

Quarto cauet à tentatione. *Matth. 26. Vigilate & orate ne intretis in tentationem.*

Quinto potestates aduersas superat. Exemplum de Moyse *Exod. 17. Cum leuaret manus vincebatur Amalech.*

Sexto cor mundat. *Augustinus: orationibus mundamur, lectionibus instruimur, bonum est vtrumque si liceat melius est tamen orare quam legere.*

Septimo iram Dei placat. *Exod. 32. de Moyse & Num. 14. Dimitte obsecro peccatum populi tui.* & sequitur: *Dimisi secundum verbum tuum.*

Octauo Desideria nostra Deo præsentat. *Augustinus. Magna est virtus orationis quæ quasi quædam persona ad Deum intrat & illius mandata peragit quo caro peruenire nequit.*

Nono Infirmos sanat sicut hic: *& oratio fidei saluabit infirmum & alleuiabit.*

Explicit Epistola Iacobi.

quis ordinetur dummodo ordinet ſecundum formam eccleſiæ: ergo à ſimili non refert à quocunque presbitero fiat vnctio.

Solutio. *Reſpon.* Quoad vnctionem non eſt facienda diſcretio: ſed quia ad hoc ſacramentum exigitur oratio quæ melior eſt vnius quam alterius, quia maiorem habet efficaciam, propter hoc debet eligi. nec eſt ſimile de aliis ſacramentis, quia in aliis non exigitur ita bonitas perſonæ ſicut in iſto, ſed ſufficit quod ſeruetur forma eccleſiæ.

Quæſtio. Propter hoc quæritur quare magis exigitur hic oratio in vnctione quam in aliis?

Reſponſio. *Reſpon.* Quia hoc ſacramentum inſtitutum fuit ad duo, ſcilicet ad remiſſionem peccati, quæ fit per vnctionem, & alleuationem infirmi quæ impetratur per orationem.

Quæſtio. Sed quæritur cum ſemper ſit oratio, quare nō ſemper impetratur alleuiatio?

Reſponſio. *Reſpon.* Hoc eſt vel quia indignus eſt qui petit vel pro quo petitur: vel melius, quia non ſemper expedit: & quia vnctio quæ fit de oleo ſignificat peccati remiſſionem, quia oleum ſanatiuũ eſt ideo confertur ſemper peccati remiſſio: eſt enim ſacramentum nouæ legis quod efficit quod figurat.

Quæſtio. Quæritur etiam ſi hoc ſacramentum poteſt iterari.

Reſpon. Iteratio Sacramenti. *Reſpon.* Concedo quod ſic: tum quia morbus eſt iterabilis, tum quia caracterem non imprimit. Iteratio tamen ſacramenti dicitur dupliciter: vno modo idem eſt quod iterata benedictio ſacramenti, & ſic nullum ſacramentum iterabile eſt: alio modo iteratio dicitur iterata ſuſceptio, & ſic quædam iterantur & quædam non. Illa enim quæ imprimunt characterem non iterantur: alia ſic. [*presbyteros eccleſiæ*] non hæreticos ſed catholicos. [*vt orent ſuper eum*] id eſt ſuper eius neceſſitatẽ. [*vngentes eum oleo*] ſimplici ſcilicet, benedicto tamen.

Nota. Nota quod in baptiſmo quod eſt ſacramentum intrantium fit vnctio ex chriſmate quod componitur ex oleo, & ex balſamo: in extrema vnctione, quod eſt ſacramentum exeuntium, ſolo oleo benedicto: quia intrantibus neceſſaria eſt conſcientia nitida, quæ intelligitur in oleo, & fama odorifera quæ in balſamo: exeuntibus vero ſufficit conſcientia. [*In nomine Domini*] ſcilicet conſecrato. vel [*in nomine Domini*] id eſt in nominis eius inuocatione. *Gloſſa.* quando inungitur, nomen Domini inuocetur: vnde ſimul debet fieri vnctio & inuocatio.

Ex his quæ hîc dicuntur patet de neceſſitate huius ſacramenti eſt ordo: [*presbyteros*] oratio: [*orent*] vnctio: [*vngentes*] hæc autem vnctio ortum habuit à prima miſſione Apoſtolorũ, quando infirmos inungebant oleo & ſanabantur. *Marc.* 6.

Ver. 15. Et [*oratio fidei*] fide facta. *ſupra* 1. *poſtulet in fide.* [*ſaluabit infirmum*] non dicit [*ſanabit*] qđ eſt in corporis ſalute corporali, & ſpirituali quando dignus eſt & expedit. *Pſalm.* 35. *Homines & iumenta, id eſt animas & corpora ſaluabis Domine.* [*& alleuiabit eum Dominus*] ab infirmitate corporis, vel ſimpliciter vel vt leuius ferat, ſi tamen expedit vt in corpore alleuietur [*& ſi in peccatis ſit*] ſcilicet venialibus [*dimittetur ei*] virtute ſcilicet ſacramenti: aliquando enim incurritur infirmitas ex peccato. Ecce duplex effectus huius ſacramenti: ſecundum digne accedens ſemper ſuſcipit, primum vero non, quia non ſemper expedit.

Verſ. 16. [*Confitemini &c.*] Hic ponit remedia contra malum culpæ. & primo ponit remedium mutuæ confeſſionis: Secundo mutuæ orationis: [*& orate pro inuicem*] Tertio mutuæ exhortationis [*ſi quis autem ex vobis*] In ſecunda parte primo hortatur ad orationem. Secundo oſtendit orationis virtutem: *multum enim valet*: Tertio oſtendit exemplo Eliæ: [*Elias homo erat &c.*] *Confeſſio.*

Dicit ergo: [*confitemini*] quaſi dicat ita dimittentur ei peccata ſcilicet ſi fuerit ea confeſſus, ergo [*confitemini in alterutrum peccata veſtra*] *gloſſa.* quotidiana & leuia coæqualibus, grauioris culpæ immundiciam ſacerdoti pandamus, & quanto iuſſerit tempore purgare curemus. [*peccata veſtra*] *gloſſa.* peccata quæ fuerint ex ignorantia, vel ex infirmitate humana committuntur, præcipit alterutrum confiteri, quia facile dimittuntur: quæ vero ex deliberatione non niſi per pœnitentiam: ergo ſecundum iſtam gloſſam confeſſio venialium eſt in præcepto.

Obiectio. Confeſſio. Hieronym. Contra Hieronymus dicit quod pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium: per venialia vero homo non patitur naufragium.

Reſponſio. *Reſpon.* Non tenetur homo confiteri venialia intentione, cuius oppoſitum ſit transgreſſio, ex præcepto Ita tamen quod non faciat in contemptum, niſi in caſu verbi gratia, ſi non habet mortale tenetur in quadrageſima confiteri aliquod veniale ad implendum præceptum eccleſiæ. vel dicendum quod ex vi ſacramenti non tenetur quis venialia confiteri, ſed ratione ſtatuti eccleſiaſtici, quando non habet alia quæ confiteatur: quæ inſtitutio edita eſt in concilio generali ab Innocentio* Tertio. vbi dicitur: *omnis vtriuſque ſexus* fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia peccata ſua ſemel ſaltem in anno fideliter confiteatur, & hoc vt quilibet ſe peccatorem cognoſcat. omnes enim peccauerunt & egent gratia Dei. Item vt ad euchariſtiam cum maiori reuerentia accedat & vt eccleſiarum rectoribus ſuis ſubditi innoteſcant, ne lupi inter greges lateant. Confeſſio autem quoad mortalia eſt in præcepto, quoad venialia in conſilio. Ideo de mortalibus debet fieri presbytero, ſed de venialibus etiam poteſt fieri ſocio, quia non neceſſario requirit virtutem clauium. vnde generalis confeſſio venialium ſecundum vſum eccleſiæ fit quotidie illis qui nō ſunt presbyteri. In prima in completorio in Miſſa. Hic autem habetur expreſſa inſtitutio Confeſſionis quæ fit homini. In Veteri Teſtamento quia Deus nondum erat homo, ſufficiebat confiteri Deo. *Pſalm.* 31. *Dixi confitebor iniuſtitiam meam.* in Nouo vero Teſtamento, quia Deus eſt homo oportet fieri confeſſionem Deo & homini Dei vicario. Hanc autem confeſſionem Chriſtus quantum ad illud quod erat formale inſtituit, quando claues Petro dedit: illud autem quod erat materiale inſtituendum inſinuauit quando dixit. *Luca.* 17. *Ite oſtendite vos Sacerdotibus.* Eccleſia vero poſtmodũ inſtituit. Sed Beatus *Iacobus Hieroſolymitanus Epiſcopus* promulgauit ſicut dicitur

** Aliud MS. legit: Quarto.*

Confeſſio homini.

Confeſſionis inſtitutio.

hic.

hic. Ecclesia vero postmodum magis determinauit & arctauit dicens: [*Omnis vtriusq; sexus fidelis &c.*]

Notantur autem hic conditiones confessionis: scil. quod sit *integra*: [*confitemini*:] id est simul fatemini. & quod sit *pura*: [*peccat*:] non merita. quod sit propria non aliena: [*vestra*] [*& orate pro inuicem*:] confessor & confitens. vel omnes fideles. *Gregorius.* (Gregorius.) quanto grauiori carnalium cogitatioonum tumulis premimur; tanto ardentius orationi insistere debemos. [*vt saluemini.*] ecce quid orandum: petendum est enim quod pertinet ad salutem. *in Ioh. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo. &c.* & debetis orare. [*multum enim valet deprecatio iusti assidua*:] non dicit totum valet, [*sed multum.*] (Oratio efficax.) Ad hoc enim quod oratio sit efficax exiguntur quatuor: scil. quod fiat pie, perseueranter, & ad salutem, & pro se. Iustus ergo cum pro alio orat, non semper impetrat, licet pie petat, perseueranter & ad salutem, quia potest esse impedimentum ex parte eius pro quo orat. ideo dicit [*multum*] non totum. Hæc conditio, [*ad salutem*] intelligitur ibi, [*vt saluemini*:] hæc conditio [*pie*,] cum dicitur [*iusti.*] hæc conditio, [*perseueranter*] cum dicitur [*assidua*] quarta conditio deficit.

Dicit ergo: [*multum valet deprecatio iusti*:] non peccatoris, quia peccatores non sunt digni vt exaudiantur *Ioh. 9. Scimus quoniam peccatores Deus non audit.* [*assidua*:] non momentanea & rara. *Luc. 8. Oportet semper orare & non deficere. Coloss vlt. sine intermissione orate.* (Orationis virtus.) Et nota quod ostensa est *virtus orationis* in *quatuor* Elementis, & in *cælo*, & in *inferno*, & in *terra Act. 4. cum orassent motus est locus in quo erant.* in *mari*, vt patet exemplo *Iona 2.* Item in *aere* vt patet hic in retentione pluuiarum. Item in *igne*, vt patet in tribus pueris: *Dan. 3.* & in Aaron *Num. 16.* *In cælo*, vt patet in statione solis: *Iosua 10.* & in retrogradatione. *Esa 38.* Item in *inferno. Eccl. 48. qui sustulisti mortuum ab inferis.*

Vers. 17. [*Elias*:] quasi exemplo patet quod [*multum valet.*] quia [*Elias homo erat*:] id est fragilis, sicut homo, quia nondum in paradiso translatus. [*similis nobis.*] *glos.* mentis & carnis fragilitate: mentis quidem quia timore Iezabel fugit: carnis, quia à vidua sustentari indiguit. de vtroq; habetur *4. Reg. 19.* Quamuis autem esset nobis similis fragilitate naturæ, tamen secundũ glossam nulli erat similis virtute gratiæ. [*& oratione*:] vna scil. non pluribus orauit, idem corde & ore orauit. [*vt non plueret super terram.*] ad edomandam, vt tangit glossa, regis superbiam, & idolatræ gentis duritiam [*super terram*:] Israel specialiter. [*Et non pluit annos tres & menses sex*:] In hoc significatur cessatura pluuia verbi Dei tribus annis & dimidio, tempore Antichristi. *Dan. 7. vsq; ad tempus & tempora & dimidium temporis.*

Vers. 18. [*Et rursum orauit*:] vt tangit *glossa*, postquam per tanti temporis inediam cor regis & populi ad pœnitentiam inflexum vidit, [*orauit*] sc. semel. Si ergo vt tangit *glossa* Elias vna oratione tanta impetrauit, quid ergo multi fideles multis orationibus. [*& cælum dedit pluuiam & terra dedit fructum suum*] *glos.* fructus & aquas quas terris negauerat, restituit.

Vers. 19. [*Fratres, si quis autem ex vobis*:] Hic ponit tertium remedium: quasi non solum pro mutua salute orandum, imo etiam pro fratrum conuersione laborandum.

[*Fratres mei si quis ex vobis errauerit à veritate*:] fidei vel morum. [*& conuerterit*:] id est ad viam veritatis reduxerit. glos. vel bene monendo vel tacite exempla bonæ actionis ostendendo. [*quis*:] quasi ratus est, qui hoc faciat.

V. 20. [*Scire debet, quoniã qui conuerti fecerit peccatorẽ ab errore viæ suæ*] id est, vitæ. nã vita nostra est quasi quædam via, aut in infernum si est mala, aut in paradisum si est bona. [*saluabit animã eius*:] occasionaliter: Deus vero causaliter. [*à morte*:] æterna scil. *glos.* si magnę mercedis est à morte eripere corpus quandocunque moriturum, quanti meriti est à morte liberare animam in cælesti patria sine fine victuram. *Prou. 24.* Erue eos qui ducuntur ad mortem. Aliqui libri habent [*animam suam,*] id est illius qui facit eam conuerti. [*& operit multitudinem peccatorum*: *glos.* ab aspectu interni iudicis, superpositione vitæ melioris abscondit, pallium vero quo operit charitas est. *1. Pet 4. charitas operit multitudinem peccatorum.* operire autem peccata coram Deo, qui omnia videt est facere quod non habet peccatum.

Notandum vero quod non tantum per hoc saluat animam eius & operit peccata eius sed etiã sua. vnde vt dicit gloss. quidam codices habent [*saluabit animam à morte*] & vere, quia errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vitæ cælestis sibi acquirit.

[*Multum valet deprecatio iusti &c.*]

Primo dissoluit vincula. *Act. 12. Petrus quidem seruabatur in carcere, oratio autem fiebat pro eo.* & paulum post sequitur: *subito ceciderunt catenæ de manibus eius.*

Secundo fugat Dæmonia. *Math. 17. Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur nisi per orationẽ & ieiunium.* (Oratio valet.)

Tertio liberat à morte. Exemplum de Susanna. *Dan. 13. exaudiuit Dominus vocem*: & subditur quod liberata fuit *à morte.*

Quarto cauet à tentatione. *Matth. 26. Vigilate & orate ne intretis in tentationem.*

Quinto potestates aduersas superat. Exemplum de Moyse *Exod. 17. Cum leuaret manus vincebatur Amalech.*

Sexto cor mundat. *Augustinus: orationibus mundamur, lectionibus instruimur, bonum est vtrumque si liceat melius est tamen orare quam legere.*

Septimo iram Dei placat. *Exod. 32. de Moyse & Num. 14. Dimitte obsecro peccatum populi tui.* & sequitur: *Dimisi et secundum verbum tuum.*

Octauo Desideria nostra Deo præsentat. *Augustinus. Magna est virtus orationis quæ quasi quadam persona ad Deum intrat & illius mandata peragit quo caro peruenire nequit.*

Nono Infirmos sanat sicut hic: *& oratio fidei saluabit infirmum & alleuabit.*

Explicit Epistola Iacobi.

INCIPIT EPISTOLA PETRI APOSTOLI PRIMA.

CAPVT I.

Vers. 1.

PETRVS Apostolus Iesu Christi, electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ.

Secundum quod diuisio huius libri ex parte authorum sumitur, hic incipit secunda pars huius libri in qua ponuntur Epistolæ Petri duæ: in quarum

Prima principaliter fit instructio in moribus:

In secunda principaliter in fide:

Vel secunda inducitur ad confirmationem primæ: vel

Prima, secundum *Bedam* scribitur inferioribus siue Imperfectis:

Secunda maioribus siue perfectioribus.

Epistola Petri prima diuisio in tres partes. Hæc autem Epistola potest diuidi in tres partes scil.

In exordium cap. 1. & *

In narrationem cap. 2. 3. 4. &

Conclusionem cap. 5.

In Exordio autem præparat animam eorum ad exhortationem sequentem, captando eorum beneuolentiam, vt libentius audiant:

Primo salutando:

Secundo de bonis eorum gratias agendo: *Benedictus Deus & Pater &c.*

Tertio in malis quæ sustinent consolando: *in quo exultabitis &c.*

Quarto diuina eis beneficia recolendo: *propter quod succincti &c.*

In salutatione primo describitur persona salutans:

Secundo personæ salutatæ: *electis aduenis &c.*

Tertio forma salutationis: *gratia vobis &c.*

Epistola Petri prima cui scripta secundum Glossam. Proselytarum diuersa cõuersio. Eorundem patientia. Dicit ergo: [*Petrus*:] Hanc primam Epistolam vt tangit *glossa*, scribit Petrus proselytis, qui primo de gentilitate ad Iudaismum, & postmodum de Iudaismo ad Christum conuersi erant, qui & pro fide patiebantur, & dispersi erant. scribit autem eis à Roma tempore Claudii Cæsaris.

Dicit ergo: [*Petrus*:] glossa. nomen celebre. Hoc enim nomen diuinitus fuit ei impositum. *Iohann. 1. Tu vocaberis Cephas &c.* & confirmatum *Matth. 16. Tu es Petrus &c.* Nomen autem suum præponit Epistolæ, vt det authoritatem Epistolæ, quia caput erat totius ecclesiæ.

[*Apostolus*:] ecce nomen officii: nobile officiũ est esse nuntium siue legatum Christi.

[*Iesu Christi*:] id est missus à Iesu Christo. hoc dicit ad differentiam Pseudoapostolorum, qui Apostoli Christi non erant: vnde non missi prædicabant: *Ier. 23. non mittebam eos & ipsi currebant.*

[*Electis*:] à Domino scil. [*aduenis*:] id est, proselytis, sicut dicit *glossa*, qui de gentilitate venerant ad Iudaismum, & de Iudaismo ad fidem Christi.

[*Dispersionis*:] potest esse constructio intransitiua, id est dispersis, vel transitiua, id est, qui sunt de dispersione, quæ facta est post mortem Stephani. *Act. 8.* vel aliarum etiam persecutionum, quæ aliquãdo factæ sunt à Iudæis, aliquãdo à gentilibus.

[*Ponti*:] prouincia Græciæ est iuxta mare.

[*Galatia*:] alia prouincia, à qua Galatæ dicti sunt.

[*Asia*:] minoris, sc. in qua prædicauit Iohãnes. Asia vero maior media pars orbis est.

[Et *Bithyniæ*:] alia prouincia est. Omnes istæ prouinciæ sunt Græcorum in Asia maiori, cuius pars est Asia minor. De his aũt prouinciis oriundi erant illi quibus scribit Apostolus. vel etiã in his prouinciis oriundi erant, & dispersi erant.

Vers. 2. Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspersionẽ sanguinis Iesu Christi. Gratia vobis & pax multiplicetur.

Electis inquam non secundum merita vt ait *glossa*, sed *secundum præscientiam.*

[*Dei patris*:] *Rom 8. Quos præsciuit hos & prædestinauit.* elegit inquam [*in sanctificationem*:] remissionis sc. peccatorũ. *Eph. 1. Elegit nos vt essemus sancti & immaculati.* [*Spiritus*:] non solũ carnis, qualis erat sanctificatio Iudæorũ. [*in obedientiam*:] impletionis diuinorum præceptorum. [*& aspersionem sanguinis Iesu Christi*:] redemptionis sc. pœnarum debitarum pro peccatis. sicut enim in veteri lege omnia consecrabantur & sanctificabantur sanguine vt dicit Apostolus *Hebr. 9.* Ita in noua omnia consecrantur sanguine Christi. [*gratia*:] id est remissio peccatorum, quæ fit per gratiam. [*vobis & pax*:] id est reconciliatio ad Deũ. *glossa.* sine gratia Christi ad pacẽ recõciliationis eius nõ peruenitur. *glos.* vt q; bene cœpistis perfecte compleatis.

Vers. 3. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundũ misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.

Hic captat beneuolentiam de bonis eorum gratias agendo, Primo de bono gratiæ: Secundo de bono gloriæ: [*in hæreditatem*:] Tertio de custodia vtriusq; : [*in vobis qui in virtute &c.* Dicit ergo: [*Benedictus*:] Deum benedicere est ipsum de suis beneficiis laudare. à gratiarum autem actione incipit, cum propter diuinam dignitatem,

quia

quia ipse cuiuslibet actionis finis est & principium, tum etiam propter necessitatẽ propriam. qui enim indiget mendicare, non potest melius incipere quam gratias de præteritis agere. [*Deus & pater:*] id est ille qui est Deus in natura diuinitatis, qui & Pater in proprietate personalis distinctionis: non quia hæc sint diuersa secundum rem, sed secundum rationem. & potius ponitur ibi copulatiua coniunctio, quasi repetendo quam copulando. In patrem vero refundit gratiarum actionem, quia ipse est autor omnium bonorum. *Iac. 1. Omne datum optimum, &c. Pater*, inquam [*Domini*] quoad beneficium creationis [*nostri*] quoad beneficium incarnationis. [*Iesu*] quoad beneficium gratiæ vnionis, vel gratiæ gratum facientis. [*qui secundum magnam misericordiam suam*] sicut dicitur. *Ecclesi. 2. Secundum magnitudinem eius*, sic & misericordia illius, sed magnitudo eius est infinita, ergo & misericordia. *Psal. 144. Magnitudinis eius non est finis.* Bernardus. *Bernardus*. non coarctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino metas habet diuina clemẽtia: si est qui inuocet, est qui exaudiat, si est qui pœnitet, non deest qui indulgeat, [*qui secundum suam misericordiam magnam*] non secundum merita nostra, [*regenerauit nos*] ad vitam spiritualem redimendo, qui prius genuit nos ad vitam naturalem creando, vel generatos ad mortem, *regenerauit* ad vitam, & hoc per lauacrum regenerationis & renouationis, Spiritus sancti quem *effudit in nos abunde. Tit. 3.* [*In spem viuam*] regenerauit nos, scil. hoc est vt spe viua speremus habere vitam æternam, & dicit, *spem viuam*; ad differentiam illius quæ degenerat in præsumptionem: item ad differentiam spei illorum qui sperant bona peritura, & transitoria, quorum spes est mortua non viua. *Sap. 3. Vacua est spes illorum.* hanc autem spem habemus maxime per resurrectionem, id est per fidem resurrectionis, per quam dat nobis firmam spem quod resurgemus quia si Christus resurrexit & nos resurgemus. *Gloss.* mortuus est ne mori timeremus, resurrexit vt resurrectionem speraremus [*Iesu Christi ex mortuis*] Interlinearis. remoti, id est ex loco & numero, quia ipse solus fuit inter mortuos liber.

Vers. 4. In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem.

[*In hæreditatem*] in futuro habendam, scilicet regenerauit nos, id est in vitam æternam, quæ nobis est hæreditaria non transitoria. hæreditas enim est possessio immobilis à patre in prolem Gregorius. descendens, non diuisa sed integra. *Gregorius*. hæ-Bernardus. reditas illa est omnibus vna & singulis. *Bernardus*. O præclara hæreditas sine fine mansura, non decessu patrum & successu filiorum obtinenda, non inter fratres & sorores diuidenda, non angustior multitudine hæredum quia participatio eius in idipsum ... nõ insufficiens sed omnib. bonis repleta. [*Incorruptibilem*] in se. *Gloss.* vt nec senio nec morbo nec alia mæstitia tangamur. *Apocal. 21. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, [*& incontaminatam*] ab aliis. *Gloss.* in qua nullus immundus potest intrare. *Apocal. vlt. Foris canes & venefici & impudici, &c. Sap. 7. Nihil inquinatum incurrit in illam*, [*& immarcessibilem*] in ipsis habentibus eam. *Gloss.* quia nec in ipsis beatorum mentibus hominum ex longo vsu cœlestis illa conuersatio valet aliquando vilescere, sicut luxus præsentis seculi solet aliquando in fastidium verti ex longo vsu. Quantumcunque enim homo esuriat, sitiat, tamdiu potest comedere & bibere, quod fastidiret: & quantumcunque homo sit fessus, tamdiu posset in lecto pulchro iacere quod fastidiret. Hoc autem facit infidelitas creaturarum, quæ non permittit hominem in ipsis creaturis quiescere, sed ad creatorem suum remittit.

Vers. 5. Conseruatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.

Conseruatam in cœlis. *Beda*, non in præsenti dandam, sed tempore præfinito reddendam nobis in cœlo. *Psalm. 126. Cum dederit dilectis suis somnum.* ecce habetur [*in vobis*,] i.e. pro vobis, vel futuram in vobis, vel *conseruatam* per id quod in vobis est scil. per gratiam & liberum arbitrium, & per bona opera vestra, [*qui custodimini in virtute Dei*] non vestra. *Psal. 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, &c.* [*per fidem*,] quæ facit fortes homines ad perseuerandum. Vnde scuto comparatur. *Eph. vlt. In omnibus sumentes scutum fidei*, [*custodimini*] inquam [*in salutem*] æternam [*paratam reuelari*,] i.e. ostendi & dari quæ modo latet, [*in tempore nouissimo.*] i.e. in die iudicii. *Apoc. 10. Tempus vltra non erit.*

Vers. 6. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.

[*In quo exultabitis*] hic præparat animum auditorum, & captat beneuolentiam eos in malis quæ sustinent consolando.

Primo promittendo præmia.

Secundo proponendo exempla, *de qua salute, &c.*

Item promittendo, primo fidei perfectionem in præsenti.

Secundo honorem in iudicio generali, [*inueniatur in laudem.*]

Tertio salutem animarum in iudicio particulari. [*quã cum non videritis.*] Continuatur sic: ita custodimini in salutem paratam reuelari in nouissimo tempore.

[*In quo*] sc. tempore nouissimo, [*exultabitis.*] Interlinearis. sicut triumphatores. & *Esa. 9. Sicut exultant victores capta præda, &c. Anselmus.* pleno Anselmus. corde, plena mente, pleno toto homine, nec illud totum gaudium intrabit in gaudentes sed congaudentes intrabunt in gaudium, [*exultabitis*] inquam hoc modo, hac conditione, *modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus. Act. 14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum. Gloss.* quia non nisi per tristitiam potest ad gaudia perueniri, vel sic [*exultabitis*] inquam, si pro quamuis, [*modicum oportet*,] id est oporteat, &c. vel sic [*exultabitis*] & vt exultare possitis tunc, [*modicum nunc si oportet contristari, &c.*] supple, vt dicit *gloss.* ne deficiatis, [*modicum*] dicit quoad tribulationum acerbitatem [*nunc*] quoad ipsarum breuitatem. 2. *ad Corinth. 4. Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in vobis, &c.* [*oportet*] quantum

ad ipſarum ineuitabilitatem. vnde & tribulationes dicuntur neceſſitates. *Pſal. 24. De neceſſitatibus meis eripe me.* [*In variis tentationibus.*] *Gloſſ.* Non tam interioribus quam exterioribus, quoad ipſam multiplicationem. *Pſal. 33. Multa tribulationes iuſtorum.* Item [*modicū*] reſpectu gaudii quod inde ſequitur,

Reſpectu pœnæ æternæ quæ euaditur,
Reſpectu diuinæ offenſæ quæ committitur,
Reſpectu conſolationis quæ immittitur,
Reſpectu paſſionis quā Chriſtus patiebatur.

Nunc dicit, quia breuis eſt tribulatio, ſed æterna remuneratio.

Verſ. 7. Vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam & honorem, in reuelatione Ieſu Chriſti.

[*Vt probatio fidei veſtræ*] quaſi ad hoc oportet contriſtari, vt probatio fidei veſtræ, id eſt ipſa fides per tribulationes probata, vel ipſa patientia probans [*multo pretioſior ſit auro, quod per ignem probatur,*] vt plus placeat Deo ſummo artifici, (vt tangit *gloſſa*) fides veſtra, quam alicui artifici aurum materiale. Item *gloſſa*: Patientia ſanctorum auro comparatur: quia ſicut in metallis aliquid auro pretioſius non eſt, ita hæc apud Deum omni laude digniſſima eſt. [*Inuenietur*] *gloſſa.* & vt probatio fidei veſtræ inueniatur, quia modo occultum eſt. [*In laudem*] hominum [*& gloriam*] angelorum, [*& honorem*] Dei. Nam laudabuntur à cæteris hominibus ſanctis, glorificabuntur à ſanctis Angelis, honorabuntur à Deo.

Patientia ſanctorum cur auro comparatur.

Laus in ſtola corporis,
Gloria in ſtola animæ,
Honor in iudiciaria poteſtate totius coniuncti ex anima & corpore.

[*In reuelationem Ieſu Chriſti:*] id eſt in die iudicii, quando Chriſtus occultus in primo aduentu manifeſtabitur in ſecundo, tunc cognoſcetur iudicia faciens, qui nunc ignoratur iniurias patiens vt dicit Bernardus.

Bernardus.

Verſ. 8. Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoq; non videntes, creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata.

[*Quem*] ſcilicet Ieſum Chriſtum [*cum*] id eſt quamuis [*non videritis*] oculis ſcil. corporis ſed ſolum oculis fidei [*diligitis*] quia vt ait *Auguſtinus*, inuiſa poſſumus diligere, incognita nequaquam [*in quem*] ſcil. Ieſum Chriſtum, nunc quoque in tempore perſecutionis: non ſicut illi *Luc.* 8. qui in tempore perſecutionis deficiunt [*non videntes creditis*] *Auguſtinus.* Fides eſt credere quod non vides; tales ſunt beati, in *Ioh.* 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt*, & dicit *in quem creditis*: non enim credere Deo, id eſt vera eſſe quæ ipſe dicit; vel credere Deum eſſe, ſufficit ad ſalutem: ſed oportet in ipſum credere, ſcil. credendo tendere, [*credentes autem*] id eſt in fide perſeuerantes [*exultabitis*] non tantum interius ſed exterius etiam gaudebitis. *Pſal.* 149. *Exultabunt ſancti in gloria,* [*lætitia inenarrabili:*] ab hominibus [*& glorificata*] id eſt à Deo laudata. *Eſa.* 64. *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. Beda.* O ſuauis affectio eo purior quo in ea nihil de proprio relinquitur, eo dulcior quo diuinum eſt totum quod ſentitur.

Auguſtinus

Credere Deo, Deum & in Deum.

Verſ. 9. Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.

[*Reportantes*] quod non portatis modo in ſpe, tunc iterum portantes in re, [*finem fidei veſtræ ſalutem animarum*] ſalus enim animarum finis eſt animarum noſtrarum. *Rom.* 6. *Finis vero eſt vita æterna.* Finis enim eſt optimum in vnoquoque: ſalus vero animæ optimum noſtrum eſt. ſalus enim eſt liberatio ab omni malo, imperfecta in præſenti per gratiam in futuro perfecta per gloriam. Dicitur autem finis fidei, quamuis etiam ſit finis aliarum virtutum, quia fides eſt initium ſalutis.

Verſ. 10. De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.

[*De qua ſalute exquiſierunt:*] hic conſolatur eos exemplis prophetarum ſalutem quam ipſi habent multo tempore perſcrutantium.

Et primo tangitur prophetarum perſcrutatio de inquiſitione noſtræ ſalutis.

Secundo reuelatio facta illis: [*prænuntians eas, &c.*]

Tertio denuntiatio facta verbis: [*quibus reuelatum eſt*] continuatur ſic: ita reportabitis ſalutem animarum veſtrarum.

[*De qua ſalute,*] ſcil. animarum [*exquiſierunt,*] affectu extra ſe quæſierunt, quia ſalus iuſtorum à Domino non à ſeipſis [*& ſcrutati ſunt,*] intellectu. *Gloſſ.* in occulto ſcil. contemplationis à Domino vel ab angelis [*Prophetæ.*] *Gloſſ* qui tantam cognitionem habebant, non dicit Philoſophi ſed Prophetę: [*qui de futura in vobis gratia*] redemptionis ſcil. [*prophetauerunt.*] *Gloſſ.* Palam hominibus loquendo & exponendo, quæ in occulto internæ contemplatiuis cognouerant.

Verſ. 11. Scrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias.

[*Scrutantes.*] *Gloſſ.* quotidiano vſu, [*quod*] i. e, quo anno, vel ſub quo principe *Dan.* 9. vel [*quale tempus.*] *Gloſſ.* bellicoſum vel pacificum, vel quo ordine per partum virginis vel alio modo. [*ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti:*] id eſt Spiritus ſanctus, iteratus in eis exiſtens. *Rom.* 8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet hic nō eſt eius.* vel [*ſpiritus Chriſti*] eſt angelus reuelans iu eis myſteria, ſecundum *gloſſam* vnam [*prænuntians*] ante ſcilic. diuinum aduentum nuntians, [*eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones,*] id eſt quod Chriſtus multa debuit pati, non dicit actiones quia agit de patientia, & quia difficilius eſt mala pati, quam bona agere, & dicit [*paſſiones*] non vnam ſed multas, nec ſolum quæ in capite Chriſto fuerunt, ſed etiam quæ in corpore eius, quod eſt eccleſia, [*& poſteriores glorias*] tam animæ quam corporis. Tres quippe ſunt glorificationes Domini, vt tangit *gloſſa.*

Vna qua reſurrexit:
Altera qua in cœlum aſcendit in conſpectu diſcipulorum: reſtat
Tertia cum in maieſtate venerit.

Dicit autem [*poſteriores,*] paſſionibus, quia paſſio eſt via ad gloriam. *Luc. vlt. Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* vel

[*poſte-*

[*poſteriores glorias*] vocat à patribus qui erant in limbo deſideratas. *Gloſſa*. tardas, diu deſideratas.

Verſ. 12. Quibus reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea quæ nunc nũtiata ſunt vobis per eos qui euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quem deſiderant angeli proſpicere.

[*Quibus*] prophetis ſcil. exquirentibus & perſcrutantibus. [*reuelatum eſt.*] *Gloſſ.* inter cætera occulta hoc etiam intimatum eſt: [*quod non ſibi ipſis:*] id eſt in ſuis diebus ventura ſed longe poſt. vnde non prænuntiabant ſibiipſis ſalutem illam vt ſuis temporibus futuram. [*autẽ*] pro ſed. [*vobis miniſtrabant:*] id eſt tanquam miniſtri non Domini prænuntiant. prædicator enim eſt verbi miniſter non autor. *Pſalm. 44. Lingua mea calamus ſcribæ.* [*ea quæ nunc nuntiata ſunt vobis:*] tempore ſc. gratiæ, non quaſi futura ſed iam impleta ſcilicet myſteria de Chriſto. [*nuntiata*] inquam [*per eos,*] ſcil. Apoſtolos, [*qui euangelizauerunt vobis,*] id eſt prædicauerunt [*Spiritu ſancto*] non ſpiritu proprio aut maligno. *Gloſſ* non mendoſe id eſt mendaciter, non phantaſtice, ſed Spiritu ſancto dictante miſſo eis in die Pentecoſtes. *Actor. 2.* [*de cœlo:*] ex quo patet quod eodem ſpiritu Prophetæ prædixerunt futura & Apoſtoli nuntiabant facta. vnde *Gloſſ.* ſpiritus in Prophetis, ſpiritus in Apoſtolis. vnde patet quod Prophetæ & Apoſtoli eandem ſalutem nuntiant, illi venturam, iſti impletam. vna itaq; eccleſia, cuius pars præceſſit aduentum Chriſti, pars ſequitur. inquam, [*euangelizauerunt, in quem:*] illum ſcil. Chriſtum, [*in quem deſiderant Angeli proſpicere.*] *Gloſſ.* tanta eſt hominis qui paſſus eſt pro nobis gloria, vt etiam angelicæ virtutes cum ſint in æterna fœlicitate perfectæ, non ſolum immortalis deitatis magnificentiam, ſed etiam aſſumptæ humanitatis claritatem ſemper aſpicere gaudeant.

Obiectio. Sed cum deſiderium importet defectum, quomodo Angeli deſiderant.

Solutio. Reſp. eſt deſiderium rei habendæ, vt ſcil. habeatur, & illud defectum importat: & eſt deſiderium rei iam habitæ vt cõtinuetur, & tale defectum non importat. vnde *Gloſſ.* cur cernere deſiderant cuius faciem cernere nunquam ceſſant, niſi quod contemplatio diuinæ præſentiæ ita Angelos beatificat, vt eius ſemper viſa gloria ſatientur, & ſemper eius dulcedinem quaſi nouam inſatiabiliter eſuriant. vel [*in quem deſiderant*] &c. ſc. Spiritum ſanctum. vnde *Gloſſ.* in quem ſcilicet Spiritum ſanctum, qui tantæ maieſtatis eſt, vt eius viſio ſicut patris & filii deſideretur ab Angelis.

Angelorum deſiderium tale eſt vt defectum non importat.

Et nota quod in Chriſtum deſiderant angeli proſpicere propter ſuam virtutem vt hic.

Iuſti vero poſſidere propter ſuam bonitatem. *Prou. 11. Deſiderium iuſtorum omne bonum.*

Sponſa tenere, propter ſuam pulchritudinem *Cant. 5. Totus deſiderabilis.* Et *Cant. 3. Tenui eum nec dimittam.* *Gregorius.* cæleſtes diuitiæ habitæ appetitum excitant, terrenæ autem faſtidium generant.

Gregorius.

Verſ. 13. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii, perfecte ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in reuelatione Ieſu Chriſti.

[*Propter quod ſuccincti,*] &c. Hic præparat animum auditorum & captat beneuolentiam eorum diuina beneficia memorando.

Primo beneficium gratuitæ vocationis.

Secundo beneficium cœleſtis adoptionis: [*& ſi patrem inuocatis.*]

Tertio beneficium æternæ redemptionis: [*ſcientes quod non corruptibilibus.*]

Quarto beneficium ſpiritualis regenerationis quia [*renati non ex ſemine corporali.*]

Quinto ignobilitatem generationis carnalis: [*quia omnis caro,*] *&c.* Dicit ergo

[*Propter quod.*] *Gloſſ.* quia tanta gratia vobis eſt promiſſa vt videatis illum quem nunc vident angeli. [*ſuccincti:*] à luxu luxuriæ per cingulum caſtitatis, [*lumbos mentis veſtræ:*] non ſolum carnis, id eſt luxuriæ fomitem. *Gloſſ.* vt ſuperfluas voluptates à mente reſecetis. *Ephe. 6. State ſuccincti lumbos veſtros in veritate.* ſicut enim ait *Gregorius*, viris in lumbis luxuria eſt, fœminis in vmbilico. *Gregorii ſententia de ſede luxuriæ.*

Et nota quod homo interior ſuo modo proportionatur exteriori: vnde dicitur habere

Pedem, id eſt affectionem:

Oculum, rationem:

Manum, operationem:

Narem, diſcretionem:

Renes, delectationem. [*ſuccincti*] ergo per caſtimoniam: [*ſobrii*] per abſtinentiam: [*perfecti*] per *patientiam, quæ opus perfectum habet. Iac. 1.* vel per charitatem perfectam, quæ *foras mittit timorem. 1. Iohan. 5.* [*ſperate:*] *Gloſſ.* & ſecuri expectate [*in eam quæ offertur vobis:*] *Gloſſ.* gratis, quia propria merita non ſufficiunt. [*gratiam,*] id eſt gloriam ex miſericordia dandam. *Rom. 6. Gratia Dei vita æterna.* dandam dico, [*in reuelatione Ieſu Chriſti:*] id eſt in die iudicii quando Chriſtus reuelabitur. *Eſa. 40. Videbit omnis caro ſalutare Dei. Sperate* inquam

Verſ. 14. Quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis.

[*Quaſi filii obedientiæ:*] id eſt ſimiles filio obedientiæ, qui fuit obediens patri vſque ad mortem. *Phil. 2.* vel quaſi filii *Iohan. 1. Quaſi vnigeniti à patre.* [*obedientiæ:*] intranſitiue. id eſt obedientes. & dicit filii obedientiæ, vt notetur quod obedientia debet eſſe filialis, non ſeruilis. hoc refertur ad operationem boni. [*non configurati:*] id eſt non conformes vel aſſimilati. [*prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis:*] id eſt deſideriis prouenientibus ex ignorantia & errore, propter quod excuſabiliores eratis, etſi non à toto. modo non. hoc refertur ad declinationem mali. poſtea proponitur exemplar vtriuſque partis iuſtitiæ.

Verſ. 15. Sed ſecundum eum qui vocauit vos, ſanctum, & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis.

[*Sed ſecundum eum:*] id eſt ſitis configurati ad eius exemplar quod eſt correctiſſimum. [*ſanctum:*] antonomaſtice: vnde dicitur; *ſanctus ſanctorum. Daniel. 9.* qui vocauit nos ad fidem vocatione interiori per Spiritus ſancti gratiam; & exteriori per verbum prædicationis. vocauit autem, vt [*etiam ipſi,*] id eſt ſicut ipſe Chriſtus [*ſanctificatus:*] id eſt mundi, vt ſecundum *Gloſſam.*

firmi

firmi contra vitia & contra tribulationes [*in omni conuerſatione*] non in parte conuerſationis, ſed in tota, id eſt inter domeſticos & extraneos, inter bonos & malos inter ſecularea & religioſos, inter proſpera & aduerſa. Sunt enim quidam qui conformantur omnibus quibus coniunguntur: quando ſunt cum ſecularibus, ſunt quaſi ſeculares, quando cum religioſis ſunt quaſi religioſi: tales ſunt ſimiles animali, quod vocatur chamæleon, quod conformatur omnibus quibus coniungitur: quando coniungitur rei albæ vel rubræ, videtur album vel rubrum. Nota quod ſic dixerunt quidam de anima, quod format rerum omnium ſimilitudines ex ſeipſa. Et debetis eſſe ſancti.

Verſ. 16. Quoniam ſcriptum eſt, ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.

[*Quoniam ſcriptum eſt.*] *Leuit. 19: Sancti eritis quoniam ego ſanctus ſum.* Dignum eſt enim filios patri, membri capiti conformari: *gloſſ.* tales vos volo, qualis ego ſum.

Verſ. 17. Et ſi patrem inuocatis eum qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus: in timore, incolatus veſtri tempore conuerſamini.

[*Et ſi patrem.*] *Gloſſ.* vt poſſitis eſſe ſancti, [*ſi patrem*] cœleſtem [*inuocatis,*] in oratione dicendo illud *Matth. 6. Pater noſter, &c.* [*eum,*] ſcil. Deum, [*qui ſine acceptione perſonarum,*] *quia non eſt perſonarum acceptor Deus. Actor.* 10. [*Iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus,*] nomine autem operis intelligitur hic cogitatio, locutio, operatio. 2. *ad Corinth. 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti; vt referat vnuſquiſque prout gerit in corpore,* [*in timore*] *Gloſſ.* ne per negligentiam & deſidiam tanto patre ſitis indigni. timor enim negligentiam pellit: ſecundum illud *Eccleſ. 7. Qui timet Deum nihil negligit,* è contra ſecuritas ſtulta parit negligentiam [*incolatus veſtri tempore conuerſamini.*] quaſi dicat, quamdiu eſtis in hoc mundo vbi non habetis ciuitatem ſitis in timore licet habeatis Deum patrem, *Pſal. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum tabernaculis Cedar.*

Verſ. 18. Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis.

Hic ponit beneficium redemptionis æternæ: vbi tãgit paſſionem per quam redempti ſumus, & etiam patiendi rationem, [*propter vos qui per ipſum*] & reſurrectionem, [*qui ſuſcitauit eum*] & aſcenſionem, [*& dedit illi gloriam*] & hoc eſt, [*ſcientes*] quaſi debetis timere. *Gloſſ.* quanto maius pretium eſt quo redempti eſtis, tanto amplius timere debetis, ne reuertendo ad corruptelam vitiorum, redemptoris animum offendatis, quod [*non corruptibilibus*] metallis ſcil. [*auro vel argento*] hæc duo tangit tanquam magis pretioſa, [*redempti eſtis,*] quia primo empti à diabolo per ſuggeſtionem, ſed redempti à Chriſto per ſanguinis effuſionem. [*de vana veſtra conuerſatione*] vana cõuerſatio eſt quæ occupatur in rebus vanis. *Pſalm. 4. Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? paternæ traditionis:* id eſt quam à patribus traditam

Vana conuerſatio quæ ſit.

accepiſtis. *Gloſſ.* à legis præuaricatione vel à peccato Adæ.

Verſ. 19. Sed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.

[*Sed pretioſo ſanguine*] quia pretium eſt totius mundi inappretiabile: vnde dicitur [*pretioſum.*] quia pretio plenum, [*quaſi agni,*] id eſt qui eſt quaſi agnus manſuetus & immunis ab omni peccato [*incontaminati,*] id eſt ſine omni peccato actuali, veniali & mortali, [*& immaculati*] ab originali [*Ieſu Chriſti*] & quia ita care empti, ideo magis dilecti ſunt. Mercator diligit res quas chare emit, nos ergo conſiderata tanti pretij magnitudine, debemus noſipſos magis diligere & cariores habere.

Hugo de arrha animæ. Ex hoc mihi iam vilis eſſe non potero, ex quo Deo tantum placui, vt ſe morti permitteret, ne me perderet. *Hugo.*

Auguſtinus. O quanta infelicitas, quam lugenda peruerſitas, cum quiſque luxurioſus propter delectationem libidinis vnius momenti, animam ſuam quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, diabolo vendit. *Auguſtinus*

Et nota quod huius agni

Lana, id eſt exemplo conuerſationis induimur,

Lacte, id eſt dulci doctrina nutrimur,

Carnibus, id eſt ſacramento euchariſtiæ roboramur,

Sanguine vero redimimur. [*Chriſti,*] dico præcogniti à Deo ſcilicet, id eſt præordinati à Deo per redemptionem mundi. *Apoc. 13. Qui occiſus eſt ab origine mundi.*

Verſ. 20 Præcogniti quidem ante mũdi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter vos.

[*ante conſtitutionem mundi, manifeſtati autem.*] *Gloſſ.* per aſſumptam humanitatem [*nouiſſimis temporibus,*] id eſt in vltima ætate mundi. 1. *ad Corinth. 9. Nos ſumus in quos fines ſeculorum deuenerunt.* quaſi dicat, diſpoſitio noſtræ redemptionis eſt ab æterno, ſed adimpletio in tempore [*propter vos.*] *Gloſſ.* ſaluandos.

Verſ. 21. Qui per ipſum fideles eſtis in Deo qui ſuſcitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides veſtra & ſpes eſſet in Deo.

[*Qui per ipſum,*] id eſt per eius donum non per veſtra merita [*fideles eſtis,*] tãquam membra eius [*in Deo,*] ſcil. Patre, [*qui*] ſcil. Deus, [*ſuſcitauit eum à mortuis,*] & pater eum ſuſcitauit & ipſe ſeipſum. ſuſcitauit autem eum non qualicunque ſuſcitatione ſicut alii mortui quandoque ſuſcitantur, ſed glorioſa: vnde ſequitur [*& dedit illi gloriam ſempiternam*] non tranſitoriam [*& dedit.*] *Gloſſ* dicit quod in aſcenſione, id eſt manifeſtatione gloriæ ſempiternæ. nec hoc fecit quia ipſe indigeret, ſed [*vt fides veſtra,*] ſcil. reſurrectionis, [*& ſpes*] gloriæ ſempiternæ: fides enim eſt de bonis & malis, vt ait *Auguſtinus*: ſpes vero de bonis tantum: eſſet in Deo: non in carne, non in mundo. à Deo enim eſt omne bonum.

Verſ. 22. Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore ſimplici ex corde inuicem diligite attentius.

[*Animas*

[*Animas vestras.*] *Gloss.* inuicem diligite vos. [*castificantes,*] id est castas facientes, non solum corpora sed etiam animas, vt vni viro, scil. Christo, seruetis fidem, quia ipse est sponsus animæ. 2. *ad Corinth.* 11. *Despondi vos vni viro, &c.* [*in obedientia charitatis,*] id est in obediendo Deo ex charitate seruando eius mandata. obedientia enim non debet esse ex timore, sed ex dilectione. [*in amore fraternitatis*] non enim sufficit dilectio Dei sine dilectione proximi. [*simplici ex corde.*] *Gloss.* non ex aliquo commodo. Alio enim modo esset amor mercenarios, vel [*simplici*] non duplici, sicut illi qui verbo dilectionem simulant, & in corde odium celant. [*inuicem diligite.*] id est, vnus alterum diligat & è contrario: in *Iohan.* 15. *Hoc est præceptũ meum vt diligatis inuicem,* [*& hoc attentius,*] quam hucusque fecistis, vt de bono in melius proficiatis.

Obedientia qualis esse debeat.

Bernardus. *Bernardus.* In præsenti vita non proficere deficere est, cum nihil in hac vita in eodem statu permaneat. Et hoc debetis quia

Vers. 23. Renati non ex semine corruptibili: sed incorruptibili per verbũ Dei viui & permanentis in æternum.

[*Renati,*] id est iterum nati regeneratione spirituali, qui prius eratis nati generatione carnali. *Ioh.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei,* [*non ex semine corruptibili,*] sc. materiali, qualis est natiuitas corporalis [*sed incorruptibili,*] scil. verbo Dei. *Luc.* 8. *Semen est verbum Dei,* [*per verbum.*] Hic determinat modum natiuitatis [*per verbum,*] vel increatum scil. Dei filium, aut per verbum creatum doctrinæ sc. Euangelium: aut per verbum sacramentale, quo scil. perficitur sacramentum. [*Dei viui*] in se & ex se, & vitam tribuentis ad differentiam idolorum. *Baruch.* 6. mortui sunt dii illorum: viuentis autem non quacunque vita sed æterna [*& permanentis in æternum,*] & in se verbum increatum & in effectu, quia vita quã dabit durabit in æternum.

Vers. 24. Quia omnis caro vt fœnum: & omnis gloria eius tanquam flos fœni, exaruit fœnum, & flos eius decidit.

[*Quia omnis caro fœnum.*] Hic ostendit ignobilitatem generationis carnalis, quia non ex semine corruptibili renati estis; & vere corruptibili, [*quia omnis caro fœnum,*] id est transitoria sicut fœnum. Caro autem comparatur fœno quia vt dicit glossa super illud *Esai.* 40. *Omnis caro fœnum.* fœnum nascendo habet virorem, crescendo decorem, deinde florem, sed ardore solis siccatum redigitur in puluerem: sic homo per ætatum successiones, amittit decorem & cadit in mortem. *Iac.* 1. *Exortus est sol cum ardore & arefecit fœnum,* [*& omnis gloria eius.*] *Gloss.* omnes delectationes carnis tanquam flos fœni, qui cito euanescit [*exaruit autem fœnum,*] id est corruptum est subiectum subtractione naturalis humoris & caloris interioris, id est caro deficit aliqua infirmitate vel senio. [*Et flos eius decidit,*] subtractione exterioris decoris.

Caro quare fœno comparata.

Vers. 25. Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc est autem verbum quod euangelizatum est in vobis.

[*Verbum autem Domini manet in æternum,*] verbum increatum manet æternaliter in seipso: verbum vero creatum in suo effectu & in suo significato. *Psal.* 118. *In æternum Domine permanet verbum tuum.* hoc est autem verbum manens non transiens, quod euangelizatum est per me & per alios Apostolos [*in vos*] vel in vobis, id est inter vos, hoc ideo dicit, quia verbum ipsum intra ipsos est penetratiuum: secundum illud *Hebr.* 4. *Viuus est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c.*

Nota de hoc: [*Redempti estis de vana vestra conuersatione,*] quod hæc redemptio fuit *Redemptio.*

Copiosa. Psalm. 129. *Apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio.*

Gratiosa. Esa. 52. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.*

Pretiosa: non corruptibilibus auro vel argento, &c.

Æterna: *Hebr.* 9. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.*

Gloriosa: & ex parte redimentis, quia filius Dei. *Gal.* 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, &c.* & ex parte redempti. *Psalm.* 102. *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Apoc.* 5. *Redemisti nos Domine in sanguine tuo & fecisti nos Deo regnum & sacerdotes.*

Ad hoc autem quod proficiat ista redemptio quinque sunt necessaria. *Redemptio vt prosit, quinque necessaria.*

Primum est confessio culpæ. *Prou.* 15. *In misericordia,* scil. Iudicis, *& veritate,* scil. confitentis, *redimitur iniquitas.*

Secundum est postulatio veniæ. *Psal.* 54. *Ego autem ad Dominum clamaui,* veniam scil. postulando: *& Dominus saluauit me,* & parum post: *redimet in pace animam meam.*

Tertium, largitio eleemosynæ. *Dan.* 4. *Peccata tua eleemosynis redime. Prou.* 12. *Redemptio animæ viri diuitiæ eius.*

Quartum est expletio pœnitentiæ iniunctæ. *Sophon.* 3. *Væ prouocatrix & redempta ciuitas; non audiuit vocem nec suscepit disciplinam.*

Quintum est veritas fidei. *Eccl.* 49. *In fide veritatis sua redemerunt se.*

CAPVT II.

VErs. 1. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones.

[*Deponentes igitur omnem malitiam, &c.*] Post exordium aggreditur narrationem in qua instruit eos

Primo & principaliter ad bene viuendum in se: in isto capitulo.

Secundo ad bene conuiuendum fratribus capitulo tertio.

Tertio ad compatiendum Christo, quarto capitulo.

Ad bene viuendum instruit primo generaliter omnes, secundo specialiter secundum diuersas personarum conditiones, [*charissimi obsecro vos, &c.*

In prima parte:

Primo instruit hortando ad meritum.

Secundo ostendendo fructum [*propter quod continet scriptura.*]

Tertio commendando statum: [*vos autem genus electum, &c.*]

Quarto allegando beneficium, [*qui aliquando non populus, &c.*] Ad meritum autem inuitat, primo

primo incipientium: ſecundo proficientium: ſicut modo geniti, &c. tertio perfectorum: *ad quem accedentes, &c.*

Peccati grauitas vnde pateat.

Dicit ergo: [*Deponentes,*] *Gloſſa.* quia ſic renati eſtis & filii Dei facti: igitur [*deponentes,*] tanquam graue pondus. Peccatum enim eſt pundus grauiſſimum, quod patet, quia ſubito traxit grauiſſimam creaturam ſcil. angelicam de ſupremo loco ad infimum. *Hebr. 12. Deponentes omnes pondus & contriſtans nos peccatum,* [*omnem malitiam.*] *Gloſſa.* Voluntatem nocendi aliis ſcil. aperte, vel in perſona ſua vel in perſona ſibi coniuncta, ſcil. in vxore & in poſſeſſione ſua. & ideo dicit *omnem*: [*& omnem dolum,*] *Gloſſ.* deceptionem ſcil. occulte, [*& ſimulationes:*] malignandi ſub ſpecie iuſtitiæ. *Gloſſ.* Simulatio eſt cum aliud eſt in corde aliud in ore [*& inuidias*] odium ſcil. alienæ felicitatis in corde. [*& omnes detractiones*] diminutionem alieni boni in ore. & dicit *omnes* quia multis modis committitur detractio: aut bonum quod ineſt in eſſe, negando, aut obfuſcando, aut malum quod non ineſt, ineſſe dicendo, aut intentionem in bono opere peruertendo, aut ſeipſum coniungendo, vt ſic aliis detrahat, quibus aperte detrahere non audet. *Prouerb. 11. Remoue à te os prauum & labia detrahentia.*

Simulatio quid ſit.

Detractio multis modis committitur.

Verſ. 2. Sicut modo geniti infantes, rationales, ſine dolo lac concupiſcite: vt in eo creſcatis in ſalutem.

[*Sicut modo geniti infantes,*] id eſt innocentes per munditiam vitæ, non ſenes inueterati in malitia culpæ. & quia innocentes ſolent eſſe ſine diſcretione, ſubdit [*rationabiles,*] i.e. ratione vtentes per ſapientiam. *Gl.* Etſi infantes per malitiam remotam, tamen rationabiles per ſapientiam. *1. ad Corinth. 14. Nolite pueri effici ſenſibus, malitia autem paruuli eſtote.* & quia vſus rationis poteſt eſſe in bono & in malo, ideo ſubdit [*ſine dolo lac concupiſcite,*] id eſt, ſimplicem doctrinam de vberibus matris eccleſiæ. *Gloſſ.* Simplicia rudimenta fidei de vberibus matris eccleſiæ quærite, id eſt de vtriuſq; teſtamenti doctoribus. in hoc quod dicit, [*ſicut modo geniti*] remouet malitiam operis: in hoc quod dicit, [*infantes,*] remouet malitiam oris. dicitur infans quaſi non fans. In hoc quod dicit, [*ſine dolo*] remouet malitiam cordis. In hoc quod dicit, [*rationabiles*] docet diſcretionem boni operis. In hoc quod dicit [*lac concupiſcite,*] docet ſimplicitatem intentionis, vel etiam deſiderium ſacræ lectionis. Vnde *gloſſ.* tangit illos qui ad audiendas lectiones ſacras faſtidioſi adueniunt, ideoque ad perfecta ſalutis incrementa tardius proueniūt. [*vt in eo lacte,*] ſc. ſimplicis doctrinæ à principio vobis miniſtrādæ. [*creſcatis*] i. e. proficiatis vſque ad ſumendū cibum ſolidioris doctrinæ, peruenietes à cognitione humanitatis Chriſti, vſq; ad cognitionē diuinitatis, [*creſcatis*] inquam [*in ſalutem*] perueniendo ſcil. quaſi ſtatus debitus augmenti ſpiritualis. Hoc dicit contra illos qui aut corporaliter in ſtatura corporis aut ſpiritualiter in cognitione mentis creſcunt, potius in damnationem quam in ſalutem. *Eccleſ. 1. Qui addit ſcientiam addit & dolorem.* Nota de aliquibus qui creſcunt quemadmodum *linea* ſcil. in longitudine corporis vel temporis, non tamen in profunditate humilitatis, vel latitudine charitatis, nec altitudine contemplationis. Nota etiam de aliquibus qui creſcunt ſicut *pellis* ſuper carnem in carnalibus, ſcil. affectionibus ſiue deſideriis. Vnde *Pſal. 103. Extendens cœlum,* etiam viros cœleſtes [*ſicut pellem.*] [*Ita creſcatis in ſalutem*] & hoc poteritis.

Nota. Creſcunt quidam ſicut linea.

Quidam ſicut pellis.

Verſ. 3 Si tamen guſtatis, quoniā dulcis eſt Dóminus.

[*Si tamen guſtatis,*] guſtu ſcil. ſpirituali de quo *Pſal. 33. Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* [*quoniam dulcis eſt Dominus*] palato ſano, quamuis amarus videatur palato febricitanti. *Gloſſ.* Hoc pactu concupiſcite ſi quanta ſit diuina dulcedo lapitis. nam qui nihil de eius dulcedine guſtat, non eſt mirum ſi hic terrenis deſideriis ſordidari non euitat.

Et nota quod dulcis eſt Dominus,

Primo in cognitione ad meditandum. *Cantic. 2. Et fructus eius dulcis gutturi meo.*

Dulcis eſt Dominus.

Secundo in aure ſpirituali ſcilic. ad audiendum. *Cant. 2. Vox enim tua dulcis & facies tua decora.*

Tertio in ore ad loquendum & prædicandum. *Pſalm. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.*

Quarto in aſpectu ad videndum. *Eccleſ. 11. Dulce lumen & delectabile oculis.*

Quinto in opere ad exequendum. Vnde *Eccl. 23 g. Nihil dulcius quam reſpicere in mandata Dei: gloria magna eſt ſequi Dominum.*

Iſta autem dulcedo multa eſt numeroſitate. *Pſalm. 30. Quam magna eſt multitudo dulcedinis tua Domine.* Item

Longa eſt duratione quia ſine fine. *Pſalm. 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo & delectationes in dextera tua vſque in finem,* intentionis, ſed ſine fine durationis. Item

Magna, affectione. *Sap. 16. Panem de cœlo præſtitiſti habentem in ſe omne delectamentum & saporis ſuauitatem.* ſubſtantiam enim tuam & dulcedinem quam habes in filios oſtendebas.

Verſ. 4 Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum.

[*Ad quem accedentes.*] Hic inuitat ad merita perfectorum. Dicit ergo [*ad quem,*] ſcil. Dominum Chriſtum qui attrahit, quia dulcis: [*accedentes.*] *Gloſſ.* Fide & imitatione [*lapidem*] per ſtabilitatem, firmitatem, ſupportationem, id eſt fundamentum ſuper quod ædificatur totum ædificium virtutum & tota fabrica eccleſiæ. *1. ad Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus,* id eſt, fides Ieſu Chriſti, viuum in ſe & viuificantem fideles, quia *iuſtus ex fide viuit. Rom. 1.* [*ab hominibus.*] Iudæis ſcil. [*reprobatum.*] *Gloſſ.* cum dicerent *non habemus regem niſi Cæſarem. Ioh. 19* [*à Deo autem patre*] *Gloſſ.* qui non fallitur in ſui diſpoſitione [*electū,*] ad conſtructionem Eccleſiæ. Vnde *gloſſ.* vt faceret vtrumque vnum, coniungendo ſcilicet duos populos, Iudæorum ſcil. & gentium, quaſi duos parietes in ſua fide. *Epheſ. 2* [*Et honorificatum,*] *glo.* in aſcenſione. *Pſal. 8. Gloria & honore coronaſti eum. Hebr. 2. Videmus Ieſum propter paſſionem gloria & honore coronatum.*

Verſ. 5 Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotiū ſanctū, offerte ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.

[Et

Fides sine operibus mortua.

[*Et ipsi:*] scil. nos Apostoli iam in ipso sumus superædificati. [*tanquam lapides:*] solidi in fide. [*viui:*] bonis operibus, *sine quibus fides mortua est. Iac.* 2. [*viui:*] *Gloss.* non insensibiles sed per discretionem erudit. [*superædificamini:*] id est, super lapidem Christum tanquam super spirituale fundamentum. [*ædificamini:*] id est vosipsos: [*in domos spirituales:*] in quibus Deus habitet per gratiam, 1. *ad Corinth.* 3. *Templum sanctum est quod estis vos. Gloss.* [*in Domos:*] contra pluuiam, ventos & flumina.

Contra pluuiam carnalis concupiscentiæ.

Contra ventum superbiæ.

Contra flumina cupiditatis & auaritiæ. [*Sacerdotium sanctum:*] vt scil. sitis sacerdotes sancti, in templis spiritualibus conscientiarum vestrarum Deo sacrificantes secundum illud *Apocal.* 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.* Ponit vero abstractum pro concreto vt insinuet perfectionem & dignitatem huius sacerdotii. [*sanctum:*] sanctificatum oleo gratiæ Spiritus sancti. Ita supple: vt sitis digni offerre in ara cordis vestri [*spirituales hostias*] bonorum operum, scilicet eleemosynarum & orationum & huiusmodi, non carnales animalium. *Psal.* 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* vel [*spirituales hostias:*] id est vosmetipsos spiritualiter viuẽtes, acceptabiles Deo qui spiritus est: & ideo spirituales hostias requirit non carnales. *Psal.* 50. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.* [*per Iesum Christum.*] hoc secundum *glossam* refertur ad omnia præcedentia, quæ fieri non possunt nisi per Iesum Christum: *Gloss.* quod ædificamini, quod sacerdotes estis & offertis, hoc totum per Iesum, cuius gratia omnia habetis.

Vers. 6. Propter quod continet scriptura. Ecce pono in Sion lapidem summum angularem electum, pretiosum, & qui crediderit in eum non confundetur.

[*Propter quod continet scriptura:*] hic ostendit fructum, &

Primo in euitatione confusionis.

Secundo in adeptione honoris: [*vobis igitur honor.*] Dicit ergo: [*propter quod.*] *Gloss.* ad confirmandum quod Dominus propter firmitatem suam dictus sit lapis, continet scriptura prophetica. *Esa.* 28. [*Ecce*] pro admiratione, [*ponam*] inquit Deus Pater, filium incarnatum mittendo. [*in Sion:*] per Sion quæ erat arx ciuitatis Hierusalem significatur literaliter terra Iudæorum, in qua ortus est Dominus; spiritualiter vero ecclesia fidelium Deum per fidem speculantium. [*lapidem:*] sc. Christum, qui est lapis firmitate. [*summum*] perfectione. [*angularem*] duorum parietum, ecclesiæ coniunctione. [*electum*] singulari dignitate. [*pretiosum*] redemptionis virtute, pretii nostri solutione.

Hic est lapis *abscissus de monte*, id est, natus de beata virgine, *sine manibus*, id est sine virili semine: *Dan.* 2.

Hic est lapis septem oculorum per vniuersam terram discurrentium. Zach. 4.

Hic est lapis quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli, in passione. *Psal.* 117. *Qui crediderit in eum:* fide scilicet formata per dilectionem operante. non dicit ei vel *eum* sed *in eum* [*non confundetur:*] æterna scilic. confusione.

Et nota quod litera est *Septuaginta*. Litera nostra habet *Esa.* 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem pretiosum in fundamento fundatum, qui crediderit non festinet.* Ponit autem Petrus hic [*summũ,*] loco huius quod dicit in fundamento fundatum, ad denotandam differentiam spiritualis ædificii & terreni, quia fundamentum spiritualis ædificii est in summo, terreni vero in imo.

Vers. 7. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

[*Vobis igitur, &c.*] Ita qui crediderit non confundetur, imo honorabitur. [*igitur vobis credentibus honor*] hoc est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. Credentibus enim in Deum est honor in præsenti, & erit in futuro. fides enim facit hominem filium Dei, quod valde est honorificum. E contrario: [*non credentibus autem*] in Christum credere nolentibus. supple, factus est ipse Christus: [*lapis quem reprobauerunt ædificantes:*] vt fiat hic destructiu secundum *Bedam*. quasi dicat, sicut illi reprobauerunt eum in præsenti, nolentes eum ponere in ædificio cordis sui, sic ipse reprobabit eos in futuro. *Luc.* 12. *Qui negauerit me coram* hominibus, denegabitur coram angelis Dei. [*ædificantes*] Pontifices, Scribæ & Pharisæi, qui erant architecti & rectores populi Iudaici. [*Hic factus est in caput anguli,*] id est, principium iuncturæ christianæ religionis, quæ est quasi angulus, in quo fit coniunctio duorum populorum, quasi duorum parietum scil. Iudæorum & gentium *Coloss.* 1. *Ipse est caput corporis ecclesiæ.* & è contrario.

Vers. 8. Et lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.

[*Factus est lapis offensionis:*] scilicet lædens pedem affectus in præsenti, vt sic cespitent de peccato in peccatum, non habentes firmitatem quia Christo † apponati non sunt. [*& petra scandali*] in futuro vt tunc omnino corruant & præcipitentur in infernum. Sumptum autem est hoc de *Esa.* 8. *In lapidẽ autem offensionis & in petram scandali, duabus domibus Israel,* [*his qui offendunt verbo:*] id est scandalizantur in verbo, vel male loquuntur de Deo, vt faciunt blasphemantes Iudæi & negantes. *Augustinus.* Non minus peccant qui Deum blasphemant iam regnantem in cœlis, quam qui eum crucifixerunt adhuc mortalem in terris. [*nec credunt in eum,*] scil. Christum, [*in quo positi sunt.*] *Actor.* 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* vel [*in quo & positi sunt:*] id est ad quod ordinati sunt naturaliter. *Gloss.* per naturam ad hoc facti sunt homines, vt credant Deo & eius voluntati obtemperent.

† *Forsa ap. propinquati.*

Augustinus

Vers. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.

[*Vos autem genus electum:*] Hic instruit eos commendando statum, sic: illi sunt tales qui non credunt. *vos* autem, credentes scil. estis [*genus electum:*] quasi dicat, hoc testimonium quod antiquo populo datũ fuit dum Deum colebat, quia

eum reprobauit, ab eis ad vos translatum eſt. *qui membra eius facti eſtis*: genus Abrahæ, ſcil. per imitationem *Matth. 3. Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* vel genus Dei per conformitatem. *Actor. 17. Genus autem eius ſumus Dei.* Genus inquam *electum*: ſcil. ab infidelibus, qui reprobati ſunt diſtinctione ſecundum *Gloſſam*. [*Regale ſacerdotium*:] vnctionis dignitate. *Apoc. 5. Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes.*

Quæſtio. Sed cum *Exod. 19.* dicatur *Vos eritis mihi in regnum ſacerdotale*, quare dicitur hic regale ſacerdotium?

Reſponſio. Sacerdotium in N. T præeminet regno. Reſp. Ad innuendam prærogatiuam Noui Teſtamenti reſpectu veteris. In Nouo autem Teſtamento ſacerdotium præeminet regno, ſicut ſpiritus præeminet corpori. Regnum enim conſiſtit in regimine corporali: ſacerdotium in regimine ſpirituali, ideo poteſtas ſacerdotalis ponitur in ſubſtantiuo, regalis vero in adiectiuo. [*gens ſancta*:] id eſt à peccatis munda per gratiam. [*populus acquiſitionis*:] id eſt acquiſitus non modico pretio, ſed ſanguine pretioſo. *1. ad Cor. 6. Empti eſtis pretio magno.* non credentes vero populus ſunt perditionis. Ad hoc autem eſtis electi & acquiſiti: [*vt virtutes*,] id eſt, opera virtuoſa quæ fecit in opere redemptionis humani generis. [*annuntietis*,] id eſt, prædicetis aliis. *Pſalm. 95. Annuntiate omnes virtutes eius.* Sicut filii Iſrael poſt tranſitum maris rubri, in quo Ægyptii ſunt ſubmerſi carmen triumphale cecinerunt. [*eius*:] id eſt Chriſti. [*qui de tenebris*:] culpæ & ignorantiæ infidelitatis. [*vos vocauit*:] vocatione interiori per ſpiritum, & exteriori per Euangelium. [*in admirabile lumen ſuum*:] ſcil. fidei & gratiæ, quæ illuminat intellectum & inflammat affectum. Et dicitur hic *lumen admirabile*, quia illuminat admirabilia videnda & credenda *Pſal. 118. Reuela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua.* [*vos*] inquam,

Verſ. 10. Qui aliquando non populus: nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam: nunc autem miſericordiam conſecuti.

[*Qui aliquando non populus eratis*:] ſupple per culpam. [*nunc autem*:] ſcil. tempore gratiæ. [*populus Dei*] eſtis per fidem & gratiam. [*qui non conſecuti miſericordiam*:] prius ſcil. hoc eſt remiſſionem peccatorum. [*nunc autem*:] id eſt, tempore gratiæ. [*miſericordiam conſecuti*:] id eſt, peccatorum remiſſionem. Hinc probatur vt dicit *Gloſſa* quod hanc epiſtolam ſcripſit his, qui de gentibus ad fidem venerant. Sumuntur enim hi verſus de Prophetia *Oſeæ 1. & 2.* in qua agitur de vocatione gentium, & tangit hic duplex beneficium, quia incorporati ſunt eccleſiæ & Deo reconciliari.

Verſ. 11. Chariſſimi obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus animam.

[*Chariſſimi obſecro vos tanquam aduenas.*] Hic inſtruit ad bene viuendum ſpecialiter ſecundum diuerſas perſonarum conditiones

Primo liberos.

Secundo ſeruos: *ſerui ſubditi eſtote.*

In prima parte, primo liberos monet ad carnis puritatem.

Secundo ad conuerſationis honeſtatem: [*conuerſationem veſtram.*]

Tertio ad mentis humilitatem: [*ſubiecti eſtote.*]

Quarto ad bene operandi libertatem: *quia ſic eſt voluntas Dei.*

Quinto ad aliorum honorificationem: *omnes honorate.*

Dicit ergo: [*chariſſimi, &c.*] *Gloſſ.* Hucuſque generaliter inſtruxit eccleſiam, hic diuerſas fidelium perſonas ſolerter hortatur. [*chariſſimi*:] *Gloſſ.* quia eſtis miſericordiam conſecuti, ergo [*chariſſimi.*]

Chari quia homines, propter dignitatem imaginis.

Chariores quia fratres, propter communionem chriſtianæ religionis.

Chariſſimi quia ſpirituales filii propter curam Apoſtolici regiminis. [*obſecro*:] per ſacra adiuro. non ait præcipio, cum tamen poſſit. volens inſinuare charitatē potius quam authoritatem. [*tanquam aduenas & peregrinos.*] *aduenæ* ſunt qui in loco alieno manent. *peregrini* qui ſemper de loco ad locum tranſeunt. Dicuntur ergo hi *aduenæ* quia de gentilitate ad fidem venerant, non ex fidelibus orti erant. Dicuntur autem *peregrini* quia ſub perſecutione: quia poſt perſecutionem Stephani *Actor. 8. Diſperſi erant.* vel *aduenæ* dicuntur quia animæ eorum non de natura terreſtri, ſed potius cæleſti formatæ ſunt. *peregrini* vero quia de terra ad cœlum tendunt. *Pſal. 38. Aduena ego ſum & peregrinus, &c.* *Aduenæ qui nam ſunt. Qui item peregrini.*

Nota de peregrino quod quantumque ſit extra terram ſuam corpore, tamen cor eius eſt in patria ſua. *Peregrinus.* [*abſtinere*:] id eſt fræno abſtinentiæ temperare. vel, *abſtinere*, id eſt abſque tentione eorum eſſe. tenetur enim homo per conſenſum & delectationem, per opus & conſuetudinem: & per remotionem iſtorum abſtinendum eſt. [*à carnalibus deſideriis*:] id eſt, ab his quæ caro deſiderat, quæ ſunt opera gulæ & luxuriæ. hæ ſunt duæ filiæ ſanguiſugæ, id eſt carnis. *Prou. 30.* [*quæ militant aduerſus animam*:] id eſt vt milites pugnant & impugnant, non in quantum anima eſt, ſed in quantum ſpiritus. *Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, &c.*

Verſ. 12. Conuerſationem veſtram inter Gentes habentes bonā: vt in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.

[*Conuerſationem veſtram*:] id eſt actus exteriores. [*inter gentes habentes bonam*:] id eſt inter gentiliter viuentes, non tantum inter fideles *Col. 4. Honeſte ambuletis ad illos qui foris ſunt.* [*vt in eo quod detractant de vobis*:] id eſt frequenter detrahunt, vel detrahendo tractant. [*tanquam de malefactoribus*] id eſt ac ſi eſſetis malefactores, reputantes vos credendo in Chriſtum, & idola relinquendo malefeciſſe, & ideo tribulationem ſuſtinere. Imponebant etiam pagani chriſtianis quod magicam artem exercebant. [*ex bonis operibus*:] id eſt, propter bona opera quæ facitis [*vos conſiderantes*:] id eſt, diligentius intuentes. [*glorificent Deum*:] omnis boni autorem. *Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus; vt videant bona opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui eſt in cælis.* [*in die viſitationis*:] ſiue viſitationis factæ in præſenti

per

per misericordiam quando à Deo visitabuntur & conuertentur exemplo operum vestrorum. de qua *Luc.1. Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* siue *visitationis* vestræ factæ in præsenti per tribulationum pressuram. Quum enim videbant eorum patientiam, credebant eos magni meriti esse apud Deum, & sic Deum laudabant. siue *visitationis* quæ erit in futuro, in die scil. iudicii, quando visitabuntur boni præmio, mali flagello.

Vers. 13. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue regi, quasi præcellenti.

[*Subiecti estote, &c.*] Hic monet eos ad mentis humilitatem. *Gloss.* vt conuersatio vestra omnibus placeat, nō resistatis alicui dignitati aut personæ, aut principatui cui Deus vos subdi voluit. imo [*subiecti estote omni humanæ creaturæ:*] *Gloss.* & fidelibus & incredulis, & est accommoda distributio pro his, sub quorum sunt potestate. [*propter Deum*] sic ordinantem. *Rom. 13. Qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.* vel, [*propter Deum:*] id est secundum amorem de quo dicitur *Luc. 2. Et erat subditus eis.* vel, *propter Deum*, id est, in his per quæ ordinamur ad Deum vt finem nostrum, nō in his quæ sunt contra Deum. [*siue regi, quasi præexcellenti:*] id est, qui est maior & præcellens aliis dignitate & potestate.

Vers. 14. Siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.

[*Siue ducibus:*] id est potestatibus minoribus: [*tanquam ab eo:*] scil. Deo vel rege [*missis*] *omnis enim potestas à Deo est. Rom. 13.* [*missis,*] inquam, [*ad vindictam malefactorum:*] id est pœnam. [*laudem vero bonorum:*] remunerationis gloriam; finis enim legis & ministrorum eius est, id est, esse debet punitio malorum & remuneratio bonorum. Sed tamen iudices aliquando peruertūt officiū, malos sublimando, bonos opprimendo: quod tamen ipsis bonis ad laudem cedat, vt dicit *Gloss.* malis vero ad punitionem. & debetis subditi esse.

Vers. 15. Quia sic est voluntas Dei vt bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

[*Quia sic est voluntas Dei*] vt scil. ita faciatis. [*vt benefacientes*] sci. bene conuersantes, & malis bene vtentes: [*obmutescere faciatis:*] subtrahendo illis materiam loquendi & detrahendi. [*imprudentium hominum ignorantiam:*] qua ignorantes bonitatem vestram prius detrahebant vobis.

Vers. 16. Quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.

[*Quasi liberi.*] *Gloss.* & hæc benefacite, [*quasi liberi:*] sc. ex amore nō ex timore: vnde † verbum [*quasi*] est expressiuum veritatis. [*quasi*] sicut vere liberi estis, sic dicimus libere & voluntarie seruiatis, [*& non quasi velamen malitiæ habentes.*] *Gloss.* Libertas vestra non obuoluat corda vestra in velamen malitiæ, vt tanto licentius peccetis, quanto minus iugo seruitii premimini. Hoc autem

† L. Mt.

dicit Apostolus contra quosdam qui dicebant, quia filius nos liberauit, vere liberi sumus, & nemini seruire debemus, & ideo superioribus negabant sua iura. Tales erant Iudæi dicentes *Iohan. 8. Semen Abrahæ, nemini seruiuimus vnquam.* Talia etiam sunt aliqua monasteria, & aliquæ personæ, quæ habent libertatem quasi velamen malitiæ: quia enim gaudent priuilegio exemptionis ne visitentur ab ordinariis, liberius peccant. *Gal. 5. Vos in libertatem vocati estis fratres, ne tamen libertatem detis in occasionem carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem.* [*sed sicut serui Dei:*] scilicet sitis humiliter seruientes. *Gloss.* seruitus Dei humilitatem requirit. Vult ergo dicere; seruite principibus humiliter, sicut serui Dominis, quia in ipsis Domino seruitis.

Vers. 17. Omnes honorate, Fraternitatem diligite, Deum timete. Regem honorificate.

[*Omnes honorate.*] Hic monet ad aliorum honorificationem. [*omnes*] nō solum Reges & Duces, sed vnumquemque pro modo suo vt dicit *Glossa.* [*honorate*] honore reuerentiæ. *Roman. 12. Honore inuicem præuenientes*, quia in omnibus est Dei imago, quæ est ratio honorandi. [*fraternitatem diligite:*] vt etiam maiores diligant minores vt fratres. frater enim est nomen æqoiparantiæ. [*Deum timete:*] scilicet timore filiali non seruili: non dicit diligite vel honorate, quia timor Domini initium dilectionis eius *Ecclesi. 25.* [*Regem:*] quasi Dei ministrum [*honorificate.*] *Gloss.* quasi præcellentē ampliori honore veneramini *Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

Deus quomodo timendus.

Dicit autem [*honorificate:*] id est honorem extra facite. omnes enim debemus honorare interius, sed regem etiam exterius.

[*Obsecro vos tanquam aduenas, &c*] Nota quod in tota illa Epistola quæ recitatur post Pascha in tertia Dominica, monet nos Apostolus ad tria:

Primo ad abstinentiam, [*à carnalibus desideriis*] quoad seipsum: [*obsecro vos, &c.*]

Secundo ad honestam conuersationem quoad proximum: [*conuersationem vestram, &c.*]

Tertio ad subiectionem humilitatis quoad Deum. [*subiecti estote, &c.*]

In prima primo notatur admonitionis ratio: [*obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos.*]

Secundo ipsa admonitio: [*abstinere vos.*]

Vers. 18. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.

[*Serui subditi estote, &c.*] Hic specialiter instruit seruos quibus primo dat documentum.

Secundo ostendit impletionis meritum: [*hæc est enim gratia*]

Tertio inducit exemplum, [*quod Christus passus est.*] Dicit ergo: [*serui,*] *&c.* *Glossa.* hucusque exhortatus est liberos ad subiectionem, nunc hortatur seruos: [*subditi estote*] subiectione obedientiæ & reuerentiæ. [*In omni timore:*] id est perfecto timore. omne enim & totum & perfectum quandoque dicimus idem, id est in timore filiali. vel [*in omni timore:*] scilicet interiori & exteriori. [*non tantum bonis:*] quoad Deum. *Gloss.* fide, vita, moribus. [*& modestis:*] quoad proximum

mum, moderate ſcil. impetantibus & condonantibus quando commiſſum eſt aliquid contra eos. [*ſed etiam dyſcolis:*] id eſt indiſciplinatis & indoctis. *Gloſſ.* Scholaſtici ſunt eruditi, dyſcoli indocti & agreſtes. alia litera habet [*difficilioribus.*] quales ſunt illi qui nihil grataunter accipiunt: ſimiles Holoferni cui quamuis multus honor exhiberetur, tamen ferocitas animi eius non poterat mitigari vt dicitur *Iudith.* 3.

Verſ. 19. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè.

[*Hæc eſt enim gratia:*] id eſt in hoc acquiritur Dei gratia. *Gloſſ.* per hoc efficitur homo gratus Deo [*ſi propter conſcientiam Dei:*] id eſt bonam cōſcientiam diuinitus informatam in qua etiam habitat Deus. vel [*propter conſcientiam Dei:*] id eſt propter intentionem placendi Deo quaſi Deus ſit nobiſcum. vel [*propter conſcientiam Dei:*] id eſt propter fidem Dei: vt ponatur conſcientia pro fide, ſicut è contrario. *Rom.* 14. *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* [*ſuſtinet quis:*] ſcil. patienter & ſine murmuratione cordis. & dicit [*ſuſtinet:*] id eſt † *inſenſualitate* ſub ratione tenet, ne ſcil. ratio ſuccumbat [*triſtitias:*] id eſt pœnas à dominis illatas, vnde ſolet oriri triſtitia. [*patiens iniuſte:*] id eſt, ſine merito ſuo: patitur enim quis iuſte cum patitur pro peccatis. patitur autem iniuſte cum ſine ſuis meritis, ſed vt ſoli Deo placeat, vt poſſit dicere illud. *Pſal.* 68. *Propter te ſuſtinui opprobrium, &c.*

Conſcientia

† Forte leg. ſenſualitatem.

Verſ. 20. Quæ eſt enim gratia, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? ſed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum.

[*Quæ eſt enim gratia.*] id eſt acquiritur vel debetur ex hoc. [*ſi peccantes:*] rebelles in ſeruitio Dominorum nolentes eis ſeruire. [*& colaphizati:*] id eſt colaphis cæſi à Dominis, propter hoc vt dicit *Gloſſa* vt ad obedientiam inducamini [*ſuffertis:*] i. e. ſuſtinetis. *Gloſſ.* ſi exteriorem pœnam ſuffertis & non amore iuſtitiæ nullum præmium accipietis [*ſed ſi benefacientes:*] id eſt quamuis benefacientes, & Dominis veſtris, vt debetis obedientes [*patienter:*] ſine murmure & indignatione [*ſuſtinetis.*] *Gloſſ.* mala illata à dominis [*hæc eſt gratia apud Deum:*] patientiæ veſtræ remunerationem. *Infra* 3. *Si quid patimini propter iuſtitiam beati.*

Verſ. 21. In hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.

[*In hoc enim:*] *Gloſſ.* vt patiamini. [*vocati eſtis*] ad fidem 2. *ad Timoth.* 3. *Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto, &c.* [*quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, &c.*] Hic introducit exemplum paſſionis Chriſti: &

Primo oſtendit in Chriſto patiendi cauſam.

Secundo patientis innocentiam [*qui peccatum non fecit.*]

Tertio paſſionis efficaciam: [*qui peccata noſtra, &c.*] Efficaciam autem tangit quadruplicem, ſcil.

Pro peccatis ſatisfactionem.

Mortuorum viuificationem: [*vt peccatis mortui.*]

Vulneratorum ſanationem [*cuius liuore, &c.*]

Errantium reductionem: [*eratis enim, &c.*]

Dicit ergo: [*quia Chriſtus:*] quaſi, debetis pati exemplo Chriſti. *Gloſſ.* multum glorificat ſeruos quos benefacientes & abſque culpa vapulantes affirmat imitatores dominicæ paſſionis. [*Chriſtus paſſus eſt:*] non dicit quid, vt ſic innuat ſuſtinuiſſe omne genus paſſionis. [*Pſal.* 87. *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* [*pro nobis:*] tam Apoſtolis quam aliis, tam præſentibus quam abſentibus. *Chriſtus* enim *pro omnibus mortuus eſt.* 1. *ad Corinth.* 5. vel [*pro nobis:*] id eſt loco noſtri qui eramus morti adiudicati. vnde paſſus eſt vt nos à morte liberaret: ſicut ſolet dici: ego ſoluam pro te, id eſt, loco tui. *Sicut* enim pro membris infirmis curandis, imo pro toto corpore ſanando caput ſanum, id eſt os quod eſt in capite aliquando bibit amaram medicinam: ita Chriſtus pro nobis qui ſumus membra ſua, imo pro toto corpore ſuo quod eſt eccleſia, ſanando amaram ſuſtinuit paſſionem. vel [*pro nobis,*] id eſt, amore noſtri. *Iohan.* 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet,* quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis [*vobis*] ſcil. abſentibus qui ipſam paſſionem non vidiſtis ſicut nos præſentes. ideo dicit [*vobis relinquens exemplum:*] cum prius dixiſſet, [*paſſus eſt pro nobis.*] quia Apoſtoli non indigebant exemplo, qui ipſum Chriſtū viderant: & paſſio Chriſti in animabus eorum formata erat [*relinquens*] quaſi retro linquens, ſed nobis præſentialiter tradens. [*exemplum.*] *Gloſſ.* tribulationis, contumeliarum, flagellorum, crucis, mortis. *Iohan.* 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, &c.* [*vt ſequamini*] quaſi à longe, quia cum eo ire non poſſumus. *Geneſ.* 33. *Præcedat Dominus meus ſeruum ſuum, & ego paulatim ſequar veſtigia eius, ſicut video paruulos meos poſſe.* *Matth.* 16. dicitur de Petro quod *ſecutus eſt Ieſum à longe vſque in atrium principis ſacerdotum:* Ioannes ſecutus eſt de prope: in quo intelligitur bona vita: ſed Petrus de longe in quo intelligitur ſcientia. interpretatus enim agnoſcens. [*veſtigia eius:*] non tem. *Iob.* 23. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus.*

Sed contra: *Eccl.* 2. *Quid eſt homo vt ſequi poſſit regem factorem ſuum.* *Obiectio.*

Reſp. Dicendum: veſtigia diuinitatis homo non poteſt ſequi, quia, ſicut dicitur *Iob.* 11. *Excelſior cælo eſt & quid facies? profundior inferno & vnde cognoſces?* Sed veſtigia humanitatis. *Bernardus.* Omnes viæ Chriſti ſecundum carnem ſunt ſpontanea paupertas, cumulata vilitas, tam aſſumpta quam illata pœnalitas. *Reſponſio.* *Bernardus.*

Verſ. 22. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.

[*Qui peccatum:*] quaſi, debetis ſequi veſtigia eius vt ſcil. ſine culpa pati non timeatis. [*qui*] id eſt quia Chriſtus [*peccatum non fecit.*] in opere. [*nec inuentus eſt dolus in ore eius:*] in ſermone. [*dolus,*] id eſt falſitas vt ſimulatio. & dicit [*non eſt inuentus,*] ſcil. à Scribis & Phariſæis, qui ſcil. eum obſeruabant vt caperent in ſermone. Et hoc oſtendit per partes.

Verſ. 23. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.

[*Qui cum malediceretur:*] id eſt, blaſphemaretur verbo. *Iohan.* 8. *Nonne bene dicimus nos quod Samaritanus es tu & Dæmonium habes.* [*non maledice-*

ledicebat] vt patet ibidem, ego quidem dæmonium non habeo.

Obiectio. Contra Ioh. 8. *Dixit Iudæis, vos ex patre diabolo estis.* Et *Matth.* 13. *Progenies viperarum.* Et *Matth.* 12. *Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cum sitis mali.* Et alibi in *Matth.* 13. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi.*

Responsio. Correctio quanam contumeliosa. Resp. Dura correctio procedens ex charitate nō est contumelia, sed procedens ex liuore vindictæ & ex intentione conuitiandi. [*cum pateretur,*] grauissimum crucis tormentum, & hoc facto [*non comminabatur*] sed orabat pro eis *Luc.* 23. Et nota quod dicit, cum pateretur; alias enim charitatiue eis comminatus est *Luc.* 13. *Nisi pœnitentiam habueritis omnes simul peribitis.* Et *Matth.* 10. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum quam illi ciuitati.* In quo instruit nos quod quando nobis infertur contumelia vel iniuria, locus est patientiæ non correctionis: quia tunc videntur magis procedere ex vindicta & impatientia quam ex misericordia. Sic ergo Christus patiebatur, non tamen ex necessitate vel coactione. [*autē*] pro sed [*tradebat,*] id est voluntarie tradi permittebat [*sē iudicanti iniuste,*] scil. Pilato & Pontificibus Iudæorum.

Autem pro sed.

Alia litera [*iudicantes se*] tradebat scil. Deo patri. [*iudicantes se iniuste*] orando scil. pro eis. Vnde *Esa.* 53. *Pro transgressoribus ipse orauit.*

Vers. 24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati sumus.

[*Qui peccata nostra*] non sua, id est, pœnam peccatorum nostrorum, & communiter omnium, vt dicit *Glossa.* [*ipse*] nō alius. Sicut filii Israel peccata imponebant hirco emissario *Leu.* 16.

Ante fores templi geminos lex applicat hircos:
Vnum deserto destinat, alter obit.
Christus diuersis respectibus hircus vterque:
Nam tulit in ligno: vicit in arce poli.

[*Pertulit,*] id est perfecte tulit. [*in corpore suo.*] quod morti pro nobis exposuit [*super lignum*] crucis: vt qui per lignum vincebat per lignum quoque vinceretur. Hoc est lignum benedictum. *Sap.* 14. *Benedictum lignum per quod fit iustitia.* vel lignum salutiferum, in eodem: transeuntes mare per ratem liberati sunt.

Lignum benedictum quodnam sit.

Ad hoc autem pertulit, [*vt peccatis mortui:*] sicut ipse mortuus est vitæ veteri & passibili, & dicit [*peccatis mortui.*] id est à peccatis separati, sicut mors est separatio animæ à corpore. In mortuo nec est sensus nec motus: sic nec in nobis debet esse sensus, id est affectus peccati intra, nec motus siue opus extra [*iustitiæ viuamus,*] sicut ipse resurgens viuit noua vita & gloriosa. *Rom.* 6. *Quomodo Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vita ambulemus,* [*cuius liuore*] summa dilectione. *Glos.* sola dilectione, consequens pro antecedente. Amor enim valde intensus facit euacuationem spirituum, & sic relinquitur color pallidus vel liuidus.

Consequens pro antecedente. Amoris vel de intensi effectus.

Poeta. *Palleat omnis amans.* ——

Hac, inquit, dilectione [*sanati estis.*] *Ephes.* 2. *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, conuiuificauit nos Christo,* vel [*cuius liuore,*] id est, passione inferente eius carni liuorem, [*sanati estis*] à morbis scil. peccatorum vestrorum, vel [*cuius liuore,*] id est, carne liuida vel Iudæorum inuidia, vt exponit *Glossa.*

Sed quomodo sanati sumus per Iudæorum inuidiam?

Iudæorum inuidia sanatio nostra non causa, sed occasio.

Resp. occasionaliter, quia per inuidiam eorum traditus est ad mortem per quam sanati sumus.

Vers. 25. Eratis enim sicut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad Pastorem & episcopum animarum vestrarum.

[*Eratis enim*] quasi & indigebatis cum essetis infirmi. [*eratis enim,*] præcipue vos de gentibus orti [*sicut oues*] sine pastore [*errantes.*] per diuersa abrupta viciorum vagantes morsibus luporum expositi, spinis etiam pœnarum puncti & delacerati. sed [*conuersi estis*] qui prius eratis auersi [*nunc*] id est tempore gratiæ & passionis Christi gratuitæ [*ad pastorem,*] id est Christum, qui ad modum boni pastoris

Boni pastoris officia.

Ouem perditam requirit *Luc.* 15. *Nonne dimittit nonaginta nouem oues, &c.*

Inuentam importat & reducit, *Esa.* 40. *Et reducit in brachio; id est in filio; congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.*

Carne & sanguine pascit *ibidem. sicut pastor gregem suum pascet.* [*Et Episcopum animarum vestrarum.*] id est Christum, qui est pontifex futurorum bonorum. *Hebr.* 9. [*animarum*] dicit non possessionum, sicut multi moderni intendunt possessionibus non animabus. *Ierem.* 4. *Quasi custodes agrorum facti sunt.*

Christus vero dicitur animarum pastor eas reficiendo. *Episcopus* vero superintendens seu visitator, vt dicit *Gloss.* eos à malo custodiendo & corrigendo.

Nota in hoc quod dicit *peccata nostra,* &c. maxime manifestatur nobis dilectio saluatoris:

Primo in causa patiendi, quia secundum *Bernardum:* non pro amicis sed pro inimicis animam suam posuit. hoc notatur cum dicitur: *peccata nostra,* &c. *Infra* 3. *Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis.*

Bernardus.

Secundo in qualitate & quantitate passionis, quia non quamcunque mortem, sed vilissimam & grauissimam elegit, scil. mortem crucis: quod notatur cum dicitur, *super lignum.* De huius mortis vilitate dicitur *Sap.* 2. *Morte turpissima condemnemus eum.* De cuius etiam acerbitate dicitur *Thr.* 1. *O vos omnes* scil. sancti, *qui transitis per viam attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.*

Tertio in totalitate patientis: quia non in vno membro sicut decapitati & transfossi, sed in quolibet, sicut spinas in capite, clauos in manibus & pedibus, lanceam in latere. hoc notatur ibi: *in corpore suo* scil. toto. *Esa.* 1. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Bernardus.* Volue & reuolue illud dominicum corpus. & vbique inuenies dolorem quia vbique cruorem.

Bernardus.

Quarto in solutione pretii superabundantis, quod notatur ibi *pertulit.* vt per hoc quod dico *per,* notetur abundantia, quia plus soluit quam homo debuit. vnde *Augustinus.* si æqua lance pensentur culpa hominis, potestas & pretium redimentis, non tantum distat oriens ab occidente, vel centrum à summo cœli cardine.

Augustinus.

Capvt III.

Verſ. 1. Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: vt & ſi qui non credũt verbo per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant.

[*Similiter & mulieres ſubdita ſint viris ſuis, &c.*] Supra monuit ad bene viuendum in ſe: hic monet ad bene conuiuendum in membris ſuis: &

Primo ſpecialiter coniuges:

Secundo generaliter omnes fideles: [*in fide autem omnes, &c.*] In prima parte primo monet mulieres: ſecundo viros: [*viri ſimiliter.*] In prima parte

Primo hortatur mulieres ad ſubiectionem virorum.

Secundo ad ſui decentem ornatum: [*quarum ſit non extrinſecus, &c.*]

Tertio proponit vtriuſque exemplum: [*ſic enim aliquando.*]

Dicit ergo: [*ſimiliter & mulieres, &c.*] Ita ſerui & liberi debent eſſe ſubditi propter Deum: [*ſimiliter & mulieres ſubdita ſint*] ſubiectione obedientiæ & reuerentiæ. Nam ſi quoad debitum coniugale ſunt pares & ſociæ, & ideo de coſta formatæ, tamen quoad adminiſtrationem & diſciplinam debent eſſe ſubditæ, quia vir eſt caput mulieris. 1. *ad Corinth.* 11. [*viris ſuis:*] *Gloſſa.* non adulteris. [*vt & ſiqui:*] mariti: [*non credunt verbo.*] *Gloſſ.* Euangelii, vel verbo fidei. [*per mulierum conuerſationem:*] bonam ſcilic. *Gloſſ.* bene ſe habentium & humiliter patientium omnia. [*ſine verbo.*] *Gloſſ.* prædicationis. Quippe efficacior eſt vt

Bernardus. ait *Bernardus* vox operis quam ſermonis. Et dicit [*ſine verbo:*] Non enim mulier debet prædicare verbo, ſed exemplo. 1. *Timoth.* 2. *Docere mulieres non permitto.* [*lucrifiant:*] id eſt conuertantur ad fidem ſicut dicit *Gloſſ.* 1. *ad Corinth.* 7. *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem.*

Verſ. 2. Conſiderantes in timore ſanctam conuerſationem veſtram.

[*Conſiderantes:*] viri increduli. [*ſanctam conuerſationem veſtram:*] ex tertia perſona tranſit ad ſecundam, dirigens ſermonem ad mulieres, vt ex modo loquendi qui magis familiaris eſt, alliciat eas ad bonum. [*conuerſationem*] dico habitam & ſeruatam [*in timore*] Dei ſcil. qui eſt principium & cuſtodia ſanctitatis.

Gregorius. Anchora cordis pondus timoris. *Eccleſ.* 27. a. *Niſi conſtanter tenueris te in timore Domini, ſubuertetur domus tua.*

Verſ. 3. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.

[*Quarum non ſit, &c.*] Hic hortatur eas ad ſui decentem ornatum, quarum ſcil. mulierum cultus exterior, non ſit [*extrinſecus capillatura:*] ſiue plicatio ſiue tricatio capillorum. Alia litera habet. [*capillorum multiplicatio:*] ſicut fit in tortis crinibus. *Gloſſ.* videtur quod mulieres earum qui in tribulatione erant, contemnebant viros ſuos, & etiam vt aliis placerent, ſe pulchre ornabant.

Obiectio. Sed contra 1. *ad Corinth.* 11. *Mulier ſi comam nutriat gloria eſt illi.*

Reſponſio. Reſp. Nutrire poteſt ſed non debet artificialiter ornare, vel oſtentare ad alios ad libidinem excitandum: *ſed debet habere velamen ſuper caput ſuum propter angelos*; id eſt propter Clericos. 1. *ad Corinth.* 11. vel [*capillatura*] dicitur capillorum compoſitio, propriorum ſcil. capillorum curioſa aptatione, vel capillorum alienorum appoſitione. Aut ſupple, [*non ſit mulierum cultus circumdatio auri*, id eſt ornamenta aurea circumdantia, vt ſunt coronulæ, aut circuli aurei. Aut ſupple, non ſit indumenti veſtimentorum cultus, id eſt indumenti nimis cari vel pretioſi ſuper alia veſtimenta, quo in feſtis vtantur: vt dicatur indumentum veſtimentorum, ſicut virgo virginum.

Cyprianus. ſerico & purpura indutæ Chriſtum induere non poſſunt, auro & margaritis & monilibus adornatæ ornamenta cordis & pectoris perdiderunt. Quod ſi Petrus mulieres admonet coercendas quę excuſare poſſunt cultus ſuos per maritos, quanto magis illud obſeruare virginem fas eſt, cui nulla ornatus ſui competit venia? Intelligitur autem hoc de virgine non deſponſanda, ſed in virginitatis propoſito manſura. *Cyprianus.*

Et nota quod ſi hoc non licet mulieribus, multo minus viris. vnde

Gregorius in homelia. Penſate quæ culpa ſit viris appetere concupiſci, à quo curauit paſtor Eccleſiaſticus etiam fœminas prohibere. *Gregorius.*

Ex textu ergo & ex Gloſſa quæ dicta eſt, *quod ſerico & purpura induta Chriſtum induere non poſſunt,* videtur quod ornatus mulierum ſit illicitus, imo quod ſit peccatum mortale. *De Mulierum ornamentis quæſtio.*

Item *Gregorius*: Si cultus pretioſarum veſtium culpa non eſſet, nunquam lectio Euangelica tam vigilanter dixiſſet, quod diues qui in inferno torquebatur, purpura & byſſo induebatur. *Gregorius.*

Contra *Gloſſa* dicit hic quod per maritos poſſunt ſe excuſare. Item de bigamia dicit *Auguſtinus*, quod peccatum non erat quando mos erat. Ergo mos regionis & debitus finis, ſi non poteſt aliter maritum ſuum adulterio reuocare, excuſant. *Auguſtinus.*

Reſp. Quidam dicunt ſimpliciter quod eſt illicitus, nec dignitas perſonæ, nec mos ciuitatis vel regionis excuſat à toto ſed à tanto, ſed iſta ſola cauſa, vt vir ab adulterio reuocetur. *Reſponſio prima.*

Alii dicunt, quod ſi non fiat cauſa ſuperbiæ, vel vanitatis, vel prouocandi adulteros, ſed vt ſeruetur mos regionis vel gradus ciuitatis & dignitatis, vel vt reuocetur vir à fornicatione, non eſt peccatum: alias eſt peccatum vel maius vel minus, mortale vel veniale, ſecundum radicem vel ſecundum cauſam. 2.

Alii dicunt quod in illis ornatibus, in quibus fit præiudicium naturæ, ſicut fit in pictura faciei & huiuſmodi quæ peruertunt naturam, ſolum hoc excuſat, vt vir ab adulterio reuocetur, non conditio perſonæ, non conſuetudo loci. In aliis vero excuſant & cõſuetudo loci & dignitas perſonæ. *Gregorius* & *Cyprianus* loquuntur de ornantibus ſe propter ſuperbiam vel vt placeant adulteris. 3. *Gregorius. Cyprianus.*

Verſ. 4. Sed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.

[*Sed qui abſconditus:*] quaſi non ſit cultus mulieris exterior, ſed potius [*homo cordis:*] id eſt homo interior, ſcil. ratio. [*qui abſconditus eſt:*] aliis homi-

hominibus, & soli Deo cognitus. 1. *Reg.* 16. *Homo videt ea quæ patent. Deus autem intuetur cor.* homo inquã manens in *incorruptibilitate spiritus*, quamuis non corporis. *Glos.* Quoniam integritatem corporis quæ propie virginum est habere destitistis, imitamini in corruptionem spiritus per abstinentiam, & quod corpore non potestis, mente præstate.

Pythagoras. *Pythagoras.* vera ornamenta matronarum pudicitia non vestes sunt. [*spiritus*] in quam [*quieti*] ab operatione mali. [*& modesti*] id est, modum seruantis in operatione boni, vel [*quieti*] in aduersis. [*modesti*] in prosperis. [*qui*] scil. spiritus quietus & modestus, [*est in conspectu Dei locuples*] in diuitiis spiritualibus Deo placentibus, de quibus *Esa.* 33. *Diuitiæ salutis sapientia & scientia.*

Vers. 5. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se, subiectæ propriis viris.

[*Sic enim aliquando*] Hic ponit exemplum. [*Sic enim aliquando*] id est tempore Patriarcharum, etiam ante tempus gratiæ: quanto magis nunc. [*sanctæ mulieres*] vxores Sanctorum. [*sperantes in Domino*] *Glossa.* non in ornatu vestium sicut mulieres lasciuæ. [*ornabant se*] interius, non exterius, non vestibus sed moribus.

Augustinus. Non affectetis vestibus placere sed moribus. [*subiectæ propriis viris*] subiectione reuerentiæ & obedientiæ. *Glossa.* etiam in his quæ videbantur grauia. *Gen.* 3. *sub viri potestate eris.*

Vers. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius estis filiæ, benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem.

[*Sicut Sara*] quæ est exemplar sanctarum mulierum, sicut Abraham virorum. *Esa.* 51. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & Saram quæ genuit vos.* [*obediebat Abrahæ Dominum eum vocans*] *Glossa.* ex reuerentia *Genes.* 8. *Postquam senui & Dominus meus vetulus est &c.* [*cuius*] scilicet Saræ [*estis filiæ*] imitatione fidei, etsi non successione generis: erant enim proselytæ. [*benefacientes*] in agendo, & maritos honorando. [*& non pertimentes vllam perturbationem*] in patiendo si aliquid inferatur à maritis, vel à persecutoribus.

Et nota quod non dicit *timentes*, quia timere est naturale, nec omnino caueri potest: sed *pertimentes*: id est perfecte timentes, hoc est supra modum timentes, ita quod bonum inceptum dimittant, vel aliquod inconueniens committant. Virtus enim etsi aliquando turbetur, non tamen perturbatur; cadit enim in ipsam turbatio propassio, sed non turbatio passio secundum illud *Prouerb.* 12. *Non contristabit iustum quicquid ei acciderit.*

Vers. 7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes vestræ.

[*Viri similiter &c.*] Hic monet viros ad bene conuiuendum vxoribus. sic se habeant mulieres ad viros. [*similiter viri*] mariti earum sint. [*cohabitantes*] reddendo debitum coniugale. [*secundum scientiam*] id est discrete & secundum commodum naturæ: non sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. vt generent filios educandos ad cultum vnius Dei. In hoc autem quod dicit *cohabitantes*, significatur æqualitas vtriusque in redditione debiti.

Et nota quod triplex est concubitus:

Primus coniugalis, qui fit causa generandæ & educandæ prolis ad cultum Dei: *Concubitus triplex.*

Alius est maritalis & fragilis, qui fit causa vitandæ fornicationis.

Tertius impetuosus & bestialis, qui fit causa explendæ libidinis, † *non vt in sua sed vt in muliere.* *Desunt hæc verba in alio exemplari.*

Primus est meritorius: secundus si est peccatum, est peccatum veniale: tertius est peccatum mortale, de quo tale, de quo *Augustinus*: *Augustinus* quod vehemens amator vxoris adulter est, quia &c. [*ipsi*] dico, [*impertientes honorem*] in necessariorum ministratione, & reuerentiæ exhibitione. Sic accipitur *Exod.* 21. *Honora patrem & matrem.* In vsus earum moderamine. *Glossa.* si abstinemus nos à coitu, honorem ei tribuimus. [*quasi infirmiori vel inferiori*] id est fragiliori [*vasculo*] vasculum dicitur corpus mulieris, propter susceptionem seminis, & propter conceptionem prolis. 1. *ad Corinth.* 12. Quæ *putamus ignobiliora vel infirmiora esse corporis membra, his abundantiorem honorem circumdamus.* Et nota quod dicit [*impertientes*] id est in parte tribuentes: soli enim Deo totaliter est honor impendendus [*tanquam*] ecce alia causa. [*& cohæredibus gratiæ*] in præsenti. [*& vitæ æternæ*] scilicet in futuro [*vt non*] ecce tertia ratio. [*impediantur orationes vestræ*] concubitus scilicet assiduitate. *Mulieris corpus cur vasculum dictum.*

Beda. Impediri orationem officio coniugali *Beda.* memorat; quia quotiescunque vxori debitum reddo, orare non possum: Aut etiam vxorum, quibus debitum non impenditur, rixa & murmure. si enim prædicta vxoribus non fierent, murmurarent & oriretur discordia inter virum & mulierem, & impedirentur eorum orationes, quia Deo non placerent.

Sed ex *Glossa Bedæ* quæ in parte dicta est & plenius habetur in litera, videtur quod nunquam vtendum est actu cõiugali, & quod transgreditur qui eo aliquando vtitur. *Obiectio ex Glossa Bedæ*

Respon. Illud Apostoli quod ibi ponit *Glossa* *Responsio.* scilicet sine intermissione, intelligendum est horis & temporibus constitutis. vel potest dici quod non cessat orare qui non cessat benefacere secundum quod dicit *Beda*, illi officio nunquam seruiendum est: Ille enim seruire dicitur qui hoc facit causa libidinis: vel loquitur de illo, qui liber est & solutus, cui non expedit subdere se coniugali seruituti, vt possit semper vacare orationi.

Vers. 8. In fide autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles:

[*In fide autem omnes vnanimes*] Supra hortatus est ad bene conuiuendum fratribus, specialiter

coniuges: hic hortatur generaliter omnes docendo bene conuerſari etiã inter malos: allegans

Primo ſuæ vocationis beneficium:

Secundo cæleſte præmium: *qui enim vult vitam &c.*

Tertio aduerſariorum impotentiam ad nocendum: *& quis eſt qui vobis &c.*

Quarto Chriſti exemplum. *melius eſt enim benefacientes:*

In prima parte docet, qualiter ſe habeant ad bonos: Secundo qualiter ad malos: *nulli malum.*

Dicit ergo: [*In fide autem*] *Gloſſa.* Diuerſas perſonas, diuerſas conditiones, diuerſos ſexus docui: iam nunc omnes communiter admoneo. [*In fide autem*] tenenda & defendenda, quaſi fundamento, [*omnes*] tam liberi quam ſerui, tam viri quam mulieres. [*vnanimes*] vnum ſcilicet de fide ſentientes, ita quod nec cogitatione diſcrepetis. vel [*vnanimes*] id eſt, cor vnum & animam vnam habentes, non diſſentientes. *Act. 4. erat eis cor vnum & anima vna in Deo.*

Iſtud autem quod conſequitur, [*Eſtote in oratione*] non eſt de texto, nec *antiqui libri* habent, nec *gloſſa* exponit, ſed Eccleſia hic addit in Epiſtola ad ornatum, & ad deuotionem populi excitandã; vel ad manifeſtationem ſententię. [*compatientes*] miſeriis proximorum, vt ſic oſtendatis vos vnius eſſe corporis membra. Si enim patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. [*fraternitatis amatores*] id eſt fraternæ vnitatis & concordiæ conſeruatores. *Gloſſa.* Ne deſtruatis fraternitatem, ne per hoc à fidelibus recedatis, immo etiam à Deo: quia dicit *Iſidorus*: Qui à fraterna dilectione ſecernitur, à diuinæ charitatis participatione priuatur.

Iſidorus. Fraterna dilectio.

Et nota quod amanda eſt fraternitas,

Vt non ita cito cadamus. *Prouer. 18. Frater qui iuuatur à fratre quaſi ciuitas firma.* Item

Vt ſi ceciderimus citius reſurgamus. *Eccl. 4. Væ ſoli, quoniam ſi ceciderit, non habet ſubleuantem ſe.* Item

Vt facilius à Deo quod petimus impetremus. *Matth. 18. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcunque petierint fiet illis à patre meo, qui in cælis eſt.*

[*Miſericordes*] bona veſtra pauperibus communicando. *Gloſſa.* impendendo eleemoſynas. [*modeſti*] ſeruantes ſcilicet modum in omnibus. *Gloſſa.* omnia cum modo facientes, omnes attendentes circumſtantias, & loci & temporis, & perſonarum. [*humiles*] ne de his ſuperbiatis, ſicut dicit *Gloſſa.* Humilitas conſeruatrix eſt. *Gregorius.* Qui cæteras virtutes ſine humilitate congregat, quaſi puluerem in ventum portat.

Gregorius.

Verſ. 9. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: ſed è contrario, benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis.

[*Non reddentes malũ pro malo*] in factis. [*nec maledictũ pro maledicto*] in verbis [*ſed è contrario benedicentes*] ſcil. ſitis, quod eſt perfectæ & abundantis patientiæ. *Roman. 12. Benedicite & nolite maledicere.* [*quia in hoc*] id eſt ad hoc [*vocati eſtis*] vt ſcilicet patientiam habeatis; nec inutiliter, [*ſed vt benedictionem hæreditate poſſideatis*] benedictionẽ paſſiuam, qua dicetur: *Matth. 25. Venite Benedicti patris mei.* [*hæreditate*] id eſt firmiter & perſeueranter, ſicut hæreditas poſſeſſio firma eſt. quaſi dicat, bene iuſtum eſt, vt qui æternam expectant benedictionem, ſemper in ore eorum reſonet benedictio non maledictio. *Gloſſa.* Quod quiſque in futuro inuenire deſiderat, hoc in præſenti meditari & agere ſatagit.

Patientia perfecta & abundans.

Verſ. 10. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos: coerceat linguam ſuam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.

[*Qui enim vult vitam diligere*] Hic allegat cęleſte præmium.

Primo proponens magnitudinem præmii:

Secundo docens modum perueniendi: *coerceat linguam:*

Tertio dans fiduciam obtinendi: *quia oculi Domini:*

Et hoc eſt: [*qui enim*] quaſi debetis benedicere & non maledicere. [*Qui enim vult vitam diligere*] id eſt, ſe oſtendere dilectionem vitæ habere, faciendo opera per quæ ad vitam peruenitur. [*& videre*] id eſt videndo habere. In ſpiritualibus enim idem eſt videre quod habere [*dies bonos*] claritatis æternæ.

Videre in ſpiritualibus idem eſt quod habere.

Dicuntur autem dies gloriæ boni, ad differentiam dierum præſentis vitę, qui mali ſunt: ſecundum illud *redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Epheſ. 5.*

Dies vitæ præſentis mali ſunt.

Dicuntur autem dies eſſe in patria pluraliter, non propter ſucceſſionem quæ ibi non eſt: quia Sol iuſtitiæ, qui neſcit occaſum ſemper lucebit, & vtrumque hemiſpherium rationis inferioris & ſuperioris lumine ſuæ humanitatis & diuinitatis illuminabit:

Sed dicuntur dies pluraliter,

Propter infinitam durationem: *Mich. 5. Egreſſus eius à diebus æternitatis.* &

Propter gaudiorum diuerſitatem in ſanctis.

[*Coerceat*] Hic oſtendit meritum perueniendi ad illud præmium.

Primo meritum oris.

Secundo meritum operis; *declinet autem à malo.*

Tertio meritum cordis: *inquirat pacem.*

Dicit ergo: [*coerceat linguam ſuam*] fræno diſcretæ taciturnitatis. *Eccleſ. 18. Verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos.* & dicit [*coerceat*] id eſt ſimul cum extremis ſuis, quæ ſunt cogitatio & operatio. arceat à malo aperto. [*& labia ſua ne loquantur malum*]: ſcil. occultum. *Pſalm. 51. Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua, & ſicut nouacula acuta feciſti dolum.*

Ponit autem duo, quibus verba formantur: ſcil. linguam interius, & labia exterius.

Et nota quod arcenda eſt lingua à malo multiplici: ſcil.

Falſo. Sapient. 1. Os quod mentitur occidit animam. Item

Nociuo: Pſalm. 56. Lingua eorum gladius acutus. Item

Lingua eſt arcenda à malo multiplici.

Ocioſo: Matth. 12. De omni verbo ocioſo, quod locuti fuerint homines reddent rationem in die iudicii. Item

Doloſo vt hic: *ne loquatur dolum.*

Verſ. 11. Declinet autem à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam.

[*Declinet autem à malo*] *Gloſſa.* etiamſi datur occaſio vt peccet. vnde non debet eam accipere ſed decli-

declinare. Hæc est prima pars iustitiæ. & *faciat bonum*: & hæc est secunda pars iustitiæ. primo enim oportet exstirpare vitia, quam inserere virtutes. [*Inquirat pacem*] *Glossa*. vt rem absconditam. non autem quærat eam falso, sed ex animo. vnde dicit [*inquirat*] id est intus quærat pacem, scilicet futuram, *quæ exsuperat omnem sensum*. *Philipp*. 4 vel etiam præsentem cum Deo & hominibus. *Roman*. 12. *Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habeatis*. [*& sequatur eam*] *Glossa*. vt rem fugitiuam. *Heb*. 12. *Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. [*Inquirat*] affectu [*sequatur*] effectu.

Vers. 12. Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala.

[*Quia oculi Domini*] id est respectus diuinæ misericordiæ ad remunerandum. & dicit in plurali, quia misericordiæ multæ super iustos ad conseruandum & protegendum eos. vbi enim amor ibi oculus. Deus autem iustos diligit [*& aures eius*] id est voluntas exaudiendi. [*in preces eorum*] id est sunt intentæ ad exaudiendum. *Psal* 93. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?*

Vbi amor ibi oculus.

Dicit autem [*in preces*] ad significandum quod celeriter exaudit. *Esa*. 65. *Antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam*. [*vultus autem*] id est, indignatio, quæ in vultu solet apparere. [*super facientes mala*] vt puniat eos. Nec dicit *super*, quia non puniat eos, sed notat grauem eorum punitionem. *Psalm*. 20. *Pones eos vt clibanum* ignis in tempore vultus tui. Tota autem autoritas sumitur de *Psalm*. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*.

Vers. 13 Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis.

[*Et quis est qui vobis noceat?*] Hic allegat impotentiam aduersariorum ad nocendum. vbi

Primo excludit metum persecutoris.

Secundo suadet audaciam confessionis. *Dominum autem Iesum Christum*.

Tertio autem imponit modum audaciæ: *sed cum modestia*:

Metum autem persecutoris excludit

Primo negando persecutionis nocumentum.

Secundo asserendo profectum: *sed & si quid &c.*

Tertio inducendo autoritaté ad hoc ipsum: *timorem autem eorum &c.*

Dicit ergo: [*& quis est*] *Glossa*. Ideo debetis declinare à malo & facere bonum, quia nemo potest vos retrahere, si persistere volueritis, immo prosunt dum nocere volunt. [*Et quis est?*] homo scilicet vel etiam Diabolus. [*qui vobis noceat*] id est nocere possit, vos à bono violenter retrahendo, vel ad malum violentet. [*si boni*] Genitiuus est, & neutri generis [*æmulatores fueritis*] id est zelantes, amatores, vel imitatores. quasi dicat nullus.

Beda. *Beda*. Hic: perfectum boni æmulatorem nemo lædere potest.

Glossa. hic: si verba contumeliosa, si rerum damna, si inferantur corporum tormenta, non nocent sed patientiam vestram exercent. quære plus in margine ibi.

Vers. 14. Sed & si quid patimini propter iustitiam beati: Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.

[*Sed & si quid*] quasi non nocent sed prosunt. [*si quid*] quasi dicat, modicum quid est. [*patimini*] in præsenti tempore [*propter iustitiam*] viæ tenendam, & patriæ consequendam. [*beati estis*] scilicet iam in spe, tandem in re. *Matth*. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur &c.* [*autem*] pro sed vt ita sit: [*timorem eorum*] scilicet persecutorum, id est timoris materiam: *Glossa*. Quæ in eis timenda videntur, vt sunt regia potestas & huiusmodi: [*ne timueritis & non conturbemini*] id est quamuis turbemini fortassis secundum sensualitatem, non tamen conturbemini secundum rationem: id est simul ratione & sensualitate turbemini.

Autem pro Sed

Glossa. recedendo à fide & dilectione. Sumitur autem hæc autoritas *de Esa*. 8.

Vers. 15. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est, spe.

[*Dominum autem*] pro, sed Christum, qui Dominus est secundum diuinitatem. *Christus*: id est vnctus secundum humanitatem. [*sanctificate*] id est sanctum ostendite. vel, *sanctum*, id est firmum facite, eum in corde firmiter retinendo: quod fit non tantum oris sed cordis intentione. sicut Deus dicitur exaltari [*in cordibus vestris*] non tantum in ore, non tantum in codice. *Esa*. 8 *Dominum exercituum ipsum sanctificate*. vos dico [*parati*] per promptam mentis audaciam. [*semper*] tempore prosperitatis & aduersitatis, ad satisfactionem per verba & opera, vt dicit *Glossa*. Per verba dicendo sicut tenet ecclesia. Sic tenuerunt sancti, & in hac fide mortui sunt. & per opera; faciendo opera quæ decent habentes fidem: opera sanctitatis & veritatis. [*omni poscenti vos*] siue fideli siue infideli [*poscenti*] scilicet ad addiscendum, non ad calumniandum. secundum illud *Matth*. 7. *Nolite sanctum dare canibus*. [*rationem de ea quæ in vobis est fide & spe*:

Hoc autem fit duobus modis, secundum *glossam*: vel

De fide ratio redditur duobus modis.

Verbo, & hoc pertinet ad sapientes: vel

Facto & hoc ad omnes.

Glossa. duobus modis de fide & spe nostra rationem reddere debemus: vt quærentibus fideliter causas rectas fidei & spei intimemus; & ipsam fidem & spem inter pressuras illibatam teneamus, ostendentes per patientiam quam rationabiliter eam conseruandam didicimus, pro cuius amore, nec aduersa pati, nec mortem subire formidamus.

Vers. 16. Sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.

* [*Sed cũ modestia*] in loquendo, cõtra disputandi contentioné & clamoré [*& timore*] reuerentiæ in inue-

in inueſtigando ne nimis ſubtilia & ardua inquiratis. [*Conſcientiam habentes bonam*] abſque ſcrupulo peccati mortalis.

Gloſſa. vt quod exterius oſtenditis, intus habeatis, ne dicatur hoc quod dicitur in *Pſalmo* 49. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam & proiecisti ſermones meos retrorſum.* [*Vt qui calumniantur*] falſa crimina imponendo, ſcil. perſecutores veſtri. [*veſtram bonam conuerſationem*] quoad mores. [*in Chriſto*] manentem quoad fidem [*confundantur*] confuſione ſalubri, vt confuſi de ſua iniquitate, ſequantur vos allecti exemplis veſtris. *Eccleſi.* 4. Eſt confuſio adducens gloriam. [*in eo quod detrahunt de vobis*] id eſt de hoc quod detrahunt vobis.

Verſ. 17. Melius eſt enim vt bene facientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quam male facientes.

[*Melius eſt enim*] Hic allegat Chriſti exemplum vbi

Primo tangit patientis innocentiam:

Secundo patiendi cauſam motiuam: *vt nos offerret Deo.*

Tertio paſſionis efficaciam: *quod & vos &c.*

Quartu paſſionis gloriam: *per reſurrectionem Ieſu Chriſti.*

Dicit ergo: [*Melius eſt enim*] quaſi, debetis enim bene conuerſari, nec dimittere propter calumniatores. [*melius eſt enim*] id eſt vobis honorabilius & vtilius, vos [*benefacientes pati quam malefacientes*] id eſt, melius eſt pati ſine meritis quam pro meritis. In multis eſt cumulus damnationis ſicut fuit Elymæ mago. *Act.* 13. vel ſi talis, bene vtatur pœna: eſt ad dimiſſionem ſui reatus. Pati vero ſine meritis meretur gloriam. [*& hoc ſi voluerit voluntas Dei*] id eſt ſi Deus hoc dare voluerit alicui. Per hoc quidem innuit quod pati ſine culpa eſt ex voluntate Dei & donum Dei.

Diſtinguit autem hic Gloſſa tria genera patientium: quia vt dicit *Gloſſa*:

Patientium tria genera.

Qui ictus patitur Chriſtum imitatur:

Qui vero flagellis corripitur latronem imitatur, qui cum Chriſto Paradiſum intrauit:

Qui nec flagellis corrigitur ſiniſtrum latronem imitatur, qui poſt crucem in tartarum ruit.

Bene dico quod *melius eſt*: & hoc patet exemplo Chriſti.

Verſ. 18. Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu.

[*Quia Chriſtus*] Chriſtum frequenter proponit nobis in exemplum, quia vt dicit *Auguſtinus*, Summa Chriſtianæ religionis eſt imitari quod colis. [*ſemel pro peccatis noſtris*] delendis & abluendis [*mortuus eſt*] *Rom.* 6. *Mortuus eſt propter delicta noſtra.* [*iuſtus pro iniuſtis*] in quo maior oſtenditur benignitas.

Auguſtinus

Chriſtus ſemel paſſus, nō amplius vnquam paſſurus.

Et nota quod dicit [*ſemel mortuus eſt*] quaſi non iterum moriturus, ad deſtruendum hæreſim quæ dicit Chriſtum ſemel paſſum in terra ad redemptionem hominum, & iterum paſſurum in aere ad redemptionem dæmonum.

Item ad retrahendum falſam ſecuritatem peccantium, qui ita peccant poſt ipſius mortem, quaſi pro peccatis eorum eſſet iterum moriturus.

Item *Moraliter*, ad ſignificandum quod nos debemus ſemel mori peccato, hoc eſt peccatum dimittere, & poſtmodum non committere. ſecundum illud *Eccl.* 21. *Fili peccaſti ne adiicias iterum.* [*vt nos offerret Deo Patri*] vel in præſenti vitam veſtram laudabilem, in conſpectu patris oſtendendo, vel in futuro nos in regnum patris introducendo. Secundum *Gloſſam.* [*mortificatos quidem carne*] id eſt quoad carnalia vitia: [*viuificatos autem ſpiritu*] id eſt vita ſpirituali.

Gloſſa. Spiritu, ſancto vel veſtro. debemus enim eſſe mortui quoad carnalia, ſed viui quoad ſpiritualia. *Roman.* 8. *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

Verſ. 19. In quo & his qui in carcere erant Spiritu veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando.

In quo: Gloſ. vt Deo offerret. [*ſpiritualiter veniens*] ipſe Chriſtus, id eſt per inſpirationem internam, quamuis nondum per carnem aſſumptam. vel [*ſpiritualiter*] id eſt per ſpiritus Angelicos, per quos locutus eſt hominibus illius temporis. [*prædicauit*] non in perſona propria, ſed per Noe, & alios Sanctos illius temporis. [*prædicauit*] inquam, [*his qui in carcere*] carnis, peccati vel erroris: vel huius exilii. *Pſal.* 141. *Educ de carcere animam meam.* [*Erant*] non valentes per ſe egredi.

Alia litera habet: [*In carne concluſi erant*] id eſt carnalibus deſideriis. vel [*in carne*] id eſt in corpore corrupto quod dicitur carcer, quod corpus quod corrumpitur aggrauat animam. [*His*] dico [*qui increduli fuerant*] ipſi Noe prædicanti pœnitentiam & diluuium futurum comminanti, [*aliquando*] ſcil. ante diluuium.

Verſ. 20. Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animę ſaluæ factæ ſunt per aquam.

[*Quando expectabant Dei patientiam*] putantes quod Deus patienter ſuſtineret eos. vel quando [*expectabant*] eos, ſcil. ad patientiam. [*Dei patientia*] differens vindictam. *Eſa.* 30. *Propterea expectat Dominus vt miſereatur veſtri &c.* [*In diebus Noe*] *Gen.* 6. *Luc.* 17. *Edebant & bibebant & nuptui tradebant vſque ad aduentum diluuii.* [*cum fabricaretur arca*] in conſpectu eorum ad terrorem, quæ fabricata eſt centum annis, vt dicit *Magiſter in Hiſtoriis.* [*in qua*] arca ſcilicet [*pauci*] ſcil. credentes. *Gloſſa.* qui ſpem octauæ habebant. [*id eſt octo animæ*] pars pro toto, id eſt octo homines, ſcil. Noe, vxor, tres filii eius, & eorum vxores. [*ſaluæ factæ ſunt per aquam*] arcā in ſublime erigentem: ſicut dicitur quod nauis ſaluatur quæ vadit per aquam. Aliqui libri habent per arcam, ſed fictio eſt.

Notandum autem quod per *arcam* ſignificatur Eccleſia, quæ collecta eſt de diuerſis fidelibus, ſicut arca compoſita fuit de diuerſis lignis, in qua pauci, reſpectu damnatorum ſaluantur, quod *Matth.* 7. dicitur: *arcta eſt via quæ ducit ad vitam & pauci inueniunt eam*, ſed pauciores ambulant per eam, ſed pauciſſimi perſeuerant in ea, & finem vitæ aſſequuntur. Per hoc autem quod dicit, *octo animæ ſaluæ factæ ſunt* dat intelligere, quod nullus ſaluatur qui non habet fidem reſurrectionis, quæ ſignificatur per octonarium, quia Chriſtus octaua die reſurrexit: & generalis reſurrectio eſt octaua die. Iſta autē ſaluatio eſt *per aquam* ſcil.

Per arcam ſignificatur Eccleſia.

scilicet Baptismalem: vel *per aquam*, id est per tribulationem. *Psalm. 65. Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.*

Vers. 21. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionẽ Iesu Christi.

[*Quod*] id est cuius simile. [*& vos saluos*] id est credentes. [*nunc*] scil. tempore gratiæ [*facit baptisma*] existens [*similis formæ*] *Glossa.* per omnia assimilatum illi arcæ, quia quicquid ibi carnaliter, hic geritur spiritualiter. *Arca significat Ecclesiã.*

Sicut enim arca fuit de lignis lænigatis, id est dolatis, sic ecclesia Christi de sanctis per angustias & tribulationes dolatis.

Item sicut arca fuit de lignis impenetrabilibus, sic ecclesia de incorruptis hominibus.

Item per Noe salui facti sunt in arca: sic per Christum in ecclesia. Noe enim requies interpretatur, & significat Christum in quo est requies animatum.

Item quia extra arcam non est aliquis saluatus, sic nec extra ecclesiam.

Item multiplicatis aquis eleuabitur arca: sic per tribulationes creuit ecclesia.

Baptisma ergo quod saluat nos est similis formæ: non illud Baptisma in quo tantum est depositio, id est *ablatio sordium carnæ*: sicut est baptismus in aqua sine spiritu, * qualia baptismata Iudæorum erant: de quibus *Matth.* 15. & Baptismus Iohannis de quo in *Ioh.* 1. *Ego baptizo vos in aqua*: qualia sunt etiam baptismata hæreticorum & omnium ficte accedentium. Sed sicut baptismus, in quo est *interrogatio conscientiæ bonæ. Glossa.* vbi interrogatur & exigitur à baptizato pura cõscientia per ecclesiæ ministrum baptizantem, scilicet de obseruantia rectæ fidei & morum: vtrum scil. baptizandus credat? vtrum pompis diaboli abrenuntiet? quod fit in Catechismo. [*in Deum*] conscientiæ dico tendentis *in Deum* per fidem. Tale autem baptisma, ad quod cum bona conscientia acceditur, saluat: saluos facit inquam [*per resurrectionem*] exemplariter, quia sicut Christus à morte ad vitam resurrexit: sic nos in Baptismo à vitiis ad virtutes. *Roman.* 6. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum, in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* [*Iesu Christi.*]

** qualis MS.*

Vers. 22. Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur; profectus in cælum, subiectis sibi angelis & potestatibus & virtutibus.

[*Qui*] scil. Christus, [*in dextera Dei*] id est supremo loco beatitudinis, vel in eius æqualitate secundum diuinitatem, in potioribus bonis eius secundum humanitatem, quæ per dexteram significatur. *Marc. vltimo. Sedet à dextris Dei.* [*deglutiens*] id est destruens mortem in resurrectione, in se secundum rem, in nobis per spem. In hoc quod dicit *deglutiens* notatur plena mortis victoria, vt sicut quod deglutitur non apparet, quia totum absorbetur, sic in eo post resurrectionem nullum vestigium mortis apparuit. 1. *ad Cor.* 15. *absorpta est mors in victoria.*

Item in hoc notatur desiderium mortis pro salute humani generis: quod enim deglutitur auide sumitur. *Luc.* 12. *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor vsque dum perficiatur.*

Item in hoc notatur quod eius passio fuit amara. Amaræ enim potiones cito degluriuntur.

Item in hoc etiam notatur quod dolor mortis cito transiit, sicut quod deglutitur cito transit.

Hoc autem fecit non in se, sed etiam faciet in nobis in generali resurrectione, quando præcipitabit mortem in sempiternum. *Esa.* 25. vnde sequitur: [*vt nos*] qui sc. sumus membra eius efficeremur: vel secundum aliam literam: vos *efficeremini hæredes vitæ æternæ*: id est vitæ æternæ possessores, stabiliter vt hæredes.

Augustinus. Vicisti mortem in morientibus, victures in surgentibus: victoria tua qua absorbuisti corpora morientium † temporalis fuit, victoria nostra qua in corporibus absorpta est resurgentium æterna manebit. Ipse dico [*profectus in cælum*] in die ascensionis *Act.* 1. *Psal.* 18. *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum cæli.* [*subiectis sibi angelis*] qui prius erant subiecti secundum rem, tunc subiecti facti sunt secundum manifestationem. *Phil.* 2. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium terrestrium & infernorum.* [*Angelis*] *Interlineara.* primus ordo. [*& potestatibus*] *Interlin.* secundus ordo. [*& virtutibus*] *Interlin.* tertius ordo.

† Corpora. In aliis.

Notandum vero quod ordo appellatur hic Hierarchia, secundum illud *Dionysii.* Hierarchia est ordo diuinus. Per *angelos* enim intelligitur hic Hierarchia infima: per *potestates*, media, per *virtutes* suprema. Nam *virtus* secundum Dionysium nomen generale est omnium Angelorum. In omnibus enim est reperire substantiam, virtutem & operationem. vnde quandoq; nomine virtutum omnes omnium ordinũ intelliguntur. *Dan.* 3. *Benedicite omnes virtutes Domini Domino.* Hic autẽ per *virtutes* intelligitur *tertia Hierarchia*, quia virtus est nomen bonitatis & excellentiæ: secundum illud: virtus est optimum de re, & virtus est optimum de potentia. & ideo illi qui influentiã Diuinæ potestatis excellentius recipiunt merito virtutes vocantur.

Dionysius. Hierarchia quid sit. Virtus, secundũ Dionysium nomẽ generale omnium Angelorum.

[*Octo animæ saluæ factæ sunt*] In hoc significatur paucitas saluandorum: *Matt.* 22. *Multi vocati, pauci vero electi.* vnde nota quod paucitas saluandorum præfigurata fuit tempore legis naturæ, quando scil. omnes exceptis octo, qui saluati fuerunt in arca, diluuio perierunt sicut habetur hic.

Saluandorũ paucitas.

Item fuit præfigurata tempore legis Mosaicæ vbi legitur *Num.* 14. *De omnibus quos eduxit Dominus de Ægypto, fere sexcentis millibus per desertũ*, per quod significatur pœnitentia, *non intrauerunt nisi duo terram promissionis* scil. Iosue filius Nun & Caleb filius Iephone.

Item fuit præfigurata tempore prophetiæ, quando filii Israel ducti sunt in captiuitatem, & pauci relicti sunt in terra promissionis. *Ezech.* 12. *Relinquam ex eis viros paucos à gladio & fame & pestilentia* vnde in *Psal.* 106. dicitur: & pauci facti sunt & vexati sunt à tribulatione. Sed tempore gratiæ fuit actu expressa & annuntiata. vnde *Matth.* 22. *Multi sunt vocati pauci vero electi.*

[*Si quid patimini propter iustitiam beati.*] Multiplex est ratio quare debemus pati.

Primo vt sic Christi vestigia sequamur. 1. *Pet.* 2. *Christus passus est pro nobis.*

Patientia persecutionum.

Secundo vt sic sanctis conformes simus. 2. *ad Tim.* 3. *Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur.*

Tertio

Tertio vt conſolationis Chriſti & ſanctorum participes ſimus. 2. *ad Corinth.* 1. *Sicut abundant paßiones Chriſti in nobis*, ita & per Chriſtum abundat & conſulatio noſtra.

Quarto vt in booo gratiæ confirmemur. 1. *Pet. vltim.* Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam gloriam ſuam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet; confirmabit ſolidabitque.

Quinto vt per hoc peccata euitemus. 1. *Pet.* 4. *Qui paſſus eſt in carne deſiit à peccatis.*

Sexto vt animæ à dæmonibus cuſtodiantur. 1. *Pet.* 4. Qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli suo Creatori cōmendant animas ſuas.

Septimo vt in æternum remuneremur. *Matth.* 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: Eccleſ.* 1. *vſque in tempus ſuſtinebit patiens & poſtea redditio iucunditatis.*

Capvt IV.

Verſ. 1. Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis:

[*Chriſto igitur in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini &c.*] Supra inſtruit eos ad bene viuendum, & ad bene conuiuendum fratribus, hic inſtruit eos ad compatiendum exemplo Chriſti. Vbi

Primo animat eos reſpectu paſſionum imminentium: primo patiendi rationes proponendo: ſecundo virtutem armis eos muniendo: [*Eſtote itaque &c.*]

Aſſignat autem quinque rationes, quarum

Prima ſumitur ex imitatione ſaluatoris.

Secunda ex conſideratione vtilitatis ex hoc prouenientis: [*quia qui paſſus eſt in carne.*]

Tertia ex congruitate temporis: [*ſufficit enim præteritum tempus*].

Quarta ex intentione euangelicæ prædicationis: [*propter hoc enim & mortuus &c.*]

Quinta ex propinquitate finis: [*omnium autem finis &c.*]

Dicit ergo: [*Chriſto igitur paſſo &c.*] *Gloſſa.* quia deglutinit datam mortem & nos vitæ æternæ heredes erimus. [*Chriſto igitur*] tanquam exemplari præcipuo faciendi. [*paſſo in carne*] non in natura diuinitatis, ſed in natura aſſumptæ carnis, quod ſignificatum fuit in ariete immolato, & in Iſaac liberato *Geneſ.* 22. [*& vos eadem cogitatione armamini*] id eſt eius paſſionem recolite, parati pro eo ſimilia pati. *Gloſſa.* ſicut ipſe ſponte, & nos ſponte: ſicut ipſe omnia tolerauit & nos toleremus. & benedicit *armamini*, quia memoria Dominicæ paſſionis contra inſultus & tentationes diaboli munit. vnde *Bernardus.* Tanta eſt virtus crucis Chriſti vt ſi in mente fideliter habeatur nulla peccati præualere poſſit inuidia, ſed continuo ad memoriam eius totius peccati & mortis fugatur exercitus. vnde *Gregorius.* Si paſſio Chriſti ad memoriam reuocetur, nihil tam durum eſt quod non æquo animo toleretur. *Thren.* 3. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.*

Crux Chriſti. Bernardus. Paſſio Chriſti. Gregorius.

Nota quomodo Dominus armatus fuit in cruce.

Chriſtus armatus in cruce.

Habuit enim in capite quaſi galeam, non de auro vel argento ſed de corona ſpinea.

Habuit loricam non de ære vel ferro, ſed carnem immaculatam de virgine ſumptam.

Habuit in manibus non lanceā vel gladium, ſed magnos clauos manibus affixos, & pedibus, quaſi calcaria clauos pedibus affixos.

Pro equo vero habuit ipſam crucem. *quia qui paſſus eſt in carne:* ita armamini cogitatione patiendi exemplo Chriſti quia hæc inde prouenit vtilitas: [*quia qui paſſus eſt carne*] carnales ſcil. concupiſcentias per edomationem carnis extinguēdo, vel corpus pro iuſtitia martyrio exponendo. hoc eſt duplici modo ſecundum *gloſſam.* poteſt quis Chriſto crucifigi. *Gal.* 5. *Chriſto crucifixus ſum cruci* [*deſiit à peccatis*] id eſt quaſi mortuus peccato intendit Dei ſeruitio. *Iſidorus.* mori oportet in carne mundo, ne moriamur in anima Chriſto. Et ſumitur hic caro pro Chriſto toto homine tam interiori quam exteriori. vnde ſenſus eſt: qui paſſus eſt in carne, id eſt in ſe toto homine; in anima per contritionem, in carne per macerationem, talis deſiit à peccatis omnibus tam carnalibus quam ſpiritualibus.

Iſidorus. Caro Chriſti pro toto Chriſto homine ſumitur.

Verſ. 2. Vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei quod reliquum eſt in carne viuat temporis.

[*Vt iam non hominum deſideriis*] hoc eſt deſideriis carnalibus. ſic enim locat homo in carnalitatem. 1. *ad Corinth.* 3. *Nonne homines ſitis carnales eſtis?* [*ſed viuat voluntate Dei*] id eſt ſecundum Dei voluntatem faciendo bona opera.

[*quod reliquum eſt temporis*] id eſt id modicū quod reſtat ſibi de ſpatio vitæ: ſupple, ad agendum vel viuendum in carne, id eſt in vita iſta corruptibili & fragili.

Nota quod dicitur, [*quod reliquum eſt temporis*] id eſt reliquias temporis ſui. Forte multa fercula de tempore ſuo fecit homo diabolo: vnam partem temporis expendendo in luxuriis, aliam partem in ſuperbiis, aliam in gula, aliam in auaritia: ſaltem reliquias ſui temporis det Deo, & viuat ſecundum voluntatem Dei.

Verſ. 3. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.

[*Sufficit enim &c.*] Gloſſa iam ceſſet à peccatis. & merito quia conſiderata immanitate ſcelerum, [*ſufficit præteritum tempus*] impendiſſe ſecundum voluntatem gentium. ſufficit tempus præteritum, immo nimis eſt: quia totum tempus ad pœnitentiam eſt datum. *Apoc.* 2. *Dedit illi tempus vt pœniteat.* vnde quod in peccatis expenditur ſuperfluè expenditur. [*ad voluntatem gentiū conſummandam*] id eſt quod expendiſtis cum gentiles fuiſtis gentiliter viuentes; quaſi multum de tempore amiſiſtis perpetratione peccatorum, quæ feciſtis in tempore præterito; debet vobis ſufficere. vel [*ad voluntatem gentium conſummandam*] id eſt malorum gentiliter viuentium, quibus vos conformaſtis, peccando: vnde & tempus præteritum conſumpſiſtis; qui ſcilicet gentiles vel gentiliter viuentes [*ambulauerunt*] paſſibus mentis non ſolum corporis, de malo in peius proficiendo. [*in luxuriis*] luxuriandi opere. *Gloſſa.* actu. [*deſideriis*] luxuriandi voluntate ſecundum gluſſam. [*vinolentiis*] id eſt inebriandi conſuetudine, quæ luxuriæ

riæ occasio est. Alia litera. [*violentiis*] in pauperum oppressione. [*comessationibus*] epularum solennium assidui [*potationibus*] id est, potandi quaslibet superfluitate. *Isidorus*. Ebrietas perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ideo dicitur *Rom. 13. Non in comessationibus & ebrietatibus*. [*& illicitis idolorum cultibus*] in

Idololatria omnis mali causa, initium, & finis.

quibus consistit fornicatio spiritualis. Ponitur autem istud vltimum quasi vltimum. *Sap. 14. Nefandorum idolorum cultura omnis mali causa & initium & finis. Glos.* à paruis ad maxima peruenitur; non quia peccata præcedentia sunt parua in se, sed sunt parua in comparatione ad Idololatriã. Per alia enim peccat homo in seipsum vel in proximum, sed per istud in Deum.

Vers. 4. In quibus nunc obstupescunt, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.

[*In quibus*] vitiis prædictis, quæ vos reliquistis, nunc scil. post conuersionem vestram. [*obstupescunt*] propter insolitam vitæ nouitatem [*in quo*] id est in qua te. [*admirantur*] propter vitæ magni-

Stupor quid sit. Admiratio quid sit.

tudinẽ & difficultatem: quia stupor est timor ex inconsueta imaginatione: admiratio vero est timor ex magna imaginatione. vel stupor de declinatione mali: admiratio de operatione boni. *Glos.* mira & quasi impossibilis videtur incestis castitas, gulosis abstinentia, superbis humilitas &c. [*non concurrentibus vobis*] id est cum eis concurrentibus. *Prou. 1. Pedes eorum ad malum currunt*. [*in eandem luxuria confusionem*] scil. in qua sunt, & vos aliquando fuistis [*blasphemantes*] id est vituperantes vitam vestram, quia estis ei dissimiles, nec timetis de hoc, si benefacientes blasphemamini ab eis secundum *Glossam*.

Vers. 5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos.

[*Qui*] idem, quia ipsi [*reddent rationem*] in iudicio de operibus suis. *Eccles. 12. Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in iudicio, pro omni errato* [*qui paratus est iudicare*] ad differentiam iudicum huius seculi,

Dei Iudicis & iudicum huius seculi differentia.

quos oportet causas examinare antequam iudicent. Ipse autem nouit omnia. vnde non indiget tali examinatione. Et quia ipse semper paratus est iudicare, & nos semper debemus esse parati vt iudicemur. *Matth. 25. Et vos estote parati &c.* [*iudicare inquam viuos & mortuos*] id est illos qui tũc viui & mortui reperientur: vel bonos & malos. *Act. 10. Constitutus est à Deo iudex viuorũ & mortuorũ.*

Vers. 6. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est: vt iudicentur quidem secundum homines in carne; viuant autem secundum Deum in spiritu.

[*Propter hoc enim*] Hæc est quarta ratio quæ sumitur ex intentione euangelicæ prædicationis. *Glossa*. ideo non debetis eutare malorum blasphemationem, quia *propter hoc*. vel sic [*propter hoc*] scil. iudicii periculum euitandum. [*& mortuis*] morte spirituali [*euangelizatum est*] id est prædicatum est verbum euangelii [*vt iudicentur quidem*] in præsenti à semetipsis: id est puniantur & quasi condemnentur; [*secundum homines*] in carne; id est de factis suis humanis, quæ commiserunt in carne, carnaliter sc. viuentes. *1. ad Cor. 11. Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur*. [*viuant autem in spiritu*] id est vita spirituali quæ est [*secundum Deum*] id est secundum Dei voluntatem. *Rom. 8. Quod si spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.*

Vers. 7. Omnium autem finis appropinquabit.

[*Omnium autẽ finis &c.*] Ita vos iudicabit Deus nec tardabit iudicium. *autem* pro *sed* [*omnium finis*]

Autem pro sed

vel generalis in fine mundi, vel particularis in morte cuiuslibet. vel [*omnium finis*] id est mors ad quam sicut ad finem omnia terminantur. [*appropinquauit*] *Eccl. 11. Nescit quod tempus cum præterierat & mors appropinquat. Isidorus.* Vita præsens quia ipsis

Isidorus.

suis incrementis deficit breuis est; suo enim augmento perit, dum illud quod videtur in futuro proficere, in præterito perit.

V. 8. Estote itaque prudentes: & vigilate in orationibus. Ante omnia autẽ, mutuã in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

[*Estote itaque*] Hic animat eos virtutum armis muniendo, ponens septem virtutes.

Primo discretionem.

Secundo deuotionem: [*& vigilate*]

Tertio charitatem: [*ante omnia autem &c.*]

Quarto Hospitalitatem: [*hospitales*]

Quinto liberalitatẽ: [*vnusquisq; sicut accepit &c.*]

Sexto loquendi certitudinem: [*si quis loquitur*]

Septimo humilitatem: [*si quis ministrat &c.*]

Dicit ergo: Estote itaque quia scil. finis appropinquat, & incerta est hora, itaq; estote prudentes, id est futura prouidentes. *Deut. 32. Vtinam saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent.* Prudẽ-

Prudentia virtutum auriga.

tiam autem proponit, quia prudentia vt ait *Bernardus*, non tam est virtus quam auriga virtutum. Prudentia ergo ponitur hic quasi ante custodia, humilitas quasi retro custodia. [*& vigilate*] ad habendam s. prudentiam, diligentes & soliciti estote, non pigri aut somnolẽti. [*in orationibus*] non in ludis aut luxuriis aut comessationibus, aut cæteris malis, sed in orationibus: non vna tantum sed pluribus: vnde *Glos. frequentibus* & dicit [*vigilate*] sicut dicit *Glossa*, ne animus aliud cogitet quam illud quod precatur.

Augustinus

August. In Psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Itẽ *Glos.* cũ stamus ad orandum, omnis carnalis cogitatio absistat, intentio cordis sincera non in sono vocis sed sensu animi oret.

Vigilare.

Debemus vigilare, Primo ipsum Deum incessanter diligendo. *Cant. 5. Ego dormio & cor meum vigilat.* quasi dicat etiam in dormiendo cor meum cogitat de Deo. Secũdo ipsum de nocte laudando non dormiendo in matutinis. *Thren. 2. Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum.* Tertio ipsum solicite orando. *1. Pet. 4. Vigilate in orationibus.* Quarto ipsum Deum testando. *Esa. 26. Anima mea desiderauit te in nocte, in principio vigiliarum.*

Quibus maxime vigilandum sit.

Nota quod etsi omnibus vigilandum est, maxime prælatis, quia custodiunt gregem &c.

Obiectio ex Glossa.

Ex prima parte Glossæ videtur quod non valet oratio quæ in mente non versatur. Cuius contrarium patet quia non possumus vitare quin aliud cogitemus. Ex vltima parte Glossæ videtur quod non oportet orare voce.

Cogitatio diuersa in orationibus repellenda. Responsio.

Resp. ad primum. nõ dicit Glossa quod animus nihil aliud cogitet, sed dicit quod ad hoc est vigilandum: non enim possumus facere quin alia cogitemus, sed ea repellere debemus, ne in eis moram faciamus.

Ad aliud dicendum, quod Glossa non dicit

propter hoc, quod oratio vocalis non sit bona, & pro loco & tempore necessaria, sed quia mentalis melior quæ est cum desiderio. desiderium enim animæ loquitur Deo. *Psal.* 10. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Item Glossa illa sic est intelligenda, non sono vocis tantum.

[*Ante omnia*] *Gloss.* vt impetrare possitis quæ orauerítis. [*ante omnia*] id est præ cęteris virtutibus: ipsa enim est mater & forma virtutum, sine qua aliæ virtutes nihil valent ad meritũ. [*mutuam*] ab vno altero reddendam. *Rom.* 13. *Nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis* [*in vobismet ipsis*] id est intra vos, non extra: in corde non tantũ in signis exterioribus. 1. *Ioh.* 3. *Non diligamus verbo neq; lingua sed opere & veritate.* vel [*in vobismetipsis*] id est propter illud q̃ in vobis est intimũ sc. imago Dei, non tẽporalia. [*charitatem*] id est charã dilectionem, id est dilectionẽ spiritualem non carnalem.

Augustinus. Non autem carnalis sed spiritualis sit inter vos dilectio. [*continuam*] non interruptã, aliam aliquando. Loquitur autem magis de continua charitate habenda quam de vigiliis vel o-
Beda. rationibus: quia vt dicit *Beda* semper diligere valemus, semper aũt vigilare in orationibus, fragilitate carnis obstante, non possumus. [*quia charitas operit multitudinem peccatorum:*] ne appareant ad puniendum. *Glos.* vt non sit quod puniat Deus. *Prou.* 10. *Vniuersa delicta operit charitas.*

Vers. 9. Hospitales inuicem sine murmuratione.

[*Hospitales inuicem*] quasi & vt charitas sit non solum affectu, sed etiam in effectu, sitis [*hospitales inuicem*] i. susceptores hospitum. [*sine murmuratione*] quasi dicat, etsi labores fratres recipiendo in hospitio, tamen hilariter hoc facite, non murmuretis de longo labore.

Vers. 10. Vnusquisq; sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes: sicut boni dispẽsatores multiformis gratiæ Dei.

[*Vnusquisque*] quasi etsi hospitalitatem exhibere non potestis, tamẽ *vnusquisque* siue sit de maioribus, siue de mediocrib. siue de minoribus, [*sicut accepit*] gratis scil. *Mat.* 10. *Gratis accepistis gratis date.* [*gratiam*] id est quodlibet donum gratuitum. [*in alterutrum*] id est ad vtilitatem aliorum, illam administrantes: id est quilibet in alterũ. sicut membra in vno corpore sibi inuicem seruiũt. Oculus enim videt toti corpori, & pes portat totum corpus. [*sicut boni*] non auari sed diffusiui. [*dispensatores multiformis gratiæ Dei*] dispensatores dicit, vt innuat quod talia non sunt dispensanda tanquam nostra, sed tanquam nobis ad dispensandũ aliis credita. 1. *ad Cor.* 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.*

Gratia Dei multiformis cur dicatur. Dicitur autẽ gratia multiformis propter multiplices effectus gratiarum, & propter diuersos habitus virtutum. vel secundum *Glossam Interlinearẽ*, multiformis, id est, multipliciter formatæ, secundum desiderium vniuscuiusq;: hoc est dicere quod vsus gratiæ formatur secundum applicationem animi ad illud quod desiderat. vt si quis se applicat ad patientiã, magis datur ei vsus gratię in illa: & sic de aliis.

V. 11. Si quis loquitur: quasi sermones Dei: si quis ministrat: tanquã ex virtute, quã administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

[*Si quis loquitur*] id est habet scientiam loquendi. [*quasi sermones Dei*] non suos loquatur: supple ad honorem s. Dei. eius n. sunt sermones quos loquimini, vos tantũ ministri, & ideo ad eius gloriã debetis tantũ loqui. In hoc aũt quod dicit, [*quasi sermones Dei*] notatur qualitas verbi proferendi, vt sit ędificatorium sicut sermo Dei. *Eph.* 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non prodeat, sed si quis bonus est ad ædificationem.* [*si quis ministrat*, aliis, id est habet officium administrandi, siue temporalia siue spiritualia. [*tãquam ex virtute quã administrat*] id est dat Deus, i. non reputat se facere hoc ex virtute propria, sed ex gratia diuina 1. *ad Cor.* 4. *Quid habes quod non accepisti.* [*vt in omnibus*] factis vestris & verbis. [*honorificetur Deus*] id est totũ fiat ad honorẽ Dei. *Col.* 3. *Omnia ad gloriam Dei facite.* [*per Iesum Christũ Dominum nostrum*] tanquam per nostrum mediatorẽ & merito, quia nobis à Patre per ipsum fluunt. [*cui*] i. Deo vel Christo [*est gloria*] in se, [*& imperium*] quoad alios. [*in secula futura*] consecutiua seculorum præsentium, id est sine fine: non quod in futuro sint plura secula per successionem, sed propter æternitatẽ quæ omnia sæcula continet.

Vers. 12. Charissimi nolite peregrinari in feruore qui ad tentationẽ vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat:

[*Charissimi nolite peregrinari*] Hic animat eos ad patiendum exemplo Christi respectu passionum iam præsentium in quibus iam erant, exhortans eos ad patiendum: Primo perseueranter. Secundo libenter: *sed communicantes.* Tertio fiducialiter: *si exprobramini.* Quarto innocenter: *Nemo autem vestrum.* Quinto glorianter: *si autem vt Christianus.* Sexto humiliter: *Itaque & hi qui patiuntur &c.*

Dicit ergo [*charissimi*] *Glossa.* Hoc facite & pro nulla tribulatione cessate. & vocat eos *charissimos*: charos quia homines: chariores quia fideles: charissimos, quia vitæ æternæ hæredes. [*nolite peregrinari*] id est reputare vos alienos à Christo capite vel à societate membrorũ Ecclesiæ. vel [*nolite peregrinari*] i. à statu fidei & amore Dei alienari. qui enim peregrinatur locum suum dimittit. Locus Animæ locus Deus est.
autem animæ Deus est à quo non debemus peregrinari [*in feruore*] i. tribulationis ardore. vnde tribu- Tribulatio camino & fornaci comparata.
latio camino & fornaci comparatur. *Eccl.* 17. *Vasa figuli probat fornax & homines iustos tẽtatio tribulationis.* Quia vt dicit *Greg.* Quod fornax auro, flagellũ Gregorius.
grano, hoc facit tribulatio viro iusto. [*quæ ad tentationem vobis fit*] id est ad probationẽ & sic ad bonũ nostrũ, & ideo non debetis inde facere damnum vestrum. solet enim Deus tentare bonos. *Gen.* 22. *Tentauit Deus Abraham.* [*quasi aliquid noui vobis contingat*] quasi s. non cõtigerit aliis. quasi dicat tentari & persecutiones pati non est nouum sed antiquum & frequens, nec factum solum vobis sed omnibus sanctis. 2. *ad Tim.* 3. *Omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patientur.*

Alia litera habet. [*Nolite mirari in feruore &c.*] Et hoc dicitur quibusdam, qui quamdiu sunt in seculo non sentiunt aliquam tentationẽ, sed statim quando sunt aggressi pœnitentiam, vel ingressi religionem tentantur, & de hoc mirantur: sed non est mirandum: quia dicit *Gregor.* Illos pulsare dia- Gregorius.
bolus negligit quos quieto iure possidere se sentit. Christus etiam in deserto tentatus est. *Matt.* 4. *Iudith.* 11. Dicit Holofernes: *Nunquam nocui viro qui voluit seruire Nabuchodonosor regi.*

Vers. 13.

Verſ.13. Sed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.

[*Sed communicantes Chriſti paſſionibus*] id eſt ad ſimilitudinem eius patientes. & dicit [*communicantes*] quaſi in parte capientes quia ad faſtigium eius non poſſumus aſcendere. [*vel communicantes*] id eſt cum Chriſto hæc patientes. & dicit [*paſſionibus*] in plurali, quia tota vita Chriſti fuit paſſio, & quia multa paſſus eſt. *Matt.20. Tradetur gentibus ad illudendum & flagellandum & conſpuendum.* [*gaudete*] pro regis veſtri conformitate in præſenti. *Iac.1. Omne gaudium exiſtimate fratres &c.* vt merito ſcil. paſſionum & gaudii huius, [*in reuelatione gloriæ eius*] id eſt in futuro iudicio, quando gloria, gloria ſcil. Chriſti reuelabitur, [*gaudeatis*] mẽte. [*exultantes*] corpore. Habebũt enim ſancti gaudium interius & exterius, ſpirituale & corporale. non quod gaudium ſit in corpore tanquam in ſubiecto, ſed tantum eſt gaudium in anima, quod per tripudium manifeſtabitur, & apparebit in corpore. *Pſal.15. Lætatum eſt cor meum, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.* & iterum *Pſal.149. Exultabunt ſancti in gloria lætabuntur in cubilibus ſuis*

Sanctorum gaudium duplex.

Primo de puritate conſcientiæ *Prouerb.15. Cor gaudens exhilarat faciem*, id eſt conuerſationem exteriorem. *Eccl.30. Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.*

Secundo de virtutis adeptione. *Eſa.61. Gaudens gaudebo in Domino quia induit me veſtimentis ſalutis*, id eſt virtutibus gratiæ.

Tertio de bona operatione. *Prou.22. Gaudium eſt iuſto facere iuſtitiam.*

Quarto de tribulationum pro Chriſto paſſione: ſicut hic: *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete. Act.5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

Quinto de diuini auxilii confortatione. *Hab.3. Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Ieſu meo. Deus Dominus fortitudo mea.*

Sexto de mercedis æternæ promiſſione. *Matt.5. Gaudete & exultate: ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

Septimo de peccatorum conuerſione. *Phil.4. Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in Domino.*

Octauo de profectu conuerſorum & vtilitate. *2.Io. Gauiſus ſum quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in veritate.*

Verſ.14. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis. quoniã quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcet.

[*Si exprobramini*] quaſi & debetis gaudere. [*quia ſi exprobramini*] id eſt opprobria ſuſtinetis in nomine Chriſti. *Gloſ.* permanentes in confeſſione nominis eius. vel [*in nomine Chriſti*] id eſt pro nomine eius, eo quod à Chriſto appellamini Chriſtiani. [*beati eſtis*] iam in ſpe, tandem in re. *Luc.6. Beati eritis cum vos oderint homines & exprobrauerint* [*quoniam quod eſt honoris*] de bono opere [*& gloriæ*] de teſtimonio conſcientiæ [*& virtutis Dei*] in reſiſtentia paſſionis illatæ & tentationis oblatæ. Sic exponitur de beatitudine viæ. vel [*quod eſt honoris*] quantum ad animam, qui eſt honor parificans Angelis in fruitione creatoris. [*& quod eſt gloriæ*] quantum ad ſtolam corporis quod reformabitur, & claritati corporis Chriſti configurabitur. *Phil.3. Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* [*& virtutis Dei*] quoad impaſſibilitatem vtriuſq; & incorruptionem. ſurget autem in virtute. De his tribus *Rom.2. His qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam.* Iſtud inquam totum [*ſuper vos requieſcet*] in hoc notatur quod habebunt iam dicta immutabiliter & inamiſſibiliter. [*& etiam requieſcet ſuper vos ſpiritus*] ſcil. ſanctus. [*qui eſt eius*] id eſt Chriſti. & dicitur Chriſti, quia procedit ab eo ſecundum diuinitatem, ad confutandum errorem Græcorum. vel [*eius*] etiam ſecundum humanitatem, quia datur ei non ad menſuram. Hic ſpiritus modo requieſcit in vobis per pacem peccatoris, in futuro autẽ per pacem æternitatis. tunc requieſcet ſine omni motu & turbatione. [*ſuper vos*] non ſolum in vobis: in quo notatur plenitudo, non ſolũ ſufficientiæ, ſed etiam ſuperfluentiæ.

Spiritus Chriſti cur eius dicatur

Verſ.15. Nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.

[*Nemo autem veſtrum patiatur*] quaſi & ideo quia beatus qui patitur in nomine Chriſti: [*Nemo veſtrum*] ſcil. fidelium, [*patiatur quaſi homicida*] id eſt pro crimine ſuo, quia vt dicit *Gloſ.* Martyrem non facit pœna ſed cauſa. ibi enim vt dicit *Gloſ.* nullũ præmium expectatur, ſed forte initium eſt pœnæ: quod tamen intelligendum eſt ſi penitus iniuste patiatur, aut maneat in voluntate peccati. Tangit autem quatuor crimina quibus proximo nocetur, quæ lex puniebat. [*homicida*] qui nocet in propria perſona. [*fur*] qui in ſubſtantia, ſed occulte. [*maledicus*] qui in fama. [*alienorum appetitor*] id eſt inuaſor, qui nocet in ſubſtantia manifeſte. vel *alienorum appetitor* dicitur qui nocet proximo in vxore ſua. Punit autem prædicta in proximum nõ in ſeipſum, quia talia lex puniebat.

Martyrem verum quid faciat.

Verſ.16. Si autem vt Chriſtianus: non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.

[*Si autem patitur*] ſupple vt Chriſtianus, id eſt Chriſti imitator & diſcipulus ſine culpa ſua. [*non erubeſcat*] quia pati pro Chriſto potius eſt gloria quam erubeſcentia. *Act.5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu cõcilii, quia digni habiti ſunt pro nomine Chriſti contumeliam pati.* [*autem*] pro ſed [*glorificet Deum*] ſc. laudando & ei gratias agendo. [*in iſto nomine*] ſcil. Chriſtiano pro quo patitur de hoc, quia pro iſto nomine dignus habitus eſt pati.

Autem pro ſed

Verſ.17. Quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum à nobis quis finis eorum qui non credunt Euangelio?

[*Quoniam tempus eſt*] *Gloſſa.* Ideo patiendum eſt pro nomine Chriſti. [*quoniã tempus eſt*] in præſenti aptum & opportunũ [*vt iudicium*] diuinæ ſ. vltionis.

Contra: Nullum malum apud ipſum remanet impunitum, vt dicit *Gloſſa.* [*Incipiat à domo Dei*] id eſt à ſanctis, qui ſunt de familia Dei & numero & merito. terminabitur vero in futuro in domo diaboli: quia boni puniuntur in præſenti temporaliter, mali vero in futuro æternaliter. *2.Mach.6. Sicut in cæteris nationibus Deus patienter expectat, vt eas cum iudicii dies venerit in plenitudine peccatorũ puniat:* ita & in nobis ſtatuit, vt peccatis noſtris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet. [*Si autem*

iudicium] ſc. vltionis diuinæ incipit [*primum à nobis*] ſc. fidelibus, qui de peccatis pœnitendo iam veniam impetrauimus. [*quis finis eorum qui nō credunt Euangelio?*] erit supple. quaſi dicat, nullus. *Gloſſa.* ſi cruciat hic quos amat & flagellat filios, quid debent ſperare ſerui nequiſſimi? *Luc. 22. Si in viridi hæc fiunt quid fiet in arido? Prou. 11. Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?*

Verſ. 18. Et ſi iuſtus vix ſaluabitur: impius & peccator vbi parebunt?

[*Et ſi iuſtus*] quilibet reddens Deo & proximo quod ſuum eſt. [*vix ſaluabitur*] *Gloſſa.* æſtuando, decertando cum magno certamine, & etiam cū magna difficultate. *Act. 14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* [*impius*] quoad fidē. [*& peccator*] quoad mores [*vbi parebunt?*] quaſi nuſquam apparere meruerunt, qui à Deo qui vbique eſt, & eſt locus omnium, ſe elongauerunt. Apparebunt tamen ſecundum *Gloſſam*, in loco fœtido ſc. in inferno, non in cælo, vel in mundo. *Pſ. 36. Quæſiui eum & non eſt inuentus locus eius;* Quia loci eſt locatum ſaluare, & locati locum appetere. hoc autem non eſt reperire in inferno. vnde qui ſunt in inferno non dicuntur eſſe in loco.

Verſ. 19. Itaque & hi qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei: fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis.

[*Itaque & hi &c.*] *Gloſſa.* quia iudicium incipit à domo Domini, [*itaq; & hi*] ſc. fideles, [*qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei*] id eſt ſicut Deus vult eos pati ſine culpa ſua. vnde ſubdit [*in benefactis*] id eſt pro benefactis, non pro malefactis. Hi inquam [*commendent animas ſuas.*] *Gloſſa.* Commendant animas ſuas Deo, nihil de ſe præſumentes, vt & hoc ſecundum quod vult purget, & beatificet in futuro. [*fideli creatori*] qui habet voluntatē conſeruandi, quia fidelis eſt: poteſtatem, quia creator eſt: *2. ad Tim. 1. Scio cui credidi & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem,* vnde & Dominus in paſſione ſua Deo patri ſpiritum ſuum commendat. *Luc. 23. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.*

Animas ſuas quandō vere commendāt Deo

Difficultatis iuſti ſaluandi cauſæ multæ.

[*Si iuſtus vix ſaluabitur*] Nota quod multæ ſunt cauſæ quare iuſtus vix ſaluabitur.

Vna ratio eſt propter meritorum noſtrorum indignitatem. *Rom. 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur nobis.*

Secundo propter corporis & animæ contrarietatem. *Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.*

Tertio propter carnis grauitatem & corruptionem. *Sap. 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Matth. 11. Regnum cælorum vim patitur.*

Quarto propter viæ arctitudinem. *Matth. 7. Arcta eſt via quæ ducit ad vitam.*

Quinto propter bonorum operum difficultatem, quia virtus conſiſtit circa difficilia.

Sexto propter iuſtitiæ noſtræ incertitudinem, vel imperfectionem. *Eſa. 64. Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſa iuſtitia noſtra.*

Gregorius. Iuſtitia noſtra ad examen diuinæ iuſtitiæ deducta iniuſtitia eſt, & ſordet in diſtrictione iudicis, quod in conſideratione fulget operantis.

Septimo propter Iudicii diſtrictionem. *Pſalm. 142. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

Anſelmus. O quot quæ nunc mala eſſe non putamus apparebunt ibi? id eſt in iudicio nudata facie nigerrima peccati.

Capvt V.

Verſ. 1. Seniores ergo qui in vobis ſunt obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator:

[*Seniores ergo qui in vobis ſunt &c.*] Poſt exordium in primo capitulo, poſt narrationem in tribus ſequentibus Capitulis, hic vltimo ponit concluſionem: in qua ex præmiſſis quaſi recapitulando infert. & ponitur auditorum exhortatio:

Secundo Epiſtolæ commendatio [*per Siluanum fidelem.*]

Tertio ſcribentis affectio: *ſalutat vos &c.*

Auditorum exhortatio ad obſeruantiam prædictorum tria continet:

Primo officium maiorum:

Secundo minorum: *ſimiliter adoleſcentes.*

Tertio omnium: *omnes autem inuicem.*

In prima parte primo ponitur exhortationis forma.

Secundo materia: *paſcite qui in vobis.*

Tertio finis: *vt cum apparuerit.*

Dicit ergo: [*Seniores*] *Gloſſa.* Et quia oportet pati & qui patiuntur animas ſuas commendant Deo, [*Seniores ergo*] *Gloſſa.* ætate & vita: ſcil. presbyteros, quia *presbyter* Græce, *ſenior* Latine. [*qui in vobis ſunt*] non dicit ſuper vos, ſed in vobis & inter vos, quia rector debet eſſe inter ſubditos quaſi vnus ex ipſis, *Ecclеſ. 32.* [*obſecro*] non impero, ſed per ſacra adiuro, inſinuando potius charitatem quam autoritatem. [*Conſenior*] ego: ſecundum *Gloſſam.* Fauorem captat ex ſenili ætate. Ex hoc etiam innuit quod magis ſibi credendum, quia in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. *Iob. 12.* [*& teſtis Chriſti paſſionum*] tum quia ipſum patientem vidi, tum quia multum pro eo ſuſtinui, [*qui & eius gloriæ*] æternæ ſcilicet. [*quæ reuelanda eſt*] id eſt manifeſtanda. [*in futuro*] ſcil. in die iudicii. *Eſa. 40. Reuelabitur gloria Domini.* [*Communicator:*] fui ſcil. in Chriſti transfiguratione, & in eius reſurgentis mihi facta apparitione: vel etiam ero in glorioſa reſurrectione. Et de quo obſecrat, ſubdit

Verſ. 2. Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie:

[*Paſcite,*] verbo, exemplo, temporali ſubſidio. vnde ter dictum eſt Petro in *Iohan. vltimo: Paſce, paſce, paſce.* Non dicit tonde vel excoria. *Ier. Paſcet vnuſquiſque eos qui ſub manu ſua ſunt;* id eſt ſub iuriſdictione. [*Gregem Dei*] id eſt congregationem omnium Chriſti fidelium: *Act. 20. Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* [*qui in vobis eſt:*] *Gloſ.* inter vos vel vos ipſi eſtis, nō ſub vobis: quia non debetis eū conſiderare tanquam minorē, ſed vos cōmunes exhibere ei. *Eccl. 32. Rectorē te poſuerunt, noli extolli ſed eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* Cōtra hoc faciunt aliqui Prælati, paſcentes ſemetipſos & gregē derelinquentes. *Ezech. 34. Væ paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos.* Et ibid.

Paſce, ter Petro dictum.

Prælati quidam ſemetipſos paſcentes.

Quod

Quod crassum erat comedebatis, gregem autem meum non pascebatis. Postea docet modum pascendi triplicem: scil. spontanee, non inuite, non cupide non superbe. vnde dicit [*Prouidentes*] *Glossa.* illis subditis de omnibus necessariis tã animæ quam corporis. Prælati enim sunt quasi oculi corporis ecclesiæ, & ideo toti corpori debent prouidere. *Cant. 5. Oculi eius sicut columba* [*nõ coactè*] id est non propter necessitatem inopiæ vitandam exerceatis pastoralem curam: [*sed spontanee*] ita quod necessitas victus adhoc vos non pertrahat.

Gelebertus. *Gelebertus.* Non est Spontaneus quem paupertas vrget, aut voluntarius quem cupiditas trahit. [*secundum Deum*] *Glossa.* vt nihil nisi diuinum prædiceris, contra illos qui prædicant mendacia propter quæsitum. & sic sumitur † ly *secundum* materialiter. vel [*secundum Deum*] id est sernando formam quam Christus seruauit prædicando & prouidendo: & sic sumitur † ly *secundum* formaliter. vel [*secundum Deum*] vt Deum finem petatis nihil aliud quærentes præter ipsum. vel propter ipsum, & sic sumitur finaliter. quasi dicat, ipsum debetis prędicare non propter temporalia, [*neque turpis lucri gratia*] id est, causa prouideatis vel prædicetis. quasi dicat, nullius quæstus amor vos compellat, vel dignitatis appetitus, sed honor Dei & vtilitas proximi: vnde subdit [*sed voluntarie*] id est gratis. *Glos.* Cuncta opera religionis debent esse voluntaria.

† verbum. *† verbum.*

Vers. 3. Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis, ex animo.

[*Neque*] supple, sitis pascentes vel prouidentes, [*vt dominantes*] alios scil. vobis imperiose subiectos esse volentes.

Et nota quod dicit [*neque vt dominantes*] non solum non dominantes, quia nihil debent exterius prætendere, per quod possit de eis opinari vt videantur velle dominari. [*in cleris*] id est in dignitatibus sorte diuinæ electionis obtentis. Nã cleros idem est quod sors secundum illud. *Psalm. 67. Si dormiatis inter medios cleros.* Vnde remouet hic triplex motiuum suscipiendi & exequendi officium Prælationis & prædicationis, scilicet penuriam, auaritiam & superbiam, sed sitis [*forma facti gregis*] id est extra bene viuendi, vt per vos alii informentur ad sanctam & honestam conuersationem. [*forma*] inquam non substantialis sed accidentalis, quæ separata à substantia nihil est: Sic Prælatus separatus à grege nihil valet. vnde idolum est. *Zach. 5. O pastor & idolum derelinquens gregem.* Item *forma* ad cuius adspectus informentur alii, & concipiant fœtus similes. sicut *ad aspectum virgarum Iacob concipiebant oues. Genes. 30.* Sed quomodo possunt alios formare qui in seipsis sunt informes & monstruosi.

Pastor à grege separatus idolum est.

Bernardus. *Bernardus.* Monstruosa res est sedes prima, vita ima; gradus supremus, status infimus; vultus grauis, actus leuis; sermo multus, fructus nullus; ingens autoritas & animi instabilitas. vel [*forma facti*] id est factiua non fictiua.

Gregorius. informis est vita pastoris, qui modo calicem Domini † significat, modo talos agitat, modo in auibus cæli ludit, modo canes instigat. Sic fuerunt forma antiqui prælati, scilicet* Apostolis, conformes, qui non causa dominandi sed laborandi prælationes desiderabant. vnde *Phil. 3. Obseruate eos qui ambulant sicut habetis formã.* Et hoc est [*ex animo*] non ficte sicut hypocritæ, qui omnia faciunt vt videantur ab hominibus.

† figurat Alter MS. **Apostolis & Confessoribus: legit al MS.*

Vers. 4. Et cum apparuerit princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

[*Vt cum apparuerit*] in iudicio. quasi hoc præmium consequimini. [*vt cum apparuerit*] in iudicio, scil. qui modo est absconditus. [*princeps Pastorum*] id est Christus qui est summus pastor. *Iohan. 10. Ego sum pastor bonus* [*percipiatis*] id est perfecte recipiatis. [*immarcessibilem*] id est incorruptibilem. *Glossa. coronam:* id est vitam æternam, quæ non habet principium neque finem ad modum coronæ. *2. Tim. 4. Reposita est mihi corona iustitia.* vel [*coronam immarcessibilem*] vocat aureolam quæ debetur prædicatori: de qua *Philip. 4. Fratres mei desideratissimi gaudium meum & corona mea.*

Vers. 5. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autẽ inuicem humilitatem insinuate: quia Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.

[*Similiter adolescentes*] Hic ponitur exhortatio minorum. [*similiter*] ex animo non ficte. [*adolescentes*] qui indigetis repressione & subiectione. quia adolescentia & voluptas vana sunt. *Eccl. 11.* [*subiecti estote*] non rebelles senioribus, scil. Prælatis superioribus eis scil. obediendo. Hoc ad *Heb. vlt. Obedite præpositis vestris & subiacete eis.* *Bernardus.* Magnum est inobedientiæ vitium, per quod Angelus cælum, homo paradisum, Saul regnum perdiderunt. *Bernardus.*

[*Omnes autem in inuicem &c.*] Hic docet officium omnium: &

Primo qualiter se habeant ad se inuicem.

Secundo qualiter ad Deum: *humiliamini.*

Tertio qualiter ad aduersarium: *sobrii estote.*

Quarto ad hoc promittit eis diuinum auxilium: *Deus autem omnis gratiæ.*

Dicit ergo: [*omnes autem*] tam Prælati quam subditi.

Glossa. Et senes & iuuenes debent humilitatem habere, senes regendo, iuuenes obsequendo. [*inuicem*] maiores ad minores & è contrario [*humilitatem insinuate*] non tantum interius in corde habere, sed etiam exterius in factis & verbis & signis ostenditẽ, vt sitis parati vnus alteri subuenire, quod notatur per verbum insinuandi, quod enim in sinu est, promptum & paratum est.

Isidorus. Agnoscat Episcopus se seruum esse non Dominum: talem ergo subditis se præstare debet, vt non solum autoritate, verum etiam in humilitate clarescat. Et subdit causam humilitatis [*quia Dominus superbis resistit*] specialiter eos amplius cæteris peccatoribus puniendo, vt patet in Lucifero. [*humilibus autem dat gratiam*] specialiter, propter maiorem sui exinanitionem gratia replendo vt patet in beata virgine. *Luca. 1.* Idem habetur *Iac. 4.* Nota de vase secundũ quod magis habet de vacuitate, magis habet de capacitate: si parum parum: si nihil, nihil. videat ergo quilibet in seipso quantum habeat de vacuitate humilitatis; & tantum habebit de capacitate gratiæ gratum facientis. & ex quo dat gratiã humilibus. *Isidorus.*

Vers. 6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vox exaltet in tempore visitationis:

[*Humiliamini*] igitur humilitate voluntaria nõ coacta. [*sub potenti manu Dei*] id est sub Deo qui

manum. id eſt virtutem habet potentem. vnde vel nos humiliabimus nos ei, vel ipſa opprimet nos, quia manum eius effugere impoſſibile eſt. *Sap.* 16. Loquitur antẽ modo humano, quo quis ſolet humiliari, quia videt manum potentem extenſam & paratam, & ictum deſuper venientem. Et hoc [*vt vos exaltet*] quia *qui ſe humiliat exaltabitur. Luc.* 18. [*In tempore viſitationis*] in die iudicii, quando Deus iudicabit mundum. *Soph.* 1. *Scrutabor Hieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis.* Vos dico

Manũ Dei effugere impoſſibile eſt.

Verſ. 7. Omnem ſolicitudinẽ veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.

[*Omnem ſolicitudinem*] *Gloſ.* Corporis & animæ [*proiicientes*] id eſt procul à vobis iacientes. *Mat.* 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, & quid bibemus.* [*in eum*] *Gloſſa* ſicut anchoram in mari. vt ſicut nauis quæ eſt in periculo, per anchorã, quæ in profundum maris proiicitur, firmatur, & ſic ſecura efficitur: ſic qui totam ſpem ponit in Deo firmatur in ipſo.

Auguſtinus Proiice te in Deum, non eſt tam crudelis vt ſe ſubtrahat, & te cadere permittat. *Pſal.* 54. *Iacta cogitatum tuum in Domino,* [*quoniam ipſi cura eſt de vobis*] ſpecialis, licet ſit ei cura generalis de omnibus. *Sap.* 6. *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt ei cura de omnibus.* Tamen in *Pſ.* 39. dicitur: Dominus ſolicitus eſt mei, ſc. ſpecialiter.

Auguſtinus

Solicitudo triplex.

Notandum autẽ quod triplex eſt ſolicitudo: Quædam prouidentiæ ſpiritualis quoad animam: de qua 1. *ad Cor.* 7. *Qui ſine vxore eſt ſolicitus eſt quæ ſunt Domini.*

Secunda prouidentiæ corporalis quoad corpus, de qua 1. *ad Cor.* 7. *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe.* non quia ſit mala, ſed quia impedit à maiori bono, ſcil. à contemplatione æternorum.

Tertia eſt curioſitatis: de qua *Matth.* 6. *Dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis &c.* Iſta eſt de ſuperfluis vel præter neceſſariis.

Prima præcipitur: *Roman.* 12. *Qui præeſt in ſolicitudine.* ſecunda permittitur. tertia prohibetur.

Verſ. 8. Sobrii eſtote & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.

[*Sobrii eſtote & vigilate &c.*] Hic docet qualiter ſe habeant ad aduerſarium, quia reſiſtendo ei. vbi primo hortatur eos ad vigilantiam. ſecundo ad reſiſtentiam: [*cui reſiſtite*] tertio ſubiungit vtriuſque cauſam [*ſcientes eandem &c.*]

Dicit ergo. [*Sobrii eſtote*] *Gloſ.* Ita proiicite, vt & vos collaboretis adiutrici gratiæ. [*ſobrii eſtote*] corpore [*& vigilate*] animo. Præponit autem ſobrietatem vigiliæ, vt cauſam effectui. *Luca.* 21. *Attendite ne forte grauẽtur corda veſtra, in crapula & ebrietate, & neceſſe habetis &c.* [*quia aduerſarius veſter*] qui ſemper fidelibus aduerſatur [*diabolus*] id eſt deorſum fluens. ſemper enim deorſum fluit quantum ad ſe, merito & intentione quantum ad alios. *Eſa.* 14. *Veruntamen in infernum detraheris in profundum laci.* vel dicitur diabolus quaſi duplicem bolum in nobis quærens ſcilicet corpus & animam: [*tanquam leo*] per ſuperbiam & elationem [*rugiens*] per continuam nocendi eſuriem. [*circuimus*] propter malitiæ ſuæ fraudem infatigabilẽ. [*quærens*] propter fallendi ſtudioſitatẽ. [*quem deuoret*] propter ſuꝛ implacabilem crudelitatem, *Iob.* 1. *circuiui terram & perambulaui eam.*

Diaboli etymon diuerſum.

Gloſſa. Tanquam hoſtis obſidens muros clauſos explorat, an ſit aliqua pars murorum minus ſtabilis, cuius aditu ad interiora penetretur. oculis offert formas illicitas, antes per canora tentat, linguam conuitio prouocat, manum iniuriis ad cædem inſtigat, honores terrenos promittit, vt cæleſtes adimat: & cum latenter non poteſt fallere addit apertos terrores, in pace ſubdolus, in perſecutione violentus. Sicut ergo qui vult accipere caſtrum aliquod circuit vndique ſi eſt ibi in muro aliqua ruptura per quam ſit aditus, ita facit diabolus, non ceſſat nos circuire ad videndum ſi in nobis eſt aliqua ruptura, defectus alicuius virtutis per quem poſſit intrare. *Iob.* 22. *Quaſi rupto muro & aperta ianua irruerunt ſuper me.*

Simile Diaboli & eius qui caſtrum vult inuadere & occupare.

Verſ. 9. Cui reſiſtite fortes in fide: ſcientes eandem paſſionem ei quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri.

[*Cui reſiſtite*] ſuggeſtionibus eius non conſentiendo. *Iac.* 4. *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis.*

Gloſ. Tantum animus debet eſſe paratus ad reſiſtendum, quantum diabolus paratus eſt ad impugnandum. [*fortes in fide*] tanquam ſcuto. *Eph.* 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Fortitudo terreſtris non valet ei reſiſtere, ſed ſolum cæleſtis. *Iob.* 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret.*

Qua fortitudine diabolo ſit reſiſtendum

Nota quod Petrus ponit quatuor ex parte veſtra, contra quatuor quæ ſunt ex parte diaboli.

In hoc quod dicitur *aduerſarius* notatur eius peruerſitas vt noceat. *Zach.* 3. *Sathan ſtabat à dextris eius vt aduerſaretur ei.*

In hoc quod dicitur *Leo*, notatur eius fortitudo ne quis ei reſiſtat. *Iob.* 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei.* Item

In hoc quod dicitur *rugiens*, notatur eius crudelitas ne cui parcat. *Ier.* 6. *Crudelis eſt & non miſerebitur.* Item

In hoc quod dicitur *circuiens*, notatur eius ſolicitudo, ne quis effugiat. *Iob.* 1. *Circuiui terram & perambulaui eam.*

Contra Petrus contra aduerſarium ponit reſiſtentiam [*cui reſiſtite*] *Iac.* 4. *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis.*

Gregorius. Non eſt timendus hoſtis, qui non poteſt vincere niſi volentem.

Fortitudini opponit fortitudinem: vnde dicit; [*fortes.*]

Contra crudelitatem, fidei manſuetudinem: vnde dicit [*in fide*] *Eccl.* 45. *In fide & lenitate ſanctum fecit illum & elegit eum ex omni carne.*

Contra ſolicitudinem ponit vigilantiam, vnde dicit [*vigilate*] 1. *ad Corint. vltimo. Vigilate & ſtate in fide.*

[*Scientes*] Ita dico [*Reſiſtite illi, ſcientes eandem paſſionem*] id eſt conſimilem tribulationem & tentationem ei quam vos ſuſtinetis [*fieri*] ſcil. à diabolo. [*veſtra fraternitati quæ in mundo eſt*] id eſt fratribus veſtris per mundum diſperſis. quaſi dicat, non æſtimetis vos ſolos hoc ſuſtinere à diabolo: immo hoc eſt commune omnibus. 2. *ad Tim.* 3. *Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur.* vel ſic: [*Scientes eandem paſſionem ei quæ in mundo eſt*] id eſt, eandem tentationem, quam facit diabolus mundanis, [*veſtra fraternitati*] fieri, id eſt vobis fratribus. quaſi dicat, non putetis euaſiſſe

fisse tentatiooes qnia fideles estis: imo magis eo ipso cauete: *Eccles. 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & in timore, & prepara animam tuam ad tentationem.*

Vers. 10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passus ipse perficiet; confirmabit, solidabitque.

[*Deus autem omnis gratiæ:*] Hic promittit diuinum auxiliom. *Gloss.* quod ex vobis est facite: [*Deus autem omnis gratiæ:*] dator scilicet. *Gloss.* fidei spei & aliarum virtutum. vel [*omnis gratiæ:*] quia bonorum temporalium, naturalium, spiritualium, & æternorum. [*qui vocauit nos*] vocatione interiori per inspiratiooem, & exteriori per prædicationem. [*in æternam gloriam suam:*] id est vt sitis participes gloriæ suæ, quæ æterna est [*in Christo Iesu:*] id est per Iesum Christum. vel [*in Christo Iesu:*] id est nos existentes in Christo Iesu sicut membra in capite. vel [*in Christo Iesu:*] id est in fide & pro fide Christi Iesu. vos dico [*modicum passos:*] respectu præmii quod estis recepturi. *2. ad Corinth. 4. Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, &c.* [*Ipse*] qui sci. vos vocauit. [*perficiet,*] in bono. [*confirmabit,*] contra malum culpæ. [*solidabitque*] contra malum pœnæ. vel [*perficiet*] rationem cognitione veritatis. [*confirmabit*] concupiscibilem in amorem bonitatis. [*solidabit*] irascibilem in detestationem totius peruersitatis. Vel [*perficiet*] contra mundum. [*confirmabit*] contra carnem. [*solidabit*] contra diabolum. vel [*perficiet*] contra cōcupiscentiam carnis. [*confirmabit*] contra concupiscentiam oculorum. & [*solidabit*] contra superbiam vitæ.

Vers. 11. Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

[*Ipsi gloria:*] in se. [*& imperium*] ad alios. [*in secula:*] [*consecutiua seculorum:*] id est in æternum. [*Amen:*] confirmatio est prædictorum.

Vers. 12. Per Syluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi: obsecrans & contestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.

[*Per Syluanum fidelem fratrem:*] Hic ponit Epistolæ suæ commeodationem. quasi dicat: prædicta seruare debetis: Nam ergo per [*Syluanum fidelem fratrem:*] *Gloss.* Qui mihi necessarius erat, sed causa salutis vestræ eum dimisi. [*vobis vt arbitror breuiter scripsi:*] *Gloss.* vt cito possitis intelligere. Et dicit [*vt arbitror,*] quia aliquando qui loquitur putat breue esse quod longum videtur aliis. [*obsecrans:*] vos ad faciendum adiuuans. [*& contestans:*] testimonio scripturarum affirmans. [*hanc esse veram gratiam Dei:*] id est fidem Christi, quam vobis prædico & eius imitationem. & dicit *hanc gratiam esse veram*, ad differentiam illius quæ est vana: de qua *Prouerb. 31. Fallax gratia & vana pulchritudo.* [*In qua statis:*] id est permanetis iuxta doctrinam meam. vel [*in qua & state immobiles*] in aduersis. *Gal. 5. State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* *Gratia vera & vana.*

Vers. 13. Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone collecta: & Marcus filius meus.

[*Salutat vos Ecclesia, &c.*] Hic ostenditur affectio scribentis: &

Primo salutat eos ex parte aliorum:

Secundo mandat salutari ad inuicem ex parte sua: *salutate.*

Tertio ipsemet eos salutat: *gratia vobis omnibus, &c.*

Dicit ergo: [*salutat vos ecclesia:*] id est congregatio fidelium. [*quæ est in Babylone collecta:*] *Gloss.* Romam vocat Babylonem propter confusionem multiplicis idololatriæ, io cuius medio sancta ecclesia adhuc rudis & parua iam fulgebat, sicut io Babylone Gens Israelitica captiuata. & specialiter [*Marcus*] Euangelista: [*filius meus,*] quem ego baptizaui & instruxi. *Babylon iuxta Glossam Roma attributū.*

Vers. 14. Salutate inuicem in osculo sancto: Gratia vobis omnibus qui estis in Christo Iesu, Amen.

[*Salutate vos inuicem:*] in signum scil. communis fidei & charitatis. [*in osculo sancto:*] *Gloss.* pacifico, columbino, non ficto non subdolo. Hinc inoleuit in Ecclesia osculū pacis. Simile *2. ad Corinth. vltimo. Salutate inuicem in osculo sancto.* [*Gratia vobis omnibus:*] sicut à gratia incipit, ita à gratia finem facit, vt sic ad locum vnde exeunt flumina, reuertantur. *Eccles. 1.* [*vobis omnibus:*] supple sit. [*qui estis:*] i. e. permanetis fide & opere. [*In Christo Iesu:*] quia non est io altero nomine salus. *Actor. 4.* [*Amen.*] confirmatio est. *Osculum sanctum.*

EPISTOLA PETRI APOSTOLI SECVNDA.

CAPVT I.

Verſ. 1.

SImon Petrus, ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti, iis qui coęqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in iuſtitia Dei noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti.

[*Simon Petrus ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti, &c.*] Liber iſte diuiſus eſt in quatuor partes ſecũdum numerum authorum, vel in ſeptem ſecundum numerum Epiſtolarum.

In prima Epiſtola Petri poſita eſt principaliter inſtructio in moribus: hic ponitur principaliter inſtructio in fide.

Epiſtola Petri Secundæ diuiſio in tres partes.

Diuiditur autem hæc Epiſtola in partes tres.

Primo enim prouocat ad conſeruationem Catholicæ veritatis.

Secundo reuocat à ſeductione hæreticæ prauitatis ſecundo Capitulo.

Tertio ſubiungit cauſam vtriuſque tertio capitulo.

Prouocat autem ad conſeruationem Catholicæ veritatis quadrupliciter.

Primo pleniorem veritatis cognitionem eis optando.

Secundo ad opera veritatis eos exhortando: *vos autem curam omnem.*

Tertio ſuam pro eis in veritate conformandi ſolicitudinem indicando: *propter quod incipiam vos, &c.*

Quarto veritatem ſuſceptam eis commendando: *non enim indoctas fabulas.*

In prima parte

Primo ponitur perſona ſalutans.

Secundo perſonæ ſalutatæ: *his qui coæqualẽ, &c.*

Tertio forma ſalutationis: *Gratia vobis, &c.*

Quarto explanatio formæ: *quomodo omnia, &c.* In qua tangitur cognitionis quam eis optat adimpleri vtilitas, primo iam collata. ſecundo promiſſa: *per quem maxima & pretioſa, &c.*

Epiſtola Petri ſecunda iiſdem ſcripta quibus & prima, ſecundum Gloſſam. Autoris ſcopus.

Dicit ergo: [*Simon, &c.*] Hanc Epiſtolam vt dicit *Gloſſa* ſcribit eiſdem quibus & præcedentem, ſcilic. electis proſelytis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Aſiæ, Bithyniæ, cuius intentio eſt hortati & præmunite contra deceptionem hæreticorum, ſicut in præcedenti contra perſecutiones tyrannorum ſecundum *Gloſſam.*

Dicit ergo: [*Simon Petrus.*] Duo nomina eius ponit, quorum primo primum fuit ei impoſitum & fuit mutatum in ſecundum. *Iohan. 1. Tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur *Petrus*. Dicitur autem

Simon propter obedientiam diuinæ legis.

Petrus propter agnitionem veritatis.

Seruus, propter humilitatem conuerſationis.

Apoſtolus, propter autoritatem officii vel dignitatis [*Apoſtolus Ieſu Chriſti:*] *Gloſſ.* nuntius ſaluatoris & regis noſtri, qui autoritatem habuit mittendi. [*his,*] ſcil. proſelytis, electis, aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ. &c. 1. *Pet.* 1. ſupple ſcribit. [*qui coæqualem fidem:*] id eſt eandem, quia vna fides, vnum baptiſma, *Epheſ.* 4. [*nobiſcum:*] ſcil. cum Apoſtolis ex ſtatu Iudaiſmi naturalis ad Chriſtum conuerſis, cum tamen illi primo ex gentilitate venerint. [*ſortiti ſunt:*] i. e. diuina electione adepti *Epheſ. 1. Sorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius.* & bene dicit *ſortiti:* quia ſicut ſors non reſpicit perſonam; ita nec diuina electio acceptrix eſt perſonarum. *Galat. 4. In Chriſto Ieſu non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina.* [*ſortiti*] dico in [*iuſtitia Dei noſtri:*] intranſitiue qua Deus iuſtus eſt, non in meritis propriis: & appellatur hic iuſtitia, non exigentia meritorum, ſed condecentia bonitatis diuinæ. vel tranſitiue, qua [*ſortiti fidem,*] non fidem mortuam, ſed [*quæ eſt in iuſtitia*] bonæ operationis, non iuſtitia humanæ prudentiæ, ſicut eſt politica iuſtitia, vel conſuetudinalis, vel iuſtitia legis Moſaicæ; ſed iuſtitia perfecta Euangelii, quæ non tantum eſt in timore, ſed etiam in amore, quæ non tantum cohibet manum ſed etiam animum. [*qua eſt Dei noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti:*] id eſt, quam ipſe Chriſtus in Euangelio docuit. *Matt. 5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* vel eſt [*Dei noſtri,*] id eſt Chriſti ſecundum diuinitatẽ effectiue: [*& ſaluatoris Ieſu Chriſti,*] ſecundum humanitatem meritorie. Hanc ipſe nobis meruit ſua gratuita paſſione. hominis vero formaliter.

In Electione diuina nulla eſt perſonarum acceptio.

Verſ. 2. Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei & Chriſti Ieſu Domini noſtri.

[*Gratia:*] quia fit remiſſio peccatorum. [*& pax:*] id eſt reconciliatio ad Deum. [*vobis adimpleatur:*] impletur gratia alicui quando habet ſufficientem ad ſalutem; ſed adimpletur quando datur ad diuinorum cognitionem. vnde ſubdit: [*in cognitione Domini noſtri Ieſu Chriſti:*] id eſt ad cognoſcendum opera quæ circa ipſum facta ſunt circa noſtram ſalutem. de quibus addit:

Verſ. 3. Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem, donata ſunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute.

[*Quomodo donata ſunt nobis omnia:*] ita ſcil. vt cognoſcatis [*quomodo:*] id eſt quam liberaliter. [*donata ſunt per gratiam ſuam nobis:*] id eſt ad vtilitatem noſtram. omnia dona ſcilicet: *Rom. 8. Qui proprio filio non pepercit, quomodo non nobis omnia donauit?*

nauit : & *Iac.* 1. *Omne* datum *optimum* & *omne donum* perfectum *desursum est.* [*Dona*] dico non infirmitatis, id est oon imperfecta, sicut fuerunt dona legis: sed [*diuinæ virtutis:*] id est quæ faciunt hominem virtuosum & diuioum: quæ scil. Dona sunt [*ad vitam:*] scil. spiritualem quoad nosmetipsos. & [*ad pietatem*] quoad proximos, vel [*ad vitam*] scil. obtineodam in futuro. & [*pietatem*] scil. conseruandam in præsenti, quæ est cultus Dei. vel [*ad vitam*] quoad mores bonæ conuersationis. & [*pietatem:*] quoad cultum christianæ fidei, & religionis per cognitionem eius, id est Cbristi. Quia enim cognoscimus Christum per fidem, donata sunt omnia dona ad vitam sustinendam.

Gloss. Per cognitionem Saluatoris omnia mysteria Deitatis quibus saluamur cognoscimus. [*Qui*] Christus scil. [*vocauit nos:*] Apostolos specialiter, vocatione exteriori non solum interiori. [*& in propria:*] persona propria. [*gloria sua.*] ostensione scil. gloriæ, transfigurationis scil. *Matt.* 17. *Gloss.* qui transfiguratus est in monte. [*& virtute:*] miraculorum operatione: quia multa miracula fecit coram eis. vel [*vocauit nos:*] scil. saluandos efficaciter & omnes sufficienter. [*propria gloria sua & virtute:*] id est per seipsum gloriosum & virtuosum. non alium misit ad vocandum & saluandum: imo in propria persona venit. vnde *Glossa*: non Angelum, non Archangelum, ad nos saluandos misit, non in nobis aliquid boni, per quod saluemur inuenit, infirmos & ingloriosos sua virtute reparauit & gloria sua: [*virtute*] efficienter [*& gloria*] finaliter.

Christus vocat saluandos efficaciter, omnes sufficienter.

Vers. 4. Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

[*Per quem maxima, &c.*] Hic tangit vtilitatem cognitionis promissam.

Est autem triplex litera. Quidam libri babent *per quem*, & sic refertur ad Christum. Quidam habent *per quam:* & sic refertur ad cognitiooem. Alii habent *per quæ:* & sic refertur ad dona. Dicatur ergo [*per quem:*] scil. Christum. vel [*per quam:*] scil. cognitionem. vel [*per quæ:*] scil. dona. [*donauit nobis:*] Deus pater scil. modo in terra spe, tandem in re. [*maxima & pretiosa promissa:*] id est vitam æternam freqoenter in scriptura promissam. *Luc.* 22. *Et ego dispono vobis sicut disposuit pater meus Regnum. Matth.* 5. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et vocat vitam æternam promissa pluraliter, propter pluralitatem gaudiorum, & donorum, quia ibi est status omnium bonorum aggregatione perfectus, quæ etiam sunt maxima. magna etiam sunt dona naturæ, maiora gratiæ, maxima gloriæ. Dicuntur etiam *pretiosa*, quia pretio meritorum redduntur. [*vt per hæc:*] scil. gratiam & pacem, secundum vnam *Glossam*, & sic refertur ad illud quod dictum est supra: [*gratia vobis & pax.*] vel [*vt per hæc:*] scilicet dona gloriæ [*efficiamini, &c.*] quasi dicat non solum nobis propter nos donauit, sed vt à nobis transirent ad vos. [*consortes diuinæ naturæ*] non cōsortio æqualitatis, quod est trium personarum solum, sed consortio participationis, quod est omnium fidelium. per gratiam in præsenti & gloriam in futuro. De hac societate 1. *Iohan.* 1. vt & vos societatem babeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre & filio eius Iesu Christo. [*fugientes:*] quasi sic eritis consortes, ita tamen si fugitis corruptionem [*eius concupiscentiæ quæ in mundo est:*] non ait quæ mundi est tantum, sed quæ in mundo est, vt comprehendat non solum concupiscentiam oculorum, sed etiam concupiscentiam carnis, & superbiam vitæ. 1. *Iohan.* 2. *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* Dicit *corruptionem*, quia omne peccatum secundum *Augustinum* est corruptio modi, speciei & ordinis. concupiscentia vero est radix omnium malorum.

Vita æterna cur promissa pluraliter appellata.

Peccatum omne, secundū Augustinum, est corruptio modi, speciei & ordinis.

Concupiscentia radix omniū malorum.

Vers. 5. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam:

[*Vos autem curam omnem:*] Hic prouocat ad veritatis conuersationem, eos ad opera veritatis exhortando. Et

Primo ponit octo graduum spiritualium distinctionem.

Secundo ostendit eorum vtilitatem: *hæc enim si vobiscum, &c.*

Tertio monet ad eorum studiosam obseruationem: *quapropter fratres, &c.* vtilitatem autem ponit duplicem: prima est in adeptione boni: alia in euasione mali: *Cui enim non præsto sunt, &c.*

Dicit ergo: [*vos ergo curam:*] quasi non solum fugite concupiscentiæ corruptionem, sed vos [*subinferentes:*] id est secundo principaliter operanti inferentes & ei cooperantes. In omnibus enim bonis operibus, principalis autoritas est gratiæ, secundaria liberi arbitrii. 1. *ad Corinth.* 15. *Non ego sed gratia Dei mecum.* [*curam omnem:*] id est perfectam non tepidam.

Contra 1. *Petr. vltimo. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Obiectio.

Resp. In eum principaliter proiicite, vestram subinferte. vel proiicere monet per confidentiam non per negligentiam. [*ministrate in fide vestra, &c.*] Ponit octo gradus virtutum quibus ascenditur in cœlum, sicut *octo gradibus* quos ponit *Ezechiel* ascendebatur in templum *Ezech.* 48. quorum tres primi ordinant respectu boni: tres medii ordinant respectu mali: duo vltimi respectu charitatis quæ perficit in vtroque. Respectu boni ordinat *fides* in mouendo vel dirigendo, *virtus* in eliciendo & exequendo, *scientia* in diligendo & rectificando. Tres autem sequentes ordinant respectu mali, vel mali culpæ fugiendi *abstinentia*: vel mali pœnæ tolerandi, *patientia*: vel mali vtriusq; in aliero releuandi, *pietas*. Duo vltimi ordinant ad perfectionem in vtroque, scilicet *Dilectio proximi & amor Dei*, quia in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ. *Matth.* 22. Dicit ergo: [*ministrate:*] id est tanquam ministri, non tanquam dominantes ostendite exemplo illius qui non venit ministrari sed ministrare. *Matth.* 22. [*In fide vestra:*] in ascensu virtutum incipit à fide tanquam à fundamento, & per alias virtutes tanquam per parietes ascendens, terminat in charitate tanquam in complemento. [*virtutem:*] i.e. bonæ operationis fortitudinē. *fides* enim *sine operib. mortua est. Iac.* 2. In huius

Responsio.

Virtutum octo gradus quibus ascenditur in cœlum.

Fides virtutum fundamentum.

figuram

figuram legitur Petrum id est agnoscentem, & Andream idest vitilem fuisse fratres. *Iohan.* 1. Et quia non conuenit recte operari sine discretione, ideo sequitur tertius gradus: in [*virtute autem scientiam*:] *Gloss.* discretionis, quid, cui, quando vel quomodo. *Bernardus.* Discretio non tam est virtus quam auriga virtutum, sine qua virtus vitium est. *Rom.* 12. *Rationabile obsequium vestrum. Leu.* 2. In omni sacrificio offeres sal. *Gregorius.* Fortitudo quæ plus potest sine rationis moderamine præceps ruit. ideo combinatur donum consilii & fortitudinis. *Esa.* 11. Ideo etiam fortitudini Iudæ additur consilium Simonis. 1. *Maccab.* 2. Et quia sub specie discretionis solet blandiri voluptas, nec etiam sufficit habere discretionem in agendis nisi abstineatur à malis, ideo subdit.

Bernardus. Discretio auriga virtutum.

Vers 6. In scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem.

[*In scientia autem abstinentiam*:] vt scil. à malis abstineatis. Et accipitur hic abstinentia communiter pro fuga cuiuscunque mali. *Eccles.* 3. *Cor sapiens & intelligibile abstinebit se à peccatis.* 1. *ad Corinth.* 9. *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet.*

Abstinentia communiter sumpta pro fuga cuiuscunque mali.

Glossa. ne in vacuum scientia cælestium cedat, si sese ab illecebris seculi aliquis non coerceat. Et quia abstinentes vt dicit *Gregorius*, de facili ruunt in impatientiam, ideo addit: [*in abstinentia autem patientiam.*] *Gloss.* abstinentiam patientia sequitur, & qui à voluptatibus mundi se continet, aduersa quoque eius sustineat. Et quia patientia nutritur per opera pietatis in subueniendo proximo vel consolando, vel corrigendo, ideo addit: [*in patientia autem pietatem*:] affectum scil. & effectum compassionis & subuentionis in malis alienis, vt etiam erga persecutores, pietatis opera exerceatis. *Matth.* 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et quia posset aliquis opera pietatis persecutoribus impendere ex timore non ex amore, subdit.

Gregorius.

Vers. 7. In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

[*In pietate autem fraternitatis*:] id est fratrum amorem: quasi dicat: in pietate illa sit amor fraternitatis, non timor persecutoris. 1. *Petr.* 3. *Fraternitatis amatores.* Et quia dilectio fratris cum omnibus prædictis non debet in seipso sistere, sed ad amorem Dei, vt ad finem referri, ideo subdit: [*In amore autem fraternitatis charitatem*:] id est Dei amorem. *Col.* 3. *Super omnia autem hæc charitatem habentes quod est vinculum perfectionis.* hoc est oleum quod superfertur omnibus liquoribus.

Vers. 8. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent: non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

[*Hæc enim.*] scil. octo prædicta. [*si vobiscum assint*:] per præsentiam habituum in affectu & promptitudinem. [*& superent,*] per dominantiam vitiorum in effectu. Et dicit [*vobiscum assint*:] idest cum sensu liberi arbitrii. in quo duo notantur sine quibus non est meritum: scil. præsentia gratiæ & consensus liberi arbitrii. 1. *ad Corinth.* 15. *Non ego sed gratia Dei mecum.* [*non vacuos*] minus dicit & plus significat, quasi plenos. [*vos constituent*:] meritis in præsenti: [*nec sine fructu*] mercedis in futuro. *Sap.* 4. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* [*constituent*] & hoc [*in Domini nostri Iesu Christi cognitione,*] i.e. in die iudicii quãdo cognoscetur Dominus iudicia faciens, qui modo contemnitur, vt dicit *Bernardus*, misericordiam offerens. vel [*in cognitione*:] quia cognouistis Dominum nostrum Iesum Christum per fidem: & sic propositio notat habitudinem quasi causæ efficientis. vel [*non constituet vos vacuos nec sine fructu in cognitione,*] idest, ad cognoscendum Dominum nostrum Iesum Christum in patria, quæ cognitio est totus fructus, quia vita æterna. *Iohan.* 17. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

Bernardus.

Vers. 9. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

[*Cui enim*:] *Gloss.* Et vere hæc sunt tenenda. [*cui enim non præsto sunt hæc*:] *Gloss.* octo luminaria, quia hæc non habet in præsentia, & promptitudinem ad operandum: [*cæcus est*:] ne videat cœlestia. *Gloss.* à lumine Diuini solis est alienus. *Apocal.* 3. *Nescis quia cæcus es.* [*& manu tentans*:] quia ignorat quomodo inferiora sunt diligenda & opere tractanda. vel [*manu tentans*:] id est instabilis ad bona opera. vnde *Glossa*: Qui scientiam rectæ operationis non habens, quicquid sibi rectum videtur operatur, quasi manum ad opus quod non videt, extendit, & ingressus in iter quod non præuidet, ideo miser in ruinã perditionis, quam præscire nequibat, incidit: *Esa.* 59. *Palpabunt quasi in tenebris & non in luce.* Qui enim aliud quam Deum amat & quærit, nunc ad ista nunc ad illa manum extendit. & insuper [*obliuionem accipiens*] per culpam ingratitudinis, [*purgationis*:] *Gloss.* per Baptismum & pœnitentiam factæ. [*veterum suorum delictorum*:] *Gloss.* originalium, vel actualium, in quibus diu consueuerat. Originale dicitur vetus delictũ à causa. quia de veteri homine, id est Adam trahitur. Actuale vero ab effectu: quia ad vetustatem & mortem trahit. *Psal.* 6. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.*

Peccatum originale. Actuale.

Sed cum non sit nisi vnum originale, quomodo *Glossa originalium* dicit, *originalium* in plurali.

Quæstio.

Resp. Vnum est origine sed multa personarum diuersitate: vel vnum ab vnitate reatus, multa à multitudine vitium corruptarum: vnum ergo formaliter, sed multa materialiter.

Responsio.

Vers. 10. Quapropter fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

[*Quapropter fratres, &c.*] Hic monet ad eorum studiosam obseruationem: & hoc triplici vtilitate: quarum

Prima est certitudo spei.

Secunda cautela peccati: *hæc enim facientes, &c.*

Tertia introitus regni: *sic enim abundanter.*

Dicit ergo: [*quapropter fratres*:] *Gloss.* quia cæcus est, qui non habet hæc: [*magis*:] id est plus solito. *Gloss.* maiori studio [*satagite*] satis agite. [*vt per bona opera*:] scil. exteriora, [*faciatis*] id est ostendatis [*vestram vocationem,*] ad fidem ex tempore, & electionem per prædestinationem ab æterno, vt scil. certi sitis vos esse vocatos & à Deo electos.

Gloss. benefaciendo faciatis vos certos de præ-

mio

nio vestræ vocationis & electionis. vnde per bona quæ facit potest homo suæ electionis habere certitudinem, non scientiæ sed coniecturæ, non rei sed spei. de qua Rom. 8. *Certus sum quia neq; mors neq; vita, &c.* Et nota q ista electio modo est occulta. Modo. n. occultum est qui electi & qui reprobi, quia vterq; modo simul sunt. & multi qui modo sunt boni, sunt reprobi, & qui modo sunt mali, sunt electi. Sed in die iudicii quando Dominus ventilabit, & purgabit aream suam, tunc apparebit qui electi & qui non, & quod pauci electi & multi reprobi, quia multum inuenietur de palea, & parum de tritico. vnde *Matth. 3.* Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, id est ecclesiam. Istud ventilabrum est iudiciaria sententia, quæ modo est in ore, id est in prædicatione, sed tunc erit in manu, id est in executione. [*hæc enim facientes*] prædicta octo virtutum opera. [*non peccabitis aliquando:*] *Glossa.* Ad vitam æternam attingetis, vbi vlterius non peccabitis. vel [*nō peccabitis aliquando:*] id est nunquam etiam in præsenti, scil. mortaliter. venialia enim nullus vitare potest: & tūc intelligitur coniunctim. id est hæc facere satagite.

Certitudo salutis

Vers. 11. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi.

[*Sic enim:*] id est hæc opera faciendo. [*abundanter ministrabitur vobis regnum æternum:*] id est dabitur vobis augmentum gratiæ & virtutum per quas intratur in regnum. *Gloss.* id est virtutes per quas introibitis ad vitam.

Obiectio. Ex hac glossa videtur quod habeamus virtutes ex operibus, quod falsum est: non enim quia bonum facimus boni sumus.

Responsio. Resp. Non virtus sed augmentum & abundantia & perfectio virtutum habetur per exercitium bonorum operum. Et dicit [*ministrabitur:*] id est per vestrum ministerium & meritum acquiretur. Dicit etiam in regnum æternum, ad differentiam regni mundi, quod est breue & transitorium. *Eccles. 10. Omnis potentatus breuis vita. Luc. 1. Regni eius non est finis.* Regnum inquam quod est Domini nostri per creationem, [*& Saluatoris Iesu Christi,*] per redemptionem & recreationem.

Regnum mundi transitorium.

Vers. 12. Propter quod incipiam vos semper commonere de his: & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate.

[*Propter quod incipiam vos semper:*] Hic prouocat nos ad veritatis Catholicæ conseruationem, suam pro eis in veritate confirmandis sollicitudinem indicando. Et circa tria ostendit se solicitum.

Primo vt in veritate confirmentur quantum ad irascibilem.

Secundo vt ad eam exercitentur, quantum ad concupiscibilem: *iustum autem arbitror.*

Tertio vt eius semper recordentur, quantum ad rationabilem: *dabo autem operam & frequenter.*

Dicit ergo: [*Propter quod.*] *Gloss.* Quia adeo vtilia sunt vobis hæc, vt sit vobis introitus patens in regnum, [*incipiam vos semper commonere:*] id est tam solicite & frequenter vos commonebo ac si nunquam antea monuissem. In quo exprimitur feruor sanctorum qui quantumcunque laborauerint circa subditos, videtur eis quod nihil profecerint. *Psal. 76. Dixi nunc cœpi, hæc commutatio dexteræ excelsi.*

Sanctorum feruor.

Gregorius. Nescit mens per corporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare. Et nota quod dicit *commonere*, id est omnes simul monere, de his primo id est de gradibus prędictis, vt per eos simul ascendamus ad domum Domini. [*vos*] dico, [*scientes,*] i. e. qui scitis prædicta. [*quidem,*] id est certe. [*& confirmatos in præsenti veritate:*] quasi dicat, quamuis sitis scientes & confirmati in doctrina veritatis, tamen monebo vos vt scita opere compleatis, & vt magis cōfirmemini quia sicut dicit *Bernardus*: frequenter oportet reminisci, quod mundus iste cogit obliuisci.

Bernardus.

Vers. 13. Iustum autem arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.

[*Iustum autem arbitror:*] ita incipiam vos semper monere. [*autem:*] id est *quia iustum arbitror suscitare vos in commonitione:* id est per admonitionem prouocare vos ad proficiendum, quasi dormientes, secundum illud: *Prouerb. 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum.* [*quamdiu sum:*] in hoc tantillo temporis quo sum [*in hoc tabernaculo:*] id est in corpore meo, in quo tanquam in tabernaculo militaui contra vitia. *Gloss.* In corpore in quo iter vitæ huius agitur, & contra aduersarios veritatis certamen agitur.

Vers. 14. Certus quod velox est depositio tabernaculi mei secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.

[*Certus:*] per reuelationem. [*quia velox est depositio tabernaculi mei:*] id est corporis mei. [*secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit:*] id est reuelauit. vel significatione remota. *Iohan. vlt. Extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo tu non vis.* Vel melius significatione propinqua, quando dictum est Petro fugienti Neronem, à Domino: venio Romam iterum crucifigi. Et nota quod mortem vocat depositionem, quia in morte deponitur corpus à sanctis tanquam graue onus. *Sap. 11. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Hoc dicitur per quādam metaphoram: quia sicut milites post victoriam tabernacula deponunt, & ad proprias domos redeunt: sic sancti corpora deponunt post victoriam vitiorum.

Mors cur depositio appellata.

Vers. 15. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.

[*Dabo autem operam:*] *Gloss.* quia cito transiturus, ideo interim dum viuo [*dabo operā*] vos monendo non solum semel, sed & [*frequenter,*] id est instanter & diligenter [*habere vos:*] id est vt habeatis memoriam prædictorum [*post obitū meum:*] id est post mortem meam. dicitur autem obitus, ab *ob* quod est contra, & *eo is.* vnde *obire* est contra vel obuiam ire: & ideo transitus sanctorum dicitur obitus, quia tunc vadunt obuiam sponso, sicut dicit *Gloss.* [*vt horum memoriam habeatis:*] id est doctrinam memoratam opere impleatis. *Ps. 102. Memores sint mandatorum ipsius ad facienda ea.*

Obire.

Vers. 16. Non enim indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præscientiam: sed speculatores facti illius magnitudinis.

[*Non enim indoctas fabulas, &c.*] Hic prouocat ad conseruationem veritatis Catholicæ, ipsam commendando, quam probat

Primo testimonio Apostolorum in Nouo Testamento.

Secundo testimonio Prophetarum in veteri: *& habemus firmiorem.*

Testimonio Apostolorum tripliciter. Primo specialiter de visu.

Secundo simul de visu & auditu: *accipiens enim à Deo patre.*

Tertio de auditu specialiter: *& hanc vocem nos audiuimus.*

Dicit ergo: [*Non enim indoctas fabulas:*] *Gloss. &c.* Ideo adeo sum solicitus quia magna res est quam doceo. [*non enim indoctas fabulas:*] doctrina indignas [*secuti.*] fabula est, ait Tullius, in qua nec veræ nec verisimiles res narrantur. *Fabula definitio ex Tullio.* Tangit autem secũdum *Glossam* & errorem paganorum secundũ fabulosas narrationes Deos sibi fingentium, & errores hæreticorum scripturas sanctas fabulose interpretantium. 2. *ad Timoth.* 4. *A veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Psal.* 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes.* [*Sed notam fecimus:*] prædicando manifeste non obscure vel parabolice. [*vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem:*] per quam omnia creauit & continet. [*& præscientiam*] sapientiæ qua omnia nouit & præuidet. 1. *ad Corinth.* 1. *Nos autem prædicamus Christum Dei virtutem & sapientiam.* Sed potius [*speculatores*] facti sumus: id est inspectores [*illius magnitudinis:*] scil. magnæ excellentiæ & claritatis, quam in transfiguratione ostendit. *Matth.* 17. quasi dicat: nos docemus ea quæ vidimus de ipso transfigurato in monte: nec solũ quæ vidimus, sed etiam quæ audiuimus. Audiuimus enim testimonium patris.

Vers. 17. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriã voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.

[*Accipiens enim fuit:*] scil. Christus secundum quod homo, [*à Deo patre*] honorem. *Gloss.* quando facies eius & vestimenta fulserunt sicut sol. [*& gloriam:*] quando perhibuit testimonium dicens: hic est filius meus dilectus. [*vel honorem:*] cum dixit ipsum esse filium suum. [*& gloriam:*] quasi claram quantum ad claritatem in qua refulsit. [*accipiens*] inquam [*voce delapsa:*] id est de cœlo lapsa ad eum scil. Christum glorificandũm. [*à magnifica gloria:*] id est à Patre glorioso & magnificante filium. inquam [*huiuscemodi:*] [*Hic*] non alius [*est filius meus:*] mihi consubstantialis.

Hilarius. Non filii Dei sumus, sed non talis hic filius. ipse enim filius est natiuitate non creatione, veritate non nuncupatione, origine non adoptione. [*dilectus:*] quia spiritu sancto qui amor est ab vtroque procedens mihi connexus. [*in quo mihi complacui:*] *Gloss.* per quem beneplacitum meum ostẽdi, & in eo nisi quod placeret & meum est inueni. [*ipsum*] discretiue [*audite.*] *Gloss.* quia nullus ei succedet scil. legislator. *Deut.* 18. *Tanquam meipsum audietis.* Hæc etiam verba quæ dicũtur † hic, scripta sunt *Matth.* 3. & 17. & *Marc.* 9. *† hoc MS.*

Vers. 18. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.

[*Et hanc vocem nos audiuimus:*] specialiter ego Petrus & Iohannes & Iacobus, sicut tres Euangelistæ testantur. *Matt.* 17. *Marc.* 9. *Lu.* 9. *Vt sit in ore duorum vel trium stet omne verbum. Deut.* 19. [*De cœlo;*] quia in cœlo aereo formatam, quia ministerio cœlestis Angeli figuratam, quia patris cœlestis significatiuam. [*allatam:*] ad terram: nec dicit prolatam, quia non ex ore animalis sonuit, nec instrumentis naturalibus formata fuit, sed artificio angelico. [*Cum essemus cum ipso:*] vt familiares & Secretarii. [*in monte sancto:*] id est Tabor vbi transfiguratus est.

De ista autem claritate, quam Christus ostendit in transfiguratione, queritur vtrum esset gloriosa vel similis gloriosæ? Et quod sic videtur: quia dicit *Hieronymus* quod talis tunc apparuit, qualis in iudicio apparebit. *Quæstio.* *Hieronym.*

In contrarium est quia dos semel habita inamissibilis est.

Item *Glossa* hic dicit quod claritas illa signum erat resurrectionis suæ, non ergo erat illa claritas quæ erit in resurrectione.

Resp. Credo quod illa claritas non fuit gloriosa sed similis fuit gloriosæ similitudine analogiæ non vniuocationis. fuit enim quædam claritas formata in corpore à diuinitate quam apprehenderunt Apostoli sensu exteriori per illam autem quam videbant oculo corporali intellexerunt claritatem gloriæ, quam tamen oculo corporali non videbant. Hinc est quod quædam autoritates dicunt quod ostendit Apostolis claritatem gloriosam, quædam dicunt quod non, sed similem gloriosæ. Claritatem enim non gloriosam sed similem gloriosæ ostendit sensui. sed vere gloriosam ostendit intellectui. *Responsio.*

Vers. 19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.

[*Et habemus propheticum, &c.*] Hic probat veritatem catholicam testimonio Prophetarum in veteri testamento: & primo tangit firmitatem. Secundõ claritatem: [*cui attendentes.*] Tertio authoritatem: [*hoc primum intelligentes:*] dicit ergo: [*Et habemus:*] ad hoc ostendendum præter prædicta. [*Propheticum sermonem:*] scil. Dauid, vt dicit *Psal.* 2. *Gloss.* ad probandum christianitatem, quia dicit: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et ibidem: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* *Ibidem* [*Sermonem*] inquam [*firmiorem:*] id est lucidiorẽ. *Gloss.* quia clarius aliis Prophetis de Christo prophetauit: vel [*firmiorem*] vobis scilic. Iudæis quam sit sermo meus. quasi dicat: si minus creditis mihi, credatis Prophetæ, qui est firmior vobis quam ego vel sermo meus. Quamuis enim sermo Apostolorum esset simpliciter firmior sermone Prophetico, non tamen quantum ad illos, quia magis credebant Iudæi Prophetis, quam Apostolis. vel dicit [*firmiorem,*] quia visioni cõtradicere poterant, quæ facta fuit in secreto, sed

Prophetiæ nullus audebat contradicere. [*cui:*] ſcilicet ſermoni Prophetico [*attendentes beneſacitis*] propter ſuam ſcilicet vtilitatem, & inconcuſſam veritatem. vnde ſubdit: [*quaſi lucernæ:*] id eſt, quæ eſt quaſi lucerna quæ illuminat intellectum ad veritatis cognitionem. [*ardenti*] quia accendit affectionem. vnde veritas ſacræ Scripturæ illuminat intellectum, ideo dicitur lucerna: ac accendit affectum, ideo dicitur [*ardens,*] *Bernardus.* & ideo eſt ſcientia perfecta. *Bernardus.* Lucere vanum, ardere parum, lucere & ardere perfectum. Lucenti inquam [*in caliginoſo loco:*] id eſt in nocte huius ſeculi, quæ eſt plena caligine ignorantiæ, tenebris peccatorum, nebulis errorum.

Notandum autem quod doctrina prophetica bene dicitur [*quaſi lucerna:*] id eſt lux in teſta, quia *Pſalm. 17. Tenebroſa aqua in nubibus aeris. Gloſſ.* id eſt obſcura intelligentia in Prophetis. ſed doctrina euangelica eſt lux ſplendens non in teſta, ſed ſuper candelabrum poſita. *Prouerb. 6. Mandatum lucerna & lex lux*, ſcilicet euangelii. Lucet inquam in hoc caliginoſo loco tamdiu, [*donec dies:*] id eſt aperta dici viſio & charitas plena de qua *Pſalm. 83. Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* [*illuceſcat:*] id eſt intus luceat. Hæc enim lux non ſolum erit ſuperficialis, ſed profundabit ſe vſque ad intimum animæ. [*& donec Lucifer oriatur:*] id eſt clarus intellectus noſter ſecundum *Gloſſam*, non ænigmaticus. vel [*Lucifer.*] *Gloſſa:* id eſt Chriſtus qui fecit lucem qua illuminatur mundus.

Poteſt ergo per diem intelligi aperta cognitio Deitatis: per luciferi ortum, aperta cognitio humanitatis Chriſti quæ fuit diei nuncia, ſicut lucifer prænuncius ſolis. Eſt enim beatitudo ſanctorum in vtroque. *Iohan. 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* vel per *diem* intelligitur cognitio ſanctorum poſt iudicium: per luciferi ortum, cognitio ante iudicium. Maior enim eſt claritas ſanctorum poſt, quam ante: & claritas ſolis maior eſt quam luciferi. vel per diem, cognitio futuræ viſionis: per luciferi ortum, cognitio præſentis contemplationis. [*in cordibus veſtris:*] Nam in ſeipſo nec oritur nec occidit, nec proficit, nec deficit, ſed in nobis.

Verſ. 20. Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit.

[*Hoc primum intelligentes:*] Ita bene facitis attendentes prophetiæ quæ illuminat intellectum, & inflammat inſuper, quia immutabiliter verax eſt: quod patet ex hoc, quod à ſolo Deo eſt. Non ergo negligatis, ſed ſitis [*hoc primum intelligentes:*] id eſt principalius: [*quia omnis Prophetia:*] hoc dicit quia triplex eſt genus Prophetiæ *Prophetia triplex genus.* ſecundum triplex genus viſionis: ſcilicet corporalis, ſpiritualis, intellectualis. [*Scripturæ:*] hoc addit ad differentiam Prophetiæ, quæ conſiſtit in factis: ſicut Ezechias fecit ſe portari per foramen parietis, & Eſaias iuit nudus & diſcalciatus. [*non fit propria interpretatione:*] id eſt proprii cordis ficta expoſitione.

Gloſſa. Propria prophetantis voluntate, ſed Spiritu ſancto in eo loquente. *Gloſſ.* ſicut Prophetæ non ſua, ſed Dei verba ſcribebant: Ita lector non ſua interpretatione vti debet ne à fide exorbitet. Non enim voluntate humana, vel loquentis vel audientis. quod intelligendum eſt quantum ad illuſtrationem mentis, non quantum ad actum prolationis ſiue denuntiationis. Nam denuntiare erat in libertate Prophetarum non arreptitiorum. vnde 1. *ad Cor. 14. Spiritus Prophetarum prophetis ſubiecti ſunt.*

Verſ. 21. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.

[*Allata*] dicit, vt dicit *Dionyſius*, Prophetia defertur de ſurſum miniſterio angelorum: id eſt *Dionyſius.* reuelatur Prophetis per Angelos, quid & quomodo debeant prophetare. [*ſed Spiritu ſancto:*] non maligno vt fanatici. [*inſpirati:*] id eſt intus ſpirati, eius ſcilicet inſpiratione & reuelatione edocti & inſtructi. *Iob. 32. Inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam.* [*locuti ſunt ſancti Dei homines:*] id eſt Prophetæ, qui erant nuntii Dei. Et poteſt eſſe verbum ſancti nominatiui caſus, vel genitiui caſus. *Beda* ea ſola dicebant, quæ à Spiritu ſancto *Beda* didicerant. Ex hoc autem quod dicit, [*non fit propria interpretatione.*] docemur non ad noſtrum ſenſum ſcripturam exponere & trahere ſed noſtrum intellectum ſententiis ſubiicere. *Gregorius ſuper Ezechielem.* *Gregorius* Qui in expoſitione ſacri eloquii, vt auditoribus placeat aliquid fingit, ſua non Dei verba loquitur. [*Cui attendentes bene facitis, quaſi lucernæ ardenti.*] Nota quod quando via eſt obſcura, & lubrica, & præceps & laqueis plena, & inimicis circundata, vel etiam qui cuſtodit gregem ſibi commiſſum in medio luporum, vel ciuitatem in medio inimicorum, vel ſponſam in medio lupanarum, vel etiam theſaurum pretioſiſſimum in medio latronum, talis debet eſſe multum attentus. Via iſta eſt via noſtra, quæ ſi bona eſt ducit ad vitam, ſi mala, ducit ad mortem.

1. Iſta via *obſcura* eſt per ignorantiam. *Prouerb. 4. Via impiorum tenebroſa. Pſalm. 81. In tenebris ambulant.* Et ideo homo debet eſſe multum attentus. vnde in verbo propoſito dicitur: *cui attendentes bene facitis quaſi lucernæ ardenti in caliginoſo loco.*

2. Secundo via eſt *lubrica* per luxuriam. *Thren. 4. Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum.* Sicut enim in via lubrica ſtatim cum ponitur pes huc, lubricat illuc: ita aſpectus ſtatim lubricat in cogitationem, cogitatio in affectionem, affectio in delectationem, delectatio in conſenſum, conſenſus in operationem, operatio in conſuetudinem. Et ideo oportet quod homo multum ſit attentus. Ideo dicitur *Prouerb. 7. Et loquitur de muliere vaga & garrula ornatu meretricio præparata. Fili mi attende verbis oris mei ne abſtrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris in ſemitis illius. multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea.*

3. Tertio via eſt *præceps* per ſuperbiam, maxime quoad illos qui ſunt in alto honorum & dignitatum conſtituti. Quanto enim in loco ſuperiore, tanto in periculo maiore verſantur. Scitis enim quod alta ædificia ventis & tempeſtatibus infeſtata citius ruunt. vnde præpoſiti vnus accidit caſus tantum ad minimum ventum id eſt tentationis impulſum cadunt. Ideo tales multum debent eſſe attenti. *Eccleſ. 1. Attende tibi ne forte cadas & adducas animæ tuæ inhonorationem.*

4. Item via est laqueis plena per cupiditatem & auaritiam. *Ose. 5. Audite hoc sacerdotes & attendite domus Israel, quia vobiscum iudicium est, quia laqueus facti estis speculationi*, id est subditis quos debebatis speculari, & quasi rete expansum super Thabor.

5. Quinto quia *inimicis* id est *dæmonibus circumdata* per multiplicem eorum astutiam. Ideo petebat David: *erue me à circumdantibus me.* Et *Iob. 19. Obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Ideo dicitur *Eccles. 6. Ab inimicis tuis separa te, & ab amicis tuis. Eccles. 14. Attende diligenter auditui tuo, quoniam subversione tua ambulas*: id est cum illis qui non quærunt nisi subuersionem tuam.

6. Sexto specialiter sacerdotes & Prælati debent esse attenti quia sunt pastores custodientes gregem Domini in medio luporum: sunt etiam rectores custodientes ciuitatem munitam, id est ecclesiam in medio inimicorum. Sunt etiam Paranymphi custodientes sponsam dilectissimam in medio lupanarium. sunt etiam dispensatores bonorum Domini sui custodientes thesaurum pretiosissimum in medio latronum. De omnibus istis *Actor. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* [*Attendite vobis & vniuerso gregi*:] quoad primum. [*in quo Spiritus sanctus posuit vos regere*:] quoad secundum [*Ecclesiam Dei*,] quæ est eius sponsa, quoad tertium [*quam acquisiuit sanguine suo*:] quoad quartum.

Caput II.

Vers. 1. Fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant: superducentes sibi celerem perditionem.

[*Fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo*: *&c.*] Hic reuocat à seductione hæreticæ prauitatis quorum

Primo prædicit futuram perfidiam.

Secundo comminatur pœnam: *Si enim Deus Angelis, &c.*

Tertio ostendit pœnæ præeminentiam: *magis autem eos qui post carnem.*

Quarto describit eorum malam vitam: *hi sunt velut irrationabilia.*

In prima parte

Primo perfidiam hæreticorum prædicit. primo ab errorum adinuentione.

Secundo à veritatis negatione: *& eum qui emit eos, &c.*

Tertio ab aliorum seductione: *& multi sequuntur.*

Quarto à diuina reprobatione: *quibus iudicium, &c.*

Dicit ergo: [*fuerunt*:] *Gloss.* Ita vos commoneo & tot autoritatibus vtor ne decipiamini per pseudo, qui sicut olim fuerunt, ita erunt. [*fuerunt vero*:] quasi prophetæ fuerunt Spiritu sancto locuti. [*vero*] pro sed. [*fuerunt*] ante aduentum. [*pseudoprophetæ*:] id est falsi & mendaces. [*in populo*:] scilicet Israelitico. sicut Balaam. *Num. 24.* & *Ierem. 23. Prophetauerunt in nomine meo mendacium.*

Vero pro sed.

Et *in eodem. Non mittebam eos & ipsi currebant.* [*sicut etiam in vobis*:] scilicet populo christiano. [*erunt*:] *Gloss.* iam sunt sed timore comprimuntur, sed post obitum meum manifestabuntur. [*magistri*:] vsurpatione autoritatis. [*mendaces*:] impugnatione veritatis, id est hæresium inuentores, & inuentorum defensores. *2. ad Timoth. 4. Coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent.* [*qui*] scilicet hæretici [*introducent*:] id est in corda hominum scilicet suorum credentium ducent sectas, id est falsas doctrinas, dictas vel à secando. vnde *Glossa*: doctrinas perditionis quæ secant & separant à Deo. vnde hæresis idem est quod diuisio. vel à sectando verbo frequentatiuo. *Gloss.* sectas Latinæ, hæreses Græce: cum quis errorem quem semel concepit semper sectatur nullatenus cessat, quod proprium est hæreticorum. [*sectas*] inquam [*perditionis*:] ab effectu quia ducunt ad perditionem. [*& eum*:] scilicet Christum. [*qui emit eos*:] sanguine redemit. *1. Petr. 1. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana conuersatione vestra paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* [*Dominum*] vel Deum esse [*negant*;] ideo merito perditionem incurrunt. vnde potest dici de eo & illis, sicut de liberante latronem à patibulo, quem latro nunquam diliget. Negare vero illum dicuntur dupliciter secundum *Glossam*: vel quia nondum venisse nuntiant, vel aliquos errores interserunt. non qualem veritas ostendit, vt dicit *Glossa*, sed qualem ipsi fingunt. Prædicant ipsi dico [*superducentes sibi*:] id est inper se ducentes & ad damnum suum, [*celerem perditionem*:] id est perditionem quæ cito veniet. vel sicut *Glossa* exponit: [*superducentes*:] id est super veritatem inducentes. [*celerem perditionem*:] id est effectum celeris perditionis scilicet errorem. *Gloss.* negata veritate inducunt falsitatem, pro qua cito periclitabuntur.

Vers. 2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.

[*Et*] tamen [*multi sequuntur eorum luxurias*:] eos in luxuria carnali imitando, vel eorum doctrinis quibus luxurias & suauia prædicant, consentiendo.

Gloss. concupiscentias prædicant, quibus carnales facile consentiunt. De talibus dicit Iudas in Canonica sua: subintroierunt quidam homines Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam. sic etiam talium luxuria est proximo nociua & etiam Deo iniuriosa. quia illi sunt, [*per quos*:] scilicet per hæreticos vel eorum sequaces. [*via veritatis*:] id est christianæ religionis. *Psalm. 118. Viam veritatis elegi.* [*Blasphematur*:] id est vituperatur, non solum secundum *Glossam* à credentibus ipsorum, sed ab aliis infidelibus videntibus mala eorum. Cum enim se fingant christianos & viuant in luxuriis & in immunditiis, excitat alios in odium christianæ religionis, æstimantes omnes christianos esse huiusmodi. vel [*via veritatis*.] *Glossa.* id est castitas & bona opera quibus itur ad cælum.

Nota quod via veritatis in duobus consistit. scil. in credendis & in operandis. prima blasphematur

phemetur per fidei corruptionem, secunda per morum damnationem. *Esa. 52. Iugiter tota die nomen meum blasphematur.*

Vers. 3. Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim non cessat & perditio eorum non dormitat.

[*Et in auaritia:*] causa lucri temporalis. [*negotiabuntur de vobis:*] vt aliquid lucri acquirant, sicut homo negotiatur de panno vt aliquid lucretur. [*fictis verbis:*] id est falsis doctrinis & adulationibus. *Gloss.* non causa religionis sed auaritiæ, vt aliquid lucrentur, fingunt nouas doctrinas, nec vos emunt Deo, sed de vobis aliquid sibi commodi acquirunt. *2. ad Timoth. 6. Existimantes quæstum esse pietatem.* Conueniunt autem hæc verba prædicatoribus quæstuariis, qui in prædicatione sua causa quæstus falsa interserunt, indulgentias vendunt.

Contra hoc: *1. Thess. 2. Non enim fuimus aliquando in sermone adulationis, nec in occasione auaritiæ.* [*quibus:*] scilicet hæreticis, magistris mendacibus & eorum sequacibus. [*iudicium:*] scilicet condemnationis. [*iam olim:*] ab æterno a Deo præuisum. Deus enim ab æterno disposuit & præordinauit pœnam etsi non culpam. vel [*iam olim:*] id est ab initio temporis præparatum. *Esa. 30. Preparata est ab heri Tophet*, id est a prima Die qua potuit dici heri; *Tophet*, id est pœna inferni. [*non cessat.*] *Glossa Bedæ:* id est præsentialiter excruciat nec finem habebit.

Obiectio. Sed quomodo hoc dicit cum illi quibus loquebatur Petrus adhuc viuerent nec in gehenna essent.

Responsio. Resp. Non dicit quod omnes cruciat, sed aliquos, & quod eos postmodum perpetuo cruciabit. vel potest dici quod iam in hac vita habebant partem gehennæ, scilic. remorsum conscientiæ, [*& perditio eorum:*] id est perditionis auctor diabolus. *Gloss.* Diabolus modo decipiens postea tormentatur. dicitur autem emphatice perditio, quod irreparabiliter perditus est, & nihil aliud quam perditionem intendit ad maiorem expressionem malitiæ ipsius: vnde & qui eum imitantur dicuntur filii perditionis. Iudas in *Iohan. 17.* & Antichristus *2. Thess. 2.* [*non dormitat:*] id est sine interruptione continue perditione eorum augmentat, & de peccato in peccatum ruere facit. *Bernardus:* non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel, quia non dormitat neque dormit qui impugnat Israel. Ex hoc sumitur argumentum quod diabolus continue peccat. Bernardus.

Vers. 4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.

[*Si enim Deus angelis, &c.*] Hic comminatur pœnam, vbi

Primo exemplis specialibus asserit hæreticorum damnationem futuram.

Secundo ex exemplis elicit generalem sententiam. *nouit Dominus pios, &c.*

Tertio exempla ponit tria: primo de casu angelorum. secundo de diluuio hominum: *& originali mundo.* tertio de subuersione Sodomorum. *Et ciuitates Sodomorum*; tangens primo nocentium punitionem. secundo innocentis liberationem: & iustum Loth. tertio liberationis meritum & rationem: *aspectu enim & auditu, &c.*

Dicit ergo: [*Si Deus enim angelis:*] *Gloss.* licet dignioris naturæ sint. [*peccantibus:*] scilicet peccato superbiæ. [*non pepercit:*] sed statim vindicauit in inferno. [*sed eos:*] supple *detractos*: id est de cœlo tractos. [*rudentibus inferni,*] id est conatibus superbiæ, qui ducunt ad infernum. rudentes sunt funes quibus vela in alto suspenduntur, vt flante vento nauis impellatur, & significant, secundum *Bedam*, conamina Dæmonum, quibus contra Deum se erigere voluerunt, per quæ vento superbiæ impulsi rapti sunt in profundum inferni. [*rudentibus*] dicit ergo, id est superbiæ conatibus, quasi funibus. *Prouerb. 5. Funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* [*tradidit in tartarum:*] id est in infernum. [*cruciandos:*] id est vt crucientur. & etiam tradidit eos [*reseruari:*] id est vt reseruentur. [*in iudicium:*] scilicet vltimum, in profundum cruciandi & grauius puniendi secundum *Augustinum* & *Glossam*. vel ordina literam sic: [*tradidit in tartarum reseruari:*] ibi vt reseruentur, [*in iudicium cruciandos:*] scilicet magis quam prius. Huic consonat alia translatio, quæ est in carceribus caliginis inferni retrudens tradidit iudicio puniendos. Beda.

Quæritur de hoc quod dicit *Glossa* super illud: *Si angelis peccantibus. Gloss.* interlinearis: *probatio a maiori.* Quæstio.

Contra: peccatum angeli maius est quam peccatum hominis, ergo non sequitur, si damnat angelum magis peccantem, quod damnet hominem minus peccantem.

Resp. tenera comparando peccatum peccato non sequitur, sed comparando naturam naturæ: quia angelica natura dignior est, & ideo sequitur, si angelo non pepercit, nec parcet homini. Responsio.

Quæritur etiam de hoc quod dicit *Glossa. Angeli dignioris natura sunt.* Contra *Augustinus* dicit quod anima & angelus natura sunt pares & officio dispares. Quæstio.

Resp. Natura ibi sonat in aptitudinem, quia possibiles æquari angelis, non in actum *Matth. 22.* Responsio.

Quæritur etiam de hoc quod dicit: *rudentibus inferni tradidit illos.* Contra *Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates & mundi rectores tenebrarum harum.* quod exponitur de dæmonibus in hoc aere caliginoso habitantibus & nos impugnantibus. Quæstio.

Resp. sicut dicit *Beda* super canonicum Iacobi: Dæmones vbicunque sunt ardent, & habent pœnam suam. Et exponit exemplum de febricitante, qui æque torquetur in lecto eburneo sicut in ligneo. Modo ergo vsque ad diem iudicii habitant Dæmones in hoc aere caliginoso. vnde Haymo dicit, quod sicut radius plenus est atomis, sic aër iste plenus est dæmonibus. vnde *Beda glossat: in tartarum*: id est habent aerem inferiorem. Responsio. Beda.

Vers. 5. Et originali mundo non pepercit, sed octauus Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens.

[*Et si originali mundo, &c.*] Hic ponit exempluꝰ

plum de diluuio hominum. [*Si enim Deus originali mundo non pepercit.*] *Gen. 6.* id est hominibus secundum originem primi peccati viuentibus; vel mundum originalem dicit homines qui ante diluuium fuerunt non habentes legem, nisi quam ab origine, id est natura traxerunt: non *Octauus Noe cur dictus.* enim habebant nisi legem naturalem. [*Sed octauum Noe:*] octauus dicitur vel propter historiam, quia octaua persona in numero liberatorum fuit & forte vltimus & sic octauus per arcam intrauit. *Genes. 6. & 1. Petr. 4. In qua pauci id est octo animæ saluæ factæ sunt.* vel octauus propter figuram, quia illud iudicium mondi, figura fuit vltimi iudicii, quod erit in principio octauæ ætatis resurgentium secundum *Glossam.* [*iustitiæ præconem:*] etsi non verbo, tamen exemplo, quia iustus erat *Genes. 5. Gloss.* quia iustitiæ opera faciens qualiter viuendum esset coram Deo ostendit. Item per hoc quod fabricat arcam ad iustitiam eos monebat. Hunc inquam talem [*custodiuit,*] à diluuio in arca *Sap. 10. Per contemptibile lignum iustum gubernans.* [*diluuium:*] aquam scilicet inundantium ab inferioribus, & à superioribus aquis concurrentibus. [*mundo impiorum:*] id est impiis mundi. *Genes. 6. & 7.* id est hominibus mundi qui erant impii. [*inducens.*]

Vers. 6. Et ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens:

[*Et ciuitates:*] supple ciuitatem Sodomorum & Gomorrhæorum. Plus enim nominat istas ciuitates quam tres reliquas, quæ fuerunt Adama, Seboim & Segor, tum quia erant principaliores & famosiores & magis peccatrices. [*in cinerem redigens:*] combustione ignis & sulphuris. *Genes. 19.* Hinc dicit *Augustinus in libro de ciuitate Dei*, quod fructus illius terræ sunt pulcherrimi exterius & intus nihil habent nisi cinerem, & fumum reddunt fœtidum si carpantur. [*euersione damnauit:*] quia illa regio in alienam naturam versa est, scilicet in lacum salis, qui dicitur mare mortuum, quia nec pisces nec aues in eo viuunt sicut in aliis aquis. [*exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens:*] quasi dicat, per hoc significans quod maxime puniendi essent qui eos imitarentur. [*impie:*] id est contra pietatem in Deum vel in proximum peccando.

Vers. 7. Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit.

[*Et*] *si* supple [*iustum Loth*] nepotem Abrahæ. *Genes. 19.* [*iustum:*] quia Dei cultorem & hospitalem, nec malis consentiebat [*oppressum:*] id est grauiter afflictum. [*à nefandorum iniuria:*] quia peccatum illud nec nominandum: vnde vocat talia Apostulus passiones ignominiæ. *Roman. 1.* Ideo & Sodoma interpretatur muta [*ac*] repete *oppressum à luxuriosa conuersatione eripuit:*] quasi cum quadam vi, per angeli ministerium rapuit. *Genes. 19. Dissimulante illo egredi, apprehenderunt manum eius, & posuerunt extra ciuitatem. Sap. 10. Hæc iustum à pereuntibus impiis liberauit, descendente igne in Pentapolim.*

Vers. 8. Aspectu enim & auditu iustus erat: habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.

[*Aspectu enim:*] licet multa turpia videret. [*& auditu:*] & si multa inhonesta audiret. [*iustus erat:*] aspectu & auditu: vel alieno; quia nihil iniustum in eo videbatur, & nihil iniustum de eo audiebatur. vel proprio: quia bonis actibus insistebat, nec visis nec auditis flagitiis se fuscabat, id est obscurabat, secundum *Glossam.* [*Iustus*] inquam [*erat, habitans:*] id est licet habitaret [*inter illos:*] scilicet malos, inter quos difficile est seruare iustitiam: sicut dicit *Gloss. Psalm. 17.* Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris. [*qui de die in diem:*] id est continuè & incessanter [*animam iustam:*] eius scilicet [*iniquis operibus:*] quæ faciebant contra Deum & proximum; quæ sicut dicit *Glossa*, videbat, & corrigere non poterat. [*cruciabant:*] cruce scilicet spirituali doloris & compassionis, licet non exterioris vexationis. *Psalm. 118. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*

Augustinus. Omnes mali persequuntur bonos *Augustinus* non ferro & lapidibus sed vita & moribus.

Vers. 9. Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem iudicii reseruare cruciandos.

[*Nouit Dominus:*] Suspensiua est constructio vsque huc: vbi ex prædictis exemplis elicit generalem sententiam: scilicet quod diuina bonitas punit malos & liberat bonos. vnde dicit: [*nouit:*] quasi sic Deus puniuit malos, & liberauit Noe & Loth bonos, igitur [*nouit Deus:*] notitia *Notitia Dei speculatiua & practica.* non solum speculatiua qua scit etiam mala, quæ non est ipse facturus: sed practica qua solum nouit bona, quæ est ipse facturus. [*pios.*] *Gloss.* sicut Noe & Loth. [*de tentatione:*] id est de tribulatione. [*eripere:*] id est extra rapere. *Psalm. 90. Cum ipso sum, in tribulatione eripere eum & glorificabo eum. Esa. 43. Cum pertransieris per aquas tecum ero & flumina non operient te.* sicut in Noe: *& cum ambulaueris in igne non combureris*, sicut patet in Loth. [*& nouit iniquos:*] sicut diabolum & Sodomitas. [*reseruare:*] id est iterum seruare, in anima scilicet & corpore. [*in die iudicii cruciandos:*] amplius scilicet quam antea. *Gloss.* Et ante diem iudicii solum animæ luunt, & in iudicio grauiora exspectant, quando in corpore & anima cruciabuntur.

Vers. 10. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationem contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes.

[*Magis autem eos, &c.*] Hæc est tertia pars, in qua ostendit pœnæ præeminentiam, tangens

Primo hæreticorum maiorem futuram damnationem quam aliorum.

Secundo damnationis maioritatem, confirmans exemplo angelorum: *vbi angeli fortitudine, &c.* maioritatem damnationis ostendit triplici de causa: primo luxuriæ: secundo superbiæ: *dominationemque, &c.* tertio perfidiæ: *sectas non metuunt, &c.*

Dicie

Dicit ergo: [*magis autem:*] quasi ita reseruantur omnes peccatores in diem iudicii, puniendi, [*magis autem*,] *Gloss.* reseruabit puniendos siue cruciandos [*eos*,] scilic. hæreticos & eorum credentes, [*qui post carnem:*] id est carnis concupiscentiam non naturam: sic accipitur caro. *Galat.* 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.* [*ambulant:*] passionibus interioribus affectionum, & exterioribus passionum. *Sap.* 5. *Ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* [*In concupiscentias immunditiæ:*] ecce luxuria: id est in concupiscentias immundas † proficiendas.

† Perficiendas al. MS.

Concupiscentias suas qui sequuntur similem se brutis reddunt.

Contra illud *Ecclesi.* 18. *Post concupiscentias tuas non eas.* Hi similes sunt brutis, quæ trahuntur per suas concupiscentias & sequuntur eas. *Psalm.* 31. Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. vnde *Glossa:* qui more animaliũ brutorum luxuriant: qui pro reatu fœdæ corruptionis maiora patientur in iudicio quam generales iniqui. [*dominationesque contemnunt:*] Ecce superbia. *Gloss.* Dominum nostrum iudicem talium cognoscere nolunt. Dominationem autem Dei vocat dominationem simpliciter, & quia eius dominatio est vniuersalis. *Psal. Dominus vniuersorum tu es.* & singularis. *Hest.* 8. *Domine mi qui rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus auxiliator est alius.* Item est interminabilis. *Psal.* 144. *Dominatio tua in omni generatione & generationem.* [*audaces.*] *Gloss.* ad maiora crimina. ea quo enim homo Deum contemnit fit audax & præceps in omne periculum & flagitium. Hęc est audacia temeritatis sine vlla repressione diuini timoris. de quibus *Ecclesi.* 8. *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filii hominum perpetrant mala.* [*sibi placentes.*] *Gloss.* in perpetratis malis. vel [*sibi placentes:*] id est curantes placere sibi non proximo. *Ambrosius super Epistolam ad Romanos:* Ille sibi placere dicitur, qui ita facit quod sibi bonum videtur, vt non curet siue placeat siue non placeat proximo. vel [*sibi placentes:*] id est seipsos amantes. 2. *ad Timoth.* 3. *Erunt homines seipsos amantes* [*sectas non metuunt introducere:*] id est errores obstinatos, qui dicuntur sectæ à secando, propter ecclesiasticæ vnitatis diuisionem. vel à sectando propter obstinationem. Ipsi ergo per hoc [*blasphemantes:*] scil. Deum, contra quem sectas inducunt, & ad blasphemandum alios accendunt. Sensus est ergo prædictorum: Certum est quod omnes iniqui damnabuntur generaliter, sed inter illos magis hæretici, & inter hæreticos illi magis, qui deuiant à fide causa superbiæ, quam qui causa luxuriæ, illi maxime qui sectas introducunt, vt sicut gradus est in peccatis, sic & in suppliciis. Hæc autem pœna tanta est, quod non poterunt portare eam. quod ostendit per locum à maiori, cum dicit.

Ambrosius. Placere sibi ipsi quid dicatur.

Vers. 11. Vbi angeli, fortitudine & virtute cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium.

[*Vbi angeli fortitudine & virtute, &c.*] Et est sensus: Si angeli mali, qui sunt natura fortiores quã homines vix possunt pœnam portare, quomodo ipsi poterunt eam sustinere? Exponitur autem hoc dupliciter: De malis angelis primo modo, sic cruciando reseruabit prædictos ibi: [*vbi angeli*] mali, scilicet Lucifer & eius socii. [*cum sint maiores:*] hominibus quantitate non molis sed virtutis. [*fortitudine*,] ad operandum. [*& virtute*] ad sustinendum, quia nihil habent de carne quæ infirma est. [*non portant*,] id est vix portant tanquam onus importabile. & potius dicit [*non portant*,] quia magis innuit pœnam eorum intolerabilem. [*iudicium execrabile:*] id est iudicii diuini pœnam quam ipsi execrantur semper remurmurando, quod iudicium est [*aduersum se:*] quia etsi consonum culpæ, tamen contrarium naturæ. [*vel aduersum se:*] id est contra ipsos in eorum damnationem. quasi dicat si angeli poterunt vix pœnam inferni portare, quomodo poterunt homines pœnam inferni sustinere. Secundo modo sic secundum *Glossam.* [*vbi:*] id est pro quibus peccatis, quia scilicet post carnem ambulant, Deum contemnunt, sectas faciunt. [*angeli non portant:*] id est vix portare possunt. [*execrabile iudicium:*] vt prius. non quod dæmones hoc fecerunt, sed aliis suggesserunt. & tunc est sensus. Si dæmones talium suggestores sic torquentur importabiliter, quanto magis homines hoc facientes?

Vers. 12. Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt.

[*Hi vero velut irrationabilia:*] Hic describit hæreticorum malam vitam. &

Primo agit communiter de hæreticis.

Secundo magis specialiter de hæresiarchis.

[*Hi sunt fontes.*] Communiter in hæreticis tangit

Primo veritatis blasphemiam.

Secundo conuersationis luxuriam: *voluptatem existimantes.*

Tertio aliorum corruptelam: *pellicentes animas.*

Quarto intentionis nequitiam: *cor exercitatum.*

Quinto certam malitiam: *derelinquentes rectam viam.*

Luxuriam autem conuersationis ostendit in quadruplici corruptione.

Primo secundum iudicium rationis.

Secundo secundum tactum: *deliciis.*

Tertio secundum gustum: *in conuiuiis suis.*

Quarto secundum aspectum: *oculos habentes, &c.*

Dicit ergo: [*Hi vero, &c.*] Ita hæretici reseruantur magis cruciandi. [*vero*] id est quia [*hi:*] *Glossa.* magistri erroris, scilicet hæretici qui docent errores. vel vt irrationabilia quoad corruptionem fidei: [*pecora:*] quoad corruptionem morum. [*naturaliter:*] id est natura sua irrationabili & brutali tendunt supple, [*in captionem:*] id est in laqueum culpæ, quo capiuntur à diabolo. post culpam vero vadunt [*in perniciem:*] id est pœnam gehennalem. vel [*in perniciem:*] id est culpæ obstinationem, quod facit hæreticum. quasi dicat: Sicut bruta motu brutali vadunt in captionem & perniciem. Hoc autem pro tanto dicit, quia hæretici non solum humanas, sed etiam brutales sequuntur concupiscentias. *Psal.*

48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* *Gloſſ.* Irrationabilibus naturale eſt cauſa pabuli in captionem & perniciem ignoranter incidere. Ita hæretici comparati iumentis inſipientibus, propter appetitum ſuæ corruptionis explendum, incorruptam eccleſiæ catholicæ doctrinam blaſphemantes & vitam, laqueos ſibi perditionis nectunt. Ipſi dico [*in his quæ ignorant:*] ſcilicet de articulis fidei [*blaſphemantes:*] quaſi dicat, quia ignorant articulos fidei, ideo blaſphemant. Cauſa autem quare ignorant eſt, quia volunt ratione comprehendere, quod ſupra rationem eſt & naturam: vt quod Deus incarnatus, paſſus, mortuus, & huiuſmodi. & ideo [*in corruptione ſua:*] id eſt pro corrupto ſuo ſenſu vel pro peccato quod eſt cauſa corruptionis, [*peribunt:*] *Gloſſ.* à conſortio ſanctorum. Sicut enim modo voluntarie ſe ſeparant à conſortio eccleſiæ militantis: ſic inuiti ſeparabuntur in futuro à conſortio eccleſiæ triumphantis. Ipſi dico

Verſ. 13. Percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem, exiſtimantes diei delicias, coinquinationis, & maculæ: deliciis affluentes, in conuiuiis ſuis luxuriantes vobiſcum.

[*Percipientes:*] id eſt perfecte capientes [*mercedem iniuſtitiæ:*] in futuro, id eſt pœnam æternam, quæ eſt merces iniuſtitiæ. *Gloſſ.* Pœnam pro malis operibus. vel [*mercedem iniuſtitiæ:*] in præſenti, ſcilicet ruinam in maioribus peccatis. *Gloſſ.* vt *qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc. Apocal. vltimo.* [*voluptatem:*] quaſi & merito: quia ſunt [*exiſtimantes:*] id eſt reputantes, [*voluptatem diei:*] id eſt voluptatem bonam. *Gloſſa.* voluptas bona recte dies vocatur, quia ſancti in Domino delectantur: voluptas mala, nox, quæ eſt opus tenebrarum. [*delicias coinquinationis & maculæ:*] hoc eſt bonas & lucidas eſſe iudicant, quæ ſunt mala & execrabiles. vnde *Gloſſa:* Iniuſti delicias coinquinationis & maculæ exiſtimant voluptatem diei, quia cum vacent deliciis turpiſſimis & execrandiſſimis, has optimas & quaſi lucidas iudicant. Ecce iudicii peruerſitas de quo *Eſa. 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* & dicit [*coinquinationis:*] quoad inquinamentũ corporis: [*maculæ:*] quoad inquinamentum animæ. maculant enim peccata carnalia corpus & animam: peccata vero ſpiritualia animam ſolam. 1. *ad Corinth. 6. Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur in corpus ſuum peccat.* vel [*delicias coinquinationis,*] quoad peccatum luxuriæ, quo ſimul plures inquinantur, ſcilicet agens & patiens: quod notatur in hoc quod dicit [*coinquinationis.*] [*Maculæ*] vero quoad peccatum gulæ. vel [*voluptatem diei:*] id eſt tempus gratiæ, quod dicitur dies. Dies autem appropinquabit. [*Exiſtimant delicias coinquinationis & maculæ:*] id eſt peruerſe iudicant, quia credunt quod in tempore gratiæ debeat homo talibus immunditiis deſeruire.

Moraliter. Moraliter autem, modo in diebus feſtiuis magis vacatur deliciis & crapulis, & ebrietatibus, quaſi hoc eſſet in honorem ſanctorum, & in exaltationem diei feſtiui.

Auguſtinus. *Auguſtinus ad Aurelium.* Comeſſationes & ebrietates ita conceſſæ & licitæ putantur, vt in honore martyrum celebrentur, quæ fœditas non tam flagitioſa eſt quam ſacrilega. [*deliciis affluentes:*] Ecce corruptio ſecundum tactum: quaſi non ſolum exiſtimantes quoad errorem rationis, ſed affluentes, quoad approbationem voluptatis, duplici fluxu: ſcilicet cordis per conſenſum delectationis, & carnis per effectum operis. Ideo dicit affluentes: *Eccleſ. 2. Non prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur. Sap. 2. Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* [*in conuiuiis ſuis:*] Ecce corruptio ſecundum guſtum. [*luxuriantes vobiſcum:*] id eſt vtentes incentiuis ad luxuriam, vt ſpeciebus, ſaporibus, & fortibus vinis.

Hieronym. *Hieronymus.* vinum fuge vt venenum: vt quid enim oleum flammæ adiicis? iuuentus & vinum duplex voluptatis incendium eſt. Et dicit [*vobiſcum:*] *Gloſſ.* vt ibi vos decipiant: quod dicit quia efficax modus attrahendi homines eſt vocare eos ad conuiuia, & delicioſe eos procurare. Ipſi dico

Verſ. 14. Oculos habentes plenos adulterii & inceſſabilis delicti. Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filii:

[*Habentes oculos plenos adulterii:*] id eſt in oculis corporis repræſentatur libido cordis. *Auguſtinus.* Impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius. *Auguſtin.* [*inceſſabilis delicti:*] id eſt luxuriæ quæ nunquam dicit, ſufficit. *Prouerb. 30. Oſe. 4. Fornicati ſunt & non ceſſauerunt.* quia vt dicit *Hieronymus*; quando vires deficiunt, deſideria inardeſcunt. *Hieronym.* [*pellicientes:*] id eſt decipientes. [*animas inſtabiles:*] quæ non habent fundamentum fidei formatæ, nec anchoram ſpei, & ſunt ſine timore Dei. *Beda* dicit: *pellicientes*, à pelliceo: ces, ſecundæ coniugationis: & eſt pellicere idem quod pellibus ornare: & dicuntur hæretici *pellicere*, id eſt ſub ſpecie veri intellectum, & ſub ſpecie boni, quaſi ſub ſpecie famoſa, decipere affectum. vnde de ipſis dicit Dominus *Matth. 7. Veniunt ad vos in veſtimentis ouium quæ ſunt pelles.* Et 1. *ad Timoth. 3. Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Secundum *Gloſſam* pellices ſunt meretrices: à pello pellis: quia ſuperueniente legitima expellitur, vel à pollutione: vnde polluunt animas, id eſt à vero ſponſo id eſt Chriſto recedere, & cum diabolo adulterari faciunt. [*Cor exercitatum auaritia habentes:*] Plus eſt cor auaritia exercitatum quam cor auarum. In corde auaro notatur corruptio affectus, in exercitatione vero labor vel ſolicitudo abuſus. *Ierem. 6. A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent.* *Gloſſ.* quicquid agunt cauſa auaritiæ faciunt. Alia litera habet excæcatum. *Exod. 23. Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes.* Hinc eſt quod *Tobias*, qui tamen ita ſanctus erat, ſtercoribus calidis hirundinũ excæcatus fuit. Hirundines quæ in altũ volant ſignificant ſanctos, quorum conuerſatio in cælis eſt. Stercora hirundinum calida ſunt temporalia, quę ſancti tanquam ſtercora relinquunt. vnde dicebat Apoſtolus: *Omnia arbi-*

tror

tror vt stercora: Philip. 2. His stercoribus multi qui deberent esse sancti, excæcantur. vnde *Thren.* 4. *Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora.* Et ideo [*maledictionis*] æternæ [*filii*] id est hæredes. & male filii, id est diaboli per imitationem, qui primo maledictus fuit, id est malo pœnæ addictus.

Vers. 15. Derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.

[*Derelinquentes rectam viam*] id est viam fidei quæ ducit ad vitam æternam. vel etiam viã morum, quam tamen ex ratione cognoscebant quid credere, & quomodo viuere deberent, sicut dicit *Glossa. Ierem.* 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas. Errauerunt in inuio infidelitatis & infelicitatis. Sapient.* 5. *Errauimus à via veritatis.* Errauerunt dico [*secuti viam Balaam*] venientis ex [*Bosor*] nomen est villæ vel ciuitatis de qua erat. id est secuti sunt passibus morum non pedum, eius cupiditatem & malitiam, qui motus ex cupiditate & ex certa malitia, iuit vt malediceret populo Israel, quem sciebat benedictum à Deo. *Num.* 22. [*qui mercedem iniquitatis*] id est munera sibi promissa & oblata pro causa iniqua, vt scilicet malediceret populo Dei. vel [*mercedem iniquitatis*] id est pretium diuinationis quæ dicitur merces iniquitatis, quia fuit merces pro iniqua promissione quam intendebat adimplere contra Deum [*amauit*] affectu cupiditatis. vel dicit [*mercedem iniquitatis*] quia à rege honorari debeat, quem honorem tantũ appetebat, quod ipsum voluntati Dei præponebat: quod erat magna iniquitas temporale Deo præponere. Merito vero Balaam, qui interpretatur *populus vanus* ex Bosor, quod interpretatur *carneus* hæretici comparantur, ex † consensu & vita carnali vanitatem erroris secuti. Nam quoad fidem vani, carnei quoad conuersationem.

Sensu leg. Alter MS.

Vers. 16. Correptionem vero habuit suæ vesaniæ, subiugale mutum animal hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.

[*Correptionem vero habuit*] & verbi per asinæ locutionem, & pedis per attritionem [*suæ vesaniæ*] id est insani erroris. Vesania enim erat magna contra dominum ire, & populo Dei Deo prohibente maledicere. Tanto ergo fuit peior, quãto non est emendatus correctione. [*Subiugale enim*] scilicet asina, [*mutum*] non habens aptitudinem naturalem loquendi. [*animal*] sine vsu rationis. [*hominis voce loquens*] id est humanæ simili. erat enim vox articulata angelico ministerio per linguam asinæ prolata, sicut & diabolus per linguam serpentis locutus fuit. *Genes.* 3. *Num.* 22. *Aperuit Dominus os asinæ & locuta est.* [*prohibuit*] tacite scilicet retrocedendo, & contra naturam loquendo, de flagellatione conquerendo, pedem eius atterendo, non expresse de hoc arguendo. [*Prophetæ*] Balaam [*insipientiam*] qua ibat ad maledicendum populo Dei. Sic vt dicit *glossa* aliqui hæretici tam stulta dogmata proferunt vt etiam pagani stulti illorum detestentur insaniam. Sic etiam vt dicit *glossa*, & docti clerici, ab indoctis laicis aliquando merito lacerantur, & bona vita eorum reprehenduntur, quod est propter eorum auaritiam vt tangit *Glossa.*

Vers. 17. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur.

[*Hi sunt fontes sine aqua*] Hic agit magis specialiter de hæresiarchis, aggrauando, ostẽdens causas damnationis eorum.

Primo ostendit propriam in se corruptionem.

Secundo aliorum seductionem: *superbia enim vanitatis.*

Tertio diaboli seruitutem: *qui in errore conuersati &c.*

Quarto mundi inquinationem: *si enim refugientes.*

Quinto veritatis agnitæ desertionem: *melius enim erat eis.*

Sexto vitæ turpitudinem: *contigit autem illis &c.*

Dicit ergo: [*hi*] specialiter, horum primi magistri hæresiarchæ. [*sunt fontes sine aqua*] dicuntur *fontes* propter emanationem doctrinæ. sed *sine aqua* veritatis & sapientiæ. Bene est in ipsis aqua turbida erroris de qua *Ierem.* 5. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti vt bibas aquam turbidam?* Sed sunt [*sine aqua*] sapientiæ salutaris.

Et nota quod vbi est fons sine aqua, ibi est lutum. Sic in istis non est aqua inundantis gratiæ, sed lutum inquinans erroris & cupiditatis terrenæ. Nec mirum quia *dereliquerunt fontem aquæ viuæ: Ierem.* 2. vnde intellige fontes non lauantes, sed potius coinquinantes. [*nebulæ.*] propter obscuritatem, solem intelligentiæ obscurantem. *Glossa.* obscurantes nebulæ dico, non resoluendæ in pluuiam sanæ doctrinæ, sed turbinibus exagitatæ. *Turbo* est commotio aeris per conflictum & concursum ventorum contrariorum, & inde quandoq; sequitur tempestas: Sic hæretici conflictu vitiorum & physicarum rationum exagitati, magis inducunt in auditoribus tempestatem quam salutiferum rorem & terræ fœcundationem. *Turbo quid sit.*

Nota quod boni Prælati dicuntur nubes propter salutiferum rorem & terræ subditorum irrigationem, & Spiritu sancto exagitatæ. vnde *Esa.* 60. *Qui sunt hi qui vt nubes volant?* Non dicit qui vt aues volant, quæ volant circa nidum suum. † & sicut vult, & quando vult, & vbi vult. Sed mali dicuntur nebulæ propter obscuritatem. [*quibus caligo tenebrarum reseruatur:*] id est retro in posterum seruatur. Et dicit *tenebrarum* in plurali, propter duplices tenebras: scilicet spirituales & interiores in præsenti, quæ sunt peccata, quibus reseruantur permissiua reseruatione, vt amplius fiant mali, & amplius sordescant sicut exponit *Glossa.* vel corporales & exteriores in futuro, quibus reseruantur reseruatione operatiua. *Matt.* 22. *Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Dicit autem [*caligo tenebrarum*] id est teterrimæ & obscurissimæ, quæ erunt in inferno, quasi palpabiles. *Iob.* 10. *Terram tenebrosam & opertam mortis caligine.*

Nubes cur dicantur boni Prælati

† forte lege, & sicut volunt &c.

Tenebræ duplices.

Verſ. 18. Superbia enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur,

[*Superbia enim vanitatis*] quaſi & merito. [*ipſi enim loquentes*] id eſt prędicantes. nec dicit docentes quia eorum doctrina loquacitas eſt. vnde & comparantur ranis, quæ non faciunt niſi clamorem. *Apoc. 16. Vidi de ore Pſeudopropheta exire ſpiritus tres immundos in modum ranarum.* [*ſuperbia:*] id eſt in ſuperbia finaliter. [*vanitatis*] materialiter: quia pro ſuperbia vana prædicant.

Auguſtinus. Hæreticus quis ſit.

Auguſtinus. Hæreticus eſt qui vanę gloriæ principatusque ſui gratia, nouas & falſas opiniones, vel gignit vel ſequitur. Et nota quod ſuperbia propriè eſt in affectu vanitas in intellectu: ſuperbia in appetendo excellentiam: vanitas magna de ſe ſentiendo. [*pelliciunt*] id eſt quaſi pellices & meretrices corrumpunt ſiue decipiunt vt ſupra expoſitum eſt. [*in deſideriis carnis luxuriæ*] id eſt luxuriæ carnalis non tantum ſpiritualis. Per deſideria enim carnalia quæ docent trahunt homines ad ſectas ſuas. Talia enim ſunt ad quæ libenter trahitur homo.

Beda in gloſſ. Quis non libenter audiat: manducemus & bibamus, & in æternũ regnabimus.

[*Eos qui paululum effugiunt*] *Gloſſa.* qui paululum refugiunt à peccatis & ad ſuum reuertentur errorem [*vel paululum*] id eſt eos qui paruulo tempore à peccato abſtinuerunt & cito recidiuant. vel [*paululum effugiunt*] qui non perfectè peccata fugiunt: fugiunt peccata carnalia & non ſpiritualia: Item fugiunt peccata & non circumſtantias & pericula peccatorum. [*qui*] hæretici [*in errore*] quoad ſe & quoad alios: *Gloß.* quo errant & alios errare faciunt. [*conuerſantur*] quia tota eorum conuerſatio eſt erronea, quoad fidem & mores. *Pſalm. 106. Errare fecit eos in inuio & non in via.*

Verſ. 19. Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſerui ſint corruptionis. A quo enim quis ſuperatus eſt, huius ſeruus eſt.

[*Libertatem:*] id eſt pro peccatis impunitatem, dicentes illicita licere. Hæc eſt libertas mala de qua *Rom. 6. Liberi fuiſtis iuſtitiæ.* [*illis*] ſcil. credentibus ſuis [*promittentes:*] dicentes, non eſt tam crudelis Deus vt puniat æternaliter pro peccato momentaneo. [*cum ipſi*] ſcil. hæretici. [*ſerui ſint corruptionis*] id eſt peccati quod corrumpit bona naturalia, & ſpoliat gratuita. vel [*corruptionis*] id eſt fomitis, ſuſtinendo ipſum regnare in ſuo corpore, & ad omne peccatum trahere. vel [*corruptionis*] id eſt diaboli, qui eſt autor corruptionis, ſecundum *Gloſſam.* quaſi dicat: cum ſint ſerui & peccati & diaboli aliis libertatem dare non poſſunt, quia nemo poteſt dare quod non habet. Et quod ſint ſerui probat, per ius commune. [*à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt*] id eſt ei ſubiectus. quia in *Ioh. 8. Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* loquitur ad ſimilitudinem ſeruitutis acquiſititiæ, qua olim capti ab hoſtibus eorum ſerui efficiebantur. Similiter capti à diabolo & peccato ſerui ſunt peccati & diaboli. Cum ergo ſeruus ſit minor domino ſuo, & ipſi ſint ſerui peccati, & peccatum ſit nihil, ipſi in quantum peccant, ſunt minus quam nihil: quia non ſolum

Simile.

non habent non eſſe moris, ſed etiam eius oppoſitum, qualecunque eſſe habeant.

Verſ. 20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.

[*Si enim refugientes &c.*] Hic oſtendit mundi coinquinationem. [*Si enim*] *Gloſſa.* Vere ſunt ſerui acquiſiti, quia cum prius liberi eſſent, modo coguntur ſeruire grauius quam antea. [*ſi enim*] ipſi vel quicunque alii [*refugientes*] prius quando fuerunt ad fidem conuerſi. [*coinquinationes mundi*] id eſt peccata quibus inquinantur homines mundani, & alios inquinant: quæ etiam mondus immundus immittit. de quibus *1. Ioh. 2. Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* [*in cognitione*] id eſt per cognitionem, quam ſuſceperunt. fides enim purificat à coinquinationibus. *Actor. 15. Fide purificans corda eorum.* ſicut radius ſolis abſtergit lutum platearum. [*Domini noſtri*] ratione creationis. [*& ſaluatoris*] ratione recreationis [*Ieſu*] ratione officii ſalutaris. [*Chriſti*] ratione dignitatis regalis ſecundum quam vnctus eſt oleo lætitiæ præ participibus ſuis. [*his*] ſcilicet mundi coinquinationibus, quas fugerant [*rurſum implicitis*] id eſt inuoluti, ſicut retibus conſenſu corporis & conſuetudinis. *Prou. 7. Irretiuit eum multis ſermonibus & ſequitur eam, quaſi bos ductus ad victimam.* [*ſuperantur*] prædominante vitio naturæ, carne ſpiritum, id eſt ſenſualitate rationem [*facta ſunt eis*] talibus ſcil. recidiuantibus ſiue apoſtatantibus, [*poſteriora*] ſcil. peccata. [*deteriora prioribus*] ſcilicet peccatis. vel ſtatus poſterior poſt recidiuationẽ vel apoſtaſiam deterior eſt ſtatu priori ante conuerſionem. Talis enim magis offendit Deum quam ante Baptiſmum vel pœnitentiam. frangit enim pactum quod pepigit cum Deo in pœnitentia vel Baptiſmo. ſicut periculoſior eſt infirmitas recidiuantis quam primo ægrotantis. vnde talis culpa eſt maior propter circumſtantiam ingratitudinis ex remiſſione præcedentium peccatorum. Ideo dicitur *Luc. 11. Fiunt enim nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Cura difficilior. Nam impoſſibile eſt illos qui ſemel guſtauerunt & prolapſi ſunt rurſus renouari ad pœnitentiam. *Heb. 6.* [*impoßibile*] id eſt difficile. In ſignum huius deteriorationis vxor Lot, quæ prius erat ſubſtantia rationalis, per reſpectum retro verſa eſt in ſtatuam ſalis & facta eſt irrationalis. *Geneſ. 19.* Et vere deterioratur.

Simile. *Simile.*

Verſ. 21. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato.

[*Melius enim erat*] id eſt minus malum. cum ſit comparatio abuſiua non propria. Propria eſt quando vtrumq; extremum comparationis participat qualitatem in qua fit cõparatio. Abuſiua quando alterum tantum. magis abuſiua quando neutrum: vt hic. Et *Matth. 26. Melius illi erat ſi natus non fuiſſet.* [*eis*] ſc. recidiuantibus & impœnitentibus [*non cognoſcere viam iuſtitiæ*] id eſt iuſtitiam quæ eſt in via ducens ad vitam. & accipitur hic iuſtitia generaliter non ſpecialiter, ſcil. pro rectitudine fidei & morum: & intelligendum eſt cæ-

Comparatio propria & abuſiua quid ſit.

Iuſtitia generaliter accepta.

teris

teris patibus. tunc enim essent excusabiles saltem à tanto. [*quam post agnitionem*] eius [*retrorsum*] id est ad priora peccata [*conuerti*] id est totaliter verti, sine reditu pœnitētiæ finalis per transgressionem, scil. abeo. [*quod illis traditum sanctis mandata*] vel charitatis specialiter quod est traditúm à Christo & eius Apostolis. *Ioha*. 13. *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem*. vel Euangelico mandato quocunque generaliter. vnde *Psalm*. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. & accipitur singulare pro plurali.

Mandatū in singulari pro plurali acceptum.

Quæstio. Sed contra hoc obiicitur quod dicit *Ambrosius*. Perfidi etsi in æternum pereant, prodest tamen eis ex parte credidisse.

Responsio. *Respon*. Intelligendum est hoc quoad peccata in quibus recidiuant, non vniuersaliter quoad omnia. Item *quoad peccata in quibus recidiuant*, intelligendum est quoad intentionem non quoad numerositatem: quia si nunquam conuersi fuissent, plura peccata eiusdem generis haberent sed non ita grauia. vnde *Glossa*: Quia præter illa mala quæ sicut prius agunt, præuaricatores promissionis sunt. Item hoc quod dicitur intelligendum est in eodem genere peccati. plus peccat fidelis quam infidelis propter notitiam peccati. secundum quod dicitur *Iac*. 4. *Scienti bonum & non facienti peccatum est illi*.

Vers. 22. Contigit enim eis illud veri prouerbii: canis reuersus ad suum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.

[*Contigit enim eis &c.*] *Gloss*. Idem probat autoritate sub specie canis. & vere peius est hoc, quia [*contingit*] id est contingenter venit, quia non est necessitatis hæc seruitus sed voluntatis. *eis*: recidiuantibus finaliter seu apostatantibus. [*illud veri prouerbii*] *Glossa*. Illud prouerbium, vel illa pars libri quæ continet illud prouerbium. [*canis reuersus ad vomitum suum*] sumptum est de *Prouerbiis* 25. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum: sic stultus qui iterat stultitiam suam*. Hoc autem dicit quia sicut canis comedit iterum quod euomit & immundior est & abominabilior postquam comedit quod euomit quam ante: sic isti prius loti à peccatis in Baptismo vel pœnitentia cum postea recidiuant, immundiores sunt & abominabiliores quam prius. Talibus nihil prodest sua lauatio. *Ecclesiast*. 24. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio eius?* Et supple, tales sunt [*sunt sus lota in volutabro luti*] id est in luto in quo se reuoluit. *Glossa*. Sus dum in luto lauatur sordidior redditur: sic qui peccatum plangit, nec tamen deserit pœnæ grauiori se subiicit. *Ierem*. 2. *Quam vilis facta es rursum iterans vias tuas*. Hoc autem apponit Apostolus de suo quia non est in Prouerbiis. vnde vel est de Prouerbio vulgari, non Salomonis, vel Apostolus addit prouerbio Salomonis. Per *Suem* autem significantur luxuriosi qui se in luto luxuriæ voluunt & reuoluunt.

Luxuriosi suibus assimilati.

Capvt III.

Vers. 1. Hanc ecce vobis charissimi secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem.

[*Hanc ecce vobis charissimi secundam scribo Epistolam &c.*] Postquam prouocauit eos ad conseruationem catholicæ veritatis & reuocauit eos à seductione hæreticæ prauitatis, hic subdit causam vtriusque operis: scilicet causam scribendi hanc epistolam, scilicet vt reddat eos cautos maxime contra errorea, circa futurum iudicium. &

Primo excitat attentionem auditorum.

Secundo ponit instructionem eorum: *hoc primum scientes*: vbi

Primo reprobat de futuro iudicio errorem.

Secundo manifestat veritatē: *latet enim eos &c.*

Tertio exhortatur ad condignam iudicii expectationem: *cum igitur hæc omnia dissoluenda sint*.

In prima ostendit errantium sententiam.

In secunda subdit errandi causam motiuam: *ex quo enim antiqui patres*.

Dicit ergo: [*Hanc ecce &c.*] quasi tales hæretici venturi sunt, & ideo ecce pro eadem causa [*hanc secundam vobis*] scil. ad vtilitatem vestram [*charissimi scribo epistolam*] *Glo*. de nouissimis temporibus, quibus derisores abundant. [*in quibus*] epistolis scilicet prima & secunda. [*excito*] ne per torporem dormiat. [*in commonitione*] id est pro commonitione, actiua scilicet & passiua vestra & aliorum per vos, qua scilicet moneo vos, vt & vos alios moneatis. [*vestram sinceram mentem*] id est sine carie corruptionis fidei & morum. *Philip*. 2. *Hoc oro vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi*. vel [*sinceram*] id est sine cera, sine mollitie & instabilitate, vt nec sitis molles per dissolutionem morum, nec instabiles nec flexibiles per errorem. 2. *Thes*. 2. *Rogamus vos fratres, vt non cito moueamini à vestro sensu*.

Vers. 2. Vt memores sitis eorum quæ prædixi verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Saluatoris.

[*Vt memores sitis*] eorum verborum quæ prædixi de fide & moribus & hæreticis venturis. [*verborum*] inquam acceptorum [*à sanctis Prophetis*] *supra*. 1. *habemus sermonem propheticum cui attendentes benefacitis*.

Glo. verborum quę autoritate sanctorum Prophetarum confirmantur, & sitis memores verborum [*Apostolorum sanctorum*] quæ vobis per me & per alios Apostolos nuntiata sunt. [*verborum*] dico [*præceptorum Domini*] id est quæ sunt præcepta [*Domini*] iure creationis, [*& saluatoris*] iure recreationis: *Gloss*. Ipse Dominus qui venit saluare nos hæc præcepta instituit & seruare præcepit. Horum autem præceptorum debemus esse memores, non solum ad cogitandum sed etiam ad faciendum. *Ps*. 102. *Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea*.

Vers. 3. Hoc primum scientes, quod veniēt in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes,

[*Hoc primum scientes*] Hic ponit errantium sententiam. Ita volo vos esse memores, [*vos*] dico [*hoc primum*] id est præcipue & præ cæteris [*scientes*] certitudine fidei indubitatæ. præsciētia enim futurarum hæresium multum valet ad credentium in fide confirmationem. [*quod venient*] non dicit quod mittentur, quia non autoritate diuina sed vsurpatione propria. [*in nouissimis diebus*] *gl*. tempore Antichristi tanquam eius præcursores. 2. *Tim*. 3. *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa*. [*in deceptione*] i. vt decipiāt fideles. [*illusores*] i. hæretici. *gl*. illudentes fidei & spei Christianorū,

quod

quod tempus reſurrectionis futurum ſibi fruſtra promittant. Ipſi dico [*ambulantes*] id eſt de malo in peius proficientes [*iuxta*] id eſt ſecundum proprias concupiſcentias: id eſt ſequentes proprias concupiſcentias carnis. contra conſilium ſapientis. *Eccleſ. 18. Poſt concupiſcentias tuas non eas.* vel ſecundum *Bedam in gloſſa* nouis peccatis gaudentes, & noua peccata adinuenientes. Tales ambulant poſt concupiſcentias proprias; & non tantum communes, quibus non ſufficiunt communia peccata, ſed adinueniunt noua. *Pſal. 76. Ibunt in adinuentionibus ſuis.*

Beda in glo.

Verſ. 4. Dicentes, vbi eſt promiſſio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.

[*Dicentes*] & corde credendo & ore prædicando, [*vbi eſt promiſſio?*] facta ſcilicet antiquis patribus de eorum liberatione: quaſi dicat, ea quo per Chriſtum non eſt impleta, ipſe non fuit ille qui promiſſus eſt in ſcripturis. Impleta autem non videtur, quia adhuc ſumus ſub culpa & pœna. vel [*vbi eſt promiſſio?*] de gloria bonorum: quaſi dicat nulla eſt. [*aut aduentus eius*] ſcil. ad iudicium. quaſi dicat non poteſtis ſigna aliqua oſtendere quod iudicium ſit futurum. quaſi dicat nec promiſſionibus eius credẽdum eſt. quia non ſunt impletę, nec in aduentu eius eſt ſperandum, quia nullum ſignum apparet. *Glo.* Ideo non credunt, quia ex quo antiqui patres, id eſt prædeceſſores [*dormierunt*] id eſt mortui ſunt. *Pſ. 126. Cum dederit dilectis ſuis ſomnũ &c.* [*ſic omnia perſeuerant*] id eſt manent immutata, quia nihil immutatum eſt de ordine & curſu naturæ.

Obiectio Contra *Eccl. 2. Vidi in omnibus vanitatem & nihil permanere ſub ſole.*

Reſponſio. *Reſpon.* Creaturæ ſecundum ſpeciem perſeuerant ab initio temporis, ſed ſit immutatio indiuiduorum, neque aliquid perfecte manet ſub cælo quin aliquo modo immutetur [*ab initio creaturæ*] id eſt quo mundus creatus eſt, vel ea quo fuit prima creatura. vel ſecundum aliam literam. [*ſic per omnia*] ſicut prius ſine aliqua mutatione perſeuerant ab initio creaturæ.

Verſ. 5. Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius & terra, de aqua, & per aquam, conſiſtens Dei verbo:

[*Latet enim eos &c.*] Hic manifeſtat veritatem dupliciter.

Primo infidelium ignorantiã circa iudicium detegendo.

Secundo credentium fidem inſtruendo. [*Vnũ vero hoc non lateat*] Ignorantiam infidelium detegit duplicem:

Primo circa iudicium aquæ iam factum.

Secundo circa iudicium ignis futurum. [*cæli autem qui nunc ſunt.*]

Dicit ergo: [*Latet enim eos*] *Gloſ.* Ideo dicunt omnia eodem modo perſeuerare, quia vel vere neſciunt, vel fingunt ſe neſcire vt vos decipiant, duo Dei iudicia, alterum per aquam quod iam præteriit, alterum per ignem quod reſtat. [*latet*] ſcilicet vere vel ſimulatorie. [*eos*] ſcil. hæreticos. [*hoc volentes*] *Glo.* nullum iudicium eſſe futurum. Per hoc notatur eorum ignorantia eſſe affectata. *Pſalm. 35. Noluit intelligere vt bene ageret.* Nolebant enim propter libertatem impune peccandi. Hoc ſcil. latet [*quod cæli*] ſcil. aerei: *Gloſ.* iſte humidus aer & turbulentus, de quo dicitur *Ierem. 8. Miluus in cælo cognouit tempus ſuum.* & *Matt. 13. Volucres cæli comederunt illud*, [*erant prius*] *Gloſ.* inter priores creaturas. vel [*prius*] id eſt ante diluuium. ſed ſicut dicit *gloſſa*, tunc erant alterius modi. *Glo.* quam modo, quia tunc erat aer ſerenior & quietior quam modo, quia tunc non erant tempeſtates, nec forte vapores. [*& terra*] erat prius ſcil. alterius modi quia fertilior & planior. ipſa dico [*conſiſtens*] id eſt aggregatione partium ſuarum ſimul ſtans [*de aqua*] *Beda* id eſt per remotionem aquæ, quæ operante verbo Dei congregata eſt in vnũ, & ita apparuit arida. *Gen. 1.* [*Et erat conſiſtens per aquam*] id eſt per aquæ irrigationem. *Beda.* Quia diuina diſpoſitione venis aquarum eſt tota plena, ſicut corpus animalis ſanguine; alioquin non ſtaret ſed redigeretur in minutiſſimum puluerem ſecundum Philoſophum. Cum enim ſit maxime ſicca, indiget humiditate qua eius partes conſiſtant: & ideo dicitur in *Pſalm. 23. Qui fundauit terram ſuper aquas.* vel [*de aqua*] id eſt de primordiali materia quæ dicitur aqua, propter ductibilitatem eius & obedientiam ad formas diuerſas. *Geneſ. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Illa eadem dicitur terra propter informitatem; abyſſus propter obſcuritatem. vel dicitur [*terra ex aqua*] conſiſtens, quia ſine ipſa ariditate deficeret. *per aquam conſiſtens.* quia ſine aqua non fructificaret: & hoc totum [*Dei verbo*] vt cauſa efficiente & conſeruante. *Iohann. 1. Omnia per ipſum facta ſunt.*

Verſ. 6. Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit.

[*Per quæ*] *Glo.* in quibus duabus partibus aere & terra. [*Ille tunc mundus*] qui ſcil. erat ante diluuium vel tempore diluuii. vel dicit [*ille tunc mundus*] quia fuit alterius modi tunc quam nunc, & terræ naſcentis meliora quam nunc. Alterius modi autem erat quantum ad qualitates accidentales, non quantum ad ſubſtantiales, vel radicales. [*aqua*] id eſt per aquam diluuii. [*mundatus*] à peccatis hominum quibus erat pollutus. [*periit*] quoad habitatores. [*mundatus eſt*] quoad habitationem infectam. hæc autem mundatio ſignum fuit ſpiritualis mundationis per Baptiſmum. *1. Pet. 4. Quod & nunc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma. Gl.* periit terra quia tanto tempore ſubmerſa fructificare deſiit, poſtea etiam diſſimilem in pleriſque locis ab ea quam prius habuerat faciem recepit. perierunt & cæli ſecundum ſpeciem vel poſitionem huius aeris. occupauit enim aqua totã iſtam capacitatem, vbi aues volitant. ratio huius mutationis eſt, quia ex longa & profunda commixtione terræ & aquæ & aeris, terra facta eſt lutoſior, & aer craſſior, & aqua denſior.

Verſ. 7. Cæli autem qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſiti ſunt igni reſeruati in diem iudicii & perditionis impiorum hominum.

[*Cæli autem qui nunc ſunt*] quaſi dicat non ſolum ſunt purgati cæli & terra per diluuium. [*autem*] pro ſed, [*cæli qui nunc ſunt*] ſcil. aerei. & dicitur aer cæli pluraliter propter diuerſas regiones cæli aerei, & propter eius plura hemiſpheria. Et dicit [*qui nunc ſunt*] non quia ſit alia ſubſtantia, ſed quia qualitas eſt mutata. cęlum enim aereum per diluuium aquæ & terræ fuit immixtum, &

Autem pro ſed

ideo

ideo aer modo est spissior & turbulentior. [*Et terra*] similiter quæ nunc est à prima qualitate mutata, quia modo rarior est & subtilior propter aquæ immixtionem. [*eodem verbo*] id est eadem virtute verbi æterni, quæ erant in principio positi; [*repositi sunt*] id est iterum positi, ad priores scil. vsus & officia * habitationis hominum & volucrium, & in eadem forma quam modo habent & in eadem positione in loco vt aer sit sursum in loco suo, terra deorsum sicut prius. Isti inquam cæli & terra sic repositi, [*reseruati*] id est iterum seruati sicut ante seruabantur diluuio. [*igni*] venturo ante faciem iudicis, quo fiet mundi conflagratio. *Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet. Gl.* Reseruati sunt vt purgentur per ignem, scil. à coinquinatione quam contraxerunt ex peccatis post diluuium, & in melius commutandi. Et hoc [*in die iudicii*] generaliter scil. & bonorum & malorum. [*& perditionis impiorum hominum*] specialiter, quia in illa die omnes impii perdentur & peribunt & in anima & in corpore. *Iob. 21. In diem perditionis seruatur malus & ad diē furoris ducetur*, vel [*in die iudicii*] quoad definitionem. [*perditionis*] quoad executionē *Matth. 25.*

† *Habitationes Al. MS.*

Nota. Notatur autem hic duplex iudicium Dei vnum in aqua, aliud in igne.

Primum factum fuit per aquam, quia in primo statu viguit luxuria, in qua sunt duo sc. ardor & fœditas propter quod facta est tunc purgatio per aquam, quæ est refrigerans & purificans.

Alterum vero iudicium fiet per ignem, quia tunc vigebit auaritia: & erunt homines infrigidati frigiditate auaritiæ, & ex defectu charitatis. secundum illud *Matt. 24. Abundabit iniquitas & refrigescet charitas multorum.* & ideo fiet per ignem, qui habet contrariam qualitatem.

Vel aliter: aquæ est purgare & non innouare, ignis vero facit vtrumque. Ideo quia

Prima purgatio mundi tantum fuit purgatio & non innouatio, ideo facta est per aquam.

Secunda vero quæ non tantum purgatio est, sed etiam innouatio fiet per ignem.

Vers. 8. Vnum vero hoc non lateat vos charissimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni; & mille anni sicut dies vnus.

[*Vnum vero hoc non lateat*] Hic manifestat veritatem, fidem credentium instruendo.

Primo de iudicis conditione.

Secundo de aduentus dilatione: *non tardat Dominus.*

Tertio de iudicii districtione: *adueniet autem.*

Dicit ergo: [*Vnum hoc &c.*] quasi dicat illos infideles latet prædictum iudicium aquæ, & futurū iudicium ignis: negant enim illud, eo quod non venit [*eis*] [*vero*] id est sed. [*vnum hoc non lateat vos charissimi*] minus dicit & plus significat. quasi dicat: certi sitis, [*quia vnus dies apud Deum*] est s. [*sicut mille anni*] apud nos: & è contrario, [*mille anni*] apud nos [*sicut dies vnus*] apud Deum. Quasi dicat quod nos reputamus longum, breue est apud ipsum, & cito venturum: quare patienter est expectandū, quia sine dubio veniet dies iudicii, & sic respondet illi quæstioni quæ prius facta est: [*Vbi est promissio*] quasi dicat prope est nec tardat secūdum veritatē, sed quantum ad nostrum iudicium qui parū viuimus. Secundo modo exponitur sic: Dicunt quidam quod si iudicium sit venturum,

Vero pro sed

Nota.

tamen tot erunt discutienda, quod vno die non poterūt discuti sed multa remanebunt indiscussa, & ideo non est timendū. Contra quos dicit ꝙ *vnus dies apud Deum* tantū valet ad discutiendum, sicut *mille anni*: id est ita bene discutiet Deus vno die sicut in mille annis. *1. ad Cor. 15. In momento in ictu oculi &c.* Nec mirum quia omnia sunt ei præsentia non successiue fluentia sicut apud nos. *Iob. 10. Nunquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, vt quæras iniquitatē meā*: sc. successiue sicut homo: quasi dicat, non. Tertio modo moraliter sic: Dicūt quidā pseudo, tot habetis peccata quod non sufficeret totum tempus ad ea punienda, ad quid ergo pœnitentiam faceretis? quasi dicat pro nihilo. Contra quos dicit, scitote quod *vnus dies* pœnitentiæ s. tantū valet apud Deū *sicut mille anni*, id est sicut multi dies pœnitentiæ: sicut latroni. *Luc. 23.* quantū ad consecutionē veniæ & gloriæ habendæ: non tamen tantū valeret ad dimissionem pœnę, vel ad velociorē adeptionem gloriæ. Ad hęc enim plus valent multi anni, quam vnus dies. *Ezech. 4. Diem pro anno dedi tibi.* *Nota.*

Sequitur [*& mille anni sicut dies vnus*] Hoc exponitur dupliciter secundū duos errores quos hic elidit. Dicebant quidē quod si tunc tempora fluēnt, quod multa latebunt iudicem: Contra quos dicit: *Mille anni erunt* apud Deum, i. in eius cognitione *sicut dies vnus*: exponitur continens pro contento i. quæcunque fient *in mille*, id est in infinitis annis, ita erunt cognita Deo, sicut quæ fiunt vno die. *Ps. 89. Mille anni ante oculos tuos sicut dies vna quæ præteriit.* Secundo modo sic: Quidā dicunt quod non oportet pœnitere, quia in vna die totū deletur, sicut dicunt hæretici, quod quantūcunq; sit homo peccator; per appositionē manus alicuius perfecti, ex ipsis omnia peccata eis dimittuntur. Contra quos dicit: *Mille anni sicut dies vnus.* Quasi dicat: nō credatis eis qui sic dicunt, quia *mille anni* sc. pœnitentiæ non plus sufficerent ad pœnā soluendam vel vitā æternam habendam, sicut vnus dies non sufficeret, nisi esset gratia Dei. Ideo dicit Apostolus *Rom. 8. Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur nobis.*

V. 9 Non tardat Dominus promissionē suam, sicut quidam existimāt: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.

[*Non tardabit Dominus*] quasi cum non sit apud Deum differentia mille annorum & vnius diei, [*non tardat Dominus promissu*] i. à promissis suis implendis sicut dicunt hæretici. vel secundū aliā literā *promissum* vel *promissionē* implere s. quod promisit de iudicio futuro. vnde nondum venit temporis opportunitas, quod ipse solus nouit. *Mat. 24. De die illa nemo scit.* sicut nec pater tardat dare hæreditatē filio expectans tēpus adultæ & maturæ ætatis, nec medic^s^ purgationem ægroto. Et certe non tardat. quia, vt dicit *Greg.* Omne ꝙ fine clauditur breue esse cernitur. [*Non tardat ergo Dominus sicut quidā*] sci. hæretici æstimant ipsum tantū differre quod nunquā veniet. [*sed patienter*] non negligenter vel fraudulenter. [*agit*] differendo scil. aduentum. [*propter vos*] sc. iā conuersos, & ēt alios cōuertendos. vt sicut dicit *gl.* vos in virtutib. crescatis, & alii qui cōuertendi sunt cōuertantur. *Esa. 30. Expectat Dominus vt misereatur vestri &c.* & *Rō. 2. Ignoras quod benignitas Dei ad misericordiam te adducit &c.* [*Nolens aliquos perire*] i. nō volens, voluntate s. signi, q a ōnes pręceptis, minis, pręmiis à periculo reuo- *Nota.*

Gregorius.

reuocat. *Ezech. 18. Et quare moriemini Domus Iſrael, nolo mortem peccatoris &c.*

Vel, ſecundum *Damaſcenum*, non vult aliquem perire voluntate beneplaciti antecedente, quia facit quod in ipſo eſt ad noſtram ſalutem: vult tamen voluntate conſequente. Iſtum enim qui peccat finaliter, voluntate conſequente vult puniri, & perire.

Dicitur autem voluntas conſequens quia attendit merita finalia, non quia merita ſunt aliquo modo cauſa vel ratio diuinæ præſcientiæ vel voluntatis, ſed ſunt eius obiectum. Temporale enim bene eſt obiectum æterni. [*ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*:] ſc. de peccatis commiſſis & de bonis omiſſis & amiſſis. *Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Et quia patienter expectat ideo perſeuerare in peccato
Iſidorus non debemus. Dicit enim *Iſidorus*: Metuendum valde eſt vt neque pro ſpe veniæ quam promittit Deus perſeueranter peccemus, neque quia iuſte peccatis pœna infligitur deſperemus, ſed vtroque peccato deuiato, & à malo deſiſtamus, & de Dei miſericordia ſperemus.

Verſ. 10. Aduenit autem dies Domini vt fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.

[*Aduenit autem*] quaſi bene dico quod non
Autem pro ſed tardabit Dominus. [*autem*] pro ſed [*dies Domini*] id eſt dies iudicii, in quo fiet omnino voluntas Domini. nunc autem dies noſtra eſt in qua noſtras facimus voluntates. *Luc. 19. Si cognouiſſes & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Pſalm. 74. Cum accepero tempus ego iuſtitias iudicabo.* [*adueniet*] id eſt ad nos de cælo in terram veniet. *Habac. 2. Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet & non tar-*
Iudicii aduentus furi cōparatur. *dabit.* [*vt fur*] id eſt ex improuiſo ſicut fur in nocte, vnde aduentus iudicii cōparatur furi. *1. Theſſ. 5. Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. Luc. 12.* Si ſciret Paterfamilias qua hora fur veniret.

Nota quod dies iudicii dicitur aliquando dies, quia erunt ibi omnia manifeſta. *Dan. 7. Iudicium ſedit & libri aperti ſunt.*

Item dicitur dies quantum ad bonos, nox quantum ad malos. *Eſa. 21. Venit mane quoad bonos & nox quoad malos.*

[*In quo*] ſcil. die iudicii. cæli, non ætherei ſed aerei. *Matth. 13. Volucres cæli comedunt illud.* [*magno impetu*] id eſt magna violentia ignis conflagrantis & purgantis mundum. *Pſal. 96. Ignis ante ipſum precedet.* [*tranſient*] tranſitu accidentali, à priori qualitate & ſtatu, id eſt à vetuſtate corruptionis in nouitate ſtatus incorruptibilis, ab impuritate contagii mundanæ conuerſationis in puritate naturæ ſubtilis, non enim tranſitu ſubſtantiali vt ſubſtantialiter corrumpatur. *Ioel. 2. Ante faciem eius ignis vorans & poſt eum exurens flamma.* Sicut e-
Gregorius. nim dicit *Gregorus*. Tantum aſcendet ignis Iudicii quantum aſcenderunt aquæ diluuii. Quod intelligendum eſt quantum ad effectum purgationis: quantum enim ad effectum innouationis plus aſcendet. Vel cæli allegorice dicuntur ſancti. *Pſal. 18. Cæli enarrant gloriam Dei: qui purgabuntur illo igne*, ſi aliquid eſt in eis purgandum. Non ſolum aer ſed elementa quatuor vt dicit *Gloſſa*. [*calore*] ſcil. illius ignis ſoluentur. *Gloſ.* elementa quatuor quibus mundus conſiſtit, ille maximus ignis abſumet, nec cuncta in tantum conſumet vt non ſint, ſed duo ex toto conſumet, duo vero in meliorem reſtituet faciem.

Sed contra 1. *ad Corinth. 7. Præterit huius mundi figura.* *Obiectio.*

Gloſſa: non ſubſtantia ſed figura præterit. conſiſtit autem ſubſtantia mundi in connexione quatuor. Iterum iam remaneret locus vacuus aliorum duorum elementorum, vel alia duo rarefierent, vel extenderentur vltra modū ſuum. Item terra quæ dignior eſt manet in æternum. *Eccleſ. 1.* Ergo multo magis ſubſtantia aliorum elementorum.

Reſpon. Licet aliqui dixerunt ſecundum *Gloſſam Bedæ*, duo ex toto conſumi, ſcil. aquam & ignem, alia duo manere ſecundum ſtatum alterum, ſcil. terram & aerem, tamen verius eſt quod omnia quatuor manebunt ſecundum ſubſtantiam non ſecundum ſtatum generationis & corruptionis modernum. ceſſabit enim motus corporum ſupercæleſtium, qui eſt totius alterationis & tranſmutationis principium. Vnde ſuper illud *Matt. 5. donec tranſeat. Glo.* Donec elementa à mutabili in immutabilem formam mutentur. Ipſa ergo in quantum elementa ſunt & generabilium & corruptibilium principia ſoluētur omnia. Sic enim colligationem habent & conueniunt in generationis & corruptionis officium & locum. ſecundum ſubſtantiam vero propriam † omnino per- *† Omnia Al. MS.*
manebunt habentes qualitates ſuas conuenientes ad illum incorruptionis ſtatum, ſecundum *Auguſtinum*. Ad Gloſſam Bedæ, Reſpon. Ideo di- *Auguſtinus*
cit quod illa duo ſcil. ignis & aqua conſumentur ex toto non per proprietatem ſed per quandam appropriationem: eo quod hæc duo ſunt maxime actiua quantum ad vim conuertendi alia in ſe, quæ vis penitus coosumetur: alia vero duo magis paſſiua ſunt, & quia paſſibilitas in impaſſibilitatem conuertetur, dicitur quod mutabuntur in meliorem faciem. Primum videtur fieri per conſumptionem eius quod * infuit, ſecun- ** Vi ſuit: legit Alter MS.*
dus per reſtitutionem eius quod defuit. vel in toto conſumentur, id eſt in eo quod habebant poteſtatem conuertendi quaſi omnia in ſui naturam. caliditas vero in igne & frigiditas in aqua omnino conſumentur in quantum ſunt principia agendi. humiditas autem in aere & ſiccitas in terra in quantum ſunt principia patiendi conuertentur in melius, quia amplius non erunt paſſibilia.

Verſ. 11. Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint: quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus, & pietatibus.

[*Cum igitur hæc omnia &c.*] Hic exhortatur ad dignam expectationem ſiue præparationem tangens

Primo præparationis condignæ cauſam.

Secundo commodum: *propter quod chariſſimi &c.* Cauſam vero tangit duplicem:

Primo timorem pœnæ.

Secundo ſpem gloriæ. *nouos vero cælos &c.*

Dicit ergo: [*Cum ergo omnia*] continua ſic: ita veniet ad iudicium & ſubito, & mundus in aduentu iudicis peribit. [*Cum igitur hæc omnia*] *Gloſ.* quatuor elementa, [*diſſoluenda ſint*] à ſtatu ſolubili in ſtatum inſolubilem. *Gloſ.* tamen *interlinearis omnia* vocat homines. vnde dicit: Quandoquidem in tanto iudicio mali in peius, boni in

melius

melius sunt mutandi. [*qualis*] id est quam sanctos & quam perfectos, [*oportet nos &c.*] credentes hęc futura esse. [*in sanctis conuersationibus*] quantum ad nosmetipsos, secundum *Glos.* pluraliter vero nominat vtrumq; quia conuersationis sanctæ duæ sunt partes, scil. actiua & contemplatiua, & pietatis sanctæ duæ sunt scil. corporalis & spiritualis. Addit vero *sanctis*, ad differentiam conuersationis malæ & pietatis malæ quam quis impendit vitio non naturæ.

Conuersationis sanctæ duæ partes.

Vers. 12. Expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cęli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.

[*Expectantes*] per spem pręmii, quia spes est certa expectatio futuræ beatitudinis. [*& properantes*] per bonam operationem meriti. & merito *properantes.*

Quia via longa & dies pauci. 1. *ad Cor.* 7. *tempus breue est.* Item

Quia ad magna vocati. *Rom.* 8. *Quos prædestinauit hos & vocauit & iustificauit, & magnificauit.* Item

Quia iamdiu expectati. *Esa.* 30. *Expectat Dominus vt misereatur vestri.* Item

Ne simus exclusi. *Heb.* 4. *Festinemus ingredi in illam requiem.* *Cant.* 2. *Surge propera amica mea.*

[*In aduentu*] id est in properationem ad aduentum. non quia essent visuri illum, sed vt certitudinaliter sperent illum. [*Diei*] iudicii [*Domini nostri Iesu Christi*] quia ipse tunc iudicabit autoritate. sed Christus in quantum homo ministerio disceptationis & promulgationis sententiæ *Matt.* 25. [*per quem*] dominum scil. quia hoc fiet virtute supernaturali. non enim natura ignis est descendere sed ascendere. vel *per quem:* aduentum Domini. [*Cæli*] aerei non ætherei. [*ardentes soluentur*] igne conflagrationis à statu corruptibili ad statum incorruptibilem. [*& elementa*] scil. alia tria. [*ardore ignis*] qui est maximus, & ex cursu ignium superiorum & inferiorum vt putatur, [*tabescent*] id est quoad statum pristinum deficient.

Quæstio. Sed numquid Cælum Empyreum est purgandum, cum ibi perpetratum est peccatum angelorum?

Responsio. Resp. Cælum non fuit peccatis inquinatum, tum propter loci puritatem, qui non est inquinabilis, cum sit lux pura, tum propter peccati angelici spiritualitatem, tum propter peccantium velocem expulsionem.

Vers. 13. Nouos vero cælos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.

[*Nouos cælos*] quasi isti cæli soluentur. [*& nouos cælos*] non dicit alios, sed in melius innouatos. [*& nouam terram*] id est in melius innouatam, in meliorem formam. *Apoc.* 21. *Vidi cælum nouum & terram nouam.* [*& promissa ipsius*] id est præmia à Christo promissa. *Luc.* 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis &c.* & *Matth.* 5. [*expectamus*] spei certitudine. *Esa.* 65. *Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora &c.* [*in quibus*] cælis scil. & terra innouatis. [*iustitia*] id est retributio vitæ æternæ pro meritis gratiæ. [*habitat*] id est habitabit perpetuo sine fine: præsens ponit pro futuro, propter certitudinis magnitudinem. vnde sicut dicit *glos.* Tunc cuique fidelium pro modo certaminis corona reddetur iustitiæ. nec hoc dicit propter hoc, quod iusti habitaturi sint in mundo inferiori post iudicium sicut nunc, sed quia mundus erit pars habitationis eorum. sicut rex non manet in coquina & tamen dicitur pars habitationis suæ. Et nota quod non dicit *misericordia* sed *iustitia:* quia modo misericordia regnat, sed tunc iustitia regnabit. 2. *ad Tim. vlt. Reposita est mihi corona iustitiæ.* vel loquitur de cælis & terra, allegorice, vt per cælos intelligantur contemplatiui, per terram actiui, per gloriam innouati, in quibus iustitia creata vel increata habitat in præsenti per meritum, sed in futuro per præmium. & tunc habitabit in eis immobiliter & in quiete sicut in sua hæreditate & possessione. Non sic nunc, vbi quotidie eiicitur. *Psalm.* 5. *in æternum exaltabuntur & habitabis in eis.*

Vers. 14. Propter quod charissimi, hæc expectantes, satagite, immaculati & inuiolati ei inueniri in pace.

[*Propter quod charissimi &c.*] Hic tangit præparationis condignæ modum:

Primo in mundicia vitæ.

Secundo in spei longanimitate: *& Domini nostri longanimitatem.*

Tertio in constantia fidei: *vos igitur fratres:*

Quarto in solicitudine proficiendi: *crescite vero in gratia.*

Dicit ergo [*propter quod*] *Glossa.* quia dies Domini venit [*O vos charissimi*] charitate speciali mihi coniuncti. [*Hæc*] scil. Dei promissa vel à me prædicta de cælo & terra [*expectantes*] per certitudinem spei. [*satagite*] id est bene operando satis agite, vel studiose laborate sicut *Martha* satagebat circa frequens ministerium. *Luc.* 10. [*inueniri*] id est vt inueniamini. [*ei*] id est ab eo, vel ad eius honorem, vel *ei:* id est non hominum iudicio. 1. *Reg.* 16. *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* [*immaculati*] *Gl.* à venialibus in corpore, id est in sensualitate, vel pro tanto dicitur. vel dicuntur esse venialia in corpore, quia carnis fragilitate contrahuntur causaliter non formaliter. [*& inuiolati*] *gl.* à criminalibus in mente, scil. in ratione. vel primum refertur ad peccata carnalia, secundum ad spiritualia. [*in pace*] id est in peccatis remissis pacificati. *Rom.* 5. *Iustificati igitur ex fide pacem habeamus.* in pace pectoris ad Deum & temporis ad proximum.

Vers. 15. Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis:

[*Et Domini nostri*] scil. Iesu Christi [*longanimitatem*] id est longam expectationem. *Psal.* 102. *Longanimis & multum misericors Dominus.* [*salutem arbitramini*] id est causam salutis vestræ.

Beda. Intelligite quod ideo longanimiter expectat Dominus, vt misereatur vestri & plures saluentur. *Esa.* 30. *Expectat Dominus vt misereatur vestri &c.* [*sicut & charissimus frater noster Paulus*] quia ita ego hortor faciendum sicut &c.

Nota humilitatem sanctorum. Petrus Paulum commendat, & suam Doctrinam eius scriptura confirmat. Paulus dicit de se ipso: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus* 1. *ad Cor.* 15. [*scripsit vobis.*] *gl.* In hoc ostendit quod Paulus ea quæ quibusdam ecclesiis specialiter scripsit, omnibus ecclesiis generaliter scripsit. Paulus dispersis de Iudæa specialiter non scripsit sed gentibus. [*secundum datam sibi sapientiam*]

Sanctorum humilitas.

tiam]id eſt cognitionem cæleſtium à Deo ſcil. in eius captu. 1.*ad Cor.*12.*quando audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Gloſ. Ecce primus Apoſtolorum oblitus ſui prioratus & datatum ſibi clauium, datam Paulo miratur ſapientiam: quia mos eſt electorum, vt magis aliorum quam ſuas mirentur virtutes & per has ſe ad † perfectum excitent. ſcripſit inquam vobis.

† *Gloſ. profectum.*

Verſ. 16. Sicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.

[*Sicut*]& ſcripſit ſupple. [*in omnibus Epiſtolis loquens in eis*]ſcil. Epiſtolis[*de his*] ſcil. quæ prædixi vobis, & ſuper quibus vos monui; ſc. de Chriſti aduentu, & de commendatione gratiæ, & de hæreticis futuris. quaſi non ſolum vna eius Epiſtola, ſed omnes eius Epiſtolæ ad noſtram vtilitatem ſcriptæ ſunt.

Quæſtio. Sed quomodo Petrus qui erat maior, autoritate Pauli minoris doctrinam ſuam confirmat?

Reſponſio. Reſp. Inducendo autoritatem Epiſtolarum Pauli potius intendit illis dare autoritatem approbando, quam ſuis per eas confirmando. vel hoc facit non ex neceſſitate ſed ex humilitate. vel forte licet Petrus eſſet maior in cura, Paulus tamen maior in ſcientia.[*in quibus*]ſcil. Epiſtolis, *ſunt quædam difficilia intellectu*] id eſt ad intelligendum, quod forte faciebat vt celaret eorum tenorem hæreticis.

Quæſtio. Sed quomodo ſimplices quibus ſcribebat intelligebant?

Reſponſio. Reſpon. Miſit Epiſtolas per diſcipulos, qui eas exponebant.

Obiectio. Sed adhuc obiicitur de hoc quod dicitur *Pro.* 14.*Doctrina prudentium facilis.*

Reſponſio. Reſp. Forte aliud eſt de ſcriptura aliud de doctrina, quia præſentes docendo ſe poſſunt exponere, contradicentibus obuiare, abſentibus ſcribendo non. [*Quæ indocti*] hæretici. *indocti* quoad ſcientiam diuinam. [*inſtabiles*] quoad fidei perſeuerantiam, quia diuina non ſciunt nec curare volunt. Ideo autem *indocti* ſunt vt dicit *Gloſſa*, quia inter doctos donec erudiantur non permanent. [*deprauant*]male interpretando, addendo, diminuendo, peruertendo, mutando. [*ſicut & cæteras ſcripturas*]*gl.* Nullus Veteris Teſtamenti vel Noui liber eſt, in quo hæretici aliquid non peruertunt, vel diminuendo vel addendo vel mutando. [*ad ſuam ipſorum perditionem*]id eſt damnationem. Huiuſmodi enim deprauatio ſcripturarum cauſa eſt eis perditionis in præſenti, & in futuro damnationis. In præſenti qua nunc præſciduntur ab eccleſia militante, & damnationis in futuro, qua ab eccleſia triumphante.

Verſ. 17. Vos igitur fratres præſcientes, cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.

[*Vos igitur fratres*]*glo.* quia inſipientes in multifarios inducent errores, [*vos præſcientes*]hæc ſcil. quod venturi ſunt hæretici, & iudicium venturum antequam veniat vt melius cauere poſſitis.

Gregorius. Minus iacula feriunt quæ præuidentur: & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus. Nota quod per clipeum præſcientiæ communimur.[*cuſtodite*]vosmetipſos diligenti ſolicitudine. *Deut.* 4. *Cuſtodi teipſum & animam tuam ſolicite.* [*ne inſipientium*]hæreticorum [*errore*] quo errant & alios errare faciunt. [*traducti*] id eſt vltra metas vel terminos fidei ducti. *Prou* 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos &c.* [*excidatis*] id eſt extra cadatis à propria firmitate:

Interlinearis: fidei quæ eſt petra ſupra quam fundatur eccleſia. *Matth.*16 Sicut ergo illi qui volunt capere vnum caſtrum forte moliuntur deſtruere fundamentum: Ita hæretici volentes eccleſiam deſtruere fidem: & è contrario ſancti nitebantur maxime cuſtodire fidem. Et quia ad firmitatem non ſufficit fundamentum niſi ſupra ſit ædificatum, ideo ſequitur:

Verſ. 18. Creſcite vero in gratia & in cognitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc & in diem æternitatis. Amen.

[*Creſcite vero*]cremento ſcil. ſpirituali. [*in gratia*] quoad effectum. [*& cognitione*]quoad intentum. [*Domini noſtri Ieſu Chriſti & Saluatoris*]vtrumque enim Domini eſt ſcil. gratia & fides. [*domini*] iure creationis. [*Saluatoris*] iure recreationis. [*ipſi gloria*]hic tandem totum terminat in laudē Dei. *Pſal.* 114. *Non nobis Domine non nobis ſed nomini tuo da gloriam.* [*& nunc*] Interlinearis: inter quotidianas aduerſitates. [*& in diem æternitatis*] id eſt inter æternas delectationes. vel *nunc*: id eſt, in præſenti. [*& in diem æternitatis*] id eſt in futuro. niſi eſt dies æternæ & inuariabilis claritatis de qua *Pſal.* 83. Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Et dicit diem in ſingulari quia eſt vnica dies ſine interpoſitione noctis. [*Amen*] confirmatio eſt. Deo gratias.

EPISTO-

EPISTOLA IOANNIS APOSTOLI PRIMA.

CAPVT I.

Verſ. 1.

QVod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ:

[*Quod fuit ab initio &c.*] Hæc eſt tertia pars huius libri cõtinens Epiſtolas Ioannis tres: quarum

Prima generalis, duæ ſpeciales.

Vna cuidam matronæ,

Altera cuidam Patriſamilias.

In prima agit de affectu & effectu charitatis communiter, & ad Deum & ad proximum.

In ſecunda ſpecialius ad Deum.

In tertia ſpecialius ad proximum.

Epiſtola Ioannis prima diuiſio in tres partes. Hæc autem Epiſtola prima diuiditur in tres partes: nam

Primo commendat doctrinam ſuam in iſto capitulo:

Secundo hortatur ad eius obſeruantiam, capitulo ſecundo & tertio.

Tertio diſſuadet doctrinam contrariam capitulo quarto, & quinto.

In prima parte commendando, primo tangit certitudinem doctrinæ ex parte doctorum.

Secundo eius vtilitatem ex parte auditorum: *quod vidimus & audiuimus.*

Tertio vtilitatis conſequendæ modum: *ſi dixerimus quoniam ſocietatem*: certitudinem vero ex parte doctorũ tangit dupliciter: primo in ſciendo quoad ſe: Secundo in docendo quoad alios; *& vidimus & teſtamur &c.*

Quæſtio. Dicit ergo: [*Quod fuit ab initio*] Quæritur quare ſecundum modum aliorum Epiſtolas ſcribentium, & aliarum duarũ Epiſtolarum ſuarum hic non præmittit ſalutem.

Reſponſio. *Reſpon.* Vt principium Epiſtolæ ſuæ principio Euangelii ſui concordaret: vbi dicitur: *In principio erat verbum* & cætera, & ſic appareret eundem eſſe ſcriptorẽ Euangelii & Epiſtolæ, & quaſi hoc opus operi Euangelii præcedenti continuaret. *Euãgelii & Epiſtolarũ Ioannis ſcriptor idem.*

Dicit ergo: [*quod fuit ab initio &c.*] Constructio ſic poteſt ordinari: Nos Apoſtoli [*& vidimus & teſtamur vobis*] illud [*quod fuit*] ab initio: id eſt æternaliter, ſc. verbũ Dei. nec exprimit quod ſit illud, eo quod ineffabile eſt & infinitum. [*fuit*] tria ſunt tempora, ſc. præſens, præteritum & futurum. In his, quod perfectionis eſt Deo cõuenit, quod imperfectionis non. Præteritum vero de Deo dicitur propter perfectionẽ: præſens propter actualitatem: futurum propter durationem. alias vero nullum tempus de Deo cõuenienter dicitur: nec præteritum, quia iam non eſt: nec futurum quia nondum eſt: nec præſens quia in tranſitu eſt [*ab* *Tempora tria. Tempus quando Deo conueniens & quando nõ. Tempus de Deo propriè nullum conuenienter dicitur.*

initio] vel originis ſcil. à patre. *Ioh. 1. In principio erat verbũ.* vel durationis, & hoc dupliciter: vel ab initio initiante, ſ. æternitate id eſt ab æterno: vel ab initio initiato ſ. temporis. In ipſo n. tẽporis initio verum erat dicere quod fuit: Et hoc dicitur in *Io. 1. In principio erat verbum.* vnde prius fuit quam initium temporis, nõ tempore, ſed æternitate. Prius enim ſecundum *Auguſtin.* dicitur quadrupliciter. natura, dignitate, tempore, æternitate. *Auguſt.* videte ſi non atteſtatur Epiſtola ſua Euangelio ſuo, vbi modo audiſtis: In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum. [*Quod fuit ab initio*] filium Dei ſecundum diuinitatem & æternitatem, quod audiuimus mediate per legem & Prophetas, vel immediate per ſeipſum in mundo loquentem. *Heb. 1. Olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimis diebus iſtis locutus eſt nobis in filio* [*quod vidimus oculis noſtris*] ipſum ſ. in carne apparentem. *Baruc. 3. Poſt hæc in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus eſt. Luc. 11. dictum eſt eis. Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* [*quod inſpeximus*] id eſt ipſum diligenter & perfecte non ſuperficialiter inſpeximus. *Luc. 24. Videte manus meas & pedes meos.* vel [*perſpeximus*] id eſt diligenter & perfecte inquiſiuimus, an ipſe eſſet de quo prædixerant Prophetæ, & an in ipſo implerentur ſcripturæ. & illud ſc. [*quod manus noſtræ contrectauerunt*] ipſum palpando. [*de verbo vitæ*] nõ ſecundum verbi naturam, ſed ſecundum carnem aſſumptam. *Luc. 24. Palpate & videte* Hic ſumitur argumentum, quod non ſolum Thomas palpauit ſed etiam alii, ſecundum Gloſſam. *Initium. Prius quadruplex.*

Verſ. 2. (Et vita manifeſtata eſt: & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis)

[*Et vita*] id eſt ipſe idem Chriſtus. *Ioh. 14. Ego ſum via, veritas & vita:* [*manifeſtata eſt*] per fidẽ interius, exterius per prædicationem, per miraculorum operationem. In hoc aũt quod dicit, *manus noſtræ contrectauerunt*: inſinuatur nobis certiſſima cognitio quantum ad veritatem humanã. ſenſus enim certiſſimus eſt tactus. [*& vidimus*] certitudinaliter cognoſcẽdo. [*& atteſtamur*] audacter aſſerendo; & pro hac aſſertione martyria ſuſtinendo. Nam martyr Græce teſtis Latine. *Act. 1. Eritis mihi teſtes. Eſa. 43. Vere vos teſtes mei, dicit Dominus.* Et nota quod teſtimonio præmittit viſionem, quia certitudo viſionis requiritur ad hoc quod teſtimoniũ ſit efficax. [*& annuntiamus vobis*] publice ſ. prædicando. erant n. nuntii Domini. *Pſ. 63. Annuntiauerunt opera Dei, & intellexerunt facta eius.* [*vitam æternam*] id eſt Chriſtũ qui eſt vita æterna. viſio enim Chriſti Dei & hominis eſt vita æterna. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ioh. 17.* Dicitur autem Chriſtus vita æterna per eſſentiam quoad ſe, & per cauſam *Chriſtus vita æterna*

M 2 quoad

duplici ratione dicitur.

quoad nos: quæ vita æterna ſc. Chriſtus [*erat*] ab æterno ſecundum diuinitatem. *Ioh.1. Verbum erat apud Deum.* [*apud patrem*] vt alius propter alium ſecundum perſonarum diſtinctionem. [*& apparuit nobis*] in fine temporum ſecundum carnem. *Habac.3. Apparebit in fine & non mentietur &c.*

Ve.3. Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos ſocietatē habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cū Patre & cum Filio eius Ieſu Chriſto.

[*Quod vidimus & audiuimus*] Hic commendando doctrinam, oſtendit eius vtilitatem ex parte auditorum.

Primum eſt communio eccleſiæ.

Secūdū eſt participatio gratię [*& ſocietas veſtra.*

Tertium eſt gaudium cordis: *& hac ſcribimus.*

Quartum eſt illuminatio mentis. *& hac annuntiatio.*

Dicit ergo: [*Quod vidimus*] Repetit cauſa maioris certitudinis. *Gen.41. Quod autē ſecundo vidiſti ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis iudicium eſt.* vel trina repetitio fit propter tres differētias ſenſuum, ſ. corporalis, qui eſt carnis; & intellectualis qui eſt rationis; & ſpiritualis qui eſt fidei. [*Quod*] ſcil. verbum Dei [*vidimus*] in carne [*audiuimus*] in ſermone. [*annuntiamus*] in prædicatiōe. [*vobis*] qui cum nec perſonaliter vidiſtis, nec audiuiſtis: minus felices, & hoc vt dicit *glo.* quam illi. vnde *Luc. 10. Beati Oculi qui vident quæ vos videtis.*

Senſuum differentia.

Nec obſtat quod dicitur *Ioh.20. Beati qui nō viderunt & crediderunt.* non dicit Beatiores. Item ſecundum ſtatum communem meriti beatius eſt credere quod non videtur, quam quod videtur. ſecundum ſtatum vero ſpecialem illorum qui viderunt, quia ampliorem gratiam receperūt, beatius fuit audire & videre quam audire tantum. ſic intelligitur *gl.* [*vt & vos*] qui prædicta non vidiſtis. [*ſocietatem habeatis nobiſcum*] maioribus qui prædicta vidimus [*ſocietatem*] in præſenti in communione eccleſiæ quoad fidem & bona opera. *Pſ.118. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* [*& ſocietas noſtra*] ſit in futuro, non tantum hominum ad inuicem ſed cum Deo. ſecundū illud *Ioh.14. Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* [*cum patre*] à quo eſt omne bonum. *Iac.1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminū.* [*& filio eius*] per quem omne bonum. *Ioh.1. Omnia per ipſum facta ſunt &c.* [*Ieſu Chriſto*] addit ad differentiam filiorum adoptiuorum. Ab hac autē ſocietate non ſeparatur Spiritus ſanctus, ſed intelligitur vt nexus in extremis. hęc ſocietas vero erit gloriæ, vt ſecundum *Gloſſam* ſimus *hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Rom.8.* Sic ergo per ſocietatē ſanctam tranſitur ad ſocietatē diuinam. *gl.* vt per noſtram ſocietatē trāſeatis ad ſocietatē Dei. Prima eſt gratiæ in præſēti: ſecūda gloriæ in futuro.

Verſ 4. Et hæc ſcribimus vobis vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.

[*Et hæc ſcribimus vobis*] *glo.* non tantum tranſitorie nuntiamus ſed memoriæ commendamus. [*vt gaudeatis*] in hoc ſeculo in vnitate eccleſiæ. [*& gaudium veſtrum ſit plenum*] *gl.* in futuro, in angelorum ſocietate. Nunc n. non eſt gaudium plenum, quia riſus dolori miſcetur. *Prou.14.* Sed tunc erit plenum non ſolum plenitudine ſufficientiæ, vel indeficientiæ, ſed etiam ſuperabundantiæ. Ita enim gaudium replebit animām quod ſupereffluet, & ſub & ſupra, & ante & retro, & intus & extra, à dextris & à ſiniſtris; vt ſit beatus totaliter in gaudio, ſicut piſcis in aqua & homo in domo. *Matth.25. Intra in gaudium Domini tui.* De hoc duplici gaudio *Ioh.16. Vt gaudium meum ſit in vobis, ſic & gaudium veſtrum impleatur.*

Gaudium in futuro.

Verſ. 5. Et hæc eſt annuntiatio quam audiuimus ab eo, & annuntiamus vobis, quoniam Deus lux eſt: & tenebræ in eo non ſunt vllæ.

[*Et hæc eſt annuntiatio*] quam ſ. vobis annuntio, id eſt res digna annuntiatione. [*quam audiuimus*] auditu interiori per fidem, & exteriori per prædicationem. [*ab eo*] id eſt à Chriſto ſc. [*& annuntiamus vobis*] alius ſ. qui ab eo non audiſtis. *Pſ.63. Annuntiauerunt opera Dei & facta eius intellexerunt.* [*quoniam Deus lux eſt*] per eſſentiam non corporalis ſed ſpiritualis. *Iohan.20. Quamdiu ſum in mundo lux ſum mundi.* & *Ioh.3. Lux venit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* [*& tenebræ*] peccati, erroris, ignorantiæ, triſtitiæ, quæ ſunt tenebræ ſpirituales. [*in eo non ſunt vllæ*] ſcil. per participationem. *Iacob.1. apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſsitudinis obumbratio. 2. ad Cor.6. quæ ſocietas lucis ad tenebras?*

Lux ſpiritualis. Tenebræ ſpirituales.

Auguſt. Deus eſt lux quam non capit locus, vox quam non carpit tempus, odor quem non ſpargit ventus, cibus quem non minuit edacitas, amplexus quem non diuellit ſatietas.

Et nota quod differentia eſt inter lucem & lumen: quia lux eſt ipſa luminis forma: lumen vero eſt lux vt eſt in aliquo corpore recepta & incorporata. vnde Chriſtus proprie dicitur lux in ſua diuinitate in ſe: lumen prout eſt vnita humanitati. *Eſa.60. Surge illuminare Hieruſalem quia venit lumen tuum.* dicitur ergo Chriſtus lumen.

Lux differt à lumine.

Ratione *vnionis*, quia lumen ſicut dictum eſt, eſt lux incorporata, & in Chriſto lux Deitatis eſt carni vnita. *Pſ.35. In lumine tuo ſc. carnis videbimus lumen:* ſc. Deitatis ratione delectationis. *Eccleſ.11. Dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem.*

Ratione *illuminationis*. *Luc.1. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent.* vel dicitur lumen quia *illuminat exemplis*. *Eſa.40. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.*

[*In doctrinis*] *Eſa.2. Domus Iacob, venite ambulemus in lumine Dei noſtri.*

Item *beneficiis*, & hoc contra tenebras culpæ & ignorantiæ & triſtitiæ.

V.6. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus mentimur, & veritatē non facimus.

[*Si dixerimus quoniam ſocietatem*] Hic oſtendit vtilitatis conſequendæ modum:

Primo in honeſtate conuerſationis morum.

Secundo in humilitate reputationis: *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus.*

Ad honeſtatem conuerſationis duo tangit: Primo declinationem mali. Secundo operationem boni: *ſi autem in luce ambulamus &c.* Humilitatem reputationis tangit in tribus. Primo præſentium peccatorū cognitionē quoad ſeipſum. Secundo in eorundem confeſſione quoad aliū: *ſi confiteamur peccata &c.* Tertio in præteritorum peccatorum recordatione ante Deum: *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus.*

Dicit ergo: [*ſi dixerimus &c.*] quia Deus lux eſt & in eo tenebræ non ſunt. [*Si dixerimus*] nos

qui-

quicunque Apostoli vel alii dictione cordis vel oris. [*quoniam societatem habemus*] *Glo.* per fidem & charitatem: quoniam hæc Deo sociant. [*cum illo*] scilicer Deo, qui lux est. [*& in tenebris*] *Glos.* peccatis. vnde peccata dicuntur opera tenebrarum. *Rom. 13. Abiiciamus opera tenebrarum.* Dicuntur autem peccata tenebræ, quia dæmones tenebrosi qui ad ea nos impellunt: in tenebris fiunt: animam tenebrosam faciunt: ad tenebras æternæ damnationis ducunt. *Psalm. 34. Fiat via illorum tenebra & lubricum. Ierem. 23. Via illorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim & corruent in ea.* [*ambulamus*] id est de malo in peius proficimus. *Glo.* peccatum peccato addentes. hæc est pessima ambulatio de qua *Iohan. 12. Qui ambulat in tenebris nescit quo vadit.* [*mentimur*] ecce peccatum commissionis. [*& non facimus veritatem*] ecce peccatum omissionis. vel secundum *glossam*: [*mentimur*] in nobis [*& non facimus veritatem*] dum alios ad idem mendaciũ exemplo nostro inducimus. *Glo.* Qui ergo vult habere societatem cum luce, pellat tenebras peccatorum.

Tenebræ.

Vers. 7. Si autem in luce ambulamus sicut & ipse est in luce: societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi filii eius emundat nos ab omni peccato.

[*Si autem in luce*] bonæ vitæ, alios exemplo illuminantes. secundum illud: *Ioh. 1. Vita erat lux hominum.* [*ambulamus*] id est de bono in melius proficimus.

Glos. Homo in luce ambulat, qui virtutis operibus ad meliora proficit. *Eph. 5. Vt filii lucis ambulate.* [*Sicut & ipse in luce est*] id est in seipso qui est lux *1. ad Tim. 6. Lucem habitat inaccessibilem.* Et dicit. [*est*] immutabiliter & immobiliter. non ait *ambulat*, quia Deus non proficit vnde *gl.* Deus in luce esse dicitur quia summa bonitas: vbi proficere valeat nõ inuenit. [*Societatem habemus ad inuicem*] gratiæ sc. & charitatis, & vnus cum alio vt membro suo, & omnes cum capite nostro sc. Christo. [*& sanguis Iesu*] *gloss.* sacramentum Dominicæ passionis. [*filii eius*] sc. Dei patris. [*emundat*] id est euidenter mundat. [*nos*] qui sumus de societate ecclesiæ merito, non solo numero. [*ab omni peccato*] scil. originali, actuali, mortali, veniali. *Glos.* Sacramentum Dominicæ passionis omnia peccata originalia & actualia laxauit. *Apoc. 1. Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Sanguis enim Christi cum ipse sit mundissimus, mundat non inquinat. *Apoc. 7. Lauerunt stolas & dealbauerunt eas in sanguine agni.*

Peccatum.

Vers. 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

[*Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*] *gl.* si ambulamus in luce ita sumus mundi, non tamen debemus putare nos quamdiu viuimus, omnino posse nos à peccato mundari. [*Si dixerimus*] *gloss.* elati de aliqua iustitia. [*quoniam peccatum non habemus*] vllum, nec mortale nec veniale. dicitur autem peccatum haberi large non proprie, cũ non sit habitus sed priuatio. [*non habemus*] *glos.* non ait non habuimus, ne forte de preterita vita dictum intelligatur. [*ipsi nos seducimus*] id est seorsum à Deo ducimus. Hęc enim pręsumptio separat nos à Deo. *Sap. 1. Peruersæ cogitationes separant à Deo.* [*& veritas in nobis non est*] id est Deus qui est veritas. *Ioh. 14. Ego sum via veritas & vita. gl.* Deus ab elatis se subtrahit. *Iac. 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Huius aũt ratio est, quia contraria contrariis expelluntur, ergo veritas falsitate. falsitas autem est se putare absq; peccato esse. *Prou. 20. Quis potest dicere mundum est cor meum purus sum à peccato?* & *Prouerb. 24. Septies in die cadit iustus.* sed è contrario

Vers. 9. Si confiteamur peccata nostra: fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.

[*Si confiteamur*] id est simul fateamur confessione cordis Deo, & confessione oris Dei vicario: *Iac. vlt. Confitemini alterutrum peccata vestra &c. Glos.* quia sine peccato in hac vita esse non possumus. Prima salutis spes est ipsa confessio. [*peccata*] non bona: vt qui se iactant confitendo, exemplo Pharisęi. *Luc. 18. Ieiuno bis in sabbato.* [*nostra*] non aliena, vt qui alios accusant in confitendo. *Psal. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* [*fidelis*] promissam gratiam humilibus conferendo. [*& iustus est*] peccata pœnitentibus remittendo. vel [*fidelis*] promissa reddendo, [*& iustus*] secundum merita retribuendo, [*vt remittat nobis peccata nostra*] *gl.* maiora peccata scil. mortalia. hæc enim sunt peccata simpliciter. quia peccatũ est secundum *August.* dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei. [*& emundet nos ab iniquitate*] *Gl.* Iniquitatem vocat minora sicut venialia. vel remissio peccati refertur ad dimissionem pœnæ, emundatio iniquitatis ad deletionem culpæ. & dicit [*omni*] quia tria sunt genera huiusmodi minorum peccatorum: sc. lignum, fœnum, stipula. *1. ad Cor. 8.* vel remissio in presenti. emundatio, id est perfecta mundatio in futuro.

Confessio.

Peccatum. Augustinus

Vers. 10. Si dixerimus quoniam non peccauimus: mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.

[*Si dixerimus quoniam non peccauimus*] *gl.* Si confiteamur mũdamur, sed si nos honorare velimus dicendo [*non peccauimus*] *gl.* quasi non egemus absolui. contra illud *Rom. 5. Omnes peccauerunt & egent gratia Dei.* [*mendacem facimus eum*] scil. Deum. *glossa Beda*, qui dicit: Nec infans vnius diei est sine peccato. & sumitur illa glossa ab illo verbo. *Iob. 15.* secundũ aliam translationem. *Quid est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere.* & *Prouer. 24. Septies in die cadit iustus.* Cadit inquam in charitate, sed non à charitate. Et hoc insinuatur per hoc quod dicit in die: non dicit à die. vel [*eum facimus mendacẽ*] qui docet nos pro peccatis quotidianis orare. *Mat. 6. Dimitte nobis debita nostra.* [*& verbum eius*] vel increatum s. Christus, qui est verbum patris. *Ioh. 1. In principio erat verbum.* vel etiam creatum s. instructionis quo instruimur ad humilitatem. *Matth. 11. Discite à me qui mitis sum & humilis corde.* [*non est in nobis*] id est efficaciã non habet.

Caput II.

Vers. 1. Filioli mei, hæc scribo vobis vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.

[*Filioli mei hæc scribo vobis vt non peccetis &c.*] Hic hortatur ad doctrinæ suæ obseruantiam, agens

Primo de materia diligendo in capitulo isto.

Secundo de forma seu modo diligendi capitulo tertio.

In prima parte quasi contraria iuxta se posita magis elucescunt; primu ostendit quid diligendum. secundo quid non diligendum: *scribo vobis filioli.* In prima parte primo hortatur ad dilectionē Dei. Secundo ad dilectionem proximi: *charissimi non mandatum nonum.* Ad dilectionem Dei hortando, Primo monet cauere Dei offensā in malo, quod est dilectionis impedimentum. Secundo facere eius voluntatem in bono, quod est dilectionis promotiuum: *& in hoc scimus &c.* Offensam cauere monet primo declinando à peccato: quod fit dupliciter: Primo per innocentiam: Secundu per pœnitentiam siue emendationem, *sed & si quis peccauerit.* Promotiuum & conseruatiuum est mandatorum obseruantia, ad quam hortatur primo ratione signi: *& in hoc scimus.* secundo ratione damni: [*qui dicit se nosse Deum*] tertio ratione lucri: *qui autem seruat verbum eius.* quarto ratione debiti: *qui dicit se in ipso manere.*

Dicit ergo: [*Filioli*] Respondet quæstioni quæ posset ei fieri, quare præmissa dixit. [*filioli*] adhuc in fide tenelli & infirmi per diminutiuum autem notatur tenerrimus affectus scribentis. [*mei*] *Glo.* quibus debeo prouidere, & vos mihi obedite: [*Hæc*] s. præmissa [*scribo vobis*] *gl.* vt in memoria teneatis: non solum dico. [*vt non peccetis*] dicendo non peccauimus, quod est peccatū præsumptionis. vel [*vt non peccetis*] aliquo genere peccati. quia sicut dicitur, *Iac. 2. qui offendit in vno factus est omnium reus.* [*sed si quis peccauerit*] *glo.* post admonitionem meam ceciderit, non desperet, sed pœniteat, [*aduocatum*] in causis animarum non possessionum. non solum aduocatum immo etiam aduocatam, cui dicimus: Eia ergo aduocata nostra. [*habemus*] nos fideles. *glo.* Ioannes vir iustus contemperans se infirmis, nō dixit habetis, sed habemus ponens se in numero peccatorum vt habeat aduocatum. Non est autem aduocatus secundum *glossam* nisi eum inuocantibus. displiceant tibi peccata, clama, & ipse audit & liberat. *Ioel. 3. Quicunq; inuocauerit nomen Domini saluus erit* [*apud patrem*] vt iram patris placet repræsentando patri naturam humanam cicatricibus signatam & sauciatam. & ita sua merita allegantem non nostra. *Hebr. 7. Semper viuens ad interpellandum pro nobis* [*Iesum*] id est saluatorem, ad quem pro salute nostra intercedere pertinet ex officio. [*Christum*] inunctum plenitudine gratiæ, ad quem pertinet ex compassionis zelo quia pius. [*iustum*] sine culpa propriæ offensæ. ad quem pertinet ex vitæ merito, quia non repelletur vt indignus. [*Iustum*] autem dicit, ad differentiam aliorum aduocatorum: vt ostendatur secundum *glossam*, quod cum sit iustus, iniustas causas non suscipit, quod faciunt alii aduocati.

Christus allegat pro nobis tripliciter. Eius vero allegatio & pro nobis intercessio fuit tripliciter: Primo ante passionē deuota oratione. *Ioh. 17. Ego pro eis rogo.* Secūdo in cruce sanguinis effusione. vnde sanguis Christi melius quā sanguis Abel dicitur clamasse. *Heb. 12.* Tertio post resurrectionem cicatricum repræsentatione. *Heb. 9. vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

Bernardus. *Bernar.* Securum habes ô homo ad Deū accessum, vbi ante patrē habes filium, ante filiū habes matrē. Mater ostendit filio pectus & vbera: filius ostendit patri latus & vulnera, nec vlla potest esse repulsa, vbi tot occurrunt charitatis insignia.

Vers. 2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

[*Et ipse*] sc. Christus [*est propitiatio pro peccatis nostris*] dicitur autem *propitiatio* vel actiue, id est propitians nos Deo, i. propitiator. *Rom. 3. Quem posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* vel *propitiatio* passiue, quia ipse est hostia oblata pro expiatione nostra. *Infra 4. Misit Deus filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* hoc fuit significatum *Exod. 25.* vbi dicitur: *Facies propitiatorium ex auro purissimo.* [*non pro nostris tantū sed pro totius mundi*] pro peccatis nostris qui sumus eius membra secundū efficientiā: pro peccatis totius mundi secundum sufficientiam. vel nomine mundi intelligit ecclesiam vbiq; per mundum diffusam. *gl.* noli dicere hic Christus ecce illuc: vbiq; est Christus: vbiq; propitiatur. sic accipitur *Sap. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* *Propitiatio.*

V. 3. Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus.

[*Et in hoc scimus*] Hic hortatur ad mandatorum obseruantiam ratione signi. Ita aduocatū habemus nos fideles qui cognoscimus & diligimus: [*& in hoc scimus*] i. scire possumus, sicut causa per effectum cognoscitur: [*quoniam cognoscimus eum*] aduocatum i. Christum, cognitione sc. approbationis siue experimenti, non tantum simplicis speculationis. vnde *gl.* Hoc est cognoscere Deum: quod amare. [*Si mādata eius obseruemus*] maxime illa duo in quib. tota lex pendet & Prophetæ. *Matt. 22. gl.* i. charitatē. & dicit obseruemus, id est firmiter seruamus. *Greg.* Probatio dilectionis est exhibitio operis. & *Ioh. 14. Si quis diligit me sermonē meum seruabit.* *Mandata.* *Gregorius.*

Vers. 4. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit: mendax est, & in hoc veritas non est.

[*Qui dicit se nosse Deum*] &c. & intellige de notitia approbationis nō simplicis speculationis. [*& mandata eius non custodit*] scil. opere [*mendax est*]

Sed videtur quod deberet dicere *mentitur*, nū *mendax est?* *Respon.* Omnis homo de se mendax est. *Ps. 115. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Sed per Deum cum habet gratiā Dei efficitur verax. vnde *August.* Deus verax est & per se: tu verax per Deum. Quando aūt homo non habet gratiā Dei relinquitur propriæ naturæ, & sic est mēdax. sed qui non seruat mandata non habet: vnde qui nō custodit mandata mendax est, [*& veritas in eo non est*] veritas ista in eo nō est, sed vanitas. *Sap. 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* vel [*veritas*] id est Christus [*in eo nō est*] per inhabitantē gratiā. *Pro. 15. Longe est Dominus ab impiis.* vel [*mendax est*] in verbo [*& veritas in eo non est*] in facto. *Obiectio.* *Responsio.* *Augustin.*

V. 5. Qui aūt seruat verbum eius: vere in hoc charitas Dei perfecta est, in hoc scimus quoniam in ipso sumus.

[*Qui aūt seruat verbum eius*] i. mandata eius. vnde idē dicitur hic per verbū, & supra per mādata. sed mandata dicuntur secundū quod plura sunt distinctione legis: verbū vero secundū quod vniuntur in vna radice charitatis. Ergo præcepta dominica & multa sunt & vnū. multa sunt diuersitate operis, vnum in radice dilectionis. [*vere*] nō ficte. vera n. charitas ex opere ostenditur. *Infra eod. Diligamus nō verbo neq; lingua sed opere & veritate.* [*in hoc charitas Dei perfecta est*] perfectione s. scientiæ sufficientiæ de qua *Col. 3. Super omnia autem charitatem habete quæ est vinculū perfectionis.* Sed contra: Omnis habens charitatem seruat mandata: ergo omnis habens charitatem est perfectus in charitate. *Quæstio.*

Respon.

Responsio. Perfectio duplex. Resp. duplex est perfectio: quædam sufficientiæ de qua *Matt. 5. Estote perfecti:* & supererogationis, de qua *Matth. 19. Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, &c.* Et infra. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* loquitur ergo hic de prima perfectione non de secunda. [*in hoc:*] scilic. in mandatorum obseruantia. [*scimus:*] certitudine probabilis coniecturæ non omnimoda. quia *Eccles. 9. Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit.* [*quoniam in ipso:*] scilic. Christo. [*sumus:*] sicut membra in corpore. *Actor. 17. In ipso viuimus mouemur & sumus.* Illud autem *esse in* non est aliud quam ei vniri per amorem.

Vers. 6. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.

[*Qui dicit se manere in ipso:*] scil. per charitatem. charitas enim facit in eo manere. *Infra 4. Qui manet in charitate in Deo manet.* [*debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare:*] id est debet se ei in via morum conformare, & possit dicere illud. *Iob. 23. Vestigia eius secutus est pes meus. Gloss.* hic in via iustitiæ, charitatis & patientiæ, orando pro inimicis sicut & ipse orauit, hæc est via cœli, non seculi, Dei, non mundi, [*ambulare:*] *Gloss.* de virtute in virtutem. debet enim membrum sequi caput suum, discipulus magistrum, seruus Dominum. Et no-*† verbum.* ta quod † ly [*sicut*] non dicit omnimodam similitudinem, sed qualemcunque. vel non dicit similitudinem absolutam sed comparatiuam: vt scil. sicut ille suo modo ambulauit, ita & nos secundum modum infirmitatis nostræ.

Vers. 7. Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum quod audistis.

[*Charissimi non mandatum nouum scribo vobis:*] Hic hortatur ad dilectionẽ proximi dupliciter.

Primo ex commendatione mandati dilectionis.

Secundo ex necessitate diligentis: *qui dicit se in luce esse.*

Mandatum autem commendat dupliciter.

Primo ab antiquitate institutionis.

Secundo à nouitate virtutis: *Iterum mandatum nouum.*

Necessitatem diligentis ostendit in tribus.

Primo in damno.

Secundo in lucro: *qui diligit fratrem suum.*

Tertio in periculo: *qui autem odit fratrem suum.*

Dicit ergo: [*charissimi.*] *Gloss.* Attendenda sunt hæc mandata, quia non sunt noua. vnde [*charissimi:*] charissima affectione mihi coniuncti. [*non mandatum nouum:*] id est incognitum & inauditum. [*scribo vobis:*] scil. mandatum de charitate. [*sed mandatum vetus:*] id est ab antiquo editum, quia in corde primi hominis scriptum, & ab omnibus sanctis patribus obseruatum. non quia pertineat ad veterem hominem. [*quod habuistis ab initio:*] conditionis, siue legis naturæ. vel *ab initio* legis Mosaicæ. quia omnia præcepta primæ tabulæ reducuntur ad præceptum de dilectione Dei. vel [*ab initio:*] *Gloss.* fidei vestræ. [*Mandatum vetus est verbum:*] scilic. charitatis. [*quod audistis.*] *Gloss.* à me, & ab aliis prædicatoribus. ideo vetus, quia audistis iterum mandatum nouum, scilicet mandatum de charitate.

Vers. 8. Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est, & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet.

[*Scribo vobis.*] *Gloss.* eadem charitas mandatum vetus est, quia ab initio commendata: eadem nouum mandatũ quia tenebris eiectis desiderium nouæ lucis infundit. vel vetus dicitur, quia in veteri testamento datum antiquis. *Deut. 6.* nouum quia in nouo testamẽto replicatum & ampliatum modernis. *Matt. 5. Dictum est antiquis, &c.*

Dicitur autem hoc mandatum propter quinque nouum: *Mandatum Nouum dictũ propter quinque.*

Primo quia nos spiritualiter innouat: *Rom. 6. In nouitate vitæ ambulemus.*

Secundo quia pertinet ad nouam legem quæ data est à nouo rege. solet enim dici à nouo rege noua lex.

Tertio propter diligendi modum de nouo dictum. *dictum est enim antiquis, diliges proximum tuum. Leuit. 19.* Sed

Quarto in Euangelio. *Ioh. 13,* dicitur: *mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos:* quia veteri dilectioni nouam dilectionem, inimicorum scil. dilectionem adiungit. *Matth. 5. Diligite inimicos vestros.*

Quinto item quia in nouum cœlum tanquam in mansionem introducit *Apoc. 21. Vidi cœlum nouum & terram nouam.*

[*Quod est verum:*] *Gloss.* nõ mutabile, quia non ceremoniale sed morale, non transitorium sed perpetuum. manet enim in via & in patria. *Charitas enim nunquam excidit. 1. ad Cor. 13.* [*& in ipso:*] i.e. Christo impletum, [*& in nobis,*] implendum. *Ioh. 15. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Impletum in Christo fuit quando ex charitate quam habebat ad nos morti se exposuit. *Ioh. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet quam vt animam ponat quis pro amicis.* Et vere nouũ & in ipso & in nobis. [*quoniam tenebræ.*] *Gloss.* tenebræ ad veterem hominem lux ad nouum pertinet. Potest autem hoc intelligi & de Christo & de membris. de Christo sic. [*tenebræ:*] *Gloss.* miseriæ carnis in Christo iam *transierunt*, & lumen immortalitatis [*iam lucet*] in eo. vel de membris [*tenebræ*] peccati & infidelitatis [*iam transierunt & verum lumen,*] scil. fidei & charitatis [*iam lucet*] in nobis scil. *Rom. 13. Nox præcessit dies autem appropinquauit, &c.* Primo modo pertinet ad miseriam pœnæ, secundo modo ad miseriam culpæ.

Vers. 9. Qui dicit se in luce esse, & fratrẽ suum odit: in tenebris est vsq; adhuc.

[*Qui dicit se in luce esse:*] i.e. in Christo qui est lux. *Ioh. 8. Ego sum lux mundi.* vel [*in luce:*] *iustitiæ lumen non luxit nobis. Sap. 5.* vel operationis bonæ. bona enim operatio quædam lux est. *Matth. 5. Sic lu-* *Operatio bona quædam lux est.* *ceat lux vestra coram hominibus, &c.* [*& fratrẽ suum.*] hominem quemcunq; vel christianum specialiter. Est enim fraternitas naturæ inter omnes sed *Fraternitas* gratiæ inter fideles. [*odit:*] *Interlinearis:* quẽ Deus præcipit diligi. licet peccatũ sit odio habendum, secundum illud *Ps. 118. Iniquos odio habui.* [*in tenebris est.*] *Gloss.* in peccatis in quibus natus fuerat. vel deputatus tenebris inferni. vnde tenebræ intelligantur hic, vel macula culpæ vel reatus pœnæ. [*vsq; adhuc:*] i.e. vsq; modo etiam post baptismũ, in quo lucem fidei & aliarũ virtutũ suscepit.

Ex hoc autem quod dicit *Glossa*, in peccatis in *Obiectio.* quib. natus fuerat, videtur ꝙ plura sunt originalia, & ꝙ originale per odium fraternum redeat.

Ad primum dicendum quod originale est v- *Respon. 1.*

num in vno per essentiam, sed plura propter corruptionem plurium virium animæ. vnde est vnum formaliter, plura materialiter, & ideo dicitur pluraliter originale.

Respons. 2. Ad aliud respondeo quod originale pro tanto dicitur redire, quod originali proprie debetur carentia visionis Dei : .... decedens autem in mortali caret visione Dei. vel dicitur redire quia fomes intenditur per peccatum. Idem autem sunt subiecto fomes & originale.

[*ita qui fratrem odit in tenebris est:*] sed è contra.

Vers. 10. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.

[*Qui diligit:*] dilectione scil. charitatis. [*fratrem suum:*] id est proximum. [*in lumine permanet:*] scilic. fidei. sidor enim charitatis non est sine lumine veritatis. *Eccles. 2. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* vel *in lumine*, bonæ operationis, siue operum legis. *Prouerb. 6. Mandata lucerna & lex lux.* quia charitas nunquam est ociosa. *Gregorius.* Amor Dei nunquam est otiosus, operatur magna si est: si autem operari renuit amor non est. & dicit *permanet*: id est perfecte manet, quia tunc ei bona opera & lux

Scandalum fidei prosunt vt dicit *Gloss.* [*& scandalum in eo non est:*] quia qui diligit proximum non habet quo pes mentis offendatur. *Psalm. 118. Pax multa diligentibus legem tuam & non est illis scandalum.* Scandalum enim idem est quod obex. vbi autem est obex, ibi est inæqualitas in via: vbi autem charitas ibi est æqualitas in via, quia charitas adæquat viam, & remouet omnia offendicula. & ideo in

Scandalum actiuum & passiuum. illo qui diligit non est scandalum actiuum, quia nullum scandalum. nec etiam scandalum passiuum quia non scandalizatur quicquid ei fiat 1. *ad Corinth. 13. Charitas omnia suffert.* vnde *Gloss.* qui diligit fratrem tolerat omnia propter vnitatem charitatis, etiam si fratri adhibet correptionem, non irascitur. vnde sicut ille qui incedit per viam bene illuminatam non offendit in via, etiamsi in via sunt multa offendicula, quia cauet ea. ille vero qui incedit in tenebris de facili offendit etiam in via plana: Ita qui est illuminatus lumine charitatis, & diligit fratrem suum, non offendit etiamsi in fratre suo videat multa offendicula. Si enim videt aliquod offendiculum in fratre corripit eum, & compatitur, & tolerat. è contrario ille qui odit fratrem suum & est in tenebris odii de facili offendit etiamsi in fratre non sint offendicula. videt enim bonum eius, dolet, tristatur, inuidet ei, peruertit ipsum. Ideo sequitur

Vers. 11. Qui autem odit fratrē suum: in tenebris est, & in tenebris ambulat & nescit quo eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

[*Qui autem odit fratrem suum in tenebris est:*] *Gloss.* ignorantiæ. vel [*in tenebris:*] id est in carentia seu priuatione lucis gratiæ. [*Et in tenebris ambulat:*] de vitio in vitium. & Interlinearis dicit quod proficit in peius. 2. *Corinth. 3. Mali homines proficient in peius.* [*& nescit quo eat:*] id est operum suorum finem non attendit nec considerat. *Gloss.* non prouidet ad quam pœnam recipiendus sit. *Prouerb. 4. Via impiorum tenebrosa nesciunt vbi corruunt.* [*quia tenebræ:*] erroris & peccati. [*obcæcauerunt oculos eius:*] scil. spirituales intellectum & affectum: quia nec veritatem cognoscit, quia in tenebris est, non bonum appetit quia de peccato in peccatum ruit. *Eccles. 11. Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* vel secundum *Glossam*, recedens à lumine Christi peccatis & carnali voluptate ita præpeditur, vt etiamsi tales bonum videant non tamen exequantur. Isti excæcantur ex malitia. *Sap. 2. Excæcauit illos malitia eorum.*

Vers. 12. Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius.

[*Scribo vobis filioli:*] Hic ostendit è contrario quid non est diligendum: retrahens *Diligendū quid sit.*

Primo eos ab amore mondano. secundo ab errore hæretico: [*filioli mei nouissima est:*] primum opponitur charitati in affectu: secundum fidei in intellectu. primum est causa totius mali in moribus: secundum in fide.

In prima parte ostendit

Primo quibus mandat: in quo ostenditur præcepti generalitas.

Secundo quid mandat: in quo ostenditur præcepti vtilitas: *nolite diligere mundum.*

Ad ostendendum generalitatem mandati nō ponit speciales conditiones alicuius gentis, sed generales omnium.

Primo secundum conditiones ætatis spiritualis.

Secundo secundum conditiones ætatis corporalis infirmioris: scribo vobis adolescentes.

Tertio secundum conditiones ætatis corporalis perfectioris. *Scribo vobis patres.*

Dicit ergo: [*filioli:*] *Gloss.* nuper geniti, vel obedientes patri vel sicut dicit *Glossa*, omnes vocat filios quos ipse in fide præcessit. [*scribo vobis:*] non solum prædico sed etiam scribo vt memoriam horum habeatis. [*scribo*] autem illud quod postea sequitur: [*Nolite diligere mūdum, &c.*] quasi dicat monui vos ad charitatem, modo moneo vt caueatis ab impedimentis: & debetis *quia remittuntur vobis peccata*,] per Baptismum per pœnitentiam. [*propter nomen eius:*] id est nominis fidelis inuocationem. In primitiua enim ecclesia baptizabant in nomine Christi, vt sic allicerent baptizatos ad amorem nominis Christi. *Actor. 8. Babtizati erant in nomine Domini Iesu.*

Gloss. ponit causam qua possit eos abstrahere ab amore mundi.

Vers. 13. Scribo vobis Patres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum.

[*Scribo vobis patres:*] *Gloss.* non ætate sed sapientia, quorum est antiqua meminisse, & minoribus pandere. Hi sunt venerandi senes, in quibus iam debet amor mundi frigescere. [*scribo:*] scilicet hoc quod sequitur, Nolite diligere mundum: Et debetis, [*quia cognouistis eum qui ab initio:*] scilicet filium qui est à patre. vel *ab initio*: id est ante initium rerum, sicut prius dictum est *Eccles. 24. Ab initio & ante secula creata sum.* quasi dicat hæc est causa quare debetis abstrahi ab amore mundi, quoniam cognouistis eum, quem mundus non cognouit. id est amore. *Ioh. 1. In mundo erat & mundus eum non cognouit.* [*Scribo vobis adolescentes:*] scilic. tempore hoc scil. nolite diligere mundum. [*quoniam vicistis malignum:*] id est mundum, qui totus in maligno positus est. *Mundus totus in maligno positus.* infra

infra vltimo: quasi dicat vicistis mundum proficiendo, non debetis iterum respicere mundum diligendo. quia *Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei.* Item cauere debetis ne vincamini ab eo quem vicistis, quia valde esset vobis verecundum. Et nota quod adolescentibus ascribitur victoria, quia illa ætas specialiter impugnatur incentiuis vitiorum: Item quia ætas illa est congrua ad certandum.

Vers. 14 Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis patrem. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.

[*Scribo vobis infantes:*] *Gloss.* humiles spiritu. scribo inquam, nolite diligere mundum. [*quoniam cognouistis patrem:*] scilicet Deum cognitione fidei. quasi dicat etsi non sitis apti ad pugnam, quia adhuc estis incipientes in bono, tamen habetis Dei cognitionem, & eum diligitis. vnde non debetis diligere illa, quæ istam dilectionem impediunt. [*scribo vobis patres:*] seniores ætate & sapientia. Hæc est duplex senectus de qua *Sap. 4. Senectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum computata.* Repetit autem eo quod ipsi magis tenentur ad hoc ratione ætatis maturioris & sapientiæ maioris. [*Quoniam cognouistis eum, qui ab initio est:*] id est à patre. vel ab initio: id est ante initium. *Gloss.* si obliuiscamini eum qui ab initio est perditis paternitatem. [*scribo vobis iuuenes:*] scilicet *nolite diligere mundum, &c.* [*quoniam fortes estis:*] id est præditi fortitudine & virtute ad spirituale certamen. *Gloss.* fortes non ex vobis sed ex Deo. *Psal. 117. Fortitudo & laus mea Dominus* [*& verbum Dei.*] *Gloss.* scilicet filius Dei, prædicatio filii. [*in vobis permanet:*] id est perfecte manet per intemeratam fidem, & hoc contra tentationes diaboli. [*& vicistis malignum:*] id est mundum & quia vicistis eum turpe esset vobis ab illo vinci.

Senectus duplex.

Vers. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.

[*Nolite diligere mundum, &c.*] Hic ostenditur quid mandat: in quo tangitur mandati vtilitas. dissuadet quidem amorem mundi triplici ratione.

Amor mundi triplici ratione dissuadetur.

Primo ex damnositate ipsius amoris.

Secundo ex vilitate rei amatæ: *quia omne quod est in mundo.*

Tertio ex defectibilitate in vtroque: *& mundus transit, &c.*

Dicit ergo: [*Nolite:*] *Gloss.* vobis omnibus hoc scribo. [*nolite diligere:*] amore concupiscentiæ. [*mundum:*] *Gloss.* abundantiam mundi, vel pulchritudinem eius. mundus ergo supponit hic pro vniuersitate concupiscibilium mundi. [*neque ea quæ in mundo sunt:*] *Gloss.* vt aurum & argentum & omnem fluxum diuitiarum. prohibetur autem hic mundus diligi ad fruendum eo non ad vtendum. vnde *Glossa.* vtimini mundo ad necessitatem, sed non diligite ad superfluitatem. nec per hoc prohibetur quæcunque dilectio, sed inordinata per amorem affectio. vnde *Augustinus:* cum exhauseris cor tuum in amore terreno, hauries amorem diuinum, & incipiet habitare charitas exstirpata sylua vitiorum. Item talis est quilibet qualis est eius dilectio: terram diligis, terra eris. Deum diligis, quid dicam? Deus eris, non audeo dicere ex me, audiatis scripturam, Ego dixi dii estis, &c.

Dilectio mundi.

Augustinus

Sed cum mundus sit bonus videtur quod sit diligendus, ergo videtur mala prohibitio, quia dicitur nolite diligere mundum?

Quæstio.

Resp. Diligere idem est quod ex diuersis legere, & sic diligere mundum est ipsum omnibus præponere: & sic mundus non est diligendus. vnde non prohibetur quæcunque dilectio, sed illa quæ est supra Deum: de qua *Augustinus:* væ tibi si amaueris condita & deserueris conditorem.

Responsio.

Vel potest dici quod duplex est dilectio: quædam ad necessitatem, alia ad superfluitatem: primo modo mundus est diligendus, secundo modo prohibetur.

Dilectio duplex.

Si quis diligit mundum: præponendo ipsum Deo. [*non est charitas patris in eo:*] quasi dicat, amor patris est contrarius amori mundi. *Augustinus.* Duo sunt amores mundi & Dei, sed si amor mundi inhabitet, non est quo amor Dei intret. Idem etiam dicit, quod contraria sunt charitas & cupiditas, & quantum crescit cupiditas, decrescit charitas, & è contrario. *Iac. 4. Amicitia huius mundi inimicitia est Deo.* vnde *Glossa* hic: vnum cor duos sibi aduersarios amores non capit. sicut dilectio Dei est fons omnium virtutum, ita dilectio mundi omnium vitiorum. *Esa. 28. Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest.* Et vere non est charitas patris in eo qui mundum diligit.

Vers. 16. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

[*Quoniam omne quod est in mundo:*] id est in mundi dilectoribus. [*aut est concupiscentia carnis:*] & sumitur hic concupiscentia carnis pro generali appetitu inordinato qui excitatur per quinque sensus. *Gloss.* Concupiscentia carnis est desiderium omnium quæ ad voluptatem & delicias corporis pertinent, vt cibus, potus, concubitus. [*& concupiscentia oculorum.*] *Gloss.* quando visu delectantur, vt in pulchris vestibus & auro & talibus. [*& superbia vitæ:*] *Gloss* omnis ambitio seculi: *Eccles. 10. Odibilis coram Deo & hominibus superbia.* Et bene dicitur tertium superbia non concupiscentia, quia magis est supra viam & extra viam humanæ naturæ quam alia duo quorum concupiscentiæ sunt homini aliquatenus vltima necessaria. [*qua non est ex patre:*] hoc dicitur ad ostendendum quod sint detestabiles Deo prædictæ concupiscentiæ. vnde [*quæ*] scilicet concupiscentia generalis, quæ communiter se extendit ad omnes prædictas. [*Non est ex Deo & Patre:*] id est ex Deo qui est pater *Iac. 1. Nemo cum tentatur dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est: vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, &c.* vel [*qua superbia non est ex Deo Patre,*] quia excludit charitatem patris. [*sed ex mundo est:*] *Gloss.* ex mundi amore, & ideo mundus non est diligendus cum sit patri contrarius.

Concupiscentia carnis generaliter sumpta.

Vers. 17. Et mundus transit, & concupiscen-

piſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

Mundi tres cauſæ vniuerſales permanſuræ.

[*Et mundus tranſit.*] *Gloſſ.* debemus adhærere parti non mundo, [*quia mundus tranſit:*] *Interlinearis*: in nouam formam. 1. *ad Corinth.* 7. *Præterit figura huius mundi.*

Et nota quod tres cauſæ mundi vniuerſales permanebunt. ſcil.

Vniuerſalis efficiens, vt corpora ſuperiora: ſol & luna & huiuſmodi, quæ ſunt cauſa efficiens vniuerſalis generationis in iſtis inferioribus.

Materialis vniuerſalis, vt quatuor elementa.

Finalis vniuerſalis, vt homo. ſed cauſa *formalis* mutabitur. vnde bene dicitur; tranſit in nouam formam. & ideo quia mundus tranſit, & homo qui diligit mundum tranſit in mundo.

Gregorius: qui labenti innititur, neceſſe eſt vt ipſe labatur. Sed è contrario: dicit autem [*tranſit*] non [*tranſiet*,] propter certitudinem quaſi dicat: tranſit iam in certitudine fidei veſtræ: tandem tranſiet in re. vel hoc dicit vt ſignificet breuitatem temporis. breue enim eſt quicquid terminum habet: & maxime reſpectu æternitatis, reſpectu cuius omne tempus breue eſt. [*qui facit voluntatem Dei:*] non tantum dicit: vt illi *Matth.* 7. *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico.* Et dicit *voluntatem Dei*: non ſuam. [*manet in æternum:*] quia talis non moritur, ſed de vita mortali ad immortalem transfertur. *Iob.* 11. *Omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum*: id eſt morte æterna, quæ eſt vera mors, reſpectu cuius mors corporalis non eſt niſi quidam guſtus. *Iohan.* 8. *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum.* quaſi dicat: licet guſtet in præſenti. Sicut enim qui labenti ſcil. mundo innititur, neceſſe eſt vt cum labente labatur, vt dicit *Gregorius*: ita è contra ſtare oportet eum qui ſtanti innititur.

Tranſit cur potius dictum quam tranſiet.

Mors.

Obiectio.

Sed obiicitur contra hoc quod dicitur: *Omne quod eſt in mundo aut eſt concupiſcentia carnis, &c.* quia multa alia ſunt in mundo, vt aurum, argentum, homines, beſtiæ, nec tamen ſunt concupiſcentia carnis, &c.

Reſponſio. Mundus pro abuſore vel amatore mundi.

Reſp. Mundus non accipitur hic pro natura, ſed pro abuſore vel amatore mundi. vnde [*omne quod eſt in mundo:*] id eſt in mundi abuſore vel amatore. [*aut eſt concupiſcentia carnis, &c.*] In iſtis enim tribus omnia vitiorum genera comprehenduntur, vt dicit *Beda in Gloſſa*: Sic enim qui adhæret mundo poteſt dici mundus.

Beda in Gloſſa.

Obiectio.

Sed tunc obiicitur vlterius: Si mundus accipitur pro mundi dilectoribus, cum in eis ſint multa alia vitia vt inuidia, ira, acedia videtur quod inſufficienter dicat omne quod eſt in mundo.

Item aut concupiſcentia determinatur circa ea quæ ſpectant ad ſenſum tactus, aut generaliter circa ea quæ ſpectant ad omnes ſenſus carnales exteriores. ſi primo modo, quare non dicitur determinate concupiſcentia tactus, ſicut dicitur concupiſcentia oculorũ? ſi ſecundo modo, ergo concupiſcentia oculorũ non ponit in numerum cũ concupiſcentia carnis, cũ ſub illa contineatur.

Item cum delectatio ſit omnium ſenſuum, quare non nominatur concupiſcentia aliorum ſenſuum ſicut concupiſcentia oculorum.

Item *Gloſſ.* dicit quod concupiſcentia carnis eſt cum per guſtum vel tactum caro delectatur.

Contra alia *Gloſſa* ibidem dicit quod concupiſcentia carnis eſt deſiderium omnium quæ ad voluptatem & delicias pertinent, non ergo ſolum circa delectabilia tactus & guſtus.

Item *Gloſſa* dicit quod concupiſcentia oculorum eſt quando viſu delectantur, vt in pulchris veſtibus & auro & talibus.

Contra, delectari in talibus pertinet ad concupiſcentiam carnis. ergo non videntur ex oppoſito diſtingui concupiſcentia oculorum & carnis.

Reſp. Diuiſio vitiorum aſſignatur penes principalia motiua concupiſcentiæ ad malum. Nam concupiſcentia carnis aſſignatur penes motiuum inordinate ad voluptates & delicias corporis, cuiuſmodi ſunt maxime in quibus delectatur nutritiua & generatiua, & generaliter in quibus eſt delectatio corporalis. concupiſcentia oculorum aſſignatur penes motiuum inordinate ad alia habenda ſiue poſſidenda, ſiue ſint ſpiritualia, vt ſcientia, ſiue corporalia vt diuitiæ. ſuperbia vitæ penes motiuum ad dominium ſcilicet poteſtatem & gloriam & ea quæ ſpectant ad ambitionem honoris. *Reſponſio.*

Quod obiicitur quod plura ſunt alia vitia in mundi dilectoribus. *Obiectio.*

Reſp. Non tangit hic vitia ſingula in ſe diſtincta, ſed potius penes radices ſiue motiua concupiſcentiarum. Vnde in ſuis radicibus ſiue motiuis ſub iſtis comprehenduntur licet non in ſuis propriis generibus. *Reſponſio.*

Quod obiicitur de concupiſcentia carnis. *Obiectio.*

Reſpon. Concupiſcentia animæ aut eſt inordinata in ſeipſa & ſic eſt ambitio honoris dignitatis & huiuſmodi: aut per exercitium ſenſus: & hoc poteſt eſſe dupliciter, quia aut delectando in carne per ſenſum & ſic eſt concupiſcentia carnis, & ſe extendit ad omnes ſenſus: aut experiendo & cognoſcendo aliquid per ſenſum, & ſic dicitur concupiſcentia oculorum, & ſimiliter pertinet ad omnes ſenſus, ſicut concupiſcentia carnis in delectatione, ſed differenter: quia concupiſcentia carnis in delectatione omnium ſenſuum & voluptatum eſt cauſa delectandi ſe in carnē: concupiſcentia oculorum eſt cauſa curioſæ cupiditatis experiendi vel cognoſcendi aliquid per carnem & ſic connumerantur & ſunt diuerſæ concupiſcentiæ. *Reſponſio. Concupiſcentia animæ multipliciter inordinata.*

Quod quæritur quare magis nominatur concupiſcentia oculorum quam aliorum ſenſuum. *Quæſtio.*

Reſp. Concupiſcentia oculorum eſt in appetitu cognoſcendi; ad oculos autem magis pertinet cognoſcere quam ad alios ſenſus. Ideo magis dicitur concupiſcentia oculorum quam alterius ſenſus, cum tamen ſe extendat ad omnes. vtimur enim vt dicit *Auguſtinus* verbo *videndi* in omnibus ſenſibus, cum per eos aliquid cognoſcere intendimus. vnde omnibus ſenſibus dicimus: *vidimus hoc.* *Reſponſio.*

Quod obiicitur de concupiſcentia carnis quę eſt cum per guſtum vel tactum aliquis delectatur. *Obiectio.*

Reſpondeo ſicut patet per aliam *Gloſſam*: Non intendit alios ſenſus excludere. ſed de guſtu & tactu dicit, quia prius & magis apparet in iſtis quam in aliis, & quia iſtæ concupiſcentiæ ſecundum guſtum & tactum magis ſunt generales & nociuæ. *Reſponſio.*

Quod obiicitur de concupiſcentia oculorum, *Obiectio.*

rúm, quæ est quando visu delectantur vt in pulchris vestibus, &c.

Responsio. Delectatio multipliciter haberi potest.

Resp. Dupliciter potest haberi delectatio in prædictis: aut in pulchritudine, & sic pertinet ad concupiscentiam carnis: vel in experientia & cognitione pulchritudinis & sic pertinet ad cõcupiscentiam oculorum. Loquitur ergo non de pulchritudine, sed de experientia pulchritudinis. Et nota *Glossam* quæ dicit: concupiscentia oculorum est omnis curiositas quæ in discendis artibus magicis, & in contemplandis spectaculis, in supervacuis rebus temporalibus acquirendis, in dignoscendis carpendisque vitiis proximorum: superbia vitæ est cum quis se iactat & cum quærere gloriam expetit.

Vers. 18. Filioli nouissima hora est. Et sicut audistis, quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt. vnde scimus, quia nouissima hora est.

[*Filioli nouissima hora est:*] Hic retrahit ab errore hæretico: primo monens cauere falsam doctrinam hæreticorum. secundo manere in vera doctrina Apostolorum: *vos qui audistis.*

Ad cauendum autem falsam doctrinam hæreticorum quadruplicem introducit rationem.

Prima quia hæresis est Christo contraria.

Secunda quia hæretici separati sunt ab ecclesia: *ex nobis prodierunt.*

Tertia quia ipsi sufficienter imbuti sunt doctrina catholica: *sed vos vnctionem habetis.*

Quarta est quia doctrina quam eis suadent hæretici mendax est & peruersa: *quis est mendax.*

Dicit ergo: [*filioli mei:*] Ita dixi; nolite diligere mundum, eodem modo dico, nec instinctu hæreticorum deficiatis à fide, quia hæc sunt contraria charitati: & non debetis deficere, [*quia filioli mei:*] & ideo debetis doctrinam patris audire & facere. vnde ostendit affectus sui ad eos magnitudinem, & eorum ad ipsum debitam subiectionem. [*nouissima est.*] *Gloss.* id est vndecima, sexta ætas seculi, de qua *Matth. 20. Circa vndecimam vero horam exiit, &c.* vel secundum aliam *Glossam. nouissima hora est:* id est similis nouissimæ: quia similis est hæreticorum persecutio, persecutioni Antichristi futuræ. vel secundum aliam *Glossam: nouissima hora est:* quia prope est finis vniuscuiusque. *1. ad Corinth. 10. Nos sumus in quos fines seculorum deuenerũt.* [*& sicut:*] quasi & hoc inde patet. [*quia nunc:*] id est in hoc præsenti tempore. Nam à temporibus Apostolorum inceperunt hæretici. [*Antichristi.*] *Gloss.* qui baptizati & chrismate inuncti per quod melius possunt decipere, sunt Christo & ecclesiæ eius contrarii: vnde *Antichristi*: id est Christo contrarii vel aduersarii. [*multi facti sunt:*] quia per varias hæreses & errores diuisi: contra illud *Iacob. 3. Nolite plures magistri fieri.* & dicit *facti sunt*, volũtate sua, suggestione diabolica. facti ergo sunt antichristi recedentes à fide Christi & docentes legalia obseruanda: *Gal. 5. Et Nicolaitæ dicentes carnis delectationes esse licitas. Apocal. 2.* vel antichristi dicuntur omnes peccantes contra legem Christi. [*sicut audistis quod antichristus venit:*] scilicet in membris suis. vel *venit*: id est iam quasi constat aduentus eius. de aduentu vero antichristi audierant & in Euangelio *Matth. 24. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.* Et per Apostolum *2. Thessal. 2. Tunc reuelabitur ille iniquus quem Dominus interficiet spiritu oris sui.* Ratio ergo eius est talis: Antichristus & sui circa finem mundi sunt venturi. sed iam venerunt ergo, &c. [*vnde:*] id est ex eorum iam aduentu scimus certitudine fidei, [*quia nouissima hora est:*] id est instat finis seculi. *Gloss.* absque dilatione veniet dies iudicii.

Hora nouissima multis modis dicta.

Vers. 19. Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.

[*Ex nobis:*] *Gloss.* Sed licet sint multi antichristi non tamen terreant vos, † sed ad Iudaismum vel paganismum redierunt, ne putetis ecclesiam pati damnum. [*quia ex nobis prodierunt:*] *Gloss.* ab vnitate catholica recedentes. Erant enim de ecclesia numero non merito, sacramentorum perceptione non charitatis communione. [*sed non erant ex nobis*] prædestinatione & electione, & ideo ex recessu eorum ecclesia non est damnificata: sicut nec corpus damnificatur cum humores praui exeunt de corpore. [*Nam si fuissent ex nobis:*] *Gloss.* prædestinatione & electione Dei. [*permansissent vtique nobiscum:*] id est finaliter mansissent in consortio fidei. [*sed, &c.*] quasi ideo exire permittuntur, [*vt manifesti sint:*] quoniam non sunt omnes ex vobis, qui prius latebant & sub specie fratrum vos decipere poterant. vnde permittit Deus quosdam de ecclesia exire ne contingat decipi veros fratres à falsis fratribus secum visibiliter manentibus.

† Gloss. legit si.

Vers. 20. Sed vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia.

[*Sed vos vnctionem:*] Hic ostendit quod sufficienter imbuti sunt doctrina catholica. vel sic: [*vos vnctionem:*] hæc est tertia ratio quare sufficienter imbuti sunt doctrina catholica. vbi ostendit

Primo, quod habent doctorem sufficientem interius.

Secundo quod non indigent doctrina exteriori: *non scripsi vobis.*

[*Quis est mendax?*] Hæc est quarta ratio, quia doctrina hæreticorũ mendax & peruersa. quod ostendit

Primo ex doctrinæ scil. falsitate.

Secundo ex eius damnositate: *omnis qui negat filium.*

[*Sed vos:*] quasi dicat vos debetis permanere, [*quia vos*] catholici [*vnctionem habetis:*] id est gratiam Spiritus sancti, qua eos discernere poteritis, & eorum malitiam retardare, siue impedire. [*à sancto:*] id est à Christo, qui est *sanctus sanctorum, Dan. 9.* Sicut membra recipiunt influentiam à capite. *Iohan. 1. de plenitudine eius omnes accepimus. Psalm. 44. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* [*& nostis omnia:*] scil. ad salutem necessaria, per illuminationem vnctionis.

Gloss. Nostis veritatem fidei & vitæ per vnctionem Spiritus sancti, nec opus habetis doceri. vnde quia nostis omnia

Vers. 21. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est.

[*Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem:*] sci.

fidei

fidei, [*ſed quaſi ſcientibus eam:*] quaſi dicat eo ipſo quod veritatem fidei cognoſcitis, habetis ſcientiam diſcernendi & cognoſcendi hæreticos. [*& quoniam:*] *Gloſſ.* ſcientibus etiam hoc, [*quoniam omne mendacium non eſt:*] i. e. nullum mendacium eſt, ſiue officioſum ſiue perniciosum, [*ex veritate:*] id eſt ex Deo ſiue ex Chriſto, qui eſt veritas: imo ſibi contrarium: qui in *Pſal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* vnde eſt à diabolo, qui eſt mendax & pater eius. *Iohan. 8.* vnde *Gloſſa Beda*: nullum mendacium ex veritate, & qui mentitur non eſt ex Chriſto.

Obiectio. Sed contra hoc obiicitur, quia idem eſt non eſſe ex Deo, & ſeparari à Deo: ſi ergò qui mentitur non eſt ex Deo, ergo omne mendacium ſeparat à Deo. ſed nihil ſeparat à Deo niſi peccatum mortale: ergo omne mendacium eſt peccatum mortale: quod falſum eſt.

Reſponſio. Reſp. Sermones ſunt reſtringendi ſecundum naturam. vnde cum hic ſit ſermo de hæreticis qui mentiuntur in doctrina religionis, patet quod illud quod dicitur hic intelligitur de mendacio religionis. vnde vt patet ex *Gloſſ.* loquitur de mendacio negationis Chriſti, reſpectu cuius cætera aut parua aut nulla viderentur. vnde ſequitur.

Verſ. 22. Quis eſt mendax niſi is qui negat quoniam Ieſus non eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus qui negat Patrem & Filium.

Mendacii genus grauiſſimum quodnam ſit. [*Quis eſt mendax:*] antonomaſtice. grauiſſimum enim genus mendacii eſt ſecundum *Auguſtinum*, quod fit in doctrina religionis. [*niſi is qui negat quoniam Ieſus eſt Chriſtus:*] i. e. qui negat quoniam Ieſus non eſt Meſſias in lege promiſſus. *Gloſſ.* Hoc proprium eſt Iudæorũ vt dicant quod Ieſus nõ eſt Chriſtus, ſed & omnium qui Chriſti mandatis obtemperare contemnunt. [*iſti negant:*] i.e. facto veritati contrario oſtendunt. *Tit. 1. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* [*Hic eſt Antichriſtus,*] ſcil. qui negat [*quoniam Ieſus eſt Chriſtus:*] [*Antichriſtus:*] id eſt contrarius Chriſto. [*qui:*] id eſt quia ipſe [*negat patrem & filium.*] Negando enim Ieſum eſſe Chriſtum, filium negat: & negando filium negat patrem. *Ioh. 8. Neque me ſcitis neque patrem meum ſcitis.* *Gloſſ.* fruſtra confitetur Deum patrem, qui negat filium, qui ex Deo procedit. & vere ita eſt: quia

Verſ. 23. Omnis qui negat Filium nec Patrem habet, qui confitetur Filium: & Patrem habet.

[*Omnis:*] *Gloſſ.* ne quis dicat Chriſtum non colo, ſed Deum patrem, addit, [*omnis:*] ſiue Iudæus ſiue gentilis ſiue hæreticus, qui negat filium, id eſt Chriſtum, [*nec patrem habet.*] *Gloſſ.* propitium. & alia *Gloſſa*: nec filium nec patrem ipſum habet placatum. vel [*nec patrem habet:*] ſcilicet cognitione in confeſſione. *Iohan. 14. Si cognouiſſetis me, & patrem meum vtique cognouiſtis.* [*qui autem confitetur:*] id eſt ſimul fatetur. *Gloſſ.* corde, voce, opere. *Roman. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* [*filium:*] *Gloſſ.* Ieſum eſſe. [*& patrem habet.*] propitium vel patrem habet in cõfeſſione & cognitione. *Iohan. 14. Pater eſt in filio, & filius eſt in patre.*

Verſ. 24. Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat: ſi in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis.

[*Vos quod audiſtis ab initio:*] Hic monet permanere in doctrina Apoſtolorum, ponens triplicem rationem:

Primo vtilitatem.
Secundo facultatem: *hæc ſcripſi vobis.*
Tertio neceſſitatem: *& nunc filioli.*
In prima parte
Primo ponit admonitionem.
Secundo admonitionis vtilitatem: *ſi in vobis:*
Tertio vtilitatis declarationem: *& hæc eſt promiſſio.*

Dicit ergo: [*vos, &c.*] continua ita: multi antichriſti facti ſunt, [*ſed vos:*] catholici illud [*quod audiſtis:*] à me & ab aliis Apoſtolis ab initio conuerſionis veſtræ. [*in vobis permaneat:*] id eſt finaliter perſeueret. quaſi dicat: fides quam audiſtis à me ab initio veſtræ conuerſionis perſeueret, & quoad memoriam & quoad obſeruantiam. Interlinearis per obſeruationem memoriter teneatis. Et debet manere, quia ſi in vobis permanſerit, id eſt perfecte manſerit intus per recordationem, extra per obſeruationem: [*quod ab initio audiſtis:*] verbum ſcilic. fidei Chriſti ab initio veſtræ conuerſionis: [*& vos in filio & patre manebitis.*] *Gloſſ.* hic per fidem, in futuro per ſpem. *Iohan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et ſicut dicit *Gloſſa*, filium præponit patri, quia nemo venit ad patrem niſi per filium. *Ioh. 14.*

Verſ. 25. Et hæc eſt repromiſſio quam ipſe pollicitus eſt nobis vitam æternam.

[*Et hæc:*] ſcilicet manſio perpetua in patre & filio, [*eſt repromiſſio:*] id eſt iterata promiſſio, prius per Prophetas, deinde per Apoſtolos. [*quam ipſe Chriſtus*, qui non mentitur, [*pollicitus eſt nobis vitam æternam:*] hanc promiſit *Iohan. 6. Hæc eſt voluntas eius qui miſit me patris, vt omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam.*

Verſ. 26. Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos.

[*Hæc ſcripſi vobis, &c.*] Hic oſtendit facultatem,

Primo ex ſcriptura.
Secundo ex gratia: *& vos vnctionem.*
Tertio ex ſcientia: *& non neceſſe habetis.*

Dicit ergo: [*Hæc:*] prædicta de antichriſto, & eius membris. [*ſcripſi vobis:*] id eſt ad vtilitatem & inſtructionem veſtram. [*de his:*] ſcilicet hæreticis [*qui ſeducunt vos:*] id eſt ſeorſum à veritate ducunt.

Gloſſ. vel peruerſis dogmatibus, vel per alias illecebras, vel per aduerſa ſæculi à vita æterna vos retrahunt.

Verſ. 27. Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos: ſed ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos manete in eo.

[Et]

[*Et*] ſupple vnctio [*maneat in vobis:*] id eſt perſeueret. [*quam vnctionem:*] id eſt Spiritus ſancti gratiam: [*vos accepiſtis ab eo:*] id eſt Chriſto. 1. *Iohan.* 1. *De plenitudine eius omnes accepimus. Gloſſa:* Curate vt Spiritus ſancti gratiam quam in baptiſmo conſecuti eſtis, integram in corde & opere ſeruetis.

Et nota quod iſta locutio eſt emphatica ſicut & illa. *Iohan.* 15. *Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus, &c.* [*& non neceſſe habetis:*] quaſi & ſi vnctio manet, [*non neceſſe habetis:*] quamuis vtile: quia gratia docet de neceſſariis ad ſalutem, licet non de omnibus vtilibus. vel [*non neceſſe habetis:*] tantum vt prius. *Gloſſ.* docente vos interius ſpiritu minus indigetis extrinſecus doceri, aut vt aliquis humanus doctor [*doceat vos:*] ſed ita tenete, ſupple, [*ſicut vnctio eius:*] id eſt Chriſti. *Gloſſ.* Spiritus ſanctus, cuius ſacramentum eſt in vnctione viſibili. vel vnctio charitatis quæ diffunditur in cordibus veſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt. [*docet vos de omnibus:*] *Gloſſ.* quæ tenenda ſunt. quia vt dicit *Gloſſa Beda:* Nemo docenti tribuat quod ex ore docentis intelligit, niſi intus ſit qui doceat, lingua doctoris in vacuum laborat: nec tamen doctor taceat, ſed quod poteſt agat [*& verum eſt & non eſt mendacium:*] *Gloſſ.* quod prædico: vel melius: illud quod vnctio docet. vnde alia tranſlatio: [*& vera eſt & non eſt mendax,*] ſcilicet vnctio. [*verum:*] per comparationem ad rem. [*& non eſt mendacium:*] per comparationem ad docentem. vel [*verum*] in ſe. [*& non eſt mendacium:*] contrarii vlla permixtione. Ex hoc patet quod fidei non ſubeſt falſum, quia *Spiritus ſanctus ſpiritus veritatis eſt: Iohan.* 16. & non docet niſi verum. & ideo [*ſicut docuit vos:*] ſcilicet vnctio: [*manete in eo:*] ſcilicet Chriſto. hoc eſt in verbis vel doctrina eius. *Iohan.* 15. *Manete in me & ego in vobis.*

Verſ. 28. Et nunc filioli manete in eo, vt cum apparuerit, habeamus fiduciam. & non confundamur ab eo in aduentu eius.

[*Et nunc filioli, &c.*] Hic oſtendit neceſſitatem primam in futuro, quia aliter non vitabunt confuſionem: ſecundam in præſenti, quia aliter non poſſunt habere iuſtificationem: [*ſi ſcitis quia iuſtus eſt.*]

Dicit ergo: [*Et nunc:*] id eſt in præſenti, ſcilicet tempore gratiæ. [*filioli mei:*] in quo notatur dilectio & ſubiectio. [*manete in eo:*] id eſt in Chriſto, hoc eſt in verbis & doctrina eius, per fidem ſcilicet & charitatem finalem.

Auguſtinus: maneamus in verbis eius ne confundamur cum venerit. vel [*manete in eo:*] *Gloſſ.* Si quid boni habetis, illi totum attribuatis & non vobis: mala vobis & diabolo imputate. [*vt cum apparuerit:*] ſcilicet Chriſtus in iudicio. *Gloſſ.* ad præmia bonorum, & damnationem malorum, [*habeamus fiduciam:*] ſcil. præmii aſſequendi ſpem. [*& non confundamur:*] confuſione damnationis æternæ. *Ierem.* 20. *Confundantur quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum.* [*ab eo:*] *Gloſſ.* pro eo neglecto vel negato. [*in aduentu eius:*] ad iudicium.

Verſ. 29. Si ſcitis quoniam iuſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt.

[*Si ſcitis:*] quaſi & manere debetis in eo. [*Si enim ſcitis*] certitudine fidei. [*quoniam iuſtus eſt:*] *Gloſſ.* natura & autor totius iuſtitiæ. *Pſalm.* 10. *Iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit.* [*quoniam & omnis qui facit iuſtitiam:*] id eſt opus iuſtitiæ. [*ex ipſo natus eſt.*] id eſt filius Dei eſt per imitationem & conformitatem. vel [*ex ipſo natus eſt:*] id eſt ex ipſo habet quod facit. Sicut enim filius naturalis habet à patre naturali quod eſt ſecundum naturam: ſic filius ſpiritualis habet à patre ſpirituali ſcil. Deo quod eſt ſecundum mores. *Eſa.* 26. *Omnia opera noſtra operatus es.* Simile.

Caput III.

Verſ. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filii Dei nominemur & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos: quia non nouit eum.

[*Videte qualem charitatem dedit nobis pater, &c.*] Supra egit de materia diligendorum: hic agit de forma ſiue de modo diligendi,

Primo Deum.

Secundo proximum: *omnis qui non eſt iuſtus, &c.*

In prima parte

Primo tangit modum dilectionis Dei ad nos.

Secundo modũ dilectionis noſtræ ad Deum: *& omnis qui habet hanc ſpem.*

Modum dilectionis ad nos oſtendit

Primo in præſenti.

Secundo in futuro: *chariſſimi nunc filii Dei ſumus:*

Modum autem dilectionis noſtræ ad Deum oſtendit

Primo acquirendæ.

Secundo conſeruandæ: *filioli nemo vos ſeducat.*

Tertio manifeſtandæ: *omnis qui natus eſt ex Deo.*

Acquirendæ dupliciter:

Primo per ſanctificationem peccatorum præteritorum.

Secundo per cautelam à futuro: *omnis qui in eo manet.*

Sanctificationis primo oſtendit exemplar.

Secundo naturam: *omnis qui facit peccatum.*

Tertio autorem: *& ſcitis quia ille, &c.*

Dicit ergo: [*videte*] continua ſic: qui facit iuſtitiam eſt ab eius gratia & charitate: [*videte.*] ergo: id eſt diligenter attendite [*qualem charitatem:*] id eſt quantam, qualia ſigna & effectus charitatis. *Gloſſ.* quantis & qualibus donis oſtendit Deus erga nos paternam charitatem. [*dedit,*] gratis: [*nobis:*] indignis. [*Pater:*] tota Trinitas per proprietatem: perſona Patris per appropriationem talem: ſcilicet [*vt filii Dei nominemur:*] id eſt chriſtiani à Chriſto. & quia non ſufficit nomen ſine re, ideo ſubditur, [*& ſimus:*] ſcilicet filii Dei. *Iohan.* 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* [*Propter hoc:*] ſcilicet quia filii Dei ſumus. [*mundus:*] id eſt mundi amatores. [*non nouit nos:*] ſcilicet notitia approbationis. [*quia non nouit eum:*] ſcilicet patrem notitia fidei & approbationis. *Ioh* 1. *Mundus eum non cognouit. Gloſſ.* Quia filii Dei dicimur, amatores mundi non nos diligunt, non percipiunt noſtram dignitatem, non nos venerantur, ſed affligunt.

Verſ. 2. Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus:

mus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.

[*Charissimi nunc filii Dei:*] q. d. licet mundo simus despecti, tamen [*ô charissimi:*] mihi charissima dilectione coniuncti [*nunc:*] etiam in præsenti cum mundo simus despecti vt dicit *Glossa*. [*Filii Dei sumus:*] per adoptionem gratiæ *Roman.* 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* [*& non apparet quid erimus:*] scilicet per gloriam. latet enim gloria modo sicut lucerna latet in testis, sed confracta testa apparebit. *Iudic.* 7. *Confractis lagunculis apparuerunt lucernæ.* Licet enim nunc per miracula & per virtutes appareat quod sumus filii Dei, tamen quicquid est in præsenti ad respectum futuri parum est vt dicit *Glossa*. Ita est de gloria modo sicut de luce in manibus abscondita, cuius apparet exterius per rimas digitorum.

Fidei certitudo est de inuisibilib. [*Scimus autem:*] certitudine fidei quæ est certitudo de inuisibilibus. [*quoniam cum apparuerit:*] in secundo aduentu, id est perfecte innotuerit & omnibus: modo enim paucis fidelibus innotescit: sed tunc in die iudicii omnibus apparebit ab omnibus cognoscetur. *Psalm.* 9. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Bernardus:* Cognoscetur Dominus iudicia faciens, qui nunc ignoratur

Bernardus. iniuriam patiens. [*similes ei erimus.*] *Glossa Beda:* Secundum corpus immortales, etiam impassibiles sicut ipse filius. tunc enim *mortale hoc induet immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptionem.* 1. *ad Corinth.* 15. Ista autem similitudo non erit æqualitatis sed conformitatis, & in corpore per dotes corporis, & in animis per dotes animæ.

Similitudo Christi. *Phil.* 3. *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Ista autem similitudo erit in tribus: scil.

In conformitate naturæ. *Genes.* 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Item

In conformitate gratiæ: *Esa.* 45. *Vocaui te ex nomine assimulari te.* Item

In conformitate gloriæ, sicut hic. *quoniam videbimus eum sicuti est.*

Gloss. in ipsa deitatis substantia contemplabimur eum quod in hac vita nulli conceditur. *Matth.* 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Et *Interlinearis*. Sola visio beatificat.

Quæstio. Sed videtur quod magis dilectio, quia dicit *Augustinus* *Augustinus in libro Soliloquiorum:* Charitas est quæ vere perfecit desiderat; sed beatitudo consistit in fruitione, ergo in dilectione.

Responsio. Respond. *Glossa* loquitur non de visione simplicis notitiæ sed experientiæ quæ est intellectus practici, & hoc non excludit dilectionem.

Quæstio. Sed adhuc quæritur quare magis dicitur de visione quod beatificat, quam de dilectione.

Responsio. Respond. Visio potius dicitur beatificare & esse tota merces, quam dilectio, quia visio habet omne illud in quo consistit beatitudo: habet enim sibi annexam dilectionem: in his vero consistit fruitio. Dilectio vero non habet necessario sibi annexam visionem, imo potest esse indifferenter tam rei absentis quam præsentis,

Desunt hæc verba in manu scripto codice MS. Sequitur, hoc non est verum de dilectione beatificante, quod magis in affectu, tum quia vbi meritum ibi præmium, vbi bonum, vnde bonum, ibi optimum. voluntas regit vniuersale animæ regimen. plus vellet sanctus amare & nó videre, quam è contrario. quia videre & non amare esset tristari dato quod ibi posset vnum separari ab alio.

Vers. 3. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est.

[*Et omnis:*] *Gloss.* quia ad Dei similitudinem peruenitur: ideo [*omnis qui habet hanc spem:*] scilicet adipiscendæ diuinæ visionis & beatitudinis. [*sanctificat se:*] *Gloss.* pie viuendo, desideria secularia abnegando. *Tit.* 2. *Vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc seculo.* Sanctificationem attribuit homini propter cooperationem liberi arbitrii. 2. *ad Tim.* 2. *Si quis se emundauerit ab istis erit vas sanctificatum & vtile Domino.* [*Sicut & ille:*] similitudo est remota non propinqua, imitando non attingendo. [*sanctus est.*] *Leuit.* 21. *Sancti estote quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Iohan.* 17. *Ego pro eis sanctifico meipsum, vt & ipsi sancti sint in veritate.*

Tangit autem hic duo quæ requiruntur ad nostram sanctificationem. *Ad sanctificationem nostram duo nam requiruntur.*

Primum est diuinum adiutorium.

Secundum est arbitrii libertas.

Deus enim sanctificat nos per gratiam: nos vero disponimus nos ad sanctificationem, per liberum arbitrium. primum notatur cum dicitur: *qui habet spem in eo:* secundum cum dicitur: *sanctificat se.*

Alia litera habet: [*castificat:*] quam legit *Augustinus* di ens: *Sic omnis qui habet hanc spem castificat semetipsum,* sicut & ipse castus est. Nota quod homo castificat se, & Deus, & gratia. homo disponendo, Deus efficiendo, gratia informando.

Vers. 4. Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas.

[*Omnis, &c.*] *Gloss.* qui habet spem sanctificat, sed è contra: [*omnis qui facit peccatum:*] scilicet mortale. Illud enim simpliciter dicitur, à quo denominatur peccator, [*& iniquitatem facit:*] quia contra Dei iustitiam & æquitatem facit. [*& peccatum est iniquitas:*] *Gloss.* iniquitas est contra legem, vel sine lege peccatum ergo est iniquitas: quia quicquid peccamus contra legem Dei facimus. vnde peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei: secundum *Augustinum*. Item secundum *Augustinum*, virtus est æqualitas animæ, vndique rationi consentiens: sed omnis peccans mortaliter priuat virtutem, ergo & æqualitatem: ergo inducit inæqualitatem. & ideo dicit *Augustinus in Glossa:* Nemo dicat ego peccator sum, sed non sum iniquus. *omnis enim qui facit peccatum & iniquitatem facit. & peccatum est iniquitas: Dan.* 3. *Peccauimus, iniquitatem fecimus.* *Augustin. Peccati definitio.*

Vers. 5. Et scitis quia ille apparuit vt peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est.

[*Et scitis:*] id est scire debetis. [*quoniam ille:*] sc. Christus, qui est sanctus sanctorum. [*apparuit:*] *Gloss.* in primo aduentu. [*in hoc:*] sc. propter hoc, [*vt peccata tolleret:*] i. e. auferret. *Ioh.* 1. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Gl.* Tollit dimittendo facta adiu- *Peccata multis quomodo tolluntur.*

adinnando ne fiant, ducendo ad vitam vbi omnino fieri non possunt. Propter hoc dicitur ter *agnus Dei* & bis *miserere nobis.* quasi dicat ecclesia: miserere dimittendo facta: miserere adiuuando ne fiant futura. tertio dicimus, dona nobis pacem, ducendo ad vitam, vbi omnino non fient. vel dicitur, ter *agnus* Dei propter tres partes corporis Christi mystici. quidam enim in miseria vitæ præsentis in mundo, alii in purgatorio, alii in cœlo. bis ergo dicitur, miserere nobis propter illos qui sunt in mundo & in purgatorio. sed dona nobis pacem, propter illos, qui sunt in cœlo. Ideo etiam tripliciter terminatur Missa. Nam in diebus laboris dicitur, benedicamus Domino, quia laborantes debent gratias Deo reddere, requiescant in pace propter illos qui sunt in purgatorio. Item missa est in diebus solennibus propter illos qui sunt in cœlo.

Agnus Dei cur ter dicatur. Miserere nobis cur bis dicatur.

[*Et peccatum in eo non est:*] nec originale nec actuale, mortale nec veniale. 1. *Petr.* 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Ratio eius talis est: Ille in quo non est peccatum auferre peccatum potest: sed in Christo non erat peccatum, ergo potuit auferre peccatum.

In Christo peccatum nullum est.

Vers. 6. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.

[*Omnis qui, &c.*] *Gloss.* Et vere ipse immunis est ab omni peccato, quia etiam illi qui adhærent ei, ex hoc quod adhærent ei vitant peccata. Omnis enim fidelis christianus [*qui in eo manet:*] id est in Christo vnitur per charitatem [*non peccat.*] [*Iustus.*]

Obiectio. Ex hoc videtur quod cum omnis iustus in ipso maneat, quod nullus iustus peccet, quod est contrarium ei, quod dictum est supra: id est si dixerimus quia peccatum non habemus, &c.

Responsio. Resp. quod hic dicitur intelligendum est per se, scilicet cum reduplicatione sic. *omnis qui in eo manet non peccat. Gloss.* in quantum in eo manet, non peccat venialiter nec mortaliter. vel sic omnis qui in eo manet non peccat: quamdiu scilicet in eo manet, non peccat mortaliter. quia dum manemus in ipso peccamus venialiter. vel sic: [*omnis qui manet in eo:*] scilicet numero vel merito, sacramentorum perceptione, vel charitatis communione, fide formata vel informi, non peccat peccato infidelitatis quod dicitur peccatum per *Antonomasiam & excellentiam. Iohan.* 16. *Cum venerit paracletus, ipse arguet mundum de peccato* scilicet infidelitatis. [*& omnis qui peccat:*] peccato mortali: vel [*qui peccat:*] id est finaliter in peccato permanet. [*non vidit eum:*] pro tempore quo peccauit vel in peccato mansit, [*non vidit:*] *Gloss.* in fide secundum humanitatem. [*nec cognouit eum:*] *Gloss.* gustando suauitatem in deitate. Nam si gustasset quam suauis est Dominus, nunquam peccando ab eius gloria se separaret. vnde tangit duo scilicet videre & cognoscere, per gustum: quæ remouentur per peccatum. peccatum enim tollit visionem gratuitam summæ veritatis, & gustum diuinæ suauitatis.

Manens in Christo non peccat.

Infidelitas peccatum dicitur per excellentiã.

Vers. 7. Filioli nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est: sicut & ille iustus est.

[*Filioli nemo vos seducat:*] hic ostendit modum nostræ dilectionis ad Deum conseruandæ.

Dilectionis ad Deum conseruandæ modi varii.

Primo faciendo opera quæ Deus diligit.

Secundo vitando opera quæ Deus odit: *qui facit peccatum.*

Dicit ergo: [*Filioli nemo vos seducat:*] id est seorsum à via veritatis ducat, dicendo quod dum peccat aliquis potest manere in Deo. [*qui facit iustitiam:*] *Gloss.* qui habet actum iustitiæ & intentionem: [*iustus est:*] secundum quod iustus dicitur ab exercitio operum, non solum ab habitu iustitiæ. secundum quod dicit *Ambrosius:* Est bonus, qui non est iustus. Et *Roman.* 5. *Vix enim pro iusto quis moritur.* [*sicut & ille iustus est:*] id est ab eadem radice, licet non æqualiter. vnde *Glossa:* Ab eadẽ radice procedit iustitia in Christo principaliter, in isto secundario: in Christo naturaliter in isto per adoptionem: nec † ly [*sicut*] dicit ibi similitudinem æqualitatis, sed cuiusdam imitationis, sicut exempli ad exemplar.

† verbum.

Quæstio. Sed obiicitur de hoc quod dicit, *qui facit iustitiam iustus est:* imo potius è contrario, qui iustus est iustitiam facit, quia enim boni sumus bonum facimus.

Responsio. Resp. In via essendi sequitur, qui iustus est iustitiam facit: in via cognoscendi sequitur, qui facit iustitiam iustus est: id est iustus ostenditur & sic loquitur hic. vel potest dici quod iustitia dicitur ibi non iustitiæ infusio sed magis in iustitia exercitatio. vnde qui facit iustitiam iustus est: verum est magis, quia magis exercetur in bonis operibus: sicut *Abraham* dictus est *iustificari ex operibus. Iac.* 2.

Iustitia pro in iustitia exercitatione.

Vers. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniã ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.

[*Qui facit peccatum:*] ita qui facit iustitiam manet in Deo & illi adhæret: sed è contrario, qui facit peccatum scilicet mortale quod simpliciter peccatum est, [*ex diabolo est:*] *Gloss.* non carnis originem ducendo, sicut Manichæus voluit de cunctis hominibus, sed imitationem & suggestionem peccandi ab illo sumendo. vnde *Ioh.* 8. *Vos ex patre diabolo estis.* [*quoniam ab initio diabolus peccat:*] vnde prior peccauit & est autor peccati, & homo per ipsum. Peccans enim ab initio per superbiam quoad se, peccat assidue per inuidiam quoad hominem, & his duobus modis diabolus, diabolus est, vt dicit *Augustinus.*

Manichæi error.

Ab initio exclusiue non inclusiue sumpta.

Dicitur autem peccasse ab initio suæ creationis: vnde

Glossa: Incipiens peccare peccat continue vsque in præsens; & intelligendum est ab initio exclusiue, id est post initium non inclusiue, id est in ipso initio. non enim potuit peccare in principio suæ creationis. Simile: *Ioh.* 8. *Ille homicida erat ab initio.*

Obiectio. Sed obiicitur contra hoc quod dixit *Glossa*, quod continue peccat: cum enim in eo sit natura bona videtur quod aliquando possit moueri motu naturali, & tunc non peccat.

Responsio. Res. Quidam dicunt quod non dicitur semper peccare, quia quolibet tempore peccet, sed quia non interuenit motus contrarius, quia non cessat esse malus cum sit confirmatus in malitia sua. sicut ergo ille qui non cessat esse bonus dicitur semper orare: sic diabolus semper peccare.

Reſpon. 2. Bernardus. Alii dicunt quod ad literam continue peccat. Sicut enim dicit *Bernardus*: Sicut non dormitabit neque dormiet qui custodit Iſrael: Sic non dormitabit neque dormiet qui impugnat Iſrael. vnde licet exeat in actum naturalem, nunquam tamen in pure naturalem, quia motum illum quem natura inchoat voluntas deformat. Diligit enim Deum naturaliter vt conſeruatorem, ſed voluntas eius illum motum refert ad propriam vtilitatem: ſicut auarus naturaliter appetit beatitudinem, tanta tamen eſt peruerſitas iudicii eius vt non dicat beatitudinem eſſe niſi in diuitiis, & ita nunquam exit in appetitum beatitudinis in quantum huiuſmodi, niſi prout eſt in diuitiis, & ita appetendo illam beatitudinem peccat, quia primum motum, quem natura inclinat, voluntas deformat. *Auari beatitudo in diuitiis ſita.*

Vel dicitur continue peccare, quia ipſe fuit principium peccati hominis ab initio conditionis hominis. Ideo cum homines non ceſſent peccare, nec ipſe ceſſet peccare.

[*In hoc apparuit, &c.*] quaſi qui facit peccatum ex diabolo eſt, propter hoc filius Dei venit in mundum vt hominem liberaret. vnde [*in hoc:*] ſcilicet propter hoc. [*apparuit:*] *Gloſſ.* per carnem qui ſcilicet erat inuiſibilis ſecundum Deitatem. [*filius Dei:*] id eſt Christus. [*vt diſſoluat opera diaboli:*] *Gloſſ.* diſſoluat illam natiuitatem quam à diabolo contraximus. hæc eſt mala natiuitas; de qua *Iob. 3. Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt conceptus eſt homo.* Adam enim vt ait *Gloſſ.* peccando à diabolo natus, tales genuit qualis ipſe fuit.

Verſ. 9. Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.

[*Omnis qui natus eſt:*] Hic oſtendit modum manifeſtandæ dilectionis: &

Primo oſtendit quod eſt proprium filiorum Dei.

Secundo per quod diſcernuntur à filiis diaboli. [*in hoc manifeſti ſunt.*] ita Chriſtus ſoluit opera diaboli, [*quia omnis qui natus eſt ex Deo,*] ſcilicet in Baptiſmo, vt dicit *Interlinearis.* Et loquitur de natiuitate regenerationis non generationis: de qua *Iohan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei.* [*ex Deo:*] effectiue & exemplariter, ſicut imago ſpeculi à ſpecie faciei, non materialiter vel ſubſtantialiter. [*peccatum non facit,*] ſcilicet mortale, quod eſt contrarium natiuitati ſpirituali, & intelligendum eſt cum reduplicatione, in quantum ſcilicet ex Deo natus eſt. vel intelligendum eſt coniunctim, quamdiu natus, id eſt natiuitatis gratiam cuſtodit. [*peccatum non facit:*] ſcilicet mortale. vel loquitur de illo, qui natus eſt ex Deo, non ſolum per præſentem iuſtitiam, ſed etiam per prædeſtinationem æternam. [*& talis peccatum non facit:*] finaliter, quia tale peccatum repugnat prædeſtinationi. [*quoniam ſemen ipſius:*] ſcilicet gratiæ iuſtificantis, quod, vt multiplicetur per cooperationem liberi arbitrii infunditur *Eſa. 1. Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* vel *ſemen*: id eſt verbum Dei per quod genitus eſt. *Iacob. 1. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis. Luc. 8. Semen eſt verbum Dei.* [*in eo manet:*] per intemeratam fidem & charitatem. dicitur autem manere quamdiu firmiter radicatur in corde, non ſolum in intellectu, ſed in affectu. Ipſum autem verbum conſeruat eum à peccato: vnde ſequitur: [*& non poteſt peccare:*] quaſi non ſolum non peccat, *ſed non poteſt peccare*: *Gloſſ.* quamdiu verbum Dei retinet. & intelligitur de potentia diſpoſita & propinqua, non de remota. Poteſt enim potentia naturæ, ſed non poteſt poteſt potentia habitus gratiæ: ſicut ſi diceretur quod bonus ſcriptor non poteſt male ſcribere. [*quoniam ex Deo natus eſt:*] id eſt filius Dei per adoptionem gratiæ, non per generationem naturæ. *Gloſſ.* ex quo peccatum non eſt.

Introitus in regnum Dei per regenerationem datur.

Semen Dei quomodo in iuſto maneat.

Verbi diuini virtus & efficacia.

Verſ. 10 In hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.

[*In hoc manifeſti ſunt:*] id eſt manifeſte diſtincti ſunt [*filii Dei & filii diaboli:*] quia illi peccant, iſti non. *Matth. 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Conueniunt enim in natura, ſed actu ſunt contrarii. [*Omnis qui non eſt iuſtus:*] Hic agit de modo diligendi proximum monens diligere

Filii Dei & filii diaboli quomodo conueniant quomodo contrarientur.

Primo fideliter.

Secundo firmiter: *nolite mirari fratres.*

Tertio efficaciter: *in hoc cognouimus.*

Quarto veraciter: *filioli mei.* tunc enim vera eſt dilectio & perfecta, quando eſt fidelis ſine formidine, quando eſt firma ſine interruptione, efficax in operatione, recta in intentione.

Dilectionis vera & perfecta indicia.

In prima parte

Primo perſuadet fraternam dilectionem.

Secundo diſſuadet dilectionis fraudem: *non ſicut Cain, qui ex maligno.*

Dicit ergo: [*omnis*] in hoc inquam manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli, & vere, [*quia omnis qui non eſt iuſtus:*] quoad Deum à iuſtitia generali, non ſpeciali. vnde *Gloſſa*: reddens Deo quod debet. [*non eſt ex Deo:*] per generationem ſpiritualem. minus dicit & plus ſignificat, quia eſt ex diabolo. *Supra 3. Qui facit peccatum ex diabolo eſt.* [*& qui non diligit fratrem ſuum:*] quoad proximum ſcilicet non eſt ex Deo: quia vt dicit *Gloſſa*: verus filius legem patris non poteſt dimittere. Lex patris eſt inuicem diligere. & ſecundum quod dicit alia *Gloſſa*: dilectio eſt certum ſignum, quo diſtinguuntur filii Dei & filii diaboli: alia ſunt communia bonis & malis, in hoc fonte non communicat alienus. quicquid vis habe, & hoc ſolum non habeas, nihil tibi prodeſt: hoc habe, omnia impleſti legis præcepta, quia *plenitudo legis charitas. Roman. 13. Auguſtinus.* dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios perditionis ſiue diaboli. Signent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, reſpondeant omnes, Amen, cantent omnes Alleluia, baptizentur omnes, intrent omnes eccleſias, faciant omnes parietes baſilicarum, non diſcernuntur filii Dei à filiis diaboli, niſi charitate; qui habent charitatem nati ſunt ex Deo.

Dilectione diſtinguuntur filii Dei à filiis diaboli.

Auguſtinus

Verſ. 11. Quoniam hæc eſt annunciatio, quam audiſtis ab initio, vt diligatis alterutrum.

[*Quoniam hæc eſt, &c.*] *Gloſſ.* Et vere eſt habenda dilectio: [*quoniam hæc eſt annunciatio:*] paſſiua de pro-

de proximo diligendo: id est mandatum vobis annunciatum. [*quam audistis:*] nobis prædicantibus ab initio vestræ conuersionis vel nostræ prædicationis. quia enim dilectio principium est omnis meriti, ideo ab initio prædicanda fuit. *vt diligatis alterutrum;* id est vnus alterum & è contrario. *Iohan. 15. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.*

Vers. 12. Non sicut Cain qui ex maligno erat: & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant: fratris autem eius iusta.

Caini dilectio simulata.

[*Non:*] existentes. [*sicut Cain:*] tantum exterius se diligere simulans, intus odium seruans. [*Cain:*] primus reprobus de quo *Genes. 4.* [*qui ex maligno.*] id est diabolo qui dicitur malignus *Antonomastice. Psalm. 5. Non habitabit iuxta te malignus.* Ex maligno ergo fuit per imitationem inuidiæ. *Sap. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum,* id est, diabolus amissa felicitate inuidit homini habituro felicitatem quam amiserat, & ideo tentauit eum, [*& occidit fratrem suum:*] innocentem scilicet, sicut diabolus hominem primum. [*& propter quid occidit eum?*] nunquid ob culpam eius vel ob aliam causam iustam? & respondet. [*quoniam:*] *Gloss.* inde, vnde processit homicidium, scilicet ex inuidia. [*opera eius maligna erant:*] *Gloss.* quia inuidebat fratri. [*fratris autem eius iusta:*] *Gloss.* per charitatem. vnde licet vtriusque oblatio scilicet Cain de fructibus terræ & Abel de fœtibus ouium fuerit bona ex genere operis (iustum enim erat vtrumque offerre creatori) oblatio tamen Cain ex malitia offerentis fuit deformata, quia obtulit cum inuidia, Abel vero in charitate. vnde *Glossa:* opera Cain non dicit mala nisi inuidiam & odium fratris: opera Abel iusta non dicit nisi charitatem. hinc discernuntur homines: nemo attendat linguas, sed facta eorum. Ideo dicitur *Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera illius non respexit.*

Caini inuidia eiusdem homicidii causa.

Vers. 13. Nolite mirari fratres si odit vos mundus.

[*Nolite mirari, &c.*] Hic est secundus modus diligendi scilicet firmiter; quem persuadet duplici ratione.

Primo per bonum sic diligentium.

Secundo per malum non diligentium: *qui non diligit manet in morte.* vbi primo tangit culpam: secundo pœnam: *& scitis quoniam omnis homicida, &c.*

Dicit ergo: [*nolite mirari:*] *Gloss.* Dilectionem habete, nec propter mundi odium vel persecutiones, dilectiones dimittite. [*Nolite mirari fratres:*] quasi Insolitum. *Iohan. 15. Si mundus vos odit, scitote quod me priorem odio habuit.* [*si odit vos mundus:*] *Gloss.* mundi amatores. Et alia *Glossa:* non mirum si amator mundi fratrem odit separatum ab amore mundi. & certe non est mirandum.

Mirari tria solent homines.

Tria enim solent mirari homines: scil. quod est magnum, nouum & rarum.

Quod autem mundus, id est mundi amatores odiant sanctos non est *magnum.* Non enim medicus reputat magnum, si phreneticus quem ipse ligat mordet ipsum: excusat enim ipsum propter phrenesim suam. vnde super illud *Genes. 4. Consurrexit Cain aduersus Abel: Gloss.* dicit, contra medicum.

Item non est *nouum.* à principio enim mundi fuit istud iurgium inter bonos & malos, vt inter Cain & Abel; inter Isaac & Ismael: inter Iacob & Esau.

Item non est *rarum,* imo valde consuetum, sc. quod mali odiunt bonos. & certe non debent eos odire sed potius diligere: quia:

Vers. 14. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit: manet in morte.

[*Nos:*] fideles [*scimus:*] certitudine fidei, [*quoniam translati sumus;*] virtute scilicet diuina. non dicit transimus, quasi virtute nostra. Homo enim est spiritus vadens & non rediens. non enim mortuus potest suscitare seipsum, siue corpus siue spiritum, hæc est miraculosa translatio, [*de morte:*] culpæ. [*ad vitam*] gratiæ. *Coloss. 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ.*] *quoniam diligimus fratres:*] id est per hoc quod diligimus fratres. charitas enim est vita. quia vt ait *Glossa:* vita carnis anima: vita animæ Deus; charitas vero coniungit animam Deo.

Augustinus: Humilitas Deo subiicit, puritas iungit, charitas vnit. [*qui non diligit;*] fratrem scil. [*manet in morte:*] *Interlinearis:* nõ tantum venturus est in æternam mortem, sed iam nunc est, quod intelligendum est debito existendi: hoc est debitor est mortis æternæ. & dicit, [*manet;*] id est mansionem habet; quia inde per se exire non potest. Ideo dicitur in *Psalm. 33. Mors peccatorum pessima.* & sicut dicit *Glossa,* diligere debetis, quia

Vers. 15. Omnis qui odit fratrem suum: homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.

[*Omnis qui odit fratrem suum homicida est:*] quia primo occidit animam suam: deinde animam proximi quantum in se est, quia prouocat ipsum ad odium mutuum. *Gloss.* Omnis qui vel ferro percutit, vel odio insequitur homicida est.

Odium homicidii species.

Vel alia *Glossa:* qui ex odio insequitur, fratrem prouocat ad iram & discordiam, & sic quantum in se est occidit eum in anima.

Et nota quod aliquis est *homicida* multipliciter.

Homicida quis multipliciter dicitur.

Primo *prouocatione,* vt qui odio habet fratrem suum. *Prouerb. 10. Odium suscitat rixas.*

Item *opere:* vt *Exod. 20. Non occides.*

Item *consensu. Rom. 1. Non solum qui faciunt ea digni sunt morte, sed qui consentiunt facientibus.*

Item *subtractione rei debitæ. Eccles. 34. Panis egentium vita pauperum, qui defraudat illum homo sanguinis est.*

[*Et scitis:*] certitudine fidei. [*quoniam omnis homicida:*] *omnis* dicit quia plura sunt homicidiorum genera: scilicet *cordis* per *odium: oris* per *consilium,* vel *mandatum: operis* per *gladium: omissionis* per *subtractum adiutorium.* [*Non habet vitam æternam in se manentem:*] quia non habet charitatem: & ideo nec Deum qui est vita æterna. vel [*non habet vitam æternam:*] id est non habet Christum qui est vita æterna. [*in se manentem:*] hoc di-

Deus vita æterna. Deus in nobis fidelibus manere quo modo dicatur,

citur ad differentiam vitæ naturæ quæ eſt vita tranſiens. Deus autem eſt vita manens in ſeipſo & in nobis per gratiam. Licet enim ſit in nobis per eſſentiam præſentiam & potentiam, non tamen dicitur manere niſi per gratiam. *Iohan. 14. Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Verſ. 16. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.

[*In hoc cognoſcimus:*] Hic monet diligere efficaciter tangens duplicem erga nos effectum.

Primo in impendendo ſeipſum.

Secundo impendendo ſua: ibi: *Qui habuerit ſubſtantiam.*

Contra ita firmiter debemus diligere fratres, vt non propter odium mundi deſiſtamus: & etiam firmiter, quod patet exemplo Domini: quoniam [*in hoc*] effectu ſcilicet cognouimus, tanquam in ſigno certiſſimo. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Iohan. 15.* [*charitatem Dei:*] ſcilicet Chriſti erga nos. [*quoniam ille pro nobis:*] indignis ſcilicet id eſt ſalute noſtra ſpirituali. [*animam ſuam:*] id eſt vitam ſuam corporalem. [*poſuit:*] id eſt morti expoſuit. *Iohan. 10. Animam meam pono pro ouibus meis.* [*& nos:*] exemplo eius. *1. Petr. 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius.* [*debemus:*] *Prælati* debito *præcepti,* quia bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. *Alii* debito *conſilii.* [*pro fratribus ſuis:*] ſaluandis. [*animas ponere:*] id eſt vitam corporalem. *2. Macchab. vlt. Præcepit autem Iudas qui per omnia corpore & anima mori pro ciuibus paratus erat.*

Obiectio.

Sed obiicitur contra hoc: Si nos debemus pro fratribus animas ponere, cum hoc ſit perfectionis, videtur quod omnes teneantur ad opera perfectionis.

Reſponſio.

Reſp. Quidam dicunt quod hoc tantum dictum eſt prælatis: Alii dicunt, quod ad hæc tenentur omnes in caſu: vt quando poteſt liberari à peccato per te & non aliter, ſi hoc dictet tibi conſcientia probabiliter, vel ſi probabiliter tibi ſit perſuaſum, exponere debes vitam tuam corporalem pro vita ſpirituali fratris. Plus enim ſecundum ordinem charitatis tenetur homo diligere animam fratris, quam corpus ſuum. Licet autem teneantur ad hoc omnes: tamen differenter. Prælati enim tenentur ex officio. *Iohan. 10. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Tenentur etiam in caſu, in quo non tenentur alii: vt quando imminet periculum, in quam fidei vel morum. vnde Dominus conqueritur de non opponentibus ſe. *Ezechiel. 13. Non aſcendiſtis ex aduerſo neque oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael.* Perfecti vero tenentur pro fratribus animas ponere ex commiſſo ſcilicet ex perfectione charitatis quam habent: quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.

Animam ſuam quilibet pro aliis ponere tenetur: ſed differenter.

Dubium.

De imperfectis vero poteſt eſſe dubium quomodo tenentur maxime ſecundum illam opinionem quæ dicit quod minima charitate non poſſumus reſiſtere quantæcunque tentationi.

Solutio.

Reſpond. Secundum illam opinionem non tenentur primo ſed ſecundario. tenentur enim facere quod in ſe eſt, orando, confitendo peccata vt poſſint dare animas pro fratribus. & ſi ſic faciunt, Deus facit quod in ſe eſt, id eſt gratiam augmentat, vt poſſint dare animas. & tunc primo & principaliter tenebuntur.

Secundum vero aliam opinionem, quæ dicit quod quantulacunque charitate poſſumus reſiſtere quantæcunque tentationi, vterque tenetur ex commiſſo ſed differenter. Nam

Perfectus qui habet perfectam charitatem, in qua non eſt timor pœnæ, tenetur eſſe promptus ad hoc & de facili hoc facere, quia perfecta charitas de facili reſiſtit quantæcunque tentationi.

Imperfectus vero etſi ad hoc tenetur, tamen non tenetur ita eſſe promptus. Nam quod facit perfecta charitas de facili, imperfecta de difficili facit.

Videtur autem ſecurius dicendum, quod ſoli habentes perfectam charitatem tenentur: & hoc videtur velle *Auguſtinus* dicens: Perfecta charitas eſt vt paratus ſis mori pro fratribus. Et *alibi*: Si quis tantam habuerit charitatem, vt paratus ſit pro fratribus mori, perfecta eſt in illo charitas. Hoc etiam inſinuat in litera quia ſuadet ponendam animam pro fratribus exemplo Chriſti.

Auguſtinus Perfecta charitas.

Verſ. 17. Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?

[*Qui habuerit:*] *Gloſſa Bedæ:* Si vel ex temporis oportunitate vel ex humana infirmitate non contigerit animas ponere, debemus ſaltem res noſtras pro fratribus ponere. & hoc eſt nutrimentum charitatis, qui didicit rem ſuam dare, quandoque poterit ſeipſum deponere.

Sed [*ſi quis habuerit:*] & per hoc intelligitur ſuperfluum, qui dicit non qui habet ſed [*qui habuerit.*] id eſt iam diu ea poſſederit, quibus autem tenetur ad erogationem ſuperflui. [*ſubſtantiam huius mundi:*] id eſt bona temporalia ad ſuſtentationem vitæ præſentis pertinentia. vnde ſubſtantia à ſuſtentando vel ſubſtando quia debent ſubſtare, & non dominari hominibus: vel à ſuſtentando quia debent diligi ad ſuſtentationem non ad ſuperfluitatem. Dicit autem [*mundi huius:*] quia in mundo altero non erunt hæc neceſſaria, eo quod *corpus erit ſpirituale, quod nunc eſt animale, 1. ad Corinth. 15.* [*& viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere:*] id eſt indigentiam in neceſſariis. Dicitur enim neceſſarium, eo quod neceſſitatem ceſſare facit. [*& clauſerit viſcera ſua ab eo:*] id eſt affectum interiorem non compatiendo non ſubueniendo. [*quomodo charitas Dei:*] quæ ſcilicet à Deo infunditur, & qua diligitur. [*manet in eo:*] quaſi nullo modo. Non enim poteſt diligi Deus ſine proximo, nec è contrario. *Charitas enim benigna eſt*, id eſt larga egenis, *1. ad Corinth. 13. Eſa. 58. Cum effuderis animam tuam eſurienti per compaſſionem, & animam afflictam repleueris bonis tuis, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies.* id eſt adnihilabuntur peccata tua quæ ſunt ſicut tenebræ.

Per ſubſtantiam huius mundi quid ſignificat Ioannes.

Dilectio temporalium.

Dei & proximi neuter ſine altero diligi poteſt.

Verſ. 18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.

[Filioli

[*Filioli &c.*] Hic mohet diligere veraciter multiplici ratione.

Prima est *imitatio Dei.*

Secunda *exanditio Dei: chariſſimi cor noſtrum &c.*

Tertia *maadatum Dei : & hoc eſt mandatum eius.*

Quarta *manſio Dei: & qui ſeruant mandata eius &c.*

Dicit ergo [*Filioli*] *Gl.* quia ergo non eſt perfecta charitas io eo qui noo ponit animam ſuam pro fratribus, vel ſaltem non dat ſubſtantiam, vt perfectam charitatẽ habeatis, [*O filioli mei*] quos ſci. ego per euangelium genui, vel [*filioli*] quia de nouo conuerſi, & ideo adhuc in fide tenelli, [*non diligamus verbo tantum*] verbo tantum diligit qui totum promittit & noo ſoluit. Multi eoim verbo oſtendunt amorem, ſed opere nihil. *Prou. 14. Vbi verba ſunt plurima ibi frequenter egeſtas.* [*neque lingua*] multiplici oratione. Aliqui enim ſimplici aſſertiooe, alii repetitis ſermooibus affectum ſuum volunt oſtendere. [*ſed opere*] id eſt exhibitione beneficii. [*& veritate*] puræ intentioois. *gl.* vt ſimplici intentione beneficia præſtemus. non propter iactantiam, oec propter aliquod temporale commodum.

Verbo tantum qui diligat.

Verſ. 19. In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra.

[*In hoc*] *Glo.* cum opera charitatis in veritate facimus: [*cognoſcimus*] cognitione probabilis cõiecturæ, non ſcientiæ. [*quoniam ex veritate ſumus*] per imitationem ſcil. *glo.* ex Deo qui veritas eſt, ſumus, cum eius perfectionem pro modo noſtro imitamur. [*& in conſpectu eius ſuademus corda noſtra eſſe*] ſcil. quia *Deus intuetur cor. 1. Reg. 16. Gloſ.* tales cogitationes habere corda noſtra ſuademus, quę diuinis ſint dignæ aſpectibus. *Pſal. 16 Ego autem in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo.* & dicit *ſuademus*, quia cor cogi non poteſt.

Seneca: Generoſus eſt animus hominis & facilius ducitur quam trahitur.

Cor hominis non cogitur.

Verſ. 20. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum: maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia.

[*Quoniam*] *Gloſ.* Et hoc magnum eſt quod per dilectionem ita mundas habemus cogitationes, quod Deo eas oſtendere volumus. [*quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum*] *Gloſ.* Si conſcientia noſtra nos intus accuſaret & vellet latere Deum, non poſſet : quia [*maior eſt Deus corde noſtro*] quaſi dicat melius ſciet Deus quam nos, & erit ei manifeſtius quam nobis. *Heb. 4. Omnia ſunt nuda & aperta oculis eius, ad quem nobis ſermo.* vnde ſubdit: [*& nouit omnia*] vel ſic vt notetur ſpes veniæ obtinendæ ſuper his, quorum eſt remorſus conſcientiæ. bene in conſpectu eius ſuademus, [*quoniam ſi*] id eſt quamuis *cor noſtrum*, id eſt conſcientia [*reprehendit nos*] de aliqua culpa ſcil. veniali, non propter hoc mercedem amittimus : [*quia maior eſt Deus &c.*] valens cor mundare ab huius remorſu, & remunerare.

Et nota quod dicit, *maior eſt Deus corde noſtro*, & nihil præter Deum maius eſt corde humano. & ideo, ſecundum *Auguſtinum*, animam Dei capacem nihil minus Deo replere poteſt.

Verſ. 21. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos: fiduciam habemus ad Deum.

[*Chariſſimi, ſi cor noſtrum*] id eſt conſcientia [*non reprehenderit nos*] de aliquo mortali. *gl.* Si certi ſumus quod putam fratrum dilectionem habemus. vel [*ſi reprehenderit nos*] *Glo.* in oratione, cum dicimus, dimitte nobis debita noſtra: [*fiduciam habemus ad Deum*] id eſt confidimus de Deo.

Verſ. 22. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.

[*Et quicquid petierimus*] digna ſcilicet petitione. *Iohann. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Gloſ.* ex radice charitatis. [*accipiemus ab eo*] vel illud quod petimus vel magis expediens. *Luc. 11. Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit.* [*quoniam mandata eius*] ſcilicet dilectionis Dei & proximi. *Matth. 22. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.* [*cuſtodimus*] *Gloſ.* animo [*& ea quæ ſunt placita*] *Gloſ.* opera charitatis. [*coram eo*] *Gloſ.* in abſcondito, vbi Deus videt ſecundum illud: *Matth. 6. Cum facis eleemoſynam noli tuba canere.* [*facimus*] in exteriori † parte, non coram hominibus, vt eis placeamus, ſed coram Deo vt ei placeamus. *Matth. 5. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.*

† Opere leg. Alter MS.

Verſ. 23. Et hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine filii eius Ieſu Chriſti: & diligamus alterutrum ſicut dedit mandatum nobis.

[*Et hoc eſt mandatum eius*] Hic oſtendit quæ ſunt mandata eius, ſcilicet fides & dilectio. [*& hoc eſt mandatum eius*] primum & præcipuum. [*vt credamus*] fide operante per dilectionem. [*in nomine*] confitendo & orando. [*filii eius*] quoad diuinitatem. [*Ieſu Chriſti*] quoad humanitatem. non quod aliud ſit nomen: quia *non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Actor. 4.* [*& diligamus alterutrum*] hoc eſt aliud mandatum: id eſt vnus alterum. [*ſicut dedit mandatum nobis*] *Iohann. 15. Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Gloſ.* mandatum ſingulari numero præponit, & duo ſubiungit, quia hæc nequeunt ſeparari.

Ieſus Chriſtus nomen in quo ſalui ſimus.

Contra: Fides poteſt eſſe informis, ergo poteſt ſeparari à charitate, ergo illa duo poſſunt ſeparari.

Obiectio.

Reſp. Credere in Deum eſt fidei formatæ non informis. tale autem credere nunquam ſeparatur à charitate. hoc autem mandatum dedit. *Iohan. 14. Creditis in Deum & in me credite.* vel poteſt dici quod loquitur *gloſſ.* de dilectione Dei & proximi, quæ ſunt plura præcepta materialiter ſiue in diuerſitate operum: vnum vero formaliter ſiue in radice charitatis,

Reſponſio.

Fidei obiectum Chriſtus eſt atque ipſe Deus.

Verſ. 24. Et qui ſeruat mandata eius: in illo manet, & ipſe in eo, & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.

[*Et qui ſeruat mandata eius*] id eſt quæ prædicta ſunt de fide & dilectione. [*in illo*] ſcilicet Deo [*manet*] *gloſ.* vt in refugio. [*& ipſe in eo*] *Gloſſ.* vt in mundo vaſe in præſenti & in futuro. *Infra 4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* [*& in hoc*] *Gloſſ.* Si dubitemus an in nobis maneat; [*in hoc*] tanquam ſigno manifeſto. [*ſcimus*] per fidẽ, non per omnimodam certitudinẽ. [*quoniam ipſe manet in nobis*] diligentibus. [*de ſpiritu*] ſci. ſancto,

id est per Spiritum sanctum. [*quem dedit nobis*] id est dona Spiritus sancti, quæ dabantur in primitiua ecclesia, visibilibus signis, quando *loquebantur linguis & faciebant miracula. vnde Spiritus sanctus descendit super Apostolos in signo visibili. Acto. 2. Descendebat etiam super credentes baptizatos: Actor. 10.*

Capvt IV.

VErs. 1. Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.

[*Charissimi nolite omni spiritui credere &c.*] Supra commendauit doctrinam suam capitulo. 1. Hortatus est ad eius obseruantiam, capitulo secundo & tertio. Hic dissuadet doctrinam contrariam, ostendens

primo quibus non est credendum, quia Christum negantibus.

Secundo quibus sit credendum, quia Christum confitentibus: capitulo vltimo.

In prima parte

Primo dissuadet hæreticorum fauorem:

Secundo suadet Catholicorum dilectionem: *charissimi diligamus inuicem.*

In prima parte

Primo monet hæreticis non acquiescere.

Secundo docet eos à Catholicis discernere: *in hoc cognoscetur spiritus Dei.*

Ponit autem quadruplex signum:

Primum est error fidei:

Secundum persecutio Christi: *& hic est Antichristus.*

Tertium est amor mundi: *Vos ex Deo estis.*

Quartum contemptus Apostolicæ doctrinæ: *Nos ex Deo sumus.*

Dicit ergo: [*charissimi*] quasi an Deus maneat in aliquo scitur per spiritum. Sed tamen [*nolite credere*] passim & indifferenter. quia *qui cito credit* *Credulus leuis est corde.* *leuis est corde. Eccl. 19.* [*Omnis spiritui*] *Gloss.* spiritualiter loquenti, vt eum eligatis ad imitandum. quia quædam dona cōmunia sunt bonis & malis. vnde vt dicit *Interlinearis*: hic est opus illa gratia Spiritus sancti quæ appellatur discretio spirituū: vel [*omni spiritui*] id est homini, à parte totum; quia spiritus per instrumentum corporis loquitur. [*sed probate*] id est experimento cognoscere tentare. *1. Thes. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete.* *Probanda sunt omnia: Retinenda quæ bona sunt.* [*Spiritus*] id est spiritualiter loquentes, vel spirituales se ostendentes. [*si ex Deo sunt*] *glos.* si secundum Deum sunt spirituales. sunt etiam quidam spiritus erroris. *1. Timoth. 4. Attendentes spiritibus erroris.* *Spiritus erroris.*

Spiritus qua ratione probari possint. Sed quomodo possunt probari eum requiratur ad hoc donum Spiritus sancti, sc. donum discretionis spirituum, quod non datur omnibus sed solum spiritualibus. *1. ad Cor. 12.* Aliis datur discretio spirituum. ergo solum illi possunt probare?

Respon. Possunt probari probatione exteriori per signum, scil. quod dat Dominus: *Matth. 7. à fructibus eorum cognoscetis eos.* & hoc possunt facere omnes, sed non probatione interiori. [*quoniam*] *Glos.* ideo præmunio vos, [*quoniam multi*] per varios errores diuisi. [*pseudo*] id est falsi. [*Prophetæ*] *gl.* qui sub obtentu fidei errores prædicant, & malis exemplis corrumpunt. [*exierunt in mundum*] id est qui prius latebant manifesti sunt. vnde dicuntur exire per manifestationem de occulto in manifestum, vel à Dei præscientia in qua latebant ad hominum cognitionem.

Vers. 2. In hoc cognoscitur Spiritus Dei. omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est:

[*In hoc cognoscitur*] hic ponitur primum signū, quod est error fidei. quasi quis quæreret, quomodo possumus probare? respondet, [*in hoc*] signo scilicet [*cognoscitur spiritus Dei*] id est esse secundum Deum, vel ex Deo: in hoc dico quod sequitur: omnis spiritus id est spiritualiter loquens. [*qui confitetur*] *gl.* corde, voce, & operatione, hæc est dictio, de qua dicitur. *1. ad Corinth. 12. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* [*Iesum Christum*] Dei filium. [*in carne venisse*] scil. de virginis vtero in mundum. venit enim in carnem in incarnatione: sed venit in carne in natiuitate. venit in carnem in virginis vtero: sed venit in carne in mundo. [*ex Deo est*] imitatione non propagatione.

Obiectio. Sed contra hoc obiicitur, quod multi confitentur verbo; sed factis negant, qui tamen non sunt ex Deo.

Responsio. Confiteri quid sit. Resp. Confiteri est simul fateri. vnde confitetur qui ex nulla parte diffitetur. Si ergo ore & opere fatearis, corde autem diffiteris, non confiteris. Ideo dicitur [*omnis spiritus*] id est spiritualiter loquens, qui confitetur corde, ore, & opere. *Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

Vers. 3. Et omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est.

[*Et omnis spiritus*] id est spiritualiter, vel de spiritualibus loquens. [*qui soluit*] id est diuidit. [*Iesum*] vel separans Deitatem ab eo, vt *Arrius*: vel animam, vt *Apollonius*, qui ponit diuinitatem pro anima; vel carnem vt *Manichæus*, qui ponit quod Christus assumpsit carnem phantasticam & non veram: vel personæ vnitatem vt *Nestorius*; vel fideles qui sunt eius membra à capite, scil. Christo, vt schismaticus, qui soluit tunicam Christi inconsutilem: de qua *Iohan. 19.* [*ex Deo non est*] in quantum huiusmodi; immo ex diabolo. *supra 3. Qui facit peccatum ex diabolo est. Ioh. 8. vos ex patre diabolo estis.* [*& hic*] qui sc. Iesum soluit [*est Antichristus*] id est contrarius Christo. Antichristus est nō in persona, sed in figura, sicut Ioannes Elias. *Antichristi nota.* *Matth. 12. gl. Antichristus*, id est præambulus Antichristus. [*de quo audistis*] per Euangelium & per prædicationem Apostolorum. [*quoniam venit*] id est venturus est imminente die iudicii. vnde * li *venit* non dicit præsens vt nunc, sed præsens confusum. vel venit in diuina præuisione, qui tandē veniet in re. vel *venit* in mēbris suis. [*& nunc iam*] in tempore præsenti. [*in mundo est*] sc. in membris suis. *gl.* habitans in mentibus eorum, qui Christo verbo & opere repugnant. Dicit autem [*nunc iam*] vt per hoc significetur aduentus instantia: quasi dicat nunc quasi instat. *2. Thess. 2. Iam nunc mysteriū operatur iniquitatis.* **verbum. Præsens duplex.*

Vers. 4. Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum: quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo.

Vos

[*Vos ex Deo estis*] Hic ponitur tertium signum, quod est amor mundi: vnde dicit: [*vos*] ita. illi non sunt ex Deo, sed [*vos filioli ex Deo estis*] tanquam filii à patre, generatione spirituali, non carnali imitatione, non propagatione. [*& vicistis eũ*] scil. Antichristum in membris suis, scil. hæreticis. vel [*eum*] id est mundum, id est mundi amatores. quales præcipue erant hæretici. [*quoniam maior est*] *glo.* non vicistis eum virtute liberi arbitrii, sed quia maior est Deus ad protegendum quam diabolus ad impugnandum. maior est fortitudine & potentia. *Iob. 20. Si fortitudo quæritur robustissimus est. Roman. 9. Voluntati eius quis resistit.* Item sapientia. *Psalm. 146. Sapientiæ eius non est numerus.* Item: *In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Coloss. 2.* Item bonitate, quia *Matth. 10. Nemo bonus nisi solus Deus.* [*qui in vobis est*] id est intra vos, scilicet Deus: quia solus humano cordi illabitur, vt ait *Isidorus.* [*quam qui in mundo est*] id est in mundi amatoribus, scilicet diabolus, qui est princeps huius mundi. *Iohann. 12.*

Filii Dei quomodo facti sumus.

Vers. 5. Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus.

[*Ipsi*] quasi in hoc cognosci possunt quia [*ipsi*] scilicet hæretici vel Antichristi scilicet [*de mundo sunt*] id est de numero eorũ, qui terrena sapiunt, qui cælestia ignorant, vt dicit *Glossa.* vnde mundus est eorum patria & hæreditas, sed sanctorum cælum. & ideo [*de mundo*] id est de mundanis [*loquuntur*] id est docent errores persuadendo rationibus mundanis. *gl.* ratione mundanæ sapientiæ probant non posse Deum hominem fieri, mortuum suscitari, hominem mortalem in cælis habere mansionem & alia huiusmodi. *Iohan. 3. Qui de terra est de terra loquitur. Matt. 26. Galilæus es nam & loquela tua manifestum te facit.* [*& mundus*] homines scilicet mundani & carnales. [*eos audit*] id est doctrinæ eorum obediunt & sequuntur illos. *2. Pet. 2. Multi sequuntur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur: Glossa.* quia spiritualium corda non possunt auertere.

Cælum sanctorum patria.

[*Nos ex Deo sumus*] Hic est quartum signum, scilicet contemptus Apostolicæ doctrinæ. ita illi sunt de mundo, sed qui habemus charitatem [*ex Deo sumus*] quasi Dei filii, & Dei nuncii.

Vers. 6. Qui nouit Deum, audit nos. qui non est ex Deo: non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.

[*Qui nouit Deum*] notitia fidei & approbationis. Non sic illi de quibus *Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* [*audit nos*] aure obedientiæ, obediendo veritati fidei. *Psalm. 17. In auditu auris obediuit mihi.* [*qui non est ex Deo*] per imitationem & gratiam, sed ex diabolo per culpam. [*non audit nos*] id est nostram prædicationem. *Iohan. 8. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* [*In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris*] *Qui:* vt sit *Glos.* qui audit nos habet spiritum veritatis, qui non audit habet spiritum erroris.

Vers. 7. Charissimi, diligamus nos inuicem: quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.

[*Charissimi, diligamus inuicem*] Hic suadet Catholicorum dilectionem, vbi

Primo hortatur ad charitatem.

Secundo ad charitatis perfectionem: *Deum nemo vidit vnquam.*

Tertio ad perfectionis manifestationem: *in hoc posita est charitas.*

Monet autem ad charitatem inuitans

Primo ex dilectionis præconio:

Secundo ex dilectionis exemplo: *In hoc apparuit charitas:*

Tertio ex dilectionis debito: *Charissimi si sic Deus dilexit nos.*

Ponit autem duplex præconium:

Primo quia charitas ex Deo est.

Secundo quia charitas Deus est: *qui non diligit.*

In secunda parte tangit diuinæ dilectionis ad nos duplex exemplum:

Primo ex opere:

Secundo ex modo operandi: *In hoc est charitas Dei.*

Dicit ergo: [*charissimi*] quasi quia ex Deo sumus, [*O charissimi*] inde, ipe, charitate mihi iuncti: [*diligamus inuicem*] scilicet vnus alterum.

Glo. scilicet verbo, opere. *Roman. 12. Charitatem fraternitatis habentes inuicem diligentes.* & hoc debemus, [*quia charitas ex Deo est*] vt proprium & speciale donum eius, in quo dantur omnia dona, tam charitas increata, id est Spiritus sanctus, quam creata, id est virtus.

Nota autem quod charitas creata est

Charitas increata & creata.

A Deo infundente. *Iacob. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum.* Item

A Deo præcipiente. In *Ioh. 14. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem &c.* Item

Per exemplum inducente: *Infra eodem: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum.*

[*Et omnis qui diligit*] ex charitate: [*ex Deo natus est*] per adoptionem gratiæ. quia secundum *Augustinum*, ipsa est proprium donum filiorum, ipsa est quæ diuidit inter filios regni & filios perditionis [*& cognoscit Deum*] notitia familiaritatis, vel experimentalis cognitionis, quia *vnctio docet eos; supra 2.*

Nati ex Deo quomodo simus. Augustinus

Sed è contrario

V. 8. Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas est.

[*Qui non diligit Deum*] & proximum ex charitate, [*non nouit Deum*] notitia experimentali: quia bonum huiusmodi cognitione cognosci non potest nisi diligatur. quia *in maleuolam animam non intrabit sapientia Dei*, id est experimentalis cognitio Dei. Dicitur enim *sapientia* quasi sapida scientia. [*non nouit*] ergo sapientia experimentali quantumcunq; cognoscat notitia simplici [*quoniam Deus charitas est*] increata, ad cuius notitiam non peruenitur nisi per charitatem creatam, vt tangit *Glo.* quia simile suo simili cognoscitur. Et vere Deus charitas est.

Sapientia etymon.

Ad notitiã Dei quomodo peruenitur.

Vers. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit, Deus in mundum, vt viuamus per eum.

[*In hoc*] enim velut certissimo signo [*apparuit charitas Dei in nobis*] id est ostẽsa est erga nos. [*quoniam filium*] non seruum:

Grego-

Christus quomodo Filius Dei.

Gregorius. O ineffabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti: [*suum*] sibi consubstantialem, proprium, naturalem, non adoptiuum. [*vnigenitum*] non ex multis vnum. [*misit Deus*] Pater scil. qui tantus est ad tantillos. [*in mundum*] immo pro mundo saluando. *Iohan.* 3. *Non enim misit Deus filium in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* [*vt viuamus*] *gl.* prius mortui. [*per eum*] *gloss.* resuscitati. *Ephes.* 2. *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.*

Charitas Dei ad nos.

Et nota quod tangit tria quare donum debet esse gratum & acceptum: quartum autem dat intelligere.

Vna ratio est *ex parte dantis*, quando ille qui dat, dat ex magna charitate: vnde aliquando non tantum curatur de eo quod datur quantum de affectu dantis. Et certe istud donum datum est nobis ex maxima charitate patris. Hæc ratio notatur cũ dicitur: *In hoc apparuit charitas Dei &c.*

Secunda ratio est *ex parte ipsius dati siue missi.* quando quod datur est magnum & pretiosum, debet esse multum gratum & acceptum & placitum. & certe istud fuit maximum, quod notatur cum dicitur: *Filium suum vnigenitum.*

Tertia ratio est *ex parte recipientis*, quando ille cui datur illud donum multum indiget eo. Et certe multum indigebamus tali dono, quod scil. nos resuscitaret, quia mortui eramus: quod notatur cum dicitur: *vt viuamus per eum.*

Quarta ratio *ex parte deferentis.* Aliquãdo enim propter gratiam personæ deferentis, vt pulchræ puellæ, placet donum. Ita & propter pulchritudinem & gratiam virginis deferentis, debet istud donum nobis esse acceptum: quod intelligitur cum dicitur: *misit Deus filium suum.* Constat autem quod misit per virginem. *Galat.* 4. *Misit Deus filium suum factum de muliere &c.*

Vers. 10. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

[*In hoc*] id est in hac missione, [*est charitas*] *glo.* manifestata. tunc enim dicitur res fieri, vt ait *Augustinus*, quando innotescit. [*Non quasi nos dilexerimus Deum*] ante filii missionem, & sic eum mitti meruimus. *Rom.* 5. *Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius.* [*sed quoniam ipse*] Deus scil. [*prior dilexit nos*] prædestinando, vocando iustificando. Et in hoc ostenditur gratuita eius dilectio. & quod non est mercenaria, quia amare amantem naturæ est: amare non amantem gratiæ. [*& misit filium suum*] *glos.* in experimentum dilectionis [*propitiationem*] id est hostiam, per quam Deus Pater nobis redderetur propitius. [*pro peccatis nostris tollendis*] *Gloss.* destruendis.

Deus nos prior dilexit quam nos ipsum, & quomodo. Dilectio naturalis & gratia.

Alia litera habet, [*litatorem*] id est sacrificatorem. *Rom.* 3. *quem proposuit Deus propitiatorem per fidẽ in sanguine ipsius.* vnde significatur per propitiatorium de auro mundissimo quod erat super arcam fœderis Domini: id est super vniuersalem ecclesiã, ex quo propitiabatur Dominus. *Exo.* 25.

Vers. 11. Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.

[*Charissimi, si sic Deus &c.*] Hic inuitat nos ad dilectionem ex dilectionis debito [*si sic Deus dilexit nos*] vt patet ex præmissis, tantus tantillos, creator creaturam, iustus iniustos. *Iob.* 7. *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Et nos qui sumus fratres & pares & natura conformes debemus inuicẽ diligere exemplo eius. *Ioh.* 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Et *Ephes.* 5. *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi & ambulate in dilectione.*

Imitatores Dei in quo esse debeamus.

Gloss. Sicut Deus non expectauit vt eum diligeremus, sic nos non expectemus vt alii nos diligant, sed priores diligamus. Nota alibi multiplicem rationem quare inuicem nos diligere debemus.

Vers. 12. Deum nemo vidit vnquam: si diligamus inuicem: Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.

Charitas duobus perficitur.

[*Deum nemo vidit vnquam*] Hic hortatur ad charitatis perfectionem, quam faciunt duo:

Primo mansio Dei in affectu per mutuam dilectionem.

Secundo mansio Dei in intellectu per Christi fidem & dilectionem & confessionem: *quisquis confessus fuerit:*

In prima parte

Primo Dei mansio ostenditur.

Secundo per quid mansio cognoscitur: *In hoc cognoscimus:*

Tertio per quid probatur: *& nos vidimus &c.*

Dicit ergo: [*Deum nemo &c.*] quasi debemus nos inuicem diligere & etiam Deum, quia si diligimus, licet non eum videamus, tamen habebimus Deum in essentia propria non in creatura assumpta. Sic enim vidit Iacob. *Gen.* 32. *Vidi Dominum facie ad faciem & salua facta est anima mea.* Et *Esa.* 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* [*nemo*] nullus homo vtens sensu corporeo. *Exod.* 33. *Non videbit me homo & viuet.* vidit tamen *Paulus extra sensus corporis raptus.* 2. *ad Cor.* 12. [*vidit unquam*] visione corporali, vel visione aperta intellectuali, licet aliquatenus hic videatur per fidem, in futuro per speciem. 1. *ad Corint.* 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem.* [*Si diligamus inuicem*] quasi licet videri non possit in præsenti, tamen [*si diligamus inuicem*] ex charitate: *glo.* sincera charitate non remissa & desidiosa mansuetudine. [*Deus in nobis manet*] per gratiam inhabitantem. manet enim sicut in templo suo. 1. *ad Corin.* 3. *Templum Dei sanctum est quod vos estis.*

Deum quomodo nemo viderit.

Deus quomodo hic videatur.

Glo. Manet inspiciendo bona, aspectu approbationis, non solum notitiæ simplicis. [*Et charitas eius*] qua scil. eum diligimus. [*in nobis perfecta est*] iam perfectione sufficientiæ, & tendit ad perfectionem excellentiæ. Tunc enim est charitas Dei in nobis perfecta, quando eum diligimus non solum in se, sed etiam in sua imagine. *glo.* Incipe diligere, cœpit Deus in te esse: cresce in dilectione, amplius habitando in te, faciet te perfectum, vt eum diligas, & inimicum sicut & ipse inimicos dilexit.

Charitas Dei quando fit in nobis perfecta.

Vers. 13. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis.

[*In hoc cognoscimus*] *Gloss.* quod Deus in nobis manet tali experimento probamus. [*in hoc*] scil. si dilectionem habemus. [*cognoscimus*] cognitione coniecturæ probabilis, non omnimodæ certitudinis: secundum illud. *Iob.* 9. *Si venerit ad me non videbo eum.* [*quoniam in eo manemus*] per charitatem,

tem, qua Deum diligimus, & ipse in nobis per charitatem qua nos dilexit: *Infra eodem: Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* [*quoniam de spiritu sancto*] ab ipso scil. procedente. [*dedit nobis*] vel donatione visibili, vt fiebat in primitiua ecclesia. *Actor. 2.* vel inuisibili per gratiam. *Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum &c.*

Spiritus S. in primitiua Ecclesia visibiliter d. nabatur.

Et nota quod non dicit spiritum, sed de spiritu, quia Christo datus est spiritus totaliter *Ioh. 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium & omnia dedit in manu eius.* Nobis vero particulariter non secundum se, qui est impartibilis, sed secundum dona sua. *1. ad Corint. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Ipse autem spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Rom. 8.* Et sic per ipsum cognoscimus, quod Deus manet in nobis, & nos in ipso.

Augustinus Item *Augustinus* vicissim in se habitat qui continet & qui continetur, habitas in Deo, sed vt contineatis habitat in te: sed vt contineat ne cadas. quomodo cadet quem Deus continet? *Psal. 117. Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.*

Vers. 14. Et nos vidimus & testificamur quoniam Pater misit Filium suum Saluatorem mundi.

[*Et nos vidimus*] *Gl.* per hoc probamus quod de spiritu suo dedit nobis: [*quia vidimus*] *gl.* per confortatorem spiritum nouimus. [*testificamur*] hoc autem vt dicit *Gloss.* non faciunt hi, qui spiritum non acceperunt. hoc scil. [*vidimus & testificamur quoniam pater misit filium suum*] *Gl.* ad cognitionem hominum, scilicet in carnem visibilem. [*saluatorem mundi*] per passionem. tandem mittet eum vt iudicem. *gloss.* modo saluatorem, quandoq; iudicem. *Ioh. 3. Non enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum sed vt saluetur mundus per ipsum.*

Beda. *Beda.* Tantum meminerit quisque, quod idem filius Dei qui venit vt mitis saluaret, venturus est vt districtus iudicet.

Vers. 15 Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei: Deus in eo manet, & ipse in Deo.

[*Quisquis confessus fuerit*] *Glos.* non solum in nobis Deus manet, sed in omnibus qui confitentur eum. [*quisquis confessus fuerit*] Hic agit de missione in intellectu: vbi

Primo ostendit Deum manere in corde credentium.

Secundo ostendit illos esse de numero illorum: *& cognouimus:*

Tertio innuit in eis Deum manere: *Deus charitas est.*

Confessio Christianorum perfecta esse debet. [*Quisquis confessus fuerit*] confessione perfecta cordis, oris, operis, non diminuta solius vocis. *Tit. 1. Confitentur se nosse Deum factis autem negant.* [*quoniam Iesus est filius Dei*] identitate personæ, sci. quod eadem est persona in vtraq; natura, & idem est filius Dei & filius hominis: [*Deus in eo manet*] vt in templo suo. *1. ad Corinth. 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* [*& ipse in Deo*] vt in refugio. *Psal. 89. Domine refugium factus es nobis.*

Vers. 16. Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

[*Et nos cognouimus*] hoc scil. quod Iesus est filius Dei. [*& credidimus charitati*] id est effectui charitatis, scil. missioni filii in mundum, quæ fuit ex maxima charitate. *Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.* [*quam*] charitatem. [*Deus pater habet in nobis*] id est ad nos, filium suum nobis donando. *Roman. 8. Qui proprio filio suo nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* [*Deus charitas est*] quasi & patet quod ipse habet charitatem ad nos, quia etiam ipse [*Deus charitas est*] Idem, vt ait *Glossa*, supra dixerat, vt amplius commendet, & vt alium effectum charitatis adiungat. Supra dixerat, per charitatem factum esse primum aduentum filii in mundum ad salutem mundi: hic per eandem charitatem annuntiat salutem fidelium, in secundo aduentu in die iudicii. [*Deus*] inquit [*charitas est*] Hoc Autonomastice dicitur propter magnitudinem charitatis. *Ephes. 2. Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos Christo.* secundum *Augustinum* autem dicitur hoc per essentiam non per causam. Per hoc enim quod dicit Ioannes simpliciter, [*Deus charitas est*] non ait mea, vult Augustinus quod charitas essentialiter sit Deus. & quod ait charitas est Deus ex Deo, per hoc autem quod addit, quod charitas nos in Deo manere facit, & supra dixerat quod per spiritum quem dedit, cognoscimus quod in ipso manemus, vult quod charitas, quæ est Deus ex Deo faciens nos manere in Deo, est Spiritus sanctus, Hinc opinatus est *Magister Petrus Lombardus*, quod charitas qua nos Deus diligit, & nos Deum diligimus non est aliud quam Spiritus sanctus.

Deus Antonomastice charitas dicitur.

Lombardus

Sed sciendum est quod charitas qua Deum diligimus duplex est: vel qua elicitiue & formaliter, hoc est habitus creatus; vel quæ effectiue & exemplariter, hoc est Spiritus sanctus. [*& qui manet*] perseueranter. [*in charitate, in Deo manet*] vt ab ipso contineatur secundum *Glossam.* [*& Deus in eo*] vt ipsum contineat secundum *Glossam.* vicissim enim in se manent, qui continet & qui continetur.

Charitas qua Deum diligimus duplex.

Bernardus. Deus charitas est, quid ergo charitate melius? & qui manet in charitate in Deo manet, quid ergo charitate securius? & Deus in eo, quid ergo charitate iucundius? Ex hoc autem quod dicit, qui manet in charitate in Deo manet, videtur confirmari opinio *Magistri Petri*, sed intelligendum est de charitate infusa. qui enim manet in ea manet in Deo. Est enim talis naturæ, quod non potest esse nisi ad præsentiam suæ causæ scilicet Dei eam influentis, sicut lumen in aere non potest esse nisi ad præsentiam influentiæ solis. Item per charitatem eius infusam sumus membra eius, & ideo sumus in illo tanquam membra in corpore. *1. ad Corinth. 12. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.*

Bernardus.

Vers. 17. In hoc perfecta est charitas nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicii: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.

[*In hoc perfecta est charitas*] Hic hortatur ad perfectionis manifestationem:

Primo

Primo ex parte diligentis:

Secundo ex parte diligendorum: *nos ergo diligamus.*

Ex parte diligentis dupliciter:

Primo per spei securitatem.

Secundo per timoris pænalis exclusionem: *timor non est in charitate:*

Ex parte diligendorum per dilectionem Dei & proximi, non alterius taorum: vbi

Primo ostendit quod diligendus est Deus:

Secundo quod non potest diligi Deus nisi diligatur proximus: *si quis dixerit.*

Tertiu quod de vtroque diligendo mandatum habemus: *& hoc mandatum.*

Dicit ergo: [*In hoc*] Quasi an aliquis perfectus sit in charitate per hoc signum probare potest secundum *Glossam.* [*In hoc perfecta est*] id est perfecta esse ostenditur. tunc enim dicitur res fieri quando innotescit, secundum *Augustinum.* & loquitur de perfectione non solum sufficientiæ sed excellentiæ. [*charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicii*] non timorem. *gl.* non timentes apparere in die iudicii. & alia *Glossa*: Per hoc ostendimur perfecte diligere Deum, si non timeamus aduentum iudicis: qui timet non est perfectus in charitate. Talis erat qui dicebat *quando veniam & apparebo ante faciem Domini.* Et *Phil.* 1. *Cupio dissolui & esse cum Christo. Augustinus*: non est perfecta charitas, nisi cum cœperit dies Domini desiderari.

Res tunc dicitur fieri quando innotescit.

Psal. 41.

Obiectio.

Contra *Amos.* 5. *Væ desiderantibus diem Domini.*

Solutio. *Augustinus*

Resp. Est desiderare ex præsumptione, & istud desiderium est detestabile: & est desiderare ex charitate, vt faciunt qui desiderant amplexus sponsi indissolubiles: & hoc est commendabile. *Psalm.* 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Quod habeamus inquam ex hoc, quia sicut ille est charitate plenus, sanctus & iustus, [*ita & nos sumus*] vt dicit *Glossa.* † li *sicut* non ad æqualitatem sed ad quandam similitudinem dicitur. [*In hoc mundo*] quod difficile est. *Gl.* Per hoc habemus fiduciam, quia imitamur perfectionem dilectionis eius in mundo, amando amicos & inimicos sicut ille pluit super iustos & iniustos in cælo: id est de cælo.

† Verbum Sicut similitudinis, non æqualitatis.

Vers. 18. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. qui autem timet non est perfectus.

[*Timor*] quasi vere in hoc perfecta est charitas. [*timor enim non est in charitate*]

Timor quadruplex.

Notandum quod quadruplex est timor:

Vnus est *seruilis*, qui est solius gehennæ:

Alius *initialis*, qui est timor gehennæ & offensæ diuinæ:

Alius est *filialis* qui est timor solius offensæ:

Quartus est *reuerentiæ*, qui est timor solius reuerentiæ maiestatis diuinę, quo ex consideratione maiestatis diuinæ resilit in suam propriam paruitatem.

Primus non est cum charitate, sed præparat ei locum, & eam exeundo introducit, sicut seta filum vt ait *Augustinus.*

Secundus non est in perfecta charitate de qua loquitur hic, secundum *Glossam.*

Tertius manet in magis perfecta charitate viæ, sed non patriæ.

Quartus manet cum charitate perfecta patriæ, de quo *Psal.* 18. *Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi &c.*

Sed perfecta charitas perfectione excellentiæ non solum sufficientiæ, [*foras mittit timorem*] gehennæ scilicet initialem. Aliud enim est timere Deum, ne te in gehennam mittat: aliud ne te deserat, vt ait Augustinus. [*quoniam timor*] huius gehennæ. [*pœnam habet*] scil. tormentum conscientiæ. *gl.* turquet cor conscientia peccatorum, cum nondum facta est iustificatio, sc. perfecta & integra. [*qui autem timet*] supplicium gehennæ. vel [*qui timet*] timore dubitante secundum *Augustinum*: vel qui timet aliquam pœnam vel periculum temporale, vel separari à Deo. [*non est perfectus in charitate*] perfectione superabundantiæ, licet sit perfectus perfectione sufficientiæ. Perfectus erat ille qui dicebat. *Rom.* 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames? &c.*

Augustin.

Paulus Apostolus in charitate perfectus.

Sed contra hoc obiicitur de Christo qui timuit: *Matth.* 26. *Cœpit Iesus pauere & timere.* viri etiam sancti timent iudicium *Iob.* 21. *Quando recordatus fuero, pertimesco.* Item *Hieronymus*: prudenter timetur quicquid accidere potest.

Quæstio. Timor Christi: Et sanctorũ Hieronym.

Respondeo: loquitur de timore initiali, non naturali: Christus vero timuit timore naturali.

Responsio.

Quod obiicitur de sanctis: Respondeo: timor est offensæ non gehennæ.

Vers. 19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

[*Nos ergo*] quasi vt perfecti simus nos, qui in Deum credimus. [*diligamus Deum*] dilectione perfecta non imperfecta, quæ est cum timore. & debemus, [*quoniam ipse prior dilexit nos*] quam nos ipsum, cum scil. adhuc inimici eramus. *Roman.* 5. *Augustinus.* Ipse prior dilexit nos, & dedit nobis diligere. dilexit impios, vt faceret pios: dilexit iniustos vt faceret iustos: dilexit ægros vt faceret sanos. Idem etiam *Augustinus* dicit: Anima fœda per iniquitatem amando Deum pulchra efficitur: pulchri erimus amando eum, qui semper est pulcher: quantum in te crescit amor, tantum in te crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.

Augustinus. Pulchri quomodo fi. fideles.

Vers. 20. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum: & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt: Deum quem non videt, quomodo potest diligere?

[*Si quis dixerit*] quasi an diligamus Deum, sic cognosci potest. [*Si quis dixerit quoniam diligo Deũ*] quilibet enim interrogatus, vt ait *Gregorius*, prompta mente respondet: diligo. [*& fratrem suum odit*] qui est Dei imago. [*mendax est*] & verbo, quia dicit se diligere. vnde quod dicit verbo dissonat corde. si enim diligit Deum, habet conformem voluntatem cum Deo. sed voluntas Dei est vt diligas proximum: cum ergo non diligat proximum, mendax est verbo dicendo, se diligere Deum. Item mendax est facto, quia odit. vnde implicatur contradictio, & ideo talis mendax est. *& vere mendax est*: [*qui enim non diligit fratrem suum quem videt*] vnde plenius & facilius cognoscit eum. [*Deum quem non videt*] & ideo minus cognoscit [*quomodo potest diligere?*] Inuisa quippe, vt ait *Augustinus*, possumus diligere, incognita nequaquam. Ratio ergo talis est: Plus diligitur bonum visum quam non visum: si ergo frater visus

Gregorius.

non

non diligitur, quomodo Deus non visus diligitur? *Glossa*, frater tuus imago Dei est: si non diligis imaginem, nec eum diligis, cuius est imago. & hoc ne quis audeat dicere: possumus Deum etiamsi non diligamus fratrem: addit.

Vers. 21. Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

[*Et hoc mandatum habemus à Deo*] de vtroque enim mundatum est. vnde *Matth. 23. Hoc est maximum & primum mandatum: secundum est simile huic.* [*vt qui diligit Deum*] propter se. [*diligat & fratrem suum*] propter Deum. Duo enim sunt mandata charitatis, sci. Dei & proximi, nec potest vnus diligi sine altero. *Augustinus*. Quis est qui dicat diligo imperatorem, sed odio leges suas? Imperatoris nostri lex est: *Mandatum nouum do vobis. Ioh. 15.*

Charitatis mandata duo sunt.

Caput V.

VErs. 1. Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit: diligit & eum qui natus est ex eo.

[*Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est. &c.*] Hic ostendit quibus credendû quia Christum confitentibus, allegans

Primo fidei efficaciam & veritatem.

Secundo veritatis attestationem: *& spiritus est qui testificatur.*

Tertio credentium vtilitatem: *hæc scribo vobis.*

Huius autem fidei efficaciam & virtutem ostendit

Primo respectu Dei.

Secundo respectu mundi: *quoniam omne quod natum est.*

Respectu Dei tripliciter:

Primo quia facit natum Dei.

Secundo quia facit diligere natos Dei: *& omnis qui diligit eum.*

Tertio quia facit seruare mandata Dei: *Hæc est enim charitas Dei.*

Dicit ergo: [*Omnis qui credit &c.*] vere qui diligit Deum diligit & fratrem suum. Nam qui diligit genitorem, diligit & genitum. [*Omnis*] secundum triplicem statum fidei, scil. incipientis, proficientis & perfectæ, [*qui credit*] fide formata, non informi. *gl.* Credit qui sic viuit quomodo Christus præcepit. aliter *etiam dæmones credunt. Iacob. 2.* [*quoniam Iesus est Christus*] *Glo.* Messias scil. in lege promissus. [*ex Deo natus est*] natiuitate spirituali per fidem, non carnali per carnem. *Iohan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* Et talis diligendus, quia & [*omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo*] Hoc exponitur dupliciter: vel de generatione æterna, vel temporali.

De æterna sic: [*qui diligit eum*] scil. patrem, [*qui genuit filium*] æternaliter [*diligit eum qui natus est ex eo*] id est filium æternaliter à patre genitum. sed qui diligit filium, diligit membra eius: ergo qui diligit Deum patrem & filium naturalem, diligit & membra filii, scil. filios adoptiuos. ergo fides quia facit membra Dei siue filios, facit diligendos.

De temporali sic [*Omnis qui diligit eum qui genuit per fidem*] sc. de qua generatione dicitur: *Iac. 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis:* [*diligit eum qui natus est ex eo*] scil. in fide, & sic iterum nasci ex fide facit diligendum. Isto duplici modo legit *glossa Augustini.*

Vers. 2. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei: cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus.

[*In hoc cognoscimus*] quasi quis autem vere diligit, in hoc effectu vel signo [*cognoscimus*] id est cognoscere possumus: [*quoniam diligimus natos Dei*] scil. fratres nostros, qui sunt nati ex Deo per fidem. [*cum Deum*] cum patrem eorum. [*diligamus*] affectu. *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum.* [*& mandata eius faciamus*] in effectu. *Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.*

Vers. 3. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.

[*Hæc est enim*] *Glo.* Ideo hæc coniungo, vt diligamus & mandata eius faciamus, quia aliter non est dilectio. Probatio enim dilectionis est exhibitio operis. [*hæc est*] id est esse ostenditur. [*charitas Dei*] id est qua Deus diligitur. *Ioh. 15. Si diligitis me mandata mea seruate. Gl.* Non diligit regem, qui eius negligit legem. ex amore regis, eius lex debet impleri. vel sic: [*hæc est charitas Dei*] id est talis est charitas Dei, id est talis efficaciæ in nobis. [*vt mandata eius custodiamus*] id est qui facit nos custodire Dei præcepta. [*& mandata eius grauia nõ sunt*] id est difficilia: & ideo vt dicit *Glos.* libenter custodienda sunt: *Matth. 11. Iugum enim meum suaue est & onus meum leue. Glo.* Quæ natura sui dura sunt & aspera, amor Dei & spes præmii facit leuia. Si quis grauia ea esse dicat, infirmitatem suam accusat, quia forti sunt leuia. ideo appellat ea minima. *Matth. 5. Si quis soluerit vnum de præceptis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* vel [*grauia non sunt*] id est ponderosa & deprimentia. *glo.* non trahunt deorsum, vt talentum plumbi, quod sumitur de *Zach. 5. sed sursum prouehit & excelsos facit custodia mandatorum.*

Mandata Dei difficilia non sunt

Vers. 4. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundũ: fides nostra.

[*Quoniam omne*] Hic ostendit efficaciam huius fidei & virtutem respectu mundi, ostendens

Primo quod per fidem mundus vincitur.

Secundo, per quam fidem vincitur, quia diuinitatis Christi. *quis est autem qui vincit*, & humanitatis. *hic est qui venit per aquam.*

Dicit ergo: [*quoniam omne*] Et vere non sunt grauia. [*quoniam omne*] id est omnis vir vel mulier neutrum tamen ponit: quia in generatione spirituali, distinctio sexus nihil facit. *Gal. 3. In Christo Iesu non est masculus neque fœmina.* [*quod natum est ex Deo*] natiuitate spirituali per fidem & charitatem.

Glo. Nascitur ex Deo qui diligit Deum & proximum. [*vincit mundum*] *gloss.* contemnit blandimenta vel aduersitates seculi. id est mundi prospera & aduersa, etiam ipsam mortem corporis & quæ sursum sunt quærit. *Iohan. 15. Confidite* (ait filius) *quia ego vici mundum.* [*Et hæc est*] *glo.* Ne quis sua virtute confidat se posse vincere mundum, subdit: [*& hæc est*] *gl.* Demonstratione quasi digito ostendit fidem tanquam consistentem & permanentem: secundum illud. *Heb. 11. Est autem fides substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium:* [*victoria quæ vincit mundum*] causaliter, virtus efficiens victoriam mundi. [*fides nostra.*] *Heb. 12. Sancti per fidem vicerunt regna &c. Glo.*

Illa fides quæ per dilectionem operatur. *Gal.* 5. Non fides hæreticorum, aut peccatorum.

Obiectio. Sed obiicitur de hoc quod dicit: *Omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum*: quia iſte imperfectus natus eſt ex Deo, non tamen vincit mundum: quia vincere mundum eſt abrenontiare mundo, quod perfectorum eſt.

Reſponſio. Vincere mundum dupliciter dicitur. Reſpon. Vincere mundum dupliciter dicitur, vel ſubiiciendo, vel abſtinendo ſiue abiiciendo. Primo modo vincunt imperfecti: ſecundo modo perfecti.

Verſ. 5. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt Filius Dei?

[*Quis eſt autem?*] *Gloſſa.* determinat quæ fides vincit mundum: quia fides Chriſti [*quis eſt autem qui vincit mundum*] mundi proſpera & aduerſa contemnendo. [*niſi qui credit*] fide formata. [*quoniam Ieſus eſt filius Dei*] ſcilicet naturalis, coæternus, conſubſtantialis patri. quaſi quis eſt qui vincit mundum niſi is, qui habet fidem de diuinitate Chriſti. Mundus enim quaſi duplici manu pugnat contra nos: ſcilicet dextra proſperitatis, †*quia proſpera* nos alliciendo, *& ſiniſtra* aduerſitatis nos per aduerſa terrendo. Et certe qui bene crederet Chriſtum eſſe filium Dei, de facili vinceret mundi proſpera & aduerſa. Si enim Chriſtus eſt filius, ergo eſt ſumme bonus; ergo in ipſo non fuit defectus veri boni, nec præſentia veri mali. Cum ergo temporalis proſperitas in ipſo defuerit, & aduerſitas adfuerit, reſtat quod temporalis proſperitas, non eſt vere bona, & ita non eſt appetenda: nec aduerſitas eſt vere mala, & ita non eſt timenda. *Auguſtinus.* Omnia bona terrena contempſit homo Chriſtus, vt contemnenda monſtraret: & omnia mala terrena ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in iſtis timeretur infelicitas. vnde *Hebr.* 11. *Fide, grandis effectus Moyſes, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem.*

† quia proſpera, deſunt in alio codice MS.

Proſperitas temporalis falſa eſt.

Auguſtinus

Verſ. 6. Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus: non in aqua ſolum: ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.

[*Hic eſt qui venit*] *Gloſ.* Et quia ſola fides diuinitatis non ſufficit, addit de humanitate. [*Hic eſt Ieſus Chriſtus*] Ieſus nomen proprium, Chriſtus nomen appellatiuum. [*qui venit*] qui erat æternus apud patrem, venit ad homines, ſicut dicit *Gloſſa*, ad ſalutem, & peccatorum remiſſionem. [*per aquam*] *Gloſ.* Baptiſmi. [*& ſanguinem*] *Gloſ.* paſſionis, in aqua venit vt vim regeneratiuam ex contactu ſuæ mundiſſimæ carnis aquis conferret, & ſic baptiſma conſecraret in ſanguine & nos redimeret: quod ſignificatum fuit in *Iohan.* 19. vbi dicitur: *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua.* [*Ieſus*] id eſt ſaluator. [*Chriſtus*] id eſt vnctus. [*non in aqua*] baptiſmatis [*ſolum*] ad abluendum. [*& ſanguine*] paſſionis ad redimendum. Aqua enim ſolum non lauaret, niſi à ſanguine virtutem haberet.

[*Et ſpiritus eſt qui teſtificatur*] Hic allegat veritatis atteſtationem, allegans

Primo teſtium ſufficientiam, & idoneitatem.

Secundo teſtimoniorum receptibilitatem: *ſi teſtimonium hominum &c.*

Teſtium ſufficientiam & idoneitatem.

Primo allegat communiter, de diuinitate & humanitate.

Secundo ſpecialiter, de diuinitate: *quoniam tres ſunt &c.*

Tertio ſpecialiter de humanitate: *& tres ſunt &c.*

Dicit ergo. [*& ſpiritus eſt*] *Glo.* licet ſecundum hominem ſit paſſus, tamen [*ſpiritus eſt qui teſtificatur*] illis. Spiritus ſanctus qui *viſus eſt ſuper eum in ſpecie columbæ. Luc.* 3. vel [*ſpiritus*] id eſt doctor ſpiritualis. vtroque modo exponit *gloſſa.* [*Quoniam Chriſtus eſt veritas*] id eſt verus in duabus naturis, id eſt habens veritatem in vtraque natura, non apparentiam ſine exiſtentia, quod eſſet ſi haberet carnem phantaſticam, & corpus phantaſticum, ſicut poſuit Manichæus. *Iohan.* 14. *Ego ſum via veritas & vita.* Hoc teſtimonium perhibuit ei Spiritus ſanctus. *Matth.* 3. *& Luc.* 3. quando *in ſpecie columbæ deſcendit ſuper eum.* & in *Iohan.* 1. quando ſuper baptizatum in ſpecie columbæ requieuit. *ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper eũ, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto.*

Manichæi error de humanitate Chriſti.

Verſ. 7. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. & hi tres vnum ſunt.

[*Quoniam tres ſunt &c.*] *Gloſ.* per hoc apparet, quod Ieſus eſt veritas, verus Deus & verus homo, quia de vtroque certum habemus teſtimonium. [*quoniam tres ſunt*] perſonæ ſcil. Quærebant enim olim hæretici, Quid tres? Reſponſum eſt eis: Tres perſonæ: vt dicit *Auguſtinus*, non vt illud diceretur, ſed ne omnino taceretur. [*qui teſtimonium*] de diuinitate Chriſti, ſecundum *Gloſ.* [*dant in cælo*] vel *materiali*, quia ibi magis relucent opera trinitatis: vnde ibi per quandam appropriationem dicitur eſſe Deus. *Pſalm.* 122. *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælo*: vel *ſpirituali* ſcil. anima ſancta. *Cælum mihi ſedes &c.* vel [*in cælo*] id eſt de cælo, quia vox patris de cælo audita eſt: *Tu es filius meus dilectus &c.* *Auguſtinus*

Et etiam ſpiritus apparuit de cælo. *Luc.* 3. *Apertum eſt cælum & deſcendit ſpiritus ſanctus corporali ſpecie ſuper ipſum.* Etiam verbum de cælo miſſum eſt. *Pſalm.* 18. *A ſummo cælo egreſſio eius.* [*Pater*] *Gloſ.* Pater dedit teſtimonium Deitatis Chriſtu cum dixit: *Hic eſt filius meus dilectus. Luc.* 3. [*verbum*] id eſt filius. *glo.* Ipſe filius dedit teſtimonium, quando in monte transfiguratus potentiam Deitatis, & ſpem æternæ beatitudinis oſtendit. *Luc.* 9. [*& Spiritus ſanctus*] *Gl.* Spiritus ſanctus dedit teſtimonium, quando ſuper Chriſtum baptizatum in ſpecie columbæ requieuit *Luc.* 3. vel quando ad inuocationem nominis Chriſti corda credentium repleuit. *Act.* 2. Item pater dat teſtimonium, quod erat Deus, dans ei potentiam faciendi miracula: filius, dans ſapientiam docendi vtilia: Spiritus ſanctus dans bonitatem perfectam operandi meritoria. [*Et hi tres vnum ſunt*] in teſtimonium, & ideo magis eis credendum. *Gloſ.* de eadem re teſtantes. vel vnum ſunt, in eſſentia, quia vnus Deus: quod figuratum fuit: *Geneſ.* 18. vbi legitur quod tres vidit & vnum adorauit.

Verſ. 8. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis. Et hi tres vnum ſunt.

[*Et tres sunt*] testes, scilicet [*qui testimonium*] de humanitate Christi secundum Glossam [*dant in terra*] ad literam, hoc est in hac inferiori parte mundi. vel [*in terra*] id est de humanitate quæ est de terra ratione carnis. & ponitur pars humanitatis pro toto. vel [*in terra*] in terrenis humanitatem Christi confitentibus.

Et nota quod vbi est testimonium de diuinitate, dicitur [*in cælo*] vbi, de humanitate, dicitur [*in terra*] quod valde congruit vt de cælo detur testimonium de diuinitate, de terra testimoniũ de humanitate. [*Spiritus*] *Gloß.* anima humana quam emisit in passione. *Luca.* 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* [*aqua*] quæ fluxit de latere. *Iohann.* 19. [*& sanguis*] qui similiter fluxit de latere iam mortui. *Ioh.* 19.

Vel de toto corpore viuentis. gutta sanguinis fluens. *Luc.* 22.

Vel sanguis quem effudit in circumcisione. *Luc.* 2. Item

In oratione. *Luc.* 22. Item

In flagellatione & cruce. *Matt.* 27. *& Ioh.* 19.

Et aqua lachrymarum quam effudit in cunabulis. *Sap.* 7. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Item

In accessu ad Hierusalem. *Luc.* 19. Item

In cruce *Hebr.* 5. *cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.*

Vers. 9. Si testimonium hominum accipimus: testimonium Dei maius est, quoniam testificatus est de Filio suo.

[*Si testimonium hominum &c.*] Hic allegat testimoniorum receptibilitatem ponens

Primo testimonium de filio naturali.

Secundo testimonium de filiis adoptiuis: *& hoc est testimonium.*

Testimonium de filio naturali ostendit receptibile.

Primo ex parte testificantis.

Secundo ex parte rei testificatæ: *quoniam hoc est testimonium Dei.*

Tertio ex parte suscipientis: *qui credit in filium Dei.*

Quarto ex parte recusantis: *qui non credit.*

Testimonium hominum potius quã hominis credendum. Dicit ergo: [*si testimonium*] *Glo.* quia ista certa testimonia habemus, debemus accipere. quia [*si testimonium hominum accepimus*] qui mentiri scil. possunt. Et dicit hominum in plurali: quia *Deut.* 19. dicitur: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* vel sic: [*si testimonium hominum*] id est Prophetarũ qui de Christo testificati sunt, [*accepimus*] id est acceptamus & recipimus. [*Testimonium Dei maius est*] & ideo magis accipiendum. Est enim *Deus verax, omnis homo mendax. Roman.* 3. *Gloß.* Si creditis hominibus prænuntiantibus Christum venturum esse, credite patri testificanti venisse.

Magnum quippe fuit testimonium Dauid, vt dicit *Glossa*, dicentis: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.*

Magnum testimonium præcursoris, qui ait *Matth.* 3. *Ego baptizaui vos aqua, ille baptizabit vos spiritu sancto.* Sed

Maius testimonium patris, qui spiritum visibiliter misit: & vere maius melius acceptandum vel accipiendum, *quoniam hoc est testimonium Dei,* quod maius est testimonio hominum, quia non est Deus vt homo vt mentiatur. *Num.* 23. [*qui testificatus est de filio suo*] naturali scil. Christo, qui est filius eius in Baptismo dicendo: *Hic est filius meus: Luc.* 3. & in transfiguratione *Luc.* 2.

Vers. 10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

[*Qui credit in filium Dei*] quasi dicat ita pater testificatus est de filio suo. [*qui autem credit in filium Dei*] non ait filio aut filium, sed in filium. Differt enim secundum *Augustinum*, credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. *Credere Deo, Deum & in Deum.* [*Habet testimonium Dei patris in se*] id est consentit quod testimonium Dei de filio suo sit verum. vel sic: *habet testimonium Dei in se:* id est approbat Diuinum testimonium, quod pater perhibuit de illo, & sic intelligit ipsum esse veracem in testimonio de filio. E contra: [*qui non credit in filium Dei*] *Gloß.* qui dicit eum non esse filium vel minorem patre [*mendacem facit*] quantum in se est, quia non reputat credibile quod dicit: eum scil. Deum patrem. *Glos.* Qui non credit dicit patrem esse mentitum. [*quoniam non credit in testimonium*] illud scil. *Hic est filius meus &c. Luc.* 3: *& ego & Pater vnum sumus. Ioh.* 10. [*quod testificatus est Deus de filio suo*]

Vers. 11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in filio eius est.

[*Et hoc est testimonium*] Hic ponit testimonium de filiis adoptiuis: &

Primo ostendit quale sit testimonium:

Secundo qualiter verificandum: *qui habet filium &c.*

Dicit ergo: [*& hoc est*] Quasi non solum testificatur de filio naturali, sed etiam de filiis adoptiuis. vnde *glossa.* de filio testatus est, & etiam de nobis filiis adoptiuis, quod vitam æternam daret illis. [*Et hoc est testimonium patris*] de filiis adoptiuis cui credendum est, [*quoniam vitam æternam dedit nobis Deus*] scilicet Apostolis vel filiis adoptiuis: hic in spe, tandem in re. & hoc potest haberi ex eo quod dicitur: *Matth.* 17. *Hic est filius meus dilectus ipsum audite.* Ipsum enim audire est vitam æternam habere, hic in spe in futuro in re. *Iohan.* 6. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Et in eodem: *Verba quæ ego loquor vobis spiritus & vita sunt.* *Audire Christum quam sit vitale.* [*& hæc vita æterna in filio eius est*] id est per fidem filii *Iohann.* 6. *Omnis qui credit in me habet vitam æternam.* vel [*in filio eius est*] id est in filiũ visione. *Iohan.* 17. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Ipse enim *fons vitæ. Psal.* 35. *quia apud te est fons vitæ.*

Vers. 12. Qui habet Filium, habet vitam. qui non habet Filium Dei, vitam non habet.

[*Qui habet Filium*] *Glo.* credendo & imitando [*habet vitam æternam*] iam in spe tandem in re. *Sicut enim habet pater vitam in semetipso sic dedit filio habere vitam in semetipso. Ioh.* 5.

E contra [*qui non habet filium*] nec credendo nec imitando. [*non habet vitam*] nec in spe habet nec in re habebit. *Ioh.* 3. *Qui incredulus est filio non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super illum.*

Et nota ꝙ Christus habuit multa testimonia: *Testimonia Christi.*

Primo à patre suo. *Ioh.* 8. *Testimonium perhibet de me pater qui misit me.*

Secundo à seipso. *Ioh. 8. Si ego testimonium perhibeo de meipso testimonium meum verum est.*

Tertiò à Spiritu sancto *Ioh. 15. Cum venerit paracletus ille testimonium perhibebit de me.*

Quarto à scripturis sanctis. *Iohan. 5. Scrutamini scripturas, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.*

Quinto ab operibus bonis. *Iohan. 15. Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.*

Sexto à miraculis. *Psalm. 118. Mirabilia testimonia tua Domine.*

Septimo à turbis. *Ioh. 11. Testimonium perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum suscitauit.*

Octauo ab Apostolis. *Act. 4. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium de omnibus his. Psalm. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Vers. 13. Hæc scribo vobis: vt sciatis quoniam vitam habetis æternam qui creditis in nomine Filii Dei.

Credentium vtilitas triplex.

[*Hæc scribo vobis vt sciatis &c.*] Hic allegat credentium vtilitatem triplicem:

Prima est futuræ beatitudinis certitudo.

Secunda petitionũ exauditio: *& hæc est fiducia:*

Tertia est à peccatis conseruatio. *Scimus quia omnis qui natus est.*

Quarta Dei veri cognitio: *& scimus quoniam filius Dei venit.*

In secunda parte ostendit

Primo qualiter per fidem exaudiuntur orantes pro seipsis.

Secundo qualiter orantes pro aliis: *qui scit fratrem suum.*

In prima parte primo dat impetrandi fiduciã. Secundo fiduciæ ostendit causam: *scimus quoniam petitiones.*

Dicit ergo: [*hæc scribo vobis*] *Gloss.* His debetis adhibere fidem quia vt certi sitis de vestra futura beatitudine; [*Hæc*] sc. prædicta. [*scribo*] non tantum prædico, ad maiorem certitudinem. [*vt sciatis*] certitudine fidei & spei. [*quoniam vitam æternam habetis*] in futuro. [*qui creditis*] in præsenti. [*in nomine filii Dei*] *Ioh. 11. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me etiamsi mortuus fuerit viuet.*

Vers. 14. Et hæc est fiducia quam habemus ad eum: quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.

[*Et hæc est fiducia*] *Glo.* Non tantum in futuro sperare debetis bona cælestia, sed etiam in hac vita impetrabimus quicquid salubriter petierimus. [*& hæc est fiducia*] spei, quam habemus ad Deum non ad hominem. *Psal. 124. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion. Heb. 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius.* quia [*quodcunq; petierimus secundum voluntatem eius*] non secundum desideria nostra carnalia. Ideo dicitur *Matt. 26. Non mea voluntas sed tua fiat.* Secundum voluntatem autem eius petitur dupliciter secundum *Glossam.* vno modo vt quod velit rogemus: alio modo vt quales nos esse desiderat ad rogandum inueniamur. [*audiet nos*] dando petitionis effectum. Aliter non: vt patet in Paulo. 2. *ad Corinth.* 12. Et dicit *audiet* nos, vtendo futuro tempore: ad significandum quod tale debet esse quod petitur, quod in futuro accipiatur; & ad futurum ordinetur. vnde temporalia non sunt petenda, nisi prout sunt ad vitam æternam ordinata.

Secundum voluntatem Dei petitur aliquid dupliciter secundum Glossam.

Vers. 15. Et scimus quia audit nos quicquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.

[*Et scimus*] id est certi sumus ex promissione eius. *Ioh. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* [*quia audit nos quicquid petierimus*] scilicet vel ad † vocatum vel ad meritum. Et nota quod dicit [*quicquid*] scil. substantiale & solidum, quod est quid: non accidentale sicut est bonum temporale. *Matth. 6. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.*

† Votum legit alter MS.

Nota si aliquis peteret à rege Franciæ vnam guttam aquæ, vel vnam pintam, multũ indignaretur. [*scimus*] Ostendit per quid scire possumus. *scimus* quod nos exaudiet. ideo scil. [*quoniam petitiones habemus nobis*] à Deo traditas: vel

Simile Regis & Dei.

Traditione manifesta, quando docuit orare discipulos, dicendo: *Pater noster qui es in celis. Matth. 6.* vel

Traditione occulta, quando docet quid petendũ. *Nam quid oremus prout oportet nescimus Rom. 8* [*quas postulamus ab eo*] *Gl.* nihil petimus quod sit ei aduersum, nihil nisi quod nos docuit, quod nobis inspirauit petimus, & si in aliquo erramus statim corrigimur.

Argumentum quod maior sit confidentia exauditionis in oratione Dominica quam in aliis, vnde frequentius & libentius dici debet.

Oratio Dominica.

Vers. 16. Qui scit fratrem suum peccare peccatũ nõ ad mortem, pctat, & dabitur ei vita. peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.

[*Qui scit*] Hic ostendit qualiter exaudiuntur orantes pro aliis: vbi

Primo ostendit pro quibus orandum.

Secundo pro quibus non: *Est peccatũ ad mortẽ.*

[*Qui scit*] Quasi quia orantes exaudimur. [*qui scit*] per confessionem vel alio modo. [*fratrem suum*] Catholicum de ecclesia numero & merito existentem. [*peccare peccatum non ad mortem*] *Gl.* loquitur de quotidianis & leuibus peccatis, quæ sicut difficile vitantur, ita de facili curantur.

Peccata quæ facile remittuntur.

Non ad mortem vero dicitur peccare secundum *Glossam*, qui peccat non criminaliter, vel non vsque ad mortem. Est enim væniale peccatum, quoddam per naturam propriam, quoddam per pœnitentiam subsecuram:

Tertio etiam modo peccatum non ad mortem potest dici, quo non impugnatur gratia superna vel fraterna. [*petat*] pro eo scil. *Glo.* Si dicto vel cogitatu vel obliuione vel ignorantia peccasti, confitere fratri, & postula vt pro te interueniat: & si ille iterum tibi confiteatur tu & pro illo interueni: huic sufficit dominica oratio mutua confessio pro eius pœnitentia. Porro si graue peccatum fuerit, induc presbyteros ecclesiæ, & ad illorum examen † castigare. [*& dabitur ei vita*] gratiæ [*peccanti non ad mortem*] *glos.* non criminaliter, vel non vsque ad mortem.

† Castigato. glos.

Sed cum per veniale non amittatur vita gratiæ, quomodo dicit quod dabitur vita peccanti non ad mortem: id est venialiter secundũ vnam expositionem?

Quæstio.

Resp. Dabitur ei vita gratiæ magis. vel dabitur vita auferendo occasionem mortis, scil. veniale, quod occasionaliter ducit ad mortem, quia diminuit feruorem charitatis.

Responsio.

Est

De peccato in Spiritum sanctum penultima distinctione secundi sententiarum.

[*Est autem peccatum ad mortem non pro illo dico vt quis roges*]. Ad euidentiam literæ quæritur quid sit peccatum ad mortem? Et dicit *Glossa*, quod peccatum ad mortem est quod separat animam à Deo, sicut mors animam à corpore: sed quodlibet mortale hoc facit, ergo quodlibet mortale est peccatum ad mortem. Si dicatur quod peccatum ad mortem plus separat quam mortale.

Obiectio.

Contra: Magis & minus non diuersificant speciem, ergo secundum hoc peccatum ad mortem & non ad mortem non differunt specie.

Responsio. Peccatum ad mortem dicitur generaliter peccatū mortale & specialiter impugnatio charitatis fraternæ & finalis pœnitentiæ. Et hoc impugnatur proposito nō confitendi vel protractione vsq. ad mortem exclusiue. † faucibus al. MS.

Resp. *Peccatum ad mortem* dicitur dupliciter, *generaliter & specialiter.*

Generaliter sic, quodlibet peccatum mortale dicitur peccatum ad mortem.

Specialiter dupliciter: vel

Quo impugnatur gratia fraterna, & quando aduersus gratiam qua reconciliatus est inuidis †facibus agitatur. vel

Quo impugnatur ipsa finalis pœnitentia.

Et hoc dupliciter: vel

Propositum non pœnitendi finaliter: vel

Protractio peccati vsque ad mortem inclusiue.

Primo modo est peccatum generale.

Secundo & tertio modo est peccatū speciale.

Quarto modo circumstantia cuiuslibet peccati mortalis in quo homo decedit.

Et secundū hoc diuersimode exponitur illud quod sequitur: [*non pro illo dico vt roget quis*] Nam

Secundum quod peccatum ad mortem dicitur primo modo scil. quodlibet peccatum mortale, sic exponitur: [*non pro illo dico vt roget quis*] id est qualiscunque, sed solum iustus: Iniustus enim non posset ei impetrare primam gratiam, quia in tali existens non est dignus exaudiri.

Si autem dicatur peccatum ad mortem secundo vel tertio modo scil. peccatum in Spiritum sanctum tunc exponitur sic: [*Non pro illo dico vt roget quis*] id est qualiscunque iustus non sufficit impetrare tali gratiam propter peccati immanitatem.

Secundum autem quod peccatum ad mortem dicitur quarto modo, scil. peccatum in quo homo decedit sic exponitur. [*non pro illo dico roget quis*] id est aliquis vel paruus vel magnus, quia nihil valeret ei. Isto modo negatio cadit super hoc verbum [*roget*] aliis modis super hoc verbum [*dico*]

Vers. 17. Omnis iniquitas, peccatum est: &, est peccatum, ad mortem.

A peccato immunis esse nemo potest. Virtutis ex Tullio definitio.

[*Omnis iniquitas*] *Glos.* vere orandum est pro peccantibus non ad mortem, quia multis peccatis occupantur omnes, & nullus potest esse sine peccato. quia [*omnis iniquitas*] id est inæqualitas vitæ, *virtus* enim est æqualitas vitæ rationi vndique consentiens vt ait *Tullius*. [*Peccatum est*] *supra* 2. *Omne peccatum est iniquitas.* [*& est*] Gl. super alia peccata. [*peccatum ad mortem*] animam à Deo separans, vel vsque ad mortem durans, vel fraternæ charitati directe oppositum: sicut illud quod fit ex certa malitia, quod est peccatum in Spiritum sanctum.

Vers. 18. Scimus, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum.

[*Scimus quia omnis qui natus est ex Deo*] Hic ponitur vtilitas tertia. vbi

Primo ostendit quod adoptio fidei conseruat à peccato.

Secundo quod ipsi sunt de adoptiuorum numero; *Scimus quoniam ex Deo sumus*:

Pro quibus sit orandū.

Dicit ergo: [*scimus &c.*] Ostendit qui sunt illi pro quibus orandum est, quia pro fratribus. [*scimus quia omnis qui natus est ex Deo*] natiuitate fidei formatæ: de qua *Ioh. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* [*non peccat*] peccato ad mortem. Sed nunquid hæretici & mali Christiani in baptismo filii Dei facti fuerunt?

Obiectio.

Responsio.

Respon. Intelligendum est per se inquantum natus est ex Deo. vel

Coniunctim: id est dum seruat natiuitatem: vel

Quamdiu natus non peccat mortaliter sci. vel peccato ad mortem. [*Sed generatio Dei*] id est gratia regenerans [*conseruat eum*] à peccato ad mortem. & non solum dicit seruat, sed conseruat, quia non solum seruatur à gratia, sed à libero arbitrio cooperante. [*& malignus*] id est diabolus malo igne incendens. *Psalm. 14. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* vel [*malignus*] id est homo malus, igne malo inflammatus. *Sapient. 5. In malignitate nostra consumpti sumus.* vel [*malignus*] id est mundus in maligno id est malo igne positus. [*non tangit eum*] scil. in mutando & in se conuertendo. quæ enim se tangunt immutantur si sint actiua & passiua ad inuicem. licet enim diabolus tentet interius, & mundus exterius, & amatores mundi persequantur, non tamen immutantur à stabilitate sua. Non ergo tangit trahendo à sua stabilitate: *Sapien. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tangit illos tormentum mortis*: id est peccati mortalis.

Conseruat quare potius dictum quam seruat.

Vers. 19. Scimus quoniam ex Deo sumus: & mundus totus in maligno positus est.

[*Scimus*] *Glos.* Qui natus est ex Deo non peccat: nos autem sumus de illis. [*scimus*] certitudine fidei. [*quoniam ex Deo sumus*] per fidem non per carnem. *Ioh. 3. Oportet vos nasci denuo.* [*& scimus quia mundus totus*] id est mundi amatores. [*in maligno*] id est in malo igne triplicis concupiscentiæ sc. diuitiarum, delitiarum & honorum, de quibus *supra 2. Omne quod est in mundo &c.* vel secundum *glossam* [*in maligno*] id est in maligni hostis subiectione. vnde dicitur *princeps mundi. Iohann. 13.* vel [*mundus in maligno positus est*] id est in malo anno. Dicitur vulgariter de aliquo quod est positus in malo anno, quando quilibet accipit ab eo quicquid boni potest accipere. quilibet rapit & accipit à mundo quicquid boni potest: vnde in maligno positus. vel totus mundus materialis. [*in maligno positus*] id est in malo igne scil. libidinis, & peccati: & maxime in igne triplici scil. luxuriæ de quo *Iob. 31. Ignis est vsque ad consumptionem deuorans.* Item superbiæ *Iob. 1. Ignis Dei descendit de cælo: & cunctas oues pueros que consumpsit.* Item auaritiæ. *Ier. 7. Filii colligunt ligna & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem.*

Vers. 20. Et scimus quoniam filius Dei venit: & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus: & vita æterna.

[*Et scimus quoniam filius Dei venit*] Hic ponitur vtilitas quarta: vbi

Primo ostenditur quod per fidé cognoscunt verum Deum.

Secundo monet non redire ad culturam simulachrorum: *filioli &c.*

Dicit ergo [*& scimus*] certitudine fidei. [*quoniam filius Dei*] id est Christus, qui est filius secundum diuinitatem. [*venit*] per assumptam humanitatem, non locum mutando: sed in assumpta humanitate mundo visibilis apparendo. vnde non dicitur venisse, quia esset vbi prius non erat, qui vbique erat, sed quia fuit alio modo quam prius. prius enim erat in vtero virginis. per potentiam, præsentiam, & essentiam; postmodum vero fuit per vnionem naturæ assumptæ. [*& dedit nobis sensum*] spiritualem fidei & sapientiæ & intellectus & huiusmodi donorum ad cognitionem spectantium. *Rom. 12. Reformamini in nouitate sensus vestri.* alter non potest haberi sensus nisi à Deo detur. *Sap. 9. Sensum autem tuum quis scit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis.* [*vt cognoscamus verum Deum*] patrem sc. credendo. [*& simus in filio vero eius*] *Glo.* amando. & dicit [*vero*] ad differentiam filiorum adoptiuorum. [*simus in filio eius*] sicut membra in corpore: & hoc vt viuamus. *Act. 17. In ipso viuimus mouemur & sumus.* Item vt fructificemus. *Ioh. 14. Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in me manseritis.* [*Hic*] scil. filius Dei [*est verus Deus*] per essentiam. *Ioh. 1. & Deus erat verbum.* [*Et vita æterna*] per causam. *Ioh. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum & quem misisti Iesum Christum.*

Venisse quomodo dicatur filius Dei.

Filius Dei verus & adoptiuus.

Filius Dei est vita æterna per causam.

Vers. 21. Filioli, custodite vos à simulachris. Amen.

[*Filioli*] *Glo.* & quia verum Deum cognoscitis & vitam æternam expectatis. [*O filioli*] sic eos vocat, affectus sui teneritudine & obedientiæ eorum promptitudine. [*custodite vos*] id est intellectum vestrum & affectum. [*à simulacris*] secundum *Glossam tripliciter:*

A cultura idolorum:

A simulata hypocrisi hæreticorum, qui speciem sanctitatis sibi assumunt; tamen non habent, & ideo vocantur simulacra, quia habent speciem viuentium & tamen vita carent. vel

Ab auaritia, quæ est seruitus simulacrorum. Qui enim mundum Deo præponunt idololatræ sunt. *Gal. 5. Quæ est idolorum seruitus.*

A simulacris triplicater se custodire debent fideles.

Idololatræ qui sint.

EPISTO

EPISTOLA IOANNIS APOSTOLI SECVNDA.

CAPVT I.

Vers. 1.

SENIOR, Electæ Dominæ & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes qui cognouerunt veritatem.

Epistola Ioannis secunda quem autorē habeat: &

[*Senior Electæ Dominæ & natis eius, &c.*] Hæc est secunda Canonica Ioannis cuius autor Ioannes Apostolus esse ostenditur vt dicit *Gloss.* per similitudinem, & in verbis & in assertione fidei & charitatis: non Ioannes presbyter vt quidam dixerunt.

Ad quem sit scripta. Per electam vniuersalis Ecclesia designata. Eius differentia cum præcedenti epistola.

Persona autem cui scribit est matrona quædam Babyloniæ *Electa* nomine: per quam vt ait *Glossa* designatur vniuersalis Ecclesia. Cuius intentio secundum *Glossam* est monere ipsam & natos eius, ne propter hæreticos desistant à proposito fidei. Differt autem à præcedenti Epistola, quia ibi actum est de affectu & effectu dilectionis ad Deum & proximum communiter: hic ad Deum magis specialiter.

Primo ergo præmittit salutationem.

Secundo captans beneuolentiam ostendit suam affectionem: *gauisus sum valde.*

Tertio subiungit principalem scribendi causam siue rationem: *quoniam multi, &c.*

Quarto de hoc quod tam breuiter scripsit ponit suam excusationem: *plura habens vobis scribere.*

In salutatione vero

Primo tangit personam suam.

Secundo personas salutatas: *Electa domina.*

Tertio causam salutandi: *quos ego diligo:*

Quarto formam salutationis: *sit vobiscum gratia, &c.*

Senior varie dicitur Ioannes Apostolus.

Dicit ergo: [*Senior:*] *Gloss.* tam ætate quam moribus vel sapientia, quam etiam officii auctoritate, quia presbyter & Episcopus. *Sap. 4. Senectus venerabilis non diuturna, neque numero annorum computata.* Non ait Ioannes aut Apostolus vel huiusmodi. Scripturus enim mulieri, ponit illud quod magis caret suspicione, & plus habet securitatis & crudelitatis.

Electa Domina quanam erat.

[*Electa Domina:*] Proprium nomen est cuiusdam matronæ Babyloniæ, de Babylonia Ægypti. nec erat Electa solum nomine: sed electa re, quia deuota. [*& natis eius:*] *Gloss.* tam natura quam fide, quia catholici erant filii eius sicut ipsa. [*quos:*] scilic. matrem & natos. [*Ego diligo in veritate:*] id est vere non ficte. *Gloss.* vero amore secundum illud 1. *Iohan.* 3. *Diligamus non verbo neque lingua, sed opere & veritate.* vel [*in veritate:*] id est in Christo, qui est veritas. vel [*in veritate:*] id est ad veritatem habendam scil. vitam æternam, vbi est plena veritas & nulla falsitas [*& non ego solus:*] scil. diligo vos. [*sed & omnes:*] *Gloss.* vt maior autoritas sit. [*qui cognouerunt veritatem:*] id est omnes fideles, qui cognouerunt Christum qui est veritas. *Iohan.* 14. Loquitur autem de cognitione approbationis, quæ est per fidem formatam, de qua, *Psalm.* 94. *Ipsi non cognouerunt vias meas.*

Proximus quomodo sit diligendus.

Cognitione approbationis Veritatem cognoscunt soli fideles.

Vers. 2. Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.

Permanere pro perfecte manere.

[*Propter veritatem:*] fidei scil. [*quæ permanet in vobis:*] id est perfecte manet, vel perseueranter manet. *Gloss.* non ob aliam causam nos diligamus, nisi propter veritatem fidei, quæ inexpugnabilis durat. [*Et vobiscum erit in æternum:*] *Gloss.* vsque in finem vitæ. vel durans in æternum.

Obiectio.

Sed quomodo veritas fidei erit in futuro, cum fides euacuetur. 1. *ad Cor.* 13.

Responsio. † *Al. MS. legit sic: quæ creditur, id est articulorum, non quæ creditur id est ipsius habitus, &c.*

Resp. intelligit de veritate fidei † quæ creditur, id est ipsius habitus. vnde in æternum ratione visionis, quæ succedit ei.

Vers. 3. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Iesu filio Patris in veritate, & charitate.

[*Sit vobiscum:*] Constructio sic ordinatur: [*Senior*] ego [*Electæ dominæ & natis eius*] scribo sic supple, [*sit vobiscum gratia*] culpam delens, [*misericordia,*] pœnam indulgens, [*& pax*] Deo reconcilians. vnde optat remissionem culpæ, relaxationem pœnæ, cautelā diuinæ offensæ. vel [*gratia*] illuminans intellectum contra errores hæreticorum: [*misericordia*] purgans affectum, à reliquiis peccatorum. [*& pax:*] id est mentis tranquillitas contra recidiuū. *Gloss.* ne amplius Deum & fratres offendatis. Similiter salutat Apostolus: *Gratia vobis & pax. Rom.* 1. [*à Deo patre:*] qui totius boni est autor. Et *Iac.* 1. [*& à Iesu Christo,*] qui totius boni est mediator, [*per quem:*] scil. pater omnia operatur. *Iohan.* 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Tangit autem eius naturam humanam: [*& à Iesu Christo.*] diuinam: [*& filio patris.*] Spiritus autem intelligitur vt neruus in extremis. Indiuisa enim sunt opera & dona Trinitatis. [*in charitate:*] vt scil. proficiatis in charitate Dei & proximi quæ affectum purgat. [*& veritate:*] fidei quam in Baptismo promisistis, quæ intellectum illuminat. *Gloss.* in veritate fidei, quam in Baptismo promisistis. Præmittit autem charitatem, quia charitas dat fidei perfectionem. *fides enim sine operibus mortua est, Iac.* 2. vel notatur hic qualiter optat prædicta sub hoc sensu: [*Gratia vobiscum, &c.*] [*in charitate & veritate:*] id est vobis existentibus in charitate Dei & proximi, & in veritate fidei. per primum perficitur affectus, per secundum intellectus.

Deus Pater totius boni autor. Iesus Christus totius boni mediator.

Trinitatis opera indiuisa.

Fides charitate informatur & perficitur.

Vers. 4. Gauisus sum valde quoniam

inueni de filiis tuis ambulantes in veritate sicut mandatum accepimus à Patre.

[*Gauisus sum valde:*] Hic beneuolentiam optans, ostendit ad eos suam affectionem.

Primo ad filios.

Secundo ad matrem: *& nunc rogo te domina.*

Dicit ergo: [*Gauisus sum:*] ita opto vobis gratiam & misericordiam & pacem. [*& etiam gauisus sum valde:*] quoniam inueni tanquam solicite tales quærens & raro inueniens. [*de filiis tuis:*] aliquos non omnes. [*ambulantes:*] id est de bono in melius proficientes. *Gloss.* quotidie proficiendo. *Psalm. 83. Ibunt de virtute in virtutem, &c.* [*in veritate:*] scil. fidei *Ephes. 5. Vt filii lucis ambulate. Iohan. 12. Ambulate dum lucem habetis.* vel [*in veritate.*] id est in charitate, à qua omnes virtutes veræ sunt. *Ephes. 5. Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, &c.* Solent enim perfecti multum gaudere de profectu proximorum & maxime subditorum. *1. ad Thessal. 2. Vos estis gloria nostra & gaudium nostrum.* Et *Prouerb. 10. Filius sapiens lætificat patrem.* Sic ambulantes inquam, [*sicut mandatum accepimus:*] id est in ea perfectione qua mandatum fuit nobis à patre per filium: scil. in *Matth. 5. Diligite inimicos.* Et *Ioh. 12. Ambulate dum lucem habetis.*

Ambulandum in veritate, quotidie proficiendo.

Virtutes veræ tandem sunt quæ à charitate proficiscuntur.

Vers. 5. Et nunc rogo te domina; non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum.

[*Et rogo te domina nunc:*] Hic ostendit suam affectionem ad matrem: &

Primo monet eam ad bene agendum.

Secundo ad proficiendum: *& hæc est charitas.*

Tertio ostendit quod proficere est necessarium, quia mandatum: *hoc est enim mandatum.*

[*Et nunc rogo te Domina:*] *Gloss.* per ea quæ habes certificatus iam de cætero confidenter rogo, vt rem debitam: & licet res debita sit, tamen non impero sed rogo. [*vt diligamus alterutrum:*] id est vnus alterum & è contrario. [*non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio:*] id est à prioribus patribus: vel ab initio fidei & nostræ conuersionis, quasi dicat sic hortando, non nouum mandatum propono.

Obiectio.

Sed contra: *Iohan. 13. Mandatum nouum do vobis, &c.*

Solutio.

Mandatum de charitate quomodo sit vetus. Quomodo nouum.

Resp. Mandatum de charitate & est vetus & est nouum. vetus ratione substantiæ, quia ab antiquo scriptum in corde hominis, & in codice legis: sed nouum ratione circumstantiæ, quia in euangelio addit nouum modum.

Lex dicit, *diligite amicos.*

Euangelium, *diligite inimicos.* Iam nouum ratione efficaciæ, quia spiritualiter hominem innouat.

Vers. 6. Et hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.

[*Et hæc est charitas:*] id est in hoc esse ostenditur & apparet. [*vt ambulemus:*] passibus animorum non corporum, de bono in melius proficiendo. sed mandata eius custodiendo. *Iohan. 13. Si diligitis me mandata mea seruate.* [*hoc est enim:*] quasi & debemus ambulare secundum mandata. [*hoc est enim mandatum:*] vestræ fidei vel vestræ conuersionis, vel nostræ prædicationis. [*in eo ambuletis:*] assidue proficiendo & perseuerando.

Vers. 7. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor & antichristus.

[*Quoniam multi seductores:*] Hic subiungit causam principalem scribendi & intentionem: scil. propter hæreticos: quorum

Scribendi causam principalem quam habuerit Apostolus.

Primo monet cauere errorem.

Secundo vitare communionem: *si quis venit ad vos.*

Vitandum errorem innuit

Primo ex parte hæreticorum.

Secundo ex parte ipsorum: *videte vosmetipsos.*

Tertio ex parte vtrorumque: *omnis qui recedit.*

Dicit ergo: [*quoniam multi:*] *Gloss.* & necesse vt perseueretis, quoniam multi per varias sectas diuisi. [*seductores:*] id est seorsum à via veritatis ductores. Isti seductores sunt hæretici, qui prædicant contrarium veritati. [*exierunt in mundum:*] *Gloss.* ad amorem & doctrinam mundi. sed vnde? *Gloss.* de nostro consortio.

Seductorum etymon.

Et nota quod boni exeunt de mundo: *1. ad Cor. 5. Alioquin debueratis de mundo exisse.* Mali vero exeunt in mundum. *1. Iohan. 4. Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.*

[*Qui:*] scil. seductores, [*non confitentur:*] *Gloss.* nec doctrina nec vita. [*Christum:*] *Gloss.* Magistrum & normam sanctitatis. [*venisse in carne:*] Alia litera: [*Christum venisse in carnem:*] id est saluatoris aduentũ, quo venit in carnem, quando conceptus est in carne. quãdo natus. [*Hic:*] quicunque talis est. [*seductor*] hominum [*& antichristus:*] id est Christo contrarius. vel [*Antichristus:*] id est membrum antichristi. Dicitur autem [*seductor*] propter doctrinam peruersam. [*Antichristus:*] propter operationem prauam. Doctrina enim est ad alios seducendos. operatio praua contra Christum. Talis autem dicitur *Antichristus*, non in persona, sed officio, sicut Ioannes, Elias, *Matth. 11.*

Antichristus quis & quomodo dicatur.

Vers. 8. Videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis.

[*Videte:*] quasi & ideo ne seducamini ab eis. [*videte:*] id est solicite & diligenter attendite [*vosmetipsos:*] ne scil. à fidei veritate declineris, & ne eis adhæreatis. *Matth. 24. Videte ne quis vos seducat.*

Beda. Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt, alia inspiciunt & seipsos negligunt. [*ne perdatis:*] de fide. [*quod operati estis:*] *Gloss.* Illam mercedem quam bene operando meruistis. *Ecclesi. 10. Qui in vno offendit, multa bona perdet.* [*sed videte potius vt mercedem plenam accipiatis:*] veræ scil. gloriæ, quæ replet animam, non vanæ vt hypocritæ. *Matth. 7. Receperunt mercedem suam.* vel [*plenam:*] quia remunerabit supra merita, & merita sunt semiplena, & non sufficiunt ad tantam gloriam. sed pro operibus semiplenis dabitur merces plena. *Psal. 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.*

Hæc autem impletio erit in tribus quoad animam.

Rationabilis implebitur limpidissima cognitione.

Irasci-

irascibilis sublimitate gloriæ & honoris.

Concupiscibilis iucundissima & vera dilectione.

Item quoad corpus io qnînque: quia vacuitas humanitatis vel mortalitatis implebitur immortalitate.

Vacuitas passibilitatis impassibilitate.

Obscuritas claritate.

Ponderositas agilitate.

† Grossities Alter MS.

† Obtusitas subtilitate.

De his omnibus. 1. *ad Corinth.* 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate surget in gloria, &c.*

Vers. 9. Omnis qui præcedit & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina: hic & Patrem, & Filium habet.

[*Omnis qui præcedit:*] quasi beoe dico ne perdatis: [*omnis enim:*] siue de maioribus siue de minoribus, siue de mediocribus. *qui præcedit:* id est, se alios præcedere dicit: sicut hæresiarcha alios sibi præcedere videtur præsumptione sapientiæ, quod fit per adinueotionem noui dogmatis vel erroris. [*& non permanet in doctrina Christi:*] *Gloss.* ex superbia discedit ab humili prædicatione Christi. [*Deum non habet:*] in se per inhabitantem gratiam nec in futuro per gloriam [*qui permanet:*] id est perfecte, & perseueranter manet fide & motibus [*in doctrina:*] scil. Christi siue Dei. *Gloss.* manet in euangelica doctrina, quia secundum eam sapit & agit: separat se ab illo, qui aliter sapit & agit [*hic & filium & patrem habet*] in præsenti per gratiam, in futuro per gloriam. *qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Matth.* 25. Habet autem simul vtrumque, quia vnus ab altero non separatur. *Iohan.* 14. *Non credis quia ego in patre & pater in me est?* Præponitur autem filius patri quia ad patrem oon venitur nisi per filiom.

Hæresiarchæ præsumptio.

Filius qua ratione Patri præpositus.

Vers. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinā non affert: nolite recipere eum in domum: nec aue ei dixeritis.

[*Si quis venit ad vos:*] Hic monet hæreticorum communionem vitare.

Primo ostendit modum vitandi.

Secundo peccatum oon vitantis: *qui enim dicit aue.*

Tertio commodum vitantis: *ecce prædixi vobis.*

Dicit ergo: [*si quis.*] Ita qui permanet in doctrina Christi habet filium & patrem, & ideo vt permaneatis. [*si quis venit ad vos*] visitandos vel docendos: [*& hanc doctrinam:*] scil. de Christo. [*non affert:*] contrariam, [*nolite eum recipere in domum:*] participando in facto. *Gloss.* Non tantum oon assentiatis, sed etiam nec recipiatis. [*nec aue ei dixeritis:*] participando in verbo. *Tit. vltimo. Hæreticum hominem post vnam & secundam admonitionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est.*

Hæreticus præcisus in quinque vitandus.

Notandum autem quod io quioque vitandus est hæreticus præcisus:

Primo in loco orationis.

Secundo io mensa dominica.

Tertio in priuata mensa.

Quarto in osculo pacis.

Quinto in salotatione.

Prima tria comprehenduntur in hoc quod dicit [*nolite eum recipere in domo:*] id est in ecclesia ad orandum vel communicandum: vel [*in domo,*] id est in hospitio ad mensam priuatam.

Duo vltima in hoc quod dicit: [*Nec aue ei dixeritis.*] Solent enim hæc se concomitari: vnde vno remoto remouetur aliud.

Gloss. quia videtur signum consensus erroris hæc enim dicimus amicis qoorum opera nobis placent.

Sed videtur quod non solùm de præciso sit iotelligendum, sed etiam de quolibet peccatore notorio. 1. *ad Corinth.* 5. *Si quis super nominatur inter vos, & est fornicarius aut auarus, vel idolis seruiens, aut ebriosus aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.* *Obiectio.*

Resp. Præcisos debemus vitare propter præceptum ecclesiæ, notorios vero propter scandalum infirmorum. vel videtur eis audacia peccandi, vel ne corrumpamur coosortio eorum. 1. *ad Corinth.* 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* *Responsio.*

Vers. 11. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis, vt in die Domini nō confundamini.

[*Qui enim dicit illi Aue:*] salutando sicut amicum aut fratrem. communicat id est † communicando videtur. Nam huiusmodi salutatio, vt ait *Glossa*, communionem cum eo ostendit. alioqnin simulatio est quæ io christiaois esse non debet. [*operibus eius malignis:*] Contra qood *Ephes.* 4. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem arguite.* [*Ecce prædixi vobis:*] scil. vt non eos recipiatis.

† Forte communicare.

Opera tenebrarum arguenda potius quam eis communicandum.

Gregorius. Minus iacula feriunt quæ præuidentur. [*vt in die iudicii.*] Dies Domini est dies iudicii. *Psal.* 74. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Hoc vero tempus dicitur dies hominum. *Luc.* 19. *Si cognouisses & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* [*non confundamini:*] Christum modo negando, & inde tunc confusionem habendo. *Luc.* 9. *Qui me erubescit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum.* *Gregorius.*

Vers. 12. Plura habens vobis scribere: nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit.

[*Plura habens scribere vobis:*] Hic excusat se quod tam breuiter scripsit. vbi primo se excusat: postea salutat: [*salutant te.*] & primo salutat ex parte aliorum. secondo ex parte sua [*gratia tecum.*]

Dicit ergo: [*Plura habens vobis scribere:*] pertioentia ad vestram instructiooem, scilicet de aliis documentis, vel diffusius de istis: [*nolui per chartam & atramentum:*] *Gloss.* per scripturam. Scriptura enim oon adeo commouet sicut vox viua, & præsentia magistri. & subdit causam: [*spero enim:*] de gratia Dei, oon præsumo de me. [*me futurum:*] id est venturum [*ad vos,*] [*& os*] meum spero, [*ad os*] vestrum & hæreticorum obstruendum. [*loqui:*] id est præseotialiter loqoi vobiscum, & vos mecum, vt plenius vos instruam.

Viua vocis efficacia maior quam scriptura.

Hiero-

Hieronymus. habet neſcio quid latentis euergiæ viuæ vocis actus, & in auditoris aures, de auroris ore transfuſa, fortius ſonat. [*vt gaudium veſtrum ſit plenum.*] *Gloſſ.* hæreticis confuſis & veſtra fide confirmata.

Verſ. 13. Salutant te filii ſororis tuæ Electæ.

[*Salutant te:*] id eſt ſalutem orant. [*filii*] ſororis tuæ Electæ. Illa dicebatur Electa, ſicut & iſta cui ſcribit, cuius filii eam ſalutabant. vel [*filii ſororis tuæ Electæ:*] id eſt alterius eccleſiæ Metropolis. [*Gratia tecum:*] *Gloſſ.* Ego ex parte mea dico: [*Gratia tecum*] bona ſocietas. 1. *ad Corinth.* 15. *Non ego ſed gratia Dei mecum.* Gratia inquam operans ad peccatum delendum, cooperans ad benefaciendum: tecum ad perſeuerandum. [*Amen:*] Confirmatio prædictorum.

EPISTO-

EPISTOLA IOANNIS APOSTOLI TERTIA.

Capvt I.

Verſ.1.

SENIOR Gaio chariſſimo, quem ego diligo in veritate.

[*Senior Gaio chariſsimo, quem ego diligo in veritate, &c.*] Hæc eſt tertia Epiſtola Ioannis, cuius autor fuit Ioannes Apoſtolus non Ioannes Presbyter, vt quidam putauerunt: quod patet ex ſimilitudine ſermonis & affectionis. Hanc autem ſcribit cuidam viro religioſo ſcilicet Gaio Corinthio, inſtruens eum de operibus charita-

Epiſtola huius à præcedentibus differentia.

tis, & monens vt in charitate perſeueret. Differt autem à duabus præcedentibus, quia in prima egit de charitate ad Deum & ad proximũ communiter. In ſecunda de charitate ad Deum ſpecialiter. Hic agit de charitate ad proximum ſpecialiter.

Modus autem agendi eſt, quia

Primo præmittit ſuam ſalutationem.

Secundo ponit ſuam ad eum affectionem: *Gauiſus ſum, &c.*

Tertio ſubdit eius ad bonum quod incepit continuandum exhortationem: *chariſſime fideliter facis, &c.*

Quarto ponit ſuam excuſationem: *ſcripſiſſem forſan, &c.*

Apoſtolus Ioannes quomodo ſenior dictus.

Dicit ergo: [*Senior:*] ego ſcil. ætate vel moribus vel ſapientia, vel dignitate, quia presbyter Græce ſenior Latine. [*Gaio:*] ſcil. ſcribo. Iſte Gaius dicitur fuiſſe Corinthius, de quo, 1. *ad Corinth.* 1. *Neminem baptizaui niſi Criſpum & Gaium.* Et *Roman. vltim. Salutat vos Gaius hoſpes meus.* Hic, vt ait *Gloſſa* fide ſuſcepta, dedit ſe hoſpitalitati & ſuſce-

Gaius Ioanni Apoſtolo quomodo chariſſimus

ptioni prædicatorum. [*chariſsimo:*] ſpirituali dilectione coniuncto. [*quem ego diligo in veritate:*] non ficte. *Gloſſ.* non temporalium bonorum gratia, ſed æternorum cauſa.

Verſ.2. Chariſſime de omnibus orationem facio proſpere te ingredi, & valere, ſicut proſpere agit anima tua.

[*Chariſsime:*] merito vocat chariſſimum, quia operibus charitatis deditum. [*de omnibus:*] *Gloſſ.* quæ facis. [*orationem facio:*] *Gloſſ.* Hoc à Domino crebris precibus ea opto, vt quod bene agis bene proficias. Simile, *Rom.* 1. *Sine intermiſsione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis:* Et in hoc inſtituitur prælatus quia debet ſemper orare pro ſubditis ſuis. [*proſpere te ingredi.*] *Gloſſ.* de bono in melius. Profectum autem viri iuſti vocat *ingreſſum*, ad ſignificãdum quod homo quantumcunq; ſit bonus ſemper ſe debet reputare in ingreſſu & in inchoatione, & nunquam in cõſum-

Pſal. 76.

matione. vt dicat cum *Pſalm. Et dixi nunc cœpi: hæc commutatio dexteræ excelſi. Eccl.* 18. *Quum conſummauerit homo tunc incipiet, & cum quieuerit, operabitur.* [*& valere:*] vita naturæ. [*ſicut;*] i. e. ita [*proſpere agit anima tua.*] *Gloſſ.* proficiendo in animarum operibus. Et alia *Gloſſa:* vt ſicut valeas anima ſic valeas corpore. optat autem ei proſperitatem corporis bonam non quæ eſt contra animam: De qua *Prou.* 1. *Proſperitas ſtultorum perdet eos.*

Curandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano.

Verſ.3. Gauiſus ſum valde venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas.

[*Gauiſus ſum, &c.*] Hic oſtendit affectionem circa eum.

Primo ea gaudio de fama eius.

Secundo ea gaudii magnitudine: *maiorem horum, &c.*

Dicit ergo: [*Gauiſus:*] Ita pro te oro: ſed etiam [*gauiſus ſum:*] gaudio ſpirituali non carnali. [*valde;*] quia gaudio interiori & exteriori. [*venientibus:*] *Gloſſ.* à te [*fratribus:*] *Gloſſ.* peregrinis. [*& teſtimonium perhibentib. veritati tuæ:*] *Gloſſ.* veræ charitati quæ non ceſſat ab opere. veritati enim teſtimonium reddendum. *Iohan.* 18. *In hoc ego natus ſum in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* [*Sicut tu in veritate ambulas.*] *Gloſſ.* tam ſtudioſe reddunt teſtimonium, quam ſtudioſus tu es ad bene operandum. vere *gauiſus ſum.*

Verſ.4. Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare.

[*Maiorem enim horum:*] *Gloſſ.* ad me venientium. [*non habeo gratiam:*] *Gloſſ.* quando fratres veniunt ad me in nullo facto eorũ vel verbo magis gaudeo quam vt audiam eis nunciantibus, [*filios meos:*] *Gloſſ.* quos prædicando vel baptizando genui. 1. *ad Cor.* 4. *Per Euangelium in Chriſto Ieſu ego vos genui:* [*In veritate ambulare.*] *Gloſſ.* veritatem rectæ fidei & bonæ operationis obſeruare.

Obiectio.

Sed quomodo iſtũ baptizando genuit, quem Paulus baptizauit. 1. *ad Cor.* 1. *Neminem baptizaui niſi Criſpum & Gaium.*

Reſponſio.

Reſp. Genuerat hunc prædicando non baptizando: vel filius eius erat, imitatione, Pauli, generatione. Loquitur vero de filiis generaliter: ſed *Gloſſa* ſpecialiter.

Verſ.5. Chariſſime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.

[*Chariſsime fideliter facis, &c.*] Hic ponit principalem intentionem, quæ eſt exhortari eum ad hoſpitalitatem; quod facit

Primo laudando factum.

Secundo commendando perſonas quibus fit: *pro nomine enim eius.*

Tertio monſtrando meritum: *nos ergo debemus.*

Dicit

Dicit ergo: [*charissime:*] *Gloss.* Ideo non debes deficere ab hospitalitate [*fideliter facis:*] scilic. secuodum quod vera fides exigit, & veram fidem tuam operibus ostendis. *Iac. 2. Ostende mihi ex operibus fidem tuam.* [*quicquid operaris in fratres:*] subueniendo scilicet eis, à quibus nihil expectas temporale vt dicit *Glossa. Gal. 6. Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* [*& hoc*] *maxime* [*in peregrinos:*] quos non nosti. *Deuter. 10. Dominus amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum, & vos amate peregrinos.* [*qui*] fratres, maxime peregrini.

Benefaciendū quidem omnibus, sed præsertim fidelib.

Vers. 6. Testimonium reddiderunt charitati tuæ in cōspectu Ecclesiæ: quos benefacies, deducens digne Deo.

[*Testimonium reddiderunt charitati tuæ:*] *Gloss.* operibus misericordiæ. chatitas autem intelligitut non charitstis habitus vel affectus sed effectus, non solum in secreto, sed [*in conspectu ecclesiæ:*] id est in præsentia fidelium: & sic exemplo tuo alii excitant ad hospitalitatem. *Matth. 5. Sic luceant opera vestra bona, &c.* [*quos*] scil. petegrinos. [*benefaciens.*] *Gloss.* dum apud te sunt. [*deducis:*] *Gloss.* ad alia loca, ad quæ ire voluut. [*digne Deo:*] id est ad honorem Dei. quem honoras in suis membris. qui dicit *Matth. 10. Qui vos recipit, me recipit.* & subdit causam.

Vers. 7. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus.

[*Pro nomine enim eius:*] id est pro fide & honore & prædicatione nomiois eius. [*profecti sunt:*] à patria soa exules. *Gloss.* alienari à rebus propriis. [*nihil accipientes à Gentibus:*] *Gloss.* contribulibus suis quia nihil dabant eis, vt sic aoxietste famis cogerentur fidem negare. non quia non licet accipere. dicitur enim *1. ad Corinth. 10. Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, & vultis ire, omne quod apponitur vobis manducate.*

Vers. 8. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi: vt cooperatores simus veritatis.

[*Nos ergo:*] *Gloss.* qui possumus supplere indigentiam eotum.

Quæstio. Sed nunquid ipse pauper erat. *Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* quomodo ergo se diuitibus connumerat?

Responsio. Responsio *Beda in Glossa.* Hoc ideo facit, vt alacriores eos teddat & prompriores ad miserandum pauperibus. vel quia omnia bona ecclesiæ in manu sua etant. [*debemus suscipere:*] nam *seminantibus spiritualia debemus carnalia. 2. ad Corinth 4. Nostra abundantia illorum inopiam suppleat.* [*huiusmodi:*] frattes nomen Chiisti prædicantes. [*vt*] ideo scil. [*vt cooperatores simus:*] necessaria eis ministrando. [*veritatis:*] cuius illi sunt ministri eam prædicando: quasi dicat, oos qui non prædicamus, debemus necessaria ministrare prædicatoribus, vt sic simus cooperatores veritatis, & socii mercedis. *Matth. 10. Qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.*

Quæstio. Sed nunquid hospes prædicatoris eandem quam prædicator mercedem accipiet?

Responsio. Resp. Accipiet similem mercedem aureæ sed non aureolæ.

Vers. 9. Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos.

[*Scripsissem forsitan:*] Hic ponit suam excusationem.

Primo de hoc quod nihil scripsit ecclesiæ.

Secundo de hoc quod tam breuiter scripsit ei: *multa habui scribere.* Causa autem quare non scripsit ecclesiæ fuit præsentia cuiusdam hæretici verba sua non recipientis cui fauebant.

Primo ergo illum scil. Diotrephen redarguit & notat.

Secundo Gaio eius imitationem vetat: *charissime noli.*

Tertio alterum scil. Demetrium ad imitandum ei proponit & laudat. [*Demetrio testimonium:*] Notat autem illum

Primo de ambitione.

Secundo de defectione: *propter hoc si venero.*

Tertio de inhospitalitate: *& quasi non ei ista sufficiant.*

Dicit ergo: [*scripsissem:*] quasi ita tibi soli scribo de commeodatione eleemosynæ, & susceptione fratrum. [*& scripsissem forsitan*] de hac materia epistolam [*ecclesiæ:*] id est toti congregationi fidelium. [*sed is qui amat primatum gerere:*] id est vsurpat sibi principatum. *Matth. 23. Amant primas cathedras in synagogis.* [*in eis:*] id est inter eos qui tunc erant in ecclesia. [*Diotrephes:*] Nomen est proprium cuiusdam hęresiarchæ. [*non recipit nos:*] id est nostra mandata & verba. *Gloss.* nostram autoritatem. *Matth. 10. Qui vos spernit me spernit.*

Diotrephes hæresiarcha.

Vers. 10. Propter hoc si venero commoueam eius opera quæ facit: verbis malignis garriens in nos. Et quasi non ei ista sufficiant: neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt, prohibet, & de ecclesia eiicit.

[*Propter hoc:*] *Gloss.* quia deptauat scriptutam. [*Si venero:*] dubitatiue pooit propter dubium euentus. [*commoueam:*] *Gloss.* id est in omnem notitiam manifestius arguendo deducam. [*opera eius quæ facit:*] quorum exemplar à nobis non habuit, sed noua adinuenit mendacia. [*verbis malignis:*] malo igne scil. inoidiæ accensis. *Psalm. 57. Supercecidit ignis & non viderunt solem.* id est claram veritatem. [*garriens*] *Beda:* falsis rationibus: ad similitudine ro auis, quæ est animal irrationabile, & garrulosum. [*in nos:*] id est contra nos & quod dicit, [*opera quæ facit verbis malignis,*] ad significandum quod verba quandoque faciunt. *Eccles. 18. Plaga linguæ comminuet ossa: multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* [*& quasi ei non ista:*] *Gloss.* quod mihi detrahit ꝙ hospitalitatem dissuadet. [*sufficiant:*] *Gloss.* ad damnationem. [*neque ipse suscipit fratres:*] *Gloss.* indigentes: cum tamen Dominus in ipsis suscipiatur. *Matth. 25. Hospes eram & collegistis me.* Et *Matth. 10. Qui vos recipit me recipit.* cum enim aliquod bonum fit alicui membro, vtpote pedi, os quod est in capite dicit, tu mihi facis bonum. [*& eos qui suscipiunt prohibet:*] ne suscipiant. Contra quod *Prouerb. 3. Noli prohibere eum qui potest benefacere: si vales & ipse benefac.* [*& de ecclesia eiicit:*] *Gloss.* nō de consortio fidelium, sed de loco in quo conueniunt. quasi dicat non tantum prohibet suscipere, sed etiam suscipientes & susceptos eiicit de ecclesia, vt dicit *Gloss.* Hæc excommonicatio manifestum errorem continens non ligabat. Talis erat excommunicatio Iudæorum. *Ioh. 9. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis Christum confiteretur extra synagogam fieret.*

Iudæorum excommunicatio qualis erat.

Vers. 11.

Verſ. 11. Chariſſime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Qui benefacit ex Deo eſt: qui male facit, non vidit Deum.

[*Chariſſime:*] quaſi, ſed quicquid ille dicat; [*noli imitari malum:*] ſcil. Diotrephem, vel eius doctrinam. vel [*malum:*] id eſt malam eius operationem. *Pſal. 36. Noli æmulari cum malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* [*ſed quod bonum eſt:*] *Gal. 4. Bonum æmulamini in bono ſemper.* Et debes bonos imitari, [*nam qui bene facit:*] non tantum bonum ex genere operis, ſed etiam ex intentione operantis. Nam qui ex timore implet præceptum vt ait *Auguſtinus*, bonum ſed non bene facit. [*ex Deo eſt:*] imitatione: vnde *Luc. 6. Eſtote miſericordes ſicut pater veſter miſericors eſt:* non propagatione. [*qui autem male facit non videt Deum:*] & intelligenda ſunt hæc per ſe: quia in quantum bonum facit, ex Deo eſt, quia homo non facit bonum à ſe, ſed à Deo. *Ioh. 15. Sine me nihil poteritis facere.* & in quantum malum facit non videt Deum. [*non videt Deum:*] nec viſione fidei formatæ in præſenti, nec ſpei vel rei in futuro. *ſupra 1. Iohan. 4. Qui non diligit non nouit Deum.*

Bonum ſemper æmulandum.

Verſ. 12. Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus, & ab ipſa veritate, ſed & nos teſtimonium perhibemus: & noſti quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.

[*Demetrio:*] *Gloſſ.* Illud bonum quod velit imitari aperit. [*teſtimonium:*] ſcil. bonum de operib. pietatis & charitatis. [*redditur ab omnibus:*] *Gloſſ.* ad eum venientibus, vel ab eo recedentibus. [*& ab ipſa veritate.*] *Gloſſ.* à Deo qui eſt veritas. *1. Ioh. 5. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt.* [*Sed & nos.*] Ego & Apoſtoli veritatis nuncii: [*teſtimonium ei perhibemus:*] *Gloſſ.* ad commendationem hoſpitalitatis. [*& noſti:*] per experimentum. *Gloſſ.* per alia teſtimonia quæ probaſti eſſe vera. [*quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt:*] *Ioh. vlt. Qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.*

Verſ. 13. Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi.

[*Multa habui tibi ſcribere:*] Hic excuſat ſe de hoc quod tam breuiter eis ſcripſit: &

Primo oſtendit quod in proximo videbit eum corporaliter.

Secundo vt moram patienter ſuſtineat, ſalutat eum multipliciter: *pax tibi, &c.*

Dicit ergo: [*multa habui ſcribere tibi:*] *Gloſſ.* ad commendationem eleemoſynæ, & de aliis. [*ſed nolui per atramentum & calamum:*] i. e. per ſcripturam, quæ fit cum calamo & incauſto, ſed per vocem viuam. efficacior enim eſt vox viua quam mortua, quæ ſcripta eſt in pergameno de oue mortua. & ſubdit cauſam:

Verſ. 14. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

[*Spero autem protinus te videre:*] perſonaliter. [*& os*] meũ loqui [*ad os:*] *Gloſſ.* tuum. vel ad os Diotrephis obſtruendum. [*pax tibi:*] *Gloſſ.* ab illo Diotrephe & ab omnibus malis. [*ſalutant:*] i. e. ſalutem tibi optant. [*te amici:*] id eſt fideles qui ſunt nobiſcum. [*ſaluta tu:*] ex parte tua, [*amicos:*] fideles amicos tuos & noſtros. *Gloſſ.* Amicis gratiam pacis & ſalutis mandat, vt inimicos veritatis à ſalute monſtret eſſe extraneos, ſicut & Paulus expreſſe facit. *1. ad Cor. 15. Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum ſit anathema Maran-atha.* [*nominatim:*] ſingulos. quod dicit vt oſtendat ſpecialem ad ſingulos dilectionem.

Sed quæritur de hoc quod dicit: [*ſed & nos teſtimonium perhibemus:*] quare teſtimonio veritatis adiungit teſtimonium ſuum, cum omnino teſtimonio veritatis ſit credendum?

Quæſtio: Veritatis teſtimonium cur ſuum adiungat Apoſtolus Ioannes: Reſponſio.

Reſp. Etſi teſtimonium veritatis erat veriſſimum, non tamen certum, & ideo addit ſuum teſtificans teſtimonium.

EPISTOLA IVDÆ APOSTOLI CATHOLICA.

CAPVT I.

Vers. 1.

IVDAS Iesu Christi seruus: frater autem Iacobi: his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis & vocatis.

[*Iudas Iesu Christi seruus, &c.*] Hic est quarta pars huius libri & vltima: in qua ponitur epistola Iudæ. Huius epistolæ autor *Apostolus Iudas quis fuerit.* fuit *Iudas*, qui & *Thaddæus*, frater Iacobi minoris, filii Alphæi. Scribit autem non genti nec personæ speciali, sed generaliter omnibus fidelibus cuius materia est de fide & charitate, vt tangit *Glossa*. Intentio vero commonere fideles ne consentiant hæreticis eos à fide & charitate retrahentib. *Epistola Iudæ cur vltimo ordinata.* Ordinatur autē vltimo eius epistola, vel quia vltimo edita, vel quia minoris famæ & dignitatis erat cæteris. Modus autē agendi est. quia

Primo ponit salutationem.

Secundo subdit scribendi causam & rationem: *charissimi omnem solicitudinem.*

Tertio persequitur principalem intētionem: *commonere autem eos.*

In salutatione primo describitur persona salutans.

Secundo personæ salutatæ: *his qui sunt, &c.*

Tertio forma salutationis: *misericordia vobis, &c.*

Dicit ergo: [*Iudas:*] *Gloss.* confitens verbo & facto. non addit Thaddæus, licet sic cognominaretur, quia forte à religiositate sua, hoc nōmen ab omnibus erat ei impositum. Interpretatur enim confessor: id est cordis cultor. Ad vitandam ergo iactantiam, dixit Iudas tantum. [*Iesu Christi seruus:*] cui, secundum *Gregorium* super illud *Rom. 1. Seruus Iesu Christi:* *Gregorius* seruire Deo regnare est. Non ait Apostolus, causa humilitatis. [*frater autem Iacobi:*] *Gloss.* natura, fide, doctrina, vita: Iacobi minoris, qui erat Episcopus Hierosolymitanus, qui dictus est Iacobus Alphæi. Hoc autem dicitur ad differentiam Iudæ proditoris. Et nota quod Iudas bene dicitur frater Iacobi, quia Iudas, [*confitens,*] Iacobus [*supplantator*] interpretatur: & significant confessionem & satisfactionem, per quæ vitia supplantantur. Iudas inquam talis scribit his scil. fidelibus qui sunt in Deo patre tanquam filii, per filii fidem & imitationem, per quam sunt filii patris. *Ioh. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* [*dilectis:*] per charitatem & bonam operationem, & æternam prædestinationem. *Malach. 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* [*& Christo Iesu filio Dei conseruatis:*] ab errore infidelium. [*& vocatis:*] ad hanc dignitatem fidelium. vocat enim, vt ait *Glossa*, conseruat, diligit, filios & membra Dei facit.

Vers. 2. Misericordia vobis, & pax & charitas adimpleatur.

[*Misericordia vobis:*] in peccatorum condonatione quoad culpam: [*& pax,*] inimicorum perfecta reconciliatione quoad pœnam debitam. [*& charitas:*] in donorum infusione per gratiam [*adimpleatur:*] per finalem perseuerantiam Hęc tria hic inchoantur, sed in futuro adimplentur.

Vers. 3. Charissimi omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans super certari semel traditæ sanctis fidei.

[*Charissimi omnem solicitudinem:*] Hic ponit scribendi causam & rationem.

Prima est ipsius solicitudo.

Secunda hæreticorum subintroductio: *subintroierunt enim.*

Tertia eorū descriptio: *Impii, Dei nostri gratiam.*

Dicit ergo: [*charissimi:*] charitate mihi cōiuncti. [*omnem solicitudinem faciens:*] *Gloss.* omnia quæ pertinent ad solicitorum solicitudine spirituali quam sancti habent. *2. ad Cor. 11. Solicitudo omnium ecclesiarum.* [*scribendi vobis:*] epistolā, supple continentem doctrinam [*de communi vestra salute:*] *Gloss.* de fide quæ est tam mea salus quam vestra & omnium fidelium scil. fides quæ per dilectionem operatur. De hac salute 1. *Petr. 1. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.* [*necesse habui:*] vrgente mea solicitudine interius, & periculo vestro exterius [*scribo vobis:*] de pertinentibus ad salutem vestram, & hęc ratione officii deprecans non imperans. quód facit vel quia non habebat generalem autoritatem super eos, quibus scribebat, sed persuasionem: vel per hoc innuens seruitutis Christi libertatem, & suam humilitatem. [*supercertari:*] vos scilicet: *Gloss.* vsque ad mortem certari. *Eccles. 4. Pro iustitia agonizare vsque ad mortem.* & dicit [*supercertari:*] certamini enim interiori, quo captiuatur intellectus oportet addere certamen exterius, quo confutatur hæreticus. Primum pertinet ad credulitatem cordis: secundum ad effectum oris. *Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* [*fidei:*] i. e. super fidem cordis addere certamen confessionis. quasi rogo vos, vt pro fide seruanda certetis. [*semel traditæ vobis:*] i. e. perfecte. & dicit semel, propter fidei veritatem. *Eph. 4. Vnus Deus, vna fides.* vel [*semel traditæ:*] à Christo & ab Apostolis. [*sanctis:*] id est à sanctis Apostolis.

Alii libri habent. [*sanctæ fidei:*] hoc accidit, quia est de Christo Deo & homine qui est sanctus sanctorum.

Item quia à sanctis Apostolis est tradita.

Item

Item quia sanctificat corda. *Actor.15. Fide purificans corda eorum.*

Vers. 4. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impii, Dei nostri gratiã transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominũ nostrum Iesum Christum negantes.

[*Subintroierunt enim quidam homines:*] *Gloss.* Ideo necesse est quia [*subintroierunt.*] *Gloss.* sub specie religionis, quasi fidem Christi prædicentes: in quo notatur eorum dolositas, quia sub specie boni intendunt ministrare venenum. *Matth.7. Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* [*quidam:*] particulares ab vniuersali ecclesia Dei. scilicet [*homines:*] ab homo quia carnales. 1. *ad Corinth.* 2. *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* *Gloss.* humana sapientes. [*qui olim præscripti sunt:*] *Gloss.* ab æterno in Dei præscientia præuisi. [*In hoc iudicium:*] præscientia reprobationis. *Gloss.* vt sordescerent, & alios in sordes præcipitarent, & postea in iudicium futuræ damnationis.

Alia litera: [*in hoc iudicio:*] & legitur sic: [*quiolim:*] id est ab æterno. [*præscripti:*] id est à Deo præuisi. [*in hoc:*] id est vt sordescant, & alios in sordes præcipitent. [*iudicio Dei:*] scilicet iusto. [*Impii:*] *Gloss.* ipsi dico impii diuina scriptura dolo abutentes, ad subuertendum cultum Dei. Hic ergo pietas accipitur cultus Dei non compassio proximi. vel [*impii:*] generaliter, quia sui non miserentes. vel [*impii:*] pietate proximorum carentes, & eos ad peccatum trahentes. *Prouerb. 12. Iter impiorum decipiet eos.* [*Dei nostri:*] scilicet Christi, qui est Deus omnium generaliter per creationem, sed christianorum specialiter per cultum & deuotionem. [*gratiam transferentes in luxuriam.*] *Beda.* Legis duritiam quæ dicit, *oculum pro oculo*, temperat gratia euangelii: vnde à duritia punitionis, qua tunc plectebantur morte, gratia euangelii purgantur per pœnitentiam. Hanc gratiam transtulerunt in occasionem luxuriæ, quia vt dicit *Gloss.* tanto libentius peccant, quanto viderent se minus asperitate legis de facinoribus examinari siue puniri. *Gal. 5. Vos in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* [*& solum dominatorem:*] omnium generaliter. *Gloss.* tam volentium quam nolentium. [*& Dominum nostrum:*] christianorum singulariter: hi enim soli seruiunt. Secundum hoc dominator dicitur à potestate dominandi: Dominus ab actu. vel Dominator à dominatione naturali: Dominus à gratuita. Per hoc autem quod Christus solus dicitur *Dominator & Dominus*: non excluditur Pater & Spiritus sanctus: sed quia dictio exclusiua addita termino essentiali non excludit personam, simile cantat Ecclesia: *Tu solus altissimus, &c.* [*Iesum:*] *Gloss.* Saluatorem. [*Christum:*] *Gloss.* regem. [*negantes:*] corde, ore, & opere. Hæc est triplex negatio *Petri, Matth.* 26.

Christus quomodo Deus omnium, quomodo specialiter christianorum.

Impunitatis spes mundi libidinẽ in impiis accendit. Libertate christiana non est abutendum.

A dominatione vniuersi nulla Trinitatis persona excluditur.

Petri negatio triplex.

Vers. 5. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia quoniam Iesus, populum de terra Ægypti saluans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit.

[*Commonere autem vos, &c.*] Hic subdit principalem exhortationem de cautela hæreticorum Christum negantium & blasphemantium, quos detestandos ostendit,

Hæretici sunt detestandi.

Primo propter Christi quem negant potestatem.

Secundo propter ipsorum qui eum negant peruersitatem secundo capitulo: *væ illis qui in via Cain.*

Potestatem ostendit

Primo exemplo Ægyptiorum.

Secundo exemplo dæmonum: *Angelos vero, &c.*

Tertio exemplo Sodomorum: *sicut Sodoma.*

Quarto exemplo bonorum Angelorum: *Cum Michael, &c.*

Dicit ergo: [*commonere:*] *Gloss.* quia illi negant & volunt vos inducere vt negetis, ideo [*commonere vos volo:*] simul omnes monere contra illos. [*vos*] dico [*scientes semel:*] id est perfecte. [*omnia:*] *Gloss.* Arcana fidei. vnde non habetis opus audire recentia à nouis magistris. Ideo ergo commoneo quia non indigetis noua instructione, sed de iam auditis commonitione. vnctio enim in Baptismo semel accepta docet vos de omnibus, 1. *Iohan.* 2. [*quoniam Iesus:*] non filius Naue, sed Dominus noster. Aliis enim conuenit hoc nomen nuncupatiue, sed ei soli substantialiter. *Matth.* 1. [*populum suum:*] *Gloss.* humiles: vnde nomine populi eos appellat. [*saluans:*] primo scilicet. *Psal.* 105. *Saluauit eos de manu odientium: de terra Ægypti educendo. Exod.* 12. [*secundo:*] *Gloss.* postea. Proprium enim eius est misereri & parcere: irasci vero non est ex propria sua principali intentione, sed ex nostra culpa prouenit. [*eos:*] *Gloss.* murmuratores. de quibus *Num.* 11. *Quando desiderabant carnes, Exod.* 16. de *Dathan & Abiron.* [*qui non crediderunt:*] *Gloss.* verbis Moysi in deserto. [*perdidit:*] *Gloss.* per serpentes. *Num.* 21. & aliis modis, quia multis modis interierunt.

Iesu nomen quomodo Christo conueniat quomodo aliis.

Ira Dei causam in nobis esse.

Quidam igne; *Num.11. & 16.*

Quidam deuoratione terræ. *Num.16.*

Quidam morte communi, scilicet omnes à viginti annis & supra, exceptis Iosue & Caleb. *Num.* 14.

Saluauit ergo populum suum

Primo per misericordiam: sed punit malos per iustitiam. Præmittitur autem de salute, & sequitur de punitione, quia pronior est Deus ad miserandum quam ad puniendum. Item dicit

Misericordia Dei super omnia opera eius.

Secundo ad significandum quod primo puniuit eos *pœna temporali*: secundo *æterna*, & quia nunc & in futuro malos perdit. vnde *Glossa*: [*secundo:*] id est bis perdidit, quia malos & nunc & postmodum punit. Nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducuntur.

Vers. 6. Angelos vero qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.

[*Angelos vero:*] quasi non solum homines. [*vero:*] pro sed, [*Angelos,*] *Gloss.* quorum natura & potentia maior est. [*qui non seruauerunt:*] *Gloss.* per humilitatem & obedientiam. [*suum principatũ:*] *Gloss.* quo per gratiam Dei principabantur aliis sibi subiectis spiritib. Ex ista *Glossa* videtur quod habuerunt gratiam. Sed debet intelligi de gratia gratis data, non gratum faciente. [*Sed dereliquerunt:*]

Gratia gratis data & gratum faciens,

runt:] *Gloſſ.* per ſoberbiam. [*ſuum domicilium:*] *Gloſſ.* cœleſtem habitationem, vel viſionem Dei ſpiritualem, non viſionem gloriæ, ſed contemplationis internæ. non enim voluerunt eſſe contenti domicilio ſibi aſſignato. *Eſa.* 14. *Aſcendam in cœlum, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &c.* [*In iudicium magni diei:*] *Gloſſ.* venturos vt ex tunc grauius puniantur. vnde & ipſi dicunt: *Marc.* 1. *Quid veniſti ante tempus perdere nos.* Dies vero iudicii dicitur magnus propter magna quæ ibi fiunt. *Ioel.* 2. *Dies Domini magnus & horribilis.* vel [*magni Dei:*] *Gloſſ.* Cui reſiſtere vel aliquid occultare nõ poterunt. vnde magnus eſt potentia & ſapientia. & in ſignũ huius præcedet ignis ante ipſum, qui habet duo: lucere & ardere: ratione lucis patet quod nihil eum latebit: ratione ardoris, quod ſententia ſua eſt crudelis. [*vinculis æternis:*] ligatos ſupple. ſecundum *Gloſſam* vincula æterna vocat vel eorum ſuperbiam, vel impœnitentiam, vel diuinam ſententiam, vel cupiditatem rerum infimarum, quia vincti, non poſſunt ad ſuperiora reuerti. [*ſub caligine:*] *Gloſſ.* huius aeris caliginoſi; vnde dicuntur *rectores tenebrarum harum. Ephes.* 6. [*reſeruauit:*] id eſt iterum reſeruauit. *Gloſſ.* ſub caligine huius aeris iam damnatos grauioribus reſeruat pœnis. Simile *ſupra* 2. *Petr.* 2. *Si Deus angelis peccantibus non pepercit ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari.*

Dies iudicii cur magnus dicatur.

Vincula æterna quid ſint.

Verſ. 7. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ. & abeuntes poſt carnem alteram factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.

[*Sicut Sodoma & Gomorrha:*] Has duas nominat, quia celebriores, & in peccato deteriores, [*& finitimæ ciuitates:*] aliæ. [*ſimili modo:*] ſicut Sodoma & Gomorrha, quia exemplo earum ad hoc inductæ. [*exfornicatæ:*] *Gloſſ.* extra naturam, relicto naturali vſu fœminæ. [*& abeuntes:*] longe à Deo euntes in regnum diſſimilitudinis cum filio prodigo. *Luc.* 15. [*Poſt carnem alteram:*] id eſt ſequentes concupiſcentias [*in carne altera:*] id eſt carne maſculorum quæ eſt altera & indebita concubitui. Caro enim viri cum carne mulieris vna eſt. *Geneſ.* 2. ſed caro maſculi altera eſt, aliena & diuerſi ab illo opere. [*illæ*] inquam ciuitates [*factæ ſunt exemplũ ignis æterni.*] *Gloſſ.* æternæ combuſtionis. Sicut enim exarſerunt igne libidinis: ita exarſerunt igne materiali, igne ſcilicet ſulphureo, qui non fuit purgatorius, ſed initium pœnæ, & ſignum ignis futuri. 2. *Petr.* 2. *Ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens euerſione damnauit, exemplum eorũ qui impie acturi ſunt.* [*pœnam ſuſtinentes:*] temporalis ignis. *Geneſ.* 19. *Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem.*

Sodomam & Gomorrham cur nominet Apoſtolus Iohannes.

Verſ. 8. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant.

[*Similiter & hi:*] *Gloſſ.* ſicut Sodomitæ, ſunt damnandi. [*qui carnem maculant:*] propriã, vel aliorum ſicut Sodomitæ. fornicatio enim maculat 1. *ad Corinth.* 6. *Qui fornicatur in corpus ſuum peccat.* [*hi:*] ſupple damnandi ſunt pœna æterna. *Hebr. vltimo. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Gloſſ.* id eſt condemnabit. [*Dominationem autem ſpernunt:*] id eſt autoritatem principũm & prælatorum chriſtianorum per inobedientiam & propriæ excellentiæ appetitum. Contra illud *Roman.* 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* [*maieſtatem Dei blaſphemant.*] *Gloſſ.* Angelos vel ſanctos, vel Deum, quod eſt peccatum grauiſſimum. *Matth.* 12. *Spiritus blaſphemia non remittetur.* 2. *Petr.* 2. *Sectas non metuunt introducere blaſphemantes, quod faciunt dum de Deo Patre & Filio & Spiritu ſancto indigna dicunt.* Ex his patet quod hæretici damnabuntur qui carnem maculant per luxuriam, dominationem ſpernunt per ſuperbiam, maieſtatem blaſphemant per doctrinam erroneam.

Fornicationis diſcrimẽ ab aliis peccatis.

Peccatum irremiſſibile.

Verſ. 9. Cum Michael Archangelus, cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore: non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, increpet tibi Dominus.

[*Cum Michael Archangelus:*] Hic oſtendit Chriſtum non eſſe blaſphemandum exemplo angelorum bonorum; vbi

Primo tangit Angeli in verbis ſobrietatem.

Secundo hæreticorum in verbis præſumptionem: *hi autem quæcunque.*

Dicit ergo: [*Cum Michael:*] Ita blaſphemant maieſtatem, quod fieri nullatenus debet exemplo Angeli. [*Cum enim Michael, &c.*] ſicut dicit *Gloſſa*: de quibus ſcripturis hoc teſtimonium aſſumpſit Iudas, non eſt certum: tamen credibile eſt, quod mortuo Moyſe, ſubtraxit Dominus, miſſo angelo ſciente, corpus Moyſi, ita vt nullus ſciret eius ſepulturam, vt habemus *Deut. vltimo.* & hoc ne Iudæi ad Idololatriam proni eum colerent vt Deum. Angelus vero volebat occultari eius ſepulchrum; diabolus vero voluit manifeſtari, vt faceret idololatrare populum. Et hæc contrarietas vocatur altercatio eorum. Bonus vero Angelus non maledixit vel blaſphemauit eum quaſi malæ creaturæ, ſed modeſte compeſcuit eum per diuinum imperium inuocatum. Hæc vero altercatio vt ait *Gloſſa*, vbi cunque facta fuerit, hoc diligenter † aduertendum eſt, quod ſi Michael ſibi aduerſanti Diabolo blaſphemiam dicere noluit, ſed modeſto ſermone compeſcuit, multo magis hominibus blaſphemia eſt cauenda, & maxime in creatorem.

Iudæi ad idololatriam proni.

Archangeli & diaboli altercatio.

† MS. attendum: Gl. legit. intuendum.

Sed è contrario

Verſ. 10. Hi autem quæcunque ignorant, blaſphemant: quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

[*Hi*] hæretici [*quæcunque ignorant:*] *Gloſſ.* blaſphemanda eſſe ſcilicet ſpiritualia fidei arcana. [*blaſphemant.*] *Gloſſ.* ea ſola ſuperbia non ex alia cauſa. ſimile enim 2. *Petr.* 2. *In his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt.* Ita in his quæ ignorant blaſphemant. [*autem*] pro ſed. [*in his*] quæ ſciuntur qualiter ſe habent. [*quæcunque autem naturaliter:*] id eſt naturæ inſtinctu. [*norunt.*] id eſt nouerunt [*tanquam muta animalia.*] ſine ratione exiſtentia. *Gloſſ.* ſolo appetitu carnis, ſicut bruta animalia nulla ratione ab aliis diſcreta. [*in his corrumpuntur:*] implendis ſcilicet. *Gloſſ.* totum affectum ad hoc inclinant. Peccatum enim eſt corruptio modi, ſpeciei, & ordinis: vt ait *Auguſtinus.* In hoc autem quod dicit [*quæcunque norunt*

Autem pro ſed.

norunt taaquam animalia muta,] innuit quod non solum affectu brotali inclinantur ad illicita, sed ex propria malitia excæcati. *Sap. 2. Excæcauit eos malitia eorum.* Excellit enim homo bruta animalia in ratione: sed ratio deordinata vergit in malitiam. vel [*in hn corrumpuntur:*] id est cnmputrescunt ex oimia frequentia. *Ioelis 1. cap. Computruerunt iumenta in stercore suo.*

Vers. 11. Væ illis qui in via Cain abierunt: & errore Balaam, mercede effusi sunt: & in contradictione Core perierunt.

[*Væ illis qui in via Cain, &c.*] Hic dissuadet imitari hæreticos propter peruersitatem ipsorum. vbi

Primo describit eorum conuersationem.

Secundo dissuadet imitationem; *vos autem charissimi.*

Conoersationem eorum describendo primo exprimit culpam.

Secundo prædicat pœnam: *prophetauit autem de his, &c.*

Tertio ostendit pœnæ iustitiam: *hi sunt murmuratores.*

In prima primo describit eorum culpam siue malitiam ex cnmmissiuoe mali.

Secundo describit eorum culpam ex careotia siue prioatinne boni: *nubes sine aqaa.*

In prima primo describit peccata spiritualia.

Secundo carnalia: *hi sunt in epulis, &c.*

In prima primo describit peccata inuidiæ.

Secundo auaritiæ: *& errore Balaam.*

Tertio superbiæ: *& contradictione.*

Dicit ergo: [*væ illis:*] & quia tales sunt væ illis. scilicet prædictis hæreticis. *Gloss.* Damoatio est illis. [*qui in via Cain abierunt:*] qui propter inuidiam meliorum. *Gloss.* In via Cain abeunt qui propter inuidiam meliorum nomen doctorum sibi, vt honorificentur assumunt, & fratres suos ex inuidia spiritualiter, & etiam corporaliter aliquando occidunt. vel [*in viam Cain abeunt,*] qoi gladio peruersæ doctrinæ fratres suos interficiuot. Cain interfecit gladio materiali, isti gladio spirituali. in *Psalm. 63. Exacuerunt vt gladium linguas suas.* de hoc *Genes. 4.* [*& errore Balaam:*] id est errore simili errori Balaam. *Gloss.* errore Balaam pereunt, qui pro amore terrestrium commodorum veritatem quam nouerunt impugnant. De hoc: *Num. 22. & 23.* [*mercede:*] id est pro mercedis appetitu. [*effusi sunt:*] à liquore gratiæ diuinæ. *Eccles. 20. Gratia fatuorum effundentur.* [*Et*] væ illis, supple, [*qui contradictione Core perierunt:*] *Gloss.* Contradictione Core pereunt qui increpatione sanctæ ecclesiæ nolunt emendari, sed appetitu indebiti primatus, ab vnitate ecclesiæ se diuidunt. De hoc *Num. 16.*

In via Cain qui iam abeant. *Errore Balaam quinā pereant.* *Contradictione Core quinam pereant.*

Tangit ergo triplicem causam motiuam eorum scil. inuidiam ecclesiasticæ felicitatis.

Auaritiam terrenæ cupiditatis.

Superbiam & ambitionem honoris.

Vers. 12. Hi sunt in epulis suis, maculæ, conuiuantes sine timore, semeipsos pascentes, nubes sine aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.

[*Hi sunt in epulis suis:*] Hic describit peccata eorum carnalia, scilicet gulæ & luxuriæ. [*hi sunt,*] præter præmissa vitia. [*in epulis suis:*] *Gloss.* Studentes gulæ vltra modum. maculæ conuiuantes. *Gloss.* non solum in comessationibus & ebrietatibus pereunt & maculantur, sed etiam sunt maculæ aliorum. vnde dicontur *maculæ* ad maiorem expressionem, & causaliter, quia alios maculant. [*sine timore:*] *Gloss* Omnia mala cum multo contempto facientes. *Eccles. 1. Qui sine timore est non poterit iustificari.* [*semetipsos pascentes:*] *Gloss.* nnn pauperes Christi. *Ezechiel. 37. Væ pastoribus qui pascebant semetipsos.* dicuntur ergo maculæ, quoad impudicitiam. [*conuiuantes:*] quoad crapulam. [*sine timore:*] quoad ineptam lætitiam. [*pascentes semetipsos:*] non pauperes, qunad immisericordiam. [*Nubes sine aqua:*] Hic describitur eorum malitia ex carentia siue priuatione boni: primo doctrinæ: secundo vitæ: [*arbores autumnales.*]

Macula causaliter.

Dicit ergo: [*nubes sine aqua:*] id est prædicatores sine diuina sapientia. Prædicatoros enim dicōtur nnbes. *Esa. 60. Qui sunt isti qui vt nubes volant.* dicuntur enim nubes quia à terra eleuantur, & aqua sapientiæ replentur, cum non sont sine diuina sapientia. [*nubes sine aqua:*] *Gloss.* comparant se prædicatoribus pluentibus iustitiam & coruscantibus permirabilia, & ipsi sunt nobes solem obscurantes, in cœlum os suum ponentes, peruersa superbiæ soperbe docentes. [*quæ à ventis circumferuntur.*] *Gloss.* ad suggestionem spirituum inimicorum, in diuersos errores vitiorum rapiuntur *Ephes. 4. Non circumferamur omni vento doctrinæ.* [*arbores autumnales:*] *Glossa:* tarde ferentes fructum bonū, sicut arbores in automno plantatæ: vel quia tunc folia & fructus cadunt: vel si supercrescit fructus adulterinus est, & est inutilis. Si quid enim faciunt qood bonum videatur, non bona intentinne agunt, sed vt bona in aliis extirpent. *Matth. 7. Non potest arbor mala fructum bonum facere.* [*infructuosa:*] *Gloss.* Nullam vtilitatem sibi vel aliis ferentes. *Matth. 7. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* [*bis mortua, &c.*] id est in ramis & in radice: in ramis booorum operum, & in radice bonarum voluntatum. [*eradicatæ:*] id est extra radicem charitatis extractæ. contra quod *Ephes. 3. In charitate radicati & fundati, &c.* vel sic: [*bis mortua:*] primo per peccatum apostasiæ. [*eradicata:*] *Gloss.* à Deo. Deus enim est locus animæ. 1 *Iohan. 4. Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* Et in hoc notat quod omnis dispositio & habilitas ad bonum priuata est in eis, sicut in arbore eradicata dispositio ad fructificandum. Dicuntur ergo *arbores autumnales*, propter foliorum casum, id est verborum vanitatem. [*infructuosa:*] propter operum inutilitatem. [*bis mortua:*] propter apostasiæ crimen. [*eradicata:*] propter schismatis præcisionem.

Nubes sine aqua. *Prædicatores quare nubes appellate.* *Cur pseudoprophetæ arbores autumnales appellantur*

Vers. 13 Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia. quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.

[*Fluctus feri maris:*] id est crudeliter & amare alios inquietantes. *Esa. 57. Impii quasi mare feruens quod quiescere non potest.*

Interlinearis. Semper inquieti, tumidi, tenebrosi,

runt:] *Gloſſ.* per ſuperbiam. [*ſuum domicilium:*] *Gloſſ.* cœleſtem habitationem, vel viſionem Dei ſpiritualem, non viſionem gloriæ, ſed contemplationis internæ. non enim voluerunt eſſe contenti domicilio ſibi aſſignato. *Eſa.* 14. *Aſcendam in cœlum, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &c.* [*In iudicium magni diei:*] *Gloſſ.* venturos vt ex tunc grauius puniantur. vnde & ipſi dicunt: *Marc.* 1. *Quid veniſti ante tempus perdere nos.* Dies vero iudicii dicitur magnus propter magna quæ ibi fiunt. *Ioel.* 2. *Dies Domini magnus & horribilis.* vel [*magni Dei:*] *Gloſſ.* Cui reſiſtere vel aliquid occultare nõ poterunt. vnde magnus eſt potentia & ſapientia. & in ſignũ huius præcedet ignis ante ipſum, qui habet duo: lucere & ardere: ratione lucis patet quod nihil eum latebit: ratione ardoris, quod ſententia ſua eſt crudelis. [*vinculis æternis:*] ligatos ſupple. ſecundum *Gloſſam* vincula æterna vocat vel eorum ſuperbiam, vel impœnitentiam, vel diuinam ſententiam, vel cupiditatem rerum infimarum, qua vincti, non poſſunt ad ſuperiora reuerti. [*ſub caligine:*] *Gloſſ.* huius aeris caliginoſi: vnde dicuntur *rectores tenebrarum harum. Epheſ.* 6. [*reſeruauit:*] id eſt iturum ſeruauit. *Gloſſ.* ſub caligine huius aeris iam damnatus grauioribus reſeruat pœnis. Simile *ſupra* 2. *Petr.* 2. *Si Deus angelis peccantibus non pepercit ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari.*

Dies iudicii cur magnus dicatur.

Vincula æterna quid ſint.

Verſ. 7. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.

[*Sicut Sodoma & Gomorrha:*] Has duas nominat, quia celebriores, & in peccato deteriores, [*& finitimæ ciuitates:*] aliæ. [*ſimili modo:*] ſicut Sodoma & Gomorrha, quia exemplo earum ad hoc inductæ. [*exfornicatæ:*] *Gloſſ.* extra naturam, relicto naturali vſu fœminæ. [*& abeuntes:*] longe à Deo euntes in regnum diſſimilitudinis cum filio prodigo. *Luc.* 15. [*Poſt carnem alteram:*] id eſt ſequentes concupiſcentias [*in carne altera:*] id eſt carne maſculorum quæ eſt altera & indebita concubitui. Caro enim viri cum carne mulieris vna eſt. *Geneſ.* 2. ſed caro maſculi altera eſt, aliena & diuerſa ab illo opere. [*Illæ*] inquam ciuitates [*factæ ſunt exemplũ ignis æterni.*] *Gloſſ.* æternæ combuſtionis. Sicut enim exarſerunt igne libidinis: ita exarſerunt igne materiali, igne ſcilicet ſulphureo, qui non fuit purgatorius, ſed initium pœnæ, & ſignum ignis futuri. 2. *Petr.* 2. *Ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens euerſione damnauit, exemplum eorũ qui impie acturi ſunt.* [*pœnam ſuſtinentes:*] temporalis ignis. *Geneſ.* 19. *Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem.*

Sodomam & Gomorrham cur nominet Apoſtolus Iudas.

Verſ. 8. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant.

[*Similiter & hi.*] *Gloſſ.* ſicut Sodomitæ, ſunt damnandi. [*qui carnem maculant:*] propriã, vel aliorum ſicut Sodomitæ. fornicatio enim maculat 1. *ad Corinth.* 6. *Qui fornicatur in corpus ſuum peccat.* [*hi:*] ſupple damnandi ſunt pœna æterna. *Hebr. vltimo. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Gloſſ.* id eſt condemnabit. [*Dominationem autem ſpernunt:*] id eſt autoritatem principum & prælatorum chriſtianorum per inobedientiam & propriæ excellentiæ appetitum. Contra illud *Roman.* 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* [*maieſtatem Dei blaſphemant.*] *Gloſſ.* Angelos vel ſanctos, vel Deum, quod eſt peccatum grauiſſimum. *Matth.* 12. *Spiritus blaſphemia non remittetur.* 2. *Petr.* 2. *Sectas non metuunt introducere blaſphemantes, quod faciunt dum de Deo Patre & Filio & Spiritu ſancto indigna dicunt.* Ex his patet quod hæretici damnabuntur qui carnem maculant per luxuriam, dominationem ſpernunt per ſuperbiam, maieſtatem blaſphemant per doctrinam erroneam.

Fornicatione diſcrimẽ animus patitur.

Peccatum irremiſſibile.

Verſ. 9. Cum Michael Archangelus, cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore: non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, increpet tibi Dominus.

[*Cum Michael Archangelus:*] Hic oſtendit Chriſtum non eſſe blaſphemandum exemplo angelorum bonorum; vbi

Primo tangit Angeli in verbis ſobrietatem.

Secundo hæreticorum in verbis præſumptionem: *hi autem quæcunque.*

Dicit ergo: [*Cum Michael:*] Ita blaſphemant maieſtatem, quod fieri nullatenus debet exemplo Angeli. [*Cum enim Michael, &c.*] ſicut dicit *Gloſſa*: de quibus ſcripturis hoc teſtimonium aſſumpſit Iudas, non eſt certum: tamen credibile eſt, quod mortuo Moyſe, ſubtraxit Dominus, miſſo angelo ſciente, corpus Moyſi, ita vt nullus ſciret eius ſepulturam, vt habemus *Deut. vltimo.* & hoc ne Iudæi ad Idololatriam proni eum colerent vt Deum. Angelus vero volebat occultari eius ſepulchrum: diabolus vero voluit manifeſtari, vt faceret idololatrare populum. Et hæc contrarietas vocatur altercatio eorum. Bonus vero Angelus non maledixit vel blaſphemauit eum quaſi malæ creaturæ, ſed modeſte compeſcuit eum per diuinum imperium inuocatum. Hæc vero altercatio vt ait *Gloſſa*, vbicunque facta fuerit, hoc diligenter † aduertendum eſt, quod ſi Michael ſibi aduerſanti Diabolo blaſphemiam dicere noluit, ſed modeſto ſermone compeſcuit, multo magis hominibus blaſphemia eſt cauenda, & maxime in creatorem.

Iudæi ad idololatriam proni.

Archangeli & diaboli altercatio.

† MS. aduertendum: Gl. legit. intuendum.

Sed è contrario

Verſ. 10. Hi autem quæcunque ignorant, blaſphemant: quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

[*Hi*] hæretici [*quæcunque ignorant:*] *Gloſſ.* blaſphemanda eſſe ſcilicet ſpiritualia fidei arcana. [*blaſphemant.*] *Gloſſ.* ex ſola ſuperbia non ex alia cauſa. ſimile enim 2. *Petr.* 2. *In his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt.* Ita in his quæ ignorant blaſphemant. [*autem*] pro ſed. [*in his*] quæ ſciunt qualiter ſe habent. [*quæcunque autem naturaliter:*] id eſt naturæ inſtinctu. [*norunt.*] id eſt nouerunt [*tanquam muta animalia.*] ſine ratione exiſtentia. *Gloſſ.* ſolo appetitu carnis, ſicut bruta animalia nulla ratione ab aliis diſcreta. [*in his corrumpuntur:*] implendis ſcilicet. *Gloſſ.* totum affectum ad hoc inclinant. Peccatum enim eſt corruptio modi, ſpeciei, & ordinis: vt ait *Auguſtinus*. In hoc autem quod dicit [*quæcunque*

Autem pro ſed.

norunt

norunt tanquam animalia muta,] Innuit quod non solum affectu brutali inclinantur ad illicita, sed ex propria malitia excæcati. *Sap. 2. Excæcauit eos malitia eorum.* Excellit enim homo bruta animalia in ratione: sed ratio deordinata vergit in maliriam. vel [*in hæc corrumpuntur:*] id est computrescunt ex nimia frequentia. *Ioelis 1. cap. Computruerunt iumenta in stercore suo.*

Vers. 11. Væ illis qui in via Cain abierunt: & errore Balaam, mercede effusi sunt: & in contradictione Core perierunt.

[*Væ illis qui in via Cain, &c.*] Hic dissuadet imitari hæreticos propter peruersitatem ipsorum. vbi

Primo describit eorum conuersationem.

Secundo dissuadet imitationem: *vos autem charissimi.*

Conuersationem eorum describendo primo exprimit culpam.

Secundo prædicat pœnam: *prophetauit autem de his, &c.*

Tertio ostendit pœnæ iustitiam: *hi sunt murmuratores.*

In prima primo describit eorum culpam siue malitiam ex commissione mali.

Secundo describit eorum culpam ex carentia siue priuatione boni: *nubes sine aqua.*

In prima primo describit peccata spiritualia.

Secundo carnalia: *hi sunt in epulis, &c.*

In prima primo describit peccata inuidiæ.

Secundo auaritiæ: *& errore Balaam.*

Tertio superbiæ: *& contradictione.*

Dicit ergo: [*væ illis:*] & quia tales sunt væ illis. scilicet prædictis hæreticis. *Gloss.* Damnatio est illis. [*qui in via Cain abierunt:*] qui propter inuidiam meliorum. *Gloss.* In via Cain abeunt qui propter inuidiam meliorum nomen doctorum sibi, vt bonorificentur assumunt, & fratres suos ex inuidia spiritualiter, & etiam corporaliter aliquando occidunt. vel [*in viam Cain abeunt,*] qui gladio peruersæ doctrinæ fratres suos interficiunt. Cain interfecit gladio materiali, isti gladio spirituali. in *Psalm. 63. Exacuerunt vt gladium linguas suas.* de hoc *Genes. 4.* [*& errore Balaam:*] id est errore simili errori Balaam. *Gloss.* errore Balaam pereunt, qui pro amore terrestrium commodorum veritatem quam nouerunt impugnant. De hoc: *Num. 22. & 23.* [*mercede:*] id est pro mercedis appetitu. [*effusi sunt:*] à liquore gratiæ diuinæ. *Ecclesi. 20. Gratia fatuorum effundentur.* [*Et*] væ illis, supple, [*qui contradictione Core perierunt:*] *Gloss.* Contradictione Core pereunt qui increpatione sanctæ ecclesiæ nolunt emendari, sed appetitu indebiti primatus, ab vnitate ecclesiæ se diuidunt. De hoc *Num. 16.*

In via Cain quinam abeant.

Errore Balaam quinam pereant.

Contradictione Core quinam pereant.

Tangit ergo triplicem causam mortuam eorum scil. inuidiam ecclesiasticæ felicitatis.

Auaritiam terrenæ cupiditatis.

Superbiam & ambitionem honoris.

Vers. 12. Hi sunt in epulis suis, maculæ, conuiuantes sine timore, semeipsos pascentes, nubes sine aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.

[*Hi sunt in epulis suis:*] Hic describit peccata eorum carnalia, scilicet gulæ & luxuriæ. [*hi sunt,*] præter præmissa vitia. [*in epulis suis:*] *Gloss.* Studentes gulæ vltra modum. maculæ conuiuantes. *Gloss.* non solum in comessationibus & ebrietatibus pereunt & maculantur, sed etiam sunt maculæ aliorum. vnde dicuntur *macula* ad maiorem expressionem, & causaliter, quia alios maculant. [*sine timore:*] *Gloss.* Omnia mala cum multo contemptu facientes. *Ecclesi. 1. Qui sine timore est non poterit iustificari.* [*semetipsos pascentes:*] *Gloss.* non pauperes Christi. *Ezechiel. 37. Væ pastoribus qui pascebant semetipsos.* dicuntur ergo maculæ, quoad impudicitiam. [*conuiuantes:*] quoad crapulam. [*sine timore:*] quoad ineptam lætitiam. [*pascentes semetipsos:*] non pauperes, quoad immisericordiam. [*Nubes sine aqua:*] Hic describitur eorum malitia ex carentia siue priuatione boni: primo doctrinæ: secundo vitæ: [*arbores autumnales.*]

Macula causaliter.

Dicit ergo: [*nubes sine aqua:*] id est prædicatores sine diuina sapientia. Prædicatores enim dicuntur nubes. *Esa. 60. Qui sunt isti qui vt nubes volant.* dicuntur enim nubes quia à terra eleuantur, & aqua sapientiæ replentur, cum non sunt sine diuina sapientia. [*nubes sine aqua:*] *Gloss.* comparant se prædicatoribus pluentibus iustitiam & coruscantibus per mirabilia, & ipsi sunt nubes solem obscurantes, in cœlum os suum ponentes, peruersa superbiæ superbe docentes. [*quæ à ventis circumferuntur.*] *Gloss.* ad suggestionem spirituum inimicorum, in diuersos errores vitiorum rapiuntur *Ephes. 4. Non circumferamini omni vento doctrinæ.* [*arbores autumnales:*] *Glossa:* tarde ferentes fructum bonũ, sicut arbores in autumno plantatæ: vel quia tunc folia & fructus cadunt: vel si supercrescit fructus adulterinus est, & est inutilis. Si quid enim faciunt quod bonum videatur, non bona intentione agunt, sed vt bona in aliis extirpent. *Matth. 7. Non potest arbor mala fructum bonum facere.* [*infructuosa:*] *Gloss.* Nullam vtilitatem sibi vel aliis ferentes. *Matth. 7. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* [*bis mortua, &c.*] id est in ramis & in radice: in ramis bonorum operum, & in radice bonarum voluntatum. [*eradicata:*] id est extra radicem charitatis extractæ. contra quod *Ephes. 3. In charitate radicati & fundati, &c.* vel sic: [*bis mortua:*] primo per peccatum apostasiæ. [*eradicata:*] *Gloss.* à Deo. Deus enim est locus animæ. *1. Iohan. 4. Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* Et in hoc notat quod omnis dispositio & habilitas ad bonum priuata est in eis, sicut in arbore eradicata dispositio ad fructificandum. Dicuntur ergo *arbores autumnales*, propter foliorum casum, id est verborum vanitatem. [*infructuosa:*] propter operum inutilitatem. [*bis mortua:*] propter apostasiæ crimen. [*eradicata:*] propter schismatis præcisionem.

Nubes sine aqua. Prædicatores quare nubes appellati.

Cur pseudoprophetæ arbores autumnales appellentur

Vers. 13 Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia. quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.

[*Fluctus feri maris:*] id est crudeliter & amare alios inquietantes. *Esa. 57. Impii quasi mare feruens quod quiescere non potest.*

Interlinearis. Semper inquieti, tumidi, tene-

brosi, amari, stabilitatem ecclesiæ impugnantes. [*despumantes:*] id est ad modum maris inquieti spumantes. [*confusiones suas:*] id est inquietudinem suam ostendentes, vnde est eis confusio. vel in spuma notatur eorum elatio vana. *Sap. 5: Tanquam spuma gracilis quæ à vento dispergitur*; ad quam elationem sequitur confusio. vnde sequitur.

[*Confusiones suas:*] quidam exponunt sic: [*despumantes confusiones suas:*] id est in spuma gulæ & luxuriæ suam immunditiam manifestantes. 2. *Petr. 2. Post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant.* [*sidera errantia:*] sidera propter lucem veritatis quam prædicant se habere: sed [*errantia:*] id est in fundamento veritatis vel fidei: non fixa. *Gloss.* in hoc apostatas significat, & ideo tales, sequentes seducunt in errorem, nec sunt imitandi. Nautæ enim non dirigunt naues secundum stellas erraticas sed fixas. Isti sunt de illis, quarum *tertiam partem traxit secum draco*, *Apocal.* 12. [*quibus:*] hæresiarchis. [*procella tenebrarum:*] id est magnitudo pœnarum infernalium. [*conseruata est in æternum:*] *Gloss.* non ad tempus vt hæretici dicunt infernum post iudicium non fore. Per hoc quod dicitur *procella*, intelligitur pœna sensus: per hoc quod dicitur *tenebrarum*, pœna damni, id est carentiæ visionis diuinæ. Hæ tenebræ significatæ sunt. *Exod.* 10. vbi dicitur quod *factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti.* Per hoc quod dicitur, [*conseruata in æternum:*] intelligitur æternitas vtriusque. *Esa. vlt. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Sic ergo hæresiarchæ comparantur nubibus, arboribus, fluctibus, sideribus. *nubibus* propter fidei instabilitatem. *arboribus*: propter † bonorum operum sterilitatem. *fluctibus*: propter eorum turbationem. *sideribus*: propter doctrinæ falsitatem.

Apostata per sidera errantia designati.
Nautæ quomodo suas naues dirigant.
Pœna sensus.
Pœna damni.
Ab inferno non datur redemptio.
Hæresiarcharum cũ variis rebus comparatio.
† arborum MS.

Vers. 14 Prophetauit autem de his septimus ab Adam, Enoch, dicens.

[*Prophetauit autem de his, &c.*] Expressa eorum culpa hic prædicit pœnam. &

Primo ostendit eos in Iudicio arguendos & puniendos.

Secundo de quo, ibi: *de omnibus operibus. &c.*

Dicit ergo: [*Prophetauit autem:*] *Gloss.* Non solum autoritate mea probo quod puniendi sunt, sed etiam autoritate prophetæ. quia [*prophetauit,*] verbo, [*de his:*] id est de eorum punitione, & perditione hæreticorum, per hoc quod prophetauit de damnatione impiorum. [*Enoch septimus ab Adam:*] scilicet vtroque computato. *Genes. 5. Iste Enoch fuit de stirpe Seth qui in paradisum fuit raptus. Sap.* 10.

Vers. 15. Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorũ quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra eum peccatores impii.

[*Ecce veniet:*] id est in proximo est aduentus eius. *Matth.* 24. *Scitote quia prope est & in ianuis.* vel hoc dicit ad denotandum, quod sibi præsens est iudicium. 2. *Petr. 3. Mille anni coram Domino, quasi dies vnus.* [*Dominus:*] absolute quia ipse est *Dominus Dominorum*, *Apocal.* 19. & dicit *Glossa*, potenter & terribiliter. [*cum sanctis millibus suis:*] id est cum innumerabili multitudine sanctorum. *Esa. 3. Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui.* In hoc autem quod dicit *millibus* notatur consummata perfectio sanctorum. [*facere iudicium:*] condemnationis. *Gloss.* pœnas infereodo. [*contra omnes:*] *Gloss.* malos. [*& arguere:*] disceptando cum illis, dicendo: *Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c. Matth.* 25. *Ioel. 3. Congregabo omnes gentes, & adducam eos in conuallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* vel [*arguere:*] *Gloss.* conuincere eos qui prius latebant: secundum illud *Ephes. 5. Omnia quæ arguuntur à lumine manifestantur.* [*omnes impios:*] id est maiores & minores & mediocres. [*impios:*] qui carent pietate, quæ est cultus Dei, & pietate in proximum. *Iac. 2. Iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam.* [*De omnibus operibus, &c.*] Hic ostendit de quo puniẽtur & arguentur in iudicio: primo in generali: secundo in speciali. [*hi sunt murmuratores, &c.*]

Dominus aduentus proximus.
Immisericordis immisericordia punienda.

In prima parte

Primo tanguntur peccata operis.

Secundo oris: *& de omnibus duris, &c.*

Dicit ergo: [*de omnibus operibus impietatis eorum quibus impie egerunt:*] siue occultis siue manifestis. Et accipitur *opus* large: cum sit interius siue exterius, siue sit commissionis, siue omissionis: secundum quod quædam *Glossa* dicit *super Epistolam ad Romanos*: quod operari & non operari partes sunt ad operari: secundum quod vulgariter dicitur bene fecisti quia non fecisti. *Eccles. vltim. Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in iudicio pro omni erratosiue bonum siue malum.* [*& de omnibus duris:*] imo etiam de ociosis. *Matth.* 12. *Omne verbum ociosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* [*quæ locuti sunt contra Dominum.*] id est de omnibus verbis blasphemiæ. *Gloss.* Blasphemantes maiestatem. [*peccatores:*] in moribus. [*impii:*] in cultu fidei. vel [*peccatores:*] in homines. [*impii:*] in Deum.

Opus large sumptum pro quouis opere.
Hominum opera omnia iudicabuntur.

Notandum autem vt ait *Glossa*, quod sententia hæc vera est quod Dominus arguet impios & de operibus & de verbis. sed liber Enoch de quo assumpsit hoc testimonium est Apocryphus, ab alio quodã sub nomine † Enoch compositus: in quo libro multa incredibilia continentur. vnde & hæc Epistola Iudæ quæ de Apocrypho habet testimonium priscis temporibus à plerisque reiiciebatur: sed iam autoritate, & vetustate & vsu meruit vt inter sanctas scripturas cõputetur: maxime quod tale testimonium de Apocrypho sumpsit, quod non Apocryphum & dubium, sed vera luce esset perspicuum. licet enim de Apocryphis testimonium veritatis sumere.

Liber Enoch apocryphus incredibilia continens.
† Quodam loge MS.
Epistola Iudæ à plerisq; olim apocrypha habita.
De apocryphis testimonium veritatis sumere licet.

Vers. 16. Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam, mirantes personas quæstus causa.

[*Hi sunt murmuratores:*] *Gloss.* contra Dei dispositionem: & hoc in aduersitate. contra quos 1 *ad Corinth.* 10. Neque murmuraueris sicut quidam eorum murmurauerunt. vel [*murmuratores & querulosi:*] *Gloss.* si fratribus aliquid boni contingit murmurãt, vel conqueruntur quia sua fe-

licitas

licitas in eorum prosperitate minuatur. vel [*querulosi*] id est conqueri assueti. *Gloss.* quæcunque sibi contingant. [*secundum desideria sua ambulantes*] id est de peccato in peccatum ruentes, secundum desideria sua carnalia. Contra illud. *Galat.* 5. *Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis.* & *Ecclesiastic.* 15. Post concupiscentias tuas non eas. [*& os eorum loquitur superbiam*] id est verba superba. *Glossa.* iactant se nullo timore dimissuros quæ agunt: se solos Deum cognoscere.

Superbia pro verbis superbis.

Alia *Glossa*: Pauperes contemnunt. [*mirantes*] *Gloss.* honorantes in quo notatur excessus honoris, qui solet inducere admirationem. [*personas*] *Gloss.* diuitum: pauperes vero contemnunt. vnde sunt acceptores personarum. Contra quod *Leuitic.* 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* [*quæstus causa*:] *Gloss.* non dilectionis. *Prouerb.* 19. *Multi colunt personam potentis & amici sunt dona tribuentis.* 1. *ad Timoth.* 6. *æstimantes quæstum pietatem.*

προσωποληψία vitanda.

Vers. 17. Vos autem charissimi memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi.

[*Vos autem charissimi*] Dissuadet eorum imitationem, exhortans

Primo ad fidei conseruationem.

Secundo ad bonorum operum superædificationem: *vos autem charissimi &c.*

Tertio ad Dei de vtroque glorificationem: *ei autem qui potens est*:

In prima parte primo monet ab hæreticis attendere.

Secundo docet eos cognoscere: *hi sunt qui segregant.*

Dicit ergo: [*vos autem*] *Gloss.* quicquid illi dicant vel faciant [*vos charissimi*] Catholici [*memores estote*] *Gloss.* corde & opere. [*verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis*] *Glossa.* qui fuerunt nuntii præteritorum & Prophetæ futurorum. [*Domini nostri*:] quoad diuinitatem. [*Iesu Christi*:] quoad humanitatem.

Vers. 18. Qui dicebant vobis, quoniam in nouissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

[*Qui dicebant vobis*] *Gloss.* Spiritu sancto illuminati. spiritus enim loquebatur eis. *Matth.* 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* [*quoniam in nouissimis temporibus*] *Gloss.* tempore Antichristi, cuius isti iam sunt præambuli. [*venient*] propria vsurpatione non Dei missione. *Ierem.* 23. *Non mittebam eos & ipsi currebant.* & *Iohann.* 10. *Quotquot venerunt fures sunt & latrones.* [*illusores*] scilicet veritatis per doctrinam erroris. *secundum desideria sua ambulantes*: per consuetudinem in operibus carnalitatis. *Glossa.* quos tali signo potestis cognoscere quod gulosi & auari sunt & luxuriosi. & dicit [*ambulantes*] de malo in peius proficientes. 2. *ad Timoth.* 3. *Mali autem proficient in peius.* *Psalm.* 80. *Ibunt in adinuentionibus suis.* [*in impietate*] scilicet cultus diuini, quia corrupti in moribus & in fide. 2. *ad Timoth.* 3. *Homines corrupti mente repro-*

Antichristi πρόδρομοι.

bi circa fidem. De aduentu talium hæreticorum dictum est supra. 2. *Petr.* 3. *In nouissimis temporibus venient in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes.* & 2. *ad Timoth.* 3. *In nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes &c.*

Nouissimorum temporum deprauati mores.

Vers. 19. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.

[*Hi sunt*] scilicet hæretici. [*qui segregant*] id est separati per hæreses & schismata. [*semetipsos*] *glo.* à sorte iustorum: scilicet ab vnitate Ecclesiæ. scindunt enim tunicam Domini inconsutilem, quod milites facere noluerunt. *Iohann.* 19. [*animales*] vita & sensu. *Gloss.* animæ concupiscentias sequentes. [*spiritum non habentes*] *Gloss.* Spiritum sanctum, quo ecclesia congregatur & spiritualis efficitur, non habent. *Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* 1. *ad Corinth.* 2.

Animales.

Vers. 20. Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ fidei, in Spiritu sancto, orantes,

[*Vos autem charissimi &c.*] Hic monet ad bonorum operum superædificationem: &

Primo quoad se:

Secundo quoad alios: *& hos quidem arguite.*

In prima primo hortatur ad operationem boni: in secundo ad perseuerantiam in operatione: *expectantes misericordiam &c.*

Dicit ergo: [*vos autem*] ita segregant se ab ecclesia fidelium, [*vos autem charissimi superædificantes vosmetipsos*] in ædificio spirituali per bonam operationem, tanquam lapides viuos. 2. *Petr.* 2. *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum &c.* [*sanctissimæ vestræ fidei*] quasi fundamento. *Ephes.* 3. *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo.* Quæ fides dicitur sanctissima quia purgata ab omni contagio erroris, carnalitatis & terrenitatis. [*vos*] dico [*orantes*] *Gloss.* non de vestris meritis præsumentes & per vos saluari putantes. sed [*orantes*] id est diuinum auxilium implorantes. [*In Spiritu sancto*] id est in vestro spiritu sanctificato: vel in Spiritu sancto monente ad orandum, & docente quid orandum. *Roman* 8. *Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Fides sanctissima cur dicatur.

Orare nos docet Spiritus sanctus.

Vers. 21. Vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.

[*Vosmetipsos in dilectione Dei seruate*] non tantum alios: vt multi de quibus 1. *ad Corinth.* 13. Factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Alter enim seruari non poteritis: immo necesse est perire. *Deuteronom.* 4. *Custodi temetipsum & animam tuam solicite.* [*expectantes*:] spei certitudine. *Psalm.* 39. *Expectans expectaui Dominum & intendit mihi* [*misericordiam*] id est misericordiæ effectum, in peccatorum remissione & donorum collatione. *Thren.* 3. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* [*Domini nostri*] secundum Deitatem. [*Iesu Christi*] secundum humanitatem.

[*in vitam æternam*] *Gloſ.* ducentis: Miſericordia enim Chriſti ducit ad vitam æternam. *Eccleſ.* 16. *Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum merita ſua. Tit.* 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.*

Verſ. 22. Et hos quidem arguite iudicatos: illos vero ſaluate, de igne rapientes.

[*Et hos quidem*] ita ſuperædificate vos, vt ſitis radicati in fide & ſpe, & dilectione. [*& hos quidem*] id eſt obſtinatos hæreticos fidem impugnantes. [*arguite*] *Gloſ.* non ad vtilitatem eorum, ſed Eccleſiæ. 2. *Timoth.* 4. *Argue, obſecra, increpa.* [*Iudicatos*] *Gloſ.* certiſſime diuino iudicio iam damnatos. *Iohann.* 3. *Qui non credit iam iudicatus eſt.* [*illos autem*] id eſt alios qui non ſunt in hæreſi obſtinati, tamen ſunt in ardore peccandi. [*ſaluate*] ſcilicet quantum in vobis eſt hoc facite. vt ſaluentur. & ſubdit modum dicens: [*de igne*] ſcilicet peccati [*rapientes*] quadam violentia extrahentes. *Prouerb.* 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem. & qui trahuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes.*

Verſ. 23. Aliis autem miſeremini in timore: odientes & eam quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.

[*Aliis autem*] *Gloſ.* pœnitentibus pro peccatis. [*miſeremini*] adiuuando & pro eis orando, & eorum labores ſupportando. *Iob.* 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei.* [*vel aliis*] quos in peccato obſtinatos videris vt dicit *Gloſſa.* [*miſeremini*] condolendo, quod non poteſtis eos ſaluare vt ait *Gloſſa.* [*in timore*] hoc ad illa tria iungendum eſt. nam & Apoſtatas ſiue hæreticos cum quis arguit, in timore arguere debet, ne forte ſibi ſuiſque tale aliquid contingat. Et qui de incendio vitiorum alium caſtigans eripit, timeat ne & ipſe tentetur. Et qui pœnitenti proximo miſeretur circumſpiciat, ne forte plus iuſto vel ſeuerus exiſtat vel iuſtus. Nota quod quidam ſanctus homo dicebat, quod multum debet eſſe ſecurus, qui alium vult eripere de periculo ſubmerſionis. [*odientes*] odio ſcilicet perfecto, quo ſeparatur vitium à natura. *Pſalm.* 138. *Perfecto odio oderam illos.* [*eam tunicam*] *Glo.* corpus mortale & paſſibile, quo velatur anima. [*quæ carnalis eſt maculatam*] *Gloſ.* quæ concupiſcentiis carnis polluitur. & alia *Gloſſa*: non corpus ſed maculatum eſſe odiſſe debebimus, vt immaculatum reddamus, vt de carnali ſpirituale efficiatur. vel [*odientes eam tunicam maculatam*] id eſt conuerſationem carnalibus deſideriis immundam.

Apoſtata quomodo arguendi.

Apoſtata quanto odio habendi.

Verſ. 24. Ei autem qui potens eſt vos conſeruare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti.

[*Ei autem qui potens eſt*] Hic monet ad Dei de vtroque glorificationem, tangens glorificationis cauſam. ſecundo modum. *gloria & magnificentia.*

Dicit ergo: [*Ei autem*] *Gloſ.* Quia hoc non noſtra poteſtate ſed gratia Dei perficiendum eſt, recte ſubiungitur, [*ei autem*] ſcilicet Deo patri] *qui potens eſt*] quia potentia ei appropriatur, *Exod.* 15. *Omnipotens nomen eius.* [*nos conſeruare*] *Gloſ.* in præſenti. [*ſine peccato*] ſcilicet mortali. *Gloſ.* in omnibus veſtris operibus [*& conſtituere vos*] *Gloſ.* in futuro. [*ante conſpectum gloriæ ſuæ*] *Gloſſ.* coram angelis, qui contemplantur Dei gloriam: ſecundum illud *Matth.* 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt* vel [*ante conſpectum gloriæ ſuæ*] id eſt in præſentia Domini glorificati: quod deſiderabat Dauid dicens: *quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* hoc eſt quando boni videbunt Deum glorioſum in humanitate, & diuinitate? *Pſalm.* 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* [*Immaculatos*] *Gloſ.* ab omni ſorde etiam veniali. [*in exultatione*] laudis & gratiarum actionis. *Pſalm.* 149. *Exultabunt ſancti in gloria. Cantic.* 1. *Exultabimus & lætabimur in te.* [*in aduentu*] redeuntes ad occurrendum ei. [*Domini noſtri Ieſu Chriſti*] id eſt in die Iudicii, in quo eſt exultatio ſanctis, & tribulatio reprobis. 1. *Petr.* 1. *In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet triſtari &c. Iohann.* 16. *Vos quidem nunc triſtitiam habetis.*

Omnipotens nomen Dei.

Exultatio fidelium qualis eſſe d. beat.

Verſ. 25. Soli Deo Saluatori noſtro per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum gloria & magnificentia, imperium & poteſtas ante omne ſeculum, & nunc & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

[*Soli Deo*] id eſt Patri, qui ſolus creator & ſaluator omnium eſt mittendo filium. Nec per hoc excluditur filius, vel Spiritus ſanctus, quia cum ipſo patre filius & Spiritus ſanctus vnus eſt Deus. [*ſaluatori noſtro*] hominum maxime fidelium. 1. *Timoth.* 1. *Qui eſt ſaluator omnium maxime fidelium.* [*per Ieſum*] ſaluris mediatorem, per quem pater omnia operatur. *Iohann.* 1. [*per Ieſum Chriſtum*] ratione humanitatis. Dominum noſtrum ratione diuinitatis. [*gloria & magnificentia*] ſit ſupple. [*gloria*] in ſe. [*magnificentia*] in operatione. [*imperium*] in regimine. [*poteſtas*] in malorum coercitione. vel ſecundum *Gloſſam*: [*gloria*] puræ fidei & conſcientiæ: & [*magnificentia*] in operatione: [*imperium*] in miraculis ſuper infirmitates vel ſuper dæmones. [*& poteſtas*] reſiſtendi vitiis vel tortoribus. [*ante omnia ſecula*] id eſt qui fuit ab æterno ſicut dicit *Gloſſa.* [*Et nunc*] eſt [*& in omnia ſecula*] erit. *Apocalyp.* 1. *Qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* id eſt ante mundi conſtitutionem, in mundi curſu, poſt mundi conſtitutionem. [*Amen*] Confirmatio eſt.

Nec Filius, nec Spiritus ſanctus à gloria quæ Deo debetur, excluditur.

Sed quæritur de hoc quod dictum eſt: [*Expectantes miſericordiam Dei in vitam æternam*: Ex hoc enim videtur quod vita æterna detur ex miſericordia. Contra cum detur ex meritis videtur quod detur ex iuſtitia? *Quæſtio.*

Reſpon. Vita æterna datur ex miſericordia & gratia, & ex iuſtitia: Ex *miſericordia* datur quoad radicem meriti, quæ eſt gratia: & quoad menſuram remunerationis, quæ eſt ſupra condignum: de qua *Roman.* 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur nobis. quoad opera* vero * perfecta ex *Reſponſio.*

* *Facta: h-*

con-

gis alter MS. conuentione † comparantis, cum operariis ex denario diurno datur ex iustitia.

† Operantis Al. MS.

Quæst. Queritur etiam de hoc quod dicit: [*& hos quidem iudicatos arguite*] *Gloss.* scilicet damnatos. Contra: Nullius videtur esse vtilitatis arguitio damnatorum?

Responsio. Responsio. Licet arguitio non valeat eis, valet tamen aliis. vnde ipsi sunt arguendi ne alii imitentur ipsos.

Deo gratias, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Expliciunt Epistolæ Canonicæ.

Expliciunt Postillæ fratris Nicolai de Gorrham super Epistolas Canonicas.

IN APOCALYPSIN IOHANNIS APOSTOLI

PROLOGVS.

COGNOVIT *Dominus omnem scientiam, & inspexit in signum eius, annuntians quæ præterierunt, & quæ superventura sunt, reuelans vestigia occultorum. Ecclef.* 42. Dicitur *Ezech.* 2. *Ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me.* quod exponens *Glossa* dicit: Filius Dei qui sanctis suis aperuit scripturam. Doctrina enim Veteris Testamenti, liber est inuolutus propter obscuritates & velamina scripturarum: vnde & *clausus* dicitur. *Dan.* 12. *Vade Daniel quia clausi signatique sunt sermones vsque ad tempus præfinitum.* Sed expansus est, & apertus liber ille à filio Dei, quantum ad doctrinam Noui Testamenti, propter impletionem & explanationem figurarum. *Vicit enim Leo de tribu Iuda, aperire librum & soluere signacula eius. Apocal.* 5. Per Christum siquidem & sequaces eius, agnita est veritas, quæ clausa tenebatur in veteri Testamento. Propter quod Nouum Testamentum appellatur agnitio veritatis. *Ecclef.* 24. *Hæc omnia liber vitæ, & Testamentum altissimi, & agnitio veritatis.* Hoc est quod dicit Apostolus 2. *Cor.* 3. *Vsque in hodiernum diem, velamen manet in lectione Veteris Testamenti, non reuelatum quoad vetus Testamentum. Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* quod dicitur quantum ad Nouum Testamentum, quod diuiditur principaliter in duas partes: in doctrinam Euangelicam, quæ est de capite Christi: & doctrinam Apostolicam, quæ est de corpore Christi, quod est ecclesia.

Veteris Testamenti obscuritas.

Noui Testamenti perspicuitas.

Noui Testamenti diuisio in duas partes.

Hæc vero Apostolica doctrina diuiditur in tres partes secundum triplicem statum ipsius ecclesiæ, scilicet initium, progressum, & finem.

Apostolica Doctrina diuisio in tres partes.

De statu initiali ipsius Ecclesiæ agitur in Actibus Apostolorum:

De instructione vero in progressu ipsius agitur in Epistolis Pauli & Canonicis.

De statu illius Ecclesiæ finalis agitur in Apocalypsi, quam habemus præ manibus, in qua Dominus annuntiauit nobis quæ ventura sunt Ecclesiæ in vltimis temporibus, secundum quod tangitur in fine præmissæ auctoritatis Ecclesiasticæ: in qua tanguntur quatuor causæ principales huius libri:

Huius libri causa.

Primo causa efficiens.

Efficiens quæ *quadruplex est* in hoc libro: videlicet Deus, Christus, Angelus & Ioannes.

Deus principalis & primitiua:

Christus secundaria:

Angelus media:

Ioannes immediata. Sicut infra in Prologo declaratur.

Et designatur hæc quadruplex causa efficiens in quatuor clausulis vel sententiis verborum hic contentis. *Cognouit Dominus: inspexit: annuntians, & reuelans:* [*Cognouit Dominus*] id est tota Trinitas in se. [*& inspexit*] in Christo, ei secundum humanitatem cæterorum, cognitionem huius libri per gratiam conferendo. [*annuntians*] per angelum. & [*reuelans*] Ioanni: Ioannes vero reuelauit Ecclesiæ, vt dicitur in Prologo.

Causa materialis tangitur: *vestigia occultorum:* scil. passiones & consolationes sanctorum & Ecclesiæ. In hoc enim libro ostenditur specialiter & principaliter status ecclesiæ quoad tolerantiam tribulationum in præsenti, & perceptionem consolationum in futuro. Et hæc [*vestigia occultorum*] dicunt passiones, & passiones sanctorum, quia vestigium est nota vel signum gradientis in via. Pedes autem Domini sunt misericordia & iustitia. Nam pede iustitiæ venit ad nos † tempore consolationis temperando eam ne exeat in præsumptionem: pede misericordiæ in tempore tribulationis mitigando ipsam ne occidat in desperationem. Sed dicuntur hæc vestigia occultorum, quia secundum quod præsentes passiones & consolationes sanctorum referuntur ad diuinam dispositionem valde occultæ sunt & ignotæ, & sic sunt & dicuntur vestigia. *Psalm.* 76. *In mari via tua & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* [*via in mari*] id est in amaritudine huius mundi, iustitiâ puniens. [*& semita in aquis multis*] miserationes diuinæ cõsolantes, in quibus vestigia diuinæ dispositionis vix cognoscuntur. *Iob.* 11. *Forsitan vestigia Dei comprehendens, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies.* Et ideo merito dicuntur occulta nobis dicta vestigia, quia nescimus quo fine claudantur, bono scilicet vel malo. Vnde bene subditur in *Psalmo: & vestigia eius non cognoscentur.*

Secundo Causa materialis.

† temperantia: MS.

Causa formalis vel modus agendi tangitur: *quæ præterierunt & quæ superuentura sunt.* Cum enim liber iste sit Propheticus secundum formam, excellit, vt dicitur in proœmio, Prophetias Veteris Testamenti. Aliis enim vnifaria, id est vno modo, isti trifaria data est Prophetia simul, scil. de præsenti præterito & futuro. Causa ergo formalis huius libri propria est quod quantum ad literam, est propheticus, non solum vnifarie, sed etiam trifarie, quia continet prophetiam, vt dictum est de præsenti, præterito & futuro: quantum

Tertio Causa formalis.

Iste liber Propheticus.

tum vero ad sensum spiritualem, est allegoricus, anagogicus & moralis. Intellectus moralis conuertitur ad nos: allegoricus iuxta nos: anagogicus supra nos: quia moralis est ad informandum quamlibet animam: allegoricus ad speculandum militantem ecclesiam: anagogicus ad contemplandum diuinam essentiam vel triumphantem ecclesiam.

Quarto Causa finalis. Causa finalis tangitur, *in signum æui*: sci. signum æui. Æuum quidem finit tempus, inchoat beatitudinem: nam æuum est perpetuitas beatitudinis. vide *Eccles.* 41. *Bonum nomen permanet in æuo.* [*Signum*] ergo [*æui*] est signum futuræ beatitudinis post temporalem tribulationem. Causa igitur finalis propria huius libri est ostensio termini præsentis tribulationis, & initii perpetuæ beatitudinis. vnde infra dicitur: *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea quæ in ea scripta sunt.*

Autoris scopus. Intentio vero auctoris est monere ad patientiam tribulationum, & eliminare errores qui in eius absentia in Asia pullularunt. Ista sunt quæ solent requiri in principiis librorum: scil. quadruplex genus causæ & intentio auctoris. Secundum autem sensum præmissum sic ordinanda est præmissa auctoritas. [*Dominus cognouit omnem scientiam*] scil. spiritualis intelligentiæ huius libri in se. *& inspexit*, in Christo supple. [*vestigia occultorum*] scil. passionum & consolationum Ecclesiæ præsentium, & etiam [*quæ præterierunt*] & quæ ventura sunt: & hæc quidem [*annuntians*] per Angelum. [*reuelans*] Ioanni. [*in signum æui*] id est futuræ beatitudinis Ecclesiæ post temporalem tribulationem & præsentium laborum finem, per quod peruenitur ad gloriosum finem sanctorum, qui finem non habet: quem nobis concedat qui est benedictus &c.

EXPOSITIO IN PROLOGVM GILBERTI PICTAVIENSIS.

OMnes qui pie volunt viuere in Christo (sicut ait Apostolus) *persecutionem patientur &c.* Huic operi præmittitur Prologus Magistralis, non Hieronymi, in quo fere omnia quæ diximus breuiter prælibantur.

Prologi diuisio in quinque partes. Et diuiditur iste Prologus in quinque partes.

In prima parte tangitur materia libri id est status ecclesiæ præsens, præteritus & futurus, quem Christus per Angelum reuelauit Iohanni, & Iohannes Episcopis sibi subditis, vt eos animaret ad patientiam tribulationũ quæ cito transeunt, & ad præmium perducunt æternum.

In secunda præsens opus commendatur à Prophetia quæ præfertur aliis Prophetiis quoad visionum profunditatem & Prophetiæ multiplicitatem, quæ aliis est excellentior.

In tertia determinatur quo genere visionis viderit ista Ioannes: vtrum scilicet corporali, spirituali vel intellectuali: *cum autem Ioanni.*

In quarta redditur ratio vbi & quare & quando vidit istas visiones Ioannes. *Vidit autem Ioannes.*

In quinta quasi recapitulando tangitur, quis autor, quæ materia, quis modus agendi, & quis finis: *scribit autem Ioannes septem Ecclesiis.*

Differentia Prologi & Proœmii. Nota inter Prologum & Proœmium differentiam: quia Prologus continet sermonem translatoris, Proœmium auctoris. Tamen secundum *Isidorum* idem sunt. vnde *Etymologiarum 6. dicit Isidorus.* Proœmium est initium dicendi. Sunt enim Proœmia principia verborum, quæ ante causæ narrationem ad* instruendas audientium aures coaptantur. Hoc autem vocabulum apud nos interpretatum præfatio nuncupatur, quasi prælocutio. Idem est *Prologus à pro* quod est *ante* & *logos*, quod est *sermo*: quasi sermo ante narrationem.

** inserendas MS.*

Dicit ergo: [*Omnes qui pie*] 2. *Timoth.* 3. Litera plana est vsque ibi: [*præstat*] id est præ aliis stat & præualet. [*vnifaria*] de [*vnum*] & [*forfaris*] quia de vno tempore & de re existente sub vna differentia temporis loquens. [*trifaria*] quasi fans de tribus temporibus, vel de rebus quæ subsunt tribus temporibus. [*Non enim figuras tantum spiritu vidit, sed & earum significata mente intellexit*] sicut alii Prophetæ: quod est contra *Montanum Hæreticum*, qui dicit Prophetas Domini non intelligere ea quæ prædixerũt, id est quasi arreptitii phantastice loquebantur. Contra *Hieronymus, in Prologo super Habacuc*: Aduersum Montani dogma peruersum intelligit quod videt: nec vt amens loquitur, nec more insanientium † ferarum dat sine mente sonum. [*In principio erat verbum*] *Gloss.* In principio omnium creaturarum vel temporum: id est cum inciperent omnes creaturæ vel tempora, iam erat verbum in patre qui est principium sine principio: Filius vero principium de principio, à quo omnia habent principium existendi: vnde patet quod sint ab æterno, & non ex tempore sicut isti dicebant. [*Asiana Ecclesia*] id est Ecclesiarum quæ sunt in Asia. *Asia minor.* Asia vero minor, de qua hic loquitur nomen est prouinciæ in qua erant septem Ecclesiæ quibus præerat Ioannes, sicut dicit *Glossa* quædam *in primo Capitulo.*

† Fœminarum legit Ed. Hieronym.. Principii vocabulo quæ in principio intelligenda

Quæstiones eæ aut. Hic quæritur super illud: *Reuelauit tota trinitas Christo † homini*] Si tota Trinitas hoc Christo homini reuelauit, ergo Christo homini, (quia Christus hoc sciuit à sancta Trinitate) aliquid erat reuelatum quod prius erat velatum: quod non est verum. Christus enim homo etiam scientia humana omnia sciuit.

† Gloss. legit secundum humanitatem.

Responsio. Responsio. Ideo dicitur tota Trinitas hoc reuelasse Christo homini quia Christus hoc sciuit à sancta Trinitate.

Sed obiicitur quod eadem ratione potest dici quod Deus Pater hoc reuelauit Filio, & Filius Spiritui sancto, quia quicquid scit. Filius scit à Patre, & quicquid Spiritus sanctus, scit à Filio.

Et dicendum quod non est simile, quia Filius & Spiritus sanctus omnia sciunt ex se, id est naturaliter licet non à se. Sed Christus homo nec ea se, * sed à se scit omnia sed à Trinitate, quæ illi non per essentiam sed per gratiam dedit omnem scientiam.

** forte non.*

Obiectio. Item super illud: [*quæ aliis est excellentior*] Contra super principium Danielis dicit *Hieronymus*, quod nullus Propheta tam aperte scripsit de Christo vt Daniel, qui etiam tempus *aduentus* notat, & annos & reges per ordinem enumerat, & signa manifesta prædicit.

Item in principio *super Esaiam* dicit *Hieronymus*, quod Esaias non tam Propheta quam Euangelista dicendus est, qui ita liquide de Christo & Ecclesia loquitur, vt magis narrare præterita, quam prædicere futurum videatur.

Item in *Prologo super Psalmos* dicitur Dauid eximius Prophetarum. Et super Zachariam dicit quæ-

quædam *Gloſſa* quod Zacharias eſt eximius Prophetarum.

Et ſuper *Matth.* 17. Elias Maximus Prophetarum.

Item ſuper illud *Num.* 13. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei vel per ſomnium loquar ad illum. Gloſſa*: Moyſes omnibus Prophetis Veteris Teſtamenti præſtantior eſt.

Reſponſio. Reſponſio. Quilibet iſtorum poteſt dici eximius vel præſtantior diuerſis reſpectibus.

Elias quoad vitæ auſteritatem, & liberam increpationem.

Dauid vero quoad regiam dignitatem, & cordis humilitatem & Chriſti de ipſo naſcituri promiſſionem.

Eſaias quoad vocationis gentium & incarnationis Chriſti apertionem.

Daniel quoad temporis incarnationis & paſſionis Chriſti determinationem.

Moyſes quoad Dei familiaritatem, & præceptorum Dei certam promulgationem.

Zacharias quoad templi coædificationem, & quam ſtrenue populum inuitauit.

Ioannes vero quoad viſionum profunditatem & prophetiæ multiplicitatem, & etiam, vt dicitur in Prologo propter mittentis, deferentis & ſuſcipientis auctoritatem.

Item ſuper illud: *trifaria*: Contra, Propheta dicitur quaſi procul fans: ergo de futuro tantum, non de præſenti, vel de præterito.

Item ſicut dicit *Gregorius ſuper Ezechielem*: Propheta dicitur non ſolum quia prædicit futura, ſed quia prædicit occulta: & ideo quia occultum poteſt eſſe nobis non ſolum res ſubiacens euentui futuro ſed etiam præſenti & futuro, poteſt eſſe ſic Prophetia de tribus temporibus, quæ hic trifaria nuncupatur.

Item ſuper illud: *Sicut vidit Pharao ſpicas, & Moyſes rubum ardere*:

Contra ergo Moyſes vidit viſione imaginaria rubum ardere: quod eſt contra Hieronymum & alios expoſitores.

Reſp. De duabus viſionibus facta fuit mentio: & hic exemplificat de vtraque: De imaginaria cum dicitur: *ſicut Pharao vidit ſpicas*, qui non intellexit quid per hoc ſignificaretur, ſed Ioſeph expoſuit. Sed de corporali cum ſubditur: *& Moyſes rubum ardere.*

CAPVT I.

VErſ. 1. Apocalypſis Ieſu Chriſti quam dedit illi Deus, palam facere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito: & ſignificauit, mittens per angelum ſuum ſeruo ſuo Iohanni,

Apocalypſeos diuiſio principalis in tres partes. [*Apocalypſis Ieſu Chriſti &c.*] Principaliter diuiditur in tres partes: in

Exordium &

Narrationem, quæ incipit eodem capitulo: *Ego Ioannes frater veſter*: &

Concluſionem, quæ ponitur infra vltimo capitulo: *& dixit mihi hæc verba fideliſſima.*

Exordium vero continet tria: ſcil.

Primo Proœmium,

Secundo ſalutationem: *Ioannes ſeptem Eccleſiis*:

Tertio Chriſti commendationem: *& à Ieſu Chriſto qui eſt teſtis fidelis.*

Proœmium præponitur propter docilitatem:

Salutatio propter beneuolentiam:

Chriſti commendatio ad excitandam auditoris attentionem.

Proœmium vero tangit quatuor cauſas huius operis:

Materialem: *quæ oportet fieri cito*. Materia enim huius libri ſunt tribulationes præſentis Eccleſiæ in tempore, & futuræ conſolationes in æternitate. Et has & illas *oportet fieri cito*: quia vt dicit *Hieronymus ſuper hunc locum*, vt tribulationes præſentes cito tranſeant, & futuræ conſolationes cito adueniant.

Formalem: *Apocalypſis*: quod ſonat idem quod Reuelatio. Modus enim agendi in libro iſto eſt reuelatiuus, vt patebit infra.

Efficientem: *Ieſu Chriſti quam dedit illi Deus*: & iterum, ibi: *mittens per Angelum ſeruo ſuo Ioanni.*

Finalem: *Beatus qui legit*.

Poteſt etiam diſtingui iſte liber in tres partes vt tangitur in Prologo Magiſtrali: in Proœmium ſcilicet, & ſalutationem, & narrationem.

In Proœmio vero commendatur opus ab auctoritate mittentis; ſcilicet Trinitatis: deferentis ſcil. Angeli: ſuſcipientis ſcil. Ioannis: & ab vtilitate conſequente in his, qui legunt, & audiunt, & ſeruant ea quæ in hoc libro ſcripta ſunt.

Dicit ergo: [*Apocalypſis*] id eſt Reuelatio. Apocalypſis enim Græce, Reuelatio Latine. [*Ieſu Chriſti*] id eſt à Ieſu Chriſto, ſuppl. facta hæc eſt non à me, nec de me. & hic vitat Ioannes arrogantiam, quia non ſuam ſed Ieſu Chriſti dicit Apocalypſin. vnde nec refert Ioannes deceptionem vel illuſionem cordis ſui; ſicut illi de quibus *Ier.* 23. *Nolite audire verba Prophetarum, qui Prophetant vobis & decipiunt vos: viſionem enim cordis ſui loquuntur*: Habent etiam aliqui Apocalypſin, ſed non Ieſu Chriſti, homines ſcil. carnales, qui prudentiam carnis ſequuntur. Quod contra *Matth.* 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* Non ſimiliter Ioanni. Ioannes enim ſuit in ſpiritu cũ hanc Reuelationem accepit. & ne aliquis credat, quod Chriſtus hanc Reuelationem à ſe habuit, ſequitur [*quam dedit illi*] ſcilicet Chriſto homini. [*Deus*] Pater vel Trinitas. Ex hoc patet quod Reuelatio donum Dei eſt. *Dan.* 2. *Eſt Deus in cælo Reuelans myſteria.* Et notandum eſt quod Deus quandoq; reuelat aliquid mediante aliqua creatura, vnde dicitur hic, [*mittens per Angelum &c.*] quandoque immediate, ſeipſo ſcilicet & hoc vocatur locutio Dei. *Exod.* 32. *Loquebatur Dominus Moyſi facie ad faciem ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. & Pſalm.* 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Sic ergo [*dedit illi,*] id eſt Chriſto homini, [*Deus*] Pater vel Trinitas. Sed ad quid. cur non vt abſconderet vt ſeruus piger? *Matth.* 25. [*ſed palam facere*] *Prouerb.* 11. *Qui abſcondit frumenta maledicetur in populo.* *Deus reuelat occulta variis modis.*

Hic obiicitur nonne hæc Reuelatio facta eſt in figuris valde obſcuris: non ergo palam. *Obiectio.*

Reſpon. Ioanni palam facta eſt, qui veritatem rerum mentis intellectu Deo reuelante conſpexit. vidit etiam figuras, quarum ſignificationes aliis reuelauit in parte, & non omnino ne Prophetia vileſceret. Sequitur: *Reſponſio.*

[*Seruis ſuis*] id eſt fidelibus, humilibus, non Iudæis. quaſi quis quæreret, quis reuelauit? & reſpon-

respondet Ioannes, [*seruis suis:*] id est, fidelibus, humilibus, non Iudæis, vel Pharisæis superbis. *Matth.* 11. *Reuelasti ea paruulis.* humiles enim sunt serui Christi à patre ei dati, sicut dicit *Glossa. Iob.* 6. *Hæc est enim voluntas eius, qui misit me, patris; vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in die nouissimo.* Deus est tantum humilis. *Gregorius.* Euidentissimum signum reproborum est superbia, electorum humilitas. *Apocalypsis* inquam facta est de his, [*quæ oportet fieri cito:*] scil. de tribulationibus, quæ sunt ineuitabiles, & seruis Dei vtiles. *Matth.* 18. *Necesse est vt veniant scandala.* Item vtile est vt fiant quia seruos Dei communiunt & defendunt. *Exod.* 14. *Erat aqua quasi murus à dextra eorum & à læua.* sunt etiam via ad cœlum. *Acto.* 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Faciunt etiam sanctos in bono accelerare. *Psalm.* 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Gregorius.* Electis suis Deus iter asperum facit, ne dum delectantur in via, obliuiscantur eorum, quæ sunt in patria. Sequitur: [*cito:*] *Glossa:* cito dicit, vt se præparent, ne sit graue pati, cum cito finiendi sunt labores, & præmia danda. *Augustinus.* Breue est quicquid fine clauditur. [*& significauit:*] id est, per signa ostendit, sicut dicit glossa, hanc scilicet Apocalypsin, quam Deus dedit Christo Iesu. [*palam facere seruis suis:*] & ipse Christus etiam facit, id est, signo ostendit suam hanc visionem, mittens per Angelum suum, cui Christus primo reuelauit. [*seruo suo Ioanni:*] quasi speciali amico, qui aliis conseruis manifestauit. *Haymo.* Morem sanctorum Patrum Ioannes tenet in dictis suis, qui de se quasi de alio loquitur, cum magna dicunt. Simile in Euangelio suo: *Hic est discipulus ille quem Iesus diligebat, Iohan.* 21. Notandum hic quod Christus per Angelum purum Iohanni virgini hoc annunciauit.

Gregorius. Humilitas & superbia electionis & reprobationis certa indicia. Tribulationes. Tribulationum vtilitas.

Breue quod sit.

Obiectio. Obiicitur autem hic de glossa quæ dicit, *significauit*, id est, per signa ostendit: ex hoc enim videtur, quod hæc visio fuerit imaginaria, quod est contra prologum.

Responsio. Respond. Multi concedunt quod fuit imaginaria non curantes de Prologo, quia Magistralis est. Sed potest dici melius, quod hæc visio fuit intellectualis, quia Iohannes vidit rerum veritatem sine velamine figurarum, sed postea ostensæ sunt ei figuræ, quibus ea velaret, quæ viderat, ad occultationem malorum, & exercitium bonorum: vt bonis scilicet exercitium studendi daretur, & sic illud per studium inuentum gratius haberetur, & firmius teneretur.

Qualis fuit visio Ioannis in Apocalypsi.

Quis sit Angelus missus ad Ioannē. Et notandum quod Angelus iste qui missus est ad Ioannē Angelus creatus fuit, qui aliquando loquitur in persona Christi, vt ib: *Alpha & Omega*, aliquādo in persona sui, vt ibi *vide ne feceris: conseruus enim tuus sum Infra vlt.* sicut nuntius deferens verba alicuius principis, aliquando loquitur in persona Domini sui, aliquando in persona sua. Vel sic lege literam. [*& significauit Deus:*] Pater scil. [*mittens per Angelum suum:*] id est, Christum qui est Angelus magni consilii, sibi, id est, patri consubstantialis, vt dicit *Glossa* [*seruo suo Iohanni:*] typum Ecclesiæ gerenti. & merito Iohanni.

Vers. 2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcunque vidit.

[*Qui,*] id est, quia ille scilicet Iohannes [*testimonium perhibuit verbo Dei:*] id est, Christo quod esset scilicet verus Deus ab æterno, in principio Euangelii sui, vbi dixit: *In principio erat verbum, &c.*

Sed contra prius vidit & scripsit Apocalypsin quam Euangelium. *Obiectio.*

Resp. Prius prædicauit Euangelium, & postea scripsit Euangelium, & Apocalypsin: vnde priusquā perhiberet hoc testimonium scribendo, perhibuit illud prædicando. *Responsio.*

Sequitur: [*& testimonium Iesu Christi:*] scilicet perhibuit, id est, de Iesu Christo, quod esset verus homo, vbi dicit: *Verbum caro factum est.* Ecce integrum & verum testimonium. Sed ne putaret aliquis quod de auditu & non de visu esset testimonium, & ita minus sufficiens, ideo addit, [*in his quæcunque vidit:*] oculis mentis scil. & oculis carnis. *Iohan.* 21. *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hoc, vt sciamus quia verum est testimonium eius.* & 19. *Qui vidit testimonium perhibuit.* Sequitur:

Vers. 3. Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius: & seruat ea quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est.

[*Beatus qui legit:*] Hic secundo commendatur opus ab vtilitate ad captandam beneuolentiam, & procurandam diligentiam legentium, & seruantium prophetiam istam. Primum ponit dicens: [*Beatus:*] à beatitudine spei & tandem rei. *qui legit:* vt literatus. *qui audiuit*, scilicet vt laici. *verba prophetiæ huius:* quæ singula sunt prophetiæ huius plena mysteriis & secretis sententiis. Dicit autem significanter *Prophetiæ huius*, quia sicut dicit hic Haymo, tanta est distantia inter Prophetiam hanc, & eam quæ reuelata est ante aduentum Domini, quanta distantia est inter seruum & Dominum, inter Legem & Euangelium, inter hominem & Deum: quia quod illi cernebant à longe venturum, hoc ille iam & ex maxima parte factum, & in præsenti faciendum ostendit. Nam sicut Beatus Ioannes Baptista idcirco maior habetur omnibus Prophetis, quia quod illi prædixerunt iste digito demonstrauit: ita & hæc Prophetia maior est omnibus, quia multa quæ antiqua Prophetia reuelanda prædixit, hæc reuelata ostendit. Vel *qui legit* per se, *& qui audit* ab alio. His enim duobus modis acquiritur scientia: scilicet per inuentionem aut per doctrinam, secundum Philosophum. sed quia non auditores legis sunt iusti apud Deum, sed factores iustificantur: *Romanor.* 2. ideo addit: & seruant ea quæ in ea scripta sunt. *Seruant*, † *quod* corde memoriter retinendo, & opere perseueranter implendo. Glo. Illi soli beati qui audiunt, vt mente recondant, & mente recondunt vt opere compleant, & opere implent, vt vitam æternam possideant. Et Haymo: seruant qui fidem Christi & Ecclesiæ non violant, qui cauent prohibita, & implent iussa, metuunt minata supplicia, amant promissa cœlestia. *tempus enim prope est:* scilicet quo tribulationes finientur, & præmia reddentur legentibus, audientibus & facientibus vel seruantibus. *tempore:* scilicet tempore mortis cuiuslibet, vel tempore iudicii, quando vnusquisque recipiet quod meruit. *Iacob.* 4. Ecce Iudex ante ianuam assistit. Et glossa: Hoc tempus prope

Haymo.

† Seruare scripturam.

Q est,

eſt,quia nec longa laboris mora, & præmia ſunt vicina:non frangant ergo nos aduerſa in via præſentis vitæ,nec proſpera emolliant.

Verſ.4. Ioannes ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia. Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.

[*Iohannes ſeptem Eccleſiis:*] ſecunda pars eſt exordii, vel etiam totius Epiſtolæ, in qua ponitur ſalutatio: & oſtenditur

Quis ſalutat ſc.Iohannes.

Qui ſalutatur, ſcil.ſeptem Eccleſiæ Aſiæ, &

Cuius ſalus optatur, ſcil, ſalus quæ eſt à Chriſto Ieſu, quem cummendat Iohannes.

A miſericordia, & ideo interſerit aliqua de eius primo aduentu. Deinde

A iuſtitia, vnde & interſerit aliquid de ſecundo aduentu, vbi maxime apparebit eius iuſtitia, vt dicetur, dicit *Gloſſa*. [*Ioannes Eccleſiis ſeptem quæ ſunt in Aſia:*] optat ſcil.ſalutem.

Aſia duplex. Hic nota quod duplex eſt Aſia ſecundum *Gloſſam*. *Maior* quæ continet tertiam partẽ mundi: & *Minor*, quæ eſt quædam pars maioris continẽs ſeptem ciuitates ſcil. Epheſum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardin, Philadelphiam, & Laodiceam. Inter quas Epheſus erat Metropolis. *Epheſus Aſiæ minoris Metropolis.* In hac minori Aſia primo prædicauit Paulus, ſed poſt diuiſionem Apoſtolorum obtinuit eam Ioannes & prædicauit ibi. Per illas ſeptẽ Eccleſias intelliguntur vniuerſales Eccleſiæ mundi propter ſeptenarium numerum, qui eſt numerus vniuerſitatis, quia omne tempus ſeptem diebus agitur: & propter ſeptiformem gratiam ſpiritus, ſcilicet qua illuſtrantur Eccleſiæ: & quia in fide Trinitatis fundatæ per quatuor partes mundi ſunt diffuſæ. *Septenarius numerus vniuerſitatẽ Eccleſia denotat.* Optat ergo Iohannes ſalutem ſeptem Eccleſiis Aſiæ ſpecialiter, & in eis omnibus generaliter, dicens [*Gratia:*] id eſt, peccatorum remiſſio [*& pax*] id eſt, ad Deum reconciliatio vel tranquillitas mentis, & quies à vitiis. Et præponit gratiam paci, quia ſecundum *Haymonem*, Nullus ad pacem reconciliationis venire poteſt, niſi hunc gratia miſericordiæ præceſſerit. [*vobis:*] ſit vel detur. vel gratia triplex: ſcilicet operans, cooperans & conſummans. *Gratia triplex.* 1.*Corinth.*15. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me non fuit vacua, ſed abundantius illis omnibus laboraui.* [*& pax*] triplex: *Pax triplex.* temporis, pectoris & æternitatis. [*vobis:*] ſit ſupple. [*ab eo qui eſt:*] id eſt, ab eo cuius nomen eſt, qui eſt: *Exod.*3. *Haymo*: Solus cum patre & Spiritu ſancto habet [*Eſt*] quia ſemper eſt immutabilis, omnis enim creatura mutabilis, vel ſecundum affectiones, vt creatura rationalis: vel per tempus & locum, vt temporalia comparata æternitati, quaſi non eſt, ideo quia ſpecialiter eſſe huius dicitur, qui ſemper idem eſt. *Haymo.* Et hoc eſt contra Iudæos, qui dicunt Deum non eſſe Chriſtum, ſed mortuum. [*& qui erat:*] apud Patrem antequam mundus fieret: contra *Arrianos*, qui dicunt ipſum non eſſe ab æterno. *Arrianorũ de Chriſti diuinitate error.* ſed [*qui venturus eſt*] ad iudicium, redditurus † cuilibet...iuxta meritum ſuum: Contra quoſdam *Manichæos*, qui dicunt iudicium iam factum. *† Cuiuslibet MS.* *Manichæorum error de vltimo iudicio.* Vel contra *Sadducæos*, qui dicunt animam perire cum corpore, & non fore iudicium. *Sadducæorum error de immortalitate animæ.* Et nota quod tria ponit, vt oſtendat Chriſtum eſſe auctorem creationis & conſeruationis rerum in eſſe retributionis. Ad primum pertinet: [*qui erat:*] ad ſecundum: [*qui eſt:*] ad tertium: [*qui venturus eſt.*] [*& à ſeptem ſpiritibus:*] id eſt, à ſpiritu ſeptiformi qui vnus natura, gratiarum diſtributione multiplex eſt. [*qui in cõſpectu throni eius ſunt:*] id eſt, quem ſpiritum ſeptiformem & vnum conſpiciunt inceſſanter. [*throni eius:*] id eſt, ſancti angeli, in quibus ſedet & iudicat ipſe Pater, id eſt, Spiritu ſancto de cœlo miſſo, in quem deſiderant Angeli proſpicere, 1.*Pet.*1.

Nota: Nominantur hic duæ perſonæ filius & Spiritus ſanctus. & dicit *Gloſſa* quod perſonam Patris † præmiſit, quia de Deo creatore nemo male intellexit. *† lege forte prætermiſit. Gloſſ. legit tacet.*

Sed contra Manichæus male intellexit, qui duo principia creationis poſuit. *Obiectio.*

Reſp. Loquitur ſpecialiter de Eccleſiis Aſiæ. vel per ſeptem ſpiritus intelligitur vniuerſitas bonorum Angelorum: iuxta illud. *Tob.*12. *Ego ſum Raphael vnus de ſeptem qui aſtamus ante Dominum.* *Reſponſio.* Et ſecundum hoc non fit hic mentio, niſi de filio, de cuius diuinitate tangitur cum dicitur, [*ab eo qui eſt:*] & de æternitate cum dicitur, [*qui erat:*] & de poteſtate cum dicitur, [*qui venturus eſt:*] & de dignitate cum dicitur, [*& à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius:*] id eſt, qui aſſiſtunt ei, vt miniſtri eius. *Dan.*7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

Verſ.5. Et à Ieſu Chriſto qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorũ, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

[*Et à Ieſu Chriſto:*] Tertia pars eſt exordii, quæ continet Chriſti commendationem. Et

Primo commendatur quoad humanam naturam.

Secundo quoad diuinam: *Ego ſum Alpha.*

In prima parte primo commendatur quoad primum aduentum.

Secundo quoad ſecundum: *ecce venit, &c.*

Quoad primum commendatur primo à fidelitate: *qui eſt teſtis fidelis.*

Secundo, à dignitate: *primogenitus mortuorum.*

Tertio à poteſtate. *princeps regum terræ.*

Quarto à charitate: *qui dilexit nos.*

Dicit ergo: [*Et à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis:*] id eſt qui fidele teſtimonium perhibuit de mundo, de Patre, & de ſeipſo. *Iob.*18. *Ad hoc veni in mundum vt teſtimonium perhibeam veritati.* *Ieſus Chriſtus quã ob cauſam teſtis fidelis appellatus.* vel ideo dicitur [*teſtis fidelis,*] quia veritatem quam docuit, operibus approbauit. *Iohan.*5. *Opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me.* [*primogenitus mortuorum:*] id eſt, primus cauſalitate & dignitate, etiam primus tempore inter mortuos ad immortalitatem reſurgens ſecundum *Gloſſam* *Coloſſ.*1. id eſt, primogenitus ex mortuis. *Primogenitus mortuorum quomodo dicatur Chriſtus primogenitus mortuorũ.* Vnde ibi ſubdit *Gloſſa*: ſicut natus eſt ante omnia de Deo, vt omnia crearet, ſic iterum de virgine natus, primus reſurrexit, vt quæ creauerat reſtauraret: vt ſit ſemper primus & princeps. Etſi quidam ante ipſum ſuſcitati fuerunt à morte, vt Lazarus, & alii, non tamen reſurrexerunt proprie qui iterum obierunt; quia Chriſtus reſurgens ex mortuis *iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, Rom.*6.

Sed

Obiectio. De illis qui surrexerunt post resurrectionem Christi.

Sed obiicitur, quia de illis qui cum Domino surrexerunt dicit *Hieronymus in Glossa super Matth.* 27. quod vere surrexerunt, nec iterum obierunt, sed cum Christo in corpore ascenderũt: quomodo ergo Christus primogenitus ex mortuis, cum illi dicantur surrexisse in die passionis, *Matth.* 27.

Responsio.

Respondeo quod tunc illo die non surrexerunt, sed die Dominico post resurrectioné Christi, quod habetur in textu: exeuntes, inquit, de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem & apparuerunt multis. & dicit *Glossa super Matthaeum*, quod licet monumenta ante fuerint aperta, non prius tamen quam Christus exierunt, vt esset primogenitus mortuorum. Dicitur autem primogenitus quia resurgentes quodammodo generantur: de esse † . . . . immortale ingrediuntur. Tunc enim sancti dicuntur nasci natiuitate gloriæ: inde est quod obitus Sanctorum natalis appellatur. [*& princeps regum terræ*] id est terrenarum potestatum regnantium in terra potens eos remouere, & ad vtilitatem sanctorum permittens sæuire. *Dan.* 4. *Excelsus dominatur in regno hominum & cuicunque voluerit dat illud*, vel [*regum terræ*] id est sanctorum bene regentium se, vel alios [*dilexit nos*] scil. viuens. [*& lauit nos*] scil. moriens. [*à peccatis nostris:*] quæ scil. maculant animam, [*in sanguine suo:*] *non hircorum aut taurorum, sed suo proprio, quem pro nobis fudit*. Vnde baptismus vim mundandi suscepit. *Heb.* 9. *Si enim sanguis hircorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, &c.*

†forte suple mortali in immortale ingrediuntur.

Vers. 6. Et fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo, ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

[*Et fecit nos regnum*] id est tales in quibus regnet & habitet. [*& sacerdotes:*] id est veros sacrificatores. 1. *Pet.* 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, &c.* vel [*reganm:*] id est potentes regere sensus vestros & reprimere motus illicitos. [*& sacerdotes:*] id est immolantes vosmetipsos Domino iuxta illud. *Rom.* 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Haymo.* Tales merito dicuntur reges & sacerdotes quia tumultus carnalium voluptatum contra se insurgentes vt reges refrænant, & sacrificium laudis & mortificationis carnis Deo immolant: scil. victimis operum & libaminibus lachrymarum. [*Deo & Patri:*] qui est Deus Christi in quantum homo, quia eius creator: & pater in quantum per generationem Deus. *Ioan.* 20. *Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Et cum tot & tanta nobis fecerit, & talis & tantus sit, ideo [*ipsi gloria:*] id est laus quoad bonos: [*& imperium:*] id est, potestas quoad malos, [*in secula:*] consecutiua scil. [*seculorum:*] id est in perpetuum. [*Amen:*] id est vere vel ita sit. 1. *Tim.* 6. *Cui est honor & gloria & imperium in sempiternum Amen.* Vbi dicit Glossa: [*Gloria*] in se: [*honor*] in creaturis: [*imperium*] quia omnia potest.

Haymo. Reges & sacerdotes cur dicantur fideles.

Deus Pater Christi, vt Dei aeque ac vt hominis Deus.

Vers. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: etiam, Amen.

[*Ecce venit &c.*] Hic cõmendatur Christus quo ad secundum aduentum, de quo loquitur hic Ioannes, vt incutiat timorem: vt qui noluot amore primi aduentus peccata dimittere, saltem timore secundi dimittant. Vbi tangit duo: & dispositionẽ iudicis, & dispositionem iudicandorum: [*videbit eum.*]

Dicit ergo: [*& ecce*] quia omne tempus breue est, vtitur aduerbio demonstratiuo, & verbo præsentis temporis dicens: [*ecce venit:*] id est cito veniet. [*cum nubibus:*] sicut ascendit. *Act.* 1. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Dan.* 7. *Ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat.* vel [*cum nubibus:*] id est cum sanctis. *Isai.* 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui. Isa.* 60. *Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Dicuntur autem nubes quia ascendunt per contemplationem, pluunt per prædicationem, protegunt à feruore iræ diuinæ per suam intercessionem. Vnde cum nubibus dicitur venire, quia in carne veniet, & cum eo Sancti corporibus assumptis, in nube carnis ipse tonabit suscipiendo & suscitando. *Iob.* 26. *Cum vix paruam scintillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Coruscabit occulta cordium manifestando. 1. *Cor.* 4. *Veniet Dominus & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Dan.* 7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Pluet, æterna supplicia infligendo. *Psal.* 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Proteget bonos à malis pœnæ refrigerium dando.

Nubes.

[*Et videbit eum oculus omnis:*] Hic tangit dispositionem iudicandorum.

Primo quia videbunt eum omnes.

Secundo quidem, *quia dolebunt & plangent.*

Dicit ergo: [*& videbit eum omnis oculus:*] tam bonus quam malus, sed boni ad gloriam. *Isai.* 33. *Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terrã de longe.* Mali vero ad pœnam. *Sap.* 5. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Boni videbunt humanitatem, & diuinitatem, mali vero solum humanitatem. *Isai.* 26. Tollatur impius, secundum aliam literam, nostra habet: In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. Haymo dicit, quod hic habet alia translatio: Videbit eum omnis terra talem, scil. qualem despexerunt, & qualem credere noluerunt.

Videbitur Christus in iudicio ab omnibus, tã bonis quam malis. Sed diuerse.

Haymo.

Sed obiicitur hic de Glossa quæ dicit: hic apparebit vt nubes quæ duxit filios Israel: ergo est luminosus reprobis.

Obiectio.

Respondeo secundum Haymonem: sicut nubes filios Israel illuminabat, & Ægyptios obcæcabat: sic Dominus ad iudicium veniens blandus apparebit iustis, & terribilis reprobis: & quod obiicitur, dicendum quod luminosum excellens obcæcat oculum infirmum & affligit, illuminat autem sanum & delectat. Oculus enim egros &c. . . . . sic, &c. . . . .

Responsio. Haymo.

Sed iterum obiicitur: si omnis oculus videbit eum, ergo paruuli ante Baptismum mortui visuri sunt Christum, ergo dolebunt.

Alia obiectio.

Resp. Dicendum: potest esse quod videbunt, non tamen cognoscẽt, quia si cognoscerent dolerent, & sic haberent pœnam sensibilem. Vel secundum alios: agnoscent nec dolebunt, quia sine culpa sua sciunt se ad eum nõ pertinere, nec habere aptitudinẽ ex puris naturalibus, vt cum eo esse possent. Nullus autem dolet de amissione eius quod nunquam habere potest. Potest

Responsio.

tamen hoc exponi: [*vidibit &c.*] de his qui hic habuerunt viſum liberi arbitrii. [*& qui eum pupugerunt:*] id eſt crucifixerunt; vel procurando, vt Iudæi; vel imperando, vt Pilatus; vel exequendo, vt gentiles milites; vel cauſam dando, vt omnes peccatores. *Zachar.* 12. *Aſpicient ad me quem confixerunt. & plangent eum planctu, quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum ſicut doleri ſolet in morte primogeniti. Iohann.* 19. *videbunt in quem transfixerunt*: bene videbunt eum, ſicut dicit Gloſſa, vt magis erucientur. & tunc [*plangent ſe ſuper eum:*] *Gloſſ.* id eſt dolebunt reſpicientes eos, qui fundati ſunt ſuper eum: quia non tam dolebunt de ipſo tormento, quam quod repellentur à tali conſortio.

Haymo. *Haymo*: magis dolebunt miſeri, quia talem perdent dominum, quam quod in tam acutiſſimum inciderunt tormentum. vel [*plangent ſe ſuper eum:*] vel † collident ſuper eum impotentes eius reſiſtere imperio, ad ſimilitudinem lapidis & fictilium quaſi confracti & colliſi ex caſu ſuper lapidem. [*omnes tribus terræ:*] id eſt omnes terreni, qui plus dilexerunt terram quam regnum.

† colligent MS.

[*Etiam, Amen:*] Confirmatio eſt prædictorum, ac ſi geminando diceret: verum eſt, verũ eſt & mutari non poteſt. & vtitur ad confirmandum Ioannes duplici aduerbio diuerſarum linguarum, Hebræo ſcilicet & Græco: quia hoc debent credere tam Iudæi quam Gentiles, & qui ex his proceſſerunt, ſcilicet Chriſtiani. *Amen* enim aduerbium Hebraicum & etiam Græcum eſt & Latinum, quibus vtitur Ioannes ad confirmandum illud quod quaſi omni lingua firmandum eſt, vt dicit hic *Interlinearis*. Et vt melius credatur quod dictum eſt de Chriſto, inducit Ioannes Chriſtum de ſeipſo loquentem, vnde ſubdit.

A duerbio duplici vtitur Ioannes.

Verſ.8. Ego ſum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.

Quare Chriſtus dicitur Alpha & Omega.

[*Ego ſum Alpha & Omega:*] vbi commendatur quoad naturam diuinam, quia eſt principium & finis, quia rector & gubernator omnium, & quia remunerator. In hoc vero quod dicitur eſſe Alpha & Omega, ſit ſenſus: Ego ſum primus & vltimus,...... vocatur eſſe principium & finis omnium. In Alphabeto enim Græcorum primo ponitur A litera, vltimo vero ω. Vnde Alpha ponitur pro principio & Omega pro fine, ſit ſenſus: Ego ſum primus & vltimus: vnde ſubditur expoſitio: [*principium & finis:*] principium à quo omnia ſunt & cauſantur, & finis ad quem omnia tendunt & ordinantur. [*Dicit Dominus Deus qui eſt:*] id eſt cui nomen eſt, *qui eſt* [*& qui erat*] æternaliter. [*& qui venturus eſt:*] ſcilicet ad iudicium. [*omnipotens:*] id eſt omnia potens, ità quod eius potentia non poteſt cogi, vel impediri, & bene adiungitur ei, quod dicitur venturus, quia modo non oſtendit ſuam potentiam, ſed in futuro oſtendet. *Bernardus.* Cognoſcetur Dominus iudicia faciens, qui nunc ignoratur iniurias patiens.

Dei potentia infinita.

Bernardus.

V.9 Ego Ioannes frater veſter & particeps in tribulatione & regno, & patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu.

Narratio & diuiſio eius in 7 partes.

[*Ego Ioannes:*] Hic incipit narratio: & diuiditur pars iſta in ſeptem partes, ſecundum ſeptem viſiones.

Prima eſt de correctione Eccleſiarum vſq; ad quartum capitulum: *Poſt igitur vidi.*

In ſecunda eſt de reuelatione myſteriorum ſedentis in throno, libri ſignati, & etiã ſequentium apertionẽ ſigillorum, à quarto capitulo vſq; ad octauum: *Et vidi ſeptem Angelos ſtantes.*

Tertia eſt de Angelis tenentibus tubas & canentibus, & rebus contingentibus ad cantum tubarum, ab octauo capitulo ad duodecimum: ibi: *Et apertum eſt templum Dei.*

Quarta eſt de pugna mulieris & draconis, & de adiutorio mulieris, à duodecimo capitulo vſque ad decimumquintum: *Et vidi aliud ſignũ magnum in cælo.*

Quinta de ſeptẽ Angelis effundentibus phialas iræ Dei à decimoquinto capitulo vſq; ad decimumoctauum: *Et poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cælo.*

Sexta eſt de damnatione Babyloniæ, & Beſtiæ, & Draconis, à decimooctauo capitulo vſq; ad viceſimumprimum: *Et vidi cælum nouum.*

Septima de innouatione elemẽtorum & glorificatione ſanctorum, à viceſimoprimo capitulo vſque ad viceſimumſecundum ad medium: *Et dixit mihi hæc verba fideliſſima ſunt. &c.*

Et diſtinguuntur hoc modo. Nam

Primæ quatuor reſpiciunt ſtatum Eccleſiæ generalem à principio vſque in finem:

Tres vltimæ ſtatum Eccleſiæ finalem.

Et quatuor primæ ſic diſtinguuntur:

Prima eſt correctiua: agit enim de correctione vniuerſalis Eccleſiæ.

Secunda eſt conſolatoria per reuelationem myſteriorum ſicut patebit.

Tertia eſt terribilis & comminatoria per cantum tubarum.

Quarta eſt exhortatoria ad pugnam contra Draconem, exemplo mulieris & familiæ Agni.

Tres vltimæ quæ reſpiciunt finalem ſtatum ſic diſtinguuntur:

Prima demonſtrat ſtatum Antichriſti.

Secunda ſtatum temporis iudicii:

Tertia ſtatum ſequentem poſt tempus iudicii.

Prima viſio, quæ hic incipit, diuiditur in duas partes: In prima enim monſtratur Chriſtus exiſtens in medio Eccleſiarum vſque ad ſecundum capitulum.

In ſecunda iubentur ſcribi Epiſtolæ ad correctionem Eccleſiarum, à ſecundo capitulo vſque ad quartum.

In prima primo ponuntur quædam antecedentia viſionem.

Secundo viſio: *& conuerſus.*

Tertio ſequentia ipſam viſionem: *Et cum vidiſſem.*

Antecedentia vero viſionem ſunt commendatio viſionis, auditus vocis tanquam tubæ & conuerſio ad videndum vocem, vt patet ex ſerie literæ.

Dicit ergo: [*Ego Ioannes:*] nominat ſe in principio narrationis, quia cum totus liber iſte ſit de Reuelationibus & viſionibus, in quibus non eſt credendum omni ſpiritui, ideo confirmans viſiones ſuas auctoritate ſui nominis quod erat cognitum omnibus dicit in principio: [*Ego Ioannes:*] electus ſc. à Domino in diſcipulum, plus dilectus cæteris, virgo, virginis matris Domini cuſtos, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit. hæc enim per ſui nominis impreſſionem innuit,

Fratres spiritualiter sunt omnes Christiani.

innuit. [*frater vester*] non natura sed gratia, non carne sed fide. *Matth.* 23. *Omnes vos fratres estis.* Et licet Prælatus, tamen se fratrem nominat causa humilitatis. *Eccles.* 32. *Rectorem te posuerunt noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* [*& particeps in tribulatione*] id est sustinens Ecclesiæ tribulationes, quas & vos. [*& regno*] quia per multas tribulationes venitur ad regnum *Actor.* 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* & 2. *Cor.* 1. *sicut estis socii passionum, sic eritis & consolationis.* Et quia non omnis patientia ducit ad regnum, sed tantum illa quæ propter Christum est, ideo additur: [*& patientia in Christo Iesu*] id est propter Christum Iesum, & in charitate Christi. 1. *Pet.* 4. *Nemo vestrum patiatur quasi homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* & post: *Si autem vt Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* [*fui in insula quæ appellatur Pathmos*] missus à Domitiano in exilium. & est locus remotus à frequentia hominum. [*propter verbum Dei*] quod prædicabam. [*& testimonium Iesu Christi*] id est quod de Iesu Christo reddebam. quod dicitur [*verbum Dei*] pertinet ad Deitatem: quod dicitur [*Iesu Christi*] ad humanitatem. Quomodo vero ibi fuerit, subiungit dicens:

Tribulationes sunt via regni.

Patientia vera.

Ioannes à Domitiano in exilium missus.

Vers. 10. Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis,

[*Fui in spiritu*] id est spiritnali visione: vel in excessu mentis, in quo anima sopitis sensibus exterioribus, & quodammodo à corpore separata eleuatur ad conspicienda cælestia. Hic aperte monstratur, dicit *Haymo*, beatum Ioannem hanc visionem non corporaliter sed in spiritu vidisse: non tamen in somnis sed in ecstasi raptus est sicut etiam Ezechiel cum sederet in domo sua ductus est mente in Hierusalem. *Ezech.* 8. Qua vero die ibi fuerit, manifestat cum subiungit:

Visio Ioannis quatuor commendata.

[*In Dominica die*] Quatuor vero tanguntur hic quæ faciunt ad commendationem visionis: scilicet

Ioannes quid significet.

Primo *nomen videntis*, cum dicitur, [*Ioannes*] interpretatur enim, in quo est gratia.

Secundo *Locus visionis*: *Pathmos insula*, quæ est locus remotus à frequentia hominum, & ideo magis contemplationi aptus: *Ose.* 2. *Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor eius*:

Tertio *Causa*: *Propter testimonium Iesu Christi*:

Quarto *Tempus*: *in Dominica die*, quæ est tempus aptum contemplationi, quia quanto dies sanctior, tanto Diuinæ reuelationi conuenientior, quia tunc debet homo cessare ab opere exteriori, & vacare orationi, & contemplationi, cum propter hæc instituta fuerint festa. vnde *Glossa* hic: solet rerum qualitas ex tempore notari. vnde & Abraham in feruore diei, id est in meridie Angelos vidit. *Genes.* 18. in quo significatur feruor suæ fidei, qua futura mysteria præcognouit. Sic ad significandum quod Ioannes erat intentus contemplationi, dicitur quod fuerit in spiritu in Dominica die, quando nullo modo vacaret exterioribus. Et bene post tribulationem dicitur esse in spiritu, quia tribulatio dilatat spiritum ad susceptionem spiritualium. *Psalm.* 4. *In tribulatione dilatasti mihi.* & *Esa.* 28. *Sola vexatio intellectum dabit auditui.*

Festa in quem finem instituta.

Tribulationis vtilitas.

Notandum vero hic quod ex hoc quod Iohannes dicitur fuisse in spiritu in Dominica die, volunt quidam asserere quod simul vno intuitu viderit omnia ista. Sed hoc non definimus, quia vt dicit *Glossa*, Angelus ei vtrumque conferre potuit scilicet quod simul vel successiue hæc viderit. Sequitur:

[*Et audiui vocem*] non exteriori sed interiori aure. [*post me vocem*] scilicet Angeli reuelationem, quæ est sine strepitu. [*magnam*] manifestatione scilicet, vel significatione, quia erat de magnis: & dicit [*post me*] quia de futuris erat reuelatio: vel ideo quia Ioannes à subsidio humano elongatus, à strepitu mundi remotus, & quieti deditus, omnem pastoralem solicitudinem cunctaque visibilia visibilibusque similia post se longe reliquerat, & ideo ad interiora se extendens, per puram intelligentiam Dei, imaginatione remota, solis supernis intendebat, & dum ad subditorum eruditionem reducitur, & edocetur de his, quæ scribenda erant secundum sensibilium similitudines, quasi de anterioribus ad posteriora reuocatur, & quasi post tergum vocem audit. vnde dicit Expositor: Non per corpus ista vidit, vt post dorsum corporis aliquid videret, sed facies illius intelligitur ipsa vis contemplationis, quæ extendebatur ad ea quæ videbat, dorsum vero, obliuio de præsentibus: ex quibus per spiritum iam videbatur eductus. †Idcirco itaque cælestibus intentos vocem in his quæ oblitus fuerat profutura scriberet. Sequitur [*tanquam tubæ*] quæ inuitat ad bellum, & vocat ad conuiuium. in quo ostenditur quod timidos & ignauos ad confligendum contra vitia debeat exhortatione incitare & præmia si vicerint promittere. [*dicentis*] vel *dictantem*, vt dicit *Glossa*.

Haymo.

†Textus Haymonis legit sic: Idcirco itaque cælestibus intentus vocem in his quæ oblitus fuerat, audiuit vt facilè mentis ad ea conuerteret, & ea quæ videbat auditoribus profutura scriberet.

Vers. 11. Quod vides, scribe in libro: & mitte septem ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ.

[*Quod vides*] iam, & visurus es postea: [*scribe in libro*] materiali scilicet quia vox transit & scriptura manet. vel [*scribe in libro*] cordis. *Gloss.* mente reconde. [*& mitte septem Ecclesiis*] Asiæ quibus præerat: vel vniuersali Ecclesiæ per illas septem designatæ. [*Epheso, Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ*] id est vniuersali Ecclesiæ per eas designatæ, vt dictum est.

Vers. 12. Et conuersus sum, vt viderem vocem quæ loquebatur mecum. Et conuersus vidi septem candelabra aurea.

[*Et conuersus sum*] à contemplatione Dei ad memoriam subditorum. [*vt viderem*] id est intelligerem. [*vocem quæ loquebatur mecum*] internus sine strepitu soni. Expositor: Hic liquido apparet non corporalem sed spiritualem vocem Iohannem audisse, quam non vt audiret sed vt videret dicit se esse conuersum: quod vtique iuxta corporis sensus impossibile esse cognoscitur. Non enim vox vnquam videri potest, sed ille raptus spiritu ad summa contemplanda, nihil aliud audiuit quam vidit, quia hoc est illi audire quod videre, hoc videre quod audire. Ex his videtur quod *quædam vox* nihil aliud fuerit, quam quædam interior & secreta inspiratio sibi facta.

Vox à Ioanne audita quid fuerit.

[*Et conuersus vidi candelabra*] Hic ponitur ipsa visio, cuius quædam præuia & antecedentia supra sunt declarata: &

Primo describitur locus:

Secundo habitus magistri docentis Ioannem.

Tertio describitur forma eius: *capus autem & capilli eius.*

Quarto potestas: *& habebat in dextera sua septem stellas.*

Per septem candelabra aurea quid intelligendu Dicit ergo: [*& conuersus vidi septem candelabra aurea*] id est septem Ecclesias scientia lucentes, gratia pretiosas, patientia solidas, & obedientia ductiles, doctrina sonoras, ratione istarum proprietatum per septem candelabra aurea designatae.

Gloss. Si habeat hanc vocem in ore & non opere candelabrum est sed non aureum est. Igitur candelabrum, si habet praedicationem verbi, sed aureum, si habet fulgorem exempli. *Luc. 11.* *Lucerna ac censa vbi ponenda.* *Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.*

Vers. 13. Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & praecinctum ad mammillas zona aurea.

[*Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis*] id est Angelum personam Christi gerentem, & in forma hominis apparentem, iuuenis, non senis: ideo dicit: [*similem filio hominis*] *Angelus personam Christi gerens.* dicitur autem, [*filio hominis*] simpliciter propter maiorem conformitatem ad Christum quem repraesentabat: item propter defectus humanos quos suscepit in se praeter ignorantiam & peccatum. *Hebr. 4.* *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Item [*similem filio hominis*] & non filium hominis simpliciter, dicit *Glossa*: quia iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. *Rom. 6.* Quod dicit, [*in medio*] ad omne auxilium spectat fidelium. [*vestitum podere*] id est sacerdotali veste: id est carne in qua se obtulit & quotidie offert Deo Patri se repraesentans pro nobis. *1. Iohan. 2.* *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* vel ideo dicitur caro Christi [*poderis*] id est talaris vel longa, à *podas*, quod est *pes*, quia quamdiu erit Deus, erit homo: & quia etiam vsque ad mortem suos dilexit. [*& praecinctum ad mammillas Zona aurea*] cingulo scilicet charitatis cogitationes inordinatas restringente. vel [*zona aurea*] castitate ex charitate procedente. *Dan. 10.* *Vidi praecinctum ad renes*: quia vetus Testamentum carnalia opera puniendo restringit, nouum vero & cogitationes. In hoc † dicitur quod zona aurea dicitur, ostenditur quod castitas ex charitate procedente * qualis fuit castitas prudentum virginum, quae acceptis lampadibus, *Matth. 25.* *Sumpserunt oleum castitatis non solum in lampadibus*, id est in corporibus, sed etiam in *vasis*, id est in cordibus. *Zona* siquidem *ad renes* significat ‡ cohibitionem corporalium vitiorum ad conseruandam virtutem castitatis: *Zona vero ad mamillas* significat * cohibitionem inuisibilium cogitationum ad custodiendam virtutem castitatis. Sequitur.

Per poderē quid intelligendum.

† Videtur delendum.

** forte sup. plo, debet.*

‡ cohabitationem MS.

** cohabitationem MS.*

Vers. 14. Caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis:

[*Caput autem & capilli eius*] Postquam descripsit habitum magistri docentis eum, hic describit formam vt melius credatur ei qui talem magistrum habuerit. [*Caput*] inquit [*eius*] id est Christus, in quo omnia necessaria ad regimen Ecclesiae in se ostendit, quid in aliis exigit, secundum Glossam. [*& capilli*] id est sancti extenuati, & mortificati adhaerentes Christo. [*candidi tanquam lana alba, & tanquam nix*] id est mundi à labe peccati habentes calorem amoris, & frigus timoris. *Lana* enim quae calida est pertinet ad amorem, sed *nix* frigida ad timorem. Timor autem & amor in sanctis debent esse coniuncta: & ideo in signum huius hic coniunguntur. Primo secundum *Glossam*: sicut lana alba susceptiua est omnium colorum: sic sancti omnium tribulationum pro Christo. *Psal. 56.* *Paratum cor meum Deus &c. Bernardus.* Paratum ad prospera, paratum ad flagella. Item nix candidior est alia creatura. vnde secundum Glossam significat gloriam immortalitatis, ad quā venitur per tolerantiam tribulationum. *Luc. 22.* *Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

Timoris & amoris coniunctio sanctis necessaria.

Bernardus.

Aliter per *caput* etiam potest intelligi diuinitas: per *capillos*, creatura rationalis. Capilli enim à capite habent originem & incrementum. sic creatura rationalis à Deo est habens substantiam per sui creationem vel conditionem, & incrementū iustitiae per gratiae susceptionem. Caelestis candor vero designat immortalitatem. In *lana* vero alba *quae de animali oritur*, humana natura designatur. In *niue* vero *quae desursum venit*, natura Angelica. Vtraque vero natura & angelica & humana dono immortalitatis decoratur. [*& oculi eius velut flamma ignis*] id est respectus diuini inflammantes sunt ad amorem, & illuminantes ad cognitionem. *Sap. 4.* *Gratia Dei & misericordia eius in sanctos eius, & respectus in electos illius.*

Secundum *Glossam oculi* Domini sunt dona Spiritus sancti.

Vel moraliter; *Oculi Domini* sunt spirituales viri verbo & exemplo animos illuminantes & inflammantes in cognitionem & amorem Dei & Christi. *Matth. 5.* *Vos estis lux mundi. Zach. 2.* *Qui tangit vos tangit pupillam oculi mei.*

Vers. 15 Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti & vox illius tanquam vox aquarum multarum.

[*Et pedes eius similes aurichalco*] per pedes intelliguntur minores & inferiores in Ecclesia, qui dū à terrenis perfecte se non erigunt, more pedum terram tangunt: qui non sunt similes auro sed aurichalco, quia ad fulgorem perfectum nō pertingunt. Hi labore suo & exercitio Ecclesiam sustentant temporalia ministrando & procurando, & proinde saepe sordidantur.

Vel per pedes possunt intelligi vltimi fideles, qui erunt tempore Antichristi. Nam sicut aurichalcum multis concussionibus, & concremationibus depuratur & meliorem accipit † coronam sic illi multitudine tribulationum depurabuntur, & clariores efficientur. *Sapien. 3.* *Tanquam aurum in fornace probauit illos.* Ideo & aurichalco cōparantur & non auro: quia quamuis sint paris merit & virtutis cū Sanctis primitiuis nō tamen ita lucebunt miraculis sicut illi: & ideo viliores reputabuntur, sicut aurichalcum vilius auro reputa-

Similis fidelium & aurichalcis.

† forte, colorem. vt est in Glossa.

putatur. Aurichalcum secundum *Isidorum* dictum est eo quod splendorē auri & duritiam æris possideat, & est compositum ex lingua Latina & Græca. *æs* enim sermone Græco *chalcon* vocatur: & fit ex ære, & igne multo, ac medicaminibus perducitur ad aureum colorem. *Hugo* autem dicit ab *aurum* & † *caltos*, malum: quasi malum aurum, quia solum auri colorem habet, non valorem. Huic vltimi fideles comparantur, sicut dicit Expositor: quia sicut aurichalcum multis medicaminibus ex ære perducitur ad colorem auri, ita & illi tribulatione nouissimi temporis exuruntur vt probentur velut mundissimum aurum: & sicut Antichristus crudelior erit omnibus persecutoribus, ita & illi sancti fortiores erunt omnibus retro & ante martyribus. [*sicut in camino ardenti*:] Sancti enim vltimi grauibus tribulationibus affligentur. *Matth.* 24. *Erit tribulatio magna, qualis non erat ab origine mundi vsque modo, nec fiet.* Primitiua Ecclesia fuit quasi aurum igne decoctum, sed vltima quasi aurichalcum in camino positum, quia maior est vltima persecutio. *Esa.* 31. *Dixit Dominus cuius ignis in Sion*, id est in primitiua Ecclesia, *& caminus in Hierusalem*, id est in vltima.

Hugo.
† forte cacos
Camini ardentis significatio.
Esa 31.

Alia translatio habet: [*pedes eius similes aurichalco Libani*:] per quod ostenditur quod illa tribulatio maxime est in Iudæa, vbi Dominus fuit crucifixus: ibi enim est vox libani. [*& vox illius tanquam vox aquarum multarum*:] id est eius prædicatio obtinet vim aquæ, quia mundat. *Ioh.* 15. *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Et dicitur *vox aquarum multarum*, quia multi populi receperunt eam, qui aquis comparantur propter fluendi facilitatem & standi difficultatem. & *infra* 17. *Aquæ quas vidisti vbi meretrix sedet populi sunt & gentes.*

Vocis aquarum multarum significatio

Quæstio

Sed hic quæritur quare superius audierit Ioannes vocem Angeli tanquam tubæ, hic autem tanquam aquarum multarum?

Responsio.

Resp. Dicit Expositor, quia videlicet prius per paucos prædicatores sonuit & postea multorum populorum officio resultauit. Aquæ enim multæ populi sunt, sicut in sequentibus legimus. Quod enim primum pauci prædicatores, hoc postea totus mundus clamauit.

Vers. 16. Et habebat in dextera sua stellas septem. & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius, sicut sol lucet in virtute sua.

Septem stellarum significatio.

[*Et habebat in dextera sua septem stellas*:] septem stellæ sunt Ecclesiæ vniuersi prælati, qui debent aliis lucere verbo exemplo: debent etiam esse fixi in cœlo id est in Christo, fide, spe & amore, & apparere parui quantumcunq; sint magni. *Phil.* 2. *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* *Baruch.* 3. *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis & lætatæ sunt: vocatæ sunt & dixerunt, adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Hoc est contra illos qui lucere volunt magis in alienis Ecclesiis quam in illis in quibus possunt. In *septenario* vero vniuersitas intelligitur, quia tota vita præsens per septem dies transit. Prælatos vero habet Christus in dextera sua, quia ad dexteram in iudicio sunt collocandi, si debito modo se habuerint: vel quia intendunt spiritualibus, quæ per dexteram designantur. Hodie tamen videntur stellæ istæ magis esse in sinistra Christi, cum spiritualibus non intendant: [*de ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat*:] Gladius iste est prædicatio verbi. *Ephes.* 6. *Et gladium spiritus quod est verbum Dei.* qui gladius scindit ex vtraque parte, quia in Veteri Testamento cohibet mala opera, in Nouo vero etiam illicita desideria. Vel ideo dicitur *acutus ex vtraque parte*, quia diuidit hominem tenentem ipsum & seruantem ab amore sui & mundi. *Matth.* 10. *Non veni pacem mittere in terram sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Hic gladius dicitur *exire ex ore Christi*, quia à scriptura sacra debet sumi, quæ sacra scriptura dicitur *os Dei*. *Esa.* 30. *Os meum non interrogastis.*

Septenarius numerus vniuersitatem significans.
Prædicatio verbi per gladium repræsentata.

Vel moraliter: *os Christi* est prædicator, qui debet habere gladium istum ex vtraque parte acutum, quia mundum à se, & se à mundo debet separare, sicut Paulus: de quo *Galat.* 6. *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* De hoc etiam *Ierem.* 15. *Si separaueris pretiosum à vili*, id est animam à mundo: quasi os meum eris. [*& facies eius sicut sol lucet in virtute sua*:] facies intelligi potest præsentia, vel humanitas Christi glorificata, quæ soli comparatur propter excellentiam claritatis. Nulla enim creatura tam lucida est sicut Sol dum lucet in virtute sua, id est in meridie, id est nubibus sublatis. Multo plus resplendebit Christi humanitas. *Matth.* 17. *Resplenduit facies eius sicut sol.* scilicet in transfiguratione. imo centies tantum, sicut dicit *Hilarius*. Sed non habuit Euangelista creaturam splendidiorem cui posset comparare Christi claritatem. Hanc claritatem describit nobis Ioannes vt desiderium nostrum contendat in illam: *Scimus* enim *quod cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* 1. *Ioh.* 3. *Phil.* 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem virtutis suæ, qua etiam possit subiicere sibi omnia.*

Facies Christi cur soli comparata.
Sole nulla creatura lucidior.
Hilarius.

Vers. 17. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens.

[*Et cum vidissem*:] superius posuit visionem & antecedentia ipsam: hic tertio ponit & determinat quædam consequentia: vnde dicit: [*& cum vidissem cecidi*:] Superius enim descripta sunt apparentis locus in quo apparuit, quia in medio candelabrorum, habitus, forma, potestas. Quid autem Ioannes fecerit, ostenditur hic cum dicitur: [*& cum vidissem cecidi*:] & tanguntur hic tria subsequentia visionem.

Primo casus Ioannis.

Secundo consolatio: *noli timere.*

Tertio visionis expositio in parte, & ad aliquid scribendum iniunctio: *scribe ergo quæ vidisti.*

Dicit ergo: [*& cum vidissem eum cecidi ad pedes eius tanquam mortuus*:] præ stupore & admiratione tantæ gloriæ stupefactus. Sed quid si vidisset gloriam diuinitatis. † *Gregorius* post visam

† Gloss. hoc dictum tribuit Ambrosio.

visam gloriam Ioannes cecidit, quia mens humana quanto perfectius cælestia bona cognoscit, tanto amplius sibi ipsi vilescit, & quanto magis Dei potentiam contemplatur, tanto magis in seipsa humiliatur. Hinc est quod Abraham viso Domino puluerem & cinerem se esse cognouit. *Genes.* 18. & *Iob. vltimo. Nunc oculus meus videt te. idcirco ipse me reprehendo & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* [*& posuit dexteram suam:*] id est spiritum confortantem, dicit *Glossa*. [*super me:*] id est super vires meas quia per se non posset se leuare. Dextera Dei est misericordia, sinistra iustitia: dextera supponitur, cum Dei misericordia animam consolatur. [*dicens mihi:*] per interiorem locutionem.

Dextera Christi.

Vers. 18. Noli timere: ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis & inferni.

[*Noli timere:*] in eo quod dexteram supposuit, auxilium subleuationis exprimitur: in eo quod dixit [*noli timere:*] gratia consolationis ostenditur. vnde *Glossa*: noli timere pati pro me tribulationes & mortem. nec debet, [*quia ego sum primus & nouissimus:*] *primus*, per creationem: *nouissimus*, per retributionem. *primus*, quia ante me non est Deus formatus: & *nouissimus*, quia post me non erit alius. *Esa.* 43. *primus*, quia à me sunt omnia: *nouissimus*, quia ad me sunt omnia. [*& sum viuus:*] scil. æternaliter. [*& fui mortuus:*] scil. temporaliter. vel [*fui viuus*] per resurrectionem: [*& fui mortuus:*] per illatam passionem: quasi dicens mortuus fui, sed resurrexi non iterum moriturus, vt Lazarus. *Roman.* 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra nō dominabitur.* vnde subdit, [*& ecce sum viuus in secula seculorum,*] i. e. semper: quasi dicens: Ego qui talis sum mortuus fui propter vos, & post resurrexi, non amplius moriturus. sic & vos non debetis timere mori pro me, qui similiter resurgetis victuri in secula seculorum.

Hayme

Hic dicit Expositor; apparet manifestissime, quod Angelus qui Beato Ioanni apparuit, figuram Christi tenuit. Non enim alii quam Christo nato, passo, & sepulto, & resuscitato hæc verba conueniunt.

Ipse est primus in quo facta sunt omnia; ipse est nouissimus per quem restaurata sunt vniuersa.

Ipse est primus, qui ante secula natus in principio erat verbum.

Ipse nouissimus qui in fine temporum natus, verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et viuus fuit ante omnia secula in diuinitatis essentia vel ante mortem in carne, & mortuus post natiuitatem carnis: & ecce est viuens post resurrectionem in secula seculorum. [*& habeo claues mortis & inferni:*] id est habeo potestatem super diabolum & membra eius, vnde non patiar vos tentari vel tribulari supra id quod potestis, & ideo non debetis timere pati pro me. vel *habeo claues mortis & inferni*; id est habeo potestatem super mortem, vt cum surrexeritis, vobis non possit amplius dominari. [*& super infernum,*] vt vos nō detineat. & vt claudam ibi Diabolum & membra eius perpetuo carcere ne amplius vos infestet.

Claues mortis & inferni quid indicent.

Et notandum quod Christus est creator nostri, remunerator, redemptor, & protector: quæ quatuor faciunt ad consolationem nostram, ad quæ pertinent quatuor verba dicta ad consolationem Ioannis.

Primum est: *ego sum primus.*

Et secundum, *& nouissimus.*

Tertium, *sum viuus & fui mortuus.*

Quartum, *habeo claues mortis & inferni.*

Vers. 19. Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.

[*Scribe ergo quæ vidisti:*] siue oculo carnis, siue intelligentia contemplationis, dispensationem, vel gratiam, vel misericordiam scilicet incarnationis, & mysterium diuinitatis quod dicitur, [*scribe quod vidisti:*] mundi scil. tribulationem, & Dei consolationem. [*& quæcunque oportet fieri post hæc:*] vltimam scilicet persecutionem, veræ fidei probationem, fictorum fidelium reprobationem, damnationem malorum, glorificationem bonorum scribe in quam, vt sicut tu eruditus per cælestem visionem, sic alii erudiantur per eiusdem visionis descriptionem. & determinat quæ sunt scribenda, dicens.

Vers. 20. Sacramentum septem stellarū quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. septem stellæ: angeli sunt septem ecclesiarum. & candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.

[*Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea.*] subaudi *scribe*.

Et notandum quod sacramentum tripliciter dicitur: scilicet. *Sacramentum tripliciter dictũ.*

Sacramentum secretum vel signatum, vt natiuitas Christi, mors, &c. quæ sunt sacramenta signata.

Et sacramentum signans, quæ sunt sacramenta veteris legis.

Et sacramentum faciens, vt sunt sacramenta nouæ legis.

Medio modo hic accipitur sacramentum, scilicet sacramentum signans communiter, secundum quod dicitur sacramentum, vbi aliud videtur, & aliud intelligitur. [*septem stellæ Angeli sunt.*] id est Episcopi septem Ecclesiarum Asiæ, vel omnium Ecclesiarum. vel [*candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt:*] Hanc primam partem visionis exposuit Angelus, vt ostenderet in aliis similiter sensum allegoricum esse quærendum. Noluit autem exponere totum, ne si liber esset totus planus legentibus in tædium verteretur, & forte à quibusdam contemneretur; & vt indignis occultaretur mysterium, & bonis daretur occasio merendi in studio. *Tob.* 12. *Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est.* *Omnia non cur noluerit Ioannes.*

Capvt II.

Vers. 1. Et angelo Ephesi ecclesiæ scribe, hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.

[*Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe, &c.*] Secunda pars est primæ visionis, in qua dictantur Epistolæ secundum numerum Ecclesiarum Asiæ Minoris, & diriguntur Episcopis earum.

Prima dirigitur Episcopi Ephesi. Ephesus autem erat Metropolis Asiæ.

Secun-

Secunda dirigitur Episcopo Smyrnæ: & sic de aliis sicut patet in litera.

Diriguntur autem hæ septem Epistolæ secundum proprias materias de quibus sunt.

Materia primæ Epistolæ est commonitio ad charitatem.

Secundæ ad spem.
Tertiæ ad fidem.
Quartæ ad temperantiam.
Quintæ ad prudentiam.
Sextæ ad fortitudinem.
Septimæ ad iustitiã, sicut patebit in suis locis.

Virtutum præmia. Et in qualibet epistola ponitur præmium correspondens virtuti. vnde has septem Epistolas distinguunt septem virtutes: tres theologicæ, quatuor cardinales: & septem præmia eis correspondentia.

Epistola prima. Hic vero incipit prima. [*Et Angelo Ephesi:*] & continet tres partes:

Exordium.
Narrationem: *Scio opera tua.*

Conclusionem: *qui habet aures.* Et hæc est communis distinctio in qualibet Epistola. Exordium tangit tres personas: personam eius cui dirigitur epistola. ibi: *Angelo Ephesi.* personam scribentis, scilicet Ioannis: *scribe.* personam Christi loquentis in epistola: *hac dicit qui tenet septem stellas.* Et describitur hic secundum proprietatem monitionis faciendæ in Epistola. Cũ enim commonere debeat ad charitatem & amorem, duo ponit maxime in descriptione Christi allicientia ad amorem: vnum est promissio gloriæ quæ determinatur in septenatio. † *donum*; ratione cuius dicitur: *qui tenet septem stellas*: aliud est † collatio gratiæ septiformis, propter quod dicitur: *qui ambulat in medio septem candelabrorũ aureorum.* Ambulat enim dñs nos deambulare facit de virtute & virtutem: & in medio qui est locus virtutis. virtus enim est in mediocritate consistens. Ambulat autem in medio candelabrorum septem aureorum ad componendas lucernas dum distribuit vniuersitatem donorum, præparans corda vt lampades ad susceptionem earum.

† forte donum redundat.
† collectio MS

Dicit ergo: [*Et Angelo Ephesi:*] quod dicit Ephesi satis competit monitioni faciendæ, quia interpretatur, *anima vel voluntas mea in ea*: id est anima habens charitatem. [*Ecclesiæ scribe:*] id est Archiepiscopo illius loci. *Malach. 2. Labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Archiepiscopo autem Ephesi primo scribit, vt correctus, cæteris fiat forma & exemplum correctionis. *Tit. 2. In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.*

Ecclesia pro Archiepisc. sumpta.
Archiepiscopo primo scribat Ioannes.

Prælatus dicitur Angelus. Nota quod Prælatus, Angelus dicitur

Primo propter officium ministrandi: Angelus enim nomen est officii non naturæ. *Hebr. 1. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Ideo 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* & 1. Corinth. 9. *Cum essem liber ex omnibus*, scilicet ante Prælationem, *omnium me seruum feci*, in susceptione Prælationis. *Eccles. 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis. 2. Timoth. 4.* † *Ministerium tuum imple.....*

† MS legit: Ministeriũ nõ animarum tuarũ la.
† forte puritatem.

Secundo propter vitæ † potestatem. *Matth. 22. In resurrectione neq; nubent, neq; nubentur, sed sunt sicut Angeli in cælo. Luc. 12. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

Dicitur Prælatus tertio propter medicandi peritiam quam habent Angeli, vt patet *Tob. 12.* quam debent habere prælati. *Psalm. 87. Medici suscitabunt & confitebuntur tibi. Luc. 10. Curam illius habe & quodcunque supererogaueris, ego cũ rediero, reddam tibi.* Et de summo † tempto Christo: Christus sc. dicitur 1 *Pet. 2. Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorẽ & Episcopum animarum vestrarum.*

† forte Episcopo.

Quarto propter doctrinam, *Dan. 9.* dicitur de Angelo, *Egressus sum vt docerẽ te. Mal. 2. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.*

Quinto propter contemplationem diuinam: *Matth. 18. Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est. Iob. 16. Ad Deum stillat oculus meus*: scilicet in contemplatione.

Sexto pro populo, quia orationes offerunt Deo. *Tob. 12. Ego obtuli orationem tuam Deo*, dicit Angelus. *Macch. vlt. Hic est fratrum amator & populi Israel, hic est qui multũ orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate Ierusalẽ. Exod. 32.* Moyses: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quẽ scripsisti.*

Cum autem scribat Angelo Ephesi subdit: † dicit. [*Hæc dicit qui tenet septẽ stellas in dextera sua:*] id est qui prælatos septem Ecclesiarum conseruat sua gratia, licet peccauerint. Et in hoc admiranda est Dei misericordia, quæ etiam peccantes conseruat, fugientes reuocat, negligentes increpat, torpentes excitat, lapsos erigit, ignaros instituit, deuios reducit, redeuntes suscipit, & susceptos custodit: Vnde *Interlinearis* dicit hic: Licet peccauerint, adhuc non dimittis eos. *Psalm. 36. Cum ceciderit non collidetur, quia dominus supponit manum eius.* Tenet etiam Dominus per rectam viam ducendo ad patriam. *Psal. 72. Tenuisti manum dexteram meam.* Tenet autem eos in dextera sua, vel tenuit, id est, in potioribus bonis suis, id est, in spe & desiderio æternorum, quæ per *dexteram* significantur. *Cant. 8. Dextera illius amplexabitur me.* [*qui ambulat in medio septem candelabrorũ aureorum.*] id est, in medio Ecclesiarum, quasi paterfamilias greges & pastores suos visitans, & vniuscuiusque vitam vel meritum considerans. sic exemplo eius prælatus debet in medio Ecclesiarum ambulare, non se absentare nec cessationem à labore quærere. *Rom. 12. qui præest in solicitudine.*

† videtur redundare. Eo tempore stella non signi ficatio.
Dextera significatio.

Vers. 2. Scio opera tua & laborem, & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces.

Narratio eiusque diuisio. [*Scio opera tua:*] Hic incipit narratio, quæ diuiditur in quinque partes, secundum quod quinque continet.

Primo commendationem.
Secundo argutionem: *sed habeo.*
Tertio admonitionem: *memor esto.*
Quarto comminationem: *sin autem venio cito.*
Quinto consolationem: *sed hoc habes bonum.*

Dicit ergo [*scio opera tua:*] Quia Episcopus ille multum erat grauatus persecutionibus Pseudo-Apostolorum, ideo ne omnino deficiat, primo commẽdat eum in eis, in quibus erat commendabilis, dicẽs, *scio opera tua*: i.e. laudo & approbo opera mẽte quę fecisti. [*& laborem:*] tribulationũ quẽ sustinuisti. [*& patientiam tuam:*] quia nõ murmurans de flagello illato, nec de dilato præmio.

Et

Beata vita in trib. conſiſtens. Bernardus.

Et tangit hic tria: opera, laborem & patientiam: quia in his tribus beata vita conſiſtit. Bernhardus: Bonam vitam ego poto bona agere, & mala pati, & in his perſeuerare vſque ad mortem. [*& quia non potes ſuſtinere malos:*] in tuo conſortio, vel in tua diœceſi .... quin corrigas, vel expellas: quia *corrumpunt bonos mores colloquia mala.* 1. *Corint.* 15. *Eccleſia.* 13. *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* [*& tentaſti eos:*] id eſt probaſti eos. [*qui ſe dicunt eſſe Apoſtolos:*] id eſt à Chriſto miſſos. [*& non ſunt,*] ſed ingerũt ſub nomine Apoſtolorum, vt accipiant, vel vt lucrum faciant. *Ierem.* 23. *Non mittebam eos, & ipſi currebant. Matth.* 7. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Tempore quo Ioannes fuit in exilio, ſurrexerunt in Aſiam quidam hæretici, quorum fidem & doctrinam ille Epiſcopus examinauit, & falſitatem eorum inuenit. Vnde de ipſo poteſt dici illud: *Ierem.* 6. *Probatorem dedi te in populo meo robuſtum, & probabis viam eorum.* [*& inueniſti eos mendaces:*] in doctrina & vita. ſicut enim veritas auri probatur ex tactu, ſic tribulatio probat veritatem iuſtorum, & oſtendit fictionem hypocritarum. *Eccleſ.* 6. *quaſi lapidis virtus probatio erit in illis.*

Colloquiorũ malorum corruptio.

Verſ. 3. Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.

[*Et patientiam habes:*] in malis quæ illi per ſe & per alios tibi inferunt. [*& ſuſtinuiſti:*] non depreſſus malis illatis. [*propter nomen meum:*] effectiue, id eſt per nomen meum quod tenuit te: aliter enim non ſufficeret aliquis ſuſtinere tribulationes, niſi nomen Dei iuuaret. *Prouerb.* 18. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſam currit iuſtus & exaltabitur.* vel finaliter *propter nomen meum* glorificandum. *Matth.* 5. *Beati eſtis cum vos oderint homines, &c.* [*& non defeciſti:*] id eſt non ſuccubuiſti. *Haymo:* Ideo patientiam habens non ſuccumbis, quia non pro terrena gloria, ſed propter Deum hæc ſuſtines.

Nomen Domini turri comparatũ.

Haymo.

Verſ. 4. Sed habeo aduerſum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquiſti.

[*Sed habeo aliquid aduerſum te:*] Poſt commendationem, hic ponit arguitionem: quia primo oleum, poſtea vinum debet infondi. vnde dicit: [*ſed habeo aduerſum te aliquid:*] ſcilicet pauca dicere vel redarguere: quaſi, laudaui in te quæ ſunt laudanda, nunc reprehendo quæ ſunt reprehendenda: ſcilicet quod [*charitatem tuam primam:*] id eſt ſtatum tuæ primæ charitatis quando feruebat contra malos imperfectione reliquiſti, tepidus factus, nimio tædio affectus. propter quod etiam prædicationem dimiſerat, ſicut faciunt multi qui quando deberent proficere aſcendendo de bono in melius, deficiunt deſcendendo de alto in imum: ſimiles ſtatuæ Nabuchodonoſoris, cuius caput erat aureum, pectus argenteũ, venter æneus, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis. [*habeo aliquid aduerſum te:*] id eſt aduerſus malos ſubditos tuos, qui tecum ſunt aliquid: pauca ſcilicet reprehenſibilia. Sicut enim dicit *Haymo:* Peccata ſubditorum aſſcribit Prælato, quia negligens eſt circa eorum correctionem. vnde *Gloſſa:* Heli ſacerdos bonus fuit, & tamen damnatus eſt propter filios quos corrigere noluit. [*quod charitatem tuam primam reliquiſti:*] id eſt ſubditi tui ex tua negligentia reliquerunt. Ecce reprehenditur & punitur Prælatus propter peccata ſubditorum. *Num.* 25. *Suſpende cunctos principes in patibulis contra ſolem.* ibi *Gloſſa Origenis:* Hæc homines ſi attenderent, principatus non ambirent.

Tepidus Prælatus.

Prælatus negligens.

Origenes.

Verſ. 5. Memor eſto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem: venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.

[*Memor eſto itaque vnde excideris:*] id eſt à quo ſtatu vel dignitate. [*& age pœnitentiam, & prima opera fac:*] id eſt primis ſimilia: quaſi dicens ita viue vt prius. *Ierem.* 23. *Reuertetur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.* *Haymo* vero ſic exponit: [*prima opera fac:*] id eſt redi in amorem prioris viri. *Oſe.* 2. *Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc:*]

Haymo.

[*Sin autem.*] Hic ponit comminationem: id eſt ſi non pœnitueris & ad priorem ſtatum redieris. [*veniam*] in morte ſcilicet, vel in iudicio. [*tibi:*] id eſt propter te puniendum. [*cito:*] Hoc dicit vt celeritas & improuiſio aduentus timorem & ſolicitudinem incutiant. 1. *Theſſal.* 5. *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient.* [*Et mouebo candelabrum tuum de loco ſuo:*] *Gloſ.* id eſt auferam dona & virtutes, per quæ conſtituta ſunt candelabra: vel te ab Eccleſia tua amouendo, & alium loco tui collocabo. *Iſai.* 22. *Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.* *Haymo* vero ſic exponit: *mouebo candelabrum:* id eſt te de loco virtutis tuæ, & ſocietatis fidelium amouendo. *Pſal.* 51. *Deus deſtruet te in finem, euellet te & emigrare faciet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* [*niſi pœnitentiam egeris:*] de peccatis tuis. *Eccleſ.* 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum.*

Verſ. 6. Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

[*Sed hoc habes bonum, &c.* [*odiſti facta Nicolaitarum:*] Hic ne comminatio facta deiiciat eum in deſperationem, ſubdit cõſolationem, commendans eum: [*ſed hoc habes bonum: &c.*] non dicit Nicolaitas, ſed facta id eſt opera eorum. *Nicolaus* iſte fuit vnus de ſeptem diaconis, de quibus *Act.* 6. qui à fide & doctrina receſſit, eo quod arguebatur ſuper hoc: nimium zelabat vxorem ſuam, quæ erat valde pulchra, ſicut dicit Clemens. Et vt ſe excuſaret ab hac ſtultitia, reſpondit: Non eſt mihi curæ quid ipſa faciat, qui vult vtatur ea. & ob hoc prædicabat communicandas eſſe vxores, & omnes mulieres & comeſtionem idolothytorum eſſe licitam. prædicauit etiam hunc modum non à Deo, ſed à quibuſdam principibus factum. Et hæc facta odiuit ille Epiſcopus, ſuper quo hic commendatur: quia ſicut amor boni, ita & odium mali commendabile eſt. *Pſal.* 96. *Qui diligitis Dominum odite malum.* [*quæ & ego odi:*] id eſt tibi †odienda monſtraui.

Nicolaus & Nicolaitæ quinam fuerint.

Eorum errores.

† Obedien. da M S.

Verſ. 7. Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis, vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.

[Qui

Conclusio Epistolæ.

[*Qui habet aures audiendi audiat quid spiritus dicat Ecclesiis:*] Hic post exordium & narrationem ponitur Epistolæ conclusio: quasi dicens, quod vni dico omnibus dico, *Marc.13.* Et mouet hic ad attentionem: vndè sensus est: [*qui habet aures:*] quibus scilicet audiat vocem exterius. audiat, id est, intelligat mente interius. vel *qui habet aures* ad intelligendum, *audiat* ad obediendum. *Iac. 1. Estote factores verbi, non auditores tantum fallentes vosmetipsos.*

Quæstio.

[*Quid spiritus dicat Ecclesiis:*] Quare vero non dicit, quid filius dicat Ecclesiis, cuius est proprie dicere, cum ipse sit sapientia patris, & os patris, & Magister Ecclesiæ?

Responsio. Spiritus Dei essentialiter pro Deo ipso Triuno.

Resp. Spiritus sumitur hic vel essentialiter & supponit pro tota Trinitate. *Io.4. Spiritus est Deus:* vel ideo dicitur hoc de spiritu & non de filio, vt per hoc innuat, quod dictio illa siue ... locutio erat pure spiritualis, non corporalis. In hoc dicit *Ecclesiis* pluraliter, patet quod non loquitur Ioannes vni soli Ecclesiæ, sed generaliter omni:.

Hic nota quod

Aures surdæ.

Multi habent aures, sed non audiunt quid loquatur spiritus, quia surdi sunt. *Isa.42. Quis cæcus nisi seruus meus? & quis surdus, nisi ad quem ego nuntios misi? Psal.113. Aures habent & non audient.*

Alii non audiunt, quia dormiunt. *Eccles. 22. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam.*

Alii quia nimis à loquente remoti sunt, *Psal. 118. Longe à peccatoribus salus.*

Alii quia aures obstruunt, *Psal.57. Furor illis secundum similitudinem serpentis. sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas.* Vnam autem obstruunt terra, amore scil. terrenorum: aliam cauda, spe scilicet finalis pœnitentiæ.

Alii quia mortui sunt, *Sap. 13. Non erubescit loqui cum eo qui sine anima est.*

Alii quia in nimio tumultu sunt, *Amos 5. Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.*

Deinde ponit Ioannes quid dicat spiritus Ecclesiis, dicens: [*vincenti:*] scil. mundum, carnem & Diabolum. [*dabo edere de ligno vitæ:*] Lignum vitæ quandoq; dicitur

Lignũ vitæ, & eius variæ acceptiones.

S. Scriptura, *Prou.3. Lignũ vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam, beati.* Quandoque

Patientiam, *Prou.11. Fructus iustitiæ lignum vitæ, & qui suscipit animas sapiens est.* Quandoque

Prædicatio deuota, *Prou. 15. Lingua placabilis lignum vitæ: quæ autem immoderata est conteret spiritum.*

Quandoq; ipse Christus, *Ps.1. Erat tanquã lignũ quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo,* de quo *infra 22.*

Gregorius.

Quandoq; charitas, à qua, quasi stipite exeunt rami omniũ meritorũ. *Gregorius:* vt multi arboris rami ex vna radice generantur: sic multæ virtutes ex vna charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi maneat in radice boni operis, charitatis.

Lignum etiam vitę dicitur summa bonitas, & sic sumitur hic, de quo ligno in futuro ad plenum edetur: hic vero habetur quædam eius prægustatio, *Psalm. 33. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.* Et de anima laborante in exercitio pœnitentię dicitur, *Prou. vlt. Gustauit & vidit quoniã bona est negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.*

Meriti exclusio.

Dicit ergo: [*vincẽti dabo edere, &c.*] & bene dicit, [*dabo*] nõ reddam, quia omne meritũ excedit. *Ro. 8. Nõ sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis.* [*quod est in Paradiso Dei:*]

Paradisi diuersa significata.

Paradisus hic potest dici Ecclesia, fidelis anima, scriptura sacra, virgo beata, claustralis vita, cœlestis patria, quodlibet enim horũ est locus deliciarũ habẽs lignũ vitæ in medio sui. sed quia sunt alia loca deliciarum, (habet. n. caro delicias suas & mundus similiter) ideo additur [*Dei mei.*]

Vincentib. septem promissiones factæ.

Et notãdum quod septem promissiones facit Spiritus S. vincentibus in hoc libro, quæ possunt referri ad septẽ bella spiritualia: quorum

Primum est contra vitium gulæ, quo primo tentatus est Dominus in deserto, *Matth.4.* ibi *Gl.* In pugna Christi prius contra gulam agitur, quia nisi hoc prius refrenetur, frustra contra alia vitia laboratur. Vincenti hoc bellum dat Dominus edere de ligno vitę. Ad literam primi parentes vitio gulæ deuicti non comederunt de ligno vitæ. similiter gulę dediti nõ comedunt de ligno vitę, i.e. non reficiuntur spirituali iocunditate, nec in præsenti, nec in futuro, sed homines sobrii iocũditatem habẽt corporis & animi, in præsenti sani quoad corpus, & serenam habentes conscientiam, *Eccli.37. Qui abstinens est, adiiciet vitam.* è contra, vigilia, tortura & cholera viro insatiabili, id est, sine temperantię fræno. *Eccles. 31.* 1

Secundum bellũ est contra mala huius mundi, quæ solent excitare iram, odium, & impatientiam, qui hoc bellum vicerit nõ lædetur à morte secunda *Infra* † *E. cap. 2.* prima mors consistit in corporis dissolutione, secunda in damnatione animæ. Qui vero timẽt mala præcedentia, & non futura, sunt vt equi vmbratici. præsentia enim mala quasi vmbræ sunt futurorum malorum, *Sap. 5. Transient omnia sicut vmbra.* 2

† Vers.11.

Mala præsentia futurorum vmbra.

Tertium est cõtra vanũ solatium huius mundi, quod multos detinet .... æterna promissio, de qua *infr. E.* † *c. 2. Vincenti dabo Manna absconditum. Bernardus.* Delicata est diuina consolatio, &c..... *Psal 76. Renuit consolari anima mea.* 3

† Vers.17.

Bernardus.

Quartũ est contra peccatum inuidię, ad quod pertinet quarta promissio, de qua *infra G. cap. 1* ... *Qui vicerit dabo ei potestatem super gentes & reget eas in virga ferrea &c.* Vnde promittitur ei excellentia dummodo non ambiat, nec aliis inuideat. Isti etiam promittitur stella matutina, id est, claritas animæ & corporis in interitu, quia inuidus totus tenebrosus est, ita vt bona alterius videre non possit, *Qui ergo vicerit, &c.* 4

† Vers.26.

Quintum est contra luxuriam, ad quod pertinet quinta promissio, de qua *inf. c. 3... qui vicerit,* sc. carnem per continentiam, *vestietur vestimentis albis,* i. e. decore interioris & exterioris castitatis. 5

Sextũ est contra superbiam, & eius sequelã, ad quod pertinet sexta promissio, de qua *infr. 3. cap.* ... *qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei.* Superbus enim non potest esse columna, cum sit flexibilis vt arundo. Sed qui superbiam deuincit, columna est in templo inferiori per sustentationem aliorum: in † superiori vero erit columna per decorem & ornatum. 6

† Inferiori MS.

Septimum est contra acediam eius sequelam, ad quod pertinet promissio septima, de qua *inf. 3. qui vicerit dabo ei sedere in throno meo.* Hic nõ est locus sedendi vel quiescẽdi, sed in futuro. *Bernardus* loquens *ad Luciferum:* O impudens & imprudens! millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, & cum aliis ministralibus & assistentibus sedere præsumis? 7

Octa-

8 Octauum est contra peccatum cupiditatis, ad quod pertinet promissio octaua, *Infra 21. Qui vicerit possidebit hæc, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius.* Beatus iste qui terrenas possessiones contempsit, vt Dei sit hæres & filius adoptiuus.

V. 8. Et Angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit.

Epistola 2.

[*Et Angelo Smyrnæ:*] Hic dictatur Epistola secunda, quæ dirigitur Episcopo Smyrnæ, & distinguitur sicut præcedens, in tres partes: scilicet

Exordium.

Narrationem: *Scio tribulationem:* &

Conclusionem: *qui habet aures.*

Exordium habet tres personas, scilicet

Personam illius, ad quem dirigitur Epistola.

Personam scribentis: *scribe:*

Personam Christi: *hæc dicit*, &c.

Smyrnæ etymologia.

Dicit ergo: [*Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ:*] Nominatur hic secundum proprietatem passionis huius Epistolæ, quæ est ad spem. *Smyrna* enim interpretatur *myrrha* vel *canticum*, quod conuenit Ecclesiæ & animæ sanctæ, quæ in tribulatione per spem lætificata spirituale canticum promit: iuxta illud: *Roman. 12. spe gaudentes in tribulatione patientes.* [*scribe:*] hoc quod sequitur. [*primus & nouissimus hæc dicit:*] Hic describitur Christus secundum proprietatem communitionis ad spem in quatuor: quorum duo pertinent ad naturam diuinam, duo ad humanam. Ad diuinam, *primus & nouissimus:* ad humanam, *qui fuit mortuus & viuit.*

Primũ pertinet ad hoc quod ipse est creator.

Secundum ad hoc, quod ipse est glorificator.

Tertium ad hoc, quod ipse per passionem redemptor.

Quartum ad hoc, quod ipse est causa nostræ resurrectionis, & exemplar per suam resurrectionem: quæ quatuor spem confortant.

Dicit ergo: [*hæc dicit primus & nouissimus:*] id est, Christus à quo omnia & ad quem omnia. [*qui fuit mortuus:*] pro te ideo tu nõ debes timere mori pro ipso. *1. Pet. 2. Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* [*& viuit:*] æternaliter. *Gloss.* talem describit Christum, qui valeat ad consolationem eorum, quibus tribulationes ingeruntur.

Alia *Glossa*: Non deficiatis vos quia ego tantus passus sum mortem, de qua surrexi, quod idem expectetis & vos.

Arrianorum error de diuinitate Christi. Manichæorum error de natura Christi humana.

Et notandum quod id quod dicitur *primus*, id est, ante quem nullus, est contra *Arrianos*, qui dicunt Christum puram creaturam. Contra eosdẽ est quod dicitur [*nouissimus,*] id est, post quem nullus. vel dicitur [*mortuus est,*] cõtra *Manichæos*, qui dicunt ipsum non habuisse verum corpus, sed phantasticum: nec fuisse verum hominem, nec vere mortuum. Quod dicitur [*viuit,*] est contra Iudæos, qui dicunt Christum nondum surrexisse. Ipsi [*primo*] debetur honor, quia creauit: [*nouissimo*] debetur timor, quia iudicabit: [*mortuo*] debetur amor quia viuificauit: [*viuo*] debetur spes, quia resuscitauit.

Sequitur:

V. 9. Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed diues es: & blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ.

[*Scio tribulationem tuam:*] Hic incipit narratio tria continens.

Primo commendationem.

Secundo confortationem contra tribulationes: *nihil horum timeas.*

Tertio monitionem: *esto fidelis.*

Dicit ergo: [*Scio tribulationem tuam:*] id est, tibi illatam. *Gloss.* Videor nescire, sed scio. [*& paupertatem tuam:*] ad literam, quæ tua est: id est, tibi innata. *1. Timoth. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus.* vel [*tuam:*] id est, tua voluntate habitam, quia diuitias tuas pauperibus erogasti. *Matth. 5. Beati pauperes spiritu:* id est, propria voluntate. [*sed diues es:*] in spe scilicet remunerationis, vel in augmento virtutis. diues in bonis spiritualibus: pauper in † temporalibus. diues in cœlo, pauper in mundo. *Prouerb. 13. Est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit.* [*& Blasphemaris:*] licet talis: & ideo maior est tribulatio: quia secundum *Glossam*, Cumulus miseriæ tribulatis, si infamantur. [*ab his qui se dicunt Iudæos:*] id est, confitentes Christum. [*& non sunt:*] & ideo etiam propter hoc est maior tribulatio, quia infertur à familiaribus. *Gloss.* Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam domesticus inimicus. *Psalm. 54. Si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.* [*sed sunt synagoga Satanæ:*] id est, congregatio aduersans bono. *Ecclesi. 21. Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.* Quia vero tribulatis solet esse cumulus miseriæ, quando infamantur siue blasphemantur secundum *Glossam*, ideo additur consolatio: sed

† Spiritualibus: MS.

Iudæi verò & falsi.

V. 10. Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini: & habebitis tribulationẽ diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.

[*Nihil horum timeas, quæ passurus es:*] scilicet paupertatem, tribulationem, & blasphemiam, & alia. Prædicitur autem futura tribulatio, vt cum venerit, minus noceat: quia *Gregorius*: Minus feriunt iacula, quæ præuidentur. Et ostenditur hic nobis quod homo debet se præmunire, quando timet aliquid aduersi sibi imminere, more militis, qui vadit ad pugnam. *Ecclesi. 2. Fili accedens ad seruitutẽ Dei, sta in iustitia & in timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* Bene ergo dicit, [*nihil horum timeas quæ passurus es:*] siue paupertatem in rebus, siue tribulationem in corporibus, siue tentationem in cordibus, siue vituperationem in fama. *Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* *Actor. 20.* Paulus: *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem me.* Et quia posset iste quærere, quid, vel quando passurus est ista: subiungitur, [*Ecce:*] id est, in breui. [*missurus est Diabolus:*] suggerendo scilicet: & permittente Deo. [*aliquos ex vobis in carcerem:*] id est, in omnimodam tribulationem. Ponit enim hic carcerem, pro omnimoda tribulatione. [*vt tentemini:*] id est, per tentationes vel tribulationes probemini, sicut aurum in igne probatur. *Ecclesi. 27. Vasa figuli probat fornax & homines iustos tentatio tribulationis.* [*Et habebitis tribulationem diebus decem:*] id est, tempore decem Impe-

Per tribulationem decem dierum quid intelligendum.

ratu-

ratorum Romanorum, qui significantur, *Dan.* 7. *per decem cornua.* Vel finitũ ponitur pro infinito: id est, multis diebus sustinebitis tribulationes. *Simile: Iob.* 19. *En decies confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.* & *Genes.* 31. *Mutasti mercedem meam decem vicibus*: id est, moltis vicibus. [*Esto fidelis*:] id est, serua fidem vel fidelitatem, quicquid illi faciant tibi.

Fidelis debet esse uxor viro tam spiritualiter quam corporaliter.

Et nota quod fidem debet seruare *vxor viro*, vt nulli alii adhæreat. *Ose.* 2. *Sponsabo te mihi in fine.*

Item *seruus Domino*, vt bona eius debito modo colligat, custodiat, & distribuat. *Luc.* 12. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram.*

Item *amicus amico*, vt in tempore necessitatis eum non deserat. *Eccle.* 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui inuenit illũ inuenit thesaurum: amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.*

[*Vsque ad mortem*:] inclusiue: vt etiam pro morte fidem non dimittas. *Eccles.* 4. *vsque ad mortem certa pro iustitia.* [*& dabo tibi coronam vitæ*:] id est, vitam interminabilem: vel vitam regalem: vel honorem semper viuentem, qualis non est corona mundi. *Sap.* 2. *Coronemus nos rosis antequam marcescant*: id est, honore mundano cito perituro. *Isa.* 18. *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius, qui erãt in vertice vallis pinguissimæ errantes à vino.* Rosæ seu flores de quibus fit hęc corona sunt diuitię temporales, deliciæ corporales, & honores sæculares: de quibus, *Ierem.* 48. *Date florem Moab, quia florens egredietur, nullum fructum ferens.* Hanc coronam dat mundus victoribus suis: præmia vero dat Christus victoribus suis. 2. *Timoth.* 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex.* & *Tob.* 2. *Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est Deus his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Iacob.* 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* & 2. *Timoth.* 2. *Qui certat in agone non coronabitur nisi legitime certauerit.* Legitime vero certat, qui vsque ad mortem fidem seruat. Sequitur:

Corona vitæ fidelibus promissa.

Quam coronam dat mundus suis victoribus.

Certaminis legitimi descriptio.

Vers. 11. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis, qui vicerit nõ lædetur à morte secunda.

[*Qui habet aures*:] Ecce conclusio, in qua ponitur excitatiuum intellectus: [*qui habet aures*:] † dictum excitatiuum † affectus [*qui vicerit non lædetur, &c.*]

† fortè deinde.
† effectus MS.

Dicit ergo: [*Qui habet aures*:] exterius. [*audiat*:] interius: id est, intelligat, [*quid spiritus dicat Ecclesiis.*]

Non quod Diabolus dicit, *Gen.* 3. *Nequaquam moriemini.* & iterum: *eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Contra illos qui semper student scientiæ & nunquam vitæ. Item,

Non quod dicit mundus. *Prouerb.* 1. *Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, implebimus domos nostras spoliis.* Item,

Non quod dicit caro. *Sap.* 2. *Venite fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Isa.* 22. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.*

[*Qui vicerit*:] mundum scilicet, carnem & Diabolum. [*non lædetur à morte secunda*:] id est, à morte æterna.

Mortis primæ & secundæ descriptiones.

Prima mors animæ est in peccatis, secunda in pœnis. Vel

Prima mors est quando anima dissoluitur à corpore: secunda quando damnatur in inferno. vtramque ponit Glossa.

Vers. 12. Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe. Hæc dicit qui habet rhomphæam vtraque parte acutam.

[*Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe*:] Hic dictatur tertia Epistola, in qua est admonitio ad fidem: quæ distinguitur in tres partes, sicut præcedentes: scil.

Epistola 3. Eius diuisio in tres partes.

Exordium.

Narrationem: *scio vbi habitas.*

Conclusionem: *qui habet aures.*

Dicit ergo: [*& Angelo*:] id est, Episcopo. [*Pergami Ecclesiæ scribe*:] sicut alias, hæc quæ sequuntur. Attendendum est hic nomen Ecclesiæ, cui hæc Epistola dirigitur, quod est secundum proprietatem monitionis faciendæ. *Pergamus* enim interpretatur *diuisio cornuum*. Cornua duo, quibus infideles insurgunt cõtra fidem Ecclesiæ sunt peruersa expositio scripturæ, & ratio sophistica, *Psal.* 74. *Cornua peccatorum confringam, & exaltabitur cornu iusti.* Quod impletur cum fide a Catholica, vera expositione diuidit & confringit falsam expositionem, & per veras persuasiones orationem sophisticam. Peruersa quidem expositio decipit hæreticos, & sophistica ratio Gentiles philosophos. Ecclesia ergo inquantum destruit errorem fidei, contrarium cornu diuidit, vnde Pergamus dicitur secundum proprietatem admonitionis hic faciendæ. [*Hæc dicit qui habet romphaã. ex vtraq; parte acutam*:] de qua dictũ est supra 1. *Vidi similem filio hominis, & gladius acutus ex vtraq; parte exibat de ore eius.* Idem vero significatur hic per romphæam, quod supra per gladium: scil. verbum diuinum. Vtraq; pars romphææ est nouum & vetus Testamentum, vt sensus literalis & spiritualis.

Angelus pro episcopo.

Pergami etymon.

Romphæa hîc idem significat quod supra gladius.

Potest etiam dici romphæa sentẽtia veritatis, quia ex vtraq; parte acuitur subtili expositione autoritatũ: ex altera parte subtilitate rationũ. vel

Specialiter romphæa intelligi potest sentẽtia iudiciaria quæ ex vtraq; parte tẽporis acuta est, quia scindet illos, qui fuerunt ante tempus gratiæ, & illos qui in tempore gratiæ. Vel

Acuta est ex vtraq; parte hominis, quia scindet tam in corpore, quam in anima. Vel

Ex vtraq; parte generis, quia scindet tam nobiles, quam ignobiles. Vel

Ex vtraq; parte criminis, quę scindet tam peccata carnalia quã spiritualia. Illa romphæa nulli parcet. Sap. 6. Non subtrahet personam Dominus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam. De hoc Deuter. 32. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea. Et Exod. 15. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

V. 13. Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud nos, vbi Satanas habitat.

[*Scio vbi habitas:*] Hic incipit narratio quatuor continens.

Primum est commendatio.

Secundum arguitio de zelo fidei remisso, quia sustinet carnales, & non corrigit, qui designantur per Balaam & Nicolaitas: *sed habeo aduersum te pauca.*

Tertium est admonitio ad pœnitendum de peccato: *similiter pœnitentiam age.*

Quartum comminatio: *si quo minus.*

Correctiones per commendationes gratiores redduntur.

Primo ergo ponitur commendatio, vt gratior sit postea correctio. & commendatur tripliciter.

Primo ex hoc quod perseuerauit in fide, cohabitando cum infidelibus.

Secundo in hoc quod nomen Christi tenuit in disputatione: *tenes nomen meum.*

Tertio ex hoc quod nō negauit fidem in persecutione: *& non negasti fidem.*

Sedis Satanæ descriptio.

Dicit ergo: [*Scio vbi habitas:*] scilicet [*vbi sedes est Satanæ.*] in quib diabolus regnat & docet, *Isa. 14. Sedebo in monte testamēti, in lateribus aquilonis.* vel sedes Satanæ est, vbi est congregatio malorum omni bono aduersantium, [*& tenes nomen meum:*] contra disputantes, dicit *Interlinearis.* Nomen sc. à quo diceris Christianus: de quo *Act. 4. Non est aliud nomē datum sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri* [*& non negasti fidem meam:*] pro aliqua tribulatione, sed cōfessus es ore, quod credebas corde, *Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* vel *non negasti* opere *fidem meam* quam tenebas corde, sicut illi de quibus *Tit. 1. Confitentur se nosse Deum factis autem negant.* [*& in diebus illis fuit Antipas testis meus fidelis:*] quasi dicens: etiam in diebus illis, quibus Antipas occisus fuit pro fide Christi quam tenebat, [*non negasti fidem;*] quod multum facit ad commendationem dicti Episcopi. Fuit enim Antipas quidam Christianus ab infidelibus qui erant Pergami propter nomen Christi occisus: qui ad memoriam reducitur Episcopo ad humiliandum eum ne superbiat de hoc quod fecit, cum iste plus fecerit, qui mortem pro Christo sustinuit. Adducitur etiam ei in exemplum, vt eum imitetur. *Antipas* dico [*testis meus fidelis:*] id est, pro me martyrizatus. *Martyr* enim græce, *testis* dicitur Latine. [*qui occisus est apud vos*] id est, inter vos. nec mirum, quia multi mali ibi sunt: vnde sequitur. [*vbi Satanas habitat:*] id est, vbi est Synagoga malorum, in quibus Diabolus sedet, & quasi quiescit, *Iob. 40. Sub vmbra dormit in secreto calami, in locis humentibus:* id est, in malis; qui dicuntur *vmbra* propter obscuritatem: *calami* propter vacuitatem: *humentes* propter fluxibilitatem ad vitia.

Antipas ab infidelibus occisus.

Vers. 14. Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum, coram filiis Israel, edere & fornicari:

[*Sed habeo:*] Posita commendatione Episcopi, ponitur hic eius arguitio, ne bonum quod in eo erat ex malis admistione posset amitti, vel ex dicta commendatione posset inaniter extolli: quasi dicens, multa habes bona, vt dixi: [*Sed habeo aduersum te pauca, quia habes illic:*] id est, in Episcopatu tuo: [*tenentes doctrinam Balaam:*] quibus parcis, nec eos expellis, [*qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel.*] Num. 24. *Dixit Balaam ad Balac, pergens ad populum meum dabo tibi consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Non tamen ibi nec alibi legitur de illo consilio, sed per effectum sequentem patuit. Videns enim Balaam Iudæos promptos ad luxuriam & idololatriam, consuluit Balac vt pulchras mulieres adduceret filiis Israel, quarum pulchritudine capti fornicarentur cum eis, & blanditiis deliniti, comederent de sacrificiis Phegor, vel Beelphegor: & sic à Deo derelicti caderent coram eo.

Balaam.

Gula & luxuria.

Similiter fiebat in Pergamo. Multi enim erant dediti gulæ & luxuriæ. vnde subditur, quod fuit illud scandalum: scilicet [*edere de sacrificio idolorum & fornicari,*] vel carnaliter vel spiritualiter: & bene coniunguntur hæc duo, quia vnum sequitur ad aliud. *Hieronym.* Venter mero æstuans cito despumat in libidinem. *Idem:* vicina sunt venter & genitalia, & pro vicinitate membrorum sequitur confœderatio vitiorum.

Vers. 15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.

[*Ita:*] scilicet similiter: [*habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum:*] qui communicabant vxores suas omnibus, & omnes alias communicandas docebant, & dicebant licitum esse habere plures. Horum doctrinam videntur habere viri, qui superflue & superfluo habitu ornant vxores suas, & aliis quodammodo communicant. Quando enim bene ornantur, libentius considerantur, & sæpius solicitantur, & facilius decipiuntur,

Nicolaitæ qui communicabant vxores.

Vxores. Mulierum ornatus.

Vers. 16. Similiter pœnitentiam age: si quo minus: veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

[*Similiter age pœnitentiam:*] de isto peccato, sicut de alio.

Per iustitiam puniendo præterita.

Per temperantiam reprimendo præsentia.

Per prudentiam cauendo futura.

Per fortitudinem perseuerando in bona vita inchoata.

[*Si quo minus:*] id est, si in aliquo minus benefeceris quam debeas, & quantum ad te, & quantum ad alios: [*veniam tibi:*] id est, contra te, [*cito:*] id est, in morte scilicet, vel in iudicio, quod erit cito: quia omne tempus breue est, *Ioel. 3. Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.* [*& pugnabo cum illis:*] id est, contra illos: [*in gladio oris mei.*] id est, sententia iudiciaria, condemnans illos fornicarios, separans eos à consortio bonorum, & inferens eis pœnam in corpore & in anima. Sententia iudiciaria dici potest gladius, quia separat à gloria & †vulnerat morte æterna.

Tibi pro contra te.

M S. legit: vulnerat à morte æterna.

Vers. 17 Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis, vincenti dabo Manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo, nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

[*Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesiis:*] hoc prius expositum est. [*vincenti dabo Manna absconditum:*] id est, dulcedinem † æternam, quæ Sanctis in hac vita conceditur: æternam quæ in futuro eis dabitur. Vtraque tanta est, vt qui

Manna absconditum declaratio.

† forte internam vel æternam.

vt qui sentit eam dicat, *quid est hoc? Psal. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te? Isa 64. Oculus non vidit Deus absque te, qua praparasti expectantibus te.* Vel hoc Manna absconditum est diuinitas, quę habet in se omnis saporis suauitatem. sicut de Manna dicitur: *Sap.* 16. [*Et dabo ei calculum:*] corpus humanũ solidum. [*candidum:*] id est, lucidum. *Calculus* dicitur propter impassibilitatem: *cãdidus*, propter decorem. [*& in calculo:*] id est, in tali corpore. [*nomen nouum:*] id est, nomen filij, vel amici, non serui, quod est nomen vetus, *Ioan. 15. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid facit Dominus eius.* [*scriptum:*] quia ex gloria corporis apparebit, quia hi qui sic vestiti erunt sunt amici vel filij regis, *1. Ioh. 3. Charissimi filij Dei sumus, sed nondum apparet, quid erimus. scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est.* quia [*nemo scit*] perfecte, [*nisi qui accipit:*] id est, donec acceperit. In hac enim vita non potest perfecte sciri gloria corporis glorificati.

Calculus candidus vincentibus promissus.

Nomen.

V. 18. Et angelo Thyatiræ ecclesiæ scribe. Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco.

[*Et Angelo Thyatira Ecclesia scribe:*] Hic dictatur quarta Epistola, in qua est admonitio ad temperantiam, quia monet cauere à gula & luxuria, vt patet ex † deprehensione propter permissionem Iezabel: quæ potest distingui in tres partes sicut præcedentes: scilicet, in

Epistola 4.

† forte reprehensione.

Exordium:
Narrationem, &
Conclusionem.
Narratio ibi: *Noui opera tua.*
Conclusio ibi: *qui habet aures.*

Dicit ergo: [*Et Angelo:*] id est, Prælato. [*Thyatira Ecclesia scribe:*] hoc quod sequitur. [*Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos sicut flammam ignis:*] id est, claros & penetratiuos: quod dicitur ad terrorem illorum, qui erant Thyatiræ: vt ostendatur peccata eorum esse nota filio Dei, qui eos videbat. *Eccles. 23. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.*

Angelus pro prælato.

Dei oculi quam penetratiui.

Quadrupliciter oculi Domini excedunt solẽ.

Eorum cum sole quadruplex comparatio.

Primum, quia sol illuminat tantum corporalia: Deus vero videt & corporalia & spiritualia.

Secundum, quia sol illuminat tantum præsentia: Deus vero videt præterita, præsentia & futura.

Tertium, quia sol illuminat tantũ exteriora: Deus vero videt interiora & exteriora.

Quartum, quia sol illuminat tantum ea, quæ sunt in mundo: Deus vero videt ea, quæ sunt in cœlo, *Prouerb. 15. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Hebr. 4. Omnia nuda & aperta oculis eius ad quem nobis sermo.*

[*Et pedes eius similes aurichalco:*] Per pedes intelliguntur infimi de Ecclesia: vel vltimi, qui erunt tempore Antichristi, qui sunt similes aurichalco: quia sicut aurichalcum multis concussionibus & concremationibus depuratur, & meliorẽ colorem accipit: sic tales multis tribulationibus puriores & clariores fiunt. Ideo vero his qui erant Thyatiræ Christus sic describitur, quasi eis dicatur: Vos qui male viuitis, audientes eum habere oculos, vt flammam ignis, animaduertite eum, saltem ad infimorum eius electorũ imitationem vos inuitare: ad quod satis spectat nomen huius ciuitatis, quia *Thyatira* dicitur: quæ interpretatur, *illuminata. Psalm. 12. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. Ephes. 5. Surge qui dormis, & exurge à morte, & illuminabit tibi Dominus.*

Pedes aurichalco similes.

Thyatira ciuitas.

Vel oculi eius quantum ad corpus mysticum sunt prudentes viri, qui sunt tanquam flamma ignis, discernendo bona à malis. Ignis enim habet † veritatem segregatiuam heterogeneorum & congregatiuam homogeneorum. Illi etiam pedes sunt, in quantum portant corpus Christi, quod est Ecclesia, qui similes sunt aurichalco, quia vt æs resonat, & vt aurum decorum est. quia Doctores debent sonare verbo prædicationis, & decori esse exemplo bonæ conuersationis. Plus enim valet ad prædicandum sancti amoris conscientia, quam exercitata scientia: secundum *Gregorium.*

† forte virtutem.

Vers. 19. Noui opera tua, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiã tuam, & opera tua nouissima plura prioribus.

[*Noui opera tua:*] Hic incipit narratio: in quã ponitur

Prælati Thyatira ecclesia fides & opera.

Primo commendatio.
Secundũ arguitio: *sed habeo aduersum te.*
Tertio comminatio ad malos: *Ecce mitto eam.*
Quarto consolatio quoad bonos: *vobis autem dico.*

Dicit ergo: [*Noui opera tua:*] id est, approbaui. [*& fidem:*] in Deum: [*& charitatem:*] in proximũ. ideo præponit opera licet sunt posteriora fide & charitate, quia per opera cognoscitur fides & charitas, *Matt. 7. à fructibus eorum cognoscetis eos.* [*& ministerium:*] in Ecclesiarum largitione. [*& patientiam tuam:*] quia tribulatio ex præmissis surgere solet. Diabolus enim inuidens bono, mouet persecutionem bona agentibus, vt sic faciat eos cessare, *2. Tim. 3. Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur.* [*Et opera tua nouissima plura prioribus:*] Hic commendat eum à profectu, quia in tribulatione positus à bonis nõ cessauit, immo plura bona fecit. Vel sic: *Noui opera tua,* quibus tibi acquiris meritum, & † alij bonũ ministrans exemplum, [*& fidem tuam:*] id est, fidelitatem tuam, quam habes talenta commissa dispensando, *Luc. 12. Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* [*& charitatem:*] pro subditis animam ponendo, *Ioh. 10. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* [*& ministerium:*] aliis seruiendo non dominando, *1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* & *2. Tim. 4. Ministerium tuum imple.* [*& patientiã tuam:*] mala sufferendo, & præmiũ expectando. [*& opera tua nouissima plura prioribus.*] *Prou. 4. Semita Iusti quasi lux splendens procedit, & crescit vsq; ad perfectam diem. Eccl. 11. Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur hoc aut illud, & si vtrumque simul melius erit.*

Noscere pro approbare.

† lege: & alius bonum ministrans exemplum.

Eiusdem patientia.

Vers. 20. Sed habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Propheten, docere & seducere seruos meos, fornicari: & manducare de idolothytis.

[*Sed habeo aduersum te pauca:*] in quibus reprehensibilis es. [*quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetam:* id est occulta videntem: vel Diuinam futura præuidentem. [*docere*] contra Apostolum. 1. *Cor.* 14 *Mulieres in Ecclesia taceant:* non enim permittitur eis loqui. 1. *Tim.* 2. *Docere mulieres non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Semel enim docuit, dicit *Chrysostomus*, & totum subuersum est. [*& seducere seruos meos per doctrinam suam.* [qualiter vero seducere ostendit subdens: [*fornicari:*] cum dæmonibus, vel cum mulieribus, vel cum rebus humanis.

Fornicatio quadruplex. Quadruplex enim dicitur fornicatio, vt tangitur in *Glossa*.

Prima est in corde solum, *Matth.* 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*

Secunda est in corpore, 1. *Cor.* 6. *Qui fornicatur in corpus suum peccat.*

Tertia est in amore terrenorum, *Ephes.* 5. *Auaritia, quæ est idolorum seruitus.*

Quarta in cultu idolorũ, *& manducare de idolothytis:* id est, de rebus immolatis & oblatis idolis, in veneratione eorum. Dicitur & tangitur in *Iezabel.* Glossa, quod hæc Iezabel fuit vxor illius Episcopi, quæ ad comessationes & fornicationes multos trahebat verbo & exemplo.

Alij dicunt quod loquitur de illa Iezabel, quę fuit vxor Achab regis Israel, quę depinxit oculos suos stibio, & ornauit se vt meretrix, vt legitur 4. *Reg.* 9. quod non tunc esset tempore Ioannis, sed *† forte aliqua.* † aliqua eius vestigia sequentes. Interpretatur autem *Iezabel, fluxus sanguinis*, vel *sterquilinium*, vel *Mulier stulta* nix, & signat stultas mulieres, quarum pulchritudo tota est exterius, quæ peccato luxuriæ fluunt. & sicut nix super sterquilinium cito euanescit. & apparet turpitudo sterquilinij: sic pulchritudo stultæ mulieris cito transit, & tunc apparet turpitudo eius, *Prouerb. vltimo, Fallax gratia, & vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* *Philosophus.* Philosophus: Vtinam inspiciendo mulieres, aut lynceos oculos haberemus aut nullos. Lynceos sc. vt videremus quæ sequuntur, venenum scilicet & periculum, & indecentiam interius.

V. 21. Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione sua.

[*Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret:*] modo *Tempus nostrum.* tempus nostrum est, quia possumus facere quod volumus, sed accipiet Dominus tempus, & tunc non poterimus facere q volumus, sed accipiemus quod meruimus, *Ps.* 74. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo. Thren.* 1. *Vocãt aduersum me tempus, vt conterat electos meos.* [*& non vult pœnitere à for-* *Pœnitentia.* *nicatione sua:*] non dicit non potest pœnitere, sed non vult pœnitere, *Iob.* 24. *Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbiam.* Et ex quo,

V. 22. Ecce ego mitto eam in lectum: & qui mæchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.

[*Ecce,*] nõ vult pœnitere, [*mitto eam in lectum:*] [*mitto,*] id est, mitti permitto, exigentibus hoc peccatis ipsius, [*in lectum:*] id est, in securitatem peccandi, & opportunitatem. Vel *lectum* infirmitatis. Vnde *Haymo*: Ponam eam in lecto, non vt quiescat, sed vt febre languescat, & phrenesim sustineat, *Psalm.* 4. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Alia translatio habet [*luctam*] pro *lecto*, quo æternam miseriam designat. [*& qui mæchantur cum ea:*] id est, conformes illis in peccatis, pro quibus punientur. [*in tribulatione maxima erunt:*] id est, in inferno. In hoc mundo est tribulatio magna, in purgatorio maior, in *Tribulatio.* inferno maxima, *Deuter.* 32. *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo.* Vel magna erit tribulatio inferni propter pœnarum diuersitatem, maior propter acerbitatem, maxima propter æternitatem, *Ierem.* 30. *Pessima est plaga tua.* Vel magna erit in morte, maior in iudicio, maxima in inferno. [*nisi pœnitentiam egerint in operibus suis.*] *Inferni cruciatibus nihil horribilius.*

V. 23. Et filios eius interficiam in mortem, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo vnicuique vestrum secundum opera sua.

[*Et filios eius:*] id est, imitatores. [*interficiam in mortem:*] id est, occidam morte corporali, iniquos in mortem æternam. Sancti interficiuntur in vitam. Vnde mors eorum natalis... dicitur, *Sapient.* 3. *Non tanget illos tormentum mortis.* vel *interficiam in mortem:* quia semper morientur, & nunquam mors eorum finietur, *Psalm.* 48. *Mors depascet eos, & dominabuntur eorum iusti in matutino, & auxilium eorum veterascet in inferno.* *Sanctorum mors natalis dicta.* [*Et scient omnes Ecclesiæ:*] id est, omnes bonorum congregationes, quod modo credunt. [*quia ego sum scrutans corda & renes:*] id est, cogitationes & desideria, ad puniendum vel remunerandum, *Soph.* 1. *Scrutabor Hierusalem in Lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus, & non faciet male. Sap.* 6 *Altissimus interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur.* [*& dabo vnicuique vestrum secundum opera sua:*] bonis bona, & malis mala, 2. *Cor* 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonũ siue malum.*

Ver. 24 Vobis autem dico, cæteris qui Thyatiræ estis, quicunque non habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem Satanæ, quemadmodum dicunt, nõ mittam super vos aliud pondus.

[*Vobis autem dico:*] Post commendationem ipsius Episcopi & argutione, insuper & comminatione malorum, hic ponitur cõsolatio quoad bonos. vnde dicit: [*Vobis autẽ dico, cæteris qui Thyatiræ estis:*] i.e. qui estis illis similes, [*quicunq; non habent doctrinam hanc:*] & est interpositio sententiæ, & commutatio personæ secundum *Glossam*. Loquitur enim in tertia persona, cum prius locutus fuerit in secunda. quasi vobis dico, scilicet qui estis tales quales sunt isti, quicunque sunt inter vos, qui non habent doctrinam hanc, quam docebat Iezabel: scilicet quod sine legalium obseruantia non esset salus, & quod licitum esset idulothytum comedere, & fornicari [*& qui non cognouerunt:*] id est, non approbauerunt. [*altitudinem Satanæ:*] i.e. superbiam quam suggerit aduersarius. vel *altitudinem Satanæ*, spiritualiter vocat profundam astutiam Diaboli, quã sub quadam specie sanctitatis suggerebat: legalia esse seruando cũ Euangelicis. vel inquam hoc dico, quemadmodum dicunt me missurũ quidem egressi de Iudæa terrendo fideles. quod adhuc erat Dominus, missurus maiores tribulationes, quam passi essent, *Satanæ superbia magna.*

essent, vt sic recederent territi à fide: vel quia legalia seruãda erant cũ Euangelicis: Contra quod dicit Dominus illud quod subditur: [*non mittam super vos aliud pondus:*] tribulationũ vel legalium.

Ver. 25. Tamen id quod habetis, tenete donec veniam.

[*Tamen id quod habetis:*] sc. tribulationes & Euangelium, [*tenete*] patienter & fideliter. [*donec veniam:*] tribuere cuilibet secundum merita sua. Posset etiam verbum dictum intelligi de pondere æternæ tribulationis, & multos incitat diabolus ad deponendum onus pœnitentiæ sub spe exonerationis, cum tamen non intendat exonerationem, sed potius quasi vnius festucæ in magnum montem commutationem.

Vers. 26. Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea.

[*Et qui vicerit:*] Hęc est conclusio huius Epistolæ, in qua sicut in aliis duo ponuntur: sed alio ordine: primum est alliciens affectum: secundũ excitans intellectum. In primo duo promittuntur: potestas sc. pręsidendi & regendi alius in præsenti, cum dicitur: [*dabo illi potestatem:*] & gloriam in futuro cum dicitur: [*dabo illi stellam:*] dicit ergo: [*Et qui vicerit*] illos, eorum sc. doctrinis & officiis resistendo. [*& custodierit vsq; in finem opera mea:*] ea sc. quæ præcepi. vel opera eius sunt propriè opera misericordiæ. Opera enim iustitiæ quodammodo sunt aliena ab eo, *Isa. 28. Irascetur Dominus, vt faciat opus suum alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Nun enim ex corde suo talia operatur, sed peccata hominum ad hoc eum inducunt.

V. 27. Dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquã vas figuli confringentur.

[*Dabo illi potestatem:*] & hoc seculo dicit *Glossa*, [*super Gentes:*] i.e. super homines gẽtiliter viuentes. Prælatus super malos specialiter est constitutus. vel debet esse terrori, *Roma. 13. Vis non timere potestatem bene fac:* & subditur: *Dei minister est, vindex in iram ei qui malè facit. Gene. 9 Sit terror vester super cuncta animalia terræ.* [*& reget eas in virga ferrea:*] i. e. iustitia inflexibili, dicit *Glossa*. Virga correctionis recta est, cum non declinat ad dexteram remissionis, nec ad sinistram crudelitatis, *Deuter. 16. Iudicẽt populum certo iudicio non in alteram partem declinent.* [*& tanquam vas figuli confringentur:*] *Glos.* quidam vt omnino pereant, quidam vt in melius commutentur: sicut figulus quædam vasa frangit, vt meliora faciat, quædam vero fracta omnino proiicit, *Ierem. 18. Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, dicit Dominus. Psal. 27.* † *In quibusdam destrues illos, & non ædificabis eos.* Incorrigibiles in iudicio confringentur irreparabiliter, *Ier. 30. Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua.*

† in opera manuum eius destrues &c.

Notandum quod velut virga aurea est præsens disciplina: velut lignea est pœna purgatorii: ferrea vero est pœna inferni. Potest etiam exponi quod dictum est de iudicio sic: [*Dabo ei qui custodierit. &c.*] [*potestatem super gentes.*] vt sit Iudex earum, *Matth. 19. Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* [*& reget eos in virga ferrea:*] Sententia scilicet inflexibili, mittendo eas in gehennam. [*& tanquam vas figuli confringentur:*] *Ierem. 17. Duplici contritione contere eos.* Dabo inquam ei,

V. 28. Sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi stellam matutinam.

[*Sicut & ego accepi à patre meo,*] secundum humanitatem, potestatem iudicandi, *Iohan. 3. Pater non iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit filio.* [*Et dabo illi,*] qui scilicet *custodierit vsque in finem opera mea* [*stellam matutinam.*] id est, claritatem corporis glorificati, quę dicitur claritas matutina: quia in mane iudicium apparebit præcurrens diem gloriæ, *1. Cor. 15. Stella à stella differt in claritate: sicut & resurrectio mortuorum.* Per stellam matutinam intelligi potest, stella animæ, quæ dicitur *Stella* propter claritatem diuinæ cogitionis: *matutina* propter inchoationem beatitudinis. Stella ista orietur ex Iacob, *Num. 24.* id est, ex lucta & † supplicatione carnis, mundi, Diaboli. *Stella.* *† forte supplantatione.*

Vers. 29. Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.

[*Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis:*] ea scilicet, quæ prædicta sunt & quæ sequuntur. Et notandum quod quidam libri semper habent in suis correctionibus, [*qui habet aures audiendi, audiat:*] Sed nunquam libri correcti habent, *audiendi* in libro isto: in Euangelio vero alicubi habetur.

Cap. III.

Vers. 1. Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe, hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas, Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es.

[*Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe, &c.*] Hic incipit capitulum tertium, in quo dictantur tres Epistolæ Episcopis trium Ecclesiarum mittendæ, scilicet, Ecclesiæ Sardis, Philadelphiæ & Laodiceæ. Et secundum hoc, capitulum potest diuidi in tres partes.

Prima pars subdistingui potest in tres partes: scilicet in

Exordium.

Narrationem, ibi, *Scio opera:* &

Conclusionem: *qui vicerit.*

Dicit ergo: [*Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe, hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei:*] id est, vniuersitatem gratiarum: [*& septẽ stellas:*] i.e. vniuersitatem gloriarum. Et hæc descriptio Christi, quæ hic fit bene conuenit proprietati commonitionis hic faciendæ, quæ est contra hypocrisin. Cõtra hanc necessaria est prudentia, ad quã monet hic, vt patet: vnde dicitur ei, esto vigilans. hypocrisis enim quærendo laudem humanam effundit gratiam, & sic amittit gloriam, *Matt. 5. Receperunt mercedem suam.* Vel sic: [*qui habet septem spiritus Dei:*] id est, à quo est omnis vita spiritualis. [*& septem stellas:*] id est, à quo est omne lumen sapientiæ cœlestis. Et bene septem spiritus septem stellis prænominantur, quia prius est bene viuere, quam lucere, *Ioh. 5.* de Ioanne Baptista: *Erat lucerna ardens & lucens.* Ad hoc pertinet hoc nomen [*Sardis,*] quod interpretatur princeps pulchritudinis, cuius princeps est, qui nõ tantum habet eam exterius, vt hypocritæ, sed etiã interius: quia *Ps. 44. Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* *Epistola 5.*

Bernardus: Lucere tantum vanum est, ardere tantũ parum est: ardere & lucere perfectum est. [*Scio opera tua:*] Hic incipit narratio continens 4. *Bernardus.*

Primo arguitionem contra hypocrisin.

Secundo multiplicem commonitionem: *esto vigilans.*

Tertio comminationem: *si ergo non vigilaueris.*

Quarto bonorum commendationem: *sed habes pauca nomina.*

Dicit ergo: [*scio*] i.e. cognosco. [*opera tua:*] qualia sunt, sc. exterius lucida, similia fructibus illis, in quibus sunt vermes, qui exterius pulchriores sunt cæteris fructibus, interius vero corrupti sunt. [*quia nomen habes quod viuas:*] vita gratiæ. [*& mortuus es:*] per peccatum Hypocrita mortuus est per peccatum in intentione, & viuit per nomen in hominum laude, ipse in opinione hominum aliquid, vt Chimera, in veritate nihil.

Vers. 2. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.

[*Esto vigilans:*] Hic fit commonitio.

Primo monetur vt corrigat intentionem.

Secundo ad subditorum confirmationem: [*& confirma cætera.*]

Tertio ad conseruantiam verborum Euangelij & meditationem: [*in mente ergo habe.*]

Quarto ad satisfactionem: [*& pœnitentiã age.*]

Dicit ergo: [*Esto vigilans:*] Intentio oculus mentis est, *Matth. 6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidũ erit: si autem oculus tuus fuerit nequam,*
Vigilare. *totum corpus tuum tenebrosum erit.* Oculus vigilans videt vere: oculus vero dormiens est intentio vana: oculus vero vigilans intentio vera & recta. [*Esto ergo vigilans,*] id est, solicitus de tua & tuo-
Prælatus. rum salute. Oportet enim prælatum vigilare tanquam speculatorem, *Ezech. 3. Speculatorem dedi te domui Israel. Sed Isai. 56. Omnes bestiæ venite ad deuorandum, vniuersa bestia saltus. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, & canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* [*& confirma cætera quæ moritura erant:*] confirma verbo, exemplo, in fide, in motibus, *Luc. 22. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Glossa*
† mente Gl. hic: Ideo vigila, quia licet sis † in te immotus, non es perfectus, si cætera non excitas. [*cætera quæ moritura erant:*] Multi hodie pereunt negligentia prælatorum & prædicatorum, qui facti sunt canes muti non valentes latrare, *Isa. 56. Perit enim iustus, & non est qui recogitet in corde suo. Isai. 57. Bernardus*: Cadit asina & est qui subleuet: perit anima, & non est qui curet. Vel sic: [*confirma*] in te per vigilantiam solicitudinis [*cætera*] bona, [*quæ moritura erant,*] si remaneres in illo statu. Erant multa de genere horũ in isto Episcopo, † qui
† forte lege, quæ. amissurus erat si se non corrigeret. [*Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo:*] quia sine cha-
Plenum opus ritate erant, quæ est plenitudo bonorum: & loquitur iuxta parabolam fatuarum virginum, quæ acceptis lampadib. non sumpserunt oleum secum: ideo veniente sponso habuerunt lampades vacuas. Vel [*plena*] quoad numerum, quia multa omittebat de his, quæ debebat facere. Vel [*plena*] id est, consummata seu perfecta: multa enim inchoabat quæ non perficiebat, *Luc. 14. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* [*coram Deo meo:*] qui videt intus, *1. Reg. 16. Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

Vers. 3. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris: & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.

[*In mente ergo habe:*] scilicet verba Euangelij, quæ multum confutant hypocrisin, *Matth 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.* [*qualiter acceperis:*] ex Christi exemplo. [*& qualiter audieris;*] ex Euangelio. [*in mente habe*] per meditationem: [*& serua*] per operationem, quia non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores, *Roman. 2. Iacob. 1. Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vosmet ipsos.* [*& pœnitentiam age:*] de malis præteritis per satisfactionem. [*Si ergo non vigilaueris:*] Hic ponitur comminatio: vnde dicit: *si ergo non vigilaueris*: id est, si de istis non solicitus fueris. [*veniam ad te*] iudicandum. [*tanquam fur:*] qui venit ad spoliandum & occiden- *Fur.*
dum: & subito quando minus sibi cauent homines, *Ose. 7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris. 1. Thessal. 5. Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient.* [*& nescies qua hora veniam ad te.*] *Matth. 25. Vigilate quia nescitis diem neque horam. 1. Thessal. 5. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.*

Vers. 4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.

[*Sed habes:*] Hic ponitur commendatio. [*pauca nomina:*] id est, paucos nominatos, vel nomine dignos. Apud Deum vocatione digni sunt, qui non vocauerunt nomina sua in terris, *Exod. 33. Noui te ex nomine. Eccles. 44. Nomen eorum viuet in generationem & generationem.* [*in Sardis:*] vbi deberent esse multa. [*qui non inquinauerunt:*] macula criminali. [*vestimenta sua:*] id est, corpora sua: vel factam maculam lachrymis deleuerunt, *Isai. 9. Vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem & cibum ignis. Infra 16. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Vel per vestimenta intelligere possumus opera virtutum vel ipsas virtutes, *Ecclesiast. 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* [*& ambulabunt:*] de virtute in virtutem proficiendo. [*mecum:*] hic insinuatur quod puritas facit Deo familiarem. Incorruptio enim facit esse proximum Deo, *Sap. 6.* [*in albis:*] id est, in corporibus castis, vel in operibus bonis, vel in conscientiis puris. [*quia digni sunt:*] societate mea. vel in albis, id est, in corporibus glorificatis, & cordibus purificatis, quia digni sunt mea præsentia. [*& ambulabunt*] de terra in cœlum. *Gregorius*: Quid dicturi sumus nos barbati, cum teneras puellas videamus perfecte currere ad cœlum, & nos nihil faciamus?

Vers. 4. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius.

[*Qui vicerit:*] Conclusio est Epistolæ, in qua duo ponuntur.

Primo vnum alliciens affectum.

Secundo aliud excitans intellectũ: [*qui habet.*]

Dicit

Dicit ergo: [*qui vicerit:*] mundum, carnem, diabolum, [*sic vestietur*] vt dictũ est. [*vestimentis albis:*] sc. stola animæ & stola corporis. Ad stolã animæ pertinent tria: scil. visio Dei immediata, dilectio consummata, apprehensio † fecatur. Ad stolam corporis quatuor: scil. claritas, agilitas, subtilitas & † passibilitas. Et hæ sunt septem stellæ, de quibus *supr. 2. Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera.*

† forte secura

† forte impassibilitas.

[*Et non delebo nomen eius de libro vitæ:*] in quo dupliciter scripti sunt iusti: vno modo per † præsentiam, secundum quem modum nullus potest deleri nec de nouo scribi, quia cõcernit solam notitiam Dei æternam & incommutabilem. Alio modo per præsentem iustitiam, secundũ quem modũ potest quis de nouo scribi, & de nouo deleri, quia concernit meritũ temporale. *Ambrosius* super Epist. ad Rom. c. 9. De iustitia iudicat Deus, non de præscientia: quia iustitia causa est, quare aliquis apud Deum dignus sit vita, vt tunc secundũ iustitiam iudicis deleri videatur cum peccat, cũ tamen iuxta præscientiam in libro nunquam fuerit: & tunc aliquis videtur ascribi cum malus esse desinit, qui tamen secundũ præscientiã nunquam defuit. [*& confitebor nomen eius:*] i. e. † recognoscam eum quasi filium. [*coram patre meo, & coram angelis eius:*] in iudicio scil. cum dicam venite Benedicti patris mei, possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi. *Matt. 25. & 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego coram patre meo, qui cœlis est.*

Scribi dupliciter.

† forte longũ præscientiam.

Ambrosius.

† Recognoscenda MS.

Vers. 6. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

[*Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis:*] in his verbis ostenditur illud quod dicitur isti Ecclesiæ omnibus dici.

Ver. 7. Et angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Sanctu & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit

[*Et Angelo Philadelphia Ecclesiæ scribe:*] Hic dictatur sexta Epistola Episcopo Philadelphiæ scribenda, in qua monet ad fortitudinem: vnde dicitur, [*tene quod habes:*] ad quã satis competit hoc nomen *Philadelphia*, quod interpretatur saluans hæreditatem Domino...... quæ potest distingui in tres partes, sicut & præcedentes: scil. in

Epistola 6

Exordium, &
Narrationem: *scio opera tua*: &
Conclusionem ibi, *Qui vicerit.*

Dicit ergo: [*Et Angelo:*] id est, Episcopo. [*Philadelphia scribe Ecclesiæ:*] hoc quod sequitur. [*Hæc dicit sanctus & verus:*] *Sanctus* quoad misericordiam: *Verus*, quoad iustitiam. Vel *sanctus* quantum ad vitam, *verus* quantum ad doctrinam. [*Qui habet clauem Dauid:*] id est, virtutem, qua velut claue aperiat aures hominum peccatorum ad audiendum verbum fidei, & corda ad credendum: qua etiam claudat infernum, & aperiat paradisum: quo claudente cœlo nemo possit aperire: quo aperiente nemo possit claudere. Vnde subditur, [*qui aperit:*] aures scilicet hominum ad audiendum, & corda ad credendum, Scripturas ad intelligendum, & Paradisum ad introeundum. [*& nemo claudit.*] Et hoc dicitur quia multi hæretici huic Episcopo resistebant, volentes impedire conuersionem peccatorum, sed non poterant claudere aures eorũ, quin audirẽt, nec corda, quin crederẽt, nec scripturas, quin intelligerent, nec Paradisum, quin intrarent. Dicitur aũt clauis Dauid, quia merito carnis sumptæ de Dauid sunt omnia bona, sicut dicit Interlinearis. Hæc descriptio Christi, quæ hic fuit, satis cõpetit commonitioni faciendæ. Talis. n. describitur in virtute cui nemo possit resistere. Ideo qui sperãt in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambolabont & non deficient, *Isa. 40.* Ad quã fortitudinẽ monet episcopum, ne diffidat cũ habeat talem adiutorem. vnde eum cõfortat, inf. *vers. 11.* [*Ecce venio cito:*] muare te, tamen [*tene quod habes.*] Claudit nõ † partiendo gratiam ad audiendum, credendum, intelligendum, ad intrandum Paradisum. & nemo aperit, ipso claudente. *Exo. 33. Miserebor cui voluero, & clemens ero cui mihi placuerit. Rom. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Vel sic: [*qui habet clauem Dauid:*] id est, aperientem Dauid per alios Prophetas: vel clauis Dauid potest dici crux Domini, quæ Paradisum aperuit, & infernum. Infernum, vt inde captiuos extraheret, *Zecha. 9. Tu autem in sanguine tuo eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*: Paradisum, vt libertos introduceret. *Isai. 26. Aperite portas, & ingredietur gens iusta.* De hac claue, *Isai. 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat & claudet, & non erit qui aperiet.*

† forte aperiendo.

Clauis Dauid.

V. 8. Scio opera tua, Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere: quia modicã habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum.

[*Scio opera tua:*] Hic incipit narratio, tria continens.

Commendationem.
Promissionem: *Dabo tibi.*
Commonitionem: *tene quod habes:*

In prima parte eum cõmendat: secundo consolatur, dum ostium cœli apertum ei demõstrat, dicens: [*ecce dedi coram te.*] Dicit ergo: [*scio*] id est, approbo. [*opera tua:*] sed quia non ipse solus, sed Deus in eo operabatur, secundum illud, *Isai. 26. Omnia opera nostra operatus es nobis.* Subdit: [*Ecce dedi coram te ostium apertum:*] id est, aures hominum apertas ad audiendum verbum & corda aperta ad credẽdum: & scripturas prius obscuras, apertas tibi ad intelligendum: & portã cœli aperiam tibi, & illis qui per te conuertentur, ad introeundũ. quia [*nemo potest claudere,*] ex quo aperui illud tibi & tuis. & merito dedi, quoniam per te aperire non posses, quia [*modicam habes virtutem:*] i. e. insufficientem: cum paucos habeas adiutores, & multos aduersarios & contradictores. Vel sic: [*Dedi coram te ostium:*] scripturæ vel regni, apertũ quod nemo potest claudere tibi, quia [*modicam habes virtutem:*] i. e. humilitatem. Humilitas enim aperit ostium scripturæ & regni, *Matt. 11. Confitebor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* & *18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum.* [*Et seruasti verbum meum:*] in corde per fidem: in ore per cõfessionem: in manu per operationem. [*& non negasti nomen meum:*] à quo diceris Christianus. Ex hoc aũt duo bona promittit ei: sc. conuersionem Iudæorum, qui primo eum persequebantur, & conseruationem in tribulatione, quæ tunc erat, & quæ erit in tempore Antichristi: vnde subditur.

Verſ.9 Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & nõ ſunt, ſed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant, & adorẽt ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te.

[*Ecce dabo tibi de ſynagoga Satanæ:*] i.e. aliquos de aduerſariis tuis conuerti ad fidem. [*qui dicunt ſe eſſe Iudæos:*] i.e. confitentes Deũ. [*& nõ ſunt, ſed mentiuntur:*] quia huius nominis rationẽ perdiderũt quãdo dixerunt: Hunc neſcimus vnde ſit, *Io.8.* Et iterũ eiuſdem 19. *Nõ habemus regem niſi Cæſarem.* Modum autem dandi determinat dicens: [*Ecce ego faciam illos vt veniant:*] ad fidem. [*& adorent ante pedes tuos:*] ſicut fratres Ioſeph, *Gen.50. Iſa.60. Locum pedum tuorum glorificabo,* id eſt, eccleſiam: *& venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion ſancti Iſrael.* [*& ſcient:*] conuerſi ad fidem & cognoſcẽtes veritatem. [*quia ego dilexi te:*] quamdiu tribulari permiſi, *Hebr.12. Quem diligit Deus caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Tob.3. Hoc habet pro certo, omnis qui colit te, quia vita eius ſi in probatione fuerit coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur.*

Verſ.10. Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra.

[*Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ:*] i.e. præceptũ de patientia ſeruanda, quam verbo & exemplo docui, *Iſa.53. Ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit. Luc.23. Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt. Matth.5. Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* [*& ego te ſeruabo,*] quod ſeruaſti verbum patientiæ meæ [*ab hora tentationis quæ ventura eſt in orbem vniuerſum:*] vel ſtatim poſt mortem Neronis, vel tempore Antichriſti. [*tentare habitantes in terra:*] per quos poſſunt intelligi ſpecialiter amatores terrenorum, qui facile à tentatione capiuntur. Tentatores vero ſecuri ſunt, *Prouerb.1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Gloſſa:* facile euadit laqueos in terris, qui ſemper oculos habet in cœlis.

V.11. Ecce venio cito: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

[*Ecce:*] quaſi licet tentatio veniat, tamen non oportet vos multum timere, quia habebitis adiutorem fidelem. [*cito:*] id eſt, in breui. [*venio ego:*] ſcilicet iuuare pugnantes liberare tentatos, coronare victores: & quia poſſet quis cauſari moram, addit [*cito,*] imo ſemper eſt Dominus cum ſuis militibus in campo, *Matth. vltimo: Vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Iſai.43. Cum tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit te: quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael ſaluator tuus.*

[*Tene quod habes:*] Hic incipit commonitio.

Dicit ergo: [*tene:*] quia cito habebis adiutorem: interim tamen [*tene quod habes:*] ſcilicet fidem, ſpem, charitatem, & alia bona. [*vt nemo accipiat coronam tuam:*] id eſt, tibi debitam pro patientia tua ſi perſeueres. *2.Timoth.2. Qui certat in agone non coronabitur, niſi legitime certauerit.* Nõ certat legitime qui ducem ſuum in pugna deſerit, *1.Cor.9. Qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium:* ſcilicet perſeuerans.

Sed quæritur hic de qua corona hoc intelligitur. Non videtur intelligi de corona gratiæ, quia multi amittunt gratiam, quib. nemo ſurrogatur. Itẽ nec de corona gloriæ, quia illã nemo poteſt amittere ex quo habet; nec ẽt ante quã habeat, quia nemo amittit... quod non habet. Si dicatur quod amitti põt, quia debebatur: cõtrarium videtur: non enim debetur niſi perſeueranti: vnde ſi nõ eſſet perſeueraturus, nõ debebatur ei, & ideo non poterat eam amittere cũ nec debetur ei. Corona. Quæſtio.

Reſp. Poteſt intelligi de corona gratiæ, ſecundum quod gratia ordinatur ad gloriam in gradu aliquo. Verbi gratia: Iſte ſi perſeueraſſet peruenturus erat ad aliquem gradũ gloriæ. Poteſt fieri quod iſto cadẽte, alius accipiat gratiã ordinatam ad eundem gradum gloriæ. Ad obiectionẽ quod multi cadunt à gratia, quibus nemo ſurrogatur eadem gratia, dicendum quod non eſt verum, immo ſemper aliquis ſurrogatur illi in eadem gratia, ſecũdum quod eſt ordinata ad certũ gloriæ gradum. Vnde *Gl.* Cũ ſit certus numerus ſuorum, ſi quis labitur, alius miſericordia eius ſubinducitur, ſicut in Iudæis lapſis per ſuperbiã, Gentilitas ſubintrauit. Sed nũquid ſubintraſſet Gentilitas, ſi non peccaſſent Iudæi? Dicendum quod ſic: Deus.n. ab æterno prouiderat Gentes ſaluandas, & nõ ſubintrarent propter loco Iudæorum. vel põt dici, quod intelligitur de corona gloriæ: vt ſit ſenſus: [*tene quod habes, vt nemo accipiat coronã tuam:*] i.e. ne alius incipiat poſſidere ſine te gloriã tibi debitam ſi perſeueraſſes. Et quod obiicitur quod corona gloriæ nõ debebatur iſti, quia tantũ debetur perſeuerantibus: Dicendũ quod debetur ei ſub conditione ſi perſeueraret. & hoc videtur innui in *Gl. Iob 34. Conteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Hoc inquit Gl. quotidie agitur: labuntur aliqui à ſtatu iuſtitiæ, & locum vitæ alij illis cadentibus ſortiuntur. Reſponſio.

V.12. Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Ieruſalẽ, quę deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.

[*Qui vicerit:*] Hic incipit concluſio, in qua duo ponuntur: primo vnũ alliciens affectum, ſecundo aliud excitans intellectum: [*qui habet aures:*] Dicit ergo: [*qui vicerit:*] perſeuerantia virtutum. [*faciam illum columnam:*] id eſt, altum, rectum, firmum & planum. in ſe firmum per fidem, altum per ſpem, rectum per charitatem, & ſuſtentãtem alios verbo & exemplo: verbo conſolationis, & ſuffragio orationis. [*in templo Dei mei:*] ſcilicet in Eccleſia. [*& foras non egredietur:*] id eſt, peccare non poterit de cætero. vel [*in templo Dei mei:*] id eſt, in patria, [*& foras non egredietur amplius:*] compatiendo pœnis damnatorũ: etſi legitur *Iſa. vlt. Egredientur vt videant cadauera virorũ, qui præuaricati ſunt in me.* Ille tamẽ egreſſus eſt per viſionẽ, & non erit corporalis, ſed tantũ ſpiritualis: quia tantum videndo egredientur † non cõpatiendo, nec de pœnis eorum dolendo, [*& ſcribã ſuper illum:*] i.e. ſuper meritũ, & ſpem, & intellectum, nomen Dei mei, qđ eſt omnipotẽs, *Exod.15. Omnipotens nomen illi.* [*& nomẽ ciuitatis Dei mei Hieruſalem:*] hoc erit cũ nihil vetuſtatis manebit. ſed erit plena viſio pacis. † vero Ms.

[Iſta

[*quæ de cœlo descẽdit:*]i.e.de cõformitate cælestium creaturarũ.Dicitur ecclesia de cœlo descendere, quia gratiam, qua sancta est de cælo accipit,*Iac.1. Omne datũ optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* & *inf.21. Ostendit mihi ciuitatem S. Hierusalem descendentem de cœlo.* [*à Deo meo:*] *Interlinearis:* quia Deus mittit virtutes: [*& nomen meum nouum:*] i.e.Iesus, in quo nomine est salus, & quod nomẽ scriptum est in filiis Dei, qui saluati erunt, *Act.4. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominib. in quo oporteat nos saluos fieri.* Vel sic: [*qui vicerit*]se per veram obedientiã, *Prou. 21. Vir obediens loquetur victoriam.* [*faciam illum columnam in templo Dei mei:*]i.e.pręclarum in Ecclesia, rectum in iudiciis, fortem in aduersis, altũ vitæ eminentia, compassione alios supportantem, *Gal.2. de Petro, Iacobo & Ioanne. Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse. 3 Reg.7. fecit Salomon columnas in templo de ære:* firmas scil. & fortes. Sed hodie in Ecclesia festucæ ponuntur pro columnis, *Isa.3. Auferet Dominus à Hierusalem & Iuda validam & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ fortem & virum bellatorem, Iudicem & Prophetam, & ariolũ & senem, principem super quinquaginta, & honorabilẽ vultu, & consiliarium & sapientem de architectis, & prudẽtem eloquij mystici.* [*Et foras nõ egredietur amplius:*] seculo sc. se conformando, vel negotiis secularib. se implicando, *Rom.12. Nolite cõformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri. 2. Tim. 2. Nemo militãs Deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat cui se probauit.* [*& scribam super illum nomen Dei mei:*]hoc fit cum vicarius Dei efficitur. [*& nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, quæ de cœlo descendit à Deo meo:*] i.e. dabo ei pacem pectoris faciens eum similem illis qui sunt in superna Hierusalem. [*& nomen meũ nouum:*]Nomen Dei vetus est *Dominus. Ps.67. Dominus est nomen illi:* Nomen nouum, *Iesus, Matt.1. Vocabis nomen eius Iesum.* Hoc nomẽ super aliquem scribitur, cũ stabilem salutem adipiscitur: quod enim scribitur manet, quod profertur transit.

V.13. Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.

[*Qui habet aures:*] Hoc primum multoties est expositum.

Vers.14. Et angelo Laodiceæ ecclesiæ scribe. Hæc dicit, Amen, testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei.

[*Et Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe:*] Hic dictatur
Epistola 7. septima Epistola Episcopo Laodiceæ scribenda: & habet tres partes: exordium, narrationem: [*scio opera tua:*] & conclusionem: [*qui vicerit.*]

Dicit ergo: [*& Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe:*]hæc, quæ sequuntur. Reprehẽdit Ioannes istũ Episcopũ de tepiditate, de iactãtia, de hypocrisi, & † ideo reprehensor. Propter quod ad iustitiam eum monet hic vt patebit. vnde dicitur ei: [*æmulare ergo & pœnitentiam age:*]satis autẽ competit huic reprehensioni & cõmonitioni hoc nomen Laodicea, quæ interpretatur, [*fuit in vomitu.*] Ei enim dicitur quod tepidus es, & nec frigidus nec calidus. Itẽ interpretatur, *tribus amata Domino.* Et hic monetur ad charitatẽ vt amet, & sic ametur. Vnde ei dicitur: [*suadeo tibi emere aurum ignitum probatum.*]*Pro.8. ... ego diligentes me diligo.* Vnde in principio [*verus & fidelis*]ostẽditur [*& principiũ creaturæ Dei,*]vt in his † sunt, quib. reprehẽdebatur ei fidẽ adhiberet, & nõ nisi ab eo iustificari se crederet.

† forte ideo reprehenditur.

† Verbum sunt redundat.

Dicit ergo: [*Hæc dicit Amen:*]Notandum quod Amen quandoq; sumitur nominaliter vt hic, & idẽ sonat, quod veritas: quandoq; aduerbialiter, ibi: *Amen, amen, dico vobis, Ioh.6.* quandoq; verbaliter: in *Ps.88.* vbi nos habemus, *fiat, fiat*, in Hebręo habetur, *Amen, amen.* [*Hæc dicit Amen testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei:*][*Amen*]i.e. veritas, promissa soluendo. [*testis fidelis:*] de meritis nostris testificãdo. [*verus*]in doctrina. [*principium creaturæ Dei:*]i.e. causa creationis & recreationis. Creatura Dei specialiter dicitur homo, quia propter eum cæterę creaturæ factæ sunt, & quia cõmune habet aliquid cũ creatura, *Mat.vlt. prædicate Euangelium omni creaturæ.* Vel sic: [*Hæc dicit Amen:*] i.e. vere. [*testis fidelis & verus:*] qui in eo quod *fidelis* nulla dicenda celat. in eo quod *verus*, falsa & non dicenda nõ pronunciat. [*qui est principium creaturæ Dei:*] sine quo sicut nec potes habere existentiam ita nec iustitiam quia [*fidelis est & verus,*] de malo quod ipse testatur agnosce: & quia primus est omnis boni, ab ipso gratiam deposce.

Vers. 15. Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neque calidus, vtinam frigidus esses, aut calidus.

[*Scio opera tua:*]Hic incipit narratio, in quâ Primo ponitur reprehensio cũ cõminatione. Secundo admonitio cum consolatione & promissione: *suadeo tibi emere.*

Dicit ergo: [*Scio opera tua:*]id est, agnosco qualia sunt. [*hæc dico*]quia exterius videbantur bona hominibus. sed per corruptam intentionẽ erant mala. Erat enim hypocrita iste Episcopus, & ita se gerebat, vt non posset perpendi cuius sectæ esset, quia neq; frigidus erat neq; calidus: neq; frigidus per infidelitatẽ, neq; calidus per charitatem, sed neutrum existẽs tepidus erat. Per solam credulitatẽ existimabat sibi fidem sufficere cum perceptione sacramentorum, non attendens similiter charitatem sibi necessariam esse cum bonis operibus. [*vtinam frigidus esses vel calidus*] quasi vtinam haberes charitatem, vel saltem adhuc in infidelitate positus esses, quia propter ignorantiam minus peccatũ haberes, & gratia quandoq; conuersionis accepta, citius ad veram iustitiam pertingere † posses. & subditur comminatio.

† posset: MS.

Ver.16. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.

[*Et quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus incipiam te euomere ex ore meo:*] non ait euomam, sed [*incipiam te euomere,*] quia qui resoluitur tempore, non subito ex toto à gratiã deseritur, sed ipso primum minima demum maiora contemnente, paulatim à summis ad ima descendit: sic tandem ipsum gratia deserit. Attẽde similitudinem quia electi in fide sunt quasi cibus in vtero, qui per naturalem calorem decoctus in membra cõuertitur: sic ipsi decocti per dilectionem membra Christi fiunt per veram iustificationem. Et tepidi sine dilectione quasi crudi euomũtur per reprobationem. Vel sic: Tripliciter corrumpitur iustitia sub specie virtutis: crudelitate, remissione, simulatione. sæpe enim sub specie seueritatis, quæ est pars iustitiæ, quoad puniendos malos crudelitas agitur. Et remissa segnities mansuetudo creditur: corrumpitur etiam iustitia per simulationem & hypocrisin, quæ omnia facit, vt ab omnib. videatur & laudetur, *Matt.6. Attendite ne iu-*

ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem nō habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. In caliditate ergo credulitatem, & frigiditate remissionem: in tepiditate simulationem intelligit. quæ multum displicet Deo. Vnde subdit cōminando: [*Incipiam te euomere ex ore meo:*] os Christi, ꝓmissio Euangelij, à qua simulator euomitur, quia ab ea excluditur. In vomitu est expulsio cum difficultate. Vnde *Thren. 3. Non enim ex corde suo abiecit & humiliauit filios hominum.* Et notandum secundum Glossam, quod aliquis euomitur, cum excommunicatur, vel cum in deteriora præcipitari permittitur, vel cū malitia eius exterius manifestatur. Os vero Domini possumus intelligere prælatum qui habet prædicare secundum illud, *Ier. 15: Si separaueris pretiosum à vili quasi os meum eris.* Ex ore ergo Dei euomitur, qui per eos expellitur à consortio.

Ver. 17. Quia dicis, quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

[*Quia dicis:*] Rationem aliam reprehensionis, ostendit: non solum incipiam te euomere, quia tepidus, sed etiam quia te iactas. Dicit enim: [*diues sum*] bonis temporalibus: [*& locupletatus,*] bonis spiritualibus: [*& nullius egeo,*] consilij. vel auxilij, vel alterius rei. Vel [*diues*] temporalib. bonis, [*& locupletatus*] scientia: [*nullius egens,*] quia abundans gratuitis. Vel melius ita quod diues & locupletatus pro eodem sumantur, & geminatione rerum quantitas ostenditur.

Dicatur ergo sic: [*diues & locupletatus:*] per secularis eloquentiæ nitorē per prędicationis gratiam, per pontificalis apicis dignitatem. [*& nullius egeo:*] Sensus rationis hebes erat in eo, quia sibi sufficere credebat, & omnia sine salute possūt haberi. Descripta enim iactantia veritatē subdit reprehensionis dicens: [*& nescis quia tu miser es*] in te: [*& miserabilis*] aliis. Qui enim vitam tuam subtiliter discutiunt, miseriam tuam perpēdunt. cuius miseriam per tria sequentia distinguit dicens: [*& pauper,*] per defectū charitatis. quisquis enim charitate caret, licet alia bona possideat, pauper est. [*cæcus:*] per defectum cognitionis. [*nudus*] per defectum boni operis.

V. 18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ,: & collyrio inunge oculos tuos vt videas.

[*Suadeo:*] Posita reprehensione & comminatione, hic ponit admonitionē cum consolatione & promissionē. Et primo ponit admonitionem. secundo consolationem: *ego quos amo.* tertio promissionem. *ecce ego sto.*

Dicit ergo: [*Suadeo:*] Ita pauper es, vt dictū est: & ideo suadeo tibi emere aurum. Et tangit hic tria, licet alio ordine contra tria prædicta. Nam cōtra id quod dixerat, *eum pauperem*, dicitur: [*suadeo tibi emere à me aurum.*] Contra id, quod dixerat eum *cæcum*, dicitur: [*collyrio inunge oculos tuos vt videas.*] Contra id quod dixerat eum *nudum*, dicitur: [*& vestimentis albis induaris.*]

Dicit ergo: [*suadeo tibi emere aurum:*] i.e. charitatem ad modum auri pretiosam. [*ignitum & probatum:*] i.e. feruore ignitam in electis meis, per feruorē tribulationis probatā: de quo igne, *Luc. 12. Ignem veni mittere in terrā, & quid volo nisi vt accendatur?* Et *Leuit. 6. Ignis in altari meo semper ardebit.* [*vt locuples fias:*] quia quamdiu sine charitate fueris, cæteris bonis ditari non poteris. vel per aurum potest intelligi sapientia, per splendorem, quod aurū ignitum est: secundum illud: ignitum eloquium tuum vehementer, *Ps. 118.* Qua sapientia locupletatur homo, quia *Prou. 3. Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. Sap. 8 Quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?* Emitur charitas vel sapientia pretio orationis: emitur autem à Christo à quo sunt cęteræ gratiæ. & ideo dicitur *à me.* [*& vestimentis albis induaris:*] i.e. operibus virtutum mundis. [*vt non appareat confusio nuditatis tuæ:*] i.e. nuditas operum, vnde cōfundaris. *Ier. 20. Confundentur vehementer, quia nō intellexerunt opprobrium sempiternū quod nunquam delebitur.* Hæc cōfusio potest vitari per modicam confusionē in † confusione: Vnde *Gl.* hic: Melius est hic erubescere coram paucis, quam in futuro coram omnibus. Idec *Eccl. 4. Pro anima tua non confundaris dicere verū.* [*Et collyrio vnge oculos tuos vt videas:*] Per collyriū potest intelligi eloquium diuinum. Vnde sensus est [*collyrio inunge, &c.*] i.e. scrutare Scripturā sacram vt veritatē cognoscas. *Ps. 18. Præceptū Domini lucidum illuminans oculos.* Vel per collyrium potest intelligi donum spirituale, quo sensus interiores clausi, ad claritatem supernam aperiuntur. Vel per collyriū potest intelligi amaritudo pœnitētiæ, quæ per compunctionem clarificat sensum cordis, sicut collyrium per effusionem lachrymarum clarificat oculos carnis. *Gl.* Collyrio oculi vt videamus inunguntur, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonæ actionis adiuuamus, *Ps. 118. A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.*

† *forte confessione.*

V. 19. Ego quos amo, arguo & castigo. Aemulare ergo, & pœnitentiam age.

[*Ego quos amo:*] Hic ponitur consolatio: quasi ne diffidas quia prædicta comminatio & reprehensio non prouenit ex ira, sed ex amore: [*ego enim quos amo arguo:*] verbis. [*& castigo*] verberibus. *Prou. 3. Quem diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Hebr. 12. Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* [*Æmulare ergo:*] id est, imitare bonos, qui patienter sustinent mala. *1. Cor. 12. Æmulamini charismata meliora.* [*& age pœnitentiam:*] de tepiditate. *Eccles. 2. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.*

Vers. 20. Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum.

[*Ecce ego:*] Hic fit promissio, & ostēditur parata esse indulgentia pœnitenti. vnde [*ecce ego sto:*] expectans ad pœnitentiam. *Isa. 30. Expectat vos Dominus vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* [*ad ostium:*] cordis, quod est voluntas. Hoc ostium clausum tenetur quamdiu habet voluntatem peccandi. *Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* [*& pulso:*] inspirando, prędicando, beneficia cōferendo, vel etiam affligendo. *Cant. 5. Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* [*si quis audierit:*] vna aute

cordis

cordis, quæ est intelligentia, & aliā quæ est obedientia. [*vocem meam:*] inspirationis vel aliorum † prædictorum. [*& aperuerit mihi ianuam:*] cordis, i. il. voluntatem, quæ dicitur aperiri Christo per bonum consensum, & diabolo per malum. [*intrabo ad illum:*] gratiā infundendo, sicut sol intrat per fenestram apertam. [*& cœnabo cum illo:*] id est, in fide eius vel operibus delectabor; secundum *Glossam.* [*& ipse mecum:*] quia ipse lætabitur de auxilio meo. vel [*cœnabo cum illo, & ille mecum:*] i. e. recōciliabor illi, & ipse mihi. mutua enim cœnatio signum est mutuæ recōciliationis, vel mutuæ dilectionis. Et cœnat Deus cū homine gratiam infundendo: homo cū Deo gratiæ Dei cooperādo, vel inspirationi cōsentiendo. *Heb. 12. Cōtemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans hoc impediat*, scilicet aduentum vel inspirationem gratiæ diuinæ. Item cœnat Deus cum homine in meritis quibus reficitur. *Isa. 28. Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium: & hic cum Deo in præmiis. Psal. 16. Satiabor cum apparuerit mihi gloria tua.*

† forte prædicatorum.

V. 21 Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius.

[*Qui vicerit:*] Hæc est conclusio: in qua
Primo ponitur alliciens affectum.
Secundo excitans intellectū: [*qui habet aures:*]

Dicit ergo: [*qui vicerit dabo ei sedere in throno meo*] i. e. potestatem iudicandi, secundū illud: *Matt. 19. Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sedebit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* [*sicut & ego vici:*] mundum. *Ioh. 16.* Confidite quia ego vici mundum. [*& sedi cum Patre meo in throno eius:*] i. e. accepi à patre potestatem iudicandi. *Ioan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Gl.* tamen dicit hic, quod hæc intelliguntur de prælatis: Ille enim qui vicerit mundū contemnendo carnem, subiiciendo Diabolum, ei resistendo, ponendus est in throno prælationis.

Vers. 22. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

[*Qui habet aures:*] Hoc prius expositum est.

Cap. IV.

Vers. 1. Post hæc vidi: & ecce ostium apertū in cœlo, & vox prima quam audiui tanquam tubę loquentis mecum, dicēs, ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc.

[*Post hæc vidi: & ecce ostium apertum in cœlo, &c.*] Post primā visionem quę erat de correctione Ecclesiarum, sequitur secunda quæ nominatur in *glossa*, Reuelatio mysteriorum, & cōgruo ordine: quia sicut dicit *glossa*, correctos competenter sequitur secretorum reuelatio. Et diuiditur hæc visio in quatuor partes, secundum mysteria quæ reuelantur.

Prima est de sedēte in throno, & ornatu eius, *per totum istud capitulum.*

Secunda est de libro signato, *quinto capitulo*, in principio. *Et vidi in dextera sedentis.*

Tertia est de agno aperiente librum, *sexto capitulo. Et ecce vidi in medio throni.*

Quarta est de consequentibus ad apertionem sigillorum, *sexto & septimo capitulo per totum.*

Prima, qua videtur sedens in throno pertinet ad contemplationem potentiæ.

Secunda, qua videtur liber signatus, ad contemplationem sapientiæ.

Tertia qua videtur agnus occisus, ad contemplationē gratiæ redemptionis humani generis.

Quarta, qua videntur consequentia, ad apertionem sigillorum, ad contemplationem vniuersalis status Ecclesiæ.

In prima primo ponuntur quædam antecedentia visionem.
Secundo ipsa visio: *& ecce sedens.*

In prima ponuntur tria antecedentia: scilicet apertio ostii cœli: auditus vocis sicut tubæ: *& vox prima:* ascensus spiritualis: *ascende huc.*

Dicit ergo: [*Post hæc vidi*] id est intellexi seu reuelationem habui, secundum *Glossam.* ferè tota hæc visio de fidelibus vltimis agit, quod multum valet ad animationem præsentium: pauca etiam de his inducit, qui ante incarnationem passi sūt, quod ad idem valet. [*& ecce:*] admirationem & euidētiam notat. [*ostium apertum:*] supple erat [*in cœlo:*] i. e. in Ecclesia militante quæ cœlum dicitur propter similitudinem vitę quam habet, propter claritatē scientiæ qua fulget, propter stellatum, i. e. fidelium varietatē, quam cōtinet. Ostium est Christus. *Io. 10 Ego sum ostiū.* Vel nomine cœli potest intelligi scriptura sacra, quę celat nobis multiplicē intelligentiam: huius vero cœli ostium est Christus, per quē habetur scripturæ intelligētia.

Potest etiam ad literam intelligi de apertione cœli facta per passionem & ascensionem Christi, quod apertum est quatuor generib. hominum. Primo seruantibus innocentiam baptismalem, *Luc. 3. Iesu baptizato apertum est cœlum.* secundo humilibus pœnitentibus de malis propriis, *Apocal. 3. Ecce dedi coram te ostium apertum, quia modicam habes virtutem*: sc. humilitatem, cum aliis bonis operibus, *Matth. 18. Non est voluntas Dei vt pereat vnus de paruulis istis.* Cuius ratio est, quod humilis dicit illud Domini verbum. Cum omnia benefeceritis, dicite, *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Et ideo petit Dominū adiutorem, quia non † confidebat in se. *Augustinus.* Vbi dixisti sufficit, defecisti. Dat ē gloriam Deo, & per consequens super † eum ponit pugnā suam: propter quod & Dominus ei auxiliatur. Tertio compatientibus malis alienis, sc. viris misericordiæ. ideo Ezech. aperti sunt cœli. *Eccl. 16. Omnis misericordia faciet locum vnicuique, secundū meritum operum suorum & secundum intellectum peregrinationis ipsius.* Et merito quia Christū recepit hic in hospitio suo. Christus ascēdit in cœlū de monte oliueti, *Act. 1. & misericordia dat regnum, Matth. 25. Tob. 4. Fiducia magna est coram Deo summo eleemosyna omnib. facientibus eam.* Quarto martyribus, *Act. 7. Stephanus vidit cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. 2. Cor. 5. Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis.* Qui palatium videt sibi paratum sacrum debet sustinere libenter vt domuncula sua destruatur.

† forte confidit. Augustin.
† lege forte: super eo ponit manum suam.

[*Et vox prima quam audiui.*] *Gl.* i. e. vetus testamētū quod præcedit nouū, [*fuit*] supple [*tanquā tubæ loquentis mecū:*] i. e. terribilis & obscura & inuitans ad pręmiū dicens: [*ascēde huc:*] sc. ad ostium. Totum. n. vetus testamentū ad Christū transmittit. [*& ostendā tibi quæ oportet fieri cito:*] i. e. in pręsenti, qd' comparatū æternitati breue est. vnde quasi vna hora est. *1. Io. 2. Filioli nouissima hora est.* Vel vox

prima

prima potest intelligi doctrina Apostolica. Lex enim in eo muta fuit quod † téporalia bona non cœlestia promisit, *Sap.* 18. *Dum quietum silentium teneret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo, à regalibus sedibus venit.* Silebant enim lex & natura: & hoc quod vera bona nec promittebát, nec exhibebant: & tunc venit sermo Dei, primo Prophetas aspirando ad prædicanda spiritualia & cœlestia: deinde semetipsum in carne manifestando ad eadem exhibenda, dicens [: *ascende huc:*] quasi visurus maiora. Supra enim vidisti statú septem Ecclesiarum Asiæ, hic videbis statum vniuersalis Ecclesiæ: [*& ostendam tibi quæ oportet fieri cito:*] non quod iam non essent denegatur, sed quod deinceps mansura essent declaratur: secundum Glossam.

† Temporalia MS.

Vers. 2. Statim fui in spiritu, & ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens.

[*Statim fui in spiritu:*] id est, in ecstasi, vel in spirituali contemplatione. Non enim intelligendum est quod spiritus eius fuerit à corpore separatus, sed virtus diuina subleuauit mentem ipsius ad contemplanda ista secreta mysteria, ita quod nihil vidit vel audiuit corporaliter, sed spiritualiter tantum, ita tamen quod retinere vel scribere postea illa posset.

Dubitari vero potest vtrum post primam visionem, in qua similiter fuit in spiritu, desierit esse in spiritu, & aliquanto tempore in semetipso fuerit, & postea in ecstasi cum ascenderit: aut in spiritu perstiterit, quod verisimilius est. Vnde secundum hoc intelligendum est verbum prædictum, [*statim fui in spiritu:*] id est, valde excellentius quam prius.

[*Et ecce sedes:*] Hic incipit. † quę cótinet quinq;.

† Supple visio.

Primo enim tangit de sedente super sedem.

Secundo de his, quæ erant circa sedem: *& iris erat.*

Tertio de procedentibus à sede: *& de throno procedebant.*

Quarto de his, quæ erant in conspectu sedis: *& in conspectu sedis.*

Quinto de his, quæ erant in medio sedis, & in circuitu: *& in medio sedis.*

Dicit ergo: [*Et ecce sedes posita erat in cœlo:*] sedes hic potest intelligi Christi dignitas, quæ est super omnem creaturam, *Isai.* 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* Ista sedes posita est in cœlo Ecclesiæ. Moraliter insinuatur per hoc, quod qui sedet in statu prælationis debet habere cœlestem conuersationem, exemplo illius, de quo dicitur: Dominus in cœlo sedes eius, *Psalm.* 10. [*& super sedem sedens:*] Christus scilicet, sedes ista nunquam vacat, *Hebr. vltim.* Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula.

Moraliter.

Ver. 3 Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis Iaspidis, & Sardinii & iris erat in circuitu sedis, similis visioni Smaragdinæ.

[*Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis Iaspidis & Sardinii:*] Per hos duos lapides intelliguntur diuina natura & humana, ex quarum contemplatione est vita æterna, *Iohan.* 17. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Augustinus de spiritu & anima:

Augustinus.

Ideo Deus factus est homo vt totum hominem beatificaret, vt siue ingrederetur scilicet per intellectum, siue egrederetur per sensum in creatore suo pascua inueniret: pascua intus in contemplatione diuinitatis: pascua foris in carne saluatoris. Per lapidem Iaspidé intelligitur diuinitas propter viroré, qui color magis delectat & cóforat visum, & diuinitatis species intellectú. Humanitas in lapide Sardinio intelligitur, ꝓpter ruboré. Humanitas.n: propter stigmata passionis rubet. Per sedem etiam istam possunt intelligi sancti Angeli, Doctores, & Prælati in Ecclesia ordinati, in quibus principaliter Deus regnat, & per eos minores iuste & pie gubernat, quos sibi Deus thronum fecit, & specialiter in eis quiescit, & magisterio eorum cætera diiudicat. [*Sedes ista posita erat in cœlo:*] id est, in Ecclesia. [*Et super sedem sedens:*] Christus scilicet, omnes dignitate excedens & potestate regens, *Iohan.* 3. *Qui de cœlo venit super omnes est.* [*Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis:*] per firmitatem immutabilitatis. [*Iaspidis & Sardinii.*] Iaspis propter virorem signat immarcessibilem gloriæ æternitatem: sardis propter ruborem ignem gehennæ. Similis est ergo lapidi Iaspidis, promittendo bonis æternitatem: & lapidi Sardinii comminádo malis damnationem.

[*Et iris erat in circuitu sedis:*] Hic manifestat ea, quæ circa sedem erant, dicens: [*& iris erat, &c.*] Iris significat iudicium, quia continet in se iudicii signum. & dicitur esse in circuitu sedis, quia hinc inde à dextris & à sinistris, id est, bonis & malis, iusto iudice iudicante debita merces donatur. [*Similis visioni Smaragdinæ:*] Smaragdus viret & rubet. Iris ergo dicitur esse similis visioni Smaragdinæ, quia bonis & malis diuino iudicio examinatis, iusti introducuntur ad pascua virentia æternitatis, mali traduntur in ignem rubentis ardoris. Vel iris habens duos colores principales, scilicet igneum & cæruleum, significat Martyrium & Baptismum. In hoc ergo quod iris sedem Dei circuit, insinuatur quod ad Christi visionem per Martyrium & Baptismum via fit. *Ps.* 65. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Vel per iridem potest intelligi humana natura Christi. Iris enim generatur ex repercussione vel subintratione radii solaris in nube aquosa. nubes aquosa plena aquis gratiarú virgo beata. radius à paterno sole genitus est Dei filius, quo subintrante nubem humanæ naturæ, in forma † veri iris concreatur. Humanitas vero bicolor est: cærulei coloris quoad primú aduentum, ignei quoad secundum. Signum etiam est fœderis inter hominem & Deum, *Gene.* 8. *Ponam arcum meum.* Per *Smaragdum* significatur Deitas, propter virorem, cuius maxime visio delectat visum. Hęc duo dicuntur esse in circuitu sedis Ecclesiæ per † meditationem. Vel iris in circuitu sedis virgo beata, quæ sua protectione Ecclesiam circuit, *Ecclesi.* 24. *Gyrum cœli circuiui sola, & profunda abyssi penetraui,* & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti. In hac iride, [*cæruleus color:*] castitas, [*igneus*] charitas, *Sap.* 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est & apud homines. De hoc arcu: *Eccl.* 43. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. Gyrauit cœlum in circuitu glorię suæ, manus excelsi aperuerunt illum. Et ad modum iris dicitur similis Smaragdo

† forte leg. viri.

† forte mediationem.

rsgdo propter virotem fidei quæ in ea, aliis cadentibus, imminente passione nunquam emarcuit. Sequitur:

Vers. 4. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: & super thronos viginti quatuor Seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.

[*Et in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, & super thronos, vigintiquatuor Seniores sedentes:*] id est, Patres veteris & noui Testamenti, qui tali numero ideo designantur, quia duodecim fuerunt Patriarchæ, filij Iacob, ex quibus alij Patres veteris Testamenti originem traxerunt: & duodecim Apostoli, ex quibus alij Patres noui Testamenti originem habuerunt. Hi dicuntur esse in circuitu sedis, & sedere super thronos, quia cum Domino iudicabunt, eius iudicio per omnia consentientes, *Matth. 19. Vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Sedilia vero vigintiquatuor sunt duodecim tribus, in quibus duodecim Patriarchæ obtinent principatum, & duodecim Ecclesiæ, in quibus duodecim Apostoli præfuerunt. Hi autem omnes non nudi, sed vestiti erant: vnde sequitur: [*circumamicti stolis albis:*] per munditiam castitatis & boni operis, siue per munditiam interiorem & exteriorem, *Ecclesiast. Omni tempore sint vestimenta tua candida:* [*Et in capitibus eorum coronas aureas:*] vidi scilicet, id est, gloriam indeficientem, quam habent nunc in spe, in futuro in re, quæ aureæ sunt per fulgorem diuinæ contemplationis.

Vers. 5. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.

[*Et de throno procedebant fulgura*] Hic determinat de his, quæ præcedebant. [*& de throno procedebant fulgura:*] id est, de perfectis, in quibus Deus residet, & per quos alios regit. † .... miraculorum claritas longe lateque coruscans homines terrestres & illuminans. [*& voces:*] id est, temperatæ admonitiones. [*& tonitrua:*] id est, duræ & rebelles comminationes. [*fulgur*] procedebat quando ad vmbram Petri sanabantur infirmi, *Actor. 5* [*Voces*] quando Paulus dicebat *Roma. 12. Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* [*Tonitruum,*] quando dicebat Iohannes, *Matth. 3. Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* [*& septem lampades ardentes ante thronum:*] supple vidi vel sunt. [*quæ sunt septem spiritus Dei:*] id est, septem dona Spiritus sancti, quæ thronum illuminant & accendunt, quæ dantur per illos, per quos Deus regit Ecclesiam, *Actor. 8. Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

† forte sup. ple. fulgura.

Vers. 6. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo, & in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro.

[*Et in conspectu sedis quasi mare vitreum simile crystallo:*] Hic determinat, quæ erant in conspectu sedis. Per mare secundum Glossam intelligitur Baptismus, quia in mari submersus est exercitus Ægyptiorum, ita in Baptismo submergitur exercitus vitiorũ. Baptismus mare est quia in ipso remittitur amaritudo iniquitatis. vitreum quia in ipso confertur claritas diuinæ cognitionis. [*simile crystallo:*] quia per ipsum † effectus ad splendorem iustitiæ confirmatur. vel mare dicitur lauatorium pœnitentiæ propter continentiam aquarum multarum, quod pertinet ad gratiam lachrymarum. [*vitreum,*] propter naturam lucis susceptiuam: in quo intelligitur intellectus illuminatio. [*simile crystallo:*] quæ in radij solis repercussione scintillas ignis emittit: in quo intelligitur affectus accensio. [*Et in medio sedis:*] Postquam egit de sedente super sedem, & de his quæ erant circa, de his quæ procedebant à throno, & de his quæ erant in conspectu sedis: hic vero agit de his quæ erant in medio sedis & in circuitu, dicens:] *& in medio sedis.*] Et

† forte affectus.

Primo se dicit vidisse quatuor Euangelistas sub figura quatuor animalium.

Secundo describit dispositionem eorum: [*plena oculis.*]

Tertio prædicationem: *& requiem.*

Quarto fructum consequentem: *& cũ darent.*

Dicit ergo: [*Et in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia:*] supple, vidi vel erant. Nomine sedis intelligitur cœtus prælatorum: tunc per quatuor animalia intelliguntur quatuor Euangelistæ, quorum doctrina prælati fulciuntur & reguntur. Sed quomodo erant in circuitu sedis & in medio? Dicendum quod sedes secundum Glossam habebat quandam planitiem latam & amplam super quam erant animalia, quæ erant figuræ doctorum præsentium. Vel dicendum quod erant subter sedem, quasi columnæ sustentantes: in circuitu vero quasi excubiæ custodientes, & protegentes. [*Plena oculis ante & retro:*] id est, habentia cognitionem futurorum & præteritorum, vel virtutum & vitiorum.

Vers. 7. Et animal primum, simile leoni: & secundum animal, simile vitulo: & tertium animal, habens faciem quasi hominis: & quartum animal, simile aquilæ volanti.

[*Et animal primum simile leoni:*] per quem intelligitur Marcus, qui quasi leo in deserto rugiens sic inchoauit Euangelium suum: Vox clamantis in deserto. [*& secundum animal simile vitulo:*] per quem intelligitur Lucas, qui à sacrificio, quod maxime fit de vitulis, Euangelium suum inchoauit dicens: Fuit in diebus Herodis regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, &c. [*Et tertium animal habet quasi faciem hominis:*] per quem intelligitur Matthæus, qui humanam Christi generationem plenius describens sic incepit: Liber generationis Iesu Christi, &c. [*Et quartum animal simile aquilæ volanti:*] per quod intelligitur Iohannes, qui quasi aquila altius cæteris volans, verbi æternitatem monstrans, sic exorsus est: *In principio erat verbum, &c.* De eisdem figuris habetur *Ezech. 1.*

Sed quæritur cum Ezechiel primo ponit hominem, secundo leonem, tertio vitulum, quarto aqui- Quæstio

to aquilam, quare Iohannes mutauerit hunc ordinem.

Responsio. Resp. Ezechiel seruauit ordinem rei gestæ: Christus enim primo fuit natus, postea terribiliter prædicauit vt leo: deinde immolatus est vt vitulus: tandem ascendit in cœlum vt aquila. Iohannes vero quia hæc omnia impleta vidit, non iam ordinem rei gestæ narrare voluit, sed magis populum ad fidem morum inducere: ideo leonem præposuit, vt posita Christi fortitudine per fidem resurrectionis postmodum securius accedant ad vitulum, id est, ad fidem passionis: deinde ad hominem, id est, ad fidem natiuitatis: ad vltimum ad aquilam, id est, ad fidem ascensionis & diuinitatis ipsius.

Vers. 8. Et quatuor animalia, singula eorum, habebant alas senas in circuitu & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.

[*Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas:*] id est, scientiam Scripturarum, per quam, quasi per quasdam alas, terrena relinquimus & ad cœlestia ascendimus: & hoc per senarium designatur, vt perfectio eius ostendatur. Senarius enim perfectionem significat, quia sex diebus Deus opus suum compleuit, vel quia perfectus est numerus. Vel secundum *glossam*, senas alas vocat sacram scientiam, quia habet sex partes: Prima ala est lex naturalis: secunda, lex Moysi: tertia, doctrina prophetica: quarta, doctrina Euangelica: quinta, doctrina Apostolica: sexta, doctrina sacrorum Episcoporum, Augustini, & aliorum. [*Et in circuitu & intus plena sunt oculis:*] in circuitu, per morum circumspectionem: intus, per rectam cogitationum discretionem, quia se mundos seruant, & alios exemplo informant, *Romanor.* 12. Prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. [*& requiem non habebant:*] id est, à laudibus Dei non cessabant. *Psalmo trigesimotertio: Semper laus eius in ore meo.* [*die ac nocte:*] ad literam, vel *die* prosperitatis, & *nocte* aduersitatis. Illa laus placet Deo, quæ nec in prosperitate, nec in aduersitate interrumpitur, *Isaia* 62. *Tota die & tota nocte non tacebunt. & in eodem: Qui reminiscimini Domini ne taceatis, ne detis silentium ei.* [*Dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus:*] Hic notatur Trinitas personarum. [*Dominus Deus omnipotens:*] hic notatur vnitas essentiæ. [*qui erat:*] sine principio: hic insinuatur æternitas. [*& qui est:*] hic immutabilitas. *Exod.* 3. *Qui est misit me ad vos. Iacob.* 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio.* [*& qui venturus est:*] ad iudicandum: hic notatur iudiciaria potestas, *Iohan.* 5. *Omne iudicium dedit filio.* [*Sanctus,*] iustitia: [*Dominus,*] gloria: [*Deus,*] natura: [*omnipotens,*] virtute. Ter nominatur sanctitas, semel dominium vel potestas: contra illos, qui multum volunt ostendere dominium suum, vel potestatem, & raro vel nunquam sanctitatem.

Bernardus. *Bernardus*: Vides totum zelum Ecclesiæ feruere pro dignitate tuenda? honori totum datur, sanctitati nihil.

Vers. 9. Et cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in secula seculorum.

[*Et cum darent, &c.*] Indiuiduæ Trinitatis laudem, ministerio Euangelistarum prolatam descripsit Iohannes: nunc quid doctrina eorum prædicatoribus, & doctoribus, & iudicibus Ecclesiæ contulerit, subiungit: quod *vigintiquatuor*, id est, veteris ac noui Testamenti prædicatores, iudices, cognito humanæ redemptionis sacramēto, Deo suas iustitias atq; victorias attribuunt eum laudantes, atq; gratias agentes, vnde dicit: [*Et cum darent illa quatuor animalia laudem, gloriam, & benedictionem:*] id est, cum prędicarent eum singulariter glorificandum, honorandum, benedicendū, & in ipso singulariter, & excellenter gloriam & honorē & benedictionem dicerent consistere, & ab ipso in subiectam creaturam descendere. [*sedenti super thronum:*] id est, æternaliter. *Supra* 1. fui mortuus, & ecce sum viuus in secula seculorum. Possunt autem hæc sic diuersificari: vt gloria detur pro creatione: honor pro recreatione: benedictio pro promissa glorificatione. Cum hæc inquam darent sedenti super thronum.

Vers. 10. Procidebant vigintiquatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes.

[*Procidebant vigintiquatuor Seniores:*] id est, noui & veteris Testamenti fideles. [*ante sedentem in throno:*] id est, ei totum attribuentes. *Isai.* 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis:* [*& adorabant viuentem in secula seculorum:*] maiestati eius se subiiciendo. [*& mittebant coronas suas ante thronum:*] victorias suas adscribendo sedenti super thronum, dicentes.

Vers. 11. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam, erant & creata sunt.

[*Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem:*] à subiecta creatura, quæ semper possides in diuina natura. Gloriam & honorem & virtutem Deo damus, quando ipsum solum gloriosum, honorabilem solum & insuperabilem prædicamus. Ipse vero hæc à nobis accipit... quando nostris laudibus dignanter annuit eas acceptando. Causa vero propter quam laude sit dignus subditur cum dicitur: [*quia tu creasti omnia:*] dignus est ab omnibus accipere laudem, quia omnibus subsistendi dedit originem. *Iudith.* 9. *Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me:* [*& propter voluntatem tuam:*] id est, iuxta voluntatem tuam, siue in voluntate. [*erant:*] in arte prius, dicit Interlinearis, quam formarentur in opere: sicut arca vel domus prius est in mente artificis, quam fiat actu. *Iohan.* 1. *Quod factum est, in ipso vita erat. & vita erat lux hominum* Et creata sunt in existentia. Vere ergo omni laude dignus existit, qui omnia semper in voluntate per bonitatem habuerit, & per potentiam aliquando creauit.

Nota

Nota quod illa quę dicta sunt de Euangelistis motaliter, ex poni possuot de prælatis & prædicatoribus Ecclesiæ, qui debent Euangelicè viuere & docere, 2. *Timoth.* 4. *Opus fac Euangelista, ministetam tuum imple,* 1. *Corinth.* 9. *Va mihi est, si non euangelizauero.* Et dicuntur hic septem pertinentia ad prælatos.

Primo enim vocantur aoimalia: *Interlinearis*: Animata & animaotia debent esse prælati, id est, viuificantes: & viuificant ...... vita gratiæ. Seneca. *Seneca*: Nou viuere bonum est, sed bene viuere. Augustinus. *Augustinus*: Inutiliter in rempore viuitur, nisi ad operandum viuitur, quo in æternitate viuatur. Vinificantes alios verbo & exemplo: sicut carbo ignitus carbooes mortuos. Sed è contrà multi oceiduut, qnos vinificare debuerant, *Ecclesiast.* 34. *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat eum homo sanguinis est.* & *ibidem*: *Qui aufert in sudore panem, quasi qui occiderit proximum suam.* *Roman.* 14. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortam est.*

Secundo dicuntur esse quarnor, per quod ostendit pręd‍icationem esse dilatandum per quatuor partes mundi: & etiam commendar nobis quatuor virtutes cardinales, quæ virtutes animam quasi quadratam reddunt, & ideo vndique stabilem, *Hebraeor.* 13. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerant ambulantibus in eis.*

Tertio dieuntur habere quatoor facies, quia prædicator debet

Rugire vt leo, pœnam comminando, & timorem incutieodo. Item

Mugire vt bos peccatoribus compatieodo, & ad pœnitentiam prouocando. Item

Loqui vt homo consolaodo & ad mutuam dilectionem prouocando. item

Exaltari vt aquila, corda hominum ad desiderium & spem æternorum sublenando.

Quarto animalia ista visa sunt in medio sedis, & in circuitu, quia prælati debent esse in medio Ecclesiæ, vt supportantes & sustentantes, & in circuitu vt custodientes & defendentes. Ipsa sunt velut ossa in corpore Ecclesiæ, ideo debent comportare & supportare.

Quinto animalia eraur plena oculis ante & retro, quia prælati & prædicatores debent esse circumspecti, ne à serpente infernali incaute lædantur, *Ecclesiast.* 12. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis suis.* Debent habere oculos ante, vt cogitent semper de incerta morte: & retro, vt cogitent de sua humili origine.

Sexto quia alata. Ala est scientia qua Ecclesia proficit & ad Deum ascendit: Non sofficit homini ad hoc quod spiritualiter ascendat ad Deum, & proficiat scientia Decretaliom. Nam qui de hac scientia superbit, in cœlum non valebit, sed potius corruet io infernum. Septimo dicitur quod requiem non habebant: Contra illos, qui in laude diuina nolunt laborare.

Videtur legendū quod Psalm. 33. † Quo contra: *Psalmo trigesimotertio: Semper laus eius in ore meo.* & *alibi*: *Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te.*

***

Cap. V.

VErs. 1. Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.

[*Et vidi in dextera sedentis supra thronum, &c.*] Hic incipit secuoda pars secundæ visioois, in qua videtur liber in dextera sedeotis in throoo: quæ continet quatuor particulas.

Prima est de visione libri.

Secunda de visione Aogeli prædicaotis, *quis est dignus aperire librum*: in qua insinuatur desiderium antiquorum, de implenda dispositiooe redemptionis nostræ [*& vidi Angelum.*]

Tertia de fletu Ioannis, in qua ostenditur antiquorum de dilatione promissæ redemptionis afflictio: *& ego flebam.*

Quarta de consolatiooe senioris: *& vnus de Senioribus.*

Dicit ergo: [*Et vidi:*] Copulatiua cooiunctio ostendit, quod hoc quod hic dicitur non est alia visio à præcedenti, sed illi cuniungitur sicut pars parti. Sed in principio quarti capituli, vbi dictum est, *Post hæc vidi*, dictio ordinatiua ostendit quod visio illa erat alia à præcedenti. [*in dextera sedentis super thronum*:] id est, Christi, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. [*librum*:] id est, Scripturam sacram, quæ dicitur esse io Dei dextera, quia Deus scieotiarum Dominus est, *Deuteron.* 33. *In dextera eius ignea lex.* Lex, quia nos à malo refrænaodo ligat: ignea, quia nos ad amorem † creatioois ardenter inflammat. [*scriptum intus*:] quod vetus Testameotum, in quo sub figuris erat absconditia nostra redemptio. [*& foris*:] qooad nouum, vbi ipsa est manifestata. Vel [*scriptum intus*:] per sensum mysticum. [*& foris*,] per seosum historieum. Potest etiam hic dici *dextera* Dei, misericordia: *Liber* vero dispositio diuina de redemptione generis humani facta per Christum; & est liber scriptus [*intus*,] quantum ad secretum præscientiæ: [*& foris*] secundum rationem præsentis iustitiæ. [*signatum sigillis septem*:] id est, vniuersis obscuritatibus. quia enim septem diebus omne tempus voluitur, rectè septenario vniuersitas signatur. Liber itaque signatus erat septem sigillis; quia redemptionis nostræ modus paucissimis notus, omnibus vero aliis erat incognitus; *Psalmo decimoseptimo*: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* *Isai.* 29. *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.* cuius signacula sunt septem sacramenta nostræ redemptionis io lege signata, & à Prophetis prædicta:

† forte creatoris.

Primum est conceptio siue incarnatio, quæ fuit signata in conceptione Isaac, *Genes.* 21. & prophetata *Isai.* 8. *Accessi ad prophetissam & concepit filium.* 1

Secundum est natiuitas. quæ fuit signata in natiuitate Isaac, *Genes.* 21. & prophetata *Isai.* 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Vtrumque taugitur *Isai.* 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Vtrumque signatum est. *Numer.* 17. *in virga Aaron, quæ vna nocte floruit, & fronduit, & fructum fecit.* 2

Tertium est passio, quæ fuit signata in morte Abel, *Genes.* 4. Et in immolatione vitulæ rufæ; *Numer.* 19. & agni, *Exod.* 12. & propheta, 3

Iſai. 53. Tamquam ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet & non aperiet os ſuum.

4 Quartum eſt deſcenſus ad inferos, qui fuit ſignatus in Samſone, qui tulit portas Gazæ, *Iudic. 16.* & prophetatus, *Zachar. 9.* Cum autem in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.

5 Quintum fuit reſurrectio, quæ fuit ſignata in ſuſcitatione filij mulieris Sareptanæ, *3. Reg. 17.* & prophetata *Oſe. 6. Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.*

6 Sextum eſt aſcenſio, quæ fuit ſignata in tranſlatione Enoch, *Geneſ. 5.* & in raptu Eliæ, *4. Regum 2.* & prophetata *Iſai. 63. Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* & in *Pſalmo quadrageſimoſexto: Aſcendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ.*

7 Septimus eſt aduentus ad iudicium, qui fuit ſignatus in arcu cœleſti poſt diluuium per colorem igneum, *Geneſ. 9.* & prophetatus *Iſai 3. Dominus ad iudicium veniet cum ſenibus populi ſui, & principibus eius.* His ſigillis ſignatus & clauſus fuit liber donec Chriſtus iſta aperuit nobis. Iſte † ſumptus fuit intus ſapientia creata.

† forte ſcriptus.

Verſ. 2. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna, quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius?

[*Et vidi Angelum:*] Hic inſinuatur vehemens antiquorum patrum deſiderium de implenda diſpoſitione redemptionis noſtræ, quæ in libro ſignata erat: quia ſecundum Gloſſam, ignorabant quomodo fieret.

Dicit ergo: [*& vidi Angelum:*] id eſt, mente intellexi: ſecundum *Gloſſam* Patres veteris Teſtamenti, qui dicuntur Angeli propter vitæ puritatem, & in ſingulari.... propter fidei & concordiæ vnitatem. [*fortem*] propter expectationis longanimitatem, & tribulationum tolerantiam: [*prædicantem:*] quaſi conquerendo. [*voce magna:*] id eſt, deſiderio & ſtudio magno, *Lucæ 10. Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.*

Deſiderii antiquorũ cauſa multiplex.

Nota quod deſiderii antiquorum multiplex potuit eſſe cauſa.

1 Prima reconciliatio ad Deum quam deſiderabant, *Iob. 9. Non eſt qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus.* Ibi vero Chriſtus in ambobus manum poſuit, quia homini operandi exemplum tribuit, & Deo in ſe opera quibus placaretur oſtendit, quia nullus alius vnquam facere potuit.

2 Secunda, Dei familiaritas, quam per Chriſtum aſſecuti ſumus, *Cantic. 8. Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolum foris, & deoſculer te, & etiam me nemo deſpiciat?*

Bernardus.

Bernardus: Iam promiſſiones & viſiones non recipio, figuras & ænigmata nolo, ipſas quoque angelicas ſpecies faſtidio; omnes quippe ſuperat ſpecie & pulchritudine Ieſus meus.

3 Tertia, mitigatio auſteritatis legis, *Actorum 15: Hoc eſt onus, quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus. Iſaiæ 10. Computreſcet iugum à facie olei.*

4 Quarta, ſcripturæ apertio: *Iob. 38. Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum.*

Quinta, liberatio de limbo, *Zachar. 9. Tu vero* 5
in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.

Sexta, opprobrij amotio, *Pſalm. 118. Aufer à* 6
me opprobrium & contemptum.

Septima, humanæ naturæ exaltatio, *Pſalmo* 7
ſeptuageſimoſecundo: In voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. De hoc deſiderio Patrum, *Bernardus:* Deſiderium Patrum ſuſpirantium in carne præſentiam Chriſti frequenter cogitans compungor & confundor in me ipſo, & vix contineo lachrymas; cui namque noſtrum tantum † indigeat gaudiũ huius gratiæ exhibitio, quantum antiquis intulit ſola promiſſio.

Bernardus.

† forte indulgeat.

Sequitur: [*quis eſt dignus aperire librum:*] id eſt, diſpoſitionem diuinam implere de redemptione generis humani. [*& ſoluere ſignacula eius:*] id eſt, clauſa myſteria ſub figuris manifeſtare.

Sed videtur ordo præpoſterus: quia prius eſt ſoluere ſignacula libri, & poſtea aperire librum.

Reſpond. Chriſtus patris diſpoſitionem primo impleuit in ſe, quod eſt aperire librum: deinde prædicatione ſua & Apoſtolórum impletam diſpoſitionem manifeſtauit, quod eſt ſoluere ſignacula.

Verſ. 3. Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum.

[*Et nemo poterat neque in cælo:*] vt Angelus. [*nec in terra:*] vt hõmo. [*nec ſubtus terram:*] id eſt, ſpiritus iam corpore exutus. [*aperire librum:*] id eſt, diſpoſitionem de redemptione humani generis. *Auguſtinus.* Niſi vnigenitus filius Dei moreretur, genus humanum non redimeretur, & non redemptum periret. [*neque reſpicere illum:*] *Gloſſ.* id eſt, perfecte intelligere illum; id eſt, modum redemptionis noſtræ. Vnde Beata virgo quærit modum, quomodo fiet illud, *Luc. 1.* & Iohannes Baptiſta, *Iohan. 1. Non ſum ego dignus, vt ſoluam eius corrigiam calciamenti:* id eſt, vt explicem vnionem diuinæ naturæ & humanæ. & *Iſai. 53. Generationem eius quis enarrabit?* quod non ſolum de diuina generatione, ſed humana intelligi poteſt.

Auguſtinus.

Verſ. 4. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire librum, nec videre eum.

[*Et ego flebam multum:*] Hic oſtenditur afflictio antiquorum de dilatione promiſſæ redemptionis. *Gloſſ.* Hoc dicitur in perſona antiquorum Patrum, qui flebant & dolebant pro dilatione promiſſæ redemptionis. *Prouerbior. 13. Spes quæ differtur affligit animam: lignum vitæ deſiderium veniens.* [*quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire librum:*] id eſt, implere diſpoſitionem Dei de redemptione generis humani, quia omnes erant inquinati, vt dicit *Interlinearis: Iob. 14.* ſecundum aliam literam: *Nemo mundus à ſordibus nec etiam infans, cuius vita vnius diei eſt ſuper terram. Epheſ. 2. Omnes naſcimur filij iræ,* [*nec videre illum:*] id eſt, perfecte intelligens.

Verſ.

Vers. 5. Et vnus de Senioribus dixit mihi, ne fleueris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem, signacula eius.

[*Et vnus de Senioribus:*] Hic ponitur consolatio senioris consolantis Iohannem. Iste Senior cœtum significat Prophetarum, antiquos Patres de futuro redemptore consolantium & certificantium. Magna fuit certificatio non solum audire, quod redemptor esset venturus, sed etiam de qua tribu. Iuda † ..... Cœtus vero Prophetarum vnus dicitur propter fidei & rei prophetatæ vnitatem. *(† supple scilicet.)* Vnum enim & vno spiritu prophetabant. [*Dixit mihi ne fleueris:*] id est, fletum ne continuaueris, immo consolationem recipe. [*Ecce*] id est, in proximo est. [*vicit.*] id est, vincet: & ponitur præteritum pro futuro prophetica certitudine, quia quod futurum est in Dei existentia, videt Prophetæ iam factum in Dei sapientia. [*leo,*] sc. Christus, qui leo fuit in incarnatione. Leo enim cauda sua delet vestigia sua ne † reprehendantur: sic Christus humanitate diuinitatem abscondit, vt diabolo occultaretur, *Isai. 45. Vere tu es Deus absconditus.* *(† forte deprehendantur.)* Item leo fuit Christus in prædicatione, maiores audacter arguendo, *Matt. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, &c. Ose. 11. Quasi leo rugiet.* Item leo fuit in passione, quando prædam diabolo abstulit, *Num. 23. Quasi leo erigetur: & non accubabit donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat. Genes. 49. Ad prædam ascendisti fili mi, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Item leo fuit in resurrectione, quia mortua tota die à patre suscitatus est. Leo dormit apertis oculis: & Christus viuente Deitate expirauit: Specialiter leo erit in iudicio, *Amos 3. Leo rugiet, quis non timebit?* [*de tribu Iuda:*] procedens scilicet. [*radix Dauid:*] Christus est radix Dauid, secundū diuinitatem, & est procedens à Dauid secundum humanitatem. Ipse est de tribu Iuda per carnis assumptionem: & est radix per fidem incarnationis, secundum quam vegetatio & nutrimentorum transit à Christo in Patres, sicut à radice in ramos. [*aperire librum & signacula eius:*] id est, ad hoc vt aperiat librum. Aperuit dispositionem implendo de redemptione humani generis. & septem signacula soluit, id est, occulta prius mysteria declarauit.

V. 6. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem & oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.

[*Et vidi:*] Tertia pars visionis secundæ, quæ pertinet ad redemptionem humani generis, per passionem Christi: in qua parte ponuntur tria.

Primo descriptio Christi in specie agni occisi.

Secundo acceptio libri: *& venit & accepit.*

Tertio gratiarum actio: *& cum aperuisset.*

Dicit ergo: [*Et vidi, & ecce in medio:*] Posuit superius promissionem, hic subdit promissionis exhibitionem. Grandis est differentia inter promissionem & exhibitionem: nam leonem audiuit in promissione, agnum vero vidit in exhibitione: sed vtrumque inuenitur in nostro redemptore. Ipse enim leo magnus per diuinitatem, agnus paruus per humilitatem: leo per potentiam, agnus per mansuetudinem: leo, malos puniendo, agnus bonos redimendo: leo fortitudine, agnus pietate: leo in promissione, vt spes infirma roboraretur, agnus in exhibitione, ne conscientia timida terreretur. Videtur autem agnus in medio throni & quatuor animalium & Seniorum, quia ipse est sustentator omnium electorum, & ab † alio pariter, etsi non æqualiter *(† forte illo.)* spiritualia dona accipiunt. [*Stans*] videtur, quasi paratus ad perficiendum id ad quod venit.

Dicit ergo: [*& vidi*] id est, intellexi, [*& ecce in medio throni*] prælatorum in quibus sedet & iudicat. [*& quatuor animalium*] id est, prædicatorum per quatuor mundi climata discurrentium. [*& in medio Seniorum:*] id est, doctorum. *In antiquis enim est sapientia, Iob. 12.* [*agnum*] id est, Christum humilem, mansuetum innocentem & à peccato immunem. [*stantem*] rectitudine virtutum; & quasi paratum ad iuuandum certantes, secundum *Glossam.* [*tanquam occisum:*] Hic insultat Manichæus, qui dixit Christum non habuisse verum corpus, sed phantasticum, nec vere mortuum. Sed dicendum quod [*tanquam*] est hic expressiuum veritatis. † scilicet *Iohan. 1. Quasi vnigeniti à Patre:* id est, vere geniti. vel ideo dicitur, *(† forte legatur, sic.)* *tanquam occisus,* quia cito surrexit, vt non de morte † scilicet quasi de somno surrexisse videretur, *(† forte sed.)* *Psalm. 3. Ego dormiui & soporatus sum, exsurrexi, quia Dominus suscepit me.*

Sed si stans erat quomodo occisus? *(Obiectio.)*

Resp. Stans in Deitate, occisus in humanitate, ideo dicitur vidisse eum tanquam occisum, quia in altera natura tanquam. *(Responsio.)*

Vel *moraliter:* Videt Ioannes leonem vincentem, & agnum quasi occisum, quia in multis prælatis fere occisa est mansuetudo & pietas, & vincit & regnat crudelitas & impietas *(Moraliter.)* [*habentem cornua septem & oculos septem:*] Cornua significant eminentiam regni spiritualis: oculi contemplationem veritatis. Agnus vero id est Christus habet septem cornua, & septem oculos, quæ sunt septem spiritus, &c.... quia per septiformem Spiritus sancti gratiam, quibus vult, dat regni spiritualis sublimitatem, & suæ veritatis agnitionem: quos vult ad regnandum exaltat, quos vult ad contemplandum spiritualia illustrat. dicuntur autem hi spiritus missi, quia in omni terra sic exultent, & sic illuminant. Vel septem cornua intelligi possunt septem dona in quantum muniunt ..... contra vitia: septem oculi, eadem dona in quantum illuminant ad bona facienda. vel *habens cornua:* id est, regiæ potestatis perpetuitatem. Per † *cornua* designatur potestas regia, *Luc. 1. Erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.* *(† Coronam MS.)* Per *septem,* perpetuitas temporis, quia omne tempus septenario agitur, *Dan. 7. Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Luc. 1. Regni eius non erit finis.* [*& oculos septem:*] id est, cognitionis vniuersitatem, *Eccles. 23. Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia.* [*qui sunt septem spiritus missi in omnem terram:*] id est, existentibus in omni terra promissi, *Ioel. 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem.*

Vers. 7. Et venit & accepit de dextra sedentis in throno librum.

[*Et venit:*] hic ponitur acceptio ipsius libri ab ipso agno: vnde dicit: [*& venit:*] scil. Agnus in mun-

mundum. [*& accepit:*] secundum humanitatem. [*de dextera sedentis in throno:*] *Gloss.* id est, à verbo sibi vnito. [*librum:*] aperiendum per promissæ redemptionis solutionem. Licet à tota Trinitate hoc acceperit, hoc tamen appropriatur filio, qui appropriate dicitur Sapientia & Magister omnium, *Matth. 23. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est, Christus.*

Vers. 8. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor Seniores ceciderunt coram agno habẽtes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quę sunt orationes sanctorum.

[*Et cum aperuisset librum:*] Hic ponitur gratiarum actio: primo hominum: secundo Angelorum: *& vidi & audiui.*

Dicit ergo: [*& cum aperuisset librum:*] genus humanũ redimendo, & sic promissionem patris implendo, [*quatuor animalia:*] id est, patres noui Testamenti. [*& viginti quatuor Seniores:*] Patres scil. veteris Testamenti. Vel [*quatuor animalia:*] id est, quatuor Euangelistæ, vel vniuersi prædicatores. [*& viginti quatuor Seniores:*] id est, vniuersalis Ecclesiæ iudices † initeores ... [*ceciderunt corã Agno:*] se humiliando, illum exaltãdo, per Christum iustificari humiliter poscentes, ipsum esse solũ per quem cœleste bonum tribuitur, tali signo confitentes, [*habentes singuli citharas:*] i.e. corpora mortificata, seu carnis mortificationes, *Isai. 23. Sume citharam, circumi ciuitatem meretrix obliuioni tradita.* Bene cane frequenta canticum, vt memoria tui sit. Et dicitur [*singuli*] quia non omnes vnam, sed vnusquisq; sibi congruam debet agere pœnitentiã, *Luc. 9. Si quis vult venire post me, abneget se ipsum, & tollat crucẽ suam quotidie, & sequatur me.* Nota dicitur quod in cithara tot sunt chordæ, quot mẽbra in homine: quia omnes debent tangi, quia omnia membra debẽt puniri, *Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Vel citharæ in pulsibus manuum suauiter sonãtes, apte bona significãt, quę proximos quasi quibusdam sonis ad cœlestẽ patriam excitant & inuitant. [*& phialas:*] i.e. corda lata & lucida: lata, per charitatem: lucida, per sapientiam. Phialæ dicuntur quasi hyalæ, ab hyali Græco, quod est vitreum: quia primo factum est vitreum inferius stricte, superius late. [*aureas:*] propter splendorem contemplationis. [*plenas odoramentorum:*] propter redundantiam orationũ. vnde subditur: [*quæ sunt orationes Sanctorum:*] Et dicitur deuota oratio *odor.*

† forte leg. inuestientes vel inuestientes.

Primo quia sicut odor circumquaq; se diffundit, & omnib. se communicat: sic sanctorũ oratio extendit ad omnes: & quanto odor est intẽsior, tanto est diffusior: sic oratio quanto deuotior, tanto communior & fructuosior: sicut dicit *Greg.* Gregorius.

Secundo quia sicut odoramẽta sursum ascendunt, ita orationes ad pręsentiam Dei attingunt. vel *phialæ* sunt corda lucida per charitatẽ. [*aureas*] per sapientiam; [*cœlestium odoramentorum plenas,*] sicut prius, per orationis deuotionem, *Cantic. 3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii.*

Vers. 9. Et cantabant canticũ nouum, dicentes, dignus es Domine, accipere librũ, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo, & natione.

[*Et cantabãt canticum nouum:*] pro beneficiis acceptis Deum laudando. [*nouum,*] quia de humani generis innouatione. vel [*nouum,*] quia de noua natiuitate, quæ fuit de matre sine patre.

Prima natiuitas fuit sine patre & matre, vt Adæ.

Secunda de viro sine matre, vt Euæ.

Tertia de patre & matre, vt Cain, & aliorum: hæc fuit de matre sine patre, *Iere. 31. Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* vel [*nouum:*] quia de reb. semper nouis, & nunquam veterascentibus, scilicet de reparatione & glorificatione generis humani cantatur. [*dicentes: dignus es Domine Deus noster:*] immunis à peccato & virtutib. plenus. [*accipere librum:*] id est, adimplere diuinam dispositionẽ, de redemptione generis humani. [*& soluere signacula eius:*] i.e. legis mysteria sub figuris tecta manifestare. [*qui occisus es:*] i.e: occidi præuisus: [*& redemisti nos:*] qui sub peccato detinebamur conclusi, *Ro. 11. Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur.* [*Deo:*] i.e. vt essemus Dei, qui prius eramus serui Diaboli, *Isai. 50. Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* [*in sanguine tuo.*] *1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* [*ex omni tribu & lingua, & populo & natione:*] tribus dicitur à tribus ordinibus gentium quæ ortę sunt de tribus filiis Noe, in quib. sunt 72. linguæ. In qualibet tribu sunt plures linguæ, & in qualibet lingua plures populi, & in qualibet populo plures nationes: & de qualibet aliqui sunt redempti. Ex omni enim natione quæ sub cœlo sunt congregati sunt electi, *Matth. 8. Multi ab occidente & oriente venient & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum.*

V. 10. Et fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terrã.

[*Et fecisti nos Deo nostro regnum, &c.*] i.e. regnantes spiritualiter, regnante in nobis Deo per gratiam, in quibus diabolus regnabat per culpam. [*& sacerdotes:*] i.e. offerentes nosipsos Deo. [*& regnabimus super terram:*] i.e. in terra. vel [*super terram,*] id est, carnem, eam spiritui subiicientes, *1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitute redigo.* vel [*super terram:*] quicquid terrenum vel malum est in nobis subiiciendo Deo.

Vers. 11. Et vidi, & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & seniorum: & erat numerus eorum millia millium.

[*Et vidi & audiui:*] Hic ponitur gratiarum actio ex parte Angelorum: & hoc facit primo. secundo colligit laudatores, & laudem diuinitati & humanitati exhibitam ponit: [*omnes audiui:*] vnde dicit: [*& vidi & audiui:*] id est, intellexi, ac si vidissem & audissem. [*vocem Angelorũ multorum:*] vox corporalis fit ictu aeris: vox spiritualis affectu deuotionis. [*Angelorum multorum:*] existentium sc. [*in circuitu throni:*] i.e. prælatorum. [*& animalium:*] i.e. prædicatorum. [*& seniorum:*] id est,

Doctorum. Cum Angeli mali circumeant Ecclesiam ad deuotandú, 1. *Pet. 5. Verisimile est quod boni circumeant ad defendendum. Psal. 90. Angelis suis mandabit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Isai. 62. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die & tota nocte perpetuo non tacebunt.* [*& erat numerus eorum millia millium :*] id est, multa millia. quanto plures, tanto maior attestatio, & maius gaudium. Non determinat hic quod millia essent, quia licet finitum est apud Deum, tamẽ hominibus est infinitum, *Iob. 25. Numquid est numerus militum eius? Dan. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*

Vers. 12. Dicentium voce magna: Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

[*Voce magna dicentium:*] id est, magna congratulatione. Nam si gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agenti, *Luc. 15. Quanto maius est gaudium eis de totius humani generis* † *saluatione.* [*Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere* † Salutatione M S.
virtutem:] Gl. id est, immunitatem à peccato. eam quidem semper habuit quoad se, sed eam nobis accepit merito passionis, quia à passione habet baptismus vim regenerandi, & alia sacramenta virtutem & efficientiam. vel quoad euidentiam accepit eam merito passionis. Simile, *Phil, 2. Propter quod exaltauit illũ Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* [*& diuinitatem;*] sc. quod sit Deus, etsi visus sit mortuus. [*& sapientiam:*] i.e. cognitionem omnium rerum, sicut verbum sibi vnitum. [*& fortitudinem:*] quia vicit Diabolum constans in passione. [*& honorem:*] in resurrectione. [*& gloriam:*] in ascensione. [*& benedictionem:*] in spiritus sancti missione.

V. 13. Et omnẽ creaturam, quæ in cœlo est, & super terra, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes, sedenti in throno, & agno, benedictio & honor, & gloria, & potestas, in secula seculorum.

[*Et omnem creaturam, quæ in cælo est:*] supple, dignus est accipere, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, Phil. 2.* [*& quæ super terram,*] i.e. terrestrium. [*& subtus terram,*] i.e. infernorum. [*& mare:*] ad literã, vel mundum, [*& quæ in eo sunt:*] vt pisces, qui sunt in mari. vel *in eo*: id est, in mundo: omnes creaturas. *Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* & *vlt. Data est mihi omnis potestas.* Vel tria prima referri possunt ad tres naturas in Christo: virtus, ad corpus. Corpus enim assumpsit sine infirmitate vitiosa. Diuinitas ad Deum, sapientia ad animã: quæ tria cócurrerunt in incarnatione. fortitudo potest referri ad passionẽ: honor ad resurrectionem: gloria ad ascensionẽ: benedictio ad aduentum ad iudicium; in quo dicet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, Matth. 15.* Vel sic: [*Dignus est Agnus, qui occisus est accipere*] à creatura eum laudante, quod habet secundum Diuinitatem per naturam, secundum humanitatem per gratiam, scil. [*virtutem*] vt Dei virtus prædicetur, [*& diuinitatem, & gloriam, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & benedictionem:*] vt sc. Deus sapiens, fortis, honorandus, gloriosus, & benedictus credatur & laudetur, [*& omnem creaturam, &c.*] per potestatem.

[*Omnes audiui:*] Hic colligit laudatores, & laudem diuinitati & humanitati exhibitam ponit dicens: [*omnes audiui,*] scilicet Angelos, Seniores. & animalia, [*dicentes sedenti in throno:*] id est, regnanti Trinitati. [*& Agno*] id est, humanitati vnitæ Deitati. vel [*sedenti in throno:*] id est, Patri. [*& Agno*] i.e. Filio. [*Benedictio, & honor, & gloria:*] quia benedictus, honorificandus, gloriosus, & glorificandus est singulariter. & potestas, quia potens est excellenter, [*in secula seculorum:*] id est, semper. vel sic secundum *Glossam:* [*Benedictio,*] id est, exaltatio sit ei. [*& honor:*] id est, impassibilitas. [*& gloria:*] id est, immortalitas in resurrectione. [*& potestas:*] quod subiectionem omnium. [*in secula seculorum:*] id est, in æternum. Vel sic: secundum aliam *Glossam*: [*Benedictio:*] id est, augmentatio, quam habeamus in bonis operibus: [*& honor:*] qui inde sequitur: [*& gloria,*] de virtutibus, quas in baptismo accipimus: [*& potestas,*] qua concupiscentiis resistimus, non nobis, sed tibi tribuatur.

V. 14. Et quatuor animalia dicebant, Amen. Et viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas: & adorauerunt viuentem in secula seculorum.

[*Et quatuor animalia:*] id est, vniuersi prædicatores [*dicebant Amen:*] Congratulationi & testimonio Angelorum præbentes assensum & confirmationem: [*Amen*] enim nota est consensus & confirmationis. *Gloss.* Ad prædicatores conuenit ex officio suo alios confirmare. Distinguitur tamen duplex confirmatio: vna quæ est auctoritatis, quæ fit per ratificationem: & hæc est maioris in minores, vt Metropolitanus confirmat electionem Episcoporum. Alia est per approbationem & consensum, quæ pertinet ad minores, de qua hic agitur. *Amen* enim responsio est minorum & finis orationis, 1. *Corinth. 14. Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas nescit.* [*Et viginti quatuor Seniores;*] id est, vniuersi doctores, id est, vniuersi iudices Ecclesiæ. [*ceciderunt in facies suas & adorauerunt:*] Dum enim diuinam maiestatem audiunt omnibus creaturis eminere. & Angelicis spiritibus prædicabilem & laudabilem esse, nequaquam de prælatione sua debent superbire, sed semetipsos humiliare, & creatori & redemptori Deo venerationem debitam impendere. Homines qui habent alios iudicare, non debent ex hoc superbire, sed attendere, quia habent iudicem in cœlo, *Sapient. 6. Iudicium durissimum in his, qui præsunt fiet.* Libri communiter habent, [*& adorabant viuentem in secula seculorum,*] litera tamen correcta non habet *viuentem*, &c. Viuens in secula seculorum Christus est, qui viuit in se in æternum, & dat aliis vitam, *Iohan. 5. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.* & 14. *Quia ego viuo & vos viuetis.*

Cap. VI.

Vers. 1. Et vidi quod aperuisset Agnus vnum de septem sigillis, & audiui vnum de quatuor animalibus, dicens tanquam vocem tonitrui, veni, & vide.

[*Et vidi quod aperuisset Agnus vnum de septem sigillis, &c.*] Hic incipit quarta pars secundæ visionis, quæ est de apertione septem sigillorum, id est, reuelatio status vniuersalis Ecclesiæ. Septem verò sigilla sunt septem secreta quoad statū Ecclesiæ: & hæc pars continet hoc sextum & septimum capitulum: & diuiditur in septem partes secundum numerum sigillorum, & septem status Ecclesiæ. Quatuor sigilla prima respiciunt statum Ecclesiæ præsentem & præteritum, tria vltima statum finalem.

Et primum quidem sigillum respicit primum statum Ecclesiæ, tempus conuersationis Christi in terra, ibi: *& ecce equus albus*. tria autem sequentia respiciunt tres status Ecclesiæ, qui sunt à tribulatione sen tentatione. Et

Primo tribulatur Ecclesia à diabolo, per martyricidas, per inordinationem potentiæ, qui designantur in equo rufo: *& exiuit alius equus rufus*.

Secundo tentatur per apparentiam sapientiæ per hæreticos, qui designantur in equo nigro: *& cum aperuisset sigillum tertium*.

Tertio tentatur per falsos fratres sob simulatione sanctitatis, qui designantur in equo pallido, ibi: *& cum aperuisset sigillum quartum*.

Dicit ergo: [*Et vidi.*] Descripto mysterio redemptionis humanæ, subduntur hic merita instorum, persecutiones reptoboruni: & agitur hic primo de ortu & statu Ecclesiæ renascentis per baptismum de vetustate vitæ ad nouitatem: vnde dicit: [*& vidi:*] oculo interiori. [*quod aperuisset Agnus vnum de septem sigillis*] vel signaculis: id est, quod compleuisset quicquid de ipso vsque ad ascensionem vel potius Spiritus sancti remissionem in veteri lege signatum fuerat; id est, obscure prædictum. Primum sacræ Scripturæ signaculum Christus aperuit, dummodo mundum redimendo, & primitiuæ Ecclesiæ dona Spiritus sancti infundendo, primæ promissionis primordia vsque ad illud tempus latentia in se completa ostendit. [*Et audiui:*] auditu interiori. [*vnum de quatuor animalibus:*] nota voces quatuor animalium.

Primum aduocat ad contemplationem primi status Ecclesiæ, & ad contemplandam Christi incarnationem: & hoc conuenit Matthæo, cui ascribitur facies hominis.

Secundū aduocat ad contemplationem passionis Ecclesiæ per martyricidas, quod conuenit Lucæ, cuius est forma vituli, qui est animal † immolandum aptum.

† forte supplead.

Tertium aduocat ad contemplationem errorum in hæreticis, & veritatis in prędicatorib. sanctis, quod conuenit Iohanni, cuius est facies aquilæ, propter acumen contemplationis veritatis.

Quartum animal aduocat ad contemplationem simulationis hypocrisis, vbi datur excellentia potestatis multiplicis tentationis, contra quā necessaria est fortitudo, quod competit Marco; cuius est facies leonis. Vel primum animal in hac visione simile leoni Marcus appellatur, qui in principio Euangelij sui de resurrectione mentionem fecit, & eiusdem resurrectionis prædicatores signauit. Rectè ergo in apertione primi sigilli dicit, quod ei primum animal locutum sit, quia primus ordo prædicatorum in nouo Testamento resurrectionem corporalem, & renascentis Ecclesiæ resurrectionem circumquaque prædicauit. [*dicens tanquam vocem tonitrui:*] quia terribiliter, euidenter, & mirabiliter. [*& veni:*] per attentionem. [*& vide:*] per intelligentiam spiritualem. vel [*veni,*] vmbras abiiciendo. & [*vide,*] rei completæ veritatem intelligendo.

Vers. 2. Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona.

[*Et vidi, & ecce equus albus:*] id est, primitiuorum electorum numerus à peccatis vnda baptismatis purificatus, & donis spiritualibus super niuem dealbatus, *Psalm. 50. Lauabis me & super niuem dealbabor.* Et dicitur equus propter securitatem in pugna tribulationum, *Iob. 39.* dicitur de equo: *Audacter in occursu pergit armatis: contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Item propter velocitatem discursus prædicationis, *Abac. 1. Velociores equi eius*, id est, prædicatores hæreticis. Item, propter ductibilitatem obedientiæ, *Iacob. 3. Equis frenos in ora injicimus ad consentiendum nobis.* Sed sella eius est iustitia, cui insidet Christus, *Psalm. 88. Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Hest. 6. Homo quem rex honorare cupit debet indui vestibus regiis & imponi super equum, qui de sella regis est.* frænum, obedientia: calcaria, quibus stimulatur equus, amor & timor. albus dicitur equus iste propter innocentiam, & maiorem accessum ad lucem gloriæ. Albedo enim inter omnes colores magis participat de lumine. [*& qui sedebat super illum:*] Christus scilicet rector eorum. [*habebat arcum:*] id est, Scripturam sacram, cuius prædicatione Ecclesia defenditur, & hostes Ecclesiæ occiduntur, de quo *Iob. 29. Arcus meus in manu mea instaurabitur.* Arcus habet lignum durum, & chordam mollem, quæ lignum durum inflectit: sic Euangelium suaue, legis duritiam inflectit. vel chorda mollis potest intelligi misericordia: lignum, iustitia quæ à misericordia inflectitur. Quales habere debeant hunc arcum, & portare ipsum, dicitur *Genes. 9. Ponam arcum meum in nubibus cœli:* id est in his, qui sunt à terra eleuati, per contemptū terrenorum, & desiderium æternorum, aquosi per compunctionem, pluuidi per vtilem & fructuosam prædicationem, coruscantes per bonam operationem, comantes per discretam comminationem, lucidi per cognitionem, *Isai. 60. Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* [*Et data est ei:*] scilicet sessori tenenti arcum. [*corona:*] id est, vniuersitas fidelium, qui adhæserunt ei, vt corona capiti, *Psalm. 7. Synagoga populorum circumdabit te.*

V. 3. Et exiuit vincens vt vinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal, dicens, veni, & vide.

[*Et exiuit:*] de angustia Iudææ. [*vincens:*] paucos scilicet de Iudæis conuertens ad fidem. [*vt vinceret:*] in gentibus conuertendo quos volebat eligere. Vel sic: [*Data est ei corona:*] id est, corporis stola. [*& exiuit:*] de hoc mundo per ianuam mortis. [*vincens,*] ipsam mortem, vt vinceret infernū spoliando ipsum, *Ose. 13. Morsus tuus ero inferne.* Christus habet arcum vt malos vulneret; coronam, vt bonos coronet. de arcu *Matth. 25. Ite maledicti.* de corona ibidem: *venite benedicti.* habet arcum per potentiam diuinitatis: data est ei corona per glorificationem humanitatis, quotidie

tidie etiam corona ei datur, quando in electis ſuis coronatur.

[*Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum:*] Hic agit de ſtatu Eccleſiæ, qui fuit tempore martyrum. Apertio huius ſecundi ſigilli eſt prædicatio paſſionis Chriſti, quæ in lege erat ſigillata, id eſt, occulte prædicta. Apertio vero huius ſigilli recte ſequitur apertionem prædicti... ſigilli, quia prædicata reſurrectione Chriſti, per quam Chriſtum innotuit eſſe Deum, multi de Iudæis crediderũt: quibus inuidens Diabolus, quod homines aſcendebant illuc, vnde ipſe ceciderat, mouit contra eos graues perſecutiones, quæ à morte Stephani inceperunt, *Actor.7.* Vnde oportuit diſpergi credentes inter Gentes, vbi graues ſuſtinuerũt moleſtias. propter quod neceſſe fuit prędicare mortem Chriſti, vt exemplo eius non timerent mori pro eo, qui mortuus fuerat pro ipſis.

Dicit ergo: [*Et cum aperuiſſet ſecundum ſigillum:*] Per apertionem huius ſecundi ſigilli poteſt intelligi euidens demonſtratio ſacri eloquij de perſecutione Diaboli, & effuſione ſanguinis martyrum ibi. Vnde ſenſus eſt: [*& cum aperuiſſet, &c.*] id eſt, cum creſcente gratia amplius cœpiſſet exhiberi promiſſio diuina & manifeſtari, quod promiſſum erat in ſcriptura. [*audiui ſecũdum animal:*] In hac viſione ſecundũ animal ſimile vitulo Lucas extitit, qui in principio Euangelij ſui, paſſionem Chriſti inſinuauit: & in hac viſione cœtum rum prædicatorum temporibus martyrum prædicantium paſſionem Chriſti & exhortantium fideles ad imitationẽ ipſius ſignauit dicens: [*veni:*] aſcendendo. [*& vide:*] intelligendo. In eo quod dicitur iterum *veni & vide*, deſignatur promotio ſpiritualis viſionis.

Verſ.4. Et exiuit alius equus rufus: & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.

[*Et exiuit:*] Ab occulta ſcilicet malitia cordis in apertam ſæuitiam operis. *Pſalmo 7. Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* [*alius equus rufus:*] in illo equo rufo intelligitur crudelis cœtus tyrannorum ſanguine martyrum cruentatus, *Zach. 1. Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum.* [*& qui ſedebat ſuper eum:*] ſcilicet Diabolus, qui tyrannos regit, & ducit. [*datum eſt ei:*] id eſt, permiſſum eſt ei adeo, [*vt ſumeret:*] id eſt, tolleret, [*pacem de terra:*] id eſt, quietem mentis auferret, ab hominibus terrenis, illata perſecutione: cuius perſecutionis crudelitas à tempore Neronis incepit, & vſque ad tempus Conſtantini non quieuit. [*& vt inuicem ſe interficerent:*] ſubauditur homines. Interficiebant enim alij alios, ad literam gladio materiali, ſiue per malam ſuaſionem gladio ſpirituali, *Matth. 10. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filii in parentes & morte afficient eos. Iohan. 16. Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* [*Et datus eſt illi gladius magnus:*] Hic oſtenditur quantitas tormenti: & vocatur gladius magnus poteſtas magna perſequendi, & quoad
›› multitudinem occiſorum: Quia intra ſolam vr-
›› bem Romanam quodam tempore impiiſſimi
Nota. ›› Diocletiani ſeptemdecim millia Martyrum pro
›› Chriſto cæſa leguntur: & quod magnitudinem perſonarum, quæ occiſæ ſunt, quia ytiliores & maiores, ſcilicet rectores & ſuſtentatores fidelium occiſi ſunt, vt Petrus, & cæteri Apoſtoli.

Ver. 5. Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium animal, dicens, veni, & vide. Et ecce equus niger: & qui ſedebat ſuper illum, habebat ſtateram in manu ſua.

[*Et cum aperuiſſet ſigillum tertium:*] Hic determinatur de apertione tertij ſigilli, vnde dicit: [*& cum aperuiſſet ſigillum tertium:*] id eſt, cum ſecundum temporis proceſſum magis ac magis in ſcriptura aperiri & cognoſci cœpiſſet effectus diuinæ promiſſionis, & profectus humanæ ſaluationis. Vnde apertio tertij ſigilli eſt maior cognitio eloquij myſtici. [*audiui tertium animal:*] In hac viſione tertium animal habens faciem quaſi hominis Matthæus extitit, qui de humanitate Chriſti temporibus prædicatorum veram humanitatem Chriſti temporibus hæreticorum ſua prædicatione atteſtantium ſignauit dicens: [*veni*] [*veni & vide:*] ſicut prius. [*& ecce equus niger:*] Cernens Diabolus per apertam aſſecutionem ſe nequaquam profeciſſe, ſed magis defeciſſe, ad nocendum argumenta quæſiuit: & qui ſeruorum Dei numerum per manifeſtam perſecutionem tyrannorum inimicus... non potuit, per occultam hæreticorum malitiam infirmare tentauit. Vnde dicit: [*& ecce equus niger:*] id eſt, hæreticorum numerus virtutibus ſimulatis & operibus ſua vitia occultans, & ſic intuentibus obſcurus. Et notandum quod nigredo inter omnes colores maxime recedit à luce; & hæretici multum diſtant à veritate, & ideo merito per equum nigrum deſignantur. [*& qui ſedebat ſuper illum:*] ſcilicet Diabolus. [*habebat ſtateram in manu ſua:*] Statera in manu Diaboli habere dicitur, quia diſcretio & intelligentia quam hæretici in ſcriptura ſe habere dicant, diabolo aſcribitur: quaſi malitiam aduerſus fideles conceptam, quam ſuper equum rufum ſedendo implere non potuerit, ſuper equum nigrum ſedendo perficere tentauit. Et notandum quod impietas hæreticæ prauitatis maxime à diebus Conſtantini Magni, temporibus ſequentium Imperatorum pullulauit. Statera ſine pondere de facili mouetur huc & illuc: & Scriptura huc & illuc fluctuat, ſi auctoritas ſanctorum expoſitorum ei deficiat. Statera per aſtutiam falſi mercatoris male poteſt inclinari: ſic ſcriptura per aſtutiam falſi doctoris male poteſt exponi.

Verſ.6. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium. Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læſeris.

[*Et audiui:*] ſecundum *Gloſſam*, In pugna hæreticorũ maius imminet periculum, vnde dicitur: miſeratio contra maius periculum maius ſoleat adhibere ſolatium. Hic promittitur auxilium: vnde dicit: [*& audiui tanquam vocem Angeli:*] ſcil. exiſtentis, [*in medio quatuor animalium:*] i.e. Chriſti vocem, qui in medio prædicatorum eſt, vt doctor eorũ. Vel vox in medio quatuor animalium eſt commune Euangeliſtarum & prædicatorum teſtimonium dicentium: [*Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denario vno:*] Denarius eſt fides

des habens ex vna parte impressam Dei imaginem ex alia parte crucem. fides enim est de diuinitate & de passa humanitate. [*triticum*] quod est cibus filiorum significat nouum Testamentum. Bilibris vero est vas capiens duas libras: vna libra est sensus literalis, alia est sensus spiritualis. Bilibris ergo est continentia noui Testamenti, quoad literalem sensum & spiritualem, quæ datur Ecclesiæ denario vno, id est, vnitatis fidei merito. [*& tres bilibres hordei denario vno:*] hordeum habens exterius corticem durum, interius medullam suauem, quod est cibus iumentorum vetus Testamentum designat, in quo duæ libræ sunt sensus historicus & spiritualis. tres autem bilibres dicuntur esse hordei, quia vetus Testamentum secundum Hebræos tripartitum est, scilicet in Legem, hagiographa & Prophetas: vel Legem & Psalmos & Prophetas. In qualibet vero harum partium est intelligentia spiritualis & literalis. Tres ergo bilibres hordei sunt denario vno, quia intelligentia veteris Testamenti habetur vnitatis fidei merito: quasi dicens: ne timeatis fideles, quamuis videatis illos qui volunt vos præcipitare in diuersas hæreses, quia non poterunt vos lædere, nec annonam sacræ Scripturæ vobis minuere, si in fide perfecta volueritis stare. In denario etiam, in quo computatio perfectionis finem facit, apte accipitur fidei perfectio. [*& vinum & oleum ne læseris:*] tu scilicet qui sessor es equi. & insinuatur hic tentationis refrænatio. Per vinum intelligere possumus prædicatores bonos, qui male viuentes mordaciter increpāt: per oleum vero † eosdem, in quantum pusillanimes suauiter consolantur. Vel per vinum potest intelligi legis austeritas: per oleum Euangelij suauitas: quæ læduntur, cum praue intelliguntur. † Eodem MS.

Vers. 7. Et cum aperuisset sigillū quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis, veni & vide.

[*Et cum aperuisset sigillum quartum:*] Postquam antiquus hostis se intellexit, nec principum persecutione, nec hæreticorum prauitate contra Ecclesiam se posse proficere, quia Ecclesia quanto magis aduersis atteritur, tanto magis virtutibus roboratur, falsos fratres, in hypocrisin ambulantes subintroducit, & per eos quasi domesticus secretius fideles turbare tentauit, vnde dicit: [*& cum aperuisset:*] Agnus scilicet. [*sigillum quartum:*] id est, secreta status quarti. Apertio sigilli quarti demonstratio maior est sacramenti. [*audiui vocem quarti animalis dicētis, veni & vide.*] Quartum animal est Ioannes, qui similes aquilæ, summæ diuinitatis immortalitatem cæteris omnibus altius intellexit, & ordinem prædicatorum æternitatem & immortalitatem Deitatis prædicantium contra hypocritas designauit.

Vers. 8. Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.

[*Ecce equus pallidus:*] id est, cœtus hypocritarum per nimiam carnis afflictionem pallidus & moribundus, in quo diabolus sedet: quia dominando hypocrisis per prauam intentionē malitiam suam per eos exercet. Vnde subditur: [*& qui sedebat super eum:*] vt ductor & rector. [*nomē illi mors:*] scilicet Diabolus, qui bene mors dicitur, quia per eum mors incœpit, & alios ad mortem trahere non desinit, *Sap. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* [*& infernus:*] id est, damnandi in inferno. [*sequebatur eum,*] id est, imitabatur eum, *Sap. 2. Imitantur eum qui sunt ex parte illius.* Vel infernus dicitur sequi Diabolum, quia quos ille decipit, ille recipit. [*& data est illi potestas:*] non mala voluntas. [*super quatuor partes terræ:*] id est, super homines qui in quatuor mūdi partes morantur: scilicet oriente, occidente, meridie, septentrione. vel [*super quatuor partes terræ:*] id est, super quatuor genera hominum qui sunt in terra: scilicet Iudæos, Gentiles, hæreticos & falsos Christianos. Vel *moraliter* super quatuor partes terræ, id est, super illos qui † *super* quatuor cordis affectiones, scilic. timorem, amorem, gaudium, dolorem habent circa terrena, de quibus *Bernardus:* Timent quæ non oportet, timent quæ non decet, gaudent vane, dolent, quia vanius super hos habet potestatem diabolus, *Iob. 9. Terra data est in manum impij.* vnde subditur. [*interficere gladio:*] scilicet materiali, vel malæ suasionis vel peccati, *Eccl. 21. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius nō est sanitas.* [*& fame:*] i.e. defectu verbi diuini. *Amos 8. Mittā famem in terram:* non famē panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. [*& morte:*] id est, languore corporis, vel doctrina mortifera, de qua *Psalm. 13. Venenum aspidum sub labiis eorum.* [*& bestiis terræ:*] i.e. principibus mundi, qui pauperes deuorant, *Psalm. 73. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* † forte super redundat. Bernardus.

V. 9. Et cum aperuisset sigillum quintum: vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant.

[*Et cum aperuisset sigillum quintum:*] Postquam egit de quatuor sigillis, quæ respiciunt præsentem statum Ecclesiæ, & etiam præteritum, hic agit de aliis tribus, quæ respiciunt finalem & futurum Ecclesiæ statum, & in quinto quod primum est ostenditur desiderium animarum de mundi consummatione ante tempus Antichristi. In sexto aperitur tribulatio hominum, & consolatio pro tempore Antichristi: [*Et cum aperuisset sigillum sextum,*] in septimo aperitur pax quæ restituetur Ecclesiæ post, aliquantulum post mortem temporis Antichristi: [*& cum aperuisset sigillum septimum:*] in fine sequentis capituli.

Dicit ergo: [*Et cum aperuisset:*] Agnus scilicet. [*sigillum quintum:*] Apertio sigilli quinti est euidentior eorum in Scriptura sacra prædicti † ..... Persecutionibus vero prædictis superius descriptis, ne audientium corda deficerent consolatur hic dicta miseratio sanctos multipliciter. † supple sc. [illegible] pro.

Primo per hoc quod animas interfectorum pro Christo dicit esse Iohannes sub altari Dei, id est, sub eius protectione.

Secundo quia videt eas stola decoratas.

Tertio quia † auditur promissio de implendo eorum desiderio, & de saluatione conseruorum & fratrum. Et bene potest intelligi per hoc sigillum quintum consolatio animorum in ætate septima quiescentium, quæ prius occulta erat, sed Iohanni ostensa, & per eum Ecclesiæ reuelata, & sic apertum est sigillum. Vnde subdit: [*vidi subtus altare Dei:*] id est, sub Christi protectione. † Auditum MS.

[*ani-*

[*animas interfectorum propter verbum Dei:*] i.e. propter præceptum quod implebant, vel [*propter verbum Dei:*] id est, filium Dei, quem confitebantur. [*& propter testimonium quod habebant:*] quia prædicando aliis attestati sunt, *Act. 4. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*. Christus dicitur altare super quo oblationes & sacrificia Deo patri offeruntur. Vnde fere omnes orationes Ecclesiæ per ipsum terminantur. Infra 8. Alius Angelus venit & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Christus est altare terreum, ratione humanitatis; lapideum, ratione incommutabilis Deitatis. De vtroque dicitur *Exod. 20.* Sub hoc altari animæ dicuntur esse, vt ostendatur Christus eas protegere & sustinere. Vel dicuntur esse subtus altare, quia sub Christo sunt, quasi membra sub capite, per humilitatem se ei subiicientes, & per charitatem ei adhærentes. Vel dicuntur esse sub altare Dei, quia absconditæ sunt in Deo, quia nemo in hac vita videt quomodo sunt ibi.

Vers. 10. Et clamabant voce magna, dicentes, vsquequo Domine (sanctus & verus) non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra.

Obiectio. [*Et clamabāt voce magna:*] i.e. magno desiderio: de quo clamore, *Psal. 33. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationib. eorum liberauit eos.* Sic Moyses, *Exo. 14. Quid clamas ad me?* [*dicentes, vsquequo Domine:*] qui potes omnia. [*sanctus,*] in temetipso. [*verus,*] in promisso. [*sanctus,*] odiendo iniquitatem. [*verus,*] soluendo promissionem. [*vsquequo non vindicas sanguinem nostrum:*] id est, effusionem sanguinis nostri, inferēdo pœnas debitas interfectoribus nostris.

Obiectio. Sed secundum hoc videtur quod sancti quærant vltionem de hostibus suis, contra illud, *Leuit. 19. Non quæres vltionem nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. 1. Pet. 3. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed contrario benedicētes.*

Responsio. Resp. Sancti desiderant iudicium ad iudicium & iustitiam impleri, nō quia pœnas reproborum sitiant, sed quia desiderant bonorum cōsortium, & minorem pœnam reproborum. sciunt enim eos minus puniri, quāto magis subtrahitur opportunitas peccandi. Nolunt ergo vindictā ex amore vel odio pœnæ, sed ex charitate & amore iustitiæ. Lætabitur enim iustus cū viderit vindictam, iustitiæ Dei congratulando, & voluntatem suam voluntati Dei conformando. Ad amorem autem & expressionem desiderij eorum repetit idem verbum dicens: [*& vsquequo,*] scilicet non vindicas, [*de his qui habitant in terra,*] non solum corporis habitatione, sed etiam mentis affectione. *Infra 8. Væ, væ, væ, habitantibus in terra.*

Vers. 11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi.

[*Et data sunt illi:*] id est, sanctis clamantibus. [*singula stola alba:*] id est, vnicuiq; beatitudo animæ, secundum *Glossam.* [*& dictum est illis:*] id est, à Deo inspiratum. [*vt requiescerent:*] patienter expectando. [*tempus adhuc modicum:*] quia breuis est † occursus totius temporis respectu æternitatis, *Iohan. 16. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem.* [*donec compleatur numerus conseruorum:*] eorum qui eundem habent Dominum. [*& fratrum eorum:*] qui habent eundem patrem Deum. Expectandi sunt conserui amore Domini; expectandi sunt etiam fratres fraterno amore. [*qui interficiendi sunt sicut & illi:*] id est, eadem causa qua illi, scilicet propter verbum Dei, & testimonium Christi. † forte cursus.

Vers. 12. Et vidi, cū aperuisset sigillum sextum: & ecce terræmotus magnus factus est, & sol factus est, niger tanquam saccus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis.

[*Et vidi cum aperuisset sextum sigillum:*] Hic aperitur status Ecclesiæ tempore Antichristi, vsque prope finem sequentis capituli. & ostenduntur duo: primo tribulatio Ecclesiæ tempore Antichristi. secundo consolatio: [*Et vidi alterū Angelum ascendentem:*] Circa ostensionē tribulationis, primo ostenditur immutatio superiorū & inferiorum, terræ scil. & solis. secundo immutatio mediorum, & aeris: [*post hæc vidi quatuor Angelos:*] in principio sequentis capituli. In prima parte tanguntur quatuor.

Primo immutatio facta in terra: *terræmotus factus est.*

Secundo immutatio facta in sole: *& sol factus est niger.*

Tertio immutatio facta in montibus & in insulis: *& omnis mons & insula.*

Quarto immutatio facta super homines: *reges terræ & principes terræ.* Quæ distinguūtur hoc modo: tria prima pertinent ad immutationem quæ erunt in † donis tempore Antichristi: vltimum ad immutationem, quæ erit in malis secundum vnam expositionem, vt dicetur in sequentibus. † forte bonis.

Dicit ergo: [*Et vidi cum aperuisset sigillū sextum:*] Notandū quod Ioannes dum appropinquat fini visionis, videt & narrat ea quæ ventura sunt circa finem temporis, scilicet circa tribulationem in diebus Antichristi venturam, & tyrannidem diaboli Christi imperio refrænatam. Duplici vero ratione prædicitur à Iohanne illa magna tribulatio: primo (vt ex consideratione illius † moderni asseritur).... ad tolerationem præsentium, quæ in eius comparatione quasi nihil sunt: secundo vt cum venerint minus grauent. quia secundum *Gregorium*, minus feriunt iacula, quæ præuidentur. ideo dicit: [*& vidi:*] oculo mentis. [*cum aperuisset:*] scilicet Agnus [*sigillum sextum:*] id est, temporis sequentis arcanum statum, scilicet Ecclesiæ, futurum tempore Antichristi. [*& ecce:*] nota est admirationis. [*terræmotus factus est magnus:*] Potest hoc intelligi ad literam, *Agg. 2. Adhuc modicum & mouebo cælum, mare & aridam. Mattha. capite vicesimoquarto: Et erunt pestilentiæ & fames & terræmotus per loca.* Vel sic: [*terræmotus:*] id est, terrena diligentium. [*motus factus est magnus:*] magnus enim motio terrena diligentium facta est contra sanctos. Et bene dicitur *magnus*: quia licet semper terrenorum amatores moueantur contra bonos, tunc tamen crudelius insurgent in eos, † forte à modernis. Gregorius.

Matth.

Matth. 24. Consurget gens in gentem, regnum in regnum. [*& sol factus est niger tanquam saccus cilicinus:*] Potest hoc intelligi de obscuratione solis ad literam, *Ioel. 2. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Vel potest hoc exponi de sole iustitiæ, Christo scilicet, de quo *Malachiæ vltimo: Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius:* qui tūc fiet niger, tanquam saccus niger cilicinus, quia tunc nec miraculis nec prædicatione clarescit: immo Antichristus & sui multa miracula facere videbuntur, & ideo multa mouebuntur, *Matth. 24. Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* [*& luna:*] id est, Ecclesia à sole Christo illuminata, [*tota facta est sicut sanguis:*] vbique enim patietur Ecclesia persecutionis crudelitatem & effusionem sanguinis, *Ioel. 2. Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis.* Vel [*luna tota fiet sicut sanguis,*] quia malorum reputatione tota Ecclesia, scilicet secundum statum sui peccatrix est. Peccatum enim in sanguine intelligitur, *Ose. 4. Sanguis sanguinem tetigit.*

Vers. 13. Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum à vento magno mouetur.

[*Et stellæ cœli ceciderunt super terram:*] quia multi qui videbantur esse † simile per fidei claritatem, & cœlestem conuersationem, cedent per infidelitatem, & impietatis perpetrationem, [*sicut ficus emittit grossos suos:*] *Interlinearis:* id est, inanes fructus. nullum enim permittit Deus cadere, qui ei seruiat vero amore. [*cum à vento magno mouetur:*] Innuitur hic quod magna persecutio erit tempore Antichristi: vnde multi tunc cadent, sicut grossi de facili cadunt ad magnum ventum.

† *forte stella.*

Vers. 14. Et cœlum recessit sicut liber inuolutus: & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt.

[*Et cœlum:*] id est, Ecclesia, virtutibus stellata, lucens sapientia, conuersatione alta, [*recessit:*] id est, recedet à malis, fide & opere eis dissimilis. [*sicut liber inuolutus:*] quia se occultabit, & cœlestia sacramenta sibi commissa celabit. Vel [*cœlum:*] id est, Euangelica doctrina. [*recessit:*] id est, recedet tunc à sanctis, quia præ nimia tribulatione cessabit tunc prædicatio, sicut verba libri signati. [*& omnes montes:*] id est, omnes alti eminentia virtutum. [*& omnes insulæ:*] id est, fluctibus percussionum † cessati. .... [*de locis suis motæ sunt:*] separabunt enim se fide & opere à malis.

† *tu si: legit Glossa.*

Vers. 15. Et reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber, absconderunt se in speluncis & in petris montium.

[*Et reges terræ:*] id est, illi qui vel se vel alios norunt regere. [*& principes:*] qui sciunt principari. [*& tribuni:*] qui tribus regunt. [*& diuites,*] operibus virtutum. [*& fortes,*] contra impetus tentationum. [*& omnis seruus & liber:*] quantum ad conditionem, & quantum ad coniugij copulationem, aut libertatem. [*absconderunt se:*] id est, abscondent se. [*in speluncis & petris montium:*] imitando secretam & firmam conuersationem sublimium sanctorum.

Vers. 16. Et dicunt montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.

[*Et dicent montibus & petris:*] id est, sublimibus & firmis sanctis. [*cadite super nos:*] per piam affectionem. [*& abscondite nos:*] per vestram intercessionem. [*à facie:*] id est, ab animaduersione. [*sedentis super thronum:*] id est, regnantis diuinitatis. [*& ab ira agni:*] scilicet hominis.

Possunt tamē quædam de his, quæ dicta sunt, ad literam intelligi. vt scilic. homines in illis diebus in speluncis & petris præ timore sint se absconsuri: sicut dicitur de sanctis primitiuis, *Hebr. 11. In solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. Isai. 26. Abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio mea.* Et à montibus & petris volent aperiri: & causa huius desiderii subditur cum dicitur.

Vers. 17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?

[*Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum:*] id est, dies iudicii, quando Dominus iram suam ostendet malis, *Psalm. 89. Quis nouit potestatem iræ tuæ. & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* [*& quis poterit stare?*] nisi, secundum *Glossam*, vestris adiutus precibus: non quod tunc valeant preces sanctorum, sed quia modo non valent, vt tunc possint homines † .... securi. De hac die *Malach. 3. Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Isai. 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum.*

† *forte supple, esse.*

Potest etiam aliter exponi à loco illo: [*Et ecce terræ motus:*] Vt vt ostendi dicatur hic immutatio in bonis, secundum tres status. Primo enim ostenditur immutatio in actiuis, quæ signatur in *terræ motu.* Terra enim dicuntur actiui, propter proprietatem supportandi: apportant enim alios. Item, propter germinationem, qua producunt bona opera, *Heb. 6. Terra super se venientem bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo.* Motio ergo terræ est actiuorum tribulatio. Terræ motus generantur ex vehementi impulsu venti subterranei. Secundo ostenditur immutatio in contemplatiuis, qui designantur per *solem, lunam & stellas.* vt *solem* dicamus religiosos: *lunam*, clericos: *stellas*, laicos contemplatiuæ vitæ intentos. Cum ergo dicitur quod [*sol factus est niger tanquam saccus cilicinus,*] in *nigredine* intelligitur defectio vilitatis, & priuatio honoris. in *sacco*, defectus est penuria paupertatis, & priuatio opulentiæ. In hoc quod dicitur, [*Luna tota facta est vt sanguis,*] intelligitur quod clerus opertus sit sanguine peccati vel miseria corporalis afflictionis. In hoc quod dicitur, [*stellæ cœli de cœlo ceciderunt,*] intelligitur ruina laicorum contemplatiuorum de cœlesti conuersatione ad terram, [*sicut ficus emittit grossos suos:*] id est, fructus præmaturos, vel primarios, per quos designantur imperfecti, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. vnde subditur: [*cum à vento magno mouetur:*] à vento inquam tentationis. Tertio ostenditur in prælatis immutatio, cum subditur: [*omnes montes & insulæ motæ sunt de locis suis:*] Prælati dicuntur montes pro tempore prosperitatis, in quo primi accipiunt lumen veri solis & transfundunt ad valles, id est, ad subditos, *Psalm. 75. Illuminans tu mirabiliter*

rabiliter

rabiliter à montibus æternis. Item quia supra terram eleuantur, *Ezech. 1. Cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rota.* Pro tempore vero aduersitatis dicuntur *insulæ*, quasi ex omni parte fluctibus concussi fiant immobiles. Montes dicuntur prælati, propter vitæ eminentiam: Insulæ, propter constantiam.

[*Et reges terræ:*] ostensa immutatione, quæ erit in bonis, ostendit immutationem, quæ erit in malis. & primo illam quæ erit in superbis, quæ triplex erit, secundum tria, de quibus superbiunt: vita, potentia, scientia. Superbiens de vita designatur in rege. Regis nomen dictũ est à regendo: vnde signat illum qui superbit de regimine vitæ. Nomen principis dicitur à principando, vnde signat illũ, qui superbit de potestate. Tribunorum vero erat iudicare, *Exod.* 18. Vnde per tribunos, signantur illi qui gloriantur de scientia. Deinde ostenditur immutatio in cupidis, cum subditur, [*diuites:*] in possidendo. [*fortes*] in aliorum expoliatione.

Deinde ponitur immutatio in carnalibus cum subditur, [*& omnis seruus & liber:*] carnalis, seruus est libidinis: [*liber*] à lege rationis. [*absconderunt se in speluncis & petris, &c.*] In speloncis intelligitur obtenebratio intellectus: [*in petris.*] obstinatio affectus. [*& dicunt montibus & petris, &c.*] Per montem intelligitur quodlibet pondus tribulationis, quo vellet opprimi, vt possint à facie iudicis abscõdi.

Cap. VII.

Vers. 1. Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neq; in vllam arborem.

[*Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, &c.*] Ostensa immutatione superiorũ & inferiorum, hic ostenditur immutatio mediorum, scil. aeris, & aliquarum impressionum eius. & tangitur hic de quatuor Angelis tenentibus ventos, per quos intelliguntur dæmones tentantes homines tempore Antichristi, & prædicationem impedientes. Sic autem continuat Glossa partem istam præcedentibus: Multiplici Ecclesiæ bello descripto, subiicit tempore huius belli Diabolum nocere paratum, sed à Deo refrænatum, ne sui aliquatenus torpeant vel desperent.

Dicit ergo: [*Post hæc vidi:*] oculo cordis. [*quatuor Angelos:*] Glossa. Angelos diabolus, id est, missus & ad probationẽ bonorum, & deceptionem malorum: quod debet intelligi permissiue à diabolo principe ad subuersionẽ cunctorum. Quatuor vero dicũtur pro quatuor mundi partibus, in quibus nocent, item quia prædicationem quatuor Euangelistarum impugnant. [*stantes,*] id est, morantes. [*super quatuor angulos terræ:*] etiam in remotissimis locis, dicit Glossa. [*tenentes quatuor ventos terræ:*] id est, retinentes quatuor: qui sunt quatuor propter doctrinam quatuor Euangelistarum: vel propter quatuor mundi partes, in quibus prædicant. Venti vero dicuntur, quia nubes peccatorum in pluuiam lachrymarum dissoluunt: vel venti dicuntur, quia † pluuia doctrinæ terram Ecclesiæ fructiferam reddunt. [*ne flarent super terram:*] id est, habitanti-

† *Pluuialis* MS.

bus in terra, nec deditis terrenis. [*nec super mare:*] id est, habitantibus in insulis, vel fluentibus diuersis viriis. [*neque in vllam arborem:*] id est, in eum, qui iam excessisset terrenitatem, vel qui sit paratus ad fructificandum. Arbores enim sursum eriguntur, & fructum faciunt. Vel sic: [*ne flarent super terram:*] id est, terrenorum amatores, scilicet cupidos. [*neque super mare:*] id est, superbos † ii mentes... vt fluctus maris. [*neq; in vllam arborem:*] cuius radix adhæret terræ, id est, carnales qui toto corde radicantur in carne, inde humorem voluptatis trahentes, vt arbor à terra. Et notandum quod in tempore tribulationis nihil magis necessarium quam prædicatio; dicit *Glossa*: & ideo diabolus nititur detinere eam in omni loco. E contrario autem Dominus vocat prædicatores vt prædicent, *Ezech.* 37. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos & reuiuiscant, *Cantic.* 4. *Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

† *leue tumentes.*

Ver. 2. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datũ est nocere terræ & mari, dicens.

[*Et vidi alterum angelum:*] Ostensa tribulatione Ecclesiæ, quæ erit tempore Antichristi, ostenditur hic consolatio: & continet tres partes. Primo enim ostenditur consolatio gratiæ in præsenti, quæ signatur in significatione seruorum. secundo consolatio gloriæ, quæ est in futuro: [*post hæc vidi turbam magnam:*] tertio ostenditur via qua peruenitur de consolatione gratiæ ad consolationem gloriæ. [*& respondit vnus.*] In prima parte primo ostenditur refrænatio reproborum Angelorum. secundo signatio hominum electorum: & auditur numerum. In prima igitur ostenditur Angelus cohibere diaboli potestatem, quoad vsque serui Dei signo gratiæ discernantur. à seruis Diaboli, vnde dicit. [*& vidi:*] oculo cordis. [*alterum angelum:*] Christum scilicet à prædictis angelis longe diuersum. [*ascendentem ab ortu solis:*] id est, à patre, qui est origo totius luminis, *Zachar.* 6. *Ecce vir, Oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino.*

Sed quomodo ascẽdit Christus à patre, quum ipse sit altissimus, immo potius videtur descendisse, *Isaiæ* 64. *Vtinam dirumperes cœlos & descenderes.* *Psal.* 17. *Inclinauit cœlos & descendit.* *Obiectio.*

Resp. Christus dicitur ascendisse à patre, quia veniens supra carnem, quam assumpsit vt dominus fuit, *Isaiæ* 19. *Ascendet Dominus super nubem leuem.* Vel dicitur hoc ad differentiam natiuitatis nostræ, quæ comparatur descensui propter grauitatem culpæ originalis. *Haymo* vero hoc planius exponit dicens, ab ortu solis ascendit, quia tertia die resurrexit à mortuis, & sua resurrectione totum mundum illuminauit per Euangelicam doctrinam, *Psalmo* 67. *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* [*habentem signum Dei viui:*] quia immortalis diuinitatis in se potentiam ostendit, miracula faciendo, peccata dimittendo. Vel signum Dei viui potest dici crux, qua Christus suos signauit, *Ezech.* 9. *Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio Hierusalem.* *Responsio.* *Haymo.*

lem. & *Matth.* 16. *Qui vult venire poſt me abneget ſeipſum & tollat crucem.* Hoc ſigno ipſe Chriſtus primo fuit ſignatus, *Iohan.* 19. *Et baiulans ſibi crucem.* Vtraque expoſitio ſumitur de *Gloſſa.* [*Et clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terra & mari:*] id eſt, magnæ auctoritatis imperio malitiam eorum refrænauit. Per hoc autem quod ait, [*quibus datum eſt nocere terra & mari,*] & de arboribus tacuit, poteſt intelligi, quod perfecte bonis nihil poteſt nocere, quod eis dęmones contradicunt.

Verſ. 3. Nolite nocere terræ & mari neque arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.

[*Dicens nolite nocere terra & mari neq; arboribus:*] id eſt, nolite nocere malis, qui conuertendi ſunt, & bonis qui conuerſi ſunt. Per terram intelliguntur amantes terrena: per mare ſuperbi, & etiam omnes mali. mare enim habet proprietates ſeptem criminalium peccatorum. nam tumet, & pertinet ad ſuperbiam: liuet, & pertinet ad inuidiam: feruet, quod ad iram: abſorbet, quod ad auaritiam: ſtat in loco vno, quod ad acediam: ſpumat, quod ad luxuriam: ſuffocat, quod ad gulam. Per *arbores*, boni, ſurſum erecti & fructificantes, [*quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus ſuis:*] id eſt, donec ego interius, & mei exterius, ſecundum Gloſſam, ſigno crucis diſcernamus ſeruos iſtos, quod ſignum etſi non re, fide tamen antiqui patres pertulerunt. Nec ſolum in frontibus ſignandi ſunt ſerui Dei, ſicut paruuli ſignantur in Baptiſmo, ſed etiam in mentibus, & hoc in Baptiſmo per characteris impreſſionem, ſiue per imaginem Trinitatis, quæ imprimitur in Baptiſmo. Signantur etiam in mentibus per fidem Dominicæ paſſionis, quam ſignationem facit Chriſtus per gratiæ infuſionem: ſicut in denario ex vna parte fit imago regis, ex alia parte crux: in frontibus per conſtantiam & audaciam confitendi nomen Chriſti, quæ audacia & conſtantia datur in ſacramento confirmationis, vt non erubeſcat vel timeat homo confiteri nomen Chriſti, *Romanor.* 1. *Non erubeſco Euangelium. Luc.* 9. *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua, & patris & ſanctorum Angelorum.* Hinc eſt etiam quod Diaconus quando debet legere Euangelium ſignat librum, ad ſignificandum quod eſt de crucifixo: frontem, ad ſignificandum, quod non erubeſcit Chriſti crucifixi confeſſionem: os, ad ſignificandum quod verbum eſt crucifixi: pectus, ad ſignificandum quod ſicut ore legit, ita corde credit; vel ad hoc legit, vt corde credatur. Vnde hic quædam *Gloſſa:* ſignatio pectoris confeſſio eſt cordis, *Rom.* 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* ſic ſignatis dæmones non nocent, *Exod.* 12. *Angelus exterminator tranſiuit domos ſanguine agni ſignatas.*

Haymo. *Haymo.* [*nolite nocere terra, &c.*] Illos inquit nolite lædere, qui ad vitam æternam ſunt præordinati ante omnia ſecula. Poſſunt hęc verba, [*ſignemus ſeruos Dei,*] ſic diſtingui: [*ſignemus*] ego interius per gratiæ ſpecialis infuſionem, & miniſtri mei exterius per prædicationis adminiſtrationem. vel [*ſignemus,*] ego ſc. & ipſi ſignandi, in quo notatur cooperatio liberi arbitrij, 1. *Cor.* 3. *Coadiutores Dei ſumus.* [*ſignemus*] per diſcretionem. [*ſeruos*] per ſubiectionem, [*Dei,*] per electionem. [*noſtri,*] per humanitatem. [*in frontibus eorum,*] per confeſſionis manifeſtationem.

Hic nota quia crux.

Primo eſt ſignum errantibus viam demonſtrans, *Iſai.* 13. *Super montem caliginoſum,* cor ſcilicet montuoſum, *leuate ſignum,* crucem pœnitentiæ aſſumendo, *& exaltate vocem,* in confeſſione laudis: *leuate manum,* in opere ſcilicet ſatisfactionis: *& ingrediantur portas duces:* ſcilicet vos facti duces aliorum per exemplum.

Secundo eſt ſignum pœnitentes reconcilians, *Iſaiæ* 19. *In die illa erit altare Domini,* id eſt, Chriſtus: in medio terræ Ægypti, & titulus Domini, id eſt, crux, iuxta terminum eius. & erit in ſignum & in teſtimonium pacis ſcilicet & reconciliationis Domino exercituum in terra Ægypti.

Tertio eſt ſignum † tentationis defendens, *Ezech.* 9. *Super quem videritis Thau,* id eſt, ſignum crucis, *ne occidatis.* † forte tentatos.

Quarto tribulatos liberans, *Exod.* 12. *Erit vobis ſanguis in ſignum:* loquitur de ſigno liberationis ab Angelo exterminatore. ſic per virtutem crucis & paſſionis, &c.

Quinto iuſtos remunerans, *Ioſ.* 2. *Detis mihi verum ſignum dicebat Raab exploratoribus, vt ſaluetis patrem meum, & matrem & ſorores,* tale ſignum verum ſalutis eſt crux pœnitentiæ ipſis iuſtis.

Sexto reprobos in iudicio confundens, *Matt.* 24. *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terra.*

Septimo glorificatos congregans, *Iſai.* 49. *Leuabo ad Gentes manum meam, & exaltabo ad populos ſignum meum, ad congregandum ſcilicet meos:* quia tunc ſecundum *Pſalm.* 146. *diſperſiones Iſraelis congregabit.* Sequitur:

Verſic. 4. Et audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſraël.

Nota. [*Et audiui:*] Poſtquam poſuit refrænationem reproborum Angelorum, ſubdit ſignationem electorum hominum, in qua ſignatione præmittit ſignatos ex omni tribu filiorum Iſrael, qui paſſionē redemptoris præceſſerunt: deinde ſubdit turbam innumerabilem ex omnib. gentibus, illos ſcil. qui eam ſubſequuntur. De gentibus vero ponitur infinitus numerus, cum de Iudęis ponatur finitus, quia pauci tunc ſaluabuntur reſpectu eorum, qui tempore gratiæ ſaluantur. tamen ſecundum vnam Gloſſam intelligitur numerus omnium electorum per iſtum numerum, *centum quadraginta quatuor millia:* qui numerus finitus eſt, quia numerus electorum finitus & certus eſt Deo. Poſtea vero ponitur incertus numerus eorundem ibi: *Poſt hæc vidi turbam magnam:* quia numerus electorum nobis eſt incertus, *Iob.* 25. *Numquid eſt numerus militum eius.*

Dicit ergo: [*Et audiui*] i. e. intellexi. [*numerum ſignatorum:*] id eſt, ſignandorum. vel [*ſignatorum:*] iam in præſcientia Dei, [*centū quadraginta quatuor millia:*] Per hunc numerum ſignantur omnes electi. Per centum ſignantur illi, quibus debetur fructus centeſimus, id eſt, virgines. Per *quadraginta* qui eſt numerus pœnitentiæ.......................... ſignantur continentes, qui tribulantur à carne, vt dicitur 1. *Corinth.* 7. & ideo neceſſe habent

casti-

castigare eam operibus pœnitentiæ. Per *quatuor*, coniugati, qui diuisi sunt, 1. *Corinth*. 7. Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Quaternarius enim est primus numerus diuisibilis in numeros: & ideo bene coniugatus per hunc numerum designatur. Omnes autem isti dicuntur *mille*, quia millenarius est numerus cubicus siue solidus habens trinam dimensionem, scilicet decies decem decies. Et omnes isti seruant Decalogum, ad honorem Patris & Filij, & Spiritus sancti, vel cum fide, spe, & charitate: & sic habent trinam dimensionem, propter quod eis congruit talis numerus. Vel per centesimum cuius computatione à læua † transitus ad dexteram, beatitudo superna designatur, ad quam de mundo transimus. Quadragenarius; qui continet quater decem signat decalogum legis, & spiritualem intelligentiam Euangelij quadripartitam ipso eouentam: quaternarius principalium quatuor virtutum exercitationem, & millenarius totius iustitiæ perfectionem. In quo numero antiqui iusti recte sunt præsignati. Aliter signat iste numerus quadruplicem statum omnium saluandorum. Per *quadraginta* qui est numerus pœnitentiæ propter ieiunium signatur status pœnitentium, vel incipientium: cuius etiam partes aliquotæ simul sumptæ faciunt quinquaginta, qui est numerus remissionis, *Leuit*. 25. quia per pœnitentiam venitur ad remissionem peccatorum & Dei reconciliationem. Dicuntur autem partes aliquotæ alicuius numeri, quæ aliquoties sumptæ reddunt suum totum. cuius partes respectu quadraginta sunt istæ: 20. 10. 8 5. 4. 2. 1. quæ aggregatæ solum faciunt 50. quaternarius propter exercitium quatuor virtutum pertinet ad proficientes, vel ad statum proficientium: centum vero ad statum perfectorum, vnde dicitur fructus centesimus, quia centenarius consurgit ex productione denarij per seipsum, quia decies decem faciunt centum, in quo signatur perfecta obseruantia mandatorum. Millenarius vero est numerus perseuerantiæ; summum enim nomen obtinet vltra numeros. vltra eum nullus numerus habet proprium nomen, nisi sumptum ex præcedentibus numeris: & ideo designat perseuerantiam, quæ in summo virtutis animum statuit. Ad hos status possunt reduci nomina duodecim tribuum: ita quod tria prima nomina ad statum incipientium: tria sequentia ad statum proficientium: tria subsequentia ad statum perfectorum: tria vltima ad statum perseuerantium.

† *forte transitur.*

Versic. 5. Ex tribu Iuda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati.

[*Iudas*:] confitens, pertinet ad confessionem. [*Ruben*;] videns filium, ad peccati contritionem. Primus filius, siue primus fructus animæ est peccati amotio, *Isaia* 27. *Iste omnis fructus; vt auferatur peccatum eius*. [*Gad*,] accinctus, ad satisfactionem. [*Aser*,] beatus in custodia mandatorum, quia *Psalmo* 111. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis*. [*Nephthali*,] latitudo in exercitio charitatis. [*Manaße*,] obliuio in contemptu mundi. Simeon audiens mœrorem, per compunctionem scilicet & deuotionem. [*Leui*,] additus per supererogationem. [*Issachar*,] merces, per contemplationem. [*Zabulon*,] habitaculum fortitudinis per victoriam vitiorum. [*Ioseph*,] auctus per abundantiam meritorum. [*Beniamin*,] filius dexteræ per adeptionem primorum. Notandum autem quod Dan non ponitur hic neq; Ephraim alter filiorum Ioseph. de Ephraim enim fuit Ieroboam, qui fecit schisma in populo, inter duas tribus & decem, 3. *Regum* 12. De Dan erit Antichristus secundum *Glossam*, qui faciet schisma in Ecclesia, 2. *Thessal*. 2. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus*. Schismata vero ab Ecclesia sunt repellendi. [*Ex omni tribu filiorum Israel*:] quia diuina pietas de omnibus aliquos elegit.

Dicit ergo: [*ex tribu Iuda duodecim millia signati*:] Iuda præponit propter regiam dignitatem, quia de Iuda fuerunt reges. [*Duodecim*] dicit propter duodecim Patriarcharum prærogatiuam. [*Millia*] propter perfectam iustitiam. [*signatos*] per fidem & fidei cognitionem veram. [*ex tribu Iuda*:] Iudas interpretatur confitens. Confessio alia est criminis: alia laudis. Hi sunt qui per confessionem de crimine se lauerunt, & de acceptis beneficiis Deum laudaverunt. [*Ex tribu Reuben duodecim millia signati*:] *Gloss*. Non seruatur hic ordo tribuum, quia hic agitur designatione electorum, qui sunt per gratiam, quæ genus non attendit: ex quo patet quod hic magis attendenda est proprietas interpretationis nominum, quam propago corporalis parentum. *Reuben* interpretatur filium videns. hi sunt qui boni operis fructum genuerunt, & per eum ad contemplationem summi patris peruenerunt. [*Ex tribu Gad*:] *Gad* interpretatur accinctus: hi sunt, qui semper parati sunt & expediti contra tentationes.

Ver. 6. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephthali, duodecim millia signati Ex tribu Manasse, duodecim millia signati.

[*Ex tribu Aser, &c.*] *Aser* interpretatur beatus ad custodiam mandatorum, vel ad satisfactionem pro peccatis. hi sunt qui per præsentis miseriæ tribulationem peruenerunt ad beatitudinem. [*Ex tribu Nephthalim, &c.*] Nephthalim interpretatur latitudo. hi sunt, qui per affectionem charitatis proximis impenderunt opera pietatis. [*Ex tribu Manaße, &c.*] Manasses interpretatur oblitus. hi sunt qui per obliuionem temporalium peruenerunt ad præmium cœleste.

Vers. 7. Ex tribu Simeon, duodecim millia signati. Ex tribu Leui, duodecim millia signati. Ex tribu Issachar, duodecim millia signati.

[*Ex tribu Simeon &c.*] Simeon interpretatur tristitiæ exauditio. hi sunt qui per præsentem tristitiam peruenerunt ad veram lætitiam. [*ex tribu Leui, &c.*] Leui interpretatur superadditus. hi sunt qui bonis meliora addiderunt, & per hoc cœlestis boni additamentum receperunt. [*Ex tribu Issachar, &c.*] Issachar interpretatur merces, hi sunt qui mercedem humanæ laudis respuerunt, & per hoc mercedem diuinam receperunt.

Verſ.8. Ex tribu Zabulon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ioſeph, duodecim millia ſignati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia ſignati.

[*Ex tribu Zabulon, &c.*] Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis. hi ſunt qui per fortem conuerſationem peruenerũt ad cœleſtem manſionem. [*Ex tribu Ioſeph. &c.*] Ioſeph interpretatur augmentũ. hi ſunt qui per augmentũ iuſtitiæ peruenerunt ad plenitudinẽ gloriæ. [*Ex tribu Beniamin, &c.* Beniamin interpretatur filius dexteræ. hi ſunt qui per vias, quæ à dexteris ſunt, quas nouit Dominus, ambulauerunt, & poſt hoc ad dexteram iudicis conſtitui meruerunt.

Ver.9 Poſt hæc vidi turbam magnam quã dinumerare nemo poterat, ex omnib. gentibus, & tribubus, & populis & linguis: ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.

[*Poſt hac vidi turbam magnam:*] Hic manifeſtatur conſolatio, quæ erit in futuro, & oſtenduntur hic multa de Eccleſia.

Primo humilitas ciuium Chriſti in præſenti, cum dicitur turba. Turba enim eſt aggregatio abiectarum perſonarum.

Secundo ciuium infirmitas: *quam dinumerare nemo poterat.*

Tertio ciuium varietas: *ex omnibus gentibus.*

Quarto ex Dei viſione animarum beatitudo: *ſtantes ante thronum,*

Quinto corporũ glorificatio: *amicti ſtolis albis.*

Sexto victoriæ titulus: *& palma in manibus eorum.*

Septimo ex his laus æterna hominum: *& clamabant:* conſequens & poſtmodum, Angelorum: *& omnes Angeli.*

Dicit ergo: [*poſt hac vidi turbam magnam:*] primo ponit ſignatorum numerum certum. nõ ponit numerum ſignatorum de gentibus, qui maior eſt & ideo infinite ponitur. [*quam dinumerare nemo poterat:*] id eſt, nullus purus homo poterat dinumerare. poterat tamen dinumerari ab eo, qui numerat multitudinem ſtellarum, *Eccleſia. 1. Arenam mari & pluuia guttas, & dies ſeculi quis dinumerauit?* quaſi dicens, ſolus Deus, *Geneſ. 15. Dixit Dominus Abraha. Suſpice cœlum & numera ſtellas ſi potes.* [*ex omnibus gentibus:*] *Gloſ.* etiam de barbaris. [*& tribubus:*] tribus dicuntur à tribus ordinibus, qui fuerunt ex tribus filiis Noe. [*& populis & linguis:*] in gentibus ſunt diuerſæ tribus: in tribubus ſunt diuerſi populi, & populo diuerſæ linguæ, & de omnibus his aliqui ſunt ſaluandi, *Matthæi 13. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti.* [*ſtantes,*] id eſt, erectos ad cœleſtia, non curuatos ad terrena, ſicut illi de quibus in *Pſalmo decimoſexto: Oculos ſtatuerunt declinare in terram.* non ſic legitur vidiſſe primos. Vel [*ſtantes;*] quia in iudicio non cadent, quia pro his dabitur ſententia, *Sapient. cap. 5. Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.* [*ante thronum:*] id eſt, ante regnantem diuinitatem. [*& in conſpectu Agni:*] id eſt, in conſideratione Chriſti pij & manſueti bonis, licet malis durus futurus ſit, *Iſaia 30. Ardens furor eius & grauis ad portandum.* ipſi dico, [*amicti ſtolis albis:*] per munditiam corporum. [*& palmæ in manibus eorum:*] per victoriam hoſtium. vel [*amicti ſtolis albis:*] id eſt, † ignorantia baptiſmali, vel munditia pœnitentiali. His duabus ſtolis veſtiuntur boni in Eccleſia, *Prouerbior. vltimo. Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* [*& palmæ in manibus eorum:*] id eſt, coronæ pro operibus eorum, *Infra 14. Opera enim illorum ſequuntur illos.* † *forte innocentia.*

Verſ.10. Et clamabant voce magna, dicentes, ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno.

[*Et clamabant voce magna:*] id eſt, affectu magno. [*dicentes: ſalus Deo noſtro:*] ſupple, aſcribatur. [*et qui ſedet ſuper thronum:*] id eſt, Deo patri regnanti. [*& Agno:*] id eſt, Chriſto homini, *Exodi 15. Fortitudo mea Dominus factus eſt mihi in ſalutem.* Aliter, ſalus quam habet Diuinitas per naturam, & humanitas per gratiam diuinitati & humanitati decantentur, per rationalem creaturam.

Verſ. 11. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni & Seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas; & adorauerunt Deum.

[*Et omnes Angeli ſtabant:*] ad obediendũ parati, ad iuuandum prompti, ad protegendum ſtrenui, ad corripiendum ſubditos voluntarij, ad introducendum ad nuptias feſtini, de conſortio ſignatorum læti, quorum officio ipſi fuerunt ſignati. [*in circuitu throni:*] vt ſcilicet ex Dei parte protegerent ipſum thronum, id eſt, Eccleſiam; & exequerentur mandatum ſedentis in throno. [*& Seniorum:*] id eſt, prælatorum ad iuuandum & muniendum eos ſpecialiter: quia totum pondus prælij vertitur †: .... vt dicitur, 1 *Reg. vlt.* de Saule, *Iſai. 62. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes tota die & tota nocte.* [*& quatuor animalium:*] id eſt, prædicatorum, ad reuelandum eis myſteria, & docendum vtilia, & mundandum eorum labia, *Iſa 6. Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auf. retur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* vel per *thronum* intelliguntur prælati, in quibus iudicat Chriſtus: per *quatuor animalia*, cœtus prædicatorum: per *Seniores*, doctores, in quibus eſt ſapientia, *Iob. 12. In antiquis eſt ſapientia.* [*& ceciderunt:*] Angeli, [*in conſpectu throni:*] id eſt, Chriſti ſedentis in throno. [*in facies ſuas:*] id eſt, ſapienter ſe humiliauerunt coram Chriſto gratias agentes pro ſignatione fidelium. [*& adorauerunt eum:*] id eſt, ad orationem latriæ, quæ ſoli Deo debetur, Chriſto reddiderunt. † *ſupple in eos.*

Ver.12. Dicentes, Amen. Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.

[*Dicentes, Amen:*] id eſt, confirmantes & dicentes laudationem ſignatorum ſicut prius reſpondent *Amen* in finem orationum: quaſi dicant Angeli ad ſignatos: verum eſt quod nos ſentimus, & dicitis vos, & cõgratulamur dicẽtes, *Amen.* Quod autẽ ſequitur [*benedictio. &c.*] eſt adhuc de laude Angelorum, & agunt gratias de beneficiis, quæ

nobis

nobis collata sunt, vnde dicunt: [*Benedictio*:] id est, exaltatio nostra quam supra creaturas habemus. [*& claritas*:] id est, intelligentiæ perspicacitas, qua Deum clare videmus, & in eo creaturas. [*& sapientia*:] qua incognitis declaramur. [*& gratiarum actio*:] id est, gratuita & grata laudatio, quę in paradiso erit, *Isai. 51. Gaudium & letitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* [*honor*,] qui in nobis ab Ecclesia exhibetur, vel quem habemus Deo seruiendo, cui seruire, regnare est. [*& virtus*:] id est, potentia resistendi Diabolo. [*& fortitudo*:] id est, virtutis confirmatio. [*Deo nostro*:] supple attribuatur. & hoc non ad horam, immo in secula seculorum. *Psalm. 83, Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabūt te.* Vel potest dici quod Angeli agunt hic gratias de bonis collatis conciuibus suis, id est, hominibus signatis, & tunc exponitur sic: [*benedictio*:] id est, bona datio, vel bonorum datio fortunæ, naturæ, gratiæ & gloriæ. Nam hæc bona dat Deus electis. *Iacob. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Datum bonum dicitur bonum fortunæ, melius bonum naturæ, optimum bonum gratiæ, & perfectum bonum gloriæ. De hac benedictione, *Eccles. 11. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in honore veloci processus illius fructificat.* [*& claritas*] conscientiæ, vitæ, famæ & scientiæ. De prima, *2. Corinth. 1. Gloria nostra hæc est testimonium conscientia nostra.* De secunda, *Sapient. 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* De tertia *Eccles. 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi & magni.* De quarta *Sapient. 8. Habebo per hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores.* [*& sapientia*:] id est, Dei & sui cognitio. Vnde Philosophus: Sapientia & homini suiipsius cognitio. [*& gratiarum actio*:] *1. Thessal. vltima: Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Ingratitudo enim secundum *Bernardum* est ventus vrens & siccans fontem pietatis, venas misericordiæ, & fluenta gratiæ. [*honor*:] id est, pax & quies à tumultu & lite. Honor enim est homini, qui separat se à contentionibus, *Prouerb. 20.* Quod est contra aduocatos, qui lites quærunt, sicut corui cadauera: de quibus quidam *Posidonius*: Hi sunt qui causas mutantur admissi, impediunt prætermissi, fastidiunt, admoniti, obliuiscuntur sine sponsione præmij, dedignantur locupletati: Hi sunt ad fallendū vulpes, ad irascendum tigres, & lasciuiendum tauri, ad consumendū minotauri, quorum si nares afflauerit rubiginosi aura marsupij, mox videbis oculos Argi. Laomedontis periuria, Vlissis argutias, Simonis insidias, Achitophel consilia, & Absalonis oscula. Quod autem emolumentum inde sequitur, legitur in quibusdam apocryphis Senecæ: quia cum quidam inspiceret infernum, vidit Neronem balneantem se & multos circumstantes; qui fundebant aurum calidum in balneum ipsius. Nero autem videns turbam aduocatorum ad se venientem ait: Venite huc venale genus hominum, O aduocati, amici mei, accedite huc vt mecum in hoc vase balneatis vos: adhuc enim locus est in eo, quem vobis reseruaui: [*& virtus*:] bene viuendi, [*& fortitudo*,] ardua aggrediendi, & grauia sustinendi. [*Deo nostro*:] attribuenda sunt. [*in secula seculorum, Amen.*] *Interlinearis*: fiat, fiat.

Bernardus Serm. 51. in Cantic.

Nota.

Nero.

Vers. 13. Et respondit vnus de Senioribus: & dixit mihi, hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt?

[*Et respondit vnus*:] Hic ostenditur via de gratia ad gloriam, post consolationem gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, ab illo loco: [*Et vidi alterum Angelum*:] Via autem ad gloriam est tribulatio, *Actorum 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Introducitur vnus hic de Senioribus quærens, vnde isti ad tantam gloriam venerunt, vt Iohannem hæc nescientem postea doceat, & per Iohannem ad aliorum noticiam hoc perueniat, vt consimili via ad similem gloriam veniant: & primo hoc facit, secundo eorum gloriam tangit: *ideo sunt ante thronum.* quam gloriam tangit in adeptione omnis boni. secundo in exclusione omnis mali: *non esurient*: vnde dicit: [*Et respondit vnus de Senioribus*:] id est, vniuersitas Apostolorum & Prophetarum meo desiderio satisfecit. ac si quæsiuissem gloriam electorum. *Interlinearis.* Omnes Seniores vnus, quia vnum docent. [*& dixit mihi*:] desideranti intelligere vnde veniant illi signati. [*hi qui amicti sunt stolis albis*:] id est, corporibus & operibus mundis. [*qui sunt?*] id est, quantæ dignitatis? [*& vnde venerunt?*] quasi dicens: Attende Domine bene in quo statu sunt illi, & à quo statu venerunt, quia de magna miseria † ad magnam...... de qua paupertate ad magnas diuitias, de exilio ad patriam, de angustia ad delicias, de carcere ad regnum, de vinculis ad libertatem.

† forte lege sic: ad magnam felicitatem, de magna paupertate, &c.

Ver. 14. Et dixi illi, Domine mi, tu scis. Et dixit mihi, hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.

[*Et dixi illi*:] Seniori. [*Domine mi, tu scis*:] Dominū vocat, quia minor in cœlo maior est quocunque existente in mundo, Vnde *Matth. 11. Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.* [*& dixit mihi*:] quia humiliter respondebat dignus fuit edoceri, *Prouerb. 11. Vbi humilitas ibi sapientia. Psalm. 103. Inter medium montium pertransibunt aquæ.* [*Hi sunt qui venerunt*:] & veniunt, & venturi sunt vsque in finem seculi. [*de tribulatione magna*:] quantitate, vel [*magna*:] id est, de multiplici: nam ex vna parte dæmones turbant pacem cordium: ex altera falsi Christiani corrumpunt bonos mores: ex altera tyranni auferunt substantiam, & corpora occidunt. Et notabiliter dicit, [*hi sunt.*] ad denotandum, quod qui sine tribulatione est non vere est, quia quandoque est sine Christo, qui dicit: Cum ipso sum in tribulatione, *in Psal. 90.* [*Et lauerunt*:] in aqua Baptismi, vel lachrymarum, vel tribulationis. [*stolas suas.*] id est, corpora sua, quibus animæ quasi quibusdam vestibus teguntur, [*& dealbauerunt eas*:] lauare pertinet ad amotionem sordium peccatorum: dealbare ad exercitium virtutum: quasi cum albæ essent, magis albas fecerunt. [*in sanguine Agni*:] id est, in fide & imitatione passionis Christi. *Gloss.* in consideratione sanguinis agni: quia sicut pro eis sanguinem fudit, ita ipsi pro eius veneratione bene operantur.

Sed cum sanguis non sit albus, sed rubens, videtur quod debuit dicere, & rubeas fecerunt illas, non dealbauerunt?

Obiectio.

Resp: Sanguis calore decoctus in mammilla

Responsio

conuertitur in lac & mutat colorem, & fit albus: ſic ſanguis Chriſti igne charitatis decoctus in mentibus ſanctorũ dealbat eas. Vel poteſt dici, [*dealbauerunt*] id eſt, de albis rubeas fecerunt, vt quaſi ad albedinem addiderint rubedinem, quia cum prius eſſent albæ per innocentiam rubeas eas fecerunt ſuſtinendo pro Chriſto martyrium. *Cantic. 5. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

Verſ. 15. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.

[*Ideo ſunt ante thronũ Dei:*] i.e. regnantẽ diuinitatem. [*& ſeruiunt ei:*] per laudũ decantationem, & reuerentię exhibitionẽ. [*die ac nocte:*] i.e. continue. [*in templo eius:*] i.e. in Eccleſia, vel in cœlo, *Pſ. 28. In templo eius omnis dicet gloriam.* [*& qui ſedet in throno:*] Chriſtus ſc. habitat ſuper illos protegens & gubernans eos & bona ſua eis communicans. Quod dictum erat. [*ſunt ante thronum:*] pertinet ad Dei viſionem. quod dictum erat, [*ſeruiunt ei, &c.*] pertinet ad Dei laudationem. Quod dictum erat, [*habitat ſuper illos,*] ad Dei amorem. *Auguſtinus de ciuitate Dei.* Vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus, quod erit in fine ſine fine.

Verſ. 16. Non eſurient neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus.

[*Non eſurient:*] In tribus præcedentibus tetigit adeptionem omnis boni, hic tangitur concluſio omnis mali pœnalis. Eſt autem pœna ab agente interius, vt eſuries & ſitis, quam tangit hic: & eſt pœna ab agente exterius, vt calor & æſtus, quæ tangitur hic: [*neq; cadet ſuper illos ſol, neq; vllus æſtus.*]

Dicit ergo: [*non eſurient neque ſitient:*] ſatiabuntur enim pane vitæ, & potabuntur fonte vitæ, *Iohan. 6. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Ioh. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Obiectio. Contra: *Eccleſ. 24. Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient?*

Reſponſio. Reſp. Duo ſunt in eſuriente, ſcilicet defectus & deſiderium: defectus omnino tolletur, ſed manebit deſiderium, vt ſcilic. excludatur faſtidium: ſecundum illud: *fruuntur nec faſtidiunt, 1. Pet. 1. In quem deſiderant Angeli proſpicere.* [*neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus:*] id eſt, nec maior nec minor tribulatio, nec ſpiritualis, nec corporalis, nec æterna erit eis. & ſubditur cauſa.

Ver. 17 Quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

[*Quoniam Agnus:*] id eſt, Chriſtus, pius, innocens, manſuetus. [*qui in medio throni eſt.*] id eſt, Eccleſiæ, vel Angelorum, vel Prælatorum, vt ſupra. [*reget illos:*] & ideo nihil eis deerit, *Pſalm. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* [*& deducet eos ad vitæ fontes aquarum:*] loquitur ad ſimilitudinem paſtoris, qui primo oues ducit ad paſcua bona, poſtea ducit eas ad aquas vt bibant. deductio iſta erit ad contemplandam maieſtatem ſanctæ Trinitatis, quę eſt vnus fons propter vnitatem eſſentiæ. Fontes vero hic dicuntur propter Trinitatem perſonarum, *Pſalm. 35. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen. Iſaiæ 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* [*& abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum:*] id eſt, omnem dolorem, & triſtitiæ cauſam amouebit ab eis, *Iſaiæ 25. Auferet Deus omnem lachrymam ab omni facie. & 51. Gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. Ego ego ipſe conſolabor vos.* [*omnem lachrymam.*] dicit, quia variæ ſunt hic lachrymæ electorum: Vnde *Rabanus* diſtinguit quatuor genera lachrymarum dicens: quatuor modis fit planctus ſanctorum: aut

Cum propria peccata deplorant: aut
Cum in infernum cadentes plangunt: aut
Cum in peccatis viuentes lachrymantur: aut
Cum deſiderio regni cœleſtis plangunt.

Sunt autem quatuor proprietates, ſecundum quas quatuor bona faciunt: nam ſunt humidæ, vt ſordidum cor abluant: ſunt & calidæ, vt frigidum calefaciant: ſunt & ſalſæ, vt fœtidum condiant: ſunt & amaræ, vt dulcorem carnalium voluptatum temperent. Et poſtea addit *Rabanus*: Vno eodemque momento Deum pulſant, oculos rigant, animam lauant, & ignem infernalem extinguunt: quod non faceret tota aqua maris. Omnes has lachrymas abſterget Dominus propria manu.

Bernardus: Felix lachryma, quam pia manus conditoris abſterget. Propter hoc bonum eſt flere. Vel ſic: [*Agnus reget*] per gratiam: [*deducet*] per perſeuerantiam: [*& abſterget*] per gloriam. *Bernardus.*

Cap. VIII.

VErſ. 1. Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi media hora.

[*Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum:*] Hic oſtenditur apertio ſigilli ſeptimi, quæ eſt manifeſtatio ſtatus futuri poſt mortem Antichriſti: & ſecundum *Gloſſam* poſt mortem Antichriſti habebunt ſpatium pœnitendi bonum qui peccauerunt tempore illius per quadraginta duos dies, donec fiat iudicium: ſicut habuerunt Iudæi poſt paſſionem Chriſti quadraginta duos annos, pœnitendi.

Dicit ergo: [*Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum:*] id eſt, manifeſtatum eſſet ſacrum eloquium de his, quæ fient circa finem ſeculi. [*factum eſt ſilentium:*] id eſt, pax & tranquillitas tunc erit bonis, immo & malis. Vnde etiam miniſtri Antichriſti pacem tunc habebunt credentes ſe in proſperitate deinde victuros: & ideo obſtinati in malitia ſua nõ conuertentur, ſed in peccatis ſuis morientur. Dicent enim licet princeps noſter ſit mortuus, tamen pacem habemus: & ideo ducent vxores & facient conuiuia: *Et cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient, 1. Theſſalon. 5.* Quantum vero ſpatium ſit futurum inter illos quadraginta duos dies & finem mundi, vel etiam vtrum aliquod, nemo, † ...... ſit forte alicui reuelatum diuinitus, *Matthæi 24. De die autem & hora illa nemo ſcit, nec Angeli in cœlo, niſi ſolus pater.* *† ſupple forſan ſic ſcit, niſi ſit forte, &c.*

Verſ.

Verſ.2. Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei: & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.

[*Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, &c.*] Hic incipit quarta viſio in qua agitur de Angelis canentibus tubis: quæ viſio † quatuor capitula: octauum, nonum, decimum & vndecimum. Secundum *Bedam*, in hac viſione ſub ſpecie ſeptem Angelorum tuba canentium varij Eccleſiæ deſcribuntur euentus. & poteſt hæc pars diuidi in tres partes.

† *ſupple continet.*

In prima videntur ſeptem angeli, quibus dantur ſeptem tubæ.

In ſecunda introducitur ille à quo ſunt illæ tubæ ſeptem datæ: *& alius Angelus venit.*

In tertia determinatur ad quid datæ ſunt: *& ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas.*

Gloſſa tangit materiam & intentionem huius viſionis dicens: In hac materia ſeptem Angeli canentes tubis ad deſtructionem inimicorum, ad ſimilitudinem eorum, qui deſtruxerunt mœnia in Iericho, *Ioſ.6.* In quo apparet intentio huius partis. Quaſi dicat; Cũ intellexiſſet ſaluationem iuſtorum, ex alia parte damnationẽ impiorũ per officium prædicationis bonis iniunctum: in hac viſione inchoat narrationem ab exordio Eccleſiæ renaſcentis, & eam deducit vſque in finem temporis, ibique poſt multas tolerantias laborum ſubdit præmia iuſtorum.

Dicit ergo: [*Et vidi:*] oculo mentis [*ſeptem Angelos:*] id eſt, prædicatores vniuerſos, per omne tempus, quod ſeptem † diebus numero voluitur, cooperante ſeptiformis Spiritus ſancti gratia, prædicantes verbum Dei, qui idcirco dicti ſunt Angeli quia à Deo miſſi. [*ſtantes in conſpectu Dei:*] ſtantes, id eſt, obedire, pugnare & ire paratos, *Iohan. 15. Poſui vos vt eatis, & fructum afferatis.* poſui ſcilic. apud me in depoſito, donec ego reddam vobis. [*in conſpectu Dei:*] actione vt Deum conſpiciant, & alios conſpicere doceant. Et

† *forte leg. dierum.*

In primo notatur intẽtio pura prædicatorum.

In ſecundo finis prædicationum. Intentio enim prædicatorum pure debet eſſe ad Deum, & non ad aliud emolumentum: & finis debet eſſe, vt alios faciant videre Deum, nunc per fidem, & poſtea per ſpeciem. [*& data ſunt illis ſeptem tubæ:*] vniuerſale officium prædicationis diuinæ, vt ſcilicet canant ad electorum munitionem, & reproborum deſtructionem.

Tubæ vero ideo ſeptem dicuntur, quia ſeptenarius numerus vniuerſitatis eſt. vel ſeptem munitiones mundi per prædicationes deſtruuntur.

Nota.

Prima eſt amor diuitiarum.
Secunda amor deliciarum.
Tertia appetitus honorum.
Quarta obliuio Dei.
Quinta ignorantia ſui.
Sexta inconſideratio mortis.
Septima immemoria futuri iudicij.

Iſti ſunt ſeptem funes, quibus Samſon fuit ligatus, ſed irruente ſpiritu in eo diſrupit eos, ſicut fila ſtupæ ſoluuntur ad odorem ignis, *Iudic. 16.*

Verſ.3. Et alius angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationib. ſanctorum omnium ſuper altare aureũ, quod eſt ante thronũ Dei.

[*Et alius Angelus:*] Chriſtus ſcilicet, de quo *Iſa. 9.* ſecundum aliam literam, magni conſilij Angelus: quia Patrem nunciauit nobis, *Ioan. 1. Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit.* qui bene dicitur Angelus alius, quia ab aliis ſeptem Angelis, id eſt, vniuerſis prædicatoribus, & gratia ſanctitatis, & excellentia dignitatis & potentia virtutis eſt longe remotus. Venit ſecundum *gloſſam* dum noſtræ naturæ fragilitatem aſſumpſit. [*& ſtetit ante altare*] quia diuinitate immutabilis permãſit, & humanitate, quæ nobis altare eſt † prior & ſublimior fuit. [*habens thuribulum aureum:*] in manu ſua. *Gloſſ.* Thuribulum ſunt ſancti Apoſtoli, qui ad preces electorum Deo offerendas in ſancta Eccleſia ſunt conſtituti, qui auri fulgorem habent, quia diuinam in ſe ſapientiam cõtinent, & per eam aliis lucent. Illud thuribulum Angelus in manu habuit, ex quo Chriſtus duodecim Apoſtolos elegit. Et quia thuribulum eſt deorſum clauſum, ſurſum apertum, ideo bene ſignat corda Apoſtolorum clauſa ad curam carnis, aperta & amorem ſummæ bonitatis. [*& data ſunt ei incenſa multa:*] id eſt, delectabiles Deo orationes, ſecundum *gloſſam. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum, Pſal. 140.* Hæc incenſa in fumum deuotionis non reſoluuntur, niſi adſint carbones, id eſt, ignea deſideria ſiue affectiones, *Ezech. 1. Similitudo animalium quaſi carbonum ardentium.* Fumus eſt deuotio, *Iſaia 6. Dicebant, Sanctus, ſanctus, ſanctus: & domus repleta eſt fumo.* Hoc fit cum ad vocem orationis domus conſcientiæ repletur fumo deuotionis. [*vt daret:*] id eſt, vt repræſentaret patri. [*de orationibus ſanctorum omnium.*] *Gloſſ.* De orationibus dixit, non orationes, quia non omnes repræſentat patri, ſed eas exaudit, quæ ad ſalutem pertinent. Petiit Paulus ſtimulum eiuis amoueri, *2. Corinth. 12.* quod non erat ad eius ſalutem, vnde nec ſua oratio erat accepta Deo. [*ſuper altare aureum:*] id eſt, ſuper ſemetipſum. Ipſe enim eſt altare ſuper quo offeruntur Patri omnia vota humanæ iuſtitiæ. [*aureum:*] quia in ipſo abſconditi omnes thaſauri ſapientiæ & ſcientiæ. [*quod eſt ante thronum Dei:*] quia pater teſtatus eſt in ipſo complacuiſſe ſibi, quia

† *forte leg. potior.*

Verſ.4. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu angeli coram Deo.

[*Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum coram Deo de manu Angeli;*] quia illa ſola oratio in cœleſtibus eſt accepta, quam filius offert Patri, *1. Iohan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus quod Patrem Ieſum Chriſtum Iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Bernardus:* Securum habes o homo ad Deum acceſſum, vbi ante Patrem habes filium, ante filium habes matrem; Mater oſtendit filio pectus & vbera: filius oſtendit patri latus & vulnera: nec vlla poteſt eſſe repulſa vbi tot occurrunt charitatis inſignia. Aliter ab illo loco: [*ſtetit ante altare:*] id eſt, ante crucem paratus immolari, quaſi verus agnus: vel immolare, quaſi verus ſacerdos. [*habẽs thuribulum aureum in manu ſua:*] id eſt, humanam naturam, quæ dicitur thuribulũ aureum, non deauratum, ſanctum enim natum eſt non ſanctificatum, *Luc. 1. Quod naſcetur ex te ſanctum, Filius Dei vocabitur.*

Bernardus.

3. *Reg.* 7. *Fecit Salomon thuribulum de auro purissimo.* Natura humana in Adam aliquando † peccatum fuit; … vel, dum aurum purum in beata virgine post sanctificationem vt aurum purius, in Christo vt aurum purissimum. Adam peccatum tunc non habuit; beata virgo nec peccatum habuit, nec peccare voluit: Christus vero nec peccare voluit, nec peccare potuit, *Prouerb.* 25. *Aufer rubiginem de auro*, id est, de beata virgine omnem contagionem originalis peccati & fomitis: *& egredietur vas purissimum*: Corpus scilicet Christi. [*Et data sunt ei incensa multa, &c. super altare aureum, &c.*] id est, super crucem, vbi orauit pro peccatoribus, *Luc.* 23. *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Et dicitur crux altare, quia ibi oblatus est dominus: aureum vero quia ex sola charitate passus est, *Ierem.* 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.*

† lege forte: purum fuit.

Nota. Nota tria quæ naturaliter attrahunt: vacuum, calidum, simile. Ipse vero Christus habuit in cruce *vacuitatem* humilitatis, *Philip.* 2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: *calorem* charitatis, *Iohan.* 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Fuit nobis similis, passibilis: ideo ibi quasi habuit omnem virtutem attrahendi, *Iohan.* 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Qui ergo ab eo non trahitur nihil est.

Vers. 5. Et accepit angelus thuribulũ, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces & fulgura, & terræmotus magnus.

[*Et accepit angelus thuribulum, & impleuit illud igne altaris:*] quando scilicet Christus Apostolos post completum humanæ redemptionis mysterium in fide solidauit, & eis de spiritu eodem quo ipse plenus erat primitias dedit, & in terrã misit dum eos ad prædicandum direxit. Terram vero specialiter possumus intelligere Iudæos terrenos, & & per Legem & Prophetas excultos. Sed quid Apostolorum missionem secutum sit declaratur cum subditur: [*& facta sunt tonitrua:*] id est, damnationis comminationes: [*& voces:*] id est, promissiones. apte post tonitrua addidit voces, quia quos per minas terremus, per promissa leuare debemus. Sed quia apud infideles hæc non valent sine testimonio miraculorum, apte subditur: [*& fulgura:*] id est, miracula longe lateque coruscantia. Sed quia ad miracula multi sunt moti, alij ad credendum, alij ad persequendum, recte subditur: [*& terræ:*] id est, terrenis adhærentium: [*motus magnus:*] *Psalm.* 76. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.*

Ver. 6. Et septem angeli qui habebant septem tubas, præparauerunt se, vt tuba canerent.

[*Et septem angeli qui habebant septem tubas:*] Hic ostenditur ad quid tubæ illæ datæ sunt: &

Primo dicitur hic quod præparauerunt se, vt tuba canerent.

Secundo determinatur de cantu eorum per ordinationem: *& primus Angelus.*

Dicit ergo: [*& septem Angeli, qui habebant septem tubas præparauerunt se:*] septem angeli sunt vniuersi prædicatores habentes *septem tubas*, id est, officium prædicandi.

Præparant autem se prædicatores ad prædicandum secundum *Glossam*.

Primo ostendendo in opere.

Secundo quod dicturi sunt in prædicatione, *Actor.* 1. *Cœpit Iesus facere & docere. Isidorus.* Prius debet iustus bene agere, vt consequenter bene possit docere: quia secundum eum, qui non viuit sicut docet, ipsam quam prædicat veritatem contemptibilem facit.

Isidorus.

Secundo prius addiscendo quam prædicent, *Eccles.* 18. *Antequam loquaris disce.* 1. *Esd.* 7. *Esdras parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini, & faceret & doceret in Israel præceptum, & iudicium. Glossa Eccl.* 5. *Si est tibi intellectus, Responde proximo tuo:* sicut inquit peccat, qui scit & non vult docere proximum suum: sic qui nescit & vult magister esse.

Tertio vt ante prædicationem cogitent quando & quomodo, & quid singulis personis oporteat prædicare; quia secundum varietatem personarum, varie prædicandum est: secundum *Gregorium in pastorali. Eccles.* 37. *Sapiens plebem suam erudit, & fructus sensus illius fideles sunt.* agit enim fideliter erudiendo eos.

[*Vt tuba canerent:*] in tuba notatur terror, in cantu lætitia, quia in prædicatione commixta debent esse terror comminationis & lætitia consolationis. In veteri Testamento dicuntur Sacerdotes tuba clangere; in nouo, Angeli tuba canere, quia in veteri Testamento timor incutitur, in nouo amor incitatur.

Vers. 7. Et primus angelus tuba cecinit, & facta est grando & ignis, mista in sanguine, Et missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est.

[*Et primus Angelus:*] Hic subditur prædicatio iustorum comminando monstrans subsequentem damnationem reproborum, & distinguitur per septem status Ecclesiæ, & septem clangores tubarum, & septem Angelos.

Primus ergo Angelorum est primus ordo prædicantium, quoad primum statum Ecclesiæ demonstrans damnationem Iudæorum.

Secundus quoad secundum statum Ecclesiæ demonstrans damnationem Gentilium.

Tertius quoad statum tertium demonstrans damnationem hæreticorum.

Quartus quoad quartum statum demõstrans damnationem hypocritarum, seu falsorum fratrum.

Et hæc quatuor narrantur vt præterita secundum *Glossam*. tria sequentia vt futura narrantur pertinentia ad statum finalem Ecclesiæ: in quibus ostenduntur clangores trium Angelorum, quinti, sexti & septimi.

Quintus monstrat præcursores Antichristi.

Sextus Antichristum & suos.

Septimus iudicium.

Et secundum hæc diuiditur hæc pars in septẽ.

Primo autem determinatur de cantu quatuor Angelorum, id est, prædicatorum, secũdum quatuor status Ecclesiæ in hoc capitulo.

Secundo de cantu aliorum trium † à quinto vsque ad nonum, vsque ad duodecimum.

† forte lege sic: à nono vsque ad duodecimum, &c.

Pars

Pars autem in qua determinat de cantu quatuor Angelorum diuiditur in duo: quia

Primo ostenditur quis fuerit eorum cantus secundum differentes Ecclesiæ status.

Secundo quia grauiores sunt status Ecclesiæ sequentes quam præcedentes, ostendit differentiam inter præcedentem cantum quatuor tubarum, & sequentem: *& vidi & audiui.*

Dicit ergo: [*Et primus Angelus:*] i.e. primus ordo prædicatorum. [*tuba cecinit:*] i.e. prędicauit: quasi prædicatio Apostolorum primo in Iudæa sonuit. quid autem illam prædicationem secutum sit, declaratur cum subditur. [*& facta est grando & ignis mixta sanguine:*] Hæc tuba secundum *Bedam* communem impiorum in igne & grandine signat interitum. In grandine enim potest intelligi terroris commotio in Iudæis, qui *territi fuerunt ad prædicationem Apostolorum dicentes: quid faciemus viri fratres, Actor. 2. Ignis* est ardor indignationis Iudæorum contra Apostolos, quibus non poterant resistere, *Luca 21. Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Grando vero & ignis mista erant sanguine: quia ex illis duobus sequebatur occisio sanctorum. Vel in grandine intelligitur flagellum exterioris persecutionis: in igne vero flamma interior peruersæ æmulationis: in sanguine vero crudelitas occisionis. grando ergo & ignis commista sunt cum sanguine, quia Iudaicus populus vsque ad effusionem sanguinis crudeliter exarsit in persecutione. [*& missum est in terram:*] id est, in Iudæos terrenorum amatores vel excultos per Legem & Prophetas. [*& tertia pars terræ combusta est:*] Duæ hominum partes sunt Dei, scilicet actiui & contemplatiui, imperfecti & perfecti. Istas duas partes Deus sibi assumpsit, quia pusillis & maioribus benedicit. Tertia pars, quæ est malorũ relicta est Diabolo & combusta est, quia primo prædicatorum ordine prædicante & persecutione sæuiente bono priuata est. Terra significat homines, quia ad modum terræ per virtutes & bona opera debent fructificare. Arbores etiam signãt homines, quia ad modum arborum per desiderium boni cœlestis debent se sursum erigere. fœnum etiam viride homines signat quia debent continue fide viuere: Vnde dicit: [*& tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est:*] † non igne peccati, in futuro vero comburitur igne infernali. Intellige per duas partes arborum bonos imperfectos & perfectos: vel eos qui saluantur in statu innocentiæ, vt paruuli, & eos qui saluantur in statu iustitiæ, vt adulti. tertia vero pars est reproborum. fœnum autem totum comburitur quia qui solum † crudelitatis virorem habet, virtutum & bonorum operum fructu caret: veniente tentatione vel persecutione malignitatis facile vincitur, & igne peccati concrematur. Potest etiam intelligi prima pars, Iudæi qui ante prædicationem Christi & Apostolorum crediderunt: tertia, illi qui credere noluerunt, quæ pars combusta est igne peccati. Iudæi vero *terra* dicuntur, quia per Legem & Prophetas exculti: *arbores* vero per fidem vnius Dei qua ad cœlestia fuerunt eleuati: fœnum propter auaritiam qua terrenis adhæserunt. Et quia quidam Iudæorum lege & Prophetarum doctrina bene vsi sunt, quidam male: similiter quidam fide bene vsi sunt, quidã male, ideo dicitur quod tertia pars terræ, & tertia pars arborum combusta est. Sed quia auaritia nemo potest bene vti, ideo dicitur de omni fœno viridi, quod combustum est. vel per *terram* possunt intelligi cupidi; per *arbores* voluptuosi, humorem deliciarum attrahentes: per *fœnum* vane gloriosi.

† *lege forsan, modo igne peccati, &c.*

† *lege crudelitatis.*

Ver. 8. Et secundus angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens, missus est in mare, & facta est tertia pars maris, sanguis:

[*Et secundus Angelus tuba cecinit:*] i.e. vox prædicatorum relictis Iudæis in Gentibus personuit. [*& tanquam mons magnus:*] id est, Diabolus. *mons*, per tumorem. *magnus*, per tumoris magnitudinem. [*igne ardens.*] per inuidiam, *Iob. 14. De ore eius lampades procedebant sicut tedæ ignis ardentis.* Vel igne gehennæ ardens, quo ardet quocunque vadat. [*missus est in mare:*] i.e. in Gentiles, qui mari comparantur, quia fluctuabãt per culturam diuersorum idolorum, & habebant amaritudinẽ diuersorum vitiorum, *Isa. 57. Impij quasi mare feruẽs, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* [*& facta est tertia pars maris:*] i.e. gẽtilium. [*sanguis:*] sitiens crudeliter sanguinem sanctorum secudum *gloss.* tertia pars sunt peccatores nondũ conuersi, qui necem prædicantium sitiebant. duæ vero partes conuersi, maiores & minores. vel *prima pars*, illi qui fidẽ aperte perceperunt & confessi fuerunt: *secunda*, illi qui occulte receperunt, sed præ timore confiteri non audebant. *tertia pars*, illi qui nec aperte nec occulte receperunt, sed in sua malitia remanserunt.

Vers. 9. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit.

[*Et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit:*] quia pars illorum, qui apud gentiles, magis videbantur rationabiles & digniores, & ideo dicuntur animas habere. [*mortua est:*] morte peccati. Pars etiam illorum, qui aliorum erant rectores & sustentatores per culpam mortua est, fidem respuendo & infidelitate permanendo, qui per naues intelliguntur. vel secundũ *glos.* per naues possunt intelligi gubernãtes alios. Et possunt hic designari tria genera hominũ vitiosorum: sc. superbi per *mare*; carnales, viuẽtes in aquis deliciarum, per *creaturas quæ habent animas in mari:* per *naues*, cupidi, qui aguntur per mare de prouincia in prouinciam, ad agenda lucra. Duę partes intelligi possunt electi perfecti & imperfecti, quorum comparatione tertia pars dicuntur reprobi.

V. 10. Et tertius angelus tuba cecinit; & cecidit de cœlo stella magna, ardens tanquã facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.

[*Et tertius angelus tuba cecinit:*] id est, tertia pars prædicatorum prædicauit. Hæc tertia tuba secundum Bedam signat hæreticos ac Ecclesia decidẽtes, & sacræ Scripturæ flumina corrumpentes. [*Et cecidit de cælo stella:*] id est, de Ecclesia hæreticorũ caterua, quæ dicitur *stella* per acceptam scientiam: *magna*, per superbiam: [*ardens*] per inuidiam. [*tanquam facula*] quia dum alios ad prauitatem incẽdit, semetipsum consumit. [*& cecidit in tertiam partẽ fluminum & in fontes aquarũ:*] fontes dicun-

dicuntur secundum *Glossam*, in quibus summa & quasi totius fidei origo comprehenditur, sicut est Euangelium. Flumina quæ inde trahuntur, sunt expositiones eorum, in quibus sunt duo sensus fidelium, historialis & allegoricus. tertius est hæreticorum, cum hæreses suas confirmant expositionibus Scripturarum. Et isti tres modi exponendi sacram Scripturam sunt tres partes istorum fluminum. Prima expositio historialis: secunda spiritualis: tertia fictio siue adinuentio humana, quæ est hæreticorum. Tertia itaque de cœlo cadens in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum cecidit, quia prauitas hæretica de sublimitate Ecclesiæ decidens sacram Scripturam in parte corrumpit.

Vers. 11. Et nomen stellæ dicitur Absinthium: & facta est tertia pars aquarum in Absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.

[*Et nomen stellæ dicitur Absinthium:*] quia amaritudinem prauæ intelligentiæ inducit, & etiam quia ab hæretica prauitate seducitur, ad amaritudinem gehennæ perducitur. [*Et facta est tertia pars absinthium, & multi homines mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt:*] Stella namque in aquas cadente aquę amaricantur, & homines moriuntur, quia hæreticis summa deferentibus, & sacram Scripturam docentibus, ipsa doctrina sacra in eorum doctrina corrumpitur, & eorum prauitati consentientes, spirituali morte necantur. *Stella* etiam potest hic intelligi diabolus, propter scientiam, *Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis plenum sapientia, & perfectus decore. in delitiis paradisi Dei fuisti.* [*magna*] per potentiam, *Iob. 41. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* [*ardens tanquam facula*] per inuidiam, qua volendo nocere aliis sibi primo nocet, *Sap. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* [*Hæc stella cecidit de cœlo, &c.*] *Isai. 14. Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram qui vulnerabas gentes.* [*& cecidit in tertiam partem fluminis & fontes aquarum:*] *fontes* sunt Hæresiarchæ doctores hæreticorum: *flumina* discipuli eorum. flumina enim ortum habent à fontibus. [*& multi homines, &c.*] vt prius.

Vers. 12. Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, ita vt obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.

[*Et quartus Angelus tuba cecinit:*] id est, quartus ordo prædicatorum prædicauit. Hæc quarta tuba secundum *Bedam* signat falsorum fratrum, in siderum obfuscatione defectum. [*& tertia pars solis percussa est:*] id est, sensus humanus in † hypocritis, qui à perfectis & imperfectis iustis tertij sunt, per sinistram intentionem obscuratus est. [*& tertia pars lunæ:*] id est, iustitia eorum, quæ per augmentum debuisset crescere percussa est. [*& tertia pars stellarum:*] id est, virtutes eorum, quę deberet multipliciter lucere. [*ita vt obscuraretur tertia pars eorum:*] id est, vniuersa claritas in conuersatione hypocritarum. Duæ namque partes spiritualis boni illæsæ in perfectis & in imperfectis iustis reseruantur: tertia vero in reprobis vbique

† *hypocrisis* &c.

destruitur. [*& diei non luceret tertia pars & noctis similiter:*] Per *diem* in hoc loco accipiuntur illi, qui inter hypocritas videntur scientia vel vita lucidiores: per noctem vero, qui in vtroque apparent minus lucentes. Tertia pars solis, lunæ & stellarum obscurata, & diei & noctis non lucere perhibetur, quia bonum intelligentiæ & instituti in excellentioribus & inferioribus hypocritis funditus obnubilatur. Potest intelligi in tertia parte solis, hypocrisis prælatorum, quorum est totam Ecclesiam illuminare, *Matth. 5. Vos estis lux mũdi.* In tertia parte lunæ hypocrisis clericorum. Nam sicut à sole luna lumen recipit; sic à prælatis clerici formam viuendi recipiunt, *Ecclesia. 10. Qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* In *tertia parte stellarũ*, hypocrisis religiosorum. Stellæ enim cum sint magnæ, paruæ dicuntur: sic religiosi cum magni sint coram Deo, parui videntur mundo. Item stellæ noctem illuminant: & religiosi peccatorum vitam & conuersationem obscuram, *Philip. 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes.* Istæ stellæ fixæ sunt in cœlo, nisi paucæ quæ mouentur sub cœlo: sic religiosi fixi sunt in claustro, nisi pauci qui sunt officiales, & procurant negotia exteriora, *Iudic. 5. Stellæ manentes in ordine & cursu suo aduersus Siseram pugnauerunt.* Sed quandoque aliquæ istarum stellarum obfuscantur per hypocrisin. *Per tertiam diei & noctis*, hypocrisis laicorum. Nam sicut dies à sole, nox à luna & à stellis lumen recipit: sic laici à prælatis & clericis doctrinam & formam viuendi recipiunt.

Vers. 13. Et vidi, & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra: de cæteris vocib. trium angelorum, qui erant tuba canituri.

[*Et vidi & audiui, &c.*] Quia sequentes status grauiores sunt quam præcedentes, ideò hic ostenditur differentia inter præcedentem cantum tubarum & sequentem: & dicuntur hic duo. Primo enim introducitur hic Ecclesia sub figura aquilæ, clamans triplex væ. Secundo determinatur vnde accipiatur hæc triplex væ: *de cæteris vocibus trium Angelorum.*

Dicit ergo: [*Et vidi & audiui:*] *Haymo*: quod dicit Iohannes se vidisse & audiuisse vocem, ostendit proculdubio quia in spirituali visione, hoc est videre quod audire, & è contrario. [*vocem vnius aquilæ:*] *Haymo*: Quod signant Angeli hoc etiam & aquila, vniuersam Ecclesiam, quæ in prædicatoribus volat per medium cœlum, id est, per secreta cœlestia. Vnde subditur: [*volantis per medium cœli, & dicentis voce magna:*] quia in toto mundo. Vel *magna*, sicut vox aliorum Angelorum, quæ comparatur tubæ. Secundum *glossam* Ioannes quatuor præcedentes status narrat vt præteritos, tres sequentes vt futuros. Et introducitur vox vnius aquilæ volantis, per quam designatur Prophetarum cœtus, vel prędicatorum qui venturas miserias peccatoribus pronuntiant, vnde dicit: [*& vidi:*] visu interiori. [*& audiui:*] auditu exteriori. [*vocem vnius aquilæ:*] id est, prædicatorum qui cæteris fidelibus cœlestia secreta sublimius scrutantur, & clarius contemplantur: qui dicuntur *aquila* propter acutum visum & altum volatum, quia aquila videt escam de longe, *Iob. 39. In petris manet, in præruptis silicibus commoratur,*

Haymo.

Haymo.

atque

atque in inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt. Volant ſancti prędicatorea deſideriis. vna eorum ala, quæ eſt quaſi ſiniſtra poteſt intelligi timor Dei: altera quaſi dextera amor Dei. [*vnius:*] bene dicitur aquila vna, quia magna eſt prædicatorum in ſacræ Scripturæ contemplatione & prædicatione concordia. [*volantis per medium cœli:*] id eſt, Scripturæ, ſine declinatione, ad dexteram vel ad ſiniſtram. Declinatio ad dexteram eſſet ſi omnia ſpiritualiter vellet intelligere: declinatio vero ad ſiniſtram, ſi omnia vellet accipere ad literam. Vel *per medium cœli*: id eſt, per mediam Eccleſiam, non declinando ad dexteram adulationis diuitum, nec ad ſiniſtram indignationis pauperum. [*dicentis voce magna, &c.*] volant prædicatores & voce magna clamant, cum prædicatio adiuuatur per operationem, vel quia ex magno affectu procedebat. [*Væ, væ, væ habitantibus in terra de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri:*] Dicunt quidam quod hoc, *de cæteris, &c.* non reſpicit præcedentia, ſed eſt quaſi titulus partis ſequentis, in qua agitur de voce Angelorum trium. *Gloſſa* tamen ſic exponit, vt coniungatur cum eo quod præcedit ſub hoc ſenſu: [*Væ, væ, væ habitantibus in terra,*] id eſt, terrena diligentibus, & præferentia ea cœleſtibus, quibus tribulationes vertuntur in malum, quæ bonis cooperantur in bonum, ſupple *oritur* [*de cæteris vocibus trium Angelorum.*] Vel ſic ſuppleas: *hæc tria væ accipietis de vocibus trium Angelorum.*

Sed quomodo accipitur *triplex væ* à tribus Angelis canituris, cum vnus regnum Chriſti & gloriam annuntiet electorum?

Reſp. Accipitur ab eo, quod in fine illius dicitur, *aduenit ira tua reddere mercedem ſanctis, & exterminandi eos, qui corrumpunt terram.* Secundum *gloſſam* per voces iſtorum Angelorum, qui canituri erant adhuc, Iohannes tres grauiſſimas tribulationes deſignat futuras temporibus trium ordinum prædicatorum, qui erant prædicaturi. Graues fuerunt quæ præceſſerunt ſub tuba quatuor præcedentium Angelorum, ſed longe grauiores erunt, quæ ſuccedent ſub tuba trium Angelorum ſequentium. Vel illud triplex væ poteſt exponi ſic: Væ primo pro culpa originali: væ ſecundo pro culpa actuali: væ tertio pro culpa omiſſionis. vel væ ſuperbis: væ cupidis: væ carnalibus, *Iſai. 24. Formido & fouea & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ: formido* ſuperbiæ *fouea* luxuriæ, & *laqueus* auaritiæ.

Cap. IX.

Verſ. 1. Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi.

[*Et quintus Angelus tuba cecinit, &c.*] Poſtquam diabolus vidit quod per ſingula mala perſecutorum, ſcil. per Romanorum crudelitatem, Iudæorum æmulationem, hypocritarum ſimulationem & falſitatem impedire prædicationem non potuit, vniuerſa malorum genera, ſicut in ſequentibus oſtendetur, inducit: & quod per ſingula ſigillatim non valuit, per opera pariter efficere tentauit. In parte ergo iſta agitur de voce quinti Angeli, & de præcurſoribus Antichriſti, qui per locuſtas deſignantur. Hæc tuba ſecundum *Bedam* ſignat maiorẽ infeſtationem hæreticorum tempore Antichriſti præcurrẽtium. & primo ſub figura locuſtarum dicitur vnde exierunt: ſecundo cuius poteſtas ſit illis conceſſa: [*& data eſt illis poteſtas.*] tertio deſcribit eos multis modis: [*& ſimilitudines locuſtarum.*] quarto determinatur de rege eorum, & habebant ſuper ſe regem. In generatione vero locuſtarum duo ponuntur ſigna præcedentia præcurſores Antichriſti: vnum eſt profunditas iniquitatis, aliud ſimulatio hypocriſis: [*& aſcendit fumus.*] Ad oſtendendum vero profunditatẽ iniquitatis duo inducuntur, vnum eſt caſus ſtellæ: [*vidi ſtellam.*] aliud donatio clauis putei: [*& data eſt clauis putei.*]

[*Et quintus Angelus tuba cecinit:*] id eſt, quintus ordo prædicatorum prædicauit. [*Et vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram:*] Stella dicitur Diabolus propter notitiam: vnde Lucifer dictus eſt. Vnde *Iſai. 14. Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris.* & *Ezech. 28. dicitur fuiſſe plenus ſapientia. Terra* dicitur anima terreſtris per amorem terrenum. Stella ergo in terram de cœlo cecidit, quando Diabolus in terrenis, id eſt, terrena diligentibus dominationem accepit. Vel ſtella de cœlo cecidit in terram, quando aſtutia Diaboli in humanam cognitionem venit. [*Et data eſt ei clauis putei abyſſi:*] id eſt, data eſt ei poteſtas dominandi ſuper eos qui ſunt puteus per malitiæ profunditatem, *Prouerb. 18.* Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Sunt abyſſus per conſcientiæ tenebroſitatem, *Epheſ. 4. Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum.* *Clauis* eſt poteſtas tentandi: & dicitur clauis, quia aperit ingreſſum ad malum, & claudit ad bonum: vel quia claudit ingreſſum ad gloriam, & aperit ad gehennam.

Verſ. 2. Et aperuit puteum abyſſi: & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aer de fumo putei.

[*Et aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ.*] Fumus, quia obſcurus eſt, videre non ſinit: vnde ſignat ſimulationem, quæ eſt in hypocrita, quæ quales ipſi ſint videre non ſinit. fumus etiam ex oculis lachrymas reſoluit: ideo ſignat ſimulationem deuotionis hypocriſis. Iſte fumus aſcendit, quia ad vanam gloriam tendit. De hoc fumo hic duo tanguntur, ſcilicet vnde procedit, & eius effectus. procedit autem de puteo ſicut de fornace magna. Puteus eſt profunditas iniquitatis: fornax magna inflammata igne libidinis, conſcientia, *Daniel. 3. Fornax ignis Babylonis incendebatur naphtha, ſtupa, pice, & malleolis.* *Naphtha* eſt fæx remanens eliquato oleo ex oliuis, quæ pertinet ad hypocriſin, quæ terrena incendens, elicat oleum ſanctæ intentionis, fæce terrenorum retenta. *Stupa* eſt vana gloria. *Pix,* carnis concupiſcentia. *malleolis,* id eſt, ſarmenta, diuitiarum appetitus. ex ſarmentis fit feruidus ignis. *fumus* etiam poteſt hic intelligi praua doctrina, quę aſcendit cum praua doctrina inualuit, obſcurans & excæcans oculos multorum. [*& obſcuratus eſt ſol & aer de fumo putei.*] *Sol,* contemplatiui: *aer* actiui. obſcuratio ergo ſolis & aeris eſt ſimulatio hypocriſis in contẽplatiuis & actiuis. vel ſol eſt cœtus eorum, qui alios illuminare videbantur: aer vero cœtus eorum qui

illu-

illuminatur: vtrique enim suggestione & doctrina dæmonum & peruersorum hominum excæcati sunt. Et ostenditur hic effectus fumi in eo quod sequitur.

Vers.3. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.

[*Et locustæ exierunt in terram:*] *Locustæ* sunt mali, præcipue hæretici, ad alta salientes per elationem, & ad terram recidentes per cupiditatem. Locusta longiora habet retro crura in quo signatur affectus ad terrena protensus. Locusta ore vastat omne germen † insidet, *Iоel.1. Residuum erucæ comedit locusta.* Locusta in frigore torpet, sed in calore calet. In frigore aduersitas, in calore prosperitas designatur. Hypocrita salit in prosperis per ostentationem boni operis, sed in aduersis torpet & cessat ab operibus illis. In locusta ergo ostenditur percursorum Antichristi terrenus affectus, oris detractio, operis simulatio. per *terram* intelliguntur terrena amantes. In terram locustæ exeunt quando superbi in eos, qui † secunda cœlestibus anteponunt potestatem accipiunt. quæ potestas declaratur cum subditur: [*& data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ:*] Hic agitur de potestate locustarum, per quas designantur præcursores Antichristi, quorum erunt duo genera: scilic. quidam mali principes, & quidam pseudoprædicatores: & dicuntur hic quatuor.

† forte supple eus.

† forte secularia.

Primo ostenditur potestas eorum per similitudinem scorpionum.

Secundo ostenditur refrænatio potestatis eorum: *& præceptum est.*

Tertio ostenditur in quibus nocebunt: *& dictum est.*

Quarto ostenditur quod quamuis refrænetur eorum malitia, tamen tanta erit tunc persecutio, quod homines desiderabunt mori: *& cruciatus eorum.*

Dicit ergo: [*Et data est illis:*] id est, pseudoprædicatoribus & malis principibus, præcursoribus Antichristi. [*potestas:*] nocendi, sæuiendi, & affligendi potestas data est: sed abusus illius fuit permissus, non datus. [*sicut habent potestatem scorpiones terræ:*] qui blandientes facie pungunt cauda occulte sicut dicit *Glossa. Beda.* Sicut Scorpius à posterioribus venena diffundit, sic impietas malorum à posterioribus nocet, cum anterioribus, id est, æternis bonis temporalia, quę retro sunt pręferri minis blandimentisque compellit: & quia diuinitus refrænatur, nec vere bonis in aliquo nocere permittuntur, bene sequitur.

Beda

Vers.4. Et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis:

[*Et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ:*] *Gl.* id est, rudes in fide, & decipi faciles. [*nec omne viride:*] hoc est veræ fidei virorem habentes, & viriditatem supernæ hæreditatis per spem expectantes. [*neq; omnem arborem:*] id est, exhibentem fructum boni operis per fidem & spem. Omnes ergo vere electos incipientes, proficientes, & perfectos mali lædere prohibentur. [*nisi tantum homines, qui non habent signum Dei viui in frontibus suis:*] ab illis qui simularunt verbis se habere signum Dei, qui tamen vere non habent, lædendis mali minime refrænantur, quia tales voluntarie potestati malorum subiiciuntur. Signum illud est Thau. habent signa crucis. & est vltima litera in Alphabeto Hebręorum, & interpretatur confirmatio: vnde signat finalem pœnitentiam, quæ confirmat hominem. habentes vero hoc signum liberantur, *Ezech. 6. Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Et post: *Omnem super quem videritis Thau, ne occidatis.* Hoc signum non sufficit habere in mente, sed in fronte, vbi est locus erubescentiæ, & locus manifestus, vt scilicet audeamus nomen Christi in aperto confiteri, *Luc.9. Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum Angelorum.*

Ver.5. Et datum est illis ne occiderent eos: sed vt cruciarentur mensibus quinque: & cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij cum percutit hominem.

[*Et datum est illis ne occiderent illos, sed vt cruciarent mensibus quinque:*] Cohibentur enim ne auferant eis libertatem suscipiendi verbum Dei & rectam fidem. quinq; vero mensibus permittuntur cruciati, id est, in corporibus quinque sensibus indigentibus, secundum *Glossam.* Vel secundum aliam literam: [*mensibus sex:*] id est, sex ætatibus seculi, in quibus Dei permissione tribulantur. [*Et cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij cum percutit hominem:*] Hic ostenditur quod licet eorum refrænetur malitia, tamen tanta erit tunc persecutio, quod homines desiderabunt mori: vnde dicit: [*& cruciatus eorum, &c.*] Hoc est quod supra dictum est, quia mali quod non valent perficere per manifestam sæuitiam, conantur facere per occultam malitiam. Vel ideo dicitur, quia sicut scorpio blanditur facie & cauda pungit: sic illi vera primo proponent, deinde vero miscebunt mortifera, *Iohan. 2. Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quòd deterius est.*

Vers. 6. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

[*Et in diebus illis:*] tantæ malignitatis, quando alij lædent per hæresin, alij per hypocrisin, alij aliter persequuntur, diabolo puteum iniquitatis aperiente, & omnem virtutem ad impedimentum electorum effundente [*quærent homines mortem:*] *Glos.* maxime pastores lapsum timētes, vt Elias in persecutione Iezabel quæsiuit animæ suæ vt moreretur, *3.Reg.19.* Et *Ionæ 4. Nunc Domine tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita* [*& non inuenient eam.*] quia propter necessitatem subditorum reseruabuntur, & vt probatiores reddantur. Quærent vero cum magno desiderio, vnde sequitur: [*& desiderabunt mori:*] corporaliter, nimio terrore & dolore tribulationum affecti, & tædio viuendi. [*& fugiet mors ab eis:*] propter necessitatem gregis subiecti.

Ver.7. Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium: & super capita earum tanquam coronæ, similes

auro

auro: & facies earum, tanquam facies hominum,

[*Et similitudines locustarum:*] tertia pars est principalis huius capituli, in qua Iohannes describit ministros & præcursores Antichristi multipliciter, vnde dicit, [*& similitudines locustarum:*] id est, locustæ imaginariæ, scilicet prædicatores Antichristi. [*sunt similes equis paratis in prælium:*] hoc ideo dicitur, quia mali ad similitudinem equorum in persecutione, electorum velociter & improuide feruntur, *Thren. 4. Velociores fuerunt persecutores tui aquilis cæli.* Secundum Haymonem, equis assimilantur hæretici propter velocem eorum vbique discursum. [*& super capita eorum tanquam coronæ similes auro:*] secundum opinionem eorum super capita eorum: id est, doctores erunt tanquam coronæ, sed non reuera coronæ. † nec etiam *similes auro*: id est, Apostolis, quibus suos doctores æquiparabunt. Ipsi enim bonorabunt Antichristum, & suos hæresiarchas, sicut nos exaltamus Christum & Apostolos, attribuentes illis victorias, quas dicent se habere de Ecclesia. [*facies earum:*] scilicet locustarum, id est, prædicatorum Antichristi. [*sicut facies hominum:*] Apparebunt enim exterius boni, cum interius sint mali, *Matthæi 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Vel ideo [*facies earum tanquam facies hominum,*] quia primo se cuncta secundum rationem agere fingunt. *Haymo:* Per facies hominum rationabilitas intelligitur, quia licet sint doctores errorum, multa vera dicunt, & ea primo proponunt.

Marginalia: Haymo. — † forte lege, sic etiam. &c. — Haymo.

Vers. 8 Et habebant capillos, sicut capillos mulierum: & dentes earum, sicut leonum erant.

[*Habebant capillos sicut capillos mulierum:*] id est, habebant mores fœmineos mollientes in vita, lucentes in apparentia, ad terrā dependentes: in quo notatur auaritia: collum tegentes, in quo fallacia. sicut enim capilli tegunt, colli turpitudinem, sic illi absconuunt morum suorum prauitatem. vel capilli possunt intelligi discipuli maioribus adhærentes, vt capilli adhærent capiti, qui ad modum capillorum mulierum erunt molles & effœminati, & flexibiles ad malum. [*Et dentes earum sicut dentes leonum:*] quoad rapacitatem, *Ioel. 1.* de raptoribus Chaldæorum, *Dentes eorum dentes leonis, & molares eorum vt catuli leonis.* vel ideo dictum est, quia quando per falsi boni ostentationem, & per veri mali occultationem nocere non poterunt, manifeste sæuient in electos, laniantes eos & deuorantes, quasi leones rapaces. Dentes sunt expositores & doctores hæreticorum panem scripturæ conterentes. Haymo: Dentes leonum laniant & fœtorem habent naturalem: tales erunt hæretici qui animas interficient, & malam famam de se emittent, *Eccles. 21. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.* Sed quia dum electos expugnare conantur contra veritatem, ne abea superentur, falsitatibus armantur, ideo subditur.

Marginalia: Haymo.

Vers. 9. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

[*Et habebant loricas sicut loricas ferreas:*] [*loricas,*] per falsarum sententiarum munitionem: [*ferreas,*] per suæ duritiæ pertinacitatem, *Iob. 41. Cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. 1. Regum 17. Indutus erat lorica.* Harum vero sententiarum tumultus declaratur cum subditur. [*& vox alarum:*] id est, tumultus sententiarum, quibus quasi quibusdam alis exaltantur. [*sicut vox curruum multorum currentium in bellum:*] id est, sicut diuersi cursus diuersis viis, diuersis equis contracti cum impetu currunt ad bellum contra eandem personam: sic Antichristiani diuersis hæresibus effecti, & diuersis rationibus præmoniti current vnanimiter contra Ecclesiam expugnandam. Et notandum quod sententiæ eorum dicuntur alæ & loricæ: loricæ, quia contra bona muniunt; alæ quia ad † deteriorem vehunt. Loricæ sunt quia gladius veritatis non potest eas penetrare. Alæ etiam possunt dici scientiæ, quas addiscunt, vt eis quasi alis effetantur ad summa honorum. Currus est doctrina secularis, eo quod rotis innitatur, scilicet volubilitati temporalium, & currunt in bellum litium & contentionum, vt patet in aduocatis, *Nahum. 3. Væ ciuitas sanguinum vniuersa mendacii dilaceratione plena*: & subditur, *Vox impetus rotæ & equi frementis.*

Marginalia: † forte deteriora.

Vers. 10. Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.

[*Et habebant caudas scorpionum:*] id est, doctrinas blandas & deceptorias. [*& aculei erant in caudis earum:*] quia in fine suggestionis malorum est morsus & punctura peccati: vel ideo hoc dicitur, quia sicut aculeis pungitur equus vel asinus, vt recalcitretur: sic falsi prædicatores, qui tunc erunt blasphemiis & astutiis pungent sanctos, si aliquo modo possint eos mouere ad iram & à recta sententia facere deuiare. [*& potestas earum:*] scilicet locustarum, id est, percursorum Antichristi. [*nocere hominibus mensibus quinque:*] id est, in corporibus quæ quinq; sensibus reguntur. vel secundum aliam literam: [*mensibus sex:*] id est, sex ætatibus seculi.

Versic. 11. Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon: Latine habens nomen exterminans.

[*Et habebant super se regem:*] Quarta pars est, in qua notificantur præcursores Antichristi, per nomina sui regis, vnde dicit: [*& habebant:*] scilicet omnes prædicti Antichristiani. [*super se regem Angelum abyssi:*] id est, Diabolum, qui est princeps super profunditatem & obscuritatem peccati. Est enim rex malorum, quia eis dominatur, *Iob. 41. Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.* [*Cui nomen Hebraice Laabaddon:*] Aliqui libri habent [*Abaddon:*] sed nostra litera est; [*Laabaddon.*] vnde *Hieronymus* dicit, quod Laabaddon Hebraicum est, & interpretatur, *parum iudicans*: vnde cum postea ponatur nomen idem signans in Græco, scilicet *Apollyon*, & in Latino, *Exterminans*, patet quod non debet ibi esse Abaddon, sed Laabadon. Græce autē Apollyon, & Latine nomen habens Exterminans. Secundum *Interlinearem* tres linguas maioris auctoritatis

Marginalia: Hieronym.

illuminatur: vtrique enim suggestione & doctrina dæmonum & peruersorum hominum excæcati sunt. Et ostenditur hic effectus fumi in eo quod sequitur.

Vers. 3. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.

[*Et locusta exierunt en terram*:] *Locusta* sunt mali, præcipue hæretici, ad alta salientes per elationem, & ad terram recidentes per cupiditatem. Locusta longiora habet retro crura in quo signatur affectus ad terrena protensus. Locusta ore vastat omne germen † insidet, *Ioel. 1. Residuum erucæ comedit locusta.* Locusta in frigore torpet, sed io calore calet. In frigore aduersitas, in calore prosperitas designatur. Hypocrita salit in prosperis per ostentationem boni operis, sed in aduersis turpet & cessat ab operibus illis. In locusta ergo ostenditur percursorum Antichristi terrenus affectus, oris detractio, operis simulatio. per *terram* intellignntur terrenè amantes. In terram locustæ exeunt quando superbi in eos, qui † secunda cœlestibus anteponunt potestatem accipiunt. quæ potestas declaratur cum subditur: [*data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ*:] Hic agitur de potestate locustarum, per quas designantur præcursores Antichristi, quorum erunt duo genera: scilic. quidam mali principes, & quidam pseudoprædicatores: & dicuntur hic quatuor.

† *forte sup platur.*

† *forte se- cularia.*

Primo ostenditur potestas eorum per similitudinem scorpionum.

Secundo ostenditur refrænatio potestatis eorum: *& præceptum est.*

Tertio ostenditur in quibus nocebunt: *& dictum est.*

Quarto ostenditur quod quamuis refrænetur eorum malitia, tamen tanta erit tunc persecutio, quod homines desiderabunt mori: *& cruciatus eorum.*

Dicit ergo: [*Et data est illis*:] id est, pseudoprædicatoribus & malis principibus, præcursoribus Antichristi. [*potestas*:] nocendi, sæuiendi, & affligendi potestas data est: sed abusus illius fuit permissua, non datus. [*sicut habent potestatem scorpiones terræ*:] qui blandientes facie pungunt cauda occulte sicut dicit *Glossa. Beda.* Sicut Scorpius à posterioribus venena diffundit, sic impietas malorum à posterioribus nocet, cum anterioribus, id est, æternis bonis temporalia, quæ retro sunt, præferri minis blandimentisque compellit: & quia dinimitus refrænatur, nec vere bonis in aliquo nocere permittuntur, bene sequitur.

Beda

Vers. 4. Et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis:

[*Et preceptum est illis ne læderent fœnum terræ*:] *Gl.* id est, rudes in fide, & decipi faciles. [*nec omne viride*:] hoc est veræ fidei virorem habentes, & viriditatem supernæ hæreditatis per spem expectantes. [*neq; omnem arborem*:] id est, exhibentem fructum boni operis per fidem & spem. Omnes ergo vere electos incipientes, proficientes, & perfectos mali lædere prohibentur. [*nisi tantum homines, qui non habent signum Dei viui in frontibus suis*:] ab illis qui simularunt verbis se habere signum Dei, qui tamen vere non habent, lædendis mali minime refrænantur, quia tales voluntarie potestati malorum subiiciuntur. Signum illud est Thau. habent signa crucis. & est vltima littera in Alphabeto Hebræorum, & interpretatur confirmatio: vnde signat finalem pœnitentiam, quæ confirmat hominem. habentes vero hoc signum liberantur, *Ezech. 6. Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Et post: *Omnem super quem videritis Thau, ne occidatis.* Hoc signum non sufficit habere in mente, sed in fronte, vbi est locus erubescentiæ, & locus manifestus, vt scilicet gaudeamus nomen Christi in aperto confiteri, *Luc. 9. Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum Angelorum.*

Ver. 5. Et datum est illis ne occiderent eos: sed vt cruciarent ut mensibus quinque: & cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij cum percutit hominem.

[*Et datum est illis ne occiderent illos, sed vt cruciarent mensibus quinque*:] Cohibentur enim ne auferant eis libertatem suscipiendi verbum Dei & rectam fidem. quinq; vero mensibus permittuntur cruciari, id est, in corporibus quinque sensibus indigentibus, secundum *Glossam.* Vel secundum aliam literam: [*mensibus sex*:] id est, sex ætatibus seculi, in quibus Dei permissione tribulantur. [*Et cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij cum percutit hominem*:] Hic ostenditur quod licet eorum refrænetur malitia, tamen tanta erit tunc persecutio, quod homines desiderabunt mori: vnde dicit: [*& cruciatus eorum, &c.*] Hoc est quod supra dictum est, quia mali quod non valent perficere per manifestam sæuitiam, conantur facere per occultam malitiam. Vel ideo dicitur, quia sicut scorpio blanditur facie & cauda pungit: sic illi vera primo proponent, deinde vero miscebunt mortifera, *Iohan. 2. Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.*

Vers. 6. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

[*Et in diebus illis*:] tantæ malignitatis, quando alij lædent per hæresin, alij per hypocrisin, alij aliter persequuntur, diabolo puteum iniquitatis aperiente, & omnem virtutem ad impedimentum electorum effundente [*quærent homines mortem*:] *Glos.* maxime pastores lapsum timentes, vt Elias in persecutione Iezabel quæsiuit animæ suæ vt moreretur, *3. Reg. 19.* Et *Ion. 4. Nunc Domine tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors quam vita* [*& non inuenient eam.*] quia propter necessitatem subditorum reseruabuntur, & vt probatiores reddantur. Quærent vero cum magno desiderio, vnde sequitur: [*& desiderabunt mori*:] corporaliter, nimio terrore & dolore tribulationum affecti, & tædio viuendi. [*& fugiet mors ab eis*:] propter necessitatem gregis subiecti.

Ver. 7. Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium: & super capita earum tanquam coronæ, similes auro,

auro: & facies earum, tanquam facies hominum,

[*Et similitudines locustarum:*] tertia pars est principalis huius capituli, in qua Iohannes describit ministros & præcursores Antichristi multipliciter, vnde dicit: [*& similitudines locustarum:*] id est, locustæ imaginariæ, scilicet prædicatores Antichristi. [*sunt similes equis paratis in prælium:*] hoc ideo dicitur, quia mali ad similitudinem equorum in persecutione, electorum velociter & improuide feruntur, *Thren.* 4. *Velociores fuerunt persecutores tui aquilis cœli.* Secundum *Haymonem*, equis assimilantur hæretici propter velocem eorum vbique discursum. [*& super capita eorum tanquam coronæ similes auro:*] secundum opinionem eorum super capita eorum: id est, doctores erunt tanquam coronæ, sed non reuera coronæ. † nec etiam *similes auro*: id est, Apostolis, quibus suos doctores æquiparabunt. Ipsi enim honorabunt Antichristum, & suos hæresiarchas, sicut nos exaltamus Christum & Apostolos, attribuentes illis victorias, quas dicent se habere de Ecclesia. [*facies earum:*] scilicet locustarum, id est, prædicatorum Antichristi. [*sicut facies hominum:*] Apparebunt enim exterius boni, cum intetius sint mali, *Matthæi* 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Vel ideo [*facies earum tanquam facies hominum,*] quia primo se cuncta secundum rationem agere fingunt. *Haymo*: Per facies hominum rationabilitas intelligitur, quia licet sint doctores errorum, multa vera dicunt, & ea primo proponunt.

Haymo. / † forte lege, sic etiam. &c. / Haymo.

Vers. 8 Et habebant capillos, sicut capillos mulierum: & dentes earum, sicut leonum erant.

[*Habebant capillos sicut capillos mulierum:*] id est, habebant mores fœmineos mollientes in vita, lucentes in apparentia, ad terrā dependentes: in quo notatur auaritia: collum tegentes, in quo fallacia. sicut enim capilli tegunt, colli turpitudinem, sic illi absconderunt morum suorum prauitatem. vel capilli possunt intelligi discipuli maioribus adhærentes, vt capilli adhærent capiti, qui ad modum capillorum mulierum erunt molles & effœminati, & flexibiles ad malum. [*Et dentes earum sicut dentes leonum:*] quoad rapacitatem, *Ioel.* 1. de raptoribus Chaldæorum, *Dentes eorum dentes leonis, & molares eorum vt catuli leonis.* vel ideo dictum est, quia quando per falsi boni ostentationem, & per veri mali occultationem nocere non poterunt, manifeste sæuient in electos, laniantes eos & deuorantes, quasi leones rapaces. Dentes sunt expositores & doctores hæreticorum panem scripturæ conterentes. *Haymo*: Dentes leonum laniant & fœtorem habent naturalem: tales erunt hæretici qui animas interficient, & malam famam de se emittent, *Eccles.* 21. *Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.* Sed quia dum electos expugnare conantur contra veritatem, ne ab ea superentur, falsitatibus armantur, ideo subditur.

Haymo.

Vers. 9. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

[*Et habebant loricas sicut loricas ferreas:*] [*loricas,*] per falsarum sententiarum munitionem: [*ferreas,*] per suæ duritiæ pertinacitatem, *Iob.* 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* 1. *Regum* 17. *Indutus erat lorica.* Harum vero sententiarum tumultus declaratur cum subditur. [*& vox alarum:*] id est, tumultus sententiarum, quibus quasi quibusdam alis exaltantur. [*sicut vox curruum multorum currentium in bellum:*] id est, sicut diuersi cursus diuersis viis, diuersis equis contracti cum impetu currunt ad bellum contra eandem personam: sic Antichristiani diuersis hæresibus effecti, & diuersis rationibus præmuniti current vnanimiter contra Ecclesiam expugnandam. Et notandum quod sententiæ eorum dicuntur alæ & loricæ: loricæ, quia contra bona muniunt; alæ quia ad † deteriorem vehunt. Loricæ sunt quia gladius veritatis non potest eas penetrare. Alæ autem possunt dici scientiæ, quas addiscunt, vt eis quasi alis efferantur ad summa honorum. Currus est doctrina secularis, eo quod rotis innitatur, scilicet volubilitati temporalium, & currunt in bellum litium & contentionum, vt patet in aduocatis, *Nahum.* 3. *Væ ciuitas sanguinum vniuersa mendacii dilaceratione plena*: & subditur *Vox impetus rotæ & equi frementis.*

† forte deteriora.

Vers. 10. Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.

[*Et habebant caudas scorpionum:*] id est, doctrinas blandas & deceptorias. [*& aculei erant in caudis earum:*] quia in fine suggestionis malorum est morsus & punctura peccati: vel ideo hoc dicitur, quia sicut aculeis pungitur equus vel asinus, vt recalcitretur: sic falsi prædicatores, qui tunc erunt blasphemiis & astutiis pungent sanctos, si aliquo modo possint eos mouere ad iram & à recta sententia facere deuiare. [*& potestas earum:*] scilicet locustarum, id est, percursorum Antichristi. [*nocere hominibus mensibus quinque:*] id est, in corporibus quæ quinq; sensibus reguntur. vel secundum aliam literam: [*mensibus sex:*] id est, sex ætatibus seculi.

Versic. 11. Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon: Latine habens nomen exterminans.

[*Et habebant super se regem:*] Quarta pars est, in qua notificantur præcursores Antichristi, per nomina sui regis, vnde dicit: [*& habebant:*] scilicet omnes prædicti Antichristiani. [*super se regem Angelum abyssi:*] id est, Diabolum, qui est princeps super profunditatem & obscuritatem peccati. Est enim rex malorum, quia eis dominatur, *Iob.* 41. *Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.* [*Cui nomen Hebraice Laabaddon:*] Aliqui libri habent [*Abaddon:*] sed nostra litera est: [*Laabaddon.*] vnde *Hieronymus* dicit, quod Laabaddon Hebraicum est, & interpretatur, *parum iudicans*: vnde cum postea ponatur nomen idem signans in Græco, scilicet *Apollyon*, & in Latino, *Exterminans*, patet quod non debet ibi esse Abaddon, sed Laabadon. Græce autē Apollyon, & Latine nomen habens Exterminans. Secundum *Interlinearem* tres linguas maioris auctoritatis.

Hieronym.

tatus ponit, vt in omni lingua verſutia Diaboli intellecta vitetur. Et hoc præcipue quia in hac *Nota.* triplici lingua doctrina Euangelica ſcripta eſt. » Matthæus enim ſcripſit in lingua Hebraica. Lu- » cas & Iohannes in Græca, Marcus in Latina. In omni lingua nomen Diaboli ſonat *exterminans*, quia de omnibus exterminat aliquos, id eſt, extra terminos fidei Catholicæ ponit, & ad terram extermínij, id eſt, infernum ducit, *Sap.3. Ab itinere recto abierant in exterminium.*

V. 12. Væ vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ poſt hæc.

[*Væ vnum abiit:*] id eſt, tribulatio, quæ ſub tuba vna quinti angeli continetur. [*Et ecce veniunt adhuc duo væ poſt hæc:*] id eſt, duæ aliæ tribulationes ſub tubis ſexti & ſeptimi Angeli ſubſequuntur.

Verſ. 13. Et ſextus angelus tubæ cecinit: & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei,

[*Et ſextus Angelus:*] In hac prædicatione ſexti Angeli agitur ſpecialiter & principaliter de perſecutione ſub Antichriſto ventura: & dicuntur hic quatuor.

Primum eſt ſolutio quatuor Angelorum: [*& audiui vocem.*

Secundum eſt viſio equitum & equorum: [*& numerus equeſtris exercitus.*]

Tertium deſcenſus Angeli fortis & ſignatio tonitruorum: [*& vidi alium angelum fortem:*] *ſequenti capitulo infra.*

Quarto exhortatio Iohannis ad prædicandum, eodem capitulo poſt medium: [*& vox quam audiui:*] & durat vſque ad finem vndecimi capituli.

In prima parte oſtenduntur tria: quod tempore Antichriſti debet relaxari poteſtas dæmonum.

Secundo oſtenditur conatus eorum: *qui parati erant.*

Tertio ad quid erit conatus eorum, *vt occiderent tertiam partem.*

Dicit ergo: [*Et ſextus Angelus cecinit tuba:*] id eſt, ſextus ordo prædicatorum prædicauit, id eſt, prædicauit tempus Antichriſti. [*& audiui vocem ſuam:*] id eſt, doctrinæ concordiam. [*ex quatuor cornibus altaris aurei:*] id eſt, ex omnibus prædicatoribus Chriſti, qui eum ſubleuant, & deferunt quatuor Euangelia prędicando per quatuor partes mundi. Hoc altare Chriſtus eſt, quia ſub illud offertur holocauſtum humanæ iuſtitiæ, & eſt aureum quia in Chriſto habitat fulgor diuinæ ſapientiæ. [*quod eſt ante oculos Dei:*] Hoc altare ſcilicet Chriſtus apte dicitur eſſe ante oculos Dei, quia pater in filio complacet ſibi, *Matth. 3.* Aliter: [*audiui vocem vnam:*] id eſt, intellexi prædicationem futuram [*† præcedentem ex quatuor cornibus altaris aurei:*] *Gloſſ.* id eſt, ex quatuor Euangeliis, quæ ſunt cornua, id eſt, protectio [*altaris aurei:*] id eſt, Eccleſiæ, in qua offertur omnis oblatio, quæ accepta eſt Deo, & eſt aurea per charitatem, quod altare eſt ante oculos Dei, quia in Eccleſiam Deus reſpicit oculo miſericordiæ. *Sapient. 4. Reſpectus Dei in electos illius. Pſalmo triceſimotertio: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.*

† lege præcedentem.

Verſ. 14. Dicentem ſexto angelo qui habebat tubam, ſolue quatuor angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.

[*Dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam:*] id eſt illis, qui imminente tribulationis articulo, miniſtrabant Eccleſiaſticam doctrinam. Sacri enim ſcriptores & doctores, & prædicatores dies illos prædicunt, & electos maxime prædicatores, qui alios debent confirmare cõtra crudelitatem illius perſecutionis præmunire contendunt. [*ſolue:*] id eſt, prædica ſoluendos, vel prædica ſolutos. *Gloſſ.* vt homines ex hoc cautiores reddantur. [*quatuor Angelos:*] vniuerſos dæmones, per quatuor partes mundi in diebus Antichriſti ſæuientes, & commouentes reprobos contra electos. Iſti ſunt quatuor angeli, quibus dictum eſt prius *ſeptimo capitulo: Nolite nocere terræ & mari.* [*qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate:*] quia ne contra genus humanum deſæuiant per Baptiſmum refrænantur, qui tunc ſoluentur, quia magis contra Chriſtianos permittentur ſæuire.

Verſ. 15 Et ſoluti ſunt quatuor angeli; qui parati erant in horã, & diem & menſem, & annum: vt occiderent tertiam partem hominum.

[*Et ſoluti ſunt quatuor angeli, qui parati erant inter horam, & diem, menſem & annum:*] id eſt, in omne tempus illius perſecutionis. quaſi dicat, nulla pars eſt in die, menſe vel anno, in qua dæmones non ſunt parati ad nocendum. Nunquam enim dormiunt, ſed ſemper vigilant, & intendunt ad malum procurandum, 1. *Petri 5. Aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret.* [*vt occidant tertiam partem hominum:*] id eſt, omnes qui relinquuntur ad tormentum damnationis. Duæ partes ſunt boni perfecti & imperfecti. vel per Euphraten flumen profundum & impetuoſum currentem per Babyloniam, ſignantur amatores huius mundi, qui ſunt profundi in aſtutia, impetuoſi in malitia, in quibus regnat Diabolus, ſecundum *Gloſſam.* Inter iſta ſic diſtinguitur: [*qui parati ſunt inter horam & diem, & menſem & annum:*] id eſt, tribus annis & dimidio durabit acerbitas illius perſecutionis: vt per horam dimidius annus ſignificetur, per alia tria, tres anni. Et quod primo ponitur hora, poſt maius tempus, ſignatur proceſſus illius perſecutionis, quæ creſcendo procedet. [*vt occiderent tertiam partem hominum:*] prius morte culpæ, poſt morte pœnæ æternæ. tertiam partem vocat reprobos, in quos habebunt poteſtatem. prima para ſunt innocentes; ſecunda pœnitentes: tertia reprobi in malitia pertinaces.

Verſ. 16. Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena milia. Et audiui numerum eorum.

[*Et numerus equeſtris, &c.*] Secunda pars eſt in qua oſtenduntur quatuor.

Primo numerus equitum.

Secundo viſio equorum ipſorum equitum: *& ita vidi equos.*

Ter-

Tertio descriptio ipsorum equitum: *& qui sedebant super equos.*

Quarto descriptio equorum: *& capita equorum.*

Dicit ergo: [*Et numerus equestris exercitus*:] secundum vnam expositionem ostēditur numerus reproborum Angelorum, vt dicatur primus transgressor angelus omnium malorum princeps, cuius milites sunt alij dæmones: [*equi*] illorum militum sunt praui homines. [*numerus*] huius exercitus dicitur, [*vicies millies*,] contra sanctos noui Testamenti, qui quædam præcepta legis & literaliter & spiritualiter obseruant. In vicenario enim duos decalogos cōtinente duplex legis obseruatio designatur. [*Dena millia*] esse dicuntur contra antiquos iustos, qui legem tanquam ad literam figurarum futurorum obseruabant. Talis ergo numerus apte reprobis attribuitur, vt contra quos belligerant demonstretur, secundum *Glossam*.

Hic ponitur primo numerus equestrium Diaboli, qui signatur per vicies millies.

Postea Dei, qui signatur per dena millia.

Et quia plures sunt mali quam boni, ideo maiori numero designantur. vtrobiq; tamen ponitur finitum pro infinito. vtrobiq; etiam ponitur mille, qui est cubicus numerus habens tres dimensiones. Nam decies decē decies faciunt mille: & illi peccant in tria: in Deum, in se, in proximum, & sic habēt trinam malam dimensionem. Illi vero habent triplicem dimēsionē bonam, scilic. fidem, spem & charitatem. Denarius simpliciter ponitur, ex parte bonorum, quia ipsi seruant decalogū præceptorum. Sed denarius duplicatus ponitur ex parte malorum, scilic. vicies, quia binarius primo recedit ab vnitate, & sic signat transgressionem: vnde binarius denarij signat decalogi transgressionem. Mille vero perseuerantiam. Bene ergo equestres exercitus diabolici dicuntur vicies millies, quia prædicatores Antichristi erūt transgressores decalogi, habētes dimensionē malitiæ, & in ea perseuerantes. Boni vero dicūtur dena millia, quia erūt in obseruantia decalogi, & in bona intentione perseuerantes. & est sensus: [*numerus equestris exercitus*:] i.e. numerus equorū & equitum diaboli. [*vicies millies*:] i.e. multi, & quasi infiniti. [*dena millia*:] scilic. multi qui erunt Dei. Vel secundum primam expositionem, hic totus numerus ponitur pro malis, & sic dicet simode legitur quod sequitur. [*& audiui*:] id est, intellexi. [*numerum eorum*:] quod scilicet plures essent mali quam boni. Vel sic: [*audiui numerum eorum*:] id est, intellexi quid numerus eorum signaret.

Vers. 17. Et ita vidi equos in visione: & qui sedebant super eos, habebant loricas, igneas, & hyacinthinas, sulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.

[*Et ita vidi equos in visione*:] id est, secundum numerum militum vidi numerum equorum. secūdum *Glossam* equites possunt intelligi vel homines diabolū portantes, vel dæmones super quos mali fundantur. [*& qui sedebant super eos*:] scil. dæmones, qui sedent super malos homines. [*habebant loricas*:] per perplexam astutiam. [*igneas*:] per ardētem inuidiam. [*sulphureas*:] per fœtorem infamiæ. [*& hyacinthinas*.] per simulationē cœlestis instinctę. Hyacinthus namq; cœli habens similitudinem cœlestem vitam signat. Angelus vero Satanæ nonnunquam in Angelū lucis se transfigurat, & sub specie virtutum vitia palliat, vt quos non potest aliter, simulatione decipiat. Vel sic: [*habebant loricas*:] i.e. ministros se protegentes. [*igneas*:] igne cupiditatis accēsos. [*& hyacinthinas*:] i.e. vanitate superbię elatos: quia hyacinthus habet colorem aureum, & ideo vanitatem signat. [*sulphureas*:] i.e. luxuria fœtentes. [*& capita equorum*:] i.e. reprobi homines. vel auctores errorum. primi sunt equi; secūdi capita. [*tanquam capita leonum*:] quia suis prauitatibus dilaniabant fidelem populū, quod erit maxime tempore Antichristi, quo tempore refert Ioannes hanc visionem implendam. [*& de ore ipsorum procedit ignis*:] per malignitatem prauæ suggestionis. [*& fumus*] per obscuritatem excæcationis. [*& sulphur*:] per fœtorem vitiositatis, & fœtentis opinionis & detractionis. Et quia praua suggestio nō nocet saluandis, quibus omnia cooperantur in bonum, *Ro.* 8. sed damnandis, apte subditur.

Vers. 18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum. de igne & ex fumo & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum.

[*Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum*:] id est, damnandi. aliis enim duabus partibus, id est innocentibus & pœnitentibus nō nocebunt hæ plagæ. [*&*:] pro id est [*de igne & de fumo, & de sulphure*:] id est, de prædicatione eorum, quæ erit ardens, excæcans, & fœtens, vt expositum est. [*quæ procedebant ex ore eorum.*

Versic. 19. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum. Nam caudæ eorum, similes serpentibus, habentes capita: & in his nocent.

[*Potestas enim equorum*:] id est, prædicatorū Antichristi. [*in ore ipsorum*:] *Gloss.* id est, in sua prædicatione. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala*, 1. *Corinth.* 15. Sed quia mali non solum per suggestionem manifestam, sed etiam per occultam malitiam bonis nocere conantur, recte subditur: [*& in caudis eorum*:] Cauda enim signat occultam malitiam, sicut os suggestionem [illegible] stam. Fraudulentiam vero des[illegible] [*in cauda eorum similes serpentibus*:] [illegible] andiu[illegible] t in facie, & occulte venenum infundunt. [illegible] in capite leonis potest intelligi violentia po[illegible] atis, qua Antichristus subdet sibi imperfectos. In cauda quæ regit turpitudinem signari potest simulatio bonitatis, qua seducet perfectos. Cauda enim est occulte prædicans mendacium, *Isaiæ* 9. *Propheta prædicans mendacium, ipse est cauda.* [*habentes capita*:] supple in caudis, quia non præualentes in aperta persecutione, in occulta & fraudulenta simulatione nocendi sumunt initia. Vel [*habentes capita*:] id est, alios maiores, secundum *Glossam*, qui mordent: scilicet principes qui præsunt ministris, quorum assensu & iussione sæuient in bonos. [*& in his nocent*:] id est, auctoritate ipsorum. *Beda*: Principum patrocinio fulti amplius nocent, quam si solo sermone suaderent. Sed quia in præcedentibus de his qui habent fidem dixit, non conuertit sermonem ad eos qui fide carent. Vnde subdit:

V.20. Et cæteri homines qui non sunt occisi in his plagis, neq; pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia, & simulachra aurea & argentea & ærea, & lapidea & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare.

[*Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis:*] vt pagani, vel Iudæi contra quos † dicta non fecit conatum suum plagis prædictis, quia obediebāt ei. [*neq; pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia.*] *Psalm. 95. Omnes dij gentium dæmonia.* [*& simulachra aurea & argentea & ærea, & lapidea & lignea, quæ neque audire possunt, neq; videre neque ambulare;*] in quibus verbis redarguit infidelitatem eorum.

† *forte sup-ple potestas.*

Vers. 21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neq; a veneficiis suis, neq; à fornicatione sua, neq; à furtis suis.

[*Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neq; à veneficiis suis:*] *Infra vlt. Foris canes & venefici & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* [*neque à fornicatione sua, neq; à furtis suis:*] subauditur, perierunt, vel peribunt: & in verbis vltimo positis redarguit eorū prauam actionem. prius enim demonstrauit eos cæcos, hic demonstrat eos deuios: & cætera.

Cap. X.

Vers. 1. Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo, amictū nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquam columna ignis.

[*Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo, &c.*] Tertia pars est in qua ostēditur descēsus angeli, & signatio tonitruorum: quæ pars introducitur ad ostendendū subtractionem prædicationis tempore Antichristi: vnde distinguitur hæc pars à præcedentibus; quia sicut solutio angelorum indicat violentiam potētiæ diaboli, & sicut visio equitum & equorum, quæ est pars secūda, incrementum malitiæ: sic signatio tonitruorum in parte ista indicat subtractionem prędicationis & sapientiæ. Subtrahitur autem sapientia dupliciter, sicut dupliciter potest manifestari, scil. per inspirationem, per prædicationem. Si autē tunc temporis vtroque modo subtraheretur, desperare possent electi, cum tunc maxime sit necessaria sapientia, siue notitia veritatis contra tentationem erroris. Vnde in parte ista duo ostendūtur: manifestatio veritatis tempore Antichristi per inspirationē in descensu angeli habentis in manu librum apertum, & in rugitu ipsius angeli, & loquela tonitruorum: subtractio vero prædicationis in designatione tonitruorum. Propter primum introducitur descēsus angeli in principio: propter secundum auditus vocis in cœlo, *& audiui vocem.* Circa descensum vero angeli nota descriptionem primo angeli descendentis: † secundo rugitum, colloquia tonitruorum primorū consolatorium: secundū est terribile: primum ad misericordiam: secundū ad iustitiam refertur.

† *forte lege sic: Secundo rugitum & colloquia tonitruorum. primum est consolatorium: secundum, &c.*

Dicit ergo [*Et vidi alium angelū:*] i.e. Christum, paternæ voluntatis nuncium, *Isai. 9. Angelus consilij*: quia à supradictis angelis Satanæ diuersum. [*fortem:*] quia Deus virtus est, *1. Corint. 2.* [*descendentem de cœlo:*] id est, de inuisibilitate ad visibilitatem, de occulto ad publicum, siue de patre in mundum, *Ioh. 16. Exiui à patre & veni in mundum.* & *in Ps. 18. A summo cœlo egressio eius.* [*amictum nube:*] id est, vestitū carne, quæ nobis est refugium contra vitia, *Isa. 19. Ascendet Dominus super nubem leuem.* quod dicit Isaias, *ascendet* referendum est ad hoc, quod caro Christi fuit subiecta spiritui. quod vero hic dicitur, [*descendentem,*] ad humilitatem incarnationis. Nubes leuis dicitur, quia caro eius sine grauitate peccati fuit, *3. Reg. 8. Dixit Dominus, vt habitaret in nebula. Eccl. 43. Medicina omnium in festinatione nebula, & ros obuians ab ardore venienti, humilem efficiet eum.* [*& iris in capite eius:*] id est, virtus reconciliandi in diuinitate, quæ est caput humanitatis, *1. Corinth. 11. Caput Christi Deus.* Deus vero erat in Christo mundum recōcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. *2. Corinth. 5.* Iris græce, latine arcus. & est signum reconciliationis inter Deum & homines, *Genes. 9.* & generatur cum radiis solis fuerit nubes aquosa illustrata. Et de filio Dei dicitur, *Sap. 7.* quod est *emanatio quædā claritatis Dei sincera.* Humana autē natura à filio Dei assumpta nubes fuit aquosa, siue imbuta aquis doctrinæ, quia *in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, Co. 2.* Nubes ergo aquosa radio solis illustrata est, cum natura humana à filio Dei assumpta est. [*Et facies eius erat vt sol:*] facies eius intelligi potest diuinitas quæ est vt sol, i.e. fons luminis & caloris. vel [*facies eius:*] i.e. sancti in quibus similitudo relucet, [*erat sicut sol:*] recognitione fidei clari, & calore charitatis feruidi, *Eccle. 27. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.* vel facies eius potest intelligi incarnatio filij Dei. Facie autē cognoscitur homo. Christus vero nisi carnē assumpsisset, à nobis cognitus non esset, *Ps. 79. Ostende nobis faciem tuam & salui erimus.* Erat autē sicut sol, habens ortum & occasum: & ortum reuertētem post occasum, *Eccl. 1. Oritur sol & occidit & ad locum suum reuertitur, ibiq; renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* [*& pedes eius tanquam columna ignis:*] quia prædicatores qui pedes sunt, Christū per mundū circūferendo recti sunt ad modum columnæ, alios per pietatem supportantes, *Rom. 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* [*Sed tanquā columna ignis,*] quia probati igne multiplicis tribulationis. vel ardentes in se per zelum, lucēres aliis per doctrinā & exemplum, *Ioh. 5. Ille erat lucerna ardens & lucens.* Pedes etiam dicuntur prædicatores, quia ad hoc sunt vt eant, *Ioh. 15. Posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* [*ignis;*] quia ad amorem Dei accendunt, *Zach. 12. In die illa ponam duces Iuda, vt caminū ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno, & deuorabūt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu.* [*columnæ:*] quia super eos ædificium Ecclesiæ construitur, *Psal. 74. Ego confirmaui columnas eius.*

Ver. 2. Et habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedē suum dextrum super mare, sinistrū autem super terram.

[*Et habebat:*] dictus angelus. [*in manu sua libellū apertū:*] quia in se cōpleuit manifeste prout illum quod de ipso in Scriptura continetur. in quibus vult notitiam Scripturæ præbet. [*& posuit pedem*

suum

suum dextrum supra mare:] quia suæ potestati subdit populum gentilem, qui per mare intelligitur, qui erat in amaritudine multorum † & fluctuabat in cultura malorum † dictorum. [*sinistrum autem super terram:*] id est, super Iudæos in fide vnius Dei quondam firmiter solidatos, & etiam excultos per Legem & Prophetas. Super gentes ponit dextrum, quia eligit eos ad beatitudinem: super Iudæos sinistrum, quia eos propter duritiam & auaritiam excæcari permisit ad æternam damnationem. Prius ponit dextrum super mare, deinde sinistrum super terram, quia prius † inuitat gentes ad iustitiam. *Sed cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus erit. Rom. 11. Cæcitas ex parte contigit Israel, donec plenitudo gentium intraret.* Aliter: [*Posuit pedem suum dextrũ:*] id est, prædicatores firmiores. [*supra mare:*] id est, flexibiliores in peccatum. vnde Petrũ & Paulum misit ad Romanos, qui superbi erant & crudeles. [*sinistrum autem:*] id est, minus firmos, scilicet minores prædicatores. [*super terram:*] id est, super eos, qui aliquo modo sustentabantur, qui scilicet minus erant † prædicatores. Secundum *Bedam* hoc dictum est, quia prædicatio fidei Christianæ terra marique propagatur, id est, quæ in insulis maris.

† suppl. vitiorum. † ergo id locum: sanis datur supplendum hoc loco ex cap. 8. vbi habetur eadẽ expositio.

† vitat MS.

† peccatores videtur legendum ex Glossa.

Ver. 3 Et clamauit voce magna, quemadmodum cùm leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.

[*Et clamauit voce magna, quemadmodum leo cum rugit:*] quia futuræ damnationis pœnas esse cauendas terribiliter docuit. Vox magna dicitur, vox de magnis agens. *Gloss.* Vox leonis ostendit eius virtutem, & infert terrorem. cum Leo cauda circa syluam sulcum fecerit, & rugierit, nulla ferarum audet exire: ita Christus suos in fide concludens rugit ne aliquis exeat, *Ose. 11. Quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, & formidabunt filij maris.*

Nota quod quadruplex est clamor Christi.

Primus fuit in prædicatione, *Ioan. 7. Clamabat Iesus in templo docens.*

Secundus in cruce, *Matth. 27. Clamans voce magna emisit spiritum.*

Tertius in Lazari suscitatione, *Iohan. 11.* Hæc cum dixisset voce magna clamauit: *Lazare veni foras.*

Quartus clamor erit in iudicio, de quo *Isa. 42. Vociferabitur & clamabit super inimicos suos. Prou. 20. Sicut rugitus leonis, ita & terror erit regis.*

[*Et cum clamasset:*] id est, cum pœnam malorum futuram insinuasset. [*locuta sunt septem tonitrua voces suas:*] quia post eius prædicationem Euangelistæ & Apostoli septiformis gratia Spiritus sancti repleti, futuri iudicij terrorem prædicauerunt.

Vers. 4. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus erã: & audiui vocem de cœlo dicentem mihi, signa quæ locuta sunt septẽ tonitrua: & noli eam scribere.

[*Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, & ego scripturus eram:*] id est, paratus scribere audita, vt aliquid nunciarem. [*Et audiui:*] hic agitur de subtractione prædicationis in designatione tonitruorum: in qua parte ad consolationem electorum aliqua de æternitate subiungit.

Dicit ergo: [*audiui:*] id est, intellexi. [*vocem de cœlo:*] id est, inspirationem diuinam, vel admonitionem angelicam. [*dicentem signa:*] id est, sigilla, quæ locuta sunt septem tonitrua, id est, omnes prædicatores, vt amicis pateant, & inimicis lateant. [*& noli ea scribere:*] sic enim electis dicta & scripta sanctorum propalanda sunt, vt reprobis abscondantur. non enim sanctum dicendum est canibus, *Tob. 12. Sacramẽtum regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est.* Et spiritualiter tempore Antichristi infidelibus non manifestabuntur Dei mysteria, *Tunc enim erit tempus, quando sanam doctrinam non sustinebunt. 2. Timoth. 4.*

Vers. 5. Et angelus quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cœlum.

[*Et angelus quem vidi stantem super mare:*] quantum ad pedem dextrum: [*& super terram:*] quantum ad pedem sinistrum. [*leuauit manum suam ad cœlum:*] formam iurandi assumens.

Vers. 6. Et iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt: & mare, & ea quæ in eo sunt: quia tempus non erit amplius.

[*Et iurauit per viuentem in secula seculorum:*] id est, firmiter statuit, & veraciter affirmauit. & hoc est contra hæreticos, qui dicunt, quod non licet iurare. [*qui creauit cœlum:*] Empyreum. [*& ea quæ in eo sunt:*] id est, angelos. vel [*cœlum:*] sidereum. [*& ea quæ in eo sunt:*] id est, stellas. vel [*cœlum*] aereum. [*& ea quæ in eo sunt:*] id est, volucres. [*& terram, & ea quæ in ea sunt:*] id est, animalia gressibilia & reptilia. [*& mare:*] id est, quamlibet aquarum congregationem. [*& ea quæ in eo sunt:*] id est, pisces. Ex hac litera conuincitur Manichæus, qui dicit tantum inuisibilia creata à Deo bono: visibilia vero creata à Diabolo.

Sed quid iurauit? quia tempus non erit amplius. Contra *Psalm. 80. Et erit tempus eorum in secula.*

Dicendum, tempus dicitur vno modo prout est mensura primi mobilis, sic non erit, quia stabit firmamentum, & sol & luna, & cæteri planetæ & stellæ, *Abac. 3. Sol & luna steterunt in habitaculo suo.* Stabunt in loco in quo creata fuerunt à principio. alio modo prout est mora motus rerum mutabilium, sicut erit motus quoad malos in inferno, vbi transibũt ab aquis niuium ad nimium calorem, *Iob. 24.* De hoc intelligitur Psalmus. Sed adhuc dicitur de statu bonorum in cœlo. † *creatura enim modo subiecta est vanitati*, mortalitatis in homine, mutabilitatis in his, quę propter hominem facta sunt, curiositatis in his, quæ facta sunt ab homine. *sed liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei Rom. 8.* Est ergo sensus. [*tempus non erit amplius*] id est, successio gaudiorum & tribulationum: quasi dicat angelus fidelibus qui tunc erunt: Estote patientes modico tempore, quia finita momentanea tribulatione, nihil amplius mali patiemini.

Tempus.

† creata MS.

Vers. 7. Sed in diebus vocis septimi angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas.

[*Sed in diebus vocis septimi angeli:*] id est, in diebus prædicationis vltimorum prædicatorum post tempus Antichristi. [*cum cœperit tuba canere:*] id est, cum ipsi cœperint prædicare. [*consummabitur mysterium Dei:*] i.e. implebitur missio super remuneratione sanctorum, quæ dicitur mysterium, quia *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderant, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum, 1. Cor. 2.* [*sicut euangelizauit per suos prophetas:*] quorũ prima intẽtio fuit de aduentu Christi, & de consummatione seculi prophetare, quando bonis præmia & malis pœnæ reddentur. per hoc enim & bonos ad pœnitentiam inuitabant, & malos retrahebant à peccatis, *Ierem. 23. In nouissimis diebus intelligetis consilium eius.*

V. 8. Et audiui vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem, vade & accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare & super terram.

[*Et vox quã audiui:*] quarta pars est, in qua monetur Ioannes ad prædicandum, & in eo omnes alij prædicatores interim antequam veniat tempus illud, sicut dicit *glossa.* & cum tria prędicatori sint necessaria, scientia, eloquentia & vita,

Primo Iohannes monetur ad scientiam.

Secundo datur ei eloquentia: *& datus est mihi calamus.*

Tertio ponitur in exemplo Eliæ & Enoch ad imitationem vitæ: *& dabo duobus testibus meis.*

Dicit ergo: [*Et vox quã audiui, &c.*] Aliqui libri habent talem literam, [*& vocem audiui:*] quæ litera plenior est quia nõ indiget suppletione. sed legamus primam: supple, [*ionan*] [*vox quã audiui de cælo iterum loquentem mecum.*] vox ista fuit angelica admonitio vel diuina inspiratio. [*& dicentem, vade & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare & super terram:*] [*vade*] passibus mentis, non corporis, [*& accipe librum apertum:*] id est, Euangelij prædicationem, quod clausum & signatũ erat in veteri lege, & Christus aperuit nascendo, moriendo, resurgendo & ascendendo, [*de manu Angeli:*] i.e. de potestate Christi, [*stantis supra mare, &c.*] id est, parati iuuare gentiles & Iudæos.

Quæstio. Sed quomodo dicitur Iohanni quod accipiat librum, qui iamdudum illum acceperat, quando scilic. & aliis discipulis Christus dedit officium prædicandi, & aperuit sensum ad intelligendum scripturas?

Responsio. Resp. Hoc dicitur Ioanni in persona futurorum prædicatorum, qui nondũ acceperant officium prædicandi, sed accepturi erant: vel dicitur hoc sibi vt redeat in diœcesim suam, & reseruat prædicationis officium quod intermiserat propter exilium: & hoc est resumere librum.

Vers. 9. Et abij ad angelum, dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi, accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

[*Et abij:*] oratione & prædicatione, & operatione. s. mãdati executionis, *Ps. 33. Accedite ad eum & illuminamini.* [*ad angelum dicens ei, vt daret mihi librũ:*] in hoc exemplum obedientiæ nobis dedit, quod statim præceptũ angeli adimpleuit. [*& dixit mihi, accipe librum:*] i.e. legis intelligentiam, & prædicandi officium. [*& deuora illum:*] i.e. auide & festinanter comede, in corde abscondendo, & memoriter retinẽdo, quia mysteria Ecclesiæ non erunt tunc prædicanda, sed tamen à bonis erunt colligenda ne pereant. [*& faciet amaricari ventrem tuum:*] i.e. mentem tuam. hoc dicitur quia veritatẽ scripturę tuoe oportebit celare in corde quod facient prædicatores, qui tunc erunt cum magno dolore. libentius.n. prædicarent eam si possent. Vel potest hoc referri ad dolorem compassionis, quẽ habuit Ioannes intellectis malis, quæ passuri erãt sancti in vltimis temporibus. [*Sed in ore tuo erit dulce tanquã mel:*] i.e. dulce esset si possent eam prædicare. sed tunc signabitur liber, quia auferetur, tunc fere omnis prædicatio. *supra vers. 4.* [*signa quæ locuta sunt septem tonitrua.*] *Dan. 12. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.* vsq; post mortem Antichristi quando licebit libere prædicare.

Moraliter. Moraliter. [*vade:*] quoad intellectum: [*accipe:*] quoad affectum, quasi incorporãdo tibi per impletionẽ operis. [*& faciet amaricari ventrem tuum:*] i.e. mentem vel compunctionem cordis. [*Et erit in ore tuo dulce tanquam mel*] id est, dulce si possent† eam per deuotionem sermonis.

† supple forsan prædicare, aut aliquid simile.

Ver. 10 Et accepi librum de manu angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce. & cum deuorassem eum, amaricatus est venter meus.

[*Et accepi librum:*] id est, scripturæ intelligentiam, & prædicandi officium. [*de manu angeli:*] ex dono Christi. [*& deuoraui illum:*] id est, memoriæ tradidi & opere impleui [*& erat in ore meo:*] id est. in prædicatione. [*tanquam mel dulce: & cum deuorassem illum, amaricatus est venter meus:*] id est, sensualitas mea.

Ver. 11. Et dixit mihi, oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

[*Et dixit mihi oportet, &c.*] vt Ioannes ab officio prædicationis suspensus & exilio relegatus de liberatione exilij, & de recuperatione officij spem habeat, librũ ab Angelo, i.e. scientiam à Christo accipere iubetur, & quod populis & regib. prædicare debeat ei declaratur: vnde subditur [*oportet te iterum prophetare:*] id est, prædicare mala quæ præuidisti. [*populis & gentibus & linguis:*] i.e. diuersis nationibus. [*& regibus multis:*] Si quæratur quibus, cum Ioannes post reditum ab exilio non legatur exisse de Asia: dicimus quod scripto pluribus regibus prædicauit etsi non verbo. potest etiam hoc referri ad prędicatores vltimi temporis, qui mortuo Antichristo, iterum prędicabunt his qui tunc erunt, quibus dabitur spatium ad pœnitentiam agendam, vt dictum est supra.

Cap. XI.

Vers. 1. Et datus est mihi calamus similis virgæ; & dictum est mihi, surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

[*Et datus est mihi calamus similis virgæ, &c.*] Superius in datione libri aperti ostensum est Iohanni quod data est ei sapientia, hic quod data est ei eloquentia in calamo sibi dato. Et.

Primo dicit Iohannes sibi datam eloquentiam.

Secundo docetur de modo prædicandi: *surge & metire.*

Tertio

Tertio redit ad materiam suam describendo tribulationem futuram tempore Antichristi: *& ciuitatem sanctam.*

Dicit ergo: [*Et datus est mihi calamus:*] i.e. eloquentia prædicandi, quæ per calamũ designatur. *Psal. 44. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Scriptor est Spiritus sanctus. Hic calamus dicitur similis virgæ, quia prædicatio similitudinem seruare debet. Vt ergo certior fiat Ioannes de Ecclesia ædificanda per eius prædicationem, surgere & metiri templum Dei iubetur dato sibi calamo simili virgæ. vnde subditur: [*& dictum est mihi surge:*] i.e. virtutibus & bonis operib. ad prædicandum te erige: vel ad cœlestia mentem erige. [*& metire templum Dei, & altare & adorantes in eo:*] i.e. omnibus secundum capacitatem eorum prædica, 1. *Cor. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos.* Per *templum Dei* intelliguntur firmiores fideles. per *altare*, fortiores. vel *per templum* ad bonam operationem † ad bonum exterius dilatari: per altare contemplationi interius intentis quod autẽ subditur, [*& adorãtes in eo:*] est expositio prædictorũ.

† *forte, per bonum, vel ad bonum f. ete redundat.*

Notandum etiam quod per atrium status fidei informis designatur. Hoc atrium non mensoratur, quia fidelibus extra charitatem descendentibus nõ præmium, sed pœna debetur. Templum vero & altare † templum significant fidei formatæ. templũ ad actiuos refertur: hi mensurantur, quia eis retributio assignatur. Dicit ergo:

† *forte statum: vt sit antithesis inter atriũ fi... for... mæ & fidei formatæ.*

Vers. 2. Atr um autem quod est foris templum, eiice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est Gentibus & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.

[*Atrium autem quod est foris templum:*] id est, falsos Christianos, qui videntur esse Deo cõsecrati, quia sunt baptizati: sed pleni sunt cadaueribus, id est, vitiis & prauis operibus. [*eiice foras:*] *Glos.* id est, excommunicando ostende esse foris. vel [*eiice foras:*] id est, prædica eos in futuro eiiciendos. *Inf. vlt. Foris canes, & venefici, & impudici, &c. Matth. 8. Filii regni eiicientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* [*& ne metiaris illud:*] id est, meo sura prædicationis: vel subtrahe quasi indignis, cum nolint obedire præceptis diuinis, *Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus.* [*quoniam datum est gentibus:*] id est, fortiores factæ sunt gentes in culpa, & ideo similes erunt eis in pœna.

[*Et ciuitatẽ sanctam:*] Diuina inspiratio, vel angelica admonitio ad electorum consolationem aliqua de æternitate præmisit, & sanctum Ioannem de prædicationis officio recipiendo certificauit: hic redit ad materiam suam, & tribulationem sub Antichristo venturam describens, subdit de Elia & Enoch, & eorum prædicatione, potestate, afflictione, morte, resurrectione & glorificatione. De primo: [*& dabo.*] de secundo: [*& si quis voluerit.*] de tertio: [*& cũ finierint testimonium, &c.*] de resurrectione & gloria: [*& post tres dies.*]

Dicit ergo: [*Et ciuitatem sanctam:*] id est, Ecclesiam, secundum *Glossam*, ad iuste viuendum congregatam, & virtutibus monitam [*calcabunt*] persequendo, scil. gentiles & falsi Christiani. [*mensibus quadraginta duobus:*] id est, tribus annis & dimidio, quibus regnabit Antichristus.

Vers. 3. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabũt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.

[*Et dabo duobus testibus meis:*] scilicet Eliæ & Enoch, officium prædicandi. [*& prophetabunt:*] id est, prædicabunt [*diebus mille ducentis sexaginta:*] id est, tribus annis & dimidio: scilicet quo tempore regnabit Antichristus. Alia *Glossa* dicit, quod hi dies nõ perficiunt tres annos & dimidium. quod verum est, quia desunt septendecim dies vel octodecim. Sed non est contrarietas: quia Enoch & Elias prædicabunt tantum quantum Christus prædicauit, tribus annis & dimidio integro: immo defuit fere quinta pars dimidij anni. Christus enim postquam fuit baptizatus superuixit tribus annis & tantum amplius quantum est ab Epiphania vsque ad Pascha, quod pro anno dimidio computatur. Vnde sicut Christus non perfecit præcise tres annos & dimidium in sua prædicatione, ita nec isti perficient eos. Vel dic quod Scriptura sacra non facit vim in minutiis, licet pauci dies desint de dimidio anno, cũ Scriptura dicit tres annos & dimidium fore. [*amicti saccis:*] *Glossa:* vt exemplo inuitent ad agendam pœnitentiam. Insinuatur etiam hic quod asperitas habitus deceat prædicatores, simile exemplũ de Iohanne Baptista. hic etiam habitus congruit Deum prædicantibus. *Hieronymus.* venter vacuus & luctuosus Deum fortius deprecatur. quanti vero metiri sint, subditur. *Hieronym.*

V. 4. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra in cõspectu Domini terræ stantes.

[*Hi sunt duæ oliuæ:*] qui vncti per Spiritus sancti gratiam, [*& duo candelabra*] quia lucentes per operationem bonam. [*in conspectu Domini terræ:*] quia intendentes voluntati & iussi n Dei. [*stantes.*] per rectitudinem iustitiæ. *Gloss.* id est, quod Deo placeat attendentes. simile de Elia, 3. *Reg.* 18. *Viuit Dominus ante cuius vultum sto.* vel dicuntur *oliua*, propter opera misericordiæ. *dua*, propter duplicem eius effectum; interiorem, qui est compassio cordis, & exteriorem, qui est subuentio operis, *Zach. 4. Isti sunt duo filii olei qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* [*duo candelabra:*] propter lumen doctrinæ & boni exempli.

V. 5. Et si quis voluerit nocere eis: ignis exiet de ore eorũ, & deuorabit inimicos eorum Et si quis voluerit eos lædere: sic oportet eum occidi.

[*Et si quis voluerit:*] hic agitur de eorũ potestate. [*& si quis voluerit eis nocere:*] i.e. a proposito suę prędicationis impedire. [*ignis:*] prædicatio diuini verbi, q. dicitur ignis quia illuminat ad cognitionem, & inflammat ad amorem, *Iere. 23. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram. Eccles. 48. Surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* [*exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum:*] i.e. † deuorãdos prędicet. [*& si quis voluerit eos lædere:*] i.e. morte corporali occidere. [*sic oportet eũ occidi:*] i.e. spirituali sententia condemnari. Omnis. n. qui gladiũ acceperit, gladio peribit, *Matt. 26.* Quantam autem potestatem in reb. corporalibus habituri sunt, etiam per sensum literalẽ ostenditur.

† *deuorandos de M S.*

V. 6. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum; & potestatem habens super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint.

[*Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat tempore prophetiæ ipsorum:*] quæ durabat per tres annos & dimidium, 3. *Reg.* 17. *Clausum est cælum ad preces Eliæ ne daret rorem & pluuiam annis tribus & mensibus sex. Iacob.* 5. dicitur de ipso quod *oratione orauit & non pluit annos tres & mensibus sex.* Vel [*habent potestatem claudendi cælum:*] id est, scripturas, quibus celantur arcana. Hoc cœlum aperitur cum cœlestia regna promittuntur: clauditur cum reprobi à promissis cœlestibus prædicuntur. Promissio præmiorū pluuiæ comparatur, eo quod ad modum pluuiæ terram cordis fœcundat ad producendum germen bonorum operum. [*ne pluat diebus prophetiæ eorum:*] *Interlinearis*: quia non prædicabunt nisi congruo tempore. [*& potestatem habent super aquas, &c.*] Hæc & multa alia quæ sequuntur videntur debere intelligi secundum literam, quia ad literam Dominus multa miracula faciet per istos. & sic moraliter: [*potestatem habent super aquas:*] id est, Scripturas. [*conuertendi eas in sanguinem:*] id est, contra sanguinem: id est, contra peccata destruenda, *Ierem.* 48. *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine*: Vel humanas mentes in fidem passionis & martyrij. [*& percutere terram:*] id est, terrenorum amatores, qui dicuntur terra, propter nimium amorem, quo innituntur ipsi terræ. [*omni plaga:*] id est, omni genere damnationis, sicut per Moysen & Aaron percussit Dominus Ægyptum, multis plagis. [*quotiescunque voluerint.*] Deus enim faciet nobis voluntatem eorum, sicut ipsi faciunt volūtatem eius, *Psalm.* 144. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.*

Vers. 7 Et cum finierint testimonium suum: bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

[*Et cum finierint:*] Hic ostenditur eorum passio: occidērut enim ab Antichristo in medio platearum Hierusalem.

Dicit ergo: [*& cum finierint testimonium suum:*] id est, prædicationem, qua testimonium perbibebunt veritati. [*bestia:*] id est, Antichristus, qui bestialiter sæuiet, quia erit ferox & malus, & immisericors vt bestia. [*quæ ascendit:*] ad apicem regni. [*de abysso:*] id est, de profunda tenebrositate vniuersalis malitiæ. Vel hoc dicitur, quia per tenebrosos exaltabitur ad regnum, vt dicit *Glossa*, quia de vili genere erit, & de vili fornicatione nascetur. Nascetur enim de vili tribu, scilicet de Dan, qui fuit de concubina, scilicet de Bala ancilla Rachel, *Genes.* 30. Quod autem ipse de Dan nasciturus sit probatur per illud, *Genes.* 49. *Fiat Dan coluber in via. Glos.* Antichristus veneno cōsumēs eos quos ad latitudinem viţ prouocat. [*faciet aduersus eos bellum:*] multis & variis dispositionibus, vel comminationibus terrendo, & promissionibus blandiendo. [*& vincet illos:*] secundum opinionem vulgi. [*& occidet eos:*] corporaliter.

Vers. 8. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.

[*Et corpora eorum iacebunt in plateis:*] inhumata, vel quia nullus audebit eos sepelire propter timorem Antichristi: vel quia odientes eos propter prædicationem veritatis. Ideo vero Antichristus nollet, vt sepeliantur, vt homines videntes eos insepultos, timeant eos imitari. [*in plateis ciuitatis magnæ:*] id est, Hierusalem, quæ olim magna fuit per iustitiam, tunc magna erit per malitiam, *Isai.* 1. *Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.* [*quæ vocatur spiritualiter:*] id est, secundum spiritualem intelligentiam. [*Sodoma:*] id est, muta. [*& Ægyptus:*] id est, tenebrosa: quia muta erit à muta fidei confessione, & tenebrosa ignorantia, & praua actione. vel *ciuitas magna* est mundus, qui dicitur *ciuitas*, propter obstinationem seu peccati defensionem. *magna*, per elationem, cuius plateæ nominantur ad signandum diuersarum voluptatum latitudinem. [*quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus:*] ad signandum duo maxima peccata: peccatū contra naturam, quod est maximum inter carnalia, quod notatur in Sodoma & † infidelitatem quod est magnum peccatum inter spiritualia, quia notatur in Ægypto, quod † notatur tenebræ. [*vbi Dominus eorum:*] scilicet Eliæ & Enoch, id est, Christus. [*crucifixus est:*] corporaliter in se, & spiritualiter in membris suis, *Matth.* 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* & *Luc.* 10. *Qui vos spernit me spernit.*

† fidelitatem MS.

† forte interpretatur.

Ver. 9 Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumētis.

[*Et videbunt de populis & tribubus. & linguis & gentibus:*] quidam oculis, quidam fama. [*corpora eorum per tres dies & dimidium:*] iacere videlicet super terram illam.

Obiectio. Cum calida sint quomodo poterunt iacere super terram sine magno fœtore?

Responsio. Resp. Non putrefient, quia solidata sunt propter longum vsum ligni vitæ, quo vescuntur & vsi sunt, ex quo in paradisum translati sunt. tamen tamdiu possent ibi iacere quod putrefierēt. Vel forte hoc erit à virtute diuina, vt magis appareat bonitas eorum. *Victorinus:* Hos Prophetas ab Antichristo interfici manifestat Apocalypsis, & quarta die resurgere, ne quis æqualis Domino inueniatur. Insinuatur etiam in hoc quod mors plus poterit in eos quam in Christum. [*& corpora eorum non sinentur poni in monumentis:*] ne eorum memoria habeatur, vel vt alij terreantur.

Quæstio. Sed quare permittet Dominus tam inhumane, & tam crudeliter tractari seruos suos?

Responsio. Resp. Hoc permittet ad maiorem gloriam eorum, & de his specialiter, vt euidentior fiat corruptio.

Vers. 10. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iocundabuntur. & munera mittent inuicem, quoniā hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant super terram.

[*Et inhabitantes terram:*] id est, terrena diligentes, & hic manentem ciuitatem habere cupientes. [*gaudebunt super illis:*] videlicet occisis. [*& iocundabuntur:*] *Gloss.* Iustorum afflictio est impiorum epulatio. [*& munera mittent inuicem:*] dona, ad literam. [*quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt:*] id est, cruciando prædixerunt. [*eos qui habitant super terram:*] id est, qui amant terrena, id est, quæ illi contemnebant, & contemnenda prædicabant. vel [*cruciauerunt eos:*] iniquitati eorum contradi-

tradi-

tradicendo. *Sap.2. Grauis est nobis etiam ad videndū, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius, Prou.15.* Non amat pestilensē ū qui se corripit, nec ad sapientes graditur. De his prophetis communis opinio est, quod sint Elias & Enoch. De Elia habetur *Malach. vlt. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Sed vnde habetur quod Enoch sit alter eorum? forte ex hoc quod translatus est viuus in paradisum, sicut Elias. Aliqui tamen dixerūt quod Moyses erit alter eorum, quod Dominus apparuerit tribus discipulis in monte cum Moyse & Elia, *Matt.17.* Sed sancti magis volunt quod Enoch sit alter eorum qui nondum mortuus est, sed cum Elia occidetur ab Antichristo.

Ioachim. Hieronymus. *Ioachim* dicit, cui *Hieronymus* dicit consentire, hoc quod hic dicitur de duob. his in spiritu esse consummandum, nō in littera, & quod hi duo testes sunt duo ordines, qui ante finem mūdi sunt venturi, qui & duæ oliuæ & duo candelabra dicuntur, quia & oleo charitatis ardebunt, & splendore sapientiæ fulgebunt.

Vers 11. Et post dies tres & dimidium spiritus vitę à Deo intrauit in eos. Et steterūt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.

[*Et post tres dies:*] quarta pars est, in qua ostenditur eorum gloria & resurrectio, sed

Primo resurrectio, ibi: *post tres dies.*

Secundo gloria: *& audierunt vocem.*

Tertio vero adiungit de pœna reproborum, quia opposita iuxta se posita magis patent: *& in illa hora.* Secundum quosdam eorum resurrectio fiet quarta die, secundum alios post tres annus & dimidium.

Dicit ergo: [*Et post tres dies & dimidium:*] ab interfectione eorum. [*spiritus vitæ:*] idest, anima viuificans corpus, & viuificata à Spiritu sancto. [*à Deo:*] id est, virtute diuina non sua natura. [*intrauit in eos:*] idest, intrabit. præteritum enim hic & in multis, quæ sequuntur sumitur pro futuro, prophetica certitudine. In hoc vero quod dicitur, [*à Deo*] insinuatur quod resurrectio corporum non est naturalis, sed miraculosa. [*& steterunt super pedes suos:*] id est, resurrexerunt. *Interlinearis.* iam immortales & impassi-

Haymo. biles. *Haymo*: Bene stare dicuntur, quia iam incommutabiles erant in mente, & incorruptibiles in corpore.

Quæstio. Sed quæritur qualis erit resurrectio eorum. si gloriosa sicut resurrectio Christi, ergo ante alios erunt consummati, quod est contra Apostolum, *Hebr.11.* qui dicit: ne sine nobis consummarentur, si non gloriosa sicut resurrectio Lazari fiet eis iniuria cum iterum sint morituri: quod est etiam contra *Glossam* hic.

Solutio. Respond. Resurgent glorificati sicut Christus, nec iterum morientur, vt tangit hic glossa. Et quod obiicitur de Apostolo dicendum, quod hoc erit eis ex priuilegio speciali, propter testimonium speciale, propter quod occidētur. Præterea non debent dici ante alios resurgere, quia parum post erit resurrectio generalis. [*& timor magnus:*] ex tam subita resurrectione. [*cecidit super eos qui viderunt eos:*] sicut pondus graue

† illos. Haymo. † illud opprimens. quia sicut dicit *Haymo*: Illi qui occiderunt illos videntes illos glorificatos expectabunt Dei vltionem.

Sed quomodo videbunt oculis non glorificatis corpora sanctorum glorificata? *Obiectio.*

Resp. Sicut dicit *Gregorius in homilia... Pasche.* *Responsio.* Corpus glorificatum est palpabile per virtutem *Gregorius.* naturę, subtilis vero per effectum spiritualis substantiæ: vnde possunt vti passibilitate vel subtilitate ad voluntatem spiritus. Quidam tamen dicunt quod hoc erit per miraculum.

Vers 12. Et audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis, ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube: & viderunt illos inimici eorum.

[*Et audierunt:*] Hic agitur de gloria Enoch & Eliæ, vnde dicit: Elias scilicet & Enoch. [*vocem magnam:*] idest, magnæ potestatis. vel [*magnam:*] i.e. audibilem omnibus. [*de cœlo dicentem:*] id est, à Christo, vel ab archangelo factam, in aere directam. [*illis:*] sc. Enoch & Eliæ suscitatis & stantibus supra pedes suos. [*ascendite huc:*] ad consortiū sanctorum. [*& ascenderunt in cœlum*] Empyreum. [*in nube:*] sicut Christus, *Act.1.* Iustum enim fuit vt qui Christum imitati erant in prædicatione & tribulatione, conformarentur ei in ascensione, *1. Thessalon. 4. Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aera.* [*& viderunt illos,*] glorificatos. [*inimici eorum:*] qui de morte gaudebant, multo plus stupentes de eorum resurrectione, *Sap.5.* videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus.

V.13 Et in illa hora factus est terræmotus magnus: & decima pars ciuitatis cecidit: & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cœli.

[*Et in illa hora:*] Hic adiungitur de pœna reproborum: sc. glorificationis vel ascensionis eorum. vel status post ascensionem. [*factus est terræmotus magnus:*] ad litterā. vel [*motus terræ:*] i.e. hominum terrenorum. qui † alij moti sunt ad pœnitētiam, *† alis MS.* alij ad maiorē duritiem, & malitiam. [*& decima pars ciuitatis cecidit:*] i.e. sancti, de quib. debet decimus ordo Angelorū restitui, se humiliauerunt gratias agētes de glorificatione seruorū eius. vel [*cecidit:*] in morte, gladio malorū. decima etiam pars ciuitatis potest intelligi cœtus malorū, qui non sunt de aliquo nouem ordinū Ecclesiasticæ hierarchiæ. Ecclesia.n. militans facta est ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis, secudū illud, *Exod.25. Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Vnde sicut in ecclesia triumphante sunt nouem ordines Angelorum, ita in Ecclesia militante nouem ordines hominum: sc. septē clericorum, & duo laicorum, sc. coniugati & continentes. vel nouem ordines hominum dici possunt, qui nouē ordinib. Angelorum assimilātur in operib. suis, vt ostendit *Greg. in Homil. de drachma perdita, Luc.15.* *Gregorius.* Et sicut de quolibet ordine aliqui ceciderūt & tot quod possent facere decimū ordinem: ita de hominib. tot saluabuntur quod poterunt reparare integrum numerum Angelorum. Mali vero qui de nullo ordine sunt, dicuntur quarta pars ciuitatis, quæ cecidit. Cadent enim irreparabiliter in infernum, sicut Antichristus dux eorum, de quo *Psal.10. Cadet cum dominatus fuerit pauperum.* *Psalm.140. 10.* Et de malis alibi: Cadent in reticulo eius peccatores. [*& occisa sunt*

in ter-

in terremotu:] ſupradicto. [*nomina hominum ſeptem millia:* id eſt, reprobi nominati ſeptem vitiis † naturæ. *Septem* dicuntur ad ſignandum numeroſitatem damnandorum. Millia dicuntur ad ſignificandam perfectionẽ malitiæ. Per Septenarium enim vniuerſitatem: per millenarium intelligimus perfectionem. [*nomina hominum:*] *Gloſſ.* Mali dicuntur nominari, quia tantum habẽt nomen, & non rem nominis. *ſupra* 3. *Nomen habes quod viuas, & mortuus es.* [*& reliqui:*] ſcilicet non ſunt in peccatis indurati. [*in timore ſunt miſſi:*] id eſt, in reuerentia Dei, viſa pœna aliorum, *Prouer.* 21. *Mulctato peſtilenti ſapientior erit paruulus.* Vel hoc ideo dicitur, quia timebunt ne cadant ſicut alij ceciderunt, 1. *Corinth.* 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* [*Et dederunt gloriam Deo cæli:*] ſuam culpam confitentes, & eius iuſtitiam prædicantes.

† *hic locus eſt mendoſus*

Verſ. 14. Væ ſecundum abiit: & ecce væ tertium veniet cito.

[*Væ ſecundũ abiit:*] id eſt, tribulatio futura tempore Antichriſti pertranſit. [*& ecce væ tertium veniet cito:*] id eſt, pauor iudicij, *Ioel.* 1. *Ha, ha, ha diei, quia prope eſt dies Domini.*

Verſ. 15. Et ſeptimus angelus tuba cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in cœlo dicẽtes, Factum eſt regnum huius mundi, Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum, Amen.

[*Et ſeptimus Angelus. &c.*] Hic eſt finis tertiæ viſionis, vbi agitur de fine temporis, ſiue de fine mundi, & aduentu iudicij. finis mundi annunciatur per voces magnas factas in cœlo, ibi: *& factæ ſunt voces.* Aduentus iudicij per vigintiquatuor ſeniores, in quorum gratiarum actione tria tanguntur.

Primo gratiarum actio pro creatione, ibi: *gratias agimus tibi.*

Secundo pro recreatione, ibi: *qui accepiſti virtutem.*

Tertio pro aduentu ad iudicium: *& aduenit ira tua.*

Dicit ergo: [*Et ſeptimus Angelus:*] id eſt, ſeptimus ordo doctorum ſiue vltimus. [*tuba cecinit:*] id eſt, terribiliter prædicauit & dulciter: terribiliter malis, dulciter bonis. dulcedo enim in cantu, terror in tuba ſignatur. & ponitur hic & in ſequentibus præteritum pro futuro. [*& factæ ſunt voces magnæ:*] id eſt, laudes Deo exhibitæ, de iuſtorum ſaluatione, & impiorum damnatione. [*in cœlo:*] id eſt, in Eccleſia cœleſti conuerſatione ſublimata. [*dicentes: factum eſt regnum huius mundi:*] id eſt, vniuerſitas fidelium, quæ adhuc in mundo per tribulationes exercetur, & ad cœleſtes manſiones præparatur. [*Domini noſtri & Chriſti eius:*] *Gloſſa:* id eſt, patris & filij, quorũ fuit ſemper regnum huius mũdi ſecundum poteſtatem; ſed dicitur tunc fieri eorum, quia fraudulentia & ſæuitia diaboli, quæ diu regnauit in mundo ceſſabit, & Deus in fidelibus ſuis in tranquillitate perpetua regnabit, vnde & ſubditur: [*& regnabit in ſecula ſeculorum:*] id eſt, in æternum. Simile, *Daniel.* 7. Suſcipient enim regnum Dei altiſſimi ſancti, & obtinebunt regnum vſque in ſecula, & ſeculum ſeculi. Aliqui libri habent, *Amen.* ſed non eſt de textu: immo eſt *Interlinearis*, quæ oſtendit omnia prædicta firma eſſe & vera. vnde *Gloſſa* hic: Qui prius viluerat & abiectus erat iam regnat coronans bonos, condemnans malos.

Verſ. 16. Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt Deum,

[*Et viginti quatuor ſeniores:*] Superius præmiſit generalem omnium electorum pro collatis beneficiis Deo exhibitam laudationem, nunc ſubdit ſpecialem perfectionem, & maiorum gratiarum actionem, dicens: [*& viginti quatuor ſeniores:*] id eſt, vniuerſi prædicatores & doctores, & eccleſiaſtici iudices & rectores, tam noui quam veteris Teſtamenti. [*qui in conſpectu Dei ſunt:*] actiue quod diuino conſpectui placet conſiderant, & attendunt: & paſſiue, quia ipſi & facta eorum à Domino approbantur. [*in ſedibus ſuis:*] id eſt, in Eccleſiis ſibi commiſſis, vel in officiis ſuis. vel in illis ſedibus, de quibus, *Matth.* 19. *Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* [*ceciderunt in facies ſuas:*] ſe humiliando, & adorauerunt.

Verſ. 17 Dicentes, Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti virtutem tuam magnam & regnaſti.

[*Dicentes. Gratias agimus tibi,*] à quo tot & tanta beneficia accepimus. [*Domine,*] cui ſeruimus. [*Deus*] quem colimus. [*omnipotens,*] quem timemus. [*qui es,*] immutabiliter. [*qui eras,*] ſemper. non dicit, vt in aliis locis ſolet, [*qui venturus es,*] quia hic agitur de fine mundi, quando apparebit eum iam veniſſe: & quod talis & tantus ſit, cui tanta gratiarũ actio ſit reddenda declaratur cum ſubditur: [*qui accepiſti virtutem magnam:*] ſecundum humanitatem aſſumptam, ex mortuis reſurgendo, & in cœlum aſcendendo. [*& regnaſti:*] tuos contra diabolum defendendo, & eos in virtutibus & bonis operibus pie gubernando.

Verſ. 18. Et iratæ ſunt Gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum, iudicari, & reddere mercedẽ ſeruis tuis Prophetis & ſanctis. Et timentibus nomen tuum puſillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram.

[*Et iratæ ſunt gentes:*] & mali gentiliter viuentes, tuum regnum contrarium cõſurgere videntes, & ſuum deprimi: [*& aduenit ira tua:*] id eſt, † iuxta vindicta tua, quæ in hominibus ab ira, & cum ira eſſe ſolet; à te vero ſemper eſt cum tranquillitate, *Sap.* 12. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos.* [*& tempus mortuorum:*] ſupple aduenit iudicari; id eſt, bonos à malis, & malos à bonis ſegregari, *Matth.* 25. *Separabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis* [*Et*] ſupple, aduenit tempus. [*reddere mercedem ſeruis ſuis Prophetis:*] id eſt, maioribus ſanctis. [*& ſanctis timentibus nomen tuum:*] id eſt, minoribus: quod ordine mutato ſubiungendo exponit dicens, [*puſillis & magnis.* Nota quod id quod dictum eſt Prophetis pertinet ad contemplationem ſapientiæ, quod dicitur. [*Sanctis,*] ad intentionem boni: quod dicitur [*timentibus,*] ad reuerentiam poteſtatis. & ſupple, aduenit tempus [*exterminandi:*] id eſt, condemnandi. [*eos*

† *lege iuſta.*

qui

corrumpunt terram:] vel in se male viuendo, vel in alijs, eis exemplum male viuendi ostendeodo: in quo designatur tertium væ, quod prius dictum est cito venturum.

Vers. 19. Et apertum est templum Dei in cœlo: & visa est arca testamenti eius in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna.

[*Et apertum est templum Dei in cælo, &c.*] Quarta visio est, in qua agitur de pugna mulieris. Hæc visio secundum *Bedam*, sub figura mulieris parturientis, Ecclesiæ labores & victorias aperit.

Nota ergo differentiam visionum.

Quatuor primæ respiciunt vniuersalem statum Ecclesiæ.

Tres vltimæ statum finalem.

Prima inter quatuor continet correctionem septem Ecclesiarum, & est arguitoria, vt mouearis ad pœnitentiam per affectum doloris: vnde ibidem frequenter dicitur, *pœnitentiam age: secundo & tertio capitulo.*

Secunda est consolatoria per reuelationem mysteriorum, per apertionem sigillorum, id est, secretorum vniuersalis Ecclesiæ, vt mouearis ad amorem per affectum gaudij.

Tertia est comminatoria damnationis reproborum per elangentes angelos, vt mouearis per affectum timoris.

Quarta quæ præsens est, est exhortatoria ad pugnam, ... exemplo victricis mulieris, vt animeris ad pugnam per affectum spei.

Sic igitur quatuor istæ primæ visiones quatuor generant in Deum affectiones.

Dolorem de peccatis, quoad primam.

Gaudium de beneficiis quoad secundam.

Timorem de pœnis quoad tertiam.

Spem de tentationibus vincendis quoad quartam.

† pensi MS: sed male. Describitur autem hic duplex † pugna primo mulieris & draconis in præsenti capitulo: secundo mulieris cum familia draconis, duobus sequentibus capitulis. Vnde continet hæc visio tria capitula, 12. 13. & 14.

In primo agitur de profectu Ecclesiæ in persecutione diaboli: quæ persecutio incipit à principio mundi.

In secundo de profectu Ecclesiæ sub persecutione Antichristi. In primo capitulo primo agitur de pugna in cœlo: secundo de pugna in terra: *væ terra & mari.*

In prima primo ponuntur quædam antecedentia, quasi continuatiua illius visionis ad præcedentes.

Secūdo ponitur descriptio mulieris pugnantis: *& signum magnum erit in cœlo.*

Tertio descriptio draconis: *& visum est aliud signum.*

Quarto pugna mulieris cum dracone: *& draco stetit.*

Quinto adiutorium mulieris: *& factum est prælium.*

Sexto victoria in proiectione draconis de Ecclesia: [*& proiectus est Draco.*] Prima continet tria: primo apertionem templi, visionem arcæ Testamenti, immutationem aeris vt patet.

Dicit ergo: [*Et apertum est:*] Copulatiua coniunctio innuit, quod hæc visio dependet à præcedentibus. vnde duo ponuntur hic quorum vnum pertinet ad secundam visionem, scilicet apertio templi: aliud ad tertiam scilicet aeris immutatio. Sed ex hoc videtur quod hæc quarta visio non incipiat hic, sed infra: [*& signum magnum.*] Quod satis potest concedi: vel potest dici quod hic incipit, & ista quæ ostenduntur hic Iohanni pertineotia ad secundam & tertiam visionem non ostenduntur, nisi etiam quantum pertinent ad profectum Ecclesiæ, qui determinatur in hac quarta visione.

Dicit ergo: [*Et apertum est templum Dei in cœlo:*] Templum hic dicitur redemptionis nostræ sacramentum, in quo salutis humanæ gratia, quasi in quodam templo continetur. Cœlum vero dicitur sacrum eloquium multis sententiis, quasi multis luminaib. per cœlestem admonitionem eleuatum, per sensuum multiplicitatem dilatatum. Templum ergo in cœlo est: diuinum sacramentum in sacro eloquio. Templum autem apertum est, quando Mediatore Dei & hominum veniente in mundum, nostræ redemptionis mysterium in Scripturis sacris est cognitum. *Glossa* sic exponit: [*Apertum est templum in cœlo:*] id est, datus est Spiritus sanctus scilicet à Christo, per quem mysteria Ecclesiæ sunt reuelata fidelibus. [*Et visa est arca testamenti eius in templo eius:*] quia humana natura à verbo Dei assumpta, in qua continetur manna spiritualis Ecclesiæ, & virga rectitudinis iustitiæ, & tabulæ vniuersæ scientiæ, ab electis est scilicet credita, *Coloss. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* [*& facta sunt fulgura:*] id est, exhibita sunt miracula. [*& voces:*] id est, cœlestis doctrinæ verba sunt prædicata. [*& terræmotus:*] quia quidam moti sunt ad conuersionem, quidam ad peruersionem. Concitati sunt enim quidam ad persecutionem: vnde sequitur: [*& grando magna:*] † grando pro persecutione ponitur: quia sicut grando segetes virentes in casu suo frangit & lædit primitiua, tamen postea liquefactam humectat terram, & reddit vberem: sic persecutio nouellos in fide frangit, & tamen Ecclesiam reddit fœcundam. Ea tribulatione enim augetur virtus Ecclesiæ & charitas eius, *Psalm. 4. In tribulatione dilatasti mihi. Exod. 1. Quanto magis affligebantur filij Israel, tanto magis multiplicabantur.* † quando MS.

CAP. XII.

Vers. 1. Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius. & in capite eius corona stellarum duodecim.

[*Et signum magnum:*] Hic ponitur descriptio mulieris: id est Ecclesiæ, quæ dicitur mulier, & propter fœcunditatē, & propter subiectionem, quam habet ad Christum. [*& signū magnum:*] i.e. magna signans [*apparuit in cœlo:*] in cœlo, i.e. in Eccl. sia. [*mulier amicta sole:*] i.e. Ecclesia ornata Christi similitudine, *Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis Christum induistis.* vel [*mulier amicta sole:*] id est, Ecclesia circumdata feruenti tribulatione, quæ nomine solis intelligitur, *Psalm. 18 In sole posuit tabernaculum suum:* id est, in tribulationis feruore. Sol illuminat mundum & desiccat lutum: sic tribulatio illuminat intelle-

ctum

ctum & deficcat peccatum, *Isai. 28. Sola vexatio intellectum dabit auditui.* [*& luna sub pedibus eius:*] id est, mundi prosperitas inh affectibus eios. Calcantur enim temporalia ab amicis Dei. Prosperitas luna dicitur, quia ad modum lunæ crescit & decrescit, *Eccles. 27. Stultus vt luna mutatur.* Mundus scilicet senex qui est fatuus, *Eccles. 25.* vel [*luna sub pedibus eius:*] vel mundus est sub prædicatoribus, qui pedes Ecclesiæ sunt, *Isai. 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem.* [*& in capite eius corona stellarum duodecim:*] quia in sui primordio meruit habere splendorem duodecim Apostolorum, quibus ipsa quasi stellis duodecim illuminata est, & quasi doodecim margaritis ornata. Ipsi fuerunt corona Ecclesiæ. & quia Ecclesiam ornauerunt, & quia hostes Ecclesiæ vicerunt. Ipsi enim quasi præcipui milites in capite Ecclesiæ sunt positi, *Baruc. 3. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis.* Thomas in India maiori:
Nota.
„ Bartholomæus in India minori: Simoo & Iudas
„ in Persia: Philippos in Samaria: Matthæus in
„ Æthiopia: Matthias io Alexandria: Iohannes in
„ Asia: Andeeas in Achaia: Duo Iacobi in Iudæa:
„ Petrus in Cappadocia: Paulus in Græcia; & tan-
„ dem Petrus & Paulus simul io Italia.

Ver. 2. Et in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.

[*Et in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat:*] Hic Ecclesia Christum † in vtero per fidem, parturit per bonam voluntatem, patir per bonam actionem: Parturitio est conatus ad patiendom. Ecclesia vero iam habens Christum in vtero per fidem, & parturiens per bonam voluntatem, clamat per deuotam orationem, vt pariat per manifesti operis moltiplicationem. vel io vtero pietatis habẽs filios qoos parere desiderat, clamat parturiens, id est ad partum laborans prædicando & orando, & cruciatur vigilando, ieiunando, discurreodo, vt pariat Christo filios, exemplo Christi, *Matthæi 4. Circumibat Iesus totam Galilæam in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni. Galat. 4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* De eruciatu, *Iohan. 16. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius, Isaia 37. Venerunt filii vsq; ad partum, & virtus non est pariendi.*

† forte supple habet vel gerit.

Verf. 3. Et visum est aliud signum in cœlo, & ecce draco magnus rufus habẽs capita septem, & cornua decem.

[*Et visum est aliud signum:*] Posita descriptione mulieris pugnaturæ cum dracone, hic pooitur descriptio draconis. vnde dicit: [*& visum est aliud signum:*] signanter dicit aliud, quia primum signom fuit signum proficiendi, istud fuit signum profectuin impediendi, *Eccles. 11. Multa sunt insidiæ dolosi.* [*in cælo:*] in Ecclesia scilicet: vel [*in cœlo,*] quia cognitum est scriptum in sacro eloquio. [*Et ecce draco magnus:*] Diabolus scilicet. [*draco*] per astutiam, *Genes. 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Psalm. 10. Insidiatur quasi leo in spelunca sua.* [*magnus,*] per nocendi potentiam, *Iob. 41. Non est potestas subter terram quæ comparetur ei.* Vel [*magnus*] per elenationem: Ipse eoim est rex super omnes filios superbiæ, *Iob. 41.* [*rufus,*] per malitiam, *Iohan. 8. Ille homicida erat ab initio.*

Nota, Diabolus *leo* dicitor, vbi aperte sæuit: *draco*, vbi occulte decipit. Ideo pugnaturo contra eum duo sunt necessaria: scilicet patientia contra malitiam leonis: sapientia contra astutiam draconis. Ideo dicitur *infra versu 14. quod duæ alæ data sunt mulieri*, quibus se defendat, scilicet patientia & sapientia. [*habens capita septem:*] in quantum per suggestionem incitat ad septem capitalia vitia. [*& cornua decem:*] in quantum tentando impellit ad Decalogi transgressionem.

Verf. 4. Et in capitibus eius diademata septem. & cauda eius trahebat tertiam partẽ stellarum cœli, & misit eas in terra, & draco stetit ante mulierem quæ erat paritura: vt cum peperisset, filium eius deuoraret.

[*Et in capitibus eius septem diademata:*] quoad septiformem tentationem. vnde est ei corona gloriæ suæ pro victoria.

Bernardus: Septem sunt genera tentationum.

Importuna, quę procaciter insistit, vt saltem tędio vincat, *Iob. 14. Lapides excauant aqua, & alluuione paulatim terra consumitur:* & homines ergo similiter perdes, id est, vndarum percussiooe terra coosumitur. 1

Dubia, quæ animam ambiguitatis oubilo inuoluit, *Iob. 20. Idcirco cogitationes meæ variæ succedũt sibi, & mens ad diuersa rapitur.* 2

Subita, quæ iudicium rationis præuenit, *Thren. 4: Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.* 3

Occulta, quæ delibetatioois consideratiooem prætetfugit, *Iob. 13. Quantas habeo iniquitates & peccata? scelera mea & delicta mea ostende mihi: & Iob. 41. Quis reuelabit faciem indumenti eius? portas vultus eius quis aperiet?* id est, occultas eius tentationes. 4

Violenta, quæ vires mentis transcendit, *Iob 30. Quasi rupto muro, & aperta ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt.* 5

Fraudulenta, quæ animam seducit, *Prouerb. 14. Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius deducunt ad mortem.* 6

Perplexa, quę variis vitiis simul impetit, *Iob. 40. Nerui testiculorum eius perplexi sunt.* 7

Possunt & per septem capita iotelligi septem hæresiarchæ: & per decem cornua decem reges, qui tempore Antichristi tam falsa prædicatione quam tyrannica potestate affligent sanctos, & Ecclesiam totam & moltos vincent. Propter quod dicitur habere in capite septẽm diademata. Et quia hæc victoria magis fiet fraudulentia quam violentia, ideo subditur: [*& cauda eius:*] id est, finalis tentatio, vel simulata deceptio, quæ malitiam tegit sicut cauda turpitudinem, quæ maxima erit tempore Antichristi. trahebat de fide ad infidelitatem, [*tertiam partem stellarum cœli:*] id est, reprobos, qui nec in numero innocẽtum, nec in oomero pœnitentium inueniootur: qui reprobi dicuntur stellæ per fidem qoam habent, saltem infotmem: vel quia in alto coouersationis videntur manere, & per bona opera aliis lucere. Specialiter Stellæ possont dici clerici, vel qoi sont in statu perfectioois, vel religiosi. [*& misit eas in terram:*] id est, in amorem terrenorum, vt plus ea quam cœlestia diligaot. *Gloss.* [*misit in terram:*] id est, tractos amore terrenorum illexit. Hoc verbum, [*Cauda eius, &c.*] frequenter sancti assumunt, vbi agunt de casu Angelorum, qoi cum Lucifero ceciderunt. Et secundum hoc notandum,

tandum, quod duo sunt genera Angelorum ministrantes & assistentes, *Dan.* 7. *Millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia assistunt ei.* Qui vero nec assistere voluerunt, nec nobis ministrare propter Deum, sed Lucifero consenserunt, dicuntur tertia pars. Hos dicitur traxisse Lucifer cauda sua, quia ei consenserunt. (Lucifer.) Lucifer enim appetiit æqualitatem Dei, & aliis angelis reuelauit voluntatem suam, & illi ei consenserunt. Et quia ille fuit auctor Dei similitudinem appetendo, & aliis suam voluntatem reuelando, dicitur illos traxisse. In terram vero misit eos, id est, in istum aerem caliginosum, in quo sunt ad nostram probationem vsque in diem iudicij.

(Moraliter.) Moraliter potest exponi de illis, quos diabolus trahit in terram, id est, in terrenam concupiscentiam promissione finalis pœnitentiæ, *Eccles.* 29. *Repromissio nequissima multos perdidit.*

[*Et draco stetit*:] Hic ostenditur pugna draconis contra mulierem: Vbi

Primo ostenditur draconis pertinacia in impugnatione mulieris.

Secundo tangitur status mulieris, quæ erat paritura.

Tertio intentio draconis: *vt cum peperisset.*

Quarto partus mulieris: *& peperit filium masculum.*

Quinto conseruatio partus: *& raptus est filius.*

Sexto fuga mulieris in solitudinem: *& mulier fugit.*

Dicit ergo: [*Et draco stetit ante mulierem*:] draco, id est, diabolus astutus, [*stetit ante mulierem*:] id est, Ecclesiam instanter impugnando eam. [*quæ erat paritura*:] A quo † in fide Christi, quos ipsa conceperat per affectum, sed nondum pepererat per effectum, quorum partum diabolus multum nititur impedire. († hic locus est mendosus.) vellet enim eam semper esse prægnantem & nunquam parientem, sciens illud, *Luca* 21. *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Isaia* 37. *Filij venerunt vsque ad partum, & virtus non est pariendi.* [*vt cum peperisset filium eius deuoraret*:] trahendo eum ad peccatum. si non potest partum impedire, nititur quod natum est occidere, *Zachar.* 3. *Satan stabat à dextris eius, Zorobabel,* vt aduersaretur ei. Remedium contra hoc habetur, *Exodi* 3. Vbi parentes Moysi videntes puerum elegantem absconderunt ipsum tribus mensibus. tres menses sunt tres defectus, qui debent attendi in operib. nostris ne in die † inaniter glorientur. († forte supple, aduerti.)

Primus est quod opera nostra non sunt pura, *Isaia* 64. *Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Iob.* 9. *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me. Gregorius.* (Gregorius.) Sæpe sordet ante oculos iudicis, quod fulget ante oculos facientis.

Secundus est, quia non sunt plena, *Supra* 3. Non inuenio opera tua plena coram Deo.

Tertius, quia sunt pauca, *Psalmo septuagesimosexto: Et dixi, nunc cœpi, hæc commutatio dexteræ excelsi. & ipsa etiam opera nostra à Deo habemus. Isaie* 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* 1. *Corinth.* 4. *Quid habes quod non accepisti.* [*vt cum peperisset, filium eius deuoraret*:] Non dicit filiam; quia quanto quis fortior, tanto inuidia Diaboli contra eum maior. & quanto opus melius, tanto magis extinguere nititur, vel à principio intentionem peruertendo, vel in fine † vanam gloriam († vnd MS.) suggerendo, *Exodi* 1. *Dixit Pharao obstetricibus, si masculum fuerit interficere, si fœmina reseruate.* In hoc quod dicitur, cum peperisset innuitur quod nouitios & adhuc infirmos nititur deuorare trahendo ad peccatum, vt post trahat eos ad infernum, *Ierem.* 51. *Comedit me, deuorauit me rex Babylonis, absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea.*

Vers. 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum & ad thronum eius.

[*Et peperit mulier filium*:] † quantum scilicet vel membra eius: [*masculum*:] id est, virtuosum, 1. *Corinth.* 1. *Quod infirmum est Dei fortius est hominibus.* († lege forte Christum.) Sed cum dixerit filium, quare addidit masculum, cum non posset esse filius nisi masculus? Ad hoc *Beda* masculum dicit victorem Diaboli, qui fœminam vicerat. [*qui recturus erat omnes gentes virga ferrea*:] Hoc potest intelligi de Christo secundum illud, *Psalmo secundo: Reges eos in virga ferrea*: id est, inflexibili iustitia. Vel de electis secundum illud, *supra* 2. *Qui vicerit & custodierit opera mea vsque in finem, dabo illi potestatem super gentes, & reget eos in virga ferrea.* [*Et raptus est filius eius ad Deum*:] id est, ad Patris æqualitatem, quantum ad manifestationem. Simile: *Philipp.* 2. *Donauit illi nomen quod est super omne nomen.* Vel [*raptus est, &c.*] quia secundum humanitatem ascendit in cœlum. [*& ad thronum eius*:] vt scilicet eum patre iudicet. Idem verbum potest intelligi de membris, *Psalmo* 83. *Ascensiones in corde suo disposuit. Disposuit* dicitur de viro iusto. *Ephes.* 2. *Consedere nos fecit in cœlestibus in Christo.* [*Et ad thronum eius*:] quod fit cum constituitur ante diuinum iudicium.

Versic. 6. Et mulier fugit in solitudinem vbi habebat locũ paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

[*Et mulier*:] id est, Ecclesia. [*fugit in solitudinem*:] Haymo. (Haymo.) Solitudinem ad quam mulier fugit secretum mentis debemus intelligere, quia abiiciens terrenorum desideriorum tumultus, & mundi superfluas curas seipsam desertam facit, *in Psal.* 54. *Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Sapient.* 8. *Intrans in domum meam conquiescam cum illa*: scilicet cum sapientia. [*vbi habet locum paratum à Deo.*] Haymo: id est, ipsum Deum qui requiescit in corde illius, *Iob.* 39. (Haymo.) De onagro: Cui dedi in solitudine domũ, & tabernacula eius in terra salsuginis. *Gregorius.* (Gregorius.) In solitudine Dominus domum dat, dum à catenis desideriis remoti operatione diuina silenter inhabitant. vel [*in solitudinem*:] id est, in religionem, vbi transitoriis contemptis Deo & sibi vacent, *Isaie* 51. *Ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini.* [*vt ibi Deus pascat illam*:] quod signatur per turbam sequentem Dominum in desertum, quam Dominus pauit, *Matthei* 14. & 15. Vel in religione pascitur quis pane doctrinæ, pane eucharistiæ, pane consolationis diuinæ. *Luca* 11. *Amice commoda mihi tres panes.* [*Diebus mille ducentis sexaginta*:] id est, prædicatione Christi tribus annis & dimidio facta. ne moriatur humo fame verbi Dei, maxime in persecutione Antichristi tribus annis, & dimidio susti-

nenda... Secundum *Haymonem* per hunc numerum totum tempus præsens accipere possumus, à quo numero diuina prædicatio cœpit, & in quo per nouissimos prædicatores terminabitur. *Beda.* Ista dierum numero omnia Christianitatis tempora complectitur, quia Christus, cuius Ecclesia corpus est cum ipsis in carne prædicauit.

Vers.7. Et factū est prælium magnum in cœlo, Michael & angeli eius præliabātur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius.

[*Et factum est prælium magnum:*] Descripta diaboli contra Ecclesiam succensa † ...... hic describitur adiutorium mulieri contra draconem: vbi quatuor tanguntur. († forte supple inuidia vel malitia.)

Primo quod Angeli sancti iuuant Ecclesiam contra insultus dæmonum.

Secundo quod dæmones volunt subtrahere illud auxilium: *& draco pugnabat.*

Tertio quod hoc facere non possunt: *& non valuerunt.*

Quarto quod etiam † bonos de Ecclesia eiecti sunt: *nec locus inuentus est eorum.* († forte supple per.)

Dicit ergo: [*Et factum est prælium magnum in cælo:*] id est, diuersitas voluntatum atque consensuum: ad literam in cœlo Empyreo, exponendo illud de consensu & dissensu in auersione primi Angeli. Vel melius de Ecclesia. [*& factum est prælium magnum:*] id est, robustum & longum. [*in cælo:* id est, in Ecclesia sancta. Hoc prælium præcipue factum est postquam Diabolus eiectus est à cordibus hominum per fidem Christi, *Iohann. cap. 12. Nunc princeps mundi huius eiicietur foras.* Vel sic: [*factum est prælium magnum in cælo:*] id est, pro cœlo. simile, *Ephes.6. Contra spiritualia nequitia in cælestibus: Glossa:* in procœlestibus.

Moraliter. Moraliter: Prælium factum in cœlo est pugna tempore prosperitatis qua Diabolus tentat mundanæ voluptatis † ...... quam pugnam vincimus fugiendo, exemplo mulieris fugientis in solitudine. Sed quia tentatis non deest adiutorium angelicum, subditur de adiutorio mulieris cum dicitur: [*Michael, &c.*] Michael præpositus fuit synagogæ: vnde Angelus Danielis dixit ei: *Nemo adiutor meus fuit in omnibus his, nisi Michael princeps vester. Dan. cap. 10.* Sed ex quo synagoga crucifixit Christum, translatus est, vt sit præpositus Ecclesiæ. ideo hic specialiter nominatur, cum dicitur: [*Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone:*] id est, cum Lucifero. Alij Angeli, qui sunt hominibus singulariter deputati sub illo sunt, & ideo dicuntur Angeli eius. De illis, *Hebræor. cap. 1. Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Et notandum quod Angeli dicuntur † præliati coercendo Diabolum, vel orantes pro nobis ad Deum, vel instruentes, vel confortantes in tentatione animum. [*& draco pugnabat:*] Illi Angeli, scilicet Michaelis fecit præliantur Ecclesiam, iuuando, isti eam impugnando. pugnat draco suggerendo, vel inferendo pœnam. [*& Angeli eius:*] *Haymo.* Angeli draconis dicuntur omnes quotquot ei consenserunt, quando dixit ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo, *Isaia cap. 14.* *Beda.* Angeli Satanæ non illi tantum, qui ei natura & voluntate sunt similes, sed & homines eorum laqueis irretiti sunt intelligendi. sed adiuuantibus nos sanctis angelis frangitur virtus diabolicæ impugnationis. vnde dicitur: († suppleper fortasse illecebris.) († forte praliari.)

Versic. 8. Et non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo.

[*Et non valuerunt:*] sanctorum scilicet spirituum remouere auxilium, *Ieremia cap. 15. Bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum.* [*neque inuentus est locus eorum amplius in cælo:*] Empyreo, si exponitur primo modo de primo bello Angelorum supradicto. Vel [*in cælo:*] id est, in eis qui cœlestia bona vero corde † sciunt, & ad illa habenda prædestinati sunt: vt vel illos pro libito suo ad peccatum trahant, vel quamdiu volunt ipsos detineant. Licet enim Deo permittente, & Diabolo suggerente aliquando peccent, tamen Diabolus in hoc vincitur, quia eis mala in bonum cooperantur, *Romanor. cap. 8. Cautiores enim & humiliores inde fiunt. 2. Petri 2. Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos.* Potest tamen hoc referri ad statum illum, qui erit post diem iudicij: tunc enim perfecte complebitur quod dicitur. († forte legi sitiunt.)

Vers.9. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt.

[*Et proiectus est draco:*] & incipit hic sexta pars huius primæ partis, in qua habetur victoria facta præcipitatione draconis: in qua tria dicuntur: primo præcipitatio draconis. secundo gratiarum actio sanctorum pro victoria habita de dracone: [*et audiui vocem:*] tertio inuitatio Angelorum ad lætitiam de præcipitatione draconis: [*propterea latamini:*]

Dicit ergo: [*Et proiectus est draco ille:*] *draco* per ardorem inuidiæ: *magnus*, per excellentiam superbiæ: *serpens*, per calliditatem astutiæ. *antiquus*: pro antiqua peccandi cõsuetudine. vel *magnus*, potentia: *serpens*, astutia: *antiquus*: ab antiquo nocens, *Ioh. 8. Ille homicida erat ab initio.*

Et notandum quod draco habet acutum visum, & ideo Diabolus potest dici draco per violentiam. [*qui vocatur Diabolus:*] id est, deorsum fluens. Diabolus fuit fluens de cœlo ad terram: est etiam fluens de bonis ad malos: malos etiam effluere facit de peccato in peccatum: ipse etiam fluit de peccato in peccatum. [*& Satanas:*] id est, aduersarius, quoad electos quibus aduersatur, sed illi non superantur, *1. Petri 5. Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* [*qui seducit vniuersum orbem:*] hoc dicitur quod plures ab eo seducuntur. vel seducit actu vel voluntate omnes, qui sunt in orbe Ecclesiæ. *Ieremia cap. 51. Ecce ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuersam terram: & extendam manum meam super te, & euoluam te de petris, & dabo te in montem combustionis.* [*proiectus est in terram:*] id est, in corda terrenorum. Refrænatus enim superna pietate

pietate & præsidio bonorum angelorum à læsione electorum, damnandis terrena diligentibus dominari permittitur, *Genes. 3. Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* [*& angeli eius cum eo missi sunt:*] 2. *Petri* 2. *Angelis peccantibus non pepercit Deus, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicio reseruari.*

Vers. 10. Et audiui vocem magnam in cœlo, dicentem: Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

[*Et audiui, &c.*] Quia diabolus reprimitur sanctis spiritibus angelicis vel humanis gaudium oritur, apte subditur: [*& audiui vocem magnam:*] fignantem magnam lætitiam. [*in cœlo dicentem: nunc facta est salus:*] omni scilicet tempore præsentis vitæ ab aduentu saluatoris vsque ad finem, quia gratuita Dei bonitate sumus saluati, *Psal. 3. Domini est salus.* [*& virtus:*] quia per illum sumus roborati, *Isa 40. Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat.* [*& regnum Dei nostri:*] qui regit nos & proficere facit de virtute in [† forte quoniam.] virtutem. [*& potestas Christi eius:*] † qui in celsitudinis gloriam sumus erecti, *Dan. 7. Regnum & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum altissimi.* Vel sic: [*Nunc facta est salus & virtus, & regnũ Dei nostri:*] quia per Christum est remissio peccati, & robur bene operandi, & † diuinorum vitia coercendi, ... [*& potestas,*] [† forte dominium.] quæ erat antiquitus diaboli nunc facta est [*Christi eius:*] id est, hominis à verbo sumpti. Et notandum quod hic primo aguntur gratiæ Deo cũ dico: [*nunc facta est salus & virtus, & potentia & regnum Dei nostri.*] deinde agũtur gratiæ Christo homini cum dicitur: [*& potestas Christi eius:*] Deinde subiicitur ratio gratiarum agendi, cum dicit: [*quod proiectus est accusator fratrum nostrorum:*] id est, procul tactus sine spe reuertendi. Ex hoc loco patere potest illos errare, qui dicunt bellum prædictũ fuisse in supernis sedibus. Quomodo enim hostis noster accusabat fratres antequam caderent, qui [† quo MS.] cecidit antequam essent homines † quos accusaret. Et nota quod angeli homines vocant fra- [† forte supple pertinuit.] tres suos, quia ad eandem hæreditatem † .... [*qui accusabat illos:*] id est, dignos accusatione reddebat, dando eis occasionem peccandi. [*ante conspectum Dei nostri:*] quem nihil latet, *Heb. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.* [*die ac nocte:*] id est, continue. vel [*die ac nocte:*] id est, manifeste & occulte.

Vers. 11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.

[*Et ipsi vicerunt illum:*] Hic dicitur quare diabolus sit proiectus, scilicet quia sancti illum vicerunt: & subditur per quid illum vicerunt, cum dicitur [*per sanguinem, &c.*] tria enim tanguntur hic per quæ illum vicerunt: scil. imitatio passionis Christi, ibi: [*propter sanguinem agni:*] & rectitudo fidei, ibi: [*& propter verbũ testimonij sui:*] & cha- [† vbi legit MS. sed male.] ritas, qua † vitam animę vitæ corporis præposuerunt, ibi: *& non dilexerunt.* Dicit ergo: [*& vicerunt illum propter sanguinem agni:*] id est, per fidem passionis Christi, *Iohan. 5. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei.* Liniuntur sanguine agni pascbalis cũ superliminari ne occideat exterminator, *Exod. 12.* [*& propter verbum testimonij sui:*] id est, per apertam confessionem eiusdem fidei. [*& non dilexerunt:*] id est, contempserunt. [*animas suas:*] id est, vitas corporis. [*vsque ad mortem:*] *Gloss.* non sic fouerunt carnem suam, vt animæ perirent, *Iohan.* 12. *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Actor. 20. Non facio animam meam pretiosiorem quam me.*

Vers. 12. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Væ terræ & mari: quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicũ tempus habet.

[*Propterea lætamini:*] Hic inuitantur angeli ad lætandũ de præcipitatione draconis. [*propterea lætamini cœli:*] [*&*] pro idem. [*qui habitatis in eis:*] *Haymo.* Habitatores cœlorum angelos intelli- [Haymo.] gimus, quibus conuenit congratulari, quia redintegratum numerum suum istis receptis aspiciunt. vel *cœli* intelligi possunt maiores angeli, qui immediate recipiunt illuminationem à Deo: [*habitantes in eis:*] minores, qui à maioribus recipiunt illuminationem, *Isa. vlt. Lætamini cum Hierusalem, & exultate cum ea omnes, qui diligitis eam.*

[*Væ terræ & mari:*] Supra dictum est de pugna in cœlo, hic agitur de pugna in terra.

Prima pugna pertinet ad præsentem Ecclesiam & primitiuam maxime.

Secunda ad finalem.

Prima potest referri ad perfectos.

Secunda ad imperfectos. Et

Primo significatur hic impugnationis magnitudo.

Secundo describitur ipsa impugnatio: *& postquam vidit.*

Dicit ergo: [*Væ:*] transgressionis vel temporalis tribulationis. [*terræ:*] id est, terrena amantibus, *Prou. 30. Et terra quæ non satiatur aqua.* [*& mari:*] id est, superbis, qui à vento superbiæ agitantur, *Isa. 57. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* vel *terra* possunt intelligi illi, qui obdurati sunt in aliquo peccato. terra enim stabilis est. *mare,* illi qui fluctuant per amaritudinem diuersorum peccatorum. [*quia descendit:*] à sanctis in quibus fuit per suggestionem. [*diabolus:*] non inueniens iam locum † imperiis, [*ad vos:*] vt in vobis † [lego forte] faciat mansionem, *Matthæi* 12. *Reuertar in domum* [in pin.] *meam vnde exiui.* [*habẽs iram magnam*] videns multos sibi subtrahi, & in locum quem amisit subtitui. [*sciens quod modicum habet tempus:*] Considerat quod iuxta sit vt licentiam nequitiæ libertatis amittat: & quanto breuitate temporis angustatur, tanto multiplicitate crudelitatis expanditur, *Supra 8. Mons magnus igne ardens missus est in mare:* id est, in peccatores, qui sunt in amaritudine vitiorum. [*Et facta est tertia pars maris:*] id est, mali extra contemplatiuos & actiuos positi. *sanguis:* id est, pleni peccatis.

Et notandum quod in verbis prædictis notatur duplex modus tentãdi, qui erit tempore Antichristi: vnus sub specie flebilitatis, scil. in † hy- [† hypocrisis MS.] pocritis: .. & quantum ad illum dicitur: *descendit.*

Aliud per magnitudinem tribulationis:& quantum ad illum dicitur: *habens iram magnam.*

Versic. 13. Et postquam vidit draco quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.

[*Et postquam vidit draco:*] Hic describitur impugnatio: &

Primo impugnatio qua diabolus persequitur Ecclesiam in maioribus.

Secundo illa qua persequitur eam in minoribus:[*& iratus est draco:*] persecutio vero in maioribus duplex est.

Prima spiritualis de qua tangitur primo.

Secunda corporalis, de qua ibi: *& misit serpens.*

Dicit ergo:[*Et postquam vidit draco:*] id est, diabolus habens acumen visus per astutiam: & magnus per potentiam. [*quod proiectus esset in terram:*] id est, in reprobos, *Hebræor. 6. Terra proferens spinas & tribulos reproba est.* [*persecutus est mulierem:*] id est, Ecclesiam, quæ Christo sponso filios generat. [*quæ peperit masculum:*] id est, populum fortem, secundum *Haymonem*, vt fuerunt sancti martyres, qui ante voluerunt occidi, quàm à fide separari. vel [*peperit masculum:*] id est, Christum à quo virtuosum habet auxilium. Sed quia Ecclesia in persecutione proficit, ideo de eius profectu subditur, cum dicitur:

Versic. 14. Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.

[*Et datæ sunt mulieri alæ duæ:*] duo scilicet testamenta. vel contemptus mundi & desiderium cœlestis regni: vel sapientia & patientia, quæ dantur Ecclesiæ contra duas impugnationes:
† lege, contra. quasi habet sapientiam † quam impugnationem
† lege, scilicet. quæ est per verba, & patientiam contra impugnationem, quæ est per † verba, *Prouerbior. 19. Doctrina viri per patientiam noscitur.* [*Aquilæ magnæ:*] quæ in altum volat, *Iob. 39.* dicitur de aquila: *In ardua ponet nidum suum. Exodi 19. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægypto, quomodo portauerim vos super alas aquilarum.* Aquila ista potest intelligi Christus, à quo habet mulier alas istas, *Iob. 39. Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?* Et notandum quod hæ duæ alæ dicuntur esse aquilæ magnæ, vt per hoc innuatur Ecclesiam ad cœlestia potenter eleuari, & eadem irreuerberatis oculis contemplari. Ad quid vero hæ duæ alæ datæ sunt, aperitur cum dicitur: [*vt volaret in desertum in locum suum:*] id est, in secretum vitæ spiritualis, separatum à tumultu hominum, habentem defectum rerum & asperitatem vitæ, quasi acumen spicarum.

Primum pertinet ad humilitatem & deuotionem, scilicet quæ separata est à tumultu laudis humanæ.

Secundum ad paupertatem.

Tertium ad carnis mortificationem.

Haymo. Sed quia secundum *Haymonem* solet hoc esse sanctorum proprium, vt quo magis pressuris angustantur in terra, eo magis penna contemplationis eleuentur ad summa, ideo subditur: [*vbi alitur:*] ad hoc designandum Dominus pauit Israel Manna in deserto, *Exod. 16.* quod habebat omnis saporis suauitatem, *Sapient. 16.* [*per tempus & tempora, & dimidium temporis:*] Si hoc refertur ad statum Ecclesiæ tempore Antichristi, tunc illud dicitur quod prædicatione Eliæ & Enoch tribus annis, & dimidio alitur Ecclesia. vt per tempus intelligamus annum vnum: per tempora duos annos: per dimidium temporis medietatem anni. Si vero refertur ad generalem statum Ecclesiæ sic exponitur: [*vbi alitur per tempus & tempora, &c.*] id est, doctrina prædicationis Christi tribus annis & dimidio facta. [*à facie serpentis:*] id est, ab impugnatione præsenti, quæ fit serpentem. Et attende profectum mulieris, quod insinuatur in hoc quod primo dicitur de ipsa quod fugit in solitudinem: deinde volasse in desertum, fugiens adhuc terram tangebat; sed volans, non.

Versic. 15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen: vt eam faceret trahi à flumine.

[*Et misit serpens:*] Hic tangitur de corporali persecutione. [*de ore suo:*] os Diaboli est persuasio malorum ad persequendum sanctos, *Iob. 41. De ore eius lampades procedunt quasi tedæ ignis accensæ.* [*post mulierem:*] id est, Ecclesiam. Et bene dicitur post, quia non attingit eam ad submergendum, *Isa. 43. Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te.* [*aquam tanquam flumen:*] id est, inundantem tribulationem, *Matthæi 24. Erit tunc talis tribulatio, qualis non fuit ab initio. Isaia 8. Adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes & multas.* [*vt eam faceret trahi:*] in peccatum. [*à flumine:*] id est, ab inundante tribulatione, *Thren. 3. Inundauerunt aquæ super caput meum.* vel aqua missa tanquam flumen intelligi potest vniuersitas vitiositatis, quam diabolus conatur inferre Ecclesiæ, vt eius filios ad damnationem pertrahat.

Post persecutionem tangitur de adiutorio mulieri dato cum subditur.

Versic. 16. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.

[*Et adiuuit terra:*] id est, triumphans Ecclesia, quæ est terra viuentium: terra dicta propter stabilitatem. [*mulierem:*] id est, Ecclesiam militantem. Modus vero iuuandi exprimitur cum subditur: [*& aperuit terra os suum:*] in oratione. [*& absorbuit flumen quod misit draco de ore suo:*] adnihilando precib. illam magnam tribulationem. vel terra potest intelligi Christus secundum humanam naturam, qui susceptam deglutiens mortem, nos deglutire docuit, vt dicit *Beda.* Beda.
Hæc terra sicut dicit *Haymo* mulierem adiuuit, Haymo.
quia in seipsa omnes fluctus humanæ persecutionis pertulit & deuicit, & nobis vires patiendi dedit, *Iohan. cap. 17.* In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum. Augustin.
Augustinus. Omnia terrena bona contempsit homo Christus, vt contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas.

Aliter

Moraliter. Aliter ab illo loco moraliter: [*Et misit serpens ex ore suo:*] id est, suggestione sua venenosa. [*post mulierem:*] id est, Ecclesiam. [*aquam tanquam flumen:*] id est, opulentiam temporalem. [*vt eam faceret trahi à flumine:*] id est, à fluxu temporalium. [*& adiuuit terra:*] princeps scilic. vel cœtus principum terrena amans. [*mulierem, quia aperuit terra os suum:*] id est, dilatauit suum desiderium. [*& absorbuit flumen quod misit draco de ore suo:*] id est, opulentiam temporalem quam procurauit Ecclesiæ dari.

Vers. 17. Et iratus est draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi.

[*Et iratus est:*] Hic describitur impugnatio minorum. [*& iratus est:*] quanto magis Diabolus vincitur tanto magis irascitur, & deterius nocere conatur. Vnde .... electos superare non † valet, infideles ad persecutionem commouet. ideo dicitur hic: [*& iratus est draco in mulierem:*] id est, contra mulierem. [*& abiit:*] à callida tentatione cessans, & per infideles apertam persecutionem excitans. [*abiit:*] à maioribus. [*facere prælium cum reliquis:*] scilicet cum minoribus, *Genes. 3. Ipsa conteret caput tuum*: in maioribus scilicet, *& tu insidiaberis calcaneo eius*: id est, minoribus, *Psalm. 10. Insidiatur vt rapiat pauperem.* [*de semine eius:*] de semine Ecclesiæ sunt minores, quos Ecclesia Christo generat, 1. *Corinth. 4. In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* De semine primitiuæ Ecclesiæ erunt fideles tempore posteriores, vitam eius imitantes. [*qui custodiunt mandata Dei:*] hoc pertinet ad charitatem. [*& habent testimonium Iesu:*] credendo quod Spiritus sanctus per Prophetas testatus est de sacramentis Christi & Ecclesiæ: & hoc pertinet ad fidem. Præponitur autem hic quod pertinet ad charitatem ratione dignitatis, 1. *Cor. 13. Maior autem horum est charitas.* vel sic: [*& habent testimonium Iesu:*] id est, fidelem cognitionem Christi.

† lege valens.

Vers. 18. Et stetit supra arenam maris.

[*Et stetit super arenam maris:*] Diabolus quiescit in reprobis qui prælium habent cum sanctis. Reprobi autem intelliguntur per arenam, quia steriles sunt, *Ierem. 22. Scribe virum istum sterilem.* Sunt etiam innumerabiles, *Eccles. 1. Stultorum infinitus est numerus.* Etiam bibuli, propter ardorem concupiscentiæ, quæ in eis regnat. *Arena* etiam potest intelligi gentilitas carens fructu cognitionis diuinæ & boni operis, diuersorum idolorum cultibus, & vitiorum amaritudinibus agitata. Vnde Diabolus qui à sancta Ecclesia per aliquantam tentationem intermissionem recessit super arenam maris stetit, quia infructuosam & vitiosam Gentilitatem, vt per eam fideles persequeretur, calcauit.

Cap. XIII.

Vers. 1. Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ.

[*Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, &c.*] Descripta pugna mulieris & draconis describitur pugna familiæ draconis & seminis mulieris in præsenti capitulo & sequenti. Et describuntur hic quasi duæ acies.

Ex vna parte familia draconis.

Ex alia parte agnus cum familia sua, qui est vir mulieris: *Et vidi & ecce agnus: infra 14.*

In præsenti vero capitulo describitur acies familiæ draconis sub duplici specie monstruosa duarum bestiarum.

Prima est ascendens de mari: secunda ascendens de terra: *& vidi aliam bestiam.*

Prima bestia pertinet ad persecutionem futurorum sub Antichristo, mediantibus principibus secularibus.

Secunda ad persecutionem quæ fiet mediantibus pseudoapostolis siue discipulis Antichristi.

In prima parte primo ponitur descriptio primæ bestiæ.

Secundo excitatur attentio legentis: *si quis habet aures.*

Primo ergo describitur diabolus vel bestia, cœtus laicorum malignantium, qui est corpus Antichristi.

Deinde describit vnum de capitibus bestiæ: *& vidi vnum de capitibus.*

Describens vero bestiam primo tangit eam secundum quod differt ab aliis bestiis, cum dicitur *habens capita septem.*

Deinde tangit in quibus communicat cum aliis bestiis: *& bestia quam vidi.* Dicit ergo:

[*Et vidi de mari bestiam ascendentem:*] Mare potest intelligi qui iacent in amaritudine peccati, *Ose. 12. Prouocauit me Ephraim in amaritudinibus suis*: id est, peccatis suis. De his ascendet Diabolus, quia per eos extolletur in Antichristo.

Per mare etiam quod est instabile intelliguntur Iudæi, *Thren. 1. Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* De Iudæis vero nascetur Antichristus, scil. à tribu Dan, *Gen. 49. Fiat Dan coluber in via.* De mari ergo bestia ascendit, quia per Antichristum, qui de Iudæis egredietur, Diabolus multis dominatur. vnde *Haymo*: Bestia quæ ascendit de mari significat diabolum, qui ascendit de cordibus reproborum, vt amplius sæuiat solutus, per ipsum perditum hominem, qui nascetur de plebe Iudæorum. Bestia etiam ascendens de mari intelligi potest crudelis gentium principatus, inspirante Diabolo in superbiam se erigens. [*habentem capita septem:*] per quæ intelliguntur omnes principes illi subditi. Septenarius enim numerus est vniuersitatis, *Amos 6. Væ vobis qui opulenti estis in Sion: optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* Potest etiam habere septem capita, quia septem capitalia vitia suadebit. Haymo.

Moraliter monstrum habens capita septem est peccator. *Augustinus*: Malus tot dominorum seruus est quot vitiorum. [*& decem cornua:*] per quæ secundum *Haymonem* intelliguntur omnia regna, per quæ Ecclesiam impugnabit, *Psalm. 74. Omnia cornua peccatorum confringam.* Et dicuntur decem, quia denarius numerus est diminutus. Aliquotæ enim eius reddunt octonarium. Ideo bene per decem mali signantur, qui ad diminutionem cedunt, sicut boni profectum intendunt, qui signantur per duodecim, qui est nu-

Moraliter. Augu. s.m. Haymo.

merus superabundans. Duodecim enim sunt patres veteris restamenti: Duodecim in nouo, scilicet Apostoli. vel [*habẽtem cornua decem:*] per electionem Decalogum impugnantem. [*& super cornua eius decem diademata:*] quia non est aliquod præceptum in decalogo, † vel per eos in infringatur, & de quo ipsi à Diabolo non coronentur. Diademata erunt super cornua, id est, super regna, quia † quod licet est regnum subdetur: † de aliquibus & qui prius fuerant obseruatores decalogi triumphabit, *Dan. 7. Decem cornua decem reges sunt.* [*& super capita eius:*] id est, super principes illi adhærentes. [*nomina blasphemiæ:*] quia sicut dicit *Haymo*, Diabolus maxime per potentatus huius seculi blasphemat Deum verbo & opere, *Iacob. 2. Nonne diuites per potentiam suam opprimunt vos? & infra: Nonne blasphemant bonum nomen, quod in vocatum est super vos.* Similiter Antichristus blasphemabit. *Infra versu 6. Aperuit os suum in blasphemias ad Deum.* Blasphemat aliquis Deum vel negando de Deo quod Dei est, vel attribuendo alij quod Dei est: quod maxime faciet Antichristus. Aliquando tamẽ accipitur blasphemia pro verbo in contumeliam Dei prolato. vt cum aliquis volens se vindicare de Deo, aliqua nominat de ipso, quæ nominanda non sunt, *Leuit. 24. Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur.*

† lege quod per eos non infringatur.
† quodlibet.
† lege forsan: & de aliquibus, qui prius fuerãt, &c. Haymo.

Vers. 2. Et bestia quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut vrsi, & os eius, sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam.

[*Et bestia quam vidi, &c.*] Hic tangit circa bestiam. ea quæ habet communia cum aliis bestiis, & de virtute & de potestate eius: & assimilatur

Pardo in mille.
Vrso in pedibus.
Leoni in ore.
In pelle intelligitur conuersatio exterior.
In pedibus affectus interior.
In ore locutio.

In pardo, quia est animal varium, hypocrisis.

In vrso, quia est animal amans dulcia, concupiscentia voluptatis.

In leone superbia ostentationis, vel crudelitas detractionis.

Dicit ergo: [*Et bestia quam vidi:*] id est, principes bestialiter in sanctos sæuientes: [*similis erat pardo:*] per variam populorum affectionem, *Ieremia 13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. Dan. 7. Post hæc aspiciebam, & ecce alia bestia quasi pardus.* Vel potest intelligi similis pardo propter varios modos decipiendi, vel varias simulationes, quibus sua vitia occultabit, & variis hæresibus plena erit. [*& pedes eius sicut pedes vrsi:*] vrsa est bestia spurcissima, quæ dum irata sæuit, quicquid corripere potest prius pedibus conculcat quam dentibus laniet, & ideo potest signare Antichristum, qui datus erit omni immunditiæ, *Daniel. 11. Et erit in concupiscentiis fœminarum, nec quenquam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget.* Prima tamen pars huius auctoritatis intelligenda est solum de Antiocho non de Antichristo: sicut dicit *Magister in historiis*: quia ipse castus erit propter simulationem castitatis, ibi dicitur. in Glossa super Danielem idem habetur. nihilominus tamen multas alias immunditias habebit. [*& pedes eius:*] ministri sc. Antichristi, qui eum deferent prędicando vbiq;. [*sicut pedes vrsi:*] quia eos qui sibi adhærere noluerunt cõculcabunt. [*& os eius sicut os leonis:*] propter superbiam locutionis. leo n. animal superbum est, *2. Thessalon. 2. Extolletur super omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* vel *os leonis* habere dicitur propter dilaniationem & occisionem sanctorum: vel propter fœtorem detractionis. Os enim leonis dicitur fœtere, *Prouerb. 28. Leo rugiens & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem.* [*Et dedit illi draco virtutem suam:*] *Haymo*: Draco iste diabolus dabit illi virtutem suam, vt miracula faciat & signa inaudita, *2. Thessalon. 2. Cuius est aduentus secundum operationem Sathanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent.* [*& potestatem magnam:*] seducendi multos, sicut dicit *Glossa*. vel [*potestatem magnam:*] flectendi per coactionem. vel [*virtutem,*] quoad simulationem boni: [*potestatem,*] quoad illationem mali. *Haymo.*

Sed cum scriptum sit, *non est potestas nisi à Deo, Roman. 13.* Quomodo dabit diabolus potestatem magnam Antichristo? *Obiectio.*

Respond. Dabit Deus potestatem ei, sed adeo ea abutetur, vt diabolica credatur. Dicit etiam hic *glossa*, quod dedit ei virtutem ad nocendum, ad decipiendum, ad miracula faciendum: sed cum miracula fiant ad Dei manifestationem, & Deus non manifestetur per illa, quomodo erunt miracula? Præterea Diabolus non habet potestatem nisi in naturalibus: miracula vero fiunt in his, quæ sunt supra naturam: ergo non potest facere miracula, nec dare virtutem istam alij. Quod concedam: vnde dicendum quod erunt mirabilia, sed non miracula. homines enim mirabuntur de illis, quæ faciet magice & diabolica illusione: erunt tamen iuxta naturam & non vltra, nec erunt ad Dei virtutem manifestandam, sicut ea, quæ sunt vere miracula. *Responsio.*

Vers. 3. Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est. Et admirata est vniuersa terra post bestiam.

[*Et vidi vnum de capitibus suis:*] Post bestiæ descriptionem, vnum de capitibus describit, scilicet Antichristum, cum dicitur: *& vidi.*

Ostendens primo eius simulationem, ibi: *quasi occisum.*

Secundo effectum simulationis, ibi: *& admirata est.*

Tertio potestatem ei datam & vsum potestatis: *& datum est eios.*

Quarto obsequium ei exhibitum: *& adorauerunt.*

Dicit ergo: [*& vidi vnum de capitibus suis:*] id est, de capitibus bestiæ scilicet Antichristum. [*quasi occisum:*] id est, fingentem se mortuum, vt credatur Christus in lege promissus, & post tres dies, sicut dicitur, per artem magicam feretur in aera ministerio dæmonum. vel latebit & sic putabitur resurrexisse. sed tandem patebit falsitas, quando à Christo occidetur. Sed

ne

he credatur intelligendum secundum quod communiter dicitur aliquis esse occisus, vel quasi mortuus, quando est proximus morti: ideo additur: [*in mortem:*] finget enim se vere mortuum. [*& plaga mortis eius curata est:*] secun-[*Haymo.*] dum *Haymonem* debet repeti *quasi*, dicendo sic: & quasi plaga mortis eius quasi curata est. fin-[*Ambrosius.*] get enim se resurrexisse. Secundum *Ambrosium* ipse erit simia Christi fingens se mortuum & resurrexisse, sicut Christus vere mortuus est, & vere resurrexit.

[*Et admirata est vniuersa terra:*] Hic describitur effectus simulationis in quatuor.

Primum est admiratio.

Secundum est imitatio: *post bestiam.*

Tertium est adoratio: *& adorauerunt draconem & bestiam.*

Quartum, laudatio: dicentes: *quis similis bestiæ?*

[*Et admirata est vniuersa terra:*] id est, vniuersi terreni existimantes eum resurrexisse à mortuis, & virtute Deitatis facere miracula. [*post bestiam:*] [*† forte scilicet.*] euntes † siue mente & corpore. ad literam enim sequentur eam præ admiratione, sicut legitur, *Iohan.* 12. quod *multi venerunt videre Lazarum, quem Christus à morte suscitauerat.* Similiter [*† forte ibunt.*] & isti † erunt post bestiam corporaliter & spiritualiter ipsam imitando per infidelitatem & crudelitatem.

Vers. 4. Et adorauerunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ: & adorauerunt bestiam, dicentes, Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?

[*Et adorauerunt draconem:*] id est, diabolum in [*† lege sic: adoratur in simulachro terreno.*] Antichristo, sicut diabolus † otuiur in simulatur terreno: sicut videntes Christum facere miracula glorificabant Deum, *Matth.* 9. *Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

[*Quæstio.*] Sed nunquid isti credent Antichristum à diabolo habere hanc potestatem, an à Deo? si à Deo ergo adorabunt eum: si à diabolo, quomodo ergo sequentur eum?

[*Responsio.*] Respond. Aliqui scient ipsum esse malum: aliqui simplices non aduertent de sua malitia. sequentur tamen eum tam isti quam illi, vel timore mortis, vel cupiditate donorum ipsius.

[*Qui dedit potestatem bestiæ:*] *Gloss.* Resurgendi vt videbatur. videntes enim mirabilia quæ faciet, adorabunt eum, & dicent: Benedictus qui dedit illi talem potestatem: id est, vsum talis potestatis, qui vere loquendo abusus erit. & hic est diabolus, & ita adorabunt eum in communi, non sub propria ratione. [*Et adorauerunt bestiam:*] id est, Antichristum, sicut discipuli Christum post resurrectionem, *Matthæi vltimo: Et videntes eum adorauerunt. Infra* 14. *Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei.* Dicitur autem, magnificabunt Antichristum adorantes eum; scilicet à potentia faciendi miracula, & à secularis potentiæ eminentia. Ad primum pertinet illud, [*dicentes, quis similis bestiæ?*] ad secundum illud: [*& si quis poterit pugnare cum ea.*

Dicit ergo: [*Et adorauerunt bestiam dicentes:*] & [*† forte miraculorum.*] admiratione † iustorum, & ex pusillanimitate cordis. [*Quis similis bestiæ?*] in potestate & miraculorum operatione. [*& quis poterit pugnare cum ea, & resistere voluntati & potestati eius?*] quasi dicens, nullus. Vnde *Daniel.* 8. *Omnes bestiæ non poterant ei resistere, nec liberari de manibus eius. Haymo.* nec in [*Haymo.*] miraculorum fraude, nec in seculari potentia, In retroactis temporibus similis ei apparuit.

Et notandum sine præiudicio quod sicut in Christo homine adoratur virtus diuina effectrix mirabilium: sic in Antichristo adorabitur virtus diabolica effectrix pseudomirabilium. & tamen non copulabitur diabolus cum Antichristo in vnitate personæ, sed in vnitate virtutis, sicut coniungitur motor mobili, nauta naui.

Et notandum quod quatuor exhibentur & ascribuntur hic Antichristo, quæ sunt exhibenda Deo.

Primum est admiratio, ibi: *& admirata est.* hanc debemus sapientiæ diuinæ, *Roman.* 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei:* Ipsa quidem est admirabilis & in maiori mundo, & in minori, scilicet homine, & in creatione, gubernatione & ecrecreatione.

Secundum est imitatio, ibi: *post bestiam, &c.* quam & debemus Deo. *Augustinus.* Summa re-[*Augustin.*] ligionis est imitari quem colit, *Ephes.* 5. *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi.*

Tertium est adoratio, ibi: *& adorauerunt bestiam.* hanc debemus Deo, *Matthæi* 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Quartum est laudatio, ibi: *quis similis bestiæ?* hanc debemus Deo, *Infra* 19. *Laudem dicite Deo omnis sancti eius.*

Vers. 5. Et datum est ei os loquens magna & blasphemias: & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

[*Et datum est ei os:*] Hic primo ostenditur potestas data Antichristo ad blasphemandum.

Secundo determinatur quantum durat potestas eius: *& data est ei potestas.*

Tertio tangitur de vsu potestatis illius: *& aperuit os suum.*

Qustto de potestate puniendi sanctos, quæ ei dabitur: *& datum est ei bellum facere cum sanctis.*

Quinto de potestate quam habebit super reprobos: *& data est ei potestas.*

Dicit ergo: [*Et datum est ei os, loquens magna:*] scilicet ex permissione Dei, *Daniel.* 11. *Aduersum Deum Dtorum loquetur magnifica.* [*& blasphemias:*]

Permissum est enim illi vt blasphemias loquatur. Ipsa enim est illa bestia, de qua *infra* 17. *Plena erat nominibus blasphemiæ.* Quod dicitur [*loquens magna,*] pertinet ad iactantiæ magnitudinem. quod dicitur. [*blasphemias,*] ad Deitatis negationem. [*& data est ei potestas facere menses quadraginta duos:*] id est, per tres annos & dimidium permissum est ei facere, mala prædicta, *supra* 11. *Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.*

Versic. 6 Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant.

[*Et aperuit os in blasphemias:*] *Beda.* Ante tres se-[*Beda.*] mis annos non aperto ore blasphemat, sed tunc aperto ore blasphemabit: secũdum illud, 2. *Thess.* 2. *Ostendet se tanquam sit Deus.* [*ad Deum:*] i.e. contra

Deum, negaodo ipſum eſſe, vt dicit *Gloſſa.* vel [*ad Deum,*] id eſt, vſqne ad Deum. Incipiens enim blaſphemare ſanctos procedet vſque ad Deum, *Dan.7. Cõtra excelſum loquetur.* [*Blaſphemare nomen eius:*] id eſt, fidem per quam ſibi innoteſcit. vel [*nomen eius:*] id eſt, vitam & doctrinam Chriſti, per quam oobis eſt nominabilis, *Prouerb.10. Memoria iuſti cum laudibus.* [*& tabernaculum eius:*] id eſt, eos qui ei militant in vita præſenti. tabernaculum enim eſt militaorium, *2. Corinth.10. In carne ambulantes non ſecundum carnem militamus.* [*& eos qui in cælo habitant:*] illos ſcilicet qui in cœleſtibus laudes Deo decantant. Dicet enim eos eſſe damnatos. ſicut quidam hęretici dicunt omnes Con-
Sylueſter feſſores, qui fuerunt à tempore Sylueſtri eſſe damnatos.

Verſ. 7. Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos Et data eſt illi poreſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.

[*Et datum eſt ei:*] id eſt, permiſſum iosto Dei iudicio. [*Bellum facere cum ſanctis:*] diſputando, monera dando, eos rorquendo. [*& vincere illos.*] ſcilicet corporaliter, *Dan. 7. Sanctos altiſſimi conteret & tradentur in manu eius. vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Et 8. *Supra quam credi poteſt vniuerſa vaſtabit & proſperabitur, & interficiet robuſtos ſanctorum & populum ſecundum voluntatem ſuam.* [*Et data eſt ei poteſtas in omnem tribum:*] quoad maiores
Haymo. Iudæos, [*& populum,*] quoad minores. *Haymo:* In tribu & populo Iudæos accipimus, quia ille populus in tribubus erat diſtinctus. [*& linguam & gentem:*] *Haymo:* in lingua & gente omoes nationes gentium intelligimus. Io omnes iſtos data eſt ei poteſtas, vt de omoibus aliquos à fide frangat, & ad infidelitatem trahat: vel à fide ſuſcipienda cohibeat. Specialiter vero poteſtatem habebit io reprobis de Iudæis & Gentibus, qui cultum diuinum ei exhibebunt: vnde ſubditur:

Verſ. 8. Et adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum nõ ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.

[*Et adorauerũt eam:*] io quo tangitur obſequium ei cõmuniter exhibendum. [*eam:*] beſtiam ſcilicet. vel [*eum:*] id eſt, Antichriſtum. [*omnes qui habitant in terra:*] id eſt, terrena diligentes immoderate. [*quorum non ſunt nomina ſcripta in libro vitæ agni:*] qoi terrena amant ſcribũtur in terra per meritum reprobatioois: ſecundum illud *Ierem. 17. Recedentes à te in terra ſcribentur:* id eſt, ſupplicijs inferni mancipandi præſciuntur. Infernus enim terra dicitur, *Iob. 10. Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeria & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Liber vitæ, vt
Haymo. dicit *Haymo*, eſt quædam vis diuina, quæ ante mundi conſtitutionem, ad vitam æternam ſanctos prædeſtinauit: qui liber prædeſtinationis ſicut fixa æternitate electos tenet adſcriptos, ita nequaquam vlla ratione reprobos admittit ſcribendos. [*Agni:*] id eſt, ille Agnus de quo, *Iohan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* [*qui occiſus eſt ab origine mundi:*] i.e. præuiſus occidi. Simile, *Eccl. 24. Ab initio & ante ſecula creata ſum, & vſque ad futurum ſeculum non deſinam:* id eſt, creari præuiſa.

[*qui occiſus eſt ab origine mundi:*] figuraliter ſcilicet, ſed in fine mundi, ſcilicet in tempore gratiæ realiter. Præfigurata eſt enim mors Chriſti in morte Abel, *Geneſ. 4.* vel in agoo ab eo oblato. vel [*ab origine mundi:*] id eſt, ſtatim poſt origině in membris ſuis incepit occidi. Caput enim .. Eccleſiæ reputat ſibi fieri, quod fit in membris eius, *Matt. 25. Quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.*

Verſ. 9. Si quis habet aurem, audiat.

[*Si quis habet aures:*] Hic eſt excitatio atteotioois in auditoribus, &

Primo ponitur hic excitatiuum intellectus.

Secundo excitatiuum affectus: *qui in captiuitatem.* vbi ad electorum conſolationem conſurgit contra ſæuientem hoſtem † comminatio: .... † *comminationem. MS.*
Dicit ergo:

Si quis habet aures:] ſcilicet cordis. [*audiat:*] id eſt, intelligat quæ vindicta ſequetur Antichriſtum. *Beda:* Quoties ſcriptura hoc dictum interponit, intentum pro obſcuritate rei quæri auditorem.

Verſ. 10. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic eſt patientia & fides ſanctorum.

[*Qui in captiuitatem duxerit, &c.*] *Beda:* Ne mo- *Beda.*
mentaneum Diaboli regnũ à ſanctis magni penderetur, cogitationib. eorum occurrens inſtruit dicens: [*qui in captiuitatem duxerit:*] à fide Chriſti hominem ſeparando: vel corporaliter propter fidem Chriſti exilio relegando. [*in captiuitatem vadet:*] dum ad poſſidendum diabolo tradetur. vel captiuitate inferni damnabitur, *Iſaia 33. Væ qui prædaris, non & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum conſummaueris deprædationem deprædaberis.* [*qui in gladio occiderit:*] gladio ſcilicet malæ perſuaſionis ſpiritualiter: vel gladio materiali iniuſte. [*oportet eum gladio occidi:*] gladio ſcilicet diuinę ſententiæ: ſecundum illud, *2. Theſſ. 2. Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Prius ſicut dicit *Haymo*
interficietur occulte à diabolo, deinde aperte da- *Haymo.*
mnabitur, percuſſus ab Angelo. Vnde poſt mortem culpæ primo occidetur corporaliter, deinde occidetur æternaliter gladio illo, de quo *Iſaia 27. In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro & grandi & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetũ qui in mari eſt. Iob. 19. Fugite ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt.* Ex hoc verbo, [*qui gladio occiderit, &c.*] patet quod qui iniuſte occidit, iuſte occiditur. Cuius contrarium dicunt hæretici, dicentes quod nullo modo licet occidere,
† quam quod eſt illud, *Matth. 26 Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* [*Hic eſt:*] ſcilicet in † *lege contra.*
conſideratione futuri iodicij. vbi mali punientur, & boni remunerabuntur. [*patientia & fides ſanctorum:*] igitur ſancti temporalem pœnam lucrum putãt, quia per hanc ęternam euadere non
ignorant: *Haymo:* Idcirco virtutem patieotiæ in- *Haymo.*
ter aduerſa ſancti cuſtodiunt, quia triumphaturos ſe poſt paululum ſciunt, damnatoque eo, qui ſibi ad tempus præualuerat, ipſi in perpetuum lætabuntur, *Eccleſ. 1. Vſque ad tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iocunditatis.* Gloſſ. [*hic:*] ſcilicet in aduerſitate. [*eſt patientia & fides ſanctorum:*] id

eſt,

est, apparet, vel probatur, qui sunt patientes & fi-
Simil. deles. patientia in tribulatione est, vt piscis in aqua vbi conseruatur & nutritur, *Isai.* 50. *Computrescent pisces sine aqua.* & est sicut aurum in igne vbi purgatur. *Iob.* 28. *Auro locus est in quo conflatur.*
Augustin. *Augustinus libro de Ciuitate Dei.* Sub vno igne aurum rutilat, palea fumat, quasi dicens: mali deteriorantur in igne tribulationis, in quo boni purgantur. De virtute huius patientiæ, *Hebr.* 10. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.*

Vers. 11. Et vidi aliam bestiam ascendentē de terra: & habebat cornua duo, similia agni, & loquebatur sicut draco.

[*Et vidi aliam bestiam:*] Posita descriptione Antichristi, qui est caput malorum, & ostensa eius potestate.

Hic corpus eius describitur primo.

Secundo potestas corporis eius ostenditur: *& potestatem.*

Tertio legentis intellectus excitatur: *qui habet intellectum computet.*

Haymo. Dicit ergo: [*Et vidi aliam bestiam:*] *Haymo.* Prima bestia Antichristus ipse, scilicet malorum caput: serpens vero illius corpus intelligitur, maxime qui eum prædicaturi sunt cum reprobis secularibus. vel cœtus secularium principum est bestia illa prima, caput vnum eius Antichristus. bestia ascendens de terra cœtus prælatorum & clericorum cupidorum. [*Ascendentem de terra:*]
Haymo. *Haymo*, de terra ascendere est pro terrenis rebus erigi in superbiam, *Isaia* 28. *Va coronæ superbiæ, ebriis Ephraim.* Ebrij Ephraim sunt qui ex abundantia terrenorum discretionem amittunt. Ebrius enim propter nimiam sumptionem vini non est sui ipsius compos. [*& habebat cornua duo similia agni.*] Agnus Christus est, *Ierem.* 11. *Ego quasi agnus mansuetus. qui portatur ad victimam.* Duo cornua eius sunt sapientia & vita, quæ Christus & discipuli eius habent in veritate, isti habent simula-
Beda. te. *Beda.* Agni cornua præfert, quia per hypocrisin eam quam ipse veraciter Dominus habuit singularem sibi inesse sapientiam mentitur, & vitam. Vel secundum *Glossam*, quia simulabant se habere innocentiam & miracula, quæ Christus habuit, & suis dedit: [*& loquebatur sicut dra-*
Haymo. *co:*] *Haymo.* Assumunt agni speciem, vt draconis possent exercere operationem, 2. *Cor.* 11. *Huiusmodi pseudoapostoli operarij sunt subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi.* Ipsi loquentur sicut draco, id est, venenata verba, *Psalm.* 13. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.* Sicut Spiritus sanctus loquebatur in Apostolis: sic malignus spiritus loquetur in ministris Antichristi, *Matt.* 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri. qui loquitur in vobis.* 3. *Reg.* 22. *Ego ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Etiam notandum quod hoc quod dictum est, [*bestiam,*] pertinet ad crudelitatem. sæuiet enim bestialiter. bestia enim dicitur à vastando, quod dictum est, [*ascendentem,*] pertinet ad superbiam, quod dictum est, [*de terra,*] ad cupiditatem. quod dictum est, [*& habebat cornua,*] ad simulationem, quod dictum est, [*loquebatur sicut draco,*] ad venenatam persuasionem. Aliter exponitur, [*vt per bestiam ascendentem de mari,*] intelligamus principes gentium, qui diuersis diuersorum idolorum cultibus more maris fluctuant, [*per bestiam vero ascendentem de terra,*] impios rectores Christianorum falsorum in vna fide licet sibi inutili stabiliter ad modū terræ permanentes. & secundum hoc sensus est: [*Et vidi:*] oculo mentis. [*aliam,*] per † incredulitatem. [*bestiam,*] per † crudelitatem. [*ascendentem,*] per † electionem. [*de terra:*] id est, de collegio illorum, qui seruāt suggestionis immobilitatem. [*& habebat cornua duo similia agni:*] quia habent duo testamenta Christum prædicantia. habent inquam nō per vitæ sanctitatem, sed per cognitionem. [*& loquebatur sicut draco:*] per impiam suasionem concordando diabolo.

† *incrudelitatem. MS.*
† *credulitatem. MS.*
† *forte elationem.*

Vers. 12. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius: & fecit terram & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.

[*Et potestatem:*] Hic ostenditur potestas huius bestiæ. &

Primo ostenditur potestas eius similis potestati prioris bestiæ.

Secundo tangitur de effectu illius potestatis: *& fecit terram.*

Tertio ostenditur eius potestas, quoad operationem miraculorum per effectum eius: *& fecit signa.*

Quarto potestas eius singularis per effectum specialis agni: *& faciet vt quicunque non adorauerit.*

Dicit ergo: [*Et potestatem prioris bestiæ.*] i.e. Antichristi. [*omnem faciebat:*] *Haymo:* sicut Antichristus Haymo. fraude, & simulatione, doctrinis & blandimētis decipiet: ita & ministri eius. [*in conspectu eius:*] i.e. Antichristi. Secundū *Haymonem* hoc ideo dicitur, quia vbicunq; sint ea facere studebūt, quę sciunt illi placita, quasi semper ab eo videantur: in tantum etiam honorabunt eum, vt quicquid acturi sunt coram ipso agere dicant, tanquā eum nihil latere possit. [*& fecit terrā:*] i.e. terrena hominum corpora. [*& inhabitantes in ea:*] i.e. animas in corporibus manētes. [*adorare bestiam primam:*] id est, Antichristum excellentius caput bestiæ, sicut Apostoli adorauerūt Christum. [*cuius curata est plaga mortis*] hęc enim erit causa quia finget se resurrexisse à mortuis. vel [*fecit terram; &*] pro idem: [*habitantes in ea,*] per amorem. [*adorare, &c.*]

Vers 13. Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cœlo descēdere in terram in conspectu hominum.

[*Et fecit signa:*] *Haymo:* non solum verbis, sed & Haymo. falsis miraculis multos seducent. [*fecit signa magna:*] *Gl.* ad confirmationē prædicationis suæ: sicut de Apostolis Christi dicitur, *Marc. vlt. Illi autem profecti prædicauerunt vbique domino cooperante, & sermonem confirmante. sequentibus signis.* [*vt & ignem faceret de cœlo descendere:*] bestia hæc ignem faciet de cœlo descendere, quia prædicatores Antichristi falsa imitatione per impositionem manus dare suis sequacibus Spiritum sanctum se fingent, vt dicitur de Apostolis, *Actorum* 8. *Tunc imponebant manus super illos. & accipiebant Spiritum sanctum.* *Beda.* Miraculum ignis quasi maxi- Beda. mum cæteris prætulit, vt quia Dominus Iesus Christus discipulis, Spiritu sancto in igne veniente virtutum dedit gratiam, ipse quoque suos quasi simili charismate astutia fallente decipiet. [*in terram:*] terræ nomine reprobi terrenis voluptatibus dediti intelliguntur. [*in conspectu omnium hominum:*] nomine hominum intelliguntur

electi,

electi, rationabiles Dei imaginem habentes, coram quibus ministri Satanæ simulabunt se dare Spiritum sanctum, vt eos decipiant, *Matthæi 14. Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi.* Secundum expositionem illam, qua per bestiam ascendentem de terra intelliguntur impij rectores falsorũ Christianorum, bene subiunctum est illud: [*facit signa magna:*] quia vniuersus illorum, qui de Christo ad Antichristum conuertetur magistratus, propter notitiam scripturarum callidior; falsis miraculis cooperante diabolo coruscabit, quibus apud apostatas homines prædicationem suam roborabit.

Verf. 14. Et seducit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi, facere in conspecta bestię dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.

[*Et seducit:*] id est, seducet. [*habitantes in terra:*]
[*Haymo.*] *Haymo*: per terram terreni intelliguntur, qui idcirco seduci poterũt à ministris Antichristi, quia plus terrena quam cœlestia diligunt. [*propter signa:*] id est, miracula. [*quæ data sunt:*] Dei permissione. [*illi:*] scilicet bestiæ, per quam intelliguntur
[*Beda.*] ministri Antichristi. *Beda.* Hoc est sine dubio in quo illa tentatio cunctis maior apparebit, quando pius martyr corpus suũ tormentis subiiciet, & tamen ante eius oculos miracula tortor faciet, [*dicens, &c.*] sic continua: seducit habitantes in terra [*dicens habitantibus in terrà:*] id est, præcipiens terrenis, qui scilicet adhærebunt. [*vt faciant imaginem bestiæ:*] conformando se illi. bestiæ inquam illi, [*quæ habet plagam gladii:*] scilicet per simulationem occisionis. & vixit per simulationem resurrectionis. Plagam gladij intelligere possumus cicatrices vulnerum, quæ ad similitudinem forsitan ostendit.

Verf. 15. Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ: faciat vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur.

[*Et datum est illi:*] scilicet bestiæ, id est, Apostolis Antichristi, Dei permissione. [*vt daret spiritũ:*] scilicet malignum: vel etiam spiritum prophetandi & prædicandi, futura coniecturando, scilicet ex pręteritis, vel nunciando cras alibi, quod hodie factum est hic. vt si fiat hodie hic aqua rubea propter sanguinem effusum, potest nunciare
[† *forte domo.*] † determinato statim vbi aqua descendit, quod erit cras aqua rubea, & sic videntur nunciare futura: [*imagini bestiæ:*] id est, conformibus Antichristi, vt dicit *Glossa.* [*vt loquatur ipsa imago bestiæ:*] id est, vt loquantur conformes Antichristi variis linguis, quia hi quibus Apostoli Spiritum sanctum dabant statim linguis loquebantur nouis. & isti facient suos sequaces, aut ex varietate gen-
[† *forte lege fallacia.*] tium, aut ex † fallaciis inimici astutia, nouis aut plurimis linguis loqui.

Potest etiam quod dictum est intelligi de ima-
[*Haymo.*] gine Antichristi materiali, licet *Haymo* aliter sensisse videatur. Poterit enim esse quod facient imaginem Antichristi materialem, sicut nos facimus imaginem saluatoris corpoream, & illam imaginem par malignum spiritum præsidentem facient dare responsa, & per hoc homines seduci, & nolentes adorare eam occidi.

[*Et faciet vt quicunque, &c.*] Hic ostenditur potestas eius singularis, per quam faciet occidi non adorantes imaginem. & primo hoc ostendit.

Secundo quod faciet malos confiteri Antichristum, verbo & opere: *& faciet omnes pusillos.*

Dicit ergo: [*Et faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ:*] id est, conformes Antichristo per honoris exhibitionem: [*occidantur:*] morte corporis. *Haymo.* Facient Apostoli sui, vt qui- [*Haymo.*]
cunque non audierint eos, vt colant Antichristum pro Deo, interficiantur ab illis, & ab huiusmodi seculi principibus, qui eum sequentur. vel de imagine corporea ad literam intelligi potest, vt fecit Nabuchudonosor, *Dan. 3.*

Veisic. 16. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.

[*Et faciet:*] Hic ostenditur quod omnes malos facient Antichristum confiteri verbo & opere. [*Et faciet omnes pusillos & magnos, & diuites, & pauperes, liberos & seruos:*] *Haymo.* Pusilli sunt qui [*Haymo.*]
malum quod intelligunt & volunt, facere non possunt. *Magni* sunt qui secundum libitum operantur malum. *diuites* sunt qui & terrenis diuitiis suffulti, & superbiæ spiritu inueniuntur inflati. *pauperes* sunt, qui fide & operibus inopes in virtutibus se iactant esse diuites. *liberi & serui* sunt alieni à iustitia, & serui peccati facti, *Rom. 6. Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitia.* [*& faciet:*] bestia, quæ signat ministros Antichristi omnes prædictos. [*habere characterem in manu dextera, aut in frontibus suis.*] *Haymo.* Per dexteram reproborum intelligitur operatio eorum: per frontem professio fidei. Habent ergo reprobi characterem, id est, notam criminis in dextera manu & in frontibus suis: quia vbi debebant habere pura opera virtutum & fidei, ibi inuenitur macula criminis deturpati. characterem ergo in manu dextera aut in frontib. suis habere est Antichristum sequi actione, & confiteri ore. character in manu est error manifestus in exemplo operis. character in fronte, error in protestatione oris.

V. 17. Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.

[*Et ne quis possit emere aut vendere, &c.*] Hic intelligitur de venditione & emptione, quæ pertinet ad negotiationem, *Luc. 19. Negotiamini dum venio.* *Beda ibidem*: Verbum Dei populis of- [*Beda in Luc. 19.*]
ferte, & ab eis fidei confessionem recipite.

Mutaliter: quia probitatem recipient mini- [*Moraliter.*]
stri, ergo Antichristi facient per principes seculares, [*ne quis posset emere:*] id est, reportare bonam vitam vel fidem, à populis, [*aut vendere:*] id est, dare verbum prædicationis, [*nisi qui habent characterem:*] id est, fidem bestiæ in corde: [*aut nomen bestiæ,*] id est, confessionem eius in ore. *Haymo.* [*Haymo.*]
Nemo tunc poterit libere prædicare Christum nec prædicabit aliquis libere, nisi qui fidem Antichristi tenuerit, 2. *Timoth. 4. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt.* [*aut numerum nominis eius:*] id est, hanc multitudinem operum probantium fidem cordis quam os confitetur.

vel

vel numerus nominis eius dicitur ille numerus, qui in literis quibus nomen eius scribitur designatur, de quo *Infra versu 28.*

Potest tamen illud [*ne quis possit emere, &c.*] intelligi sic ad literam, quod huiusmodi execrati habeantur vt nec eis vendatur, nec ab eis ematur sicut hodie puniuntur, qui sunt contumaces Ecclesiæ. Sic enim puniebant Iudęi confitentem Christum, *Ioh. 9. Conspirauerunt Iudæi, vt si quis confiteretur Christum, extra synagogam fieret.*

Vers. 18. Hic Sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.

[*Hic:*] id est, ad hæc intelligenda. [*est sapientia:*] supple necessaria. Difficile enim est intelligere quid significet numerus bestiæ. vel [*hic:*] id est, in hoc tempore tantæ tribulationis est sapientia necessaria ad cauendum casum.

[*Qui habet intellectum:*] Hic primo excitatur intellectus legentis, quia res obscura est.

Secundo ostenditur quod Antichristus purus homo erit: *numerus enim hominis est.*

Tertio specificatur numerus ille: *& numerus ille est sexcenti.* Dicit ergo:

[*Qui habet intellectum:*] id est, donū intelligendi obscura, *Psal 31. Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris.* [*computet numerum bestiæ:*] id est, numerum qui ea significatione literarum constituitur, quibus nomen eius scribitur. Et quod possit computari ostendit, cum subdit: [*numerus enim hominis est:*] id est, qui potest numerari ab homine: vel ideo dicitur numerus hominis esse, secundum Bedam, quæ putemus, iuxta quorundam opinionem, eum vel Diabolum esse vel Deum, sed vnum in hominibus in quo totus Satanas habitaturus est, 2. *Thessal.* 2. dicitur *homo peccati.* [*& numerus eius est sexcenti sexaginta sex:*] Ad huius intelligentiam notandum est quod liber ille in Græco scriptus fuit, vnde secundum morem Græcorum numerus huius nominis accipiendus est. Græci autem literis exprimunt numeros secundū quod in ordine Alphabeti ponuntur. Verbi gratia. Alpha, quod est primum elementum, vnum signat, Beta duo, & sic vsque ad Iota. & decimo loco ponitur, quod signat decem. Sequens vero scilicet Cappa signat viginti, sequens triginta: & sic præcedendo vsque ad centum. Rho centum signat: sequens ducenta, & sic procedendo. His visis de facili inuenitur nomē bestiæ, & numerus nominis. secundum Bedam hoc nomen est † *Teitau*, quod interpretatur *gigas* vel *sol.* Hoc enim nomen Antichristus quasi antecellens potentia sibi vsurpabit, iactans se esse illum de quo scriptum est; *Psalmo decimooctauo: Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Ipse dicet se esse gigantem geminæ substantiæ, diuinæ & humanæ. Numerus autem huius nominis est, sexcenti, sexaginta sex. quod sic potest ostendi. T trecenta signat, e quinque, i decem, t trecenta, a vnum, n quinquaginta: quæ simul aggregata faciunt sexcenta sexaginta sex. Item † Titan interpretatur *sol*, quia Antichristus affirmabit se esse solem iustitiæ & veram lucem.

† Teithan MS.

† Tytan MS.

Et si Latine ostendamus qualiter suadebit se lucem vocari, dicemus, *Dic lux.* Ipse enim dicet vt *lux* vocetur. Et in hoc [*dic lux*] etiam inueniemus prædictum numerum. D enim apud nos quingenta signat, i vnum, c centum, l quinquaginta, v quinque, x decem: quæ simul sumpta sexcenta sexaginta sex perficiunt.

Primasius ponit aliud nomen eundē numerum complens, quod est *Anthemos*, ... quod interpretatur *honori contrarium*: quod Antichristo conuenit, qui honori Christi contrarius erit. A vnū, n quinquaginta, t trecenta, m quadraginta, o septuaginta, (quia apud Gręcos est vna litera inter n & o) s ducenta: quę simul sumpta reddunt prædictum numerum.

Hoc idem inuenitur in alio verbo Græco quod est *Arnoyme*, ... quod interpretatur *nego*: quod conuenit Antichristo, qui negabit Christum esse Deum, & reddit eundem numerum. A vnum, r centum, n quinquaginta, o septuaginta, y quadringenta, m quadraginta, e quinque. Patet igitur quod sit nomen, & numerus nominis.

Sed cum dicat *Interlinearis*, quod licet per hunc numerum Deus videatur, sapienti purus homo apparebit: quæritur quomodo hoc sit verum. *Quæstio.*

Ad quod potest dici, quod triplex senarius est in illo numero: scilicet senarius vnitatum, & denariorum, & centenariorum. *Responsio.*

Primus signat perfectionem naturæ, quia in sex diebus omnia sunt facta.

Secundo perfectionē meritorum. In eo enim quod in sexaginta denarius sex vicib. finitur, Decalogi perfecta impletio designatur. In obseruatione vero Decalogi consistit meritum.

In tertio senario signatur perfectio præmiorum. Centum enim signat præmium perfectorum. Perfectis enim fructus cētesimus debetur. Quia ergo ille homo peccati hūc numerum habet, in quo signatur perfectio naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ triplex perfectio à Deo est, propter hoc dicitur, quod insipientibus apparebit esse Deus, sed sapientibus purus homo esse videbitur, per hunc numerum, qui totus per senarium describitur. In quo datur intelligi, quod ille cui hic numerus cōperit pura creatura erat. Senarius enim est numerus operationis creaturarum. Omnes enim creaturas sex dieb. operatus est Deus, etiam. † senarium cuius aliquotæ tres sunt, & perficiunt totū non vltra procedentes nec citra procedētes, signatur perfectio fidei, cui nihil est addendum nec subtrahendum. Et sicut senarij sunt tres partes, scilicet tria, duo, vnum: sic tria sunt credēda: sunt tres personæ, duæ naturæ in Christo, vna essentia Dei. Per sexaginta vero signatur perfectio triplex, vna fidei propter senarium, alia operis propter denarium, tertia est supererogationis propter impletionē consiliorum, quam charitas inducit, quæ signatur per centesimum. siue hac parum valent alia. secundum illud, 1. *Corint. 13. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quia igitur hanc triplicē perfectionem, vel potius eius perfectionē, vel potius eius præmium promittet Antechristus, postea Deus reputabitur à suis, quia dare huiusmodi solius Dei est. Possumus autē per senarium minimam perfectionem accipere; & per sexagenarium, mediocrem; & per centenarium, maximam: merito itaq; tali numero describitur in omni gradu malorum perfecte malignus, & in omni gradu honorum bonitati perfecte contrarius inuenitur: ipse sic prouidebit minime

† forte supple per.

nime

nima mala inchoare, mediocria prouehere, vt maxima non desinat manu tenere: & incipientia bona atterere, crescentia impedire, vt summa non cesset pro posse suo imminuere.

Cap. XIV.

Vers.1. Et vidi, & ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centū quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.

[*Et vidi & ecce Agnus stabat supra montem Sion, &c.*] Descripta familia draconis, scilicet Antichristo & ministris eius; hic incipit agere de Agno & familia eius, quasi de acie opposita. & post persecutionem grauissimam ab Antichristo sanctis inferendam subdit ad solatium electorum a dintorium Christi cum familia eius. &

Primo hoc ostenditur Agni visio.

Secundo describitur eius familia: *& cum eo centum quadraginta quatuor millia.*

Tertio introducūtur pręcones aduocantes ad exercitum Agni, & reuocantes ab exercitu draconis: *& vidi alterum Angelum.* Dicit ergo:

[*Et vidi:*] per spiritualem intelligentiam. [*& ecce Agnus:*] id est, Christus innocens, patiens, humilis & mansuetus, pro nobis immolatus, *Ierem. 11. Ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* [*stabat:*] quasi ad iuuandum paratus. [*supra montem:*] quod interpretatur specula, vel speculatio & signat Ecclesiam, quæ futura bona speculatur, & mala cauenda denunciat: quæ dicitur mons, quia virtutibus excelsa.

Sion dici potest propter contemplationem veritatis quoad fidem.

Mons propter eminentiam vitæ quoad mores.

Super Ecclesiam Christus est, quia *qui de cœlo venit super omnes est, Iohan. 3. Psalm. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum Domini.* [*& cum eo:*] hic describitur exercitus Agni, & specialiter milites eius præcellentes, vt prædicatores, martyres, & virgines quibus debentur aureolæ propter triplicem incorruptionem;

Rationalis, contra errorem.

Irascibilis, contra timorem.

Concupiscibilis, cōtra corporalem amorem.

[*Et cum eo:*] quia ei per institiam conformes: supple stabant, quia & ipsi sunt ei auxiliatores. [*Centum quadraginta quatuor millia:*] hic numerus signat multitudinem electorum, & ponitur numerus finitus pro infinito: sicut dicit *Haymo.* Quod dicitur *centum* pertinet ad cœlestem gloriam, quæ merces est sanctorum. Centenarius enim transit à læua ad dexteram. *Quadraginta* pertinet ad Decalogi & quatuor Euangelistarum completionem. *Quatuor,* ad quatuor principalium virtutum exercitationem. *Millia* ad totius iustitiæ consummationem.

Secundum quandam *Glossam* iste numerus signat in fide Trinitatis perfectos ex quatuor mūdi partibus collectos. Si enim ternarius in quaternarium ducatur vel è cōtrario, redditur duodenarius numerus, qui ductus in se reddit centum quadraginta quatuor. Additur autem *millia* ad significandum perfectionem.

Præterea *quadragenarius* numerus est pœnitentium incipientium.

Quatuor perficientium.

Centum perfectorum.

Mille perseuerantium.

[*Habentes nomen, &c.*] Secundum vnam expositionem hoc pertinet ad prædicatores: Illud vero, [*& vocem quam audiui sicut citharædorum,*] pertinet ad Martyres. illud vero, [*& cantabant,*] pertinet ad virgines. Dicit ergo:

[*Habentes nomen eius:*] scilicet Agni. [*& nomen patris eius:*] hoc pertinet ad auream. habetur nomen eius quod est Iesus, id est, saluator in saluatione seu in pœnæ euasione: nomen vero patris eius in perceptione hæreditatis æternæ. vel [*habentes nomen eius,*] quia vocantur Christiani. [*& nomen patris eius,*] quia vocantur filij Dei. [*scriptum:*] per interminalem perseuerantiam. Scriptura enim est designatio certa & manens. [*in frontibus suis:*] per confessionem fidei in animam. Hoc scriptum in frontibus suis pertinet ad aureolam. frons enim præeminet corpori: vnde scriptura in fronte ostendit quandam præeminentiam dignitatis, quæ debetur confessoribus Deitatis. Et notandum quod

Aureola prædicatorum dicitur esse prima similitudo in sapientia.

Aureola martyrum, prima similitudo in potentia vel fortitudine.

Aureola virginū prima similitudo in bonitate.

Vers.2. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarū multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audiui, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.

[*Et audiui vocem:*] Hic primo ponitur admonitio sanctorum excitantium alios ad Christi imitationem.

Secundo modus admonitionis exprimitur, quæ est per manifestationem passionis Christi in seipsis: *& vocem quam audiui.* Dicit ergo:

[*Et audiui vocem:*] scilicet admonitionem sanctorum. [*de cœlo:*] id est, de Ecclesia. vel specialiter cœlum intelligere possumus perfectos, qui cum agno per cœlestem conuersationem sunt. vnde vox de cœlo venit, cum admonitio diuina à perfectis ad imperfectos descendit. [*tanquam vocem aquarū multarum:*] hoc dicitur quia ex multis populis tales congregantur. vel tanquam vox aquarum dicitur, quia electos mulcet. Aqua enim est Scriptura sacra, quæ mentem reficit, & palato sano valde dulcis est, *Psal. 22. Super aquam refectionis educauit.* Item *Psalm. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Ideo vero additur *multarum,* quia in Scriptura diuersæ refectiones inueniuntur. Reficitur enim

Intellectus in sensu allegorico.

Affectus vero in sensu morali vel tropologico.

[*Et tanquam vocem tonitrui magni:*] hoc dicitur quia reprobis terrorem incutit. *Psalm. 103. A voce tonitrui tui formidabunt.* [*Et vocem quam audiui:*] supple, dico esse, [*sicut citharædorum citharizantium in citharis suis:*] *Beda.* Citharistæ Dei sunt omnes sancti, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Laudant enim in Psalterio & cithara. Cithara habet lignum cum neruis extensis super illud. Nerui vero illi licet diuersimode

mode cædantur, vnam tamē faciunt melodiam. tunc in ligno nerui extenduntur, cū corpora sanctorū per imitationem passionis Christi affliguntur, adimplendo, quæ desunt passionib. Christi: quæ licet diuersimode affligantur, vnam tamen fidem confitentur. Ex cithara ista quoad martyres resultat in æterna beatitudine melodia, quæ martyrum erit aureola. bene autem dicitur in citharis suis cōtra illos qui in alienis volunt citharizare, aliis pœnitentiam prædicando cum ipsi delicate viuant. Vel cithara, quæ manibus pulsatur vt sonitum reddat, bonam actionem signat. vnde vero dicitur *in citharis suis*? vt opus suum vnusquisque probet, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in altero.

V. 3. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedē & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

[*Cantabant:*] hoc pertinet ad virgines, vbi

Primo ostenditur gaudium quod inest virginibus pro integritate seruata.

Secundo ostenditur prærogatiua eorū quantum ad illud gaudium: *& nemo poterat dicere.*

Tertio ostenditur qua virtute illi adepti sunt: *qui empti sunt de terra.*

Quarto ostenditur eorum incorruptio: *hi sunt qui cum mulieribus.* Dicit ergo:

Haymo. [*Et cantabāt quasi canticum nouum:*] *Haymo.* Canticum nouum cantare est, de incorrupta mentis integritate & corporis gaudere. Canticū nouum est quia noui Testamēti. Licet enim aliqui in veteri Testamento hanc incorruptionem seruauerint: tamen pauci fuerunt, & quoad hoc ad nouum Testamentum pertinebant, vbi dicitur: *Sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnū cœlorum, Matth. 19. Beda.* Vetus canticum erat: *Beatæ quæ pariunt. Exod. 23. Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua.* Nouum est: *Lauda sterilis, quæ non paris. Isa. 54. & Gal. 4.* Additur vero hic quasi nouum, quia hoc canticum non est inouditum nec nouum omnino. vnde hoc dicitur ad differentiam matris Dei, in qua fuit virginitas & fœcunditas, & alias non est auditum. vnde illa vere cantat canticum nouum. [*ante sedem Dei:*] i.e. in præsentia angelorum in quibus Deus residet, & per quos iudicia sua exercet. [*& ante quatuor animalia:*] i.e. in præsentia vniuersorum prædicatorum. [*& seniores*] id est, in præsentia iudicium Ecclesiasticorum. vel [*cantabant, &c.*] quia pro acceptis beneficiis diuinā bonitatem laudant. quod canticum, † sed quasi nouum ideo dicitur, vt vsq; ad glorificationē corporum esse illorū intelligatur. tunc enim vere & perfecte erit nouum, quando post generalem resurrectionem secundum vtramq; naturam nostram erit consummatum. Tunc enim erit nouitas, cum tota perierit vetustas. [*& nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia:*] *Beda.* Singulariter agno canticum cantare est cum eo in perpetuum prę cunctis fidelib. de carnis incorruptione gaudere. Hoc cāticum nullus cantare poterit quantęcunque sanctitatis fuerit, qui illam incorruptionem nō seruauerit: audire tamen poterit. vnde *August. de virginitate libro:* Pergite sancti Dei pueri, puellæ, mares ac fœminæ, cœlibes & innuptæ, pergite perseueranter in finem, vos afferetis ad nuptias agni canticum nouum tale, quale nemo poterit cantare nisi vos. & ita videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ agnum adhuc sequi nō potest: videbit nec inuidebit, & collætando vobis quod in se nō habet, habebit in vobis. vnde nec illud canticū nouum proprie vestrum ab alio dici poterit. Audiri enim poterit & delectari vestro tam excellenti bono: sed vos qui & dicetis & audietis felicius exultabitis, iucundiusque regnabitis.

† lege scilicet.

Augustin.

Beda. Idem dicit *Beda*: Hoc inquit canticum electi cęteri audire possunt, licet dicere nequeant, quia per charitatem quidem de eorum celsitudine lęti sunt, quamuis ad eorum præmia nō assurgant. Quod intelligendum est ad præmia accidentalia, quia de præmio substantiali poterit plus habere non virgo quam virgo, si maiorem charitatem habuerit. [*qui empti sunt de terra:*] id est, sanguine Christi redempti & eleuati de terrena concupiscentia, *1. Corinth. 6. Empti estis pretio magno: Gl.* quia eos ad hoc, vt essent virgines sanguis Christi eleuauit, *1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi & incontaminati.*

Vers. 4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.

[*Hi sunt qui cum mulieribus:*] Hic primo determinatur incorruptio virginum.

Secundo ostenditur dignitas, quam consequuntur ex huiusmodi incorruptione: *hi sequuntur,* & tangitur triplex incorruptio.

Primo carnis: *hi sunt qui cum mulieribus.*

Secundo oris: *& in ore ipsorum.*

Tertio mentis: *sine macula.* Dicit ergo:

[*Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati:*] ad literam. [*virgines enim sunt:*] mente sc. & corpore incorrupti. Nam secundū *Haymonem*, non prodest esse virginem corpore si contigerit mente quempiam corruptum esse, quod intelligendum est finaliter. [*hi sequuntur agnum quocunque ierit:*] *Haymo*: sequi Christum, imitari est ipsum. *Augustinus libro de virginitate.* Sequimini Agnum quia Agni caro, id est, Agnus vtique virgo. † hoc inseruit in corporibus & cordibus nostris, quoniam matri conceptus & natus non abstulit. Idem in eodem. Sequuntur Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocunq; ille ierit, sed quousq; illi poterint. Possunt autem vbiq; pręterquam cum in decore virginitatis incedit. [*hi empti sunt ex omnibus:*] vel *ex hominibus*, alia litera, [*primitiæ, &c.*] In lege præceptum est, vt primitiæ frugū offerantur Deo, Exod. 23. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* Per primitias signantur virgines, quia sicut ex multitudine frugum paruæ primitiæ Deo offerebātur, ita ex multitudine electorū tanquam paruæ primitiæ virgines eliguntur, qui seipsos Deo offerunt. Vnde *Beda*: de illo sancto & immaculato Ecclesiæ grege: virgines quasi puriores hostiæ à Spiritu sancto eliguntur. [*hi empti sunt sanguine:*] scilicet Christi ad hoc vt essent, [*primitiæ ex omnibus:*] vel *ex hominibus*: id est, electi ex omnibus hominibus ad modum primitiarum, vt tanquā primitiæ offerantur, [*Deo*] scilicet Patri, [*& Agno*] id est, Christo innocenti pro nobis immolato. virgines

Haymo.

Augustin.

† Text. Augustini sic legit: Hoc a nobis in se voluntas auferat, quod matri non abstulit conceptus & natus.

gines dicũtur primitiæ, id est, primi. Primo enim diuina similitudo resplẽdet in Angelis ad quam peruenerunt virgines per gratiam incorruptionis. *Hieronym.* *Hieronymus* virginitas soror est Angelorum, id est, similis. & etiam in aliquo est status excellentior. *Ambrosius.* vnde *Ambrosius*: Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ per quam homines Angelis assimilantur. Maior etiam est victoria virginum quam Angelorum. Angeli enim sine carne viuunt, virgines in carne triumphant.

Quæstio. Hic quæritur quare potius dicitur de virginibus quod sequuntur Agnum quocunque ierit quam de prædicatoribus vel martyribus, cum illis debeatur aureola sicut & virginibus?

Responsio. Respond. Virginitas signum est innocentiæ generalis quoad omne tempus, prædicatio vero & martyrium aliquando peccata sequantur, vt de paulo, qui de persecutore factus est prædicator: & latro in cruce factus est martyr.

Vers. 5. Et in ore eorum non est inuentum mendacium. Sine macula enim sunt ante thronum Dei.

[*Et in ore ipsorum non est inuentum mendacium*:] Sed quo modo hoc verum est cum omnis homo est mendax?

Respond. In illis inuenitur in quibus manet, *† Non MS.* vt dicit *Interlinearis*: † in habentibus autem charitatem finaliter non manet, 1. *Petri* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum* Vel hoc ideo dicit, quia omnis homo quantum est de se est mendax, sed à Deo verax. Vnde *Matth.* 16. cum dixisset Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui*: *Respondet ei Christus*: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* ecce veritas ea Deo. Cum autem dixisset audita Domini passione, *Absit à te Domine, ait illi Christus*: *Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* ecce mendacium ab homine.

Quæstio. Sed quare hoc dicitur de solis virginibus, *quod in ore ipsorum, &c.*

Responsio. Respond. Quia quod in Baptismo promiserunt, vsq; in finem vitæ suæ seruare studuerunt, [*sine macula ante thronum Dei*:] hoc dicitur, quia nunquam carnem suam maculauerunt. *Cantic.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* [*& ideo sunt ante thronum Dei*:] id est, ante Deum iudicem. vnde *Psalm.* 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Nota super illud. [*sine macula sunt,*] quod quadruplex est macula.

1 Prima est *corporalis voluptas*, de qua *Eccles.* 47. *Potestatem habuisti in corpore tuo: inclinasti femora tua mulieribus, & dedisti maculam in gloria tua.*

2 Secunda est *gulositas.* *Catholica Iudæ.* *Hi sunt in conuiuiis suis maculæ conuiuantes sine timore semetipsos pascentes.* *Isaia* 28. *Omnes mensæ eorum repletæ sunt vomitu sordiumque, ita vt non esset vltra locus.*

3 Tertia est *loquacitas*, *Iac.* 3. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus.* & hoc prouenit ex gulositate, quia secundum *Gregorium*, *Gregorius.* primis in male conuiuantibus culpa famulatur. ideo *diues epulo in lingua torquebatur*, *Luc.* 15.

4 Quarta est *cupiditas*, *Eccles.* 31. *Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit nec sperauit in pecunia & thesauris.*

† lege quinque. † Quatuor tamen inueniuntur personæ in Scriptura, quæ post aurum & argentum non abierunt, sed potius manus suas ab omni munere illicito excusserunt, per quas signantur personæ Ecclesiasticæ, quæ tenentur similiter facere.

Primus est Abraham, *Genes.* 14. qui regi dicenti sibi, *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Respondet: *Leuo manus meas ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas, ego ditaui Abram.* per Abraham, qui hostes occidit & populum reduxit intelliguntur iudices Ecclesiastici, qui pro iustitia facta vel facienda non debent accipere minima, parua vel magna, occulta vel operta, quod notatur in filo subtegminis & corrigia caligæ.

Secundus fuit Moyses, qui ait ad Dominum, *Num. cap.* 16. *Ne respicias sacrificia eorum, tu scis quia nec quidem asellum vnũ acceperim ab eis*: id est, quodcunque vile munus. Per Moysen qui Leuitas instituit & ordinauit signantur Episcopi quorum est conferre ordines & beneficia Ecclesiastica: in quo signatur quod ipsi pro collatione ordinum aut beneficiorum nullum debent munus accipere.

Tertius fuit Elisæus, 4. *Reg.* 5. *qui dixit Naaman, vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua atque mundaberis. & post lotionem factam nihil voluit ab eo accipere, licet ille multa offerret.* Septena lotio signat septem sacramentorum dispensationem, per quam fit mundatio animarum; per quod notatur, quod pro sacramentorum dispensatione, nec ante nec post aliquid debet accipi: quia sicut dicit Canon: Quandocunque date, date est: similiter quandocunque accipere, accipere est. vnde Giezi, qui postea accepit lepra percussus est.

Quartus fuit Daniel, *Daniel.* 5. *Cui cum dixisset Balthasar: si vales scripturam legere, & interpretationem dicere, purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris: respondet, Munera tua tibi sint, & dona tua alteri da, scripturam autem legam tibi rex, & interpretationem eius ostendam tibi.* Per quod notatur, quod doctores & prædicatores sacræ Scripturæ, pro expositione sua nullum munus debent accipere.

Quintus fuit Petrus, *Actorum* 8. *Cui cum dixisset Simon magus, date mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum: respondet, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Per quod ostenditur quod opera miraculorum, aut impositio manuum aut gratia dispensationum non debent, mediante pretio fieri.

Versic. 6. Et vidi alterum angelum volantem per medium cœli habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.

[*Et vidi alterum angelum*:] descripto exercitu Agni introducuntur præcones Angeli aduocantes ad Agnum, & reuocantes à dracone, & diuiditur hæc pars in tres.

In prima ponuntur tres præcones clamantes.

In secunda tangitur ratio clamoris eorum ad Agnum: *& audiui vocem de cælo*:

In tertia ratio reuocationis à dracone: *& vidi & ecce nubem candidam.*

Prima subdiuiditur in tres partes, secundũ numerum præconum: & cum prædicatores draco-

nis

nis tria clamauerint, vt ex præcedentibus haberi potest, scilicet vt adoraretur bestia; vt fieret imago bestiæ; & vt reciperetur eius character.

Primus præco clamat vt Deus adoretur contra primum.

Secundus clamat ne imago bestię fiat per imitationem bestialitatis & immunditiæ vitæ, quo annunciat Ioannes † casus Babylonis significantis vitam carnalium confusione plenam. *Babylon* enim interpretatur confusio.

† forte casum.

Tertius monet ne characterem bestię accipiatur, pœnam comminans accipientibus & etiam imaginem facientibus, & bestiam adorantibus.

Clamor primi Angeli est exhortatio.

Clamor secundi exemplaris institutio.

Clamor tertii comminatio. Dicit ergo,

[*Et vidi alterum Angelum:*] id est, ordinem prædicatorum. *Gloss.* [*alterum Angelum,*] id est, prædicatores qui sunt alteri à Christo vicem eius gerentes. *volantem:*] pennis virtutum per contemplationem. [*per medium cœli:*] id est, per medium Ecclesiæ hinc inde populos verbo & exemplo † excitante, quod potest referri ad actionem, *Eccles.* 15. *In medio Ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus.* vel [*volantem,*] per celsitudinem & sublimitatem prędicationis. [*per medium cœli:*] scilicet Ecclesiæ, virtutibus altæ, splendore diuinæ cognitionis lucidæ. Per medium cœli, id est, Ecclesiæ prædicator volat, cum nec ad dexteram adulationis, nec ad sinistram obiurgationis declinat, *Isa.* 60. *Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas?*

† forte excitantem.

Obiectio. Sed cum in præcedentibus nulla Angeli facta sit mentio, quare dicit vidi alterum Angelum, cum hoc non soleat dici nisi præcesserat vnus.

Responsio. Resp. In Agno, de quo prius dictum est, illum Angelum intelligi voluit, qui dicitur, *magni consilii Angelus, Isaia* 9. Secundum aliam literam. [*habentem Euangelium:*] in corde per amorē, in ore per prædicationē, in manu per operis impletionem. [*æternum:*] id est, promittentem bona æterna, ad differentiam veteris legis promittentis bona temporalia. [*vt euangelizaret:*] non dicit vt absconderet, sicut seruus piger, *Matth.* 25. 2. *Timoth.* 4. *Opus fac Euangelistæ.* euangelizaret inquam [*sedentibus super terram:*] id est, electis suauiter in Deo quiescentibus, terrenis cōtemptis. quies enim in sessione intelligitur; terrenorum cōtemptus in hoc quod dicitur super terram. [*& super omnē gentem, & tribum, & linguam & populum:*] *Glossa*: id est, super omnimodam diuersitatem eorum qui in terrenis cōmorantur. In quo notatur quod non solum prædicādum est bonis, sed † & malis, tam de Gentibus quā de Iudæis, *Matt.* 24. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* In hoc quod dicit *super omnē gentem.* innuitur quod prædicator debet alios excellere in vita, *Iere.* 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* & subditur: *Ecce constitui te super gentes & regna:* vita sc. & officio, *Isa.* 40. *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion:* .... id est, super eminentiam vitæ.

† de MS.

Vers. 7. Dicens magna voce, Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicii eius: & adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & fontes aquarum.

[*Dicens voce magna:*] Hic exprimitur magnitudo desiderii quod debet habere prædicator ad conuersionē hominum, *Isa.* 40. *Exalta in fortitudine vocē tuam qui Euangelizas Hierusalem.* [*Timete dominum:*] [castè sc. timore. [*& date illi honorem:*] per laudis decantationē, & boni operis exhibitionē.

Primo inuitat ad timorem: *Quia timor Domini expellit peccatum, Eccles.* 1.

Deinde ad laudis honorem. honor verò est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. ideo merito datur honor Christo, qui est virtus patris, 1. *Cor.* 1. *Prædicamus Christum Dei virtutem.* [*quia venit hora iudicii eius:*] vbi reddet vnicuiq; secundū opera sua, *Mal. vlt. Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, qua non derelinquet eis radicem & germen.* [*& adorate eum:*] per fidem rectam. [*qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt:*] per potentiam: & non solum cœlum & terram, quæ sunt magna, sed etiam minima; sed [*& fontes aquarum:*] vel sic; timete dominum declinando à malo: [*date illi honorem,*] faciendo bonum, & hoc in moribus. & adorate eum per fidem, [*qui fecit cœlum:*] propter angelos: [*terram,*] propter homines. [*mare*] id est, amaritudinem gehennæ † vel reprobos. [*& fontes aquarum:*] id est, naturas corruptibilium.

† forte loco propter.

Vers. 8. Et alius angelus secutus est dicēs, cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.

[*Et alius angelus:*] Iste præco clamore suo duo ostendit.

Primo casum Babylonis signātem casum hominum, bestialem & immundam vitā agentium, vt cognita eius deiectione, timeant homines facere imaginem bestiæ, id est, conformare se Antichristo per immunditiam vitæ.

Secundo ostenditur quæ sit illa Babylon, *illa magna.* Dicit igitur:

[*Et alius angelus:*] id est, ordo prædicatorum. [*secutus est:*] præcedentem scil. ordinem ei succedēdo, & eum in prædicatione imitando, [*dicens, cecidit, cecidit Babylon:*] Haymo: quod angelus ruinam perfidæ ciuitatis geminando denunciat, simul cū ipsis reprobis eorum gloriam omnē perituram demōstrat. vel bis dicitur *cecidit* propter casum culpæ in præsenti, & casum pœnæ in futuro, *Isa.* 21. *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terram. Ier.* 51. *Cecidit Babylon & contrita est.* Cecidit per culpam, & cōtrita est per pœnam. Babylon interpretatur confusio, & signat illos, de quib. *Phil.* 3. *Quorū Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* qui casuri sunt in ęternā confusionem, *Ier.* 51. *Submergetur sic Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quā ego adducā super eam.* [*illa magna:*] magnitudine vitiorum in se, vel multitudine inhabitantium. vel magna superbia. *Haymo*: magna dicitur hæc ciuitas propter enormitatē vitiorum, vel propter innumerabilem multitudinem reproborum, *Eccle.* 1. *Stultorum infinitus est numerus.* [*quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit gentes:*] Hic ostenditur diffusio erroris ipsius in alios. vinū hic dicitur error inebrians animas: dicitur vero *iræ*, quia Deum prouocat: *fornicationis* vero dicitur, quia maxime in idololatria accenditur, quæ est fornicatio spiritualis, *Psal.* 72. *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* vel vinū potest intelligi gloria temporalis, *Ioel.* 1.

Haymo.

Haymo.

Vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine. Ier. 15. Calix aureus Babylon in manu Domini: scilic. in sinistra, *Prou. 3. In sinistra eius diuitiæ & gloria.* [*potauit omnes gẽtes:*] i.e. corrupit omnes gẽtes † viuere cupiẽtes.

† forte bibere.

V. 9. Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna, si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua.

[*Et tertius angelus:*] Hic Introducitur tertius ordo prædicatorum clamans ne aliquis characterem bestiæ recipiat, vel bestiam adoret, vel eius imaginem. &

Primo ponitur comminatio contra facientes contraria.

Secundo ostenditur quod in consideratione huius comminationis sancti patiuntur & custodiunt mandata Dei: *hic est patientia.* Dicit ergo:

[*Et tertius angelus:*] i.e. tertius ordo prædicatorum secutus est illos duos scil. præcedentes: [*dicens voce magna:*] i.e. magna prædicationis instantia. *Haymo.* Voce magna prædicatores temporis illius clamãt quia bestiã se despicere in libertate vocis ostendunt. & subiungitur † quid clamet: [*si quis*, inquit, *adorauerit bestiã:*] i.e. Antichristũ, qui est bestia per crudelitaté. [*& eius imaginẽ:*] faciens se conformem † imitationibus eius eos venerando. [*& acceperit characterem eius:*] i.e. fidem ipsius. [*in fronte sua:*] ore confitendo quod corde credit. [*aut in manu sua:*] operibus imitando.

Haymo.

† quis MS.

† forte imitatoribus.

Vers. 10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistũ est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in cõspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni.

[*Et hic bibet:*] supple sicut Babylon. [*de vino iræ Dei:*] i.e. de damnatione æterna, quam Deus propinat iratus. [*quod mistũ est mero in calice ipsius.*] *Calix* est iustitia Dei, quæ vnicuiq; mensurat præmium secundũ meritum. *Merũ* autem est gaudium patriç, quod est purum sine omni mistione tristitiæ, doloris, vel alicuius defectus, de quo *Prou. 14. Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius nõ miscebitur extraneus.* per *fæcem* significatur dolor æternæ damnationis, quç est sine omni consolatione, de qua *Isa. 51. Bibisti de manu Domini calicem iræ eius vsq; ad fundum soporis calicis bibisti, & potasti vsq; ad fæces.* Per *mistum* præsens pœna, vbi mista sunt merum cœli & fæx inferni per spem & timorem, vbi etiam mista sunt pariter cõsolatio & tribulatio, *Prou. 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupabit.* Sicut. n. aqua vino miscetur ne bibenti noceat purũ vinum; sic gaudiis pręsentibus miscet Dominus tribulationes & infirmitates ne bibentes præsentia gaudia inebrientur, *Psal. 74. Calix in manu Domini vini meri plenus,* scilic. *in patria.* Plenus misto, In via: & inclinabitur ex hoc in hoc, i.e. de mero in mistum, quia tota die cum præsenti tribulatione infundit spẽ consolationis internæ & æternæ; veruntamen fæx eius non est exinanita: [*bibent*] supple in inferno, omnes peccatores terræ; qui sc. nolunt hoc bibere mistum, *Ier. 49. Ecce quib. non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent. & tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens. sed bibens bibes.* Psalmus vocat fæcẽ calicis Domini. Ioannes vocat hic vinum iræ Dei. vnde sensus est: [*& hic:*] sc. qui acceperit calicẽ bestiæ, id est, qui cõformauerit se Antichristo ei credendo & imitando, [*bibet de vino iræ Dei:*] i.e. damnabitur in inferno, vbi habebit abundãter pœnam & tribulationem. [*quod erit mistum mero in calice ipsius:*] i.e. quæ pœna & tribulatio mista est modo in calice iræ Domini; id est, in vindicta præsenti, quam iratus infligit: quia sicut dicit *Gregor.* quicquid mali patiuntur peccata nostra meruerunt.

Gregorius.

Sequitur: [*& cruciabitur igne & sulphure:*] vbi consequenter subduntur, quatuor conditiones pœnæ futuræ: quarum

Prima est acerbitas, quæ notatur ibi: *& cruciabitur igne.*

Secunda manifestatio, quæ notatur ibi: *in conspectu angelorum.*

Tertia carentia finis ibi: *& fumus tormentorum.*

Quarta continuitas, ibi: *nec habent requiem.*

Dicit ergo: [*& cruciabitur igne & sulphure:*] ignis habet ardorem, sulphur fœtorem: alterũ ad pœnam sufficeret: sed quia peruersi per desideria ex carnis fœtore arserũt maxime libidini deseruiendo, dignũ est, sicut dicit *Gregor.* vt postmodum igne & sulphure pereant, quatenus ex iusta pœna discãt, quid ea † iusto desiderio faciũt, *Inf. 21. Pars illorũ erit in stagno ardentis igne & sulphure.* [*& in conspectu angelorũ sanctorum:*] vt magis erubescant. & non solum in conspectu angelorum, sed etiam in conspectu sanctorum. *Beda.* Pœnam malorũ sancti cũ Domino regnantes semper videre possunt, vt hinc maiores † creatori suo gratias agẽtes misericordias Domini in æternum cantent: nec eos iusto iudici cõcordantes visa prauorũ tormenta contristant, sicut nec diuitẽ in flammis sepultum visa Lazari requies refrigerari volebat, *Lu. 16.* [*& ante conspectum Agni:*] *Haymo.* Non quod eum vltra visuri sunt cum scriptum sit: *Tollatur impius ne videat gloriam Domini, Isa. 26.* secundum aliam literam: sed tanto terrore tenebuntur, vt videatur Deus omnipotens semper illis esse præsens, eisq; vindictam iræ suæ semper infligere.

† forte iniusto.

Beda.

† imperatori legit textus Beda.

Haymo.

Vers. 11. Et fumus tormentorũ eorum ascendet in secula seculorum: nec habẽt requiem die ac nocte: qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.

[*& fumus tormentorum eius*, vel eorum, *ascendet in secula seculorũ:*] *Haymo.* Quia reprobos sine fine ardere conspicit, idcirco fumum tormentorum in secula seculorum ascendere dicit, *Isa. 34. Ascendit fumus eius à generatione in generationem.* In verbo ascendendi insinuatur quod pœna illa nõ remittitur: [*nec habent requiem die ac nocte:*] Sed quomodo dicit, *nocte* cruciari dicuntur, qui æterna nocte damnantur.

Resp. Hoc dicitur propter pœnarum vicissitudinem, *Isa. 34. Erit terra,* id est, corpus eius quod de terra est, *in picem ardentem: die ac nocte non extinguetur:* Illi inquam requiem non habent, [*qui adorauerunt bestiam:*] i.e. Antichristum: [*& imaginem eius:*] i.e. satellites eius, id est, ei conformes venerando. Et notandũ quod damnatio æterna comparatur vino mixto sen turbido in quantũ turbat † quãtum mentis, quoad pœnam vermis, vbi dictum est, bibet de vino iræ Dei; igni & sulphuri comparatur quoad gehennam ignis: fumo quoad carentiam visionis. [*& si quis acceperit characterem nominis eius:*] id est, notam criminis confitendo Antichristum esse Deum ore vel opere.

† leg. quietem.

Vers.

Verſ.12. Hic eſt patientia ſanctorum, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu.

[*Hic*] ſupple non habebit requiem die ac nocte: continue punietur. [*Hic eſt patientia ſanctorum.*] hic dupliciter exponitur.

Primo ſic: [*hic:*] ſc. non accipiendo characterem beſtiæ.

Secundo ſic: [*hic:*] id eſt, in cõſideratione ſuppliciorum æternorum, quorũ comminatio præceſſit. [*eſt patientia ſanctorum:*] *Haymo*: patientia ſanctorum eſt hic, quia dum conſiderant, quæ ſunt ſanctorum gaudia, & reproborum ſupplicia, patienter opera perferunt. [*& qui cuſtodiunt mandata Dei:*] Deum & proximum diligendo. [*& fidem Ieſu:*] eum verum Deum credendo & confitendo.

Verſ.13. Et audiui vocem de cœlo, dicentem mihi, ſcribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.

[*Et audiui vocem:*] Hic ponitur ratio aduocationis ad Agnum, quæ eſt inſinuatio beatitudinis iuſtorum: &

Primo oſtendit ſe audiſſe vocem.

Deinde exprimit quid vox illa dixerit: *ſcribe, &c.* Dicit ergo:

[*Et audiui vocem de cælo:*] id eſt, de cœleſti viſione, [*dicentem: ſcribe:*] non ſolum in corde tuo, vel in auditu proprio, ſed etiã in libro, ne cito tranſuolet, & ad conſolationem electorum vſque in finem perſeuerare debet. [*Beati mortui qui in Domino moriuntur:*] Sed quomodo mori poſſunt, qui iam mortui ſunt? ſi enim moriuntur, nondum mortui erant.

Mors. Ad euidentiam verbi propoſitum notandum, quod multiplex eſt mors. Eſt enim mors bona & mors mala, & indifferens.

Mala dicitur, ſcilicet mors culpæ, quæ aufert animæ Deum, qui eſt eius vita. *Sap.1. Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo*; multo fortius peruerſi cõſenſus, locutio vel operatio, *Iſaiæ 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* De hac morte, *Sap.1. Deus mortem non fecit*; id eſt, peccatum dicit *Gloſſa*: *ſed impij*, id eſt, Adam & Eua, *manibus*, quas extenderunt ad fructum vetitum, *& verbis accerſierunt eam.*

Secunda eſt mors gehennæ, de qua *Pſalm.33. Mors peccatorum peſſima*: mala propter pœnarum diuerſitatem: peſſima propter pœnarum perpetuitatem. hæc dicitur *mors ſecunda. Supra 3. Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.*

† dele non: aut lege modo. Hæc duplex mors fugienda eſt: & † non ſunt duo remedia:

Primum eſt impletio mandatorum, *Ezech.18. Quare non portabit filius iniquitatem patris?* quia filius iudicium & iuſtitiam operatus eſt, omnia præcepta mea cuſtodiuit.

Secundũ eſt abundans largitio eleemoſynarũ, *Tob.4. Eleemoſyna ab omni peccato & morte liberat.*

Mors bona ſimiliter duplex eſt.

Prima eſt qua quis peccato moritur, *Ro.6. Qui mortui ſumus peccato, quomodo iterum viuemus in illo.*

Secunda eſt qua homo ſpecialiter moritur mundo, clauſtrum ingrediendo, *Coloſſ.3. Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.*

Mors indifferens eſt ſeparatio animæ à corpore, de qua *Geneſ.2. In quacunque die comederis ex eo morte morieris*: id eſt, neceſſitati moriendi addictus eris, *3.Reg.14. Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* De morte bona poteſt exponi, quod dicitur hic, [*beati mortui:*] de indifferenti quod ſubditur, [*moriuntur:*] Dicit ergo:

[*Beati mortui:*] morte qua quis moritur peccato vel mundo. [*qui in Domino:*] id eſt, in confeſſione Domini: vel exiſtentes per charitatem in Domino: ſecundum illud *1.Iohan.4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* [*moriuntur,*] per ſeparationem † à corpore, *Iſai.61. Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Horum quidam ſtatim euolant, vt † ſupple à: anima.

Pueri baptizati, in cuius ſignum Chriſto aperti ſunt cœli, *Luc.3.*

Et martyres. Ideo *Stephano in martyrio cælum patuit, Actor.7.*

Et pœnitentes, qui pœnitentiam perfecerunt. tales moriuntur in terra promiſſionis cum Abraham.

Alij vero non ſtatim euolant, ſed vadunt in purgatorium, vt illi qui non perfecerunt pœnitentiam de peccatis præteritis, vel addiderunt venialia quæ ſecum portauerunt, de quibus *1. Corinth.3. Si quis ædificat ſuper fundamentum ligna fœnum ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit.* & poſt: *Vniuſcuiuſque opus quale fuerit ignis probabit.* Hi moriuntur cum Iacob & Ioſeph, quorũ oſſa ſunt deportata de Ægypto in terram promiſſionis. ſic qui ſunt in purgatorio peracta pœnitentia deferuntur miniſterio Angelorum in paradiſum, *Eccleſ.46. Oſſa eorum pullulant de loco ſuo, & nomen eorum permanet in æternum.* Nullus autem eorum; qui mortui ſunt in deſerto deportatus legitur in terram promiſſionis, quia nulli eorum qui mortali moriuntur deſerti à gratia ibunt in paradiſum. [*Amodo enim iam dicit ſpiritus:*] Hic determinatur in quo conſiſtat beatitudo ſanctorum. Conſiſtit autem in duobus: ſcilicet in carentia mali, ad quam pertinet illud, vt requieſcant: & in adeptione boni, ad quod pertinet illud: *opera enim illorum.*

Dicit ergo: [*Amodo:*] id eſt, à tempore reſurrectionis. Beda exponit, *amodo*, id eſt, à tempore mortis. [*iam dicit ſpiritus,*] id eſt, tota Trinitas, *Iohan.4. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare.* [*vt requieſcant à laboribus ſuis:*] hæc eſt requies opulenta, de qua *Iſai.17. & Iob.11. Requieſces & non erit qui te exterreat.* Et innuitur hic quod labor via ſit ad requiem. [*opera enim illorum ſequuntur illos:*] id eſt, merces operum, *Sapient.10. Reddet Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum. Ierem.31. Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachryma, quia eſt merces operi tuo.*

Verſ.14. Et vidi, & ecce nubem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.

[*Et vidi, & ecce nubem candidam:*] Hic ponitur ratio reuocandi à dracone, quæ eſt per oſtenſionem iudicis, vbi

Primo oſtenditur iudicij futuri executio.

Secundo iudicij ordo & deſiderium ſanctorum de iudicio faciendo: *& alter angelus.*

Vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine. Ier. 15. Calix aureus Babylon in manu Domini: scilic. in sinistra, *Prou. 3. In sinistra eius diuitia & gloria.* [*potauit omnes gētes:*] i.e. corrupi: omnes gētes † viuēte cupiēter.

† *forte bibere.*

V. 9. Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna, si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua.

[*Et tertius angelus:*] Hic introducitur tertius ordo prædicatorum clamans ne aliquis characterem bestiæ recipiat, vel bestiam adoret, vel eius imaginem. &

Primo ponitur comminatio contra facientes contraria.

Secundo ostenditur quod in consideratione huius comminationis sancti patiuntur & custodiunt mandata Dei: *hic est patientia.* Dicit ergo:

[*Et tertius angelus:*] i.e. tertius ordo prædicatorum secutus est illos duos scil præcedentes: [*dicens voce magna:*] i.e. magna prædicationis instantia. *Haymo.* Voce magna prædicatores temporis illius clamāt quia bestiā se despicere in libertate vocis ostendunt. & subiungitur † quid clamet: [*si quis,* inquit, *adorauerit bestiā:*] i.e. Antichristū, qui est bestia per crudelitatē. [*& eius imaginē:*] faciens se conformem † imitationibus eius eos venerando. [*& acceperit characterem eius:*] i.e. fidem ipsius. [*in fronte sua:*] nte confitendo quod corde credit. [*aut in manu sua:*] operibus imitando.

Haymo. † *quis MS.* † *forte imitatoribus.*

Vers. 10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistū est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in cōspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni.

[*Et hic bibet:*] supple sicut Babylon. [*de vino iræ Dei:*] i.e. de damnatione æterna, quam Deus propinat iratus. [*quod mistū est mero in calice ipsius.*] *Calix* est iustitia Dei, quæ vnicuiq; mensurat præmium secundū meritum. *Merū* autem est gaudium patriæ, quod est purum sine omni mistione tristitiæ, doloris, vel alicuius defectus, de quo *Prou. 14. Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius nō miscebitur extraneus.* per *facem* significatur dolor æternæ damnationis, quæ est sine omni consolatione, de qua *Isa. 51. Bibisti de manu Domini calicem iræ eius vsq; ad fundum soporis calicis bibisti, & potasti vsq; ad faces.* Per *mistum* præsens pœna, vbi mista sunt merum cœli & fæx inferni per spem & timorem, vbi etiam mista sunt pariter cōsolatio & tribulatio, *Prou. 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupabit.* Sicut. n. aqua vino miscetur ne bibenti noceat purū vinum; sic gaudiis præsentibus miscet Dominus tribulationes & infirmitates ne bibentes præsentia gaudia inebrientur, *Psal. 74. Calix in manu Domini vini meri plenus, scilic. in patria.* Plenus misto, in via: & inclinabit ex hoc in hoc, i.e. de mero in mistum, quia tota die cum præsenti tribulatione infundit spē consolationis internæ & æternæ: veruntamen fæx eius non est exinanita: [*bibent:*] supple in inferno, omnes peccatores terræ; qui sc. nolunt hoc bibere mistum, *Ier. 49. Ecce quib. non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens sed bibens bibes.* Psalmus vocat fæcē calicis Domini. Ioannes vocat hic vinum iræ Dei. vnde sensus est: [*& hic:*] sc. qui acceperit calicē bestiæ, id est, qui cōformauerit se Antichristo ei credendo & imitando, [*bibet de vino iræ Dei:*] i.e. damnabitur in inferno, vbi habebit abundāter pœnam & tribulationem. [*quod erit mistum merum calice ipsius:*] i.e. quæ pœna & tribulatio mista est modo in calice iræ Domini; id est, in vindicta præsenti, quam iratus infligit: quia sicut dicit *Gregor.* quicquid mali patiuntur peccata nostra meruerunt.

Gregorius.

Sequitur: [*& cruciabitur igne & sulphure:*] vbi consequenter subduntur, quatuor conditiones pœnæ futuræ: quarum

Prima est acerbitas; quæ notatur ibi: *& cruciabitur igne.*

Secunda manifestatio, quæ notatur ibi: *in conspectu angelorum.*

Tertia carentia finis ibi: *& fumus tormentorum.*

Quarta continuitas, ibi: *nec habent requiem.*

Dicit ergo: [*& cruciabitur igne & sulphure:*] ignis habet ardorem, sulphur fœtorem: alterū ad pœnam sufficeret: sed quia peruersi per desideria ex carnis fœtore arserūt maxime libidini deseruiendo, dignū est, sicut dicit *Gregor.* vt postmodum igne & sulphure pereant, quatenus ea iusta pœna discāt, quid ea † iusto desiderio faciūt, *Inf. 21. Pars illorū erit in stagno ardenti igne & sulphure.* [*& in conspectu angelorū sanctorum:*] vt magis erubescant. & non solum in conspectu angelorum, sed etiam in conspectu sanctorum. *Beda.* Pœnam malorū sancti cū Domino regnantes semper videre possunt; vt hinc maiores † creatori suo gratias agētes misericordias Domini in æternum cantent: nec eos iusto iudici cōcordantes visa prauorū tormenta contristant, sicut nec diuitē in flammis sepultum visa Lazari requies refrigerari volebat, *Lu. 16.* [*& ante conspectum Agni:*] *Haymo.* Non quod eum vltra visuri sunt cum scriptum sit: *Tollatur impius ne videat gloriam Domini, Isa. 26.* secundum aliam literam: sed tanto terrore tenebuntur, vt videatur Deus omnipotens semper illis esse præsens, eisq; vindictam iræ suæ semper infligere.

† *forte iniusto.* *Beda.* † *redemptori legit sextus Beda.* *Haymo.*

Vers. 11. Et fumus tormentorū eorum ascendet in secula seculorum: nec habēt requiem die ac nocte: qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.

[*& fumus tormentorum eius, vel eorum, ascendet in secula seculorū:*] *Haymo.* Quia reprobos sine fine ardere conspicit, idcirco fumum tormentorum in secula seculorum ascendere dicit, *Isa. 24. Ascendit fumus eius à generatione in generationem.* In verbo ascendendi insinuatur quod pœna illa nō remittitur: [*nec habent requiem die ac nocte:*] Sed quomodo dicit, *nocte* cruciari dicuntur, qui æterna nocte damnantur.

Resp. Hoc dicitur propter pœnarum vicissitudinem, *Isa. 34. Erit terra,* id est, corpus eius quod de terra est, *in picem ardentem: die ac nocte non extinguetur.* Illi inquam requiem non habent, [*qui adorauerunt bestiam:*] i.e. Antichristum: [*& imaginem eius:*] i.e. satellites eius, id est, ei conformes venerando. Et notandū quod damnatio æterna comparatur vino mixto seu turbido in quantū turbat † quātum mentis, quoad pœnam vermis, vbi dictum est, bibet de vino iræ Dei: igni & sulphuri comparatur quoad gehennam ignis; fumo quoad carentiam visionis. [*& si quis acceperit characterem nominis eius:*] id est, notam criminis confitendo Antichristum esse Deum ore vel opere,

† *hoc quietem.*

Vers.

Vers.12. Hic est patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu.

[*Hic*] supple non habebit requiem die ac nocte: continue punietur. [*Hic est patientia sanctorum.*] hic dupliciter exponitur.

Primo sic: [*hic:*] sc. non accipiendo characterem bestiæ.

Secundo sic: [*hic:*] id est, in cōsideratione suppliciorum æternorum, quorū comminatio præcessit. [*est patientia sanctorum:*] *Haymo:* patientia sanctorum est hic, quia dum considerant, quæ sunt sanctorum gaudia, & reproborum supplicia, patienter opera perferunt. [*& qui custodiunt mandata Dei:*] Deum & proximum diligendo. [*& fidem Iesu:*] eum verum Deum credendo & confitendo.

Vers.13. Et audiui vocem de cœlo, dicentem mihi, scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.

[*Et audiui vocem:*] Hic ponitur ratio aduocationis ad Agnum, quæ est insinuatio beatitudinis iustorum: &

Primo ostendit se audisse vocem.

Deinde exprimit quid vox illa dixerit: *scribe, &c.* Dicit ergo:

[*Et audiui vocem de cœlo:*] id est, de cœlesti visione, [*dicentem: scribe:*] non solum in corde tuo, vel in auditu proprio, sed etiā in libro, ne cito transuolet, & ad consolationem electorum vsque in finem perseuerare debet. [*Beati mortui qui in Domino moriuntur:*] Sed quomodo mori possunt, qui iam mortui sunt? si enim moriuntur, nondum mortui erant.

Ad euidentiam verbi propositum notandum, quod multiplex est mors. Est enim mors bona & mors mala, & indifferens. *Mors.*

Mala dicitur, scilicet mors culpæ, quæ aufert animæ Deum, qui est eius vita. *Sap.* 1. *Peruersæ cogitationes separant à Deo;* multo fortius peruersi cōsensus, locutio vel operatio, *Isaia* 59. *Iniquitates vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* De hac morte, *Sap.* 1. *Deus mortem non fecit;* id est, peccatum dicit *Glossa:* sed *impij*, id est, Adam & Eua, *manibus*, quas extenderunt ad fructum vetitum, *& verbis accersierunt eam.*

Secunda est mors gehennæ, de qua *Psalm.* 33. *Mors peccatorum pessima:* mala propter pœnarum diuersitatem: pessima propter pœnarum perpetuitatem. hæc dicitur *mors secunda. Supra* 3. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.*

† dele non: aut lege modo. Hæc duplex mors fugienda est: & † non sunt duo remedia.

Primum est impletio mandatorum, *Ezech.* 18. *Quare non portabit filius iniquitatem patris?* quia filius iudicium & iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodiuit.

Secundū est abundans largitio eleemosynarū, *Tob.* 4 *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat.*

Mors bona similiter duplex est.

Prima est qua quis peccato moritur, *Ro.* 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo iterum viuemus in illo.*

Secunda est qua homo specialiter moritur mundo, claustrum ingrediendo, *Coloss.* 3. *Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

Mors indifferens est separatio animæ à corpore, de qua *Genes.* 2. *In quacunque die comederis ex eo morte morieris:* id est, necessitati moriendi addictus eris, 3. *Reg.* 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* De morte bona potest exponi, quod dicitur hic, [*beati mortui:*] de indifferenti quod subditur, [*moriuntur:*] Dicit ergo:

[*Beati mortui:*] morte qua quis moritur peccato vel mundo. [*qui in Domino:*] id est, in confessione Domini: vel existentes per charitatem in Domino: secundum illud 1. *Iohan.* 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* [*moriuntur,*] per separationem † à corpore, *Isai.* 61. *Isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Horum quidam statim euolant, vt *† supple à. anima.*

Pueri baptizati, in cuius signum Christo aperti sunt cœli, *Luc.* 3.

Et martyres. Ideo *Stephano in martyrio cœlum patuit, Actor.* 7.

Et pœnitentes, qui pœnitentiam perfecerunt. tales moriuntur in terra promissionis cum Abraham.

Alij vero non statim euolant, sed vadunt in purgatorium, vt illi qui non perfecerunt pœnitentiam de peccatis præteritis, vel addiderunt venialia quæ secum portauerunt, de quibus 1. *Corinth.* 3. *Si quis ædificat super fundamentum ligna fœnum stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit.* & post: *Vniuscuiusque opus quale fuerit ignis probabit.* Hi moriuntur cum Iacob & Ioseph, quorū ossa sunt deportata de Ægypto in terram promissionis, sic qui sunt in purgatorio peracta pœnitentia deferuntur ministerio Angelorum in paradisum, *Ecclesi.* 46. *Ossa eorum pullulant de loco suo, & nomen eorum permanet in æternum.* Nullus autem eorum, qui mortui sunt in deserto deportatus legitur in terram promissionis, quia nulli eorum qui mortali moriuntur deserti à gratia ibunt in paradisum. [*Amodo enim iam dicit spiritus:*] Hic determinatur in quo consistat beatitudo sanctorum. Consistit autem in duobus: scilicet in carentia mali, ad quam pertinet illud, vt requiescant: & in adeptione boni, ad quod pertinet illud: *opera enim illorum.*

Dicit ergo: [*Amodo:*] id est, à tempore resurrectionis. Beda exponit, *amodo*, id est, à tempore mortis. [*iam dicit spiritus,*] id est, tota Trinitas, *Iohan.* 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.* [*vt requiescant à laboribus suis:*] hæc est requies opulenta, de qua *Isai.* 17. *& Iob.* 11. *Requiesces & non erit qui te exterreat.* Et innuitur hic quod labor via sit ad requiem. [*opera enim illorum sequuntur illos:*] id est, merces operum, *Sapient.* 10. *Reddet Deus iustis mercedem laborum suorum. Ierem.* 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo.*

Vers.14. Et vidi, & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.

[*Et vidi, & ecce nubem candidam:*] Hic ponitur ratio reuocandi à dracone, quæ est per ostensionem iudicis, vbi

Primo ostenditur iudicij futuri executio.

Secundo iudicij ordo & desiderium sanctorum de iudicio faciendo: *& alter angelus.*

In prima ergo ostenditur iudicis dispositio.

Secundo osteoditur duplex actus eius in iudicio, scilicet coronare electos, & coodemoare reprobos: quorum

Primus tangitur ibi: *habentem in capite suo coronam auream.*

Secundus ibi: *falcem acutam.*

Dicit ergo: [*Et vidi*] per spiritualem intelligeotiam. [*& ecce nubem candidam:*] supple, scilicet, vidi carnem Christi putam & muodam, & glorificatam, quæ nubes dicitur, *Isai.19. Ascendet Dominus super nubem leuem.* Hæc oubes rubea fuit iu passiooe, *Isa.63. Quare rubrum est indumentũ tuum, & vestimenta tua sicut calcantium intorcuları?* Sed fuit candida in resurrectione, *Dan.7. Vestimentum eius candidum sicut nix.* [*Et supra nubem sedentem:*] Haymo. secundum *Haymonem*, Christus dicitur super nubem sedere, quia potentia Deitatis præsidet humanitati suæ. & quia sedere iudicis est, innuitur quod in ea iudicabit, *Iohan. 5. Pater omne iudicium dedit filio. Eccles.24.* [*Thronus meus,*] id est, Iudiciaria; [*in columna nubis,*] id est, in humanitate assumpta. & quoniam iam est impassibilis & immortalis subditur: [*similem filio hominis:*] metas eoim humanæ fragilitatis transcendit, & ideo non dicitur filius hominis, sed similis filio hominis, *Romanor.6. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* [*habentem in capite suo coronam auream:*] in capite suo, id est, in se, qui est caput Ecclesiæ. vel io Deitate, per æternitatis interminabilitatem. [*auream:*] per sapientiæ claritatem. [*& in manu sua falcem acutam:*] id est, iudiciariam sententiam in potestate sua, *Iohan.5. Pater dedit illi potestatem iudicium facere, quia filius hominis est. Haymo.* Per coronam auream victoria Christi designatur, qui primum de Diabolo triumphauit, & Ecclesiæ suæ victoriam contulit, *Coloss.2. Exspolians principatus & potestates triumphans illos in semetipso.* Et notandum quod sententia iudiciaria, dicitur *gladius* & *falx*, & *ventilabrum*.

Gladius, in quantum interficit corporales, *Deuteron. 32. Gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum.*

Ventilabrum dicitur, in quantum separat superbos à bonis velut paleas à granis, *Luc. 3. Ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam.*

Falx dicitur in qoaotum resecat cupidos à terrenis. *Infra versu 18. Falcem tuam mitte acutam.*

Ver.15. Et alter angelus exiuit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem, mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur, quoniam aruit messis terræ.

[*Et alter angelus:*] Hic osteoditur ordo iudicij: & tanguntur hic quatuor.

Primo desiderium sanctorũ respectu iudicij.

Secundo actus Christi iudicantis: *& misit ille, &c.*

Tertio tãgitur de sanctis, qui cum Christo iudicabunt: *& alius angelus exiuit de templo.*

Quarto tangitur de desiderio & ministerio angelorum respectu iudicij: *& alter angelus exiuit de altari.*

Dicit ergo: [*Et alter angelus:*] scilicet cœtus angelorum, qui dicuntur *Angeli*, quia dictis & factis annunciant voluntatem Dei, *Isaia 33. Angeli pacis amare flebunt. Angelus* in singulari dicitur propter vnitatem voluntatum, *Actor. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* [*Alter*] autem dicitur à Christo de quo sermo præcesserat, quia ille Dominus, hic seruus, [*exiuit,*] id est, exibit, præteritum pro futuro prophetica certitudine. [*de templo:*] id est, de Ecclesia, quæ est templum Dei. In hoc quod dicitur [*exiuit,*] ostenditur manifestatio sanctorum, quæ fiet io die iudicij. *Gloss.* Sancti qui fuerunt vsque huc infidelibus occulti io claritate apparent iudicaturi. [*clamans voce magna:*] id est, magno desiderio. *Haymo.* Nisi sanctorum desiderium ad aures Dei vox esset, Psalmus non diceret: *Domine egenorum audiuit desideriũ auris tua.* Psalm 10. hoc desiderium erit de acceleratione iudicij, *Ier. 2. Angelus signat cœtum sanctorum perfectorum,* qui pro iudicio accelerãdo, & pro electis tribulatis liberandis io fine temporis Deo deuote supplicabit, *Sup.6. clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine sanctus & verus nõ vindicas sanguinem nostrum.* [*ad sedentem super nubem:*] Christum scilicet.

[*Mitte falcem:*] Hic

Primo ostenditur quid clamet. clamat enim vt exerceatur iudicium.

Secundo ostendit quare sit exercendum: *quia venit hora.* Dicit ergo:

[*Mitte falcẽ tuam:*] id est, exerce iudicium proferendo sententiam, quæ dicitur *falx*, quæ iocludit omnes, sicut falx includit, quæ metuntur. A nullo enim potest hæc sententia euitari, *Psal.74. Neque ab oriente, neque ab occidente, neq; à desertis montibus: supple* patet via *fugiendi, quoniam Deus iudex est.* [*& mete:*] id est, collige tuos, & auelle à terra malos in gehenoa mitteodos, *Matt. 14. Sicut colliguntur Zizania & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi.* [*quia venit hora vt metatur:*] i.e. numerus sanctorum completus est, & oequitia malorum. non habet vltra locum, *supr.6.* Dictum est illis, vt requiescerẽt adhuc modicũ, donec compleantur cõserui eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi. [*quoniam aruit messis terra:*] *messis* dicitur seculum sui consummatione, *Matth. 13. Messis est consummatio seculi.* Hæc messis est arida, cum abundabit iniquitas, & cũ refrigescet charitas, *Matth. 24.* Cum æstus vitiorum abundabit humore gratiæ deficiente, & tunc erit tempus metendi. Specialiter per *messem* possunt intelligi reprobi. Christiani, qui habent radicem fidei in terra, qui sunt aridi, quia extra charitatem. & secundum hoc io botris vineæ, de quibus *Infr. vers.18.* intelliguntur reprobi infideles, *Deut. 32. Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi.* vel per collectionẽ *messis* intelligitur iudicium quoad electos, qui ab angelis recondendi sunt in horreo Domini, *Ioh. 4. Leuate oculos vestros & videte regiones quoniam albæ sunt ad messem.* per *vindemiationem vineæ*, iudicium quoad reprobos.

Et secundum hoc notabile est, quod Christus metit messem per seipsum, & mioisterio angelorum viodemiat botros. sic enim coogruum est, vt per eum cuius est proprium misereri, opus misericordiæ, quo saluantur electi, exerceatur: opus vero iustitiæ, quo damnãtur reprobi, agatur per alium. Non enim ex corde suo abiicit & humiliat Deus filios hominum, *Thren.3.*

Ver.16. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram: & demessa est terra.

[Et

[*Et misit iste qui sedebat super nubem:*] Postquã egit de desiderio sanctorum respectu iudicij, hic agit de actu Christi iudicantis, vnde dicit: [*& misit*:] id est Christus, qui secundum diuinam naturam sedet super humanam ad modum nubis eleuatam, *Isa. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* [*misit* inquã *falcem suam in terram:*] id est, dedit sententiam contra terrenos, [*& messuit terram:*] id est, separauit homines à terrenis, *Isaiæ 18. Præcidentur ramusculi falcibus, & quæ derelicta fuerint abscindentur & excutientur.* Membra enim Diaboli præcidentur falce iudicij particularis, quod fit in morte cuiuslibet, & falce iudicii vniuersalis, quod erit in generali resurrectione.

Ver. 17. Et alius angelus exiuit de templo quod est in cœlo, habens & ipse falcem acutam.

[*Et alius angelus*:] secundum *Glos.* hic ostenditur quod sancti cum Domino iudicabunt. vnde *glossa*: ostendit eandem potestatem habere sanctos & Christum. Hic angelus intelligitur cœtus Apostolorum, qui dicitur angelus propter prædicationem, sed alius propter dignitatem. [*exiuit*] per manifestationem. [*de templo:*] quod est in cœlo. hoc dicitur per eminentiam quam habebant respectu aliorum sanctorum. In loco enim altiori apparebunt, & propinquiores iudici erunt. & vt pateat de quibus loquitur subditur: [*habẽs ipse falcem acutam*:] i.e. potestatem iudiciariam, sicut Christus, *Sap. 3. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* & *1. Corint. 6. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabũt?* Qui autem sunt illi qui cũ Christo sunt iudicaturi determinatur, *Matth. 19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Quæstio. Sed quomodo iudicabunt? non auctoritate, quia sic sola Trinitas.

Non vt consiliarii, quia Deus nõ indiget consilio, *Isaia 40. Quis consiliarius eius fuit?*

Non vt proferentes sententiam, quia solus Christus hoc faciet, *Matth. 25. Tunc dicet rex his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

Si dicatur quod approbando: similiter omnes alii sancti.

Responsio Resp. Trinitas auctoritate † iudicabit.

† iudicabis MS.

Filius, in quantum homo, ministerio.

Sancti autem qui omnia pro Christo reliquerunt iudicare dicuntur, quia in iudicio propinquius assistent iudici & in consequens singulorum apparebit eminentia ipsorum. erunt etiam in loco eminentiori. *Ambrosius* tamen dicit *super primam ad Corinthios*, quod iudicabunt † melioris facti comparatione; & etiam auctoritate & potestate, quæ auctoritas est illa supereminentia, quæ erit in sanctis respectu aliorum quantum ad situm loci.

† Verba Ambrosii in 1. Cor. 6. hæc sunt: Iudicabunt ergo sancti hunc mundum, quia exemplo fidei illorũ, perfidia mundi damnabitur. & rursum: Tunc iudicatur hic mundus in

Vers. 18. Et alius angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem supra ignem: & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicẽs, mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt vuæ eius.

[*Et alius angelus exiuit de altari*:] Per hunc angelum intelligitur cœtus angelorum, qui de altari Dei exissent propter sui excellentiam. Humana enim natura à filio Dei assumpta respectu eorum dicitur paulo minus minorata, qui habere potestatem super ignem dicitur, quia dæmonum & prauorum hominum ardentem rabiem coërcet, qui ad habentem falcem voce magna clamauit, quia votis omnibus ex desiderio glorificandorum hominum exercendo iudicio iudicem excitabit. vel angelus ille potest intelligi Christus, qui hic introducitur imperans sanctis vt iudicẽt: & secundum hoc hic duo tanguntur: primo imperium Christi: secundo obedientia sanctorum: *& misit*: Dicit ergo;

nobis, sicut per fidem eorum hominum nõ inuenitur in nobis. vide Gorrhamum 1 ad Cor. 6.

[*Et alter angelus*:] id est, Christus *angelus magni consilij, Isa. 9.* qui est alius ab Apostolis. [*exiuit,*] per manifestationem. [*de altari*:] id est, de secretiori loco quam alii sancti, secundum *Glossam*. Altare enim est in secretiori parte templi. Tunc Christus cognoscetur, *Psal. 9. Cognoscetur Dominus iudicia faciens*: & addit *Bernardus*: qui nunc ignoratur iniurias patiens. [*qui habebat potestatem super ignẽ:*] id est, super pœnam æternam, sicut dicit *Glossa. Matth. 10. Potest animam & corpus perdere in gehennam.* [*& clamauit voce magna*:] quasi imperans. [*ad eum qui habebat falcem acutam*:] id est, ad sanctos habentes potestatem iudiciariam: [*dicens: mitte falcem*:] hoc dicitur illis, qui cum Christo iudicaturi sunt. quasi dicat: iudicate vt fiat malorum cessatio: vnde subditur [*& vindemia botros vineæ terræ*:] Per vineam quæ habet multas vites intelligitur ecclesia multos habens homines. Sed est vinea duplex: quædam habens radicem in cœlo, *Psalmo 79. Vide & visita vineam istam. Iohan. cap. 15. Ego sum vitis vos palmites.* Est & alia vinea, quæ habet radices in terra, de qua hic. Botri sunt opera, qui vindemiari præcipiuntur, quia propter opera tales damnari merentur, *Deuteronom. 32. Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. Sapient. cap. 4. Fructus eorum inutiles ad manducandum.* Est ergo sensus. [*Vindemia botros terræ*:] id est, reprobos propter eorum opera. [*quoniam matura sunt vua.*] *Beda.* id est, consummata peccata.

Bernardus.

Versic. 19. Et misit angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum Dei magnum.

[*Et misit angelus:*] Hic ostenditur, primo angelorum obedientia.

Secundo ostenditur locus punitionis malorum: *& misit in lacum.*

Tertio modus puniendi: *& calcatus est.*

Quarto qui sunt puniendi: *& exiuit.* Dicit ergo:

[*Et misit angelus*:] statim post imperium Christi. [*falcem suam in terram*:] ad iudicandum terrenos. [*& vindemiauit vineam terræ*: illos scilicet qui finaliter habuerunt delectationem suam in terra, non circa Deum, *Isai. 24. Luxit vindemia, infirmata est vitis.*

Quæstio. Sed cum non sint duo iudicia futura, sed vnum de quo prius dictum est, *misit falcem suam,* &c. *& messuit*, quare nunc additur de vindemiatione vineæ terræ?

Responsio. Respondeo secundũ *Glossam*, per messem terræ & per vuas vineæ terræ malorum damnatio intelligitur: sed per vineam illi determinantur, qui

maiori studio mala operabantur: sicut vineæ, vt fructificet maior cura quam terræ adhibetur. [*& misit in lacum iræ Dei:*] id est, in infernum, *Isaia 24. Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & claudentur in carcere.* Et dicitur lacus iræ Dei, quia ibi reprobi perimuntur. sicut in aduentu principis.. mundatur ciuitas, & ponuntur fæces in lacu: ita in aduentu Domini, mali tanquam fæces proiicientur in lacum inferni, *Psalm. 17. Vt lutum platearũ delebo eos.* [*lacum*] inquam [*magnum*] *Isai. 5. Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino. Hieronymus* legit magnum substantiue, dicens: non lacum magnum dixit, sed magnum misit in lacum; id est, superbum & elatum in vindictam, *Psalm. 88. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.*

Vers. 20. Et calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

[*Et calcatus est lacus:*] id est, calcati sunt qui erãt in lacu. & ponitur ibi continens pro contento. quod dicitur *calcatus* signatur vilitas & oppressio reproborum. opprimentur enim quasi vuæ in vase aliquo, *Malach. vltimo: Calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.* [*extra ciuitatem:*] id est, extra Ecclesiam, quæ est ciuitas sanctificata, *Eccles. 24. In ciuitate sanctificata similiter requieui: dicit Sapientia.*

Et notandum quod nõ de messe dicitur, quid factum sit de ipsa, sicut dicitur de vindemia. & quia damnatio non solum cruciabit homines, sed & dæmones, nec solum minores homines, sed etiam maiores, ideo bene subditur, [*& exiuit sanguis:*] id est, pœna æternæ damnationis: [*de*
Hieronym. *lacu vsque ad frenos equorum:*] *Hieronymus:* id est, ad rectores malorum populorum. extendet enim se pœna infernalis ad tales, *Sapient. 6. Iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet.* [*per stadia mille*
Haymo. *sexcenta:*] Stadium sicut dicit *Haymo* Græca mensura est, & dicitur stadium à stãdo, eo quod Hercules ibi vno anhelitu currens, 125. passus steterit. qua mensura Græci metiebantur loca, in qui-
† forte quos vel quod. bus ludos exercebant, per † quem intelliguntur ipsi qui subiecti sunt ludis & vanitatibus huius seculi, quorum triplex est status secundum *Glossam*: quidam enim sunt minus perfecti, qui aguntur per sex: quidã perfectiores, qui per centum: alij perfectissimi qui per mille. His autem secundum diuersitatem statuum reddetur diuersitas pœnarum. vel sic: [*per stadia mille sexcenta:*] id est, quater quadringenta determinatur damnatio malorum, vt ipsos per quatuor mundi partes mũdo diffusos, per quatuor anni tempora, quadriformis Euangelij præcepta transgressos ostendat.

Cap. XV.

Versic. 1. Et vidi aliud signum in cœlo magnum & mirabile: angelos septem, habentes plagas septẽ nouissimas. Quoniam in illis consummata est ira Dei.

[*Et vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile, &c.*] Hic incipit quædam visio, de qua dicit Beda, quod per septem angelos septem plagis nouissimis terram perfundit. Et notandum quod tres visiones quæ sequuntur ostendunt finalem statum Ecclesiæ.

Prima est de effusione phialarum iræ Dei, quę refertur ad tempus Antichristi.

Secunda est de damnatione Babylonis & bestiæ, pseudoprophetarum & diaboli, quæ refertur ad diem iudicij.

Tertia est de gloria sanctorum, quæ refertur ad statum perfectæ beatitudinis. Per phialam irę intelligitur prædicatio comminatoria damnationis æternæ. Effusio phialarum est demonstratio per prædicationem damnationis reproborum, qui erant tempore Antichristi.

Distinguitur autem hæc visio in tres partes: in quarum

Prima agitur de prædicatoribus, qui damnationem reproborum sunt nuntiaturi, in hoc primo capitulo.

In secunda manifestatur damnatio reproborum per prædicationem eorum, in secundo capitulo, scilicet decimosexto.

In tertia ostenditur causa damnationis eorum in tertio capitulo, scilicet decimoseptimo.

Hoc Capitulum diuiditur in quatuor partes.

Prima continet diuisionem prędicatorum septem plagas habentium.

In secunda ostenditur per quid sit liberatio ab his plagis: *Et vidi tanquam mare.*

In tertia ostenditur qui sunt illi qui liberabuntur ab illis: *& eos qui vicerunt.*

In quarta ostenditur quia digni erunt his plagis, qui eas sunt passuri. *Et post hæc vidi.*

Dicit ergo: [*Et vidi aliud signum in cælo:*] id est, in Ecclesia, quæ per eminentiam vitæ est alta, *Philip. 3. Nostra conuersatio in cælis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.* & varietate virtutum est stellata, *1. Corinth. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.* [*signum inquam magnum:*] id est, rem magnam signans. [*& mirabile:*] *Damascenus.* Admiratio est *Damascen.*
timor ex magna imaginatione. *Beda.* Intentum *Beda.*
voluit fieri auditorem dicendo, [*signum magnum & mirabile.*] Quod autem sit hoc signum, aperitur cum dicitur: [*angelos septem:*] prædicatores vniuersos. secundum *Isidorum*, Angelus nomen of- *Isidorus.*
ficij est, non naturæ; idem enim est quod nuntius: Vnde qui voluntatem Dei nuntiant recte angeli dicuntur, *Malach. 2. Labia sacerdotum custodient scientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Septenarius numerus est vniuersitatis, quia septenario dierum totum præsens mensuratur. vel *septem* dicuntur quia habent septiformem gratiam Spiritus sancti, habentes plagas septem denuntiando, non patiendo.

Hieronymus: Plenitudo vindictæ & consum- *Hieronym.*
matio in septem plagis ostenditur, vt ait Dominus, *Leuit. 26. Percutiam vos septem plagis propter peccata vestra.*

Sed quare dicitur, [*signum magnum & mirabi-* *Quæstio.*
le] quia prædicatores habent septem plagas?

Respondet *Glossa* dicens: mirum est hominem *Responsio.*
habere tantã potestatem, vt possit alios damnare. vel hæc mirabilitas potest referri ad electionem gratiæ: quia sicut dicit Apostolus, *Roman. 9. Cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat.* Huius secreti admirans magnitudinem dicit ipse, *Rom. 11. O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, quam*

incom-

incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Signum mirabile est quod aliqui eliguntur, quorum comparatione alij damnantur. [*Nouissimas:*] *Gloss.* vere nouissimas, quia in mundo post eas non inferet Deus alias. Et insinuatur in hoc quod hæc visio respicit nouissimum statum, qui erit tempore Antichristi. & subditur causa quare dixit eas nouissimas, cum dicitur: [*quoniam in illis consummata est ira Dei:*] *Haymo:* id est, consummabitur, quia statim Christus ad iudicium veniet post vltimam eorum prædicationem.

Haymo.

Ver 2 Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerũt bestiam & imaginem eius, & numerum nominis eius stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei:

[*Et vidi tanquam mare vitreum:*] Hic ostenditur per quid fuit liberatio ab his plagis, scilicet per Baptismum, qui dicitur mare, quia Pharao infernalis cum suo exercitu ibi submergitur, sicut factum est de Ægyptiis in mari. [*vitreum*] dicitur propter puritatem fidei. Vitrum enim est corpus transparẽs. Vitrum ergo est ille in quo quod est interius in corde, foris manifestatur in confessione: secundum illud *Roman.* 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* [*mistum igne:*] id est, Spiritu sancto, qui datur in Baptismo. Per ignem enim intelligitur Spiritus sanctus, *Actor.* 2. *Descendit Spiritus sanctus super Apostolos in specie ignis, Luc.* 12. *Ignem veni mittere in terram.* Baptismus dicitur, [*mistus igne:*] id est, coagulatus calore Spiritus sancti.

Haymo.

Haymo: mare mistum est igne; & per hoc coagulatum est (Baptismo.

Et nota quod tanguntur hic tria quæ fiunt in

† lege forte, sine mundatio.

Primum est peccatorum remissio † sine mendacio quod intelligitur hic per mare, sicut dictum est.

Secundũ est characteris impressio, quod notatur per vitrum. Character enim est quędam dispositio animæ, mediante qua anima est persia & gratiæ diuinæ susceptiua.

Tertium est gratiæ collatio, quod notatur hic per mistionem ignis, sicut prædictum est.

Notandum est tamen quod cum sint tres Baptismi, scilicet baptismus sanguinis, flaminis & fluminis, solus Baptismus fluminis habet hæc tria, nam duo primi characterẽ non imprimunt. vel mare intelligi potest lauatorium. sic dictum est propter continentiam aquarũ multarum, per quod abundantia lachrymarũ & deuotionis cõtemplatiuorũ potest intelligi. Hoc mare vitreum est, in quo intelligitur cordis munditia. vitrum enim est susceptiuum lucis per totum. & dicitur mistum igne in modum crystalli, † quæ ex repercussione radij solaris scintillas ignis emittit: per quod intelligitur ardor amoris diuini.

† qui MS.

[*Et eos qui vicerunt:*] Hic ostenditur qui ab his plagis liberabuntur. & describuntur tales.

Primo à victoria mali.

Secundo ab operatione boni: *stantes supra mare:* Dicit ergo:

[*Et eos:*] supple vidi. [*qui vicerunt bestiam:*] i.e. Antichristum. [*& imaginem:*] nolentes ei conformari in vita. [*& numerum nominis:*] nõ credentes ipsum esse Deum, quamuis se Deum ostendere velit, per numerum nominis sui, sicut supra dictum est 14. Vincitur autem bestia per spem, siue confidentiam summæ potestatis: imago bestiæ per charitatem imitatione summæ bonitatis: numerus hominis per fidem summæ veritatis. [*Stantes supra mare:*] innocentiam baptismalem seruando: & describuntur hic à multiplici operatione boni. &

Primo tangitur hic conseruatio baptismalis gratiæ, cum dicitur, *Stantes supra mare. Haymo:* supra mare vitreum stant, qui hoc quod in baptismo professi sunt, tenent, & gratiam baptismalem illibatam custodiunt.

Haymo.

Secundo mortificatio carnis: *habentes citharas Dei.* Cithara habet chordas extensas super lignum, vnde signat sanctos habentes corda deuota super lignum crucis ad imitationem passionis Christi per mortificationem carnis, *Galat.* 5. *Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

Et notandum quod citharæ istæ hic dicuntur esse Dei: supra vero 14. dictæ sunt esse sanctorũ. vbi dictum est quod *sancti citharizabant in citharis suis.* Sanctorum dicuntur esse quia caro eorum crucifigitur: Dei vero quia quod deest passionibus Christi per hoc impletur, *Coloss.* 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.*

Tertio tangitur prædicatio vtriusque testamenti, ibi:

Vers. 3. Et cantantes canticum Moysi serui Dei, & canticum agni, dicentes; Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iustæ & veræ sunt viæ tuæ rex seculorum.

[*Et cantantes canticum:*] & recte post pręcedentia hoc ponitur, quia prius oportet sumere citharam mortificationis, quam canticum prædicationis, 1. *Cor.* 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar.* [*canticum Moysi serui Dei:*] i.e. vetus Testamentum. [*& canticum Agni:*] id est, nouum Testamentum.

Beda. Vtriusq; Testamenti veritatẽ consonam prædicant. videntur stantes quasi parati ad exercitium bonorum operum. [*habentes citharas:*] in mortificatione corporum. [*cantantes:*] in iubilo animorum, & resonantia gratiarum. [*canticum Moysi:*] quoad euasionem mali. [*canticum Agni:*] quoad adeptionem boni.

Beda.

Quarto tãgitur magnificatio Dei pro his quæ narrantur in veteri vel nouo Testamento, ibi: [*dicens: magna & mirabilia, &c.*] in veteri Testamento narrãtur opera creationis: in nouo opera recreationis: in vtroque opera retributionis. Ad opera creationis & recreationis pertinet illud: [*Magna & mirabilia:*] ad opera retributionis illud: [*iustæ & veræ, &c.*] Dicit ergo:

[*Magna sunt opera tua Domine:*] quantũ ad opera creationis, *Sapient.* 13. A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri: [*& mirabilia:*] quantum ad opera recreationis, *Psal.* 97. *Cantate Domino canticũ nouum, quia mirabilia fecit.* De vtroq; *Iob.* 5. *Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia absq; numero.* vel *magna* in se. & *mirabilia* in nostra consideratione. [*Domine:*] per excellentiam. [*Deus:*] per naturam. [*omnipotens:*] per potentiam. [*iustæ & veræ sunt viæ tuæ:*] *Gl.* [*viæ*] i.e. institutiones Dei per quas nos ad Deum, vel ipse ad nos venit, [*sunt iustæ,*] quia vnicuique pro merito reddunt, [*& veræ*] quia producunt ad id quod promittunt, [*Domine rex seculorum:*] vel,

[san-

[*sanctorum*,] secundum aliam literam. [*Rex*] per gubernationem. [*seculorum*,] quod æternitatem.

Vers. 4. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifesta sunt.

[*Quis non timebit te Domine:*] Hic ex consideratione operum tribulationis quoad malos sequitur affectio timoris, *Ierem.* 10. *Magnum nomen tuum in fortitudine, quis nō timebit te ô rex gentium?* ex consideratione etiam operum creationis & recreationis sequitur affectio amoris, ex qua est magnificatio nominis. vnde subditur: [*& magnificabit nomen tuū.*] subditur ratio magnificationis: [*quia*

Haymo. *solus pius:*] *Hayms.* Tu solus pius qui gratuita pietate saluas, *Tit.* 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Nomen magnificandum narratur esse nomen

† impietatis. MS. Iesu quod à salute imponitur, quæ † pietatis est effectus, *Matth.* 1. *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et vere magnificabunt quia venient credendo. [*omnes gentes:*] id est, aliqui de omnibus. [*& adorabunt:*] se tibi subiiciendo. [*in conspectu tuo:*] tibi placita eligendo & faciendo, *Psalm* 85. *Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabūt nomen tuum.* [*quoniam iudicia tua manifesta sunt:*] Hic ostenditur esse magnificandus, *Deut.* 32. *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia.*

Obiectio. Sed quomodo sunt manifesta iudicia eius cum dicatur, *Roman.* 11. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*

Haymonis responsio. Ad hoc respondet *Hayms:* Subtilitatem, inquit, iudiciorum Dei, quare scilicet hoc vel illud faciat nemo comprehendere potest, manifesta autem sunt in hoc quod iusta sunt, & quicquid Deus facit, iustum esse, & à nobis & ab hominibus vera scientibus intelligitur.

Vers. 5. Et post hæc vidi & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cœlo.

[*Et post hæc vidi:*] Hic secundam diuisionem superius positam ostenditur dignos esse plagis illos, qui eas passuri sunt: &

Primo ostenditur hic mysteria Ecclesiæ iam esse reuelata nolentibus intrare, & ideo inexcusabiles esse, qui non intelligunt.

Secundo ostenditur quibus reuelata sunt: *& exierunt septem angeli.*

Tertio quibus ignota & occulta sunt: *& impletum est templum.*

Dicit ergo: [*Et post hæc vidi & ecce apertum est templum tabernaculi Testimonij in cælo:*] Per tabernaculum testimonij intelligitur Ecclesia habens tabulas duorum testamentorum, habens etiam testamenti arcam, scilicet Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ. *Coloss.* 2. & vrnam auream, scilic. corpus Christi, in quo est *panis viuus, qui de cælo descendit. Iohan.* 6. Ibi virga Aaron, quæ fronduit, quę regale sacerdotium signauit, quod nūc agitur in Ecclesia, quæ propter hoc spiritua-

† forte arca. liter continet, quæ ad literam continebat † arcam testimonij. tabernaculum testimonij vocatur. In hoc tabernaculo templum, id est, corpus Christi apertum est, de quo *Iohan.* 2. *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc templum apertum est quando mysteria natiuitatis, mortis, resurrectionis, & ascensionis in cœlum, quæ prius erant occulta, reuelata sunt. Ostenditur, cum subditur.

Vers. 6 Et exierunt septem angeli, habentes septem plagas, de templo: vestiti lapide mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

[*Exierunt septem angeli:*] Deinde ostēditur quibus sunt occulta, ibi: *Et impletum est templum Dei fumo.*

Dicit ergo: [*Et exierunt septem angeli:*] i.e. vniuersi prędicatores [*de templo:*] id est, de apertione mysteriorum processit prædicatio eorum, *Psalm.* 103. *De medio petrarum dabunt voces.* Petræ sunt duo Testamenta propter firmitatem quam habent. *Medium petrarum* dicitur spiritualis sensus latens in Scripturis, de hoc medio prędicatores vocem dant, scilicet de sensu spirituali Scripturarum, quæ inde apertæ sunt. [*habentem septem plagas:*] id est, plenitudinem intelligentiæ Scripturarum, quæ dicuntur plagæ † vel quorundā corda vul- *† lege quia.*
nerant ad salutem, quorundam ad perniciem, vt dicit *Hayms.* 2. *Corinth.* 2. *Aliis sumus odor mortis in* *Haymo.*
mortem, aliis odor vitæ in vitam. Cant. 5. *Percusserunt me & vulnerauerunt me. Psalm.* 83. *Sagittæ paruulorum*, id est, humilium prædicatorum, *factæ sunt plagæ eorum*, id est, peccatorum ad Deum conuertendorum.

Septem angeli habentes septē plagas exeunt, dum prædicatores vniuersi, vniuersam Dei vltionem foris prædicant, vt si nolunt promissionibus eum diligere, saltem minis eum timeant. [*vestiti lapide:*] ostenditur hic idoneitas prædicatorum:

Primò quoad vitam.

Secundo quoad doctrinam: *& vnum de quatuor animalibus.*

Idoneitas quoad vitam consistit in fide, quod signatur ibi: *vestiti lapide mundo & candido:* & charitate, quod signatur ibi: *præcincti circa pectora Zonis aureis.*

Dicit ergo: [*vestiti lapide mundo & candido:*] Lapis iste est Christus, *Dan.* 2. *Lapis præcisus est de monte*, id est, de beata virgine, sine manibus, id est, sine opera humana. Hoc lapide vestiuntur fideles in Baptismo, *Galat.* 3. *Quicunque in Christo baptizati estis Christum induistis.* Hic lapis mundus est, quia Christus peccatum non fecit, 1. *Pet.* 2. Item candidus: est enim candor lucis æternæ, *Sapient.* 7. *Cant.* 5. *Dilectus meus candidus & rubeus electus ex millibus.* [*& præcincti circa pectora zonis aureis:*] In zona aurea intelligitur vinculum charitatis. Aurum excellit inter metalla, & charitas inter virtutes. *Coloss.* 3. *Super omnia hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Angeli circa pectora præcincti zonis aureis ostenduntur, quia sanctorum prædicatorum corda ex sola charitate se cōstringunt & immundas cogitationes reprimunt, quæ de corde exeunt, *Matth.* 15.

Vers. 7. Et vnum de quatuor animalibus, dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in secula seculorum.

[*Et vnum de quatuor animalibus:*] Per quatuor animalia intelliguntur primi prædicatores, qui fidem

fidem Christi quæ in quatuor Euangelistis cōtinetur, per quatuor mundi partes seminauerunt.

Prædicator debet esse

Homo, per iustitiam, quia solus homo inter animalia est rectus.

Vitulus, per temperantiam *corpus suum Deo offerendo hostiam sanctam, Roman.12.* vitulus enim immolabatur.

Leo, per fortitudinem.

Aquila, per prudentiam.

Dicit ergo: [*& vnum de quatuor animalibus:*] id est, cœtus primorū prędicatorum concors. [*dedit septem angelis:*] i.e. vniuersis prædicatoribus tempore Antichristi. [*septem phialas aureas:*] i.e. faciens eas vasa sapientiæ, nō quia dent sapientiam, quæ à Deo est, *Eccl.1.* sed quia expositione Scripturarum intellectum eorum illuminant. *Phiala* dicitur prædicator vel prædicatio, quia ad modum phialæ prædicatio deorsum debet esse clausa, vt non sit intentio ad terrena, & superius aperta vt fiat pro cœlestibus. aureæ dicuntur quia vt officiū prædicandi implere possint, cœlitus fulgore sapientiæ illustrantur. [*plenas iracundia Dei.*] *Supra 5.* dictum est eas plenas esse odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. quod dictum est propter electorum salutem quam cōtinent. plenæ vero iracundiæ hic dicuntur propter reproborū mortem. [*viuentis in secula seculorum:*] in quo monitur quod nō sit transiens, *Isa.30. Erit transitus virgæ fundatæ, quam requiescere faciet Dominus super eum.* [*in secula:*] consecutiua: [*seculorum:*]

Anselmus. *Anselmus*: Sicut seculum temporum continet omnia temporalia: ita tua ęternitas continet ipsa secula temporum, quæ quidem est seculum propter indiuisibilem vnitatem: secula vero propter interminabilem immensitatem.

Vers.8. Et impletum est templum fumo à maiestate Dei, & de virtute eius: & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.

[*Et impletum est:*] Hic ostenduntur mysteria Dei vel Ecclesiæ in fidelibus Ecclesiæ occulta: vnde dicit, [*impletum est templum:*] id est, Scriptura, quæ superius dicta est aperta. [*fumo:*] id est, obscuritate quoad reprobos, vt non possint intelligere, *Isaiæ 29. Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.* Fumus obscuritatem habet quia prohibet visum, & siccitatem igneam qua flere facit oculum. fumus ergo sequitur ex comminatione pœnarum quia inde excæcantur reprobi & compunguntur electi. [*à maiestate Dei:*] id est, præsentia. [*& de virtute eius:*] qui claudit infidelibus, & aperit fidelibus. *Supra 3. Qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* [*& nemo:*] reproborum. [*poterat intrare in templum:*] id est, mysteria Scripturæ videre. *Excæcauit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, Sapient. 2.* [*Donec consummarentur septem plagæ septem angelorum:*] id est, donec prædicatio finem accipiat. & constat quod ex tunc non † colligent. vnde idem est ac si diceret, *nunquam.* Simile. *Matthæi 1. Non cognouit eam donec peperit filium suum vnigenitum.* Vel non cognoscent reprobi. [*donec consummarentur septem plagæ septem angelorum:*] id est, comminationes prædicatorum, de malis puniendis in inferno. *Gloss.* Oculos quos culpa claudit pœna aperit. tunc cogentur dicere illud, *Prouerb. 5. Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me?*

† forte cognoscent.

Cap. XVI.

Vers.1 Et audiui vocem magnam de templo, dicentem septem angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram.

[*Et audiui vocem magnam de templo, &c.*] Hic incipit secunda pars quintæ visionis, in qua damnatio reproborum ostenditur per prædicationem sanctorum tempore Antichristi. Et

Primo ponitur præceptum de phialis effundendis.

Secundo impletio præcepti: *& abiit:* Dicit ergo:

[*Et audiui vocem:*] id est, diuinam inspirationem, vel angelicā admonitionem. [*magnam:*] i.e. magna præcipientem. [*de cælo.*] i.e. de occulto. vel [*de cælo:*] i.e. à Christo, vel angelo. [*dicentem septem angelis:*] id est, vniuersis prædicatoribus. [*ite:*] in quo notatur quod missus esse debet qui prædicat, *Rom.10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* [*& effundite septem phialas iræ Dei in terram:*] id est, terrenos, denuntiantes iram Dei eis.

Haymo: In terram angeli phialas effundunt, quando sancti prædicatores contra terrenos homines loquuntur. Haymo.

Vers.2. Et abiit primus angelus, & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sæuum & pessimum in homines, qui habebāt characterem bestiæ, & in eos qui adorauerunt imaginem eius.

[*Et abiit primus Angelus:*] Secunda pars est continens præcepti impletionem, scilicet damnationis reproborum denuntiationem, & habet septem partes secundum numerum septem angelorum phialas effundentium.

Prima continet damnationem reproborum Iudæorum.

Secunda reprobationem gentium.

Tertia hæreticorum.

Quarta damnationē Antichristi & eorum, qui ab eo superati nomen Domini † blasphemant.

† blasphemātur MS.

Quinta damnationem ministrorum eius.

Sexta damnationem falsorū Christianorum.

Septima damnationem dæmonum. Et potest referri numerus phialarum ad numerum septem capitalium vitiorum.

Dicit ergo: [*Et abiit:*] Hic tangitur damnatio reproborum Iudæorum. [*Et abiit primus angelus:*] i.e. primi prædicatores abierunt in Iudæam primo prædicatori, *Luc. vlt. Oportebat Christum pati, & post prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorū in omnes gentes, incipientes à Hierosolymis.* [*Et effudit phialam suam in terram:*] De terra panis habetur: ideo per terrā intelligitur Iudæa à qua habemus eloquia diuina, quæ sunt animæ refectio, *Iob.28. Terra de qua oriebatur panis in loco suo subuersa est igne.*

Gregorius. Terra in qua oriebatur panis in loco suo igne subuersa est, quia & Iudæa prius legem habuit quæ reficeret, & post visis miraculis redemptoris inuidiam habuit quæ cōcremaret. Gregorius.

[*Et factum est vulnus sæuum:*] quia excæcati sunt ad prædicationem Apostolorum, *Isa.6. Excæca cor*

populi

populi huius: id est, prædie excæcandum. [*& pessimum:*] id est, remedium ei non valuit, *Ier. 30. Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua.* vel [*factum est vulnus saeuum:*] quoad persecutionem factam per Romanos: [*pessimum,*] quoad æternā damnationem: quæ dicitur mala propter pœnarum acerbitatem, peior propter pœnarū diuersitatem, sed pessima propter earum æternitatem, *Psal. 33. Mors peccatorum pessima.* [*In homines qui habēt characterem bestiæ:*] id est, Antichristi fidem, sicut expositum est *supra 13.* [*& in omnes qui adorauerunt bestiam:*] id est, Antichristum. [*& imaginem eius:*] vitam eius imitando. †hoc ad illud tempus refertur quo videt illū peruersum hominem, & suscipient quod nunc voto tenent, quia adhuc Messiam suturum præstolantur, per cuius aduentum sperant à dispersione, in qua modo sunt, liberari, & ab aliis malis suis. Ipsi autē decipiuntur, quia iam Messias venit, qui dicitur Christus, *Iohan. 4.*

†*Vide Haymonem in hunc locum cuius interpretatio plenior est, ex qua desumta sunt ista.*

Et notandum quod effusio primæ phialæ & secundæ pertinent ad damnationem corporalium, qui damnantur propter concupiscentiam carnis: ita quod effusio primæ phialæ pertinet ad damnationem gulosorum: effusio secundæ ad damnationem luxuriosorum: effusio trium sequentium phialarū ad peccantes per superbiam vitæ, vt sunt iracundi & vane gloriosi, inuidi. effusio duarum phialarum pertinet ad illos, qui peccant per concupiscentiam oculorum, siue per amorem temporalium, vt sunt auari & acediosi.

Vers. 3. Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima viuens mortua est in mari.

[*Et secundus, &c.*] Hic prædicatur damnatio georilium reproborum, &

Primo ponitur effusio prædicationis.

Secundo effectus & sequela necessaria eius: *Et factus est sanguis.* Dicit ergo:

[*Et secundus:*] scilicet officio. [*effudit phialam suam:*] id est, prædicationem diuinæ vltionis. [*in mare:*] id est, in gentiles in multa vitia fluentes, qui

Tument per superbiam.

Spumant per luxuriam.

Inquieti sunt per auaritiam, *Isa. 57. Impij quasi mare feruens quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.*

Obiectio. Sed cum istis septem Angelis dictum fuerit, vt phialas in terram effunderent, quid est quod quasi mandatum transgredientes, alius in mare, alius in flumina, & in alia loca phialas effundunt?

Responsio. Resp. Per terram totum corpus Diaboli designatur, *Genes. 3. Terram comedes, &c.* id est, amatores terrenorum incorporabis tibi. sed quia isti diuersis vitiis affluunt, ideo diuersis nominibus nominantur.

Beda. Omnibus quidem angelis in terram effundere phialas mandatum est: sed tidem terreni homines pro varietate peccatorum varia quoque vocabula sortiuntur, vt sicut prædicationis & vindictæ, sic & noxæ plenitudo septenario numero celeretur. [*Et factus est sanguis:*] Hic ostenditur sequela prædicationis in reprobis & gentibus. &

Primo ostenditur ꝙ punientur irreuocabiliter.

Secundo quod iam sunt mortui spiritualiter: *& omnis anima viuens.*

Dicit ergo: [*Et factus est sanguis:*] Per sanguinem intelligitur vltio sanguinis.

Beda. Qui seruorum Christi stabilitatem vndis amaræ persecutionis insequuntur, spirituali vltione, quam sanguinem vocat punientur. Hic sanguis scilicet vltio sanguinis [*factus est tanquam mortui:*] id est, irreuocabilis. vnde *Glossa*: sicut mortuus non redit ad vitam, sic illa sententia damnationis non reuocabitur, *Iob. 15. Non credat frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.* [*sic & omnis anima viuens:*] scilicet in mari, id est, in amaritudine gentilitatis. [*mortua est:*] quia prædicatione in peccatis esse mortui ostenduntur. *Beda.* Qui se viuere iactabant mortis probabuntur auctori seruisse, id est Diabolo, cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum, *Sap. 2.*

Sed cum *supra* 8. dictum sit quod mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, quid est quod hic dicitur, quod omnis anima viuens mortua est in mari? *Obiectio.*

Resp. Per tertiam partē intelliguntur omnes reprobi, qui morte æterna morientur. *Responsio.*

Sunt enim quidā, qui pœnitentiam inchoant, & eam hic omnino perficiunt: & istis debetur vita æterna.

Alij sunt qui hic pœnitentiam incipiunt nec perficiunt, decedunt tamen in gratia, & illis debetur pœna purgatoria.

Tertij sunt qui nec hic pœnitētiam incipiunt nec perficiunt, & illis debetur mors æterna: & hæc est illa tertia pars quę mortua est in mari, per quam signantur omnes reprobi.

Quod ergo dicitur, intelligitur de morte culpæ. vel si vis dicere quod vtrobique sit sermo de morte pœnæ æternæ, dic quia quod ibi signatur per tertiam partem hic signatur per omnem animam in mari viuentem, scilicet omnes reprobi qui viuunt in mari, id est, in amaritudine. Et notandum quod per effusionem secundę phialæ in mari, intelligitur damnatio luxuriosorum propter adustionem concupiscentiæ, ex qua sequitur salsedo culpę, in modum maris, quod ex adustione salcescit, *Genes. 14. Conuenerunt in vallem siluestrem, quæ nunc est mare salis.* Item mare in venis terræ dulcescit, sed in suo termino salsissimum est: sic est concupiscentia carnalis, *Prouerb. 5. Fauus distillans labia meretricis, nouissima autem illius amara quasi absynthium, & lingua eius acuta quasi gladius biceps.*

Vers. 4. Et tertius effudit phialā suam super flumina & super fontes aquarum: & factus est sanguis.

[*Et tertius effudit phialam:*] Hic agitur de damnatione hæreticorum, &

Primo ostenditur effusio phialæ contra hæreticos.

Secundo eorum damnatio: *& factus est sanguis.*

Tertio ponitur congratulatio sanctorum: *& audiui angelum.* Dicit ergo:

[*Et tertius:*] scilicet ordine narrationis vel officio: quia sicut dicit *Haymo*, quod est primus angelus, secundus & tertius, hoc denique cuncti prædicatores. [*effudit phialā suam:*] id est, annuntiauit vltionem diuinam futuram. [*super flumina:*] fluuius semper ad inferiora tendit, & in mare diffunditur: similiter hæretici ab altitudine *Haymo.*

Eccle-

Ecclesiæ recedentes semper ad ima vitiorum defluunt per carnis concupiscentiam donec in amaritudine pœnæ æternæ cadant, *Ierem. 10. Filij mei exierunt à me, & non subsistunt. Ios. 3. Aquæ Iordanis descendentes steterunt & apparebant procul; quæ autem inferiores erant descenderunt in mare mortuum.* Aquæ Iordanis, quæ steterunt in vno loco, signant sanctos qui infirmi sunt in vnitate Ecclesię & ad instar montis intumescentes per altitudinem vitæ apparent: quia sicut dicitur *Matt. 5.* non potest abscondi ciuitas supra montem posita: id est, Ecclesia supra Christum fundata. Aquæ inferiores, quæ à superioribus diuisæ sunt signãt hæreticos, de quibus 1. *Ioh. 2. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Prædestinatione scilicet & electione Dei. Hæ aquæ descendunt semper per ima vitiorum quousq; cadant in mare mortuum, i. e. in amaritudinem mortis æternæ. [*& super fontes aquarum:*] id est, super hæresiarchas, à quibus alij exierunt, vt flumina à fontibus, de quibus 2. *Pet. 2. In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* [*& factus est sanguis:*] Hic ostenditur damnatio eorum. Cum enim ipsi fecerint multam effusionem sanguinis sanctorũ per principes mundi, *sup. 13.* merito vindicta sanguinis exercebitur in eos, *Deut. 32. Sanguinem seruorum suorum vlciscetur.*

Et notandum quod per flumina intelligũtur iracundi, propter impetum iræ, quæ in modum fluminis si † excessit fortius † mouetur, *Eccl. 4. Ne coneris contra ictum fluuij.*

† *MS. legit ex-ssit: forte leg. exundauerit.*
† *MS. legit mouentur.*

Vers. 5. Et audiui angelum aquarum dicentem, iustus es Domine, qui es, & qui eras, sanctus, quia hæc iudicasti.

[*Et audiui:*] Hic ponitur adgratulatio sanctorum in vindictam malorum. &

Primo tangitur hic gaudiũ malorum sanctorũ.

Secundo consensus minorum: *& audiui alterum:* vel audiui vocem de altari dicentem.

Obiectio. Alia litera. Sed quare gaudent sancti in vindicta malorum, cum dicat veritas, *Matth. 5. Diligite inimicos vestros orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

Responsio. Resp. Non gaudent sancti de pœna malorum, sed de pulchritudine diuinæ iustitiæ: vnde congratulantes ei dicunt: *Iustus es Domine.*

Dicit ergo: [*Et audiui angelum aquarum:*] Per quem intelliguntur custodes populorum verbum Dei nuntiantes, *Cant. 3. Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem.* Aquæ multæ populi multi, *Isai. 17.* [*dicentem:*] id est, interiori affectu diuinas laudes concrepantem.

Beda. In angelo aquarum omnes angelos populorum, id est, prædicatores prælatos Ecclesiarum dicit, interiori affectu diuinis laudibus concrepantes, quod vindicans sanguinem seruorum suorum homicidas morte potauit, vnde dicit: [*Iustus es Domine:*] qui iuste omnibus præsides, [*qui es:*] immutabiliter. [*qui eras:*] semper. [*sanctus:*] ab omni culpa alienus. vel [*sanctus:*] alios sanctificans. [*quia hæc iudicasti.*] *Psalm. 118. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

Sed quare non dicit: *qui venturus es?*

Respondet *Glossa:* Venturum non ponit, quia venturum in proximo intelligit. vel dic quod ideo venturum non ponit, quia hic laudant sancti Deum pro eo quod fiet in die iudicij, post quem aduentum non erit alius aduentus.

Vers. 6. Quia sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.

[*Quia sanctorum:*] scilicet minorum. [*& Prophetarum:*] vel Apostolorum secundum aliam literam, id est, maiorum, [*effuderũt. & sanguinem dedisti eis bibere: digni enim sunt:*] † vindictã sanguinũ potabuntur, quia sanguinem effuderunt. *Ose. 12.* Dicitur ad Ephraim, *Sanguis eius fit super eum.* [*digni enim sunt,*] qui in gladio occident oportet vt in gladio occidatur: gladio scilicet diuinæ sententiæ. Et quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbũ, ideo ponitur concors testimonium minorum sanctorum, cum subditur.

† *forte vindicta.*

Vers. 7. Et audiui alterum dicentem, etiam Domine Deus omnipotens vera & iusta iudicia tua.

[*Et audiui:*] qui quod maiores dixerant concordi voluntate confirmant. Litera *Bedæ & Hieronymi* est, [*Audiui vocem de altari dicentem:*] exponunt sic: id est, de anteriori affectu sanctorum, eo quod altare dicitur cor iusti, ex quo ascendit fumus compunctionis ad Deum. Litera *Haymonis* est, [*Et audiui alterum dicens:*] & secundum hoc Iohannes volens ostendere vnum esse angelum non duos, non ait, [*audiui alterum dicentem:*] sed [*alterum dicens:*] id est, alterum verbum ab eo repetitum: quod illa translatio indicat, quæ dicit, [*alterum alteram vocem dicentem.*] hoc quod sequitur, etiam [*Domine Deus:*] id est, verbum est quod dicitur, [*Domine*] per excellentiam [*Deus:*] per naturam. [*omnipotens,*] per potentiam. [*vera & iusta sunt iudicia tua.*]

Haymo: Iustum est, vt qui sanguinem fuderunt sanguinem bibant, id est, vindictam sanguinis sustineant. *Haymo.*

Versic. 8. Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines & igni.

[*Et quartus angelus:*] Hic est quarta pars, in qua agitur de damnatione Antichristi, & eorum, qui in hac tribulatione deficient: &

Primo ostenditur, quod prædicatores contra Antichristum prædicabunt.

Secundo, quod ipse ex hoc plus sæuiet: *& data est.*

Tertio, quod in eius persecutione multi deficientes æternaliter peribunt: *& æstuauerunt homines.*

Dicit ergo: [*Et quartus angelus:*] id est, quartus ordo prędicatorum secundum ordinem narrationis. [*effudit phialam suam:*] id est, enuntiauit prædicationem suam. [*in solem:*] id est, contra solem, scilicet contra Antichristum, qui dicet se esse illum solem, de quo scriptum est: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, Malach. vltimo.* Vnde dicit *Haymo:* Hunc solem intelligimus ipsum damnatum hominem, qui se in nouissimis diebus solem iustitiæ mentietur. *Haymo.* [*& datum est:*] id est, permissum. illi: scilicet Antichristo. [*æstu affligere homines:*] id est, minore tribulatione. [*& igne:*] id est, maiore. Illa scilicet *Matth. 24. Erit tunc tribulatio qualis non fuit ab initio, nec fiet.*

Vers.19. Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerũt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.

[*Et æstuauerũt homines æstu magno.*] Gl. i. e. defecerunt in illa tribulatione. [*& blasphemarunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas:*] *qui scilicet cuius vult miseretur, & quem vult indurat, Romanor. 9.* Cor illud Deus dicitur indurare cuius duritiam non emollit. [*neque egerit pœnitentiam vt darent illi gloriam:*] Deo peccatum suum confitendo, *Ios. 7. Da gloriam Deo Israel & confitere atque indica mihi quid feceris.* Potest autem referri effusio huius quartæ phialæ ad peccatum vanæ gloriæ, quia per solem possumus intelligere vane gloriosos, qui in mundo isto præ aliis volunt lucere, *Ioel. 2. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Per solem possumus intelligere gloriantes de bonis spiritualibus: per lunam gloriantes de bonis temporalibus. [*vt darent gloriam illi:*] hic insinuatur quod de vane gloriantibus loquatur.

V.10. Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ: & factum est regnũ eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore.

[*Et quintus Angelus:*] hæc est quinta pars, in qua ostenditur damnatio ministrorum Antichristi: &

Primo ostenditur hic prædicatio contra eius ministros.

Secundo sequela illius prędicationis: *& factum est regnum eius.*

Dicit ergo: [*Et quintus angelus:*] id est, quintus ordo prædicatorum. [*effudit phialam suam super sedem bestiæ:*] prædicando damnationem sedis bestiæ. Bestia est Antichristus: *Supra 14. Vidi de mari bestiam ascendentem.* sedes bestiæ sunt ministri eius, in quibus ipse sedebit sicut rex in regno suo. [*Et factum est:*] Hic ostenditur multiplex pœna quintam effusionem sequens.

Prima est † exhortatio de qua hic subditur: (*† lege exortatio. Haymo.*) [*& factum est regnum eius tenebrosum*] *Haymo:* Quod est sedes bestiæ hoc est regnum illius, id est, totum suum corpus, mali scilicet præpositi cum subditis sibi plebibus: & est sensus: [*factum est regnum eius tenebrosum:*] id est, non est illuminatum, peccatis eorum hoc impedientibus, *Iob. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. 2. Corinth. 4. Si opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi.*

Secunda est mutua corruptio, de qua subditur: [*& commanducauerunt:*] i. e. cum commanducabunt, [*linguas suas præ dolore.*] Secundum *Haymonem*, in commanducatione linguarum mutua intelligitur exhortatio infidelium se inuicem monentium vt Christum respuant, & Antichristum suscipiant. hoc miserabili pastu animas suas ad supplicia emittent. [*præ dolore:*] id est, præ inuidia quam habent erga sanctos. *Gloss.* in inferno, etiam cum manducabunt linguas suas, quia in pœna saturabuntur de his, qui hic sibi inuicem contra Christum locuti sunt. Vnde dicit *Beda*: Sicut iustus labores fructuum suorum manducabit: ita impius dignis blasphemiæ suæ pœnis expositus quasi lingua saturatur.

Tertia est blasphemia de qua subditur.

Versic. 11. Et blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

[*Et blasphemauerunt Deum cœli:*] *Isaiæ 51. Blasphemias eorum ne metuatis. sicut enim vestimenta sic comedet eos vermis, & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea.* & post: *Salus autem mea in æternum erit.* quasi dicat: Licet blasphemant salutem meam Iesum, dicentes eam puram creaturam, & non propter hoc à fide recedatis, quia punientur: Iesus autem in æternum est. [*præ doloribus suis:*] quos habent de constantia sanctorum. [*& vulneribus suis:*] *Gloss.* quæ sibi fecerunt cum manducatione linguarum, scilicet veritati detrahendo, & mutuis sermonibus malis se inuicem reficiendo, *Prouerbiorum capite vicesimotertio: Noli esse in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt.*

Quarta est in pœnitentia quam sequitur pœna æterna: de qua sequitur: [*& non egerunt pœnitentiam de operibus suis.*] *Romanorum cap. 2. Secundum duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ.* Ista effusio phialæ referri potest ad peccatum inuidiæ: & secundum hoc sequitur quod sedes bestiæ super quam quintus angelus phialam infudit intelligitur cœtus inuidorum, *Isaiæ cap. 14. Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* Per montem testamenti intelliguntur ambitiosi, qui honores quærunt: Latera aquilonis sunt inuidi frigidi ab amore Dei.

Versic 12. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem: & siccauit aquam eius, vt prætpararetur via regibus ab ortu solis.

[*Et sextus angelus:*] Hic incipit sexta pars, in qua ostenditur damnatio falsorum Christianorum, qui Antichristo adhærebunt. Et

Primo ostenditur phialę effusio contra † alios fratres. (*† forte falsos.*)

Secundo denuntiatur quod per eos principibus seculi ad nocendum Ecclesiæ via patebit: *& siccabit.*

Tertio manifestatur quomodo hoc fiet: *& vidi de ore draconis.* Dicit ergo:

[*Et sextus angelus:*] id est, sextus ordo prædicatorum. [*effudit phialam suam:*] id est, prædicationem suam. [*in flumen illud magnum Euphratem.*] Euphrates interpretatur frugifer, & est fluuius Babylonis, vnde signat abundantiam gratiæ quam ratione nominis Christiani videntur habere. Christus enim dicitur vnctus, quia cum fluuius est Babylonis, id est, confusionis recte signat falsos Christianos, qui confusionem sustinebunt, quia non habent gratiam quam habere videntur. In hoc flumine phialam prædicatores effundunt, quando contra tales prędicant, vel quia Euphrates est fluuius de paradiso egrediens recte Baptismum signat, qui dicitur [*flumen magnum,*] [*flumen,*] quia culpam lauat: [*magnum,*] quia multos generat. In hoc flumine sextus angelus effudit phialam suam, quia sextus prædicatorum ordo falsos Christianos, prædi-

cabit

eabit ad Antichristum recessuros. [*& siccauit:*] id est, siccandam denuntiauit, per æstum scilicet persecutionis. [*aquam eius:*] id est, Euphratis, per quam intelligitur gratia animam lauans. aqua illa siccabitur, id est, sicca apparebit æstu illius vltimæ persecutionis, quia omnino à fide recedentes, etiam nomen Christianum relinquent. [*vt præparetur via.*] ad impugnandum scilicet Ecclesiam. [*regibus:*] id est, principibus seculi venientibus scilicet, [*ab ortu solis:*] ad literam, quia ibi Ecclesia primam patietur persecutionem per ministros Antichristi. vel [*regibus*] recedentibus, [*ab orta solis:*] id est, à fide Christi, per quam sol oritur in cordibus nostris, *Sap. 5. Sol iustitiæ non est ortus nobis.*

Vers. 13. Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, de ore Pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.

[*Et vidi de ore:*] Hic ostenditur qualiter per falsos Christianos via patebit principibus seculi ad impugnandum Ecclesiam. &

Primo ostenditur quod isti falsi fratres exibūt, vt contra fidem prædicent.

Secundo quod miracula facient: *facientes signa.*

Tertio quod ad impugnandum Ecclesiam reges terræ adducent: *& procedent ad reges.* Dicit ergo:

[*Et vidi de ore draconis:*] id est, de inspiratione Diaboli, sicut dicit *Glossa:* [*& de ore bestiæ:*] id est, de verbis Antichristi. [*& de ore Pseudoprophetæ:*] id est, de verbis Psendoapostolorum Antichristi: [*exisse tres spiritus immundos:*] id est, falsos Christianos, maxime hypocritas, qui dicuntur [*spiritus,*] quia spirituales esse videntur: [*tres,*] quia ad hoc exibunt, vt fidem Trinitatis impugnent: [*immundos:*] qui immunditia pleni sunt: quod probatur cum subditur:

Vers. 14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

[*Sunt enim spiritus dæmoniorum:*] Illos, inquam, vidi exire, [*in modum ranarum:*] *Hieronymus.* Spiritus exeuntes in modum ranarum sunt hypocritæ. Ranæ enim quasi † aquā videntur esse, in paludibus cum putredine commorantur, etiam procaces effundunt voces impatienter & importune: sic nimirum sunt hypocritæ doctores, qui quasi in aqua sapientiæ videntur esse, & tamen in limo profundæ hæresis demerguntur, & contrarias voces veritati proferunt, & importune bono nocent. [*facientes signa:*] id est, miracula, *Matthæi cap. 24. Dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* [*& procedunt ad reges totius terræ:*] ad principes totius mundi, quos primo subuertent, & per eos ad se alios inclinabunt. [*congregare illos:*] id est, ad congregandum illos. [*in prælium:*] Sed quomodo congregabuntur? Suntne venturi in vnum locum?

Hieronym.

† hic videtur aliquid supplendũ.

Respondet *Haymo,* non, sed in vnum consensum, & in vnam malam voluntatem congregabuntur. [*ad diem magnum:*] modo congregantur ad culpam, sed hoc malo suo. In hoc enim merentur congregari ad pœnam: ideo subditur: [*ad diem magnum omnipotentis Dei:*] scilicet ad diem iudicij, qui dies dicitur, quia ibi occulta cordis manifestabuntur, *1. Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* qui dicitur *magnus* magnitudine gaudiorum quantum ad electos, & suppliciorum quantum ad reprobos, *Ioel. cap. 2. Magnus dies Domini & terribilis valde.* qui dicitur specialiter esse Dei, cum omnes dies eius sint, quia tunc ostendet potentiam suam, quam modo continet intra terminos misericordiæ suæ. Sed Dei omnipotentis dicitur esse ad signandum, quod nullus eum effugere poterit, *Deuteron. 32. Non est qui de manu mea possit eruere.* Ad hunc diem mali congregabuntur, *Ierem. 12. Congregatos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* Et quia aliquis posset credere illum diem multum distare, subditur.

Vers. 15. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

[*Ecce venio sicut fur:*] & hoc quod dicitur [*ecce*] notatur propinquitas: in hoc quod dicit, [*sicut fur,*] notatur quod improuise veniet, *1. Thessal. 5. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Supra 3. Si non vigilaueris, veniam ad te sicut fur.* Ideo subditur: [*beatus qui vigilat:*] *Haymo:* Vigilat qui ad aspectum superni luminis mentis oculos apertos tenet.

Haymo.

Gregorius. Vigilat qui seruat operando quod credit, *Matth. 25. Vigilate & orate, quia nescitis diem neq; horam.* [*& custodit vestimenta sua:*] id est, innocentiam in baptismo acceptam, *Eccl. 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida.* [*ne nudus ambulet:*] virtutibus amissis. [*& videant:*] scilicet angeli & sancti. [*turpitudinem eius.*] id est, peccata. quæ virtutibus operiuntur, vt ad vindictam nō videantur, *1. Pet. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. & Prou. 10. Vniuersa delicta operit charitas.* Non habentes virtutes nudi dicuntur, *Nahum. 3.* Reuelabo pudenda in facie tua, & ostendā gentibus nuditatē tuam, & regnis ignominiam tuam. Dicit *Haymo,* quod si hæc vestimenta peccatis maculari contigerit, est adhuc secundum Baptisma, quo mundari possunt scilic. fons lachrymarum & compunctio cordis, *Psalmo 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates:* baptismate primæ regenerationis: *& quorum tecta sunt peccata.* per compunctionem cordis.

Gregorius

Haymo.

Vers. 16. Et cōgregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armageddon.

[*Et congregauit illos:*] Hic ostenditur vbi reges terræ congregabuntur. & cum superius dictum sit, *procedunt cōgregarē illos,* hic dicitur singulariter, [*congregauit illos,*] in quo innuitur quod Diabolus, qui in illis est, ministerio eorum congregabit illos. [*in locum qui vocatur Hebraice Armageddon:*] Quod secundum *Haymonem* interpretatur mons furum. vel mons à latrūculis. Mons vocatur Antichristus à suis, sicut Christus dicitur mōs, *Mich. 4. Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi.* Mons ille est Christus supereminens meritis omnibus electis. sic Antichristus mons dicetur, sed non à quibuslibet, sed à latrunculis, id est, à ministris suis; qui rectam fidem conantur au-

ferre fidelibus. vnde etiam dicitur *mons furum*. In hunc monte congregabuntur reges totius terræ, quia in ipso vnum erunt, & in ipso fiduciam habebunt.

Vers. 17. Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno, dicens; factum est.

[*Et septimus angelus:*] Hæc est vltima pars in qua agitur de damnatione dæmonum: &

Primo ostenditur eorum damnatio.

Secundo finis mundi: *Et exiuit vox magna*. Dicit ergo:

Haymo. [*Et septimus angelus:*] *Haymo*: Qui est septimus ille primus est, quia in vno omnes intelliguntur, & in septem angelis omnes prædicatores Ecclesiæ signantur. [*effudit phialam suam in aerem:*] id est, prædicationem suam contra dæmones, qui per hunc aera discurrentes sparguntur. Denuntiabunt enim eorum damnationem imminentem, 1. *Corinth.* 15. *Nouissima inimica destruetur mors*. Mors dicitur Diabolus.

[*Et exiuit vox magna:*] Hic primo nuntiatur finis mundi.

Secundo tanguntur signa præcedentia diem iudicij: *& facta sunt fulgura*.

Tertio quod reprobi secundum qualitatem meriti punientur: *& facta est ciuitas*.

Dicit ergo: [*Et exiuit vox magna:*] *Haymo*: Vox ista vox Dei omnipotentis intelligitur: & dicitur magna, quia magna annuntians. [*de templo à throno:*] *Haymo*. Templum & thronus vnum est, id est Ecclesia, quam Deus inhabitat sicut templum, & in ea præsidet sicut in throno. & bene dicitur *de templo à throno*, quia hæc vox condemnationem annuntiat. Thronus enim est sedes iudiciaria, vnde *Matth.* 19. *Dicuntur sancti super thronos duodecim sedere*. [*Dicens factum est:*] id est, consummata sunt omnia, & finis mundi adest. hic dicitur quod cito futurum est,

† *legitur.* & ita est † æternum, ac si iam esset factum, *Ierem.* 7. *Finis venit, venit finis, veni[t] contritio super te, qui habitas in terra*.

Vers. 18. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram, talis terræmotus, sic magnus.

[*Et facta sunt fulgura:*] id est fient. [*& voces & tonitrua:*] Ad literam poterunt ista accidere ante aduentum Christi ad iudicium, *Matthæi cap.* 24. *Erunt fames & pestilentia, & terræmotus per loca*. vel secundum *Haymonem*, per *fulgura* intelliguntur miracula, quæ videbuntur facere ministri Antichristi. per *voces* exhortationes eorum quibus suadebunt hominibus credere in Antichristum. per *tonitrua*, comminationes & tormenta, quibus multos à fide Christi auertent. [*Et terræmotus factus est magnus:*] illa scilicet persecutio validissima, de qua dicitur, *Matthæi capite* 24. *Erit tunc tribulatio talis, qualis non fuit ab initio*. Vnde subditur: [*qualis non fuit ex quo homines fuerunt super terram:*] talis inquam terræmotus sic magnus. bis ponitur hic terræmotus, vt per

† *Accedat legit MS.* hoc innuat Iohannes quantitatem motus. † Excedet enim omnes, qui ante fuerunt, quia vniuersalis erit. alij particulares. Non erit à causa naturali, sed voluntaria, quia forte non est possibile quod secundum naturam fiat motus terræ vniuersalis, sed particularis potest, qui fit ex grosso fumo incluso in aliqua parte terræ, qui cum exire conatur à natura impellente, nisi habeat respiraculum facit terræmotum, sicut patet in castanea. Vel allegorice potest exponi sicut *terræmotus* fit magnus: id est, magna commotio terrenorum hominum contra sanctos, *Dan.* 12. *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud*.

Vers. 19. Et facta est ciuitas magna in tres partes: & ciuitates Gentium ceciderunt. Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.

[*Et facta est ciuitas magna:*] Hic primo tangitur reproborum pœna.

Secundo liberatio iustorum ab ea: *& omnis insula*.

Tertio ostenditur quod pœna eorum erit grauis, cum mensurata: *& grando magna*. Dicit ergo:

[*Et facta est ciuitas:*] Hæc ciuitas est collectio malorum, quæ dicitur magna propter multitudinem reproborum, vel enormitatem scelerum secundum *Haymonem*. [*& facta est in tres partes:*] quia secundum *Glossam* damnata est illa ciuitas & diuisa est vnicuique pœna pro merito. Iudæis scilicet & Gentibus & falsis Christianis, *Matthæi cap.* 16. *Tunc reddet vnicuique secundum opera eius*. Sicut diuisa fuit in culpa, sic erit diuisa in pœna. [*& ciuitates gentium ceciderunt:*] Ciuitates hic dicuntur collectiones. Est enim ciuitas collectio multorum sub eadem lege viuentium. [*ceciderunt:*] id est, damnantur..... [*Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum:*] Babylon interpretatur confusio, & signat ciuitatem malorum, quæ plena est confusione, quæ dicitur magna, propter multitudinem præuaricationum, secundum *glossam*. [*venit Babylon in memoriam apud Deum:*] id est, Deus recordatus est singula peccata, quorum prius videbatur oblitus.

Hieronymus. [*Babylon magna venit in memoriam apud Deum,*] non quod vnquam oblitus esset Deus operantium iniquitatem, sed quando non iudicat impatientes dicunt, oblitus est Deus impios iudicare, *Psalmo decimo*: *Dixit enim in corde suo oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem*. [*dare illi:*] id est, vt daret illi. [*calicem:*] id est, potum. [*vini indignationis iræ Dei:*] id est, seueræ vindictæ, quæ in impios exercebitur, *Isaia cap.* 63. *Conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos indignatione mea*. Et dicitur hic vindicta diuina vel pœna debita malis *calix*, quia mensurabitur secundum culpam, *Matthæi capite septimo*: *Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis*. Hieronymus.

Vers. 20. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.

[*Et omnis insula fugit:*] Sancti dicuntur insula, quia fluctibus persecutionum huius mundi vndique tunduntur, sed non submerguntur. Ipsi fugerunt societatem malorum, non corpore, quia non possunt, sed mente, secundum *Haymon*. [*Et montes non sunt inuenti:*] Illi iidem dicuntur mon-

montes, qui insulæ, sed dicuntur insulæ, quia fluctibus persecutionum à stabilitate fidei non mouentur. *montes* vero propter vitæ eminentiam. Hi cum aliis in pœna non inueniuntur, quia socij in culpa eorum non fuerunt.

Vers. 21. Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines: & blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis. quoniam pugna facta est vehementer.

[*Et grando magna, &c.*] Per grandinem intelligitur ira diuinæ vitionis, *Isa.* 28. *Ecce validus & fortis Dominus sicut impetus grandinis.* Alia translatio dicit: Ira Domini sicut grando descendens. *Beda.* Grando iræ Dei talento simulatur, quæ & pondere grauis, & æquo iudicio pro diuersitate culparum singulis infligetur. vnde subditur: [*sicut talentum descendit de cælo in homines:*] quia grauis & mensurata sicut talentum in homines humana sapientes non diuina descendet, 1. *Corinth.* 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* [*& blasphemauerunt homines Deum:*] *Gloss.* Quamuis sciant se pro merito puniri, dolebunt tamen, quod tantam potentiam habeat, quod eis plagas inferat. & blasphemabunt quia contra Dominum murmurabunt. & subditur causa blasphemiæ: [*propter plagam grandinis:*] id est, iræ Dei in eos descendentem ad modum grandinis. [*quoniam magna facta est vehementer:*] crucians eos intoleranter. Et notandum quod hæc effusio septimæ phialæ potest referri ad peccatum acediæ.

Beda.

Cap. XVII.

Vers. 1. Et venit vnus de septem angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum.

[*Et venit vnus de septem angelis, qui habebant septem phialas, &c.*] Hic incipit pars tertia visionis quintæ, in qua ostenditur causa damnationis reproborum existentium tempore Antichristi. Et

Primo angelus promittit se ostensurum Ioanni causam damnationis reproborum:

Secundo sub figura mulieris meretricis describit congregationem reproborum: *& abstulit me in desertum.*

Tertio ponitur admiratio Iohannis: *& miratus sum.*

Quarto ponitur expositio visionis: *& dixit mihi angelus.* Dicit ergo:

Haym.o. [*Et venit vnus de septem angelis:*] Secundum *Haymonem*, iste angelus personam gerit Christi, qui est nuntius paternæ voluntatis. Iohannes autem tenet typum Ecclesiæ. venit ergo angelus ad Iohannem, id est, Christus ad Ecclesiam, quando siue per internam inspirationem, siue per doctrinam Apostolorum, & aliorum sanctorum Christus inuitat eam ad considerandam damnationem reproborum.

Secundum *Hieronymum*, ille angelus vnitatem doctorum signat. Iohannes autem tenet typum omnium fidelium auditorum, venit autem iste angelus per lumen doctrinæ spiritualis, qua docet causam damnationis impiæ ciuitatis. Est ergo sensus. [*Et venit vnus de septem angelis:*] id est, vniuersi doctores sancti, qui dicuntur vnus propter vnitatem fidei quam docent. [*qui habebant septem phialas:*] id est, vniuersitatem prædicationis. [*& locutus est mecum:*] per prædicationem.

Vers. 2. Dicens, veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati, &c.

[*Dicens, veni:*] per spiritualem intelligentiam. [*& ostendam tibi damnationem:*] id est, causam damnationis. [*meretricis magnæ:*] per quam intelligitur congregatio reproborum, relicto creatore vero animarum sponso, adhærens diabolo quasi adultero, *Isai.* 57. *Iuxta me discooperuisti & suscepisti adulterum.* [*magna*] dicitur propter immanitatem præuaricationum, vel propter multitudinem reproborum, secundum *Haymonem*, quia maxime per carnis libidinem genus humanum perit. ideo ipsa malorum multitudo meretrix vocatur. [*quæ sedet super aquas multas:*] id est, super multos populos regnat. Populi aquæ dicuntur, quia sicut aquæ continue & cursim defluunt, sic populi per vitam ad mortem transeunt, & in mortem dilabuntur. secundum illud, 1. *Regum* 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* *Infra versu* 15. *Aquæ quas vidisti, super quas meretrix sedet populi sunt & gentes.* [*cum qua fornicati sunt reges terræ:*] id est, principes seculi plus diligentes terrena quam Deum, in quo attenditur fornicatio spiritualis, *Eccles.* 8. *Multos perdidit aurum & argentum, & vsque ad cor regum extendit.* *Infra* 18. *Reges terræ cum illa fornicati sunt.* [*& inebriati sunt,*] id est, † extrabriam facti sunt. [*qui habitant terram:*] † minores scilicet qui plus terrena diligunt quam cœlestia.

Haymo. † lege extra sobrietatẽ. † Haymo legit, omnia teres.

Haymo: propter distantiam præpositorum & subditorum dicuntur, *reges & qui habitant terram.* [*De vino prostitutionis eius:*] id est, de delectatione manifestæ fornicationis tam corporalis quam spiritualis. *Supra* 14. *Babylon à vino fornicationis suæ potabit omnes gentes.*

Haymo. *Haymo.* Recte incentiua fornicationis vino comparatur ebrietatis. Vino enim ebrius ita insensibilis efficitur, vt non solum animæ, sed etiam periculum corporis non trepidet: sic libido hominis sensum & rationabilem intellectum aufert, vt inferni damnationem non metuat, *Ioel.* 2. *Expergiscimini ebrii & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.*

Vers. 3. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.

[*Et abstulit me:*] Secunda pars est, in qua congregatio reproborum describitur, sub figura mulieris meretricis. Et

Primo ostenditur spiritualis eleuatio Iohannis ad cognoscendum merita reproborum, cum dicitur, [*& abstulit me:*] id est, remouit à cognitione quam prius habebam, ad istam quæ sequitur. Abstulit inquam [*in desertum:*] per quod intelligitur corda reproborum à gratia Dei derelicta. Simile, *Thren.* 1. vbi dicitur de Iudæa derelicta à Domino: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo facta est quasi vidua domina gentium.* Talia enim corporis oculis videri non possunt.

Haymo. *Haymo.* Angelus personam Christi gerit, Iohannes personam Ecclesiæ, qui in desertum ducitur,

citur, quando ſiue per inſpirationem, ſiue per vocem prædicantium ad conſideranda reproborum merita trahitur.

[*Et vidi mulierem:*] Hic ſecundo ponitur deſcriptio mulieris, in qua tanguntur quinque: ſcilicet

Locus: *ſedentem ſuper beſtiam.*

Habitus: *& mulier erat circundata purpura.*

Officium: *habens poculum aureum.*

Nomen: *& in fronte eius nomen.*

Affectus: *& vidi mulierem ebriam.*

Dicit ergo: [*Et vidi mulierem:*] malorum ſcilicet cōgregationem, quæ nomine mulieris ſignatur, eo quod à muliere initium peccati ſumpſit, vt dicit *Haymo.* Item propter vitæ mollitiem & fallendi facultatem, *Iſaia* 19. *In die illa erit Ægyptus quaſi mulieres, & ſtupebunt & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum.* [*ſedentem:*] id eſt, quieſcentem. [*ſuper beſtiam:*] id eſt, ſuper Antichriſtum, qui dicitur beſtia propter crudelitatem & vitam beſtialem quam ducet. Congregatio enim malorū ſuper illum damnatum hominem tanquam ciuitas ruitura conſtruetur, ſicut Eccleſia ædificatur ſuper Chriſtum, 1. *Corinth.* 3 *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.*

Et deſcribitur beſtia cum ſubditur, [*coccineam, &c.*] vbi

Primo oſtenditur beſtiæ crudelitas: *coccineam.*

Secundo eius falſitas: *plenam nominibus blaſphemiæ.*

Tertio eius poteſtas: *habentem capita ſeptem.*

Dicit ergo: [*ſuper beſtiam coccineam:*] Coccus habet colorem ſanguinis. vnde coccinea idem eſt quod ſanguinea.

Haymo. *Haymo*: Quod beſtia coccinea dicitur, hoc vel propter peccata innumerabilia, quib. Antichriſtus erit cruentatus, vel propter ſanguinē ſanctorum quem effundet. Illi etiam qui adhærebunt ei erunt ſanguinei, *Naham.* 2. *Viri exercitus in coccineis.*

Haymo. [*plenam nominibus blaſphemiæ:*] *Haymo*: Deum blaſphemabit, quoniam omnia quæ ante ſe fuerunt dicet fuiſſe contraria ſibi & veritati, affirmans Chriſtum fuiſſe Antichriſtum, & Apoſtolos eius Pſeudoapoſtolos & Antichriſti miniſtros, *Supra* 13. *Aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum.* [*habentem capita ſeptem & cornua decem:*] Per *ſeptem capita*, ſecundum *Haymonem* omnes reges mali intelliguntur, quia ſeptenarius vniuerſitatem ſolet oſtendere. Per *decem autem cornua*, omnia regna Antichriſto ſubiecta. *Infra* tamen *eodem* illud ſic exponitur ſeptem reges ſunt; & decem cornua decem reges ſunt, *Dan.* 7. *Porro decem cornua ipſius regni decem reges erunt.* Vnde idem ſignant decem cornua, quod ſeptem capita, omnes ſcilicet reges, qui Antichriſto adhærebunt. Sed dicuntur ſeptem quia impugnabūt gratiam ſeptiformem Spiritus ſancti in ſanctis: decem vero dicuntur propter impugnationem Decalogi.

Verſ. 4. Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius.

[*Et mulier erat, &c.*] Hic deſcribitur mulier ab habitu, & oſtenditur multiplex gloriatio eius: &

Primo de poteſtate eum dicitur: *& mulier erat circumdata purpura*: Purpura enim veſtimentum eſt regium, vt dicit *Haymo*, *Ierem.* 10. *Hyacinthus & purpura indumentum eorum.*

Secundo tangitur gloria de voluptatibus cum ſubditur: *& coccino.* coccinum eſt ignei coloris, 2. *Regum* 1. *Veſtiebat vos coccino in delicijs.* vel *in coccino* poteſt intelligi crudelitas mulieris quoad effuſionem ſanguinis. Vnde dicit *Interlinearis* ſuper illud: *Coccino*, quia occidunt nolentes acquieſcere.

Tertio tangitur gloria in diuitijs cum dicitur, *inaurata auro*, *Ezech.* 7. *Aurum eorum vt ſterquilinium erit.* Poteſt tamen per aurum fulgor ſapientiæ intelligi. Hoc auro Eccleſia induta eſt habens intellectum illuminatum: ſecundum illud: *Pſalmo* 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Hæc mulier cum ſit ſtultiſſima fingit tamen ſe veſtitam eſſe auro ſapientiæ; vnde *Interlinearis*: videbuntur ſapientia illuminati. [*& lapide pretioſo & margaritis:*] Per *lapidem pretioſum* intelligere poſſumus firmitatem virtutum: per *margaritas* munditiam affectionum, *Iſa.* 54. *Fundabo te in ſapphyris, & ponā iaſpidem propugnacula tua. Infra* 21. *Fundamenta ciuitatis omni lapide pretioſo ornata.* vel per *lapidem pretioſum* intelligere poſſumus virtutes naturales per *margaritas* gratuitas. Margaritæ enim ex rore cœli in cōchis generantur: ſic virtutes gratuitæ cœlitus dantur.

Haymo: Hæc ornamenta cum ſola habeat Eccleſia, fallaciter ſibi vſurpare nititur hæc mulier peruerſa, vt quos non poterit per potentiam trahere ad errorem, decipiat per ſimulatā ſanctitatem. [*habēs poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius:*] Hic oſtenditur officium mulieris, quod eſt poculo prauæ dilectionis inebriare animas: & tanguntur tria propter triplicem concupiſcentiam. Dicitur enim habere *poculum aureum* propter concupiſcentiam oculorum. Per poculum enim aureum ſcientia ſacræ Scripturæ poteſt intelligi, cum dicitur eſſe in manu meretricis, quia peruerſe eam exponit, vt operibus eius congruit, *Eccleſ.* 32. *Secundum voluntatem ſuam inueniet comparationem.* [*Plenum abominatione*] dicitur propter ſuperbiam vitæ, *Eccleſ.* 10. *Abominabile eſt coram Deo & hominibus ſuperbia,* [*& immunditia fornicationis eius.*] propter concupiſcentiam carnis, *ſupra* 14. † *A vino iræ fornicationis potauit omnes gentes.* Verſ. 8.

Verſ. 5. Et in fronte eius nomen ſcriptū, myſterium: Babylon magna, mater fornicationum & abominationū terræ.

[*Et in fronte eius nomen myſticum ſcriptum:*] vel [*myſterium,*] alia litera: Hic tangitur nomen mulieris, quæ tripliciter nominatur. [*Babylon:*] confuſio quoad inordinationem ſui. [*mater fornicationis:*] quoad exemplum proximi. [*& abominationum:*] quoad irritationem Dei. Dicit ergo:

[*Et in fronte eius:*] id eſt, in manifeſto opere. [*nomen ſcriptum:*] ſupple erat hominis. ne pallio ſimulationis, ſicut dicit *Haymo*, falleret incautos ex titulo ſoliciti redduntur: cum ibi ſcribatur [*Babylon*] id eſt, confuſio. [*In fronte*] dicitur eſſe hæc Scriptura propter eius impudentiam, *Iere.* 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* In hoc quod dicitur [*ſcriptum*] notatur obſtinatio eius Scriptura enim eſt permanens deſignatio, *Ier.* 17. *Peccatū Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, & vngue adamantino, exaratum eſt ſuper latitudinem cordis eorum.*

[myſti-

[*mysticum*] vel [*mysterium:*] occulta res dicitur, in qua aliud narratur, & aliud intelligitur.

Haymo. *Haymo:* Opera Babylonis simplicioribus, qui ea intelligere non possunt in mysterio sunt: perfectioribus autem in fronte nomen suum ostendit, quia omnia eius opera facile cognoscũt. ideo nomen eius in fronte quidẽ est, quia quibusdam in aperto ostenditur, sed tamen in mysterio scribitur, quia quibusdã in mysterio clauditur. [*Babylon magna:*] hoc enim nomen quod in fronte scriptum est; & dicitur [*magna*] propter enormitatem scelerum & multitudinem reproborum. [*mater fornicationum:*] cum initium peccari fuerit Sap. 2. à Diabolo. *Inuidia enim eius mors introiuit in orbem terrarum:* id est, causa mortis, scilicet peccatum.

Quare Babylon mater fornicationũ vocatur.

Respond. Antiquus hostis tanquam adulter semen peccati fudit, mulier concepit & peperit: & ideo Babylon mater fornicationum appellari meruit, *Iacob. 1. Concupiscentia cum conceperit parit peccatum.* vel dicitur mater fornicationum propter diuersitatem peccatorum, *Ezech. 16. Multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me.* [*& abominationum terræ:*] adinueniunt enim diuersa genera peccatorum Deo abominabilia, & eum prouocantia, *Isaia 3. Adinuentiones eorum contra dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius.*

Versic 6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorũ, & de sanguine martyrum Iesu. Et miratus sum cum vidissem illam admiratione magna.

[*Et vidi mulierem:*] id est, malorum congregationem. Hic ostenditur affectus mulieris. [*ebriam de sanguine sanctorum:*] illorum scilicet qui pro iustitia ante Deum fuerunt occisi: de quibus in *Psalmis, Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum.* [*& de sanguine sanctorum martyrum Iesu:*] id est, eorum qui pro fide Christi occisi sunt. martyres enim testes dicuntur, qui pro testimonio fidei Christi moriuntur, *Hebr. 11. In occisione gladij mortui sunt.* Et bene dicitur *ebria.* sicut enim ebrius quamuis non habeat necesse bibere, tamen appetitum bibendi non amittit: sic congregatio malorum, licet necessitatem nocendi non habeat, nocet tamen. & licet multis noceat, sitis tamen nocendi non extinguitur.

[*Et miratus sum:*] Hæc est tertia pars capituli, in qua ponitur admiratio Iohannis. Sed cum Iohannes intelligeret visionem, quid est quod miratur? Meretrix homicida visa; .... & nostram personam in sua assumit, qui multum miramur de vmbris diuersarum figurarum, quas in Scriptura videmus.

Versic. 7. Et dixit mihi angelus, quare miraris? ego dicam tibi sacramentũ mulieris & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem.

[*Et dixit mihi angelus:*] quarta pars est capituli, continens visionis expositionem. Et

Primo interrogatur Iohannes quare miretur.

Deinde expositio visionis ei promittitur: *ego dicam tibi. &c.*

Tertio ipsa visio exponitur: *bestia quam vidisti.* Dicit ergo:

[*Et dixit mihi angelus, quare miraris:*] *Haymo.* Sicut etiam dicitur Ecclesiæ à Christo per internam inspirationem, cur miraris damnationem reproborum & supplicia, quæ illi sunt futura † isto Dei iudicio. † lege iusto.

Notandum quod casus in culpam admirabilis est, ex quo sequitur casus in pœnam. Mirandum enim quomodo creatura audet offendere suum creatorem, *Isaia 14. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* & *Thren. 4. Filii Sion, incliti & amicti auro primo quomodo reputati sunt in vasa testea?* Vas testeum cõfringitur, nec reparatio sequitur: sic isti per pœnam. *Psalm. 2. Tanquam vas figuli confringes eos.* [*Ego dicam tibi sacramentum mulieris & bestiæ:*] id est, ostendam tibi, quid significet ista mulier, & quid bestia. [*quæ portat eam, quæ habet septem capita & decem cornua.*]

Vers. 8. Bestia quam vidisti fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, & non est.

[*Bestia quam vidisti:*] Primo exponitur hic quid sit bestia.

Secundo quid sunt capita bestiæ: *septem capita.*

Tertio quid cornua: *& decem cornua.*

Quarto quid significent aquæ visæ super quas sedebat mulier: *aquæ quas vidisti.*

Quinto quid sit illa mulier: *& mulier quam vidisti.* Dicit ergo:

[*Bestia quam vidisti:*] Bestia secundum vnam expositionem Diabolus intelligitur, qui facit homines bestiales & irrationales. portans eos de peccato in peccatum, & postea in infernum. de qua bestia † quinque dicuntur: scilicet † lege quatuor.

Quod fuit, quoad statum ante aduentum Christi, quo vastauit omnia.

Non est, quoad statum post aduentum Christi: quod

Ascensura est de abysso, quoad statum Antichristi: quod

In interitum ibit, quoad diem iudicij.

Secundum alios exponitur de Antichristo, qui dicitur bestia propter crudelitatem, & vitam bestialem quam ducet: & sic ponitur hic.

Primo expositio bestiæ, & quid per bestiam significatur.

Secundo cautela contra bestiam adhibenda tangitur: *& hic est sensus.*

Dicit ergo: [*bestia quam vidisti:*] id est, Antichristus. [*fuit:*] loquitur de tempore in quo Antichristus regnabit. [*& non est:*] hoc dicitur quia parum durabit, *Daniel. 11. In paucis diebus conteretur. Psalmo tricesimosexto: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani. & transiui & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Infra versu decimo: Cum venerit oportet illum breue tempus manere.* [*& ascensura est de abysso:*] ascensura inquam ad regnum de profundis & tenebrosis cordibus reproborum, qui dicuntur abyssus, quasi sine candore, id est, sine gratia Christi, qui est candor lucis æternæ, *Sapient. cap. 7.* Quæ etiam plena sunt tenebris peccatorum. Est enim peccatum tenebra intellectualis secundum *Damascenum.* *Genesis cap. 1. Tenebræ erant super faciem abyssi.* Damasceni. Secundum *Haymonem* abyssus dicitur hic profunda fiducia Iudeorum, de qua nascetur Antichristus [*& in interitum ibit:*] id est, in mortem æternam deiicietur. *Dan. cap. 7.*

Vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni. Iob. 20. *Si ascenderet vsque in cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderunt dicent vbi est?* Et hoc est quod subditur: [*& mirabuntur inhabitantes terram:*] visa scilicet subita morte Antichristi, *Iob. 20. Velut somnium aduolans non inuenietur. transiet sicut visio nocturna.*

Haymo. *Haymo.* Inhabitantes terram reprobi intelliguntur, qui mente terram inhabitant.

[*Quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ:*] *Haymo:* Liber vitæ est vis diuina qua ante secula Deus electos prædestinauit ad vitam æternam, *Supra c. 13. Adorauerunt eum*, scilicet Antichristum; *omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ Agni.* [*à constitutione mundi:*] *Ephes. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem.* Ipsi dico, [*videntes bestiam, quæ fuit & non est:*] id est, Antichristum, qui erat in magna potestate & amisit, *Psal. 36. Adhuc pusillum & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies.*

Vers. 9. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.

[*Et hic est sensus:*] Hic tangitur cautela contra bestiam adhibenda: hic scilicet respectu pœnæ cauendæ, ne scilicet cadamus in damnationem, damnationi Antichristi similem. [*est sensus:*] *Prouerb. 21. Mulctato pestilente sapientior erit paruulus:* id est humilis. [*est sensus*] inquam illi [*qui habet sapientiam:*] id est, intelligentiam.

[*Septem capita septem montes sunt:*] Hic ponitur quid sint capita bestiæ: id est, omnes superbi, qui dicuntur montes propter tumorem superbiæ: id est, sunt montes Gelboe, 2. *Regum 1. Montes Gelboe, nec ros nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum.* Gelboe interpretatur decursus, & significat illos, qui tument pro temporalibus rebus, quæ sunt in decursum, *Sap. 5. Quid nobis profuit superbia aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis. transierunt omnia illa tanquam vmbra.* [*super quos mulier sedet:*] id est, mollis & lasciua impietas. Capita bestiæ reges mundi sunt ob tumorem superbiæ montibus adæquati præcelsis, in quibus la[...]ua requiescit impietas. vnde exponendo subdit: [*Et reges septem sunt:*] hi scilicet septem montes super quos mulier sedet, per quos intelligitur malorum principatus.

Et notandum quod tripliciter nominantur. Dicuntur enim *capita, montes, reges.*

Capita dicuntur, quia de sapientia gloriantur. Quinque enim sensus in capite sunt.

Montes dicuntur, quia de terrenis superbiunt, quia mons est tumor terræ.

Reges dicuntur, quia de altitudine dignitatis gloriantur, *Ierem. 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur scire & nosse me quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium & iustitiam in terra.*

Ver. 10. Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit, & cum venerit, oportet illum breue tempus manere.

[*Quinque ceciderunt:*] scilicet quinque reges. Per septem reges de quibus hic agitur vniuersus malorum principatus intelligitur, qui determinatur secundum septem status seculi.

Primus status fuit in tempore ante diluuium, in quo omnis caro viam suam corruperat, *Gen. 6.* Hic principatus destructus est per diluuium, per quod consumpta est omnis caro, quæ mouebatur super terram, *Genes. 7.*

Secundus status fuit à Noe vsq; ad Abraham, quo tempore ædificabatur turris Babylonis, id est, turris confusionis. Ille principatus destructus fuit in confusione linguarum & dispersione eorum. quasi turrem Babel ædificabant, *Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum, Gen. 11.*

Tertius status ab Abraham vsque ad Moysen, quo tempore abundauit malitia super terram & maxime peccatum contra naturam. Vnde tunc dixit Dominus ad Abraham, *Genes. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Ille principatus destructus est in subuersione quinq; ciuitatum, *Genes. 19.*

Quartus status fuit à Moyse vsque ad transmigrationem Babylonis, quo tempore multum abundauit peccatum Idololatriæ, vt patet in libris Prophetarum, *Psalm. 77. In sculptilibus ad æmulationem eum prouocauerunt. Eccles. 49. Præter Dauid & Ezechiam & Iosiam omnes reges commiserunt peccatum:* scilicet Idololatriæ. Principatus ille destructus fuit, ad minus in parte, in destructione principum Iuda, de qua, *Ierem. vltimo: Omnes principes Iuda occidit rex Babylonis in Reblatha.*

Quintus status fuit à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, quo tempore magna fuit persecutio legis Dni. vnde 1. *Machab. 1.* dicitur: *Libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos & apud quemcunque inueniebantur libri testamenti Domini, & quicunque obseruabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum in virtute sua.* Destructio huius principatus designata est in casu Antiochi, 2. *Machab. 9.* vnde dicitur: *Contingit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari.* Hi quinque reges ceciderant tempore reuelationis huius.

Sextus vero regnauit & adhuc regnat, & regnabit vsque ad tempus Antichristi: & quantum ad illum dicitur hic, *& vnus est*: per quem intelligitur principatus illius status, qui durat à tempore Christi vsque ad tempus Antichristi. & quantum ad illum dicitur: *& alius nondum venit*: per quem intelligitur Antichristus & sui. vnde dicit *Beda.* Cum in septanario numero plenitudinem mundani descripsisset imperij, cuius vltima pars, id est, Antichristus nondum venit, consequenter quinque reges præteriisse, sextum adesse, & septimum venturum esse testatur. Beda.

Hieronymus autem exponit hoc de Romanis imperatoribus, ex quo purpura vti cœperunt: & dicit quod primus fuit Caius Cæsar; secundus Augustus, sub quo natus est Dominus. tertius Tiberius, sub quo passus est Dominus. † tertius Claudius, sub quo facta est fames, *Actor. 11.* Sextus Nero dicitur. Hic vnus est de aliis quinque: dicitur, *qui quinque ceciderunt.* Septimus Otho, de quo dicitur, *nondum venit*, scilicet tempore Ioannis, qui est figura Antichristi: nam regnauit mensibus tribus & diebus sex, per quæ designantur tres anni, & menses sex, quibus Antichristus regnaturus est. [*Et cum venerit:*] *Antichristus*, secundum expositionem *Bedæ*, vel Otho secundum expositionem Hieronym.

† locus mutilus & mendosus: vide coniecturas ad finem capitis, sub his notis [*]

posi-

positionem aliam, [*oportet illum breue tempus manere:*] quia ille Otho & tribus mensibus & sex diebus regnauit solum, Antichristus † aut tantum tribus annis & dimidio regnabit. *Beda*: quia superbos nos & infirmos dominus conspicit, dies quos singulariter malos intulit misericorditer breuiatos dicit, vt & superbiam terreat de aduersitate temporis, & infirmitatem refoueat de breuitate persecutionis.

† forte lege, vero.

Secundum *Glossam* quinque primi reges sunt quinque corporis sensus, qui, si Adam non peccasset, ad nullam malam concupiscentiam conuerterentur, sed per peccatum ita corrupti sunt, vt iam naturale sit eis lenia tactu, sapida gustu, canora auditu, nare odorifera, visu pulchra, pedibus ludicra quærere.

Hi sunt quinque reges per quos homines diabolus in pueritia regit.

† forte lege, modo, & exponitur paulo infra.

Sextus rex est Christus, qui † non regnat.

Septimus erit Antichristus, qui nondum venit. Secundū hoc sensus est: [*quinque ceciderunt:*] *Gl.* Transacta infantia: quasi dicat: iam non quinque sensus regūt homines, sicut ante aduentum Christi. [*& vnus est:*] scilicet Christus qui nunc regnat. [*& alius nondum venit:*] scilicet Antichristus. *Gloss.* qui maxime faciet peccare. [*Et cum venerit oportet illum breue tempus manere.*

Vers. 11. Et bestia quæ erat & non est: & ipsa octaua est: & de septem est, & in interitum vadit.

[*Et bestia quæ erat, & non est, & ipsa octaua est, & de septem est:*] Ista bestia intelligitur Antichristus, [*qui erat*] pro tempore in quo regnabat: [*& non est*] pro tempore in quo iam deiectus est, 2. *Thess.* 2. *Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui.* [*ipsa est de septem:*] quia de vniuersitate malorum, quæ per septem reges intelliguntur. [*sed octaua est:*] quia sicut octo transcendunt septem, ita ipse alios in malitia superabit. *Gl.* de septē est quia similiter peccat, & similiter punietur: & octaua quia omnes transcendit, & in nequitia & in pœna.

Beda. *Beda.* Antichristus propter corporis impiorum, cuius caput est, vnitatem, ad regnorū mundi pertinet numerum: sed propter nequitiā singularem, loci proprij ordine continetur. [*& in interitum vadit:*] quod potest intelligi tam de diabolo quam de Antichristo, quia vterque in æternum peribit, *Dan.* 7. *Iudicium sedebit, vt auferatur potentia eius.*

Vers. 12. Et decem cornua quæ vidisti: decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tāquam reges vna hora accipient post bestiam.

[*Et decem cornua:*] Hic determinatur quid significent decem cornua: &

Primo ostenditur, quod per decem cornua intelliguntur decem reges, qui Antichristo adhærebunt.

Secundo ostenditur, quod parum durabunt: *sed potestatem.*

Tertio ostenditur malitia eorum: *post bestiam.*

Quarto tangitur de pugna eorum cum Agno: *hi cum Agno pugnabunt.* Dicit ergo:

[*Et decem cornua, quæ vidisti decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt:*] & nondum venerunt, sed venturi sunt.

Haymo. *Haymo.* Temporibus Antichristi decem regna erunt in terra, *Dan.* 7. *Porro decem cornua ipsius regni decem reges erunt.* & dicuntur cornua, vt notetur in eis bestialis & irrationalis impetus: cornib. enim bestiæ impetunt. Decem vero dicuntur, vt notetur impugnatio legis diuinæ, scil. decalogi, *Dan.* 7. *Putabit quod possit mutare tempora & leges.* [*Sed potestatem tanquam reges:*] Hic primo ostenditur quod non erunt veri reges.

Secundo quod paruo tempore durabunt: *vna hora.*

Dicit ergo: [*Sed potestatem tanquā reges accipient:*] *Beda*: tanquam reges dicit, quia velut in somnis regnant, qui Christi regno aduersantur. & *Interlinearis* dicit: non vere reges, sed tyranni. [*vna hora:*] modico tempore. *Beda.*

Haymo. Vna hora intelligitur tres anni & dimidius, quibus ipsi cum capite suo regnabunt. [*post bestiam:*] supple euntes per imitationem. vel sic: [*accipient regnū post bestiam:*] i. e. Antichristum. *Haymo.*

Beda: hoc est post bestiam accipere regnū Antichristum imitando Christo aduersari. *Beda.*

V. 13 Hi vnum consilium habēt & virtutem: & potestatē suam bestiæ tradent.

[*Hi vnum consilium habent:*] Hic ostenditur malitia eorum in concordi impugnatione nominis Christi: &

Primo quantū ad occultam machinationem, cum dicitur, *hi vnum consilium habent.*

Haymo: Hi habent cōsilium contra Christum, & membra illius vt negent Christum, & confiteantur Antichristum, sed dominus dissipat consilia gentium, vt dicitur in *Psal.* 32. *Isa.* 8. *Inite consilium & dissipabitur.* [*& virtutem:*] quam ipsi habebunt. [*& potestatem suam:*] quam habebunt super alios. [*bestiæ tradent:*] quia Antichristo quē Deum credent omnia attribuent. *Haym.*

Haymo: Virtutem & potestatē suam bestiæ tradent, id est, quicquid virium & fortitudinis habent ipsi tribuent, dicentes, tibi gratias agimus, quia quicquid habemus à te accepimus. *Haym.*

Ver. 14 Hi cum agno pugnabunt & agnus vincet illos, quoniam dominus dominorum est, & rex regum, & qui cum illo sunt, vocati, & electi, & fideles.

[*Hi cum agno pugnabunt:*] Hic primo ostenditur quia hi reges contra Christum pugnabunt.

Secundo quod Christus vincet eos: *& Agnus.*

Tertio quod sancti etiā vincent eos per Christum: *& qui cum illo.* Dicit ergo:

[*Hi cum Agno:*] id est, cum Christo. [*pugnabunt:*] & verbo & opere, dicit *Haymo*, vt fideles à fide illius separent. [*& Agnus vincet eos:*] & quod possit hoc facere declaratur, cum subditur: [*quoniam Dominus Dominorum est:*] *Isa.* 44. *Ego Dominus & non est absq; me saluator.* [*& rex regum:*] *Supra* 1. *Princeps regum terræ.* [*& qui cum illo sunt vocati:*] per prædicationem, [*& electi*] per prędestinationem, [*& fideles*] per operationem, quia *fides sine operibus mortua est*, *Iac.* 2. Isti inquam omnes vincent illos malos reges.

Vers. 15. Et dixit mihi, aquæ quas vidisti, vbi meretrix sedet: populi sunt, & gentes, & linguæ.

[*Et dixit mihi, &c.*] Hic primo ostenditur quid significent aquæ super quas meretrix sedet.

Secundo ne ei homines cōformentur, ostenditur damnatio eorum, qui ei adhærent: *& decem cornua.* Dicit ergo:

[*Et*

[*Et dixit mihi:*] scilicet Angelus. [*aquæ quas vidisti vbi meretrix sedet:*] id est, quiescit iure quieto eas possidens. [*populi sunt:*] quoad illos qui regem habuerunt: [*& Gentes:*] quantum ad illos, qui † sancti lege viuunt, [*& linguæ:*] quoad vtrosque.

† lege forte: sine lege Haymo.

Haymo: Ex omnibus gentibus populis & linguis multi à Diabolo decepti sunt, maxime per libidinem, quæ est mater omnium vitiorum. Meretrix enim super aquas sedet, quia dominationis regnum libido vitiorum in reprobis tenet.

Vers. 16. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.

[*Et decem cornua:*] Hic de meretrici cõformentur, ostẽditur damnatio eorũ, qui ei adhærent. &

Primo tangitur de merito eorum.

Secundo de pœna eorum: *& carnes.*

Tertio Dei iudicium: *Deus enim dedit.*

Dicit ergo: [*Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam:*] Cum decem cornua idem sint quod meretrix, id est, omnes mali, quid est quod decem cornua odio habent meretricem? sic enim videntur seipsos odio habere.

Quæstio.

Responsio. Respond. Reprobi mala faciendo, quæ diligunt seipsos odiunt: quia *qui diligit iniquitatem odit animam suam*, vt dicitur in *Psalmo* 10. Vel [*reges odient fornicariam,*] scilicet seipsos, quia amatores huius seculi odio se inuicem consequuntur, quia inter superbos semper iurgia sunt, *Prouerbior.* 13. Dum enim vnus videt alium ad altiora ascendere, odio illum habet, *Galat.* 5. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* [*& desolatam facient eam:*] despectabunt enim cum viderint Antichristum damnatum. *Supra* 16. *Et non egerunt pœnitentiam, vt darent gloriam Deo.* Desolatio ista est, vbi non est solatium spei, *Hebr.* 6. *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Vel [*desolatam facient illam:*] id est seipsos, quia faciunt se desertos à gratia. Hoc est desertum illud in quo Iohannes ducitur † in spiritu supra † E. vt damnationem meretricis aspiciat. [*& nudam facient eam:*] id est seipsos, quia vestimentum fidei, quod in Baptismo recipitur, non habebunt. vel quia illud amiserunt, vt falsi Christiani. vel illud non receperunt, vt Gentiles & Iudæi, vnde *Osee* 2. dicitur de muliere fornicaria: *Statuam eam nudam secundum diem natiuitatis suæ, & ponam eam quasi solitudinem.* Et hoc est quod dicitur hic: *desolatam facient illam.*

† Versu 3.

Quæstio. Sed si Dominus hoc facit quomodo verũ est quod dicitur hic, quod decem cornua faciont.

Responsio. Respond. Ipsi mali seipsos desertum faciunt,

Haymo. & nudos per mala merita sua. vnde *Haymo*: Seipsos extraneos faciunt à Deo propter peccata sua. Dominus autem eos desertum facit & nudos, gratiam non conferendo, vel collatam subtrahendo, & hoc meritis eorum exigentibus. vnde

Augustin. de *Augustinus ad Sixtum*: Si quærimus meritũ obdurationis & misericordiæ, obdurationis meritũ » inueniemus, meritum autem misericordiæ non » inuenimus. Meritum enim obdurationis pecca» tũ est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, » sed non impertiendo gratiam.

[*Et carnes eius:*] Hic ostenditur pœna eorum: & primo pœna vermis.

Secundo pœna ignis: *& ipsam igne.* Dicit ergo: [*Et carnes eius:*] scilicet meretricis, [*manducabunt:*] scilicet reprobi: hoc est, seipsos propter carnalia se reprehendendo.

Haymo. Haymo: Ipsi carnes suas manducabunt, quia pœnis semper pascentur, semperque vermes eos comedent, & nonquam ad defectum, cum ingiter defecerint, peruenient. [*& ipsam igne cremabunt:*] Hoc pertinet ad pœnam ignis, *Isaiæ vltimo: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Obiectio. Sed quomodo seipsos cremabunt?

Responsio. Respond. Sicut dicimus aliquem se interfecisse, qui periculum mortis non declinauit, cum posset, vel seipsum incendisse, qui se in ignẽ præcipitauit: sic reprobi, qui se concremant cum suis iniquitatibus quasi quibusdam lignis ignem quo comburantur, accendunt. *Isaia* 50. *Ecce omnes vos accendentes ignem & accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis.* [*Dedit enim:*] Hic ostenditur quare reprobi ista patiantur, scilicet quia Deus indurauit eos propter peccata præcedentia: & hoc est quod hic dicitur.

Vers. 17. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum est illi: vt dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.

[*Deus enim dedit:*] permittẽdo. [*in corda eorum:*] id est, in voluntates eorum. [*vt faciant quod placitum est illi:*] scilicet molieri meretrici.

Haymo. Haymo: Pro præcedentibus hominum peccatis permittit Deus illos facere, vnde illum magis offendant, *Rom.* 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt.* vel [*illi:*] Deo scilicet.

Obiectio. Sed quomodo potest hoc esse quod reprobi faciant quod placitum est Deo, cui dicit Dauid: Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem?

Solutio. Respond. Præcedentium iniquitatum merita exigunt, vt reprobi in errorem † ita Dei permissi † ita agant vt non misericordia saluentur parcentia, sed iustitia damnentur punientis, qui Deo displicentes Dei placitum perficiunt, quia cui non placet iniquitas reprobum, placet sua iustitia, qua † impij vltionis inferunt pœna. [*vt dent regnum suum bestiæ:*] id est, Antichristo.

† ita MS.

† forte impijs.

Haymo. Haymo: Gratias illi agentes & honorem, & fortitudinem suam illi tribuentes, quasi ab illo acceperint omne quod habent. Et hæc tandiu Deus permisit, [*donec consummentur verba Dei:*] id est; donec opere compleantur, quæ ante dicta sunt: id est, quousque boni & mali recipiant secundum quod eloquia Dei pronuntiant.

Vers. 18. Et mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

[*Et mulier:*] Hic ostenditur quæ sit ipsa mulier. [*Et mulier quam vidisti, ciuitas magna est:*] scilicet omnis malorum multitudo, quæ dicitur, *mulier* quia emollit: *ciuitas*, quia multos colligit: *magna* quia superbit. [*quæ habet regnum super reges terræ:*] loquitur Iohannes pro tempore Antichristi, sicut dicit *Haymo*, quia maxima malorum multitudo in regibus, & huius seculi principibus in superbiam eleuatur. [*]

[*] Forte lege prædictũ locum in hunc modum. Refer hoc Hiero-

Hieronymus autem exponit hoc de Romanis imperatoribus ex quo purpura vti cœperunt: & dicit quod primus fuit Caius Cæsar: secundus Augustus, sub quo natus est Dominus: tertius Tiberius, sub quo passus est Dominus: [quartus Caligula:] quintus Claudius, sub quo facta est fames, *Actor.* 11. sextus Nero dicitur. Hic vnus de aliis quinque dicitur, qui quinque ceciderunt: septimus Otho, &c.

verba in margine supra, in explicatione versiculi 10. huius cap. sunt assignanda.

Non occurrit prædictus locus apud Hieronymum quantum ego inuenire possum. Verum in tractatu quodam super Apocalypsim, qui extat sub nomine Hieronymi inter Manuscriptos codices Mertonenses, talia habentur verba:

[*Capita septem, septem montes sunt in quibus mulier sedit;*] id est, ciuitas Romana. [*& reges septem sunt. quinque ceciderunt, vnus est, alius nondum venit, & cum venerit breui tempore erit. Et bestia, quā vidisti, de septem est, & octaua est.*] Intelligi oportet tempus quo Scriptura Apocalypsis edita est: quoniam tunc erat Cæsar Domitianus. Ante illum autem fuerat Titus frater illius, & Vespasianus pater, Galba, Otho, & pater Vitellius. Hi sunt *quinque qui ceciderunt.* Vnus extat sub quo scribitur Apocalypsis, Domitianus scilicet. [*Alius nondum venit:*] Neruam dicit. [*& cum venerit breui tempore erit:*] Biennium enim implebit. [*Et bestia*, inquit, *quam vidisti de septem est;*] quoniam ante illos reges. Nero regnauit. [*& octaua est,*] (ait) modo cum illa aduenerit computas loco octauo. Et quoniam in illo est consummatio, adiecit, [*in interitum vadit, &c.*]

Cap. XVIII.

Ver. 1. Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam: & terra illuminata est à gloria eius.

[*Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, &c.*] Hic incipit sexta visio, quæ secundum *Bedam* damnationem magnæ meretricis continet: id est, impiæ ciuitatis: & diuiditur in tres partes.

In prima agitur de damnatione Babylonis, & extenditur vsque ad locum illum, 19. *ibi: Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus.*

Secūdo agitur de damnatione bestiæ, & pseudoprophetæ ab illo loco, *& vidi*, vsque ad *vnesimum capitulum.*

In tertia agitur, de damnatione Diaboli, 20. *capitulo*, vsque ad 21.

In prima parte primo prænuntiatur casus Babylonis.

Secundo populus sanctus monetur ad exeundum de illa: *& audiui aliam vocem.*

Tertio tangitur de pœna ipsius: *reddite illi.*

Quarto determinatur de his, quæ contingent ad casum ipsius: *& flebunt & plangent.*

In prima primo describitur Angelus casum Babyloois denuncians.

Secundo ipse casus denuntiatur: *& clamauit.*

Tertio causa damnationis ostenditur: *& facta est habitatio.*

In prima primo angelus, id est Christus paternæ voluntatis † nuncius describitur ab humilitate incarnationis cum dicitur, *descendentem.*

† non cuius: legit MS.

Secundo à plenitudine potestatis cum dicitur, *habentem potestatem magnam.*

Tertio ab effectu prædicationis: *& terra illuminata est.* Dicit ergo:

[*Et post hæc vidi alium angelum:*] Sed nonne Christus † hic cum aliis visionibus reuelauit, mittens per angelum suum seruo suo Iohanni? vnde non fuerunt plures, sed vnus solus, qui gerebat personam Christi.

† forsan hoc.

Resp. Licet vnus angelus fuerit, qui has visiones manifestauit, tamen propter aliam visionem dicit se vidisse alium angelum.

Haymo: Sic nos de quolibet dicimus, alius mihi videbaris cum illa & illa verba diceres † Dicit ergo: [*Et post hæc:*] ordine scilicet narrationis, non ordine tempoiis. hanc enim reuelationem vna dominicæ resurrectionis die in spiritu leuatus meruit videre. [*vidi alium angelum:*] scilicet Christum, qui dicitur alius, propter aliam visionem quam ostendit. [*descendentem de cælo:*] Sed cum ipse dicat, *Ier.* 32. *Cælum & terram ego impleo*, & extra cœlū & terram non sit locus, vbi ipse non sit, quomodo dicitur de cœlo descendere?

† super sic in Haymone …

Respond. Ista descensio intelligitur in assumptione humanæ naturæ filij Dei humiliatio. *Philipp.* 2. *Cum in forma Dei esset exinaniuit semetipsum formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* [*habentem potestatem magnam;*] & secundum diuinam naturam, & secundum humanam.

De potestate diuina dicitur, *Dan.* 7 *Potestas eius potestas æterna.*

De humana, *Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

[*Et terra illuminata est à gloria eius:*] id est, à gloriosa prædicatione eius, vt dicit *Interlinearis*. Terra hic intelligitur congregatio bonotum, hæc est, *terra bona in qua cecidit semen bonū ferens fructum, Matth.* 13. Angelus ille dicitur habere magnam potestatem, vt cui nullus possit resistere. Item dicitur, [*illuminata à gloria eius:*] cui nullus possit aliquid abscōdere. potestas absconditur contra manifeste malos: illuminatio contra occulte malos. vel potestas ostenditur, quia venit contra illum, de quo *Iob.* 41. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei.* Illuminatio vero quia venit ad expellendas tenebras ignorantiæ & culpæ, *Isaia* 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.*

Vers. 2. Et exclamauit in fortitudine dicens, cecidit, cecidit Babylon magna: & facta est habitatio dæmoniorum & custodia omnis volucris immundæ & odibilis.

[*Et exclamauit:*] Hic nuntiatur casus malorum sub figura Babylonis. [*& exclamauit:*] scilicet Christus. [*in forti voce:*] vox de ruina malorum fortis dicitur, quia nequaquam effectu carebit; *Isaia cap.* 55. *Verbum meum quod egredietur de ore meo non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Quid autem clamauerit, subditur cum dicitur: [*dicens, cecidit, cecidit:*] bis dicitur, *cecidit*, propter casum culpæ & pœnæ, vel propter damnationem in anima & corpore. [*Babylon magna:*] id est, omnis multitudo malorum, *Isa.* 21. *Cecidit, cecidit Babylon. & omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terram. Supr.* 14. *Cecidit Babylon illa magna.* [*&:*] pro quia: in quo ostenditur causa damnationis impiæ ciuitatis. [*facta est habitatio dæmoniorum:*] i.e.

An-

† *forte, qui* Angelorum Apostatarum, † quo ab eis quos decipiunt vocabula trahunt. propter malitiam enim quam † *ficadent*, vocantur [*dæmones*:] propter carnis illecebras. † *forte, habent.*

[*Spiritus immundi*:] propter mentis elationem. [*Volucres*.]

[*Et custodia omnis spiritus immundi*:] facta est supple, dum immundus spiritus ab ea custoditur in peccatoribus obstinatis. vel [*immundum spiritus*] in ea custodit sibi peccatores obstinatos. [*& custodia omnis volucris immunda*:] facta est supple, in quantum suggerit superbiam vitæ, quæ superbia immunda est. Bene dicitur odibilis Deo & abominabilis. Diabolus habitat in cordibus malorum, *Iob.* 40. *Omnes bestiæ agri ludent ibi. Isaia* 34. *Erit cubile draconum & pascua struthionum.* Per draconem, qui in aperto nocet intelligitur aperta malitia. Per struthionem, qui secundum *Gregorium* speciem habet volandi, sed non vsum intelligitur hypocrisis. In peruerso ergo corde draco cubat, & struthio compascitur, quia malitia in eo quiescit, & simulatio bonitatis.

Vers. 3. Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: & reges terræ cū illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.

[*Quia de ira fornicationis*] id est, de illicito amore impiæ ciuitatis, qui est spiritualis fornicatio, de quo in *Psalmo* 72. *Perdis istos omnes, qui fornicantur abs te.* [*quæ est ira Dei*:] quia Deum prouocat ad iram, id est, ad vindictam. [*de ira*, inquam, *fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt*:] Reges terræ dicuntur superbientes pro terrenis. Reges enim maxime pro his superbire solent. Vnde *supra* 17. *Capita bestiæ quibus reges signantur septem montes sunt*: quod dictum est propter tumorem & superbiam eorum. Reges terræ fornicantur cum Babylone plus diligendo terrena quam Deum. *Supra* 17. *Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, cum qua fornicati sunt reges terræ.* [*Et mercatores terræ*:] id est, auari, quia animam suam venalem faciunt, vt dicit *Haymo*: *Eccles.* 10. *Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim animam suam venalem habet.* [*de virtute deliciarum eius.*] id est, de peccatis quæ reputaot delicias: vel per quæ deliciæ acquiruntur. [*diuites facti sunt*:] non virtutibus, sed peccatis, vt dicit *Haymo*. Isti sunt mercatores, qui mercatu infelici animas suas commutant abundantia temporali: à quo mercatu Dominus volens eos reuocare dicit, *Matth.* 16. *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* De peccatis etiam homines diuites facti sunt, quia omnis diues, supple malus aut iniquus aut hæres iniqui, vt dicit hic *Glossa*. *Eccles.* 11. *Si diues fueris non eris immunis à delicto*: quia certe difficile est acquirere conseruare & dispensare diuitias sine peccato. *Haymo.*

Vers. 4. Et audiui aliam vocem de cœlo, dicentem, Exite de illa populus meus: vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.

[*Et audiui aliam vocem*:] Hic primo monentur sancti, vt de consortio malorum exeant.

Secundo ne operibus eorum consentiant: *& ne participes.*

Tertio tangitur causa huius admonitionis, ne scilicet similem damnationem incurrant: *& de plagis eius.*

Quarto ostenditur ratio quare reprobi puniri debeant: *quoniam peruenerunt peccata eorum.* Dicit ergo:

[*Et audiui aliam vocem de cœlo*:] id est, de Ecclesia, quæ diuina mysteria reprobis celat.

Haymo: Vox ista intelligitur Dei omnipotentis, qui quotidie clamat exhortans electos, siue per doctrinam fidelium, siue per internam inspirationem, vt exeant de Babylone: & dicitur alia à prædicta, quis alia prænuntiauit casum Babylonis, hæc admonet sanctos ne exeant de illa, ne sint participes culpæ & pœnæ eorum. [*dicentem*:] exite de illa nō corpore, vt dicit *Haymo* quia non potestis, sed mente, *Ierem.* 51. *Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam.* & *Isa.* 52. *Exite inde pollutum nolite tangere.* [*& ne participes sitis delictorum eius*: vel d. lictarum eius; *Haymo.* *Haymo.*

Alia litera: id est, non præbeatis consensum malis operibus eorum. *Eccles.* 19. *Qui se iungit fornicariis nequam erit.* [*& de plagis eius non accipiatis*:] acsi diceret: cauete ne sitis socij in culpa, ne post sitis socij in pœna, *Roma.* 1. *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facere.*

Vers. 5. Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.

[*Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum*:] id est, vsque ad Dei contemptum per impœnitentiam, *Ier.* 51. *Peruenit vsque ad cœlos iudicium eius*: scil. Babylonis. *Ion.* 1. *Ascendit malitia eius coram me.* [*Et recordatus est Dominus iniquitatum eius* :] ad puniendum quas dissimulauerat, expectans eam ad pœnitentiam, *Sapient.* 11. *Dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Osee* 9. *Profunde peccauerunt: recordabitur Dominus iniquitates eorum, & visitabit peccata eorum.*

Vers. 6. Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundum opera eius: in poculo quo miscuit miscete illi duplum.

[*Reddite illi, &c.*] Hic determinatur pœna impiæ ciuitatis: &

Primo pœna, quæ reddetur ei, eo quod sanctos afflixit.

Secundo pœna, quæ debetur ei pro his, quæ in se commisit: *quantum glorificauit se.* Dicit ergo:

[*Reddite illi*:] scilicet Babyloni. [*sicut & ipsa reddidit vobis*:] *Haymo.* Alloquitur hic sermo diuinus doctores, quibus Babylon, id est, reproborum multitudo mala intulit. Ecclesia enim in suis principibus iudicabit reprobos, *Matthæi* 19. *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Ierem.* 51. *Quomodo fecit Babylon, vt caderent occisi in Israel, sic de Babylone cadent in vniuersa terra.* [*& duplicate duplicia secundum opera eius*:] Duplicia sunt pœna caloris & frigoris, *Iob.* 24. *Ad calorem nimium transiet ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius. Ierem.* 17. *Duplici contritione contere eos.* [*In poculo quo miscuit, miscete ei duplum*:] Reprobi affligendo sanctos, corporib. eorum solum nocuerunt, & sic quasi simplex poculum eis dederunt; tunc autem poculum duplicabitur, quod reprobi iudicio sanctorum in corpore & anima æternis pœnis tradentur, *Matthæi* 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere:*

...re: ecce simplex poculum: *sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*: ecce duplex poculum.

Vers.7. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: sedeo regina: & vidua non sum, & luctum non videbo.

Quæstio. [*Quantum glorificauit se, &c.*] Cum ante dictum sit, duplicate duplicia, quomodo dicitur hic quod sit receptura simplicia?

Responsio. Resp. In vno corpore diuersorum actuum diuersæ signantur personæ, vna plus alia minus delinquens.

Sed cum *Psalmo* 78. in persona Ecclesiæ optet, dicens: *Redde vicinis nostris septuplum*: quid est quod hic in simplicia vel duplicia tormenta recipere dicuntur?

Resp. Propter discretionem pœnarum impia ciuitas tantum recipit quantum deliquit, quia vnicuique redditur quantum meruit in genere, scilicet quia ille qui plus peccauit plus punietur, & qui minus, minus: non tamen in specie, † circa vindictam dum. quia semper puniuntur mali † citra condignum ex liberalitate diuinæ misericordiæ. vnde tantum & quantum non dicunt hic æqualitatem quantitatis secundum proportionem generis, sed quia illa pœna duplex est caloris scilicet & frigoris, vel animæ & corporis, idcirco ea duplicia duplicantur. quia vero punitur pro his, quæ in septenario dictum circulo gessit, ideo septuplum recipiet.

Dicit ergo: [*quantum glorificauit se*:] quantum ad peccata spiritualia. [*& in deliciis fuit*:] quantum ad carnalia. [*tantum date illi tormentum*:] scilicet in corpore. [*& luctum*:] in anima, *Isai.* 27. *In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabit eam. Ieremiæ capite quinquagesimo: Reddite ei secundum opus suum, iuxta omnia quæ fecit reddite illi.* vel [*quantum glorificauit se*] per superbiam, & iactantiam: [*& in deliciis fuit*] per nimiam affluentiam, *tantum date illi tormentum, &c.* Et quia præcipua causa damnationis Babylonis est superbia, ideo subditur: [*quia in corde suo dicit*:] in animo suo superbiendo. [*sedeo regina*:] id est, in honore & dignitate sum constituta, inde non mouenda, quia in verbo sedendi insinuatur. Contrarium tamen ostenditur, *Isaiæ cap.* 47. *Descende sede in puluere, virgo filia Babylon*: Quæ vocatur hic meretrix propter corruptionē. *Isaias* vero vocat eam filiam virginem propter infœcunditatem. [*Et vidua non sum*:] *Gloss.* quia habeo consolationem in temporalibus. [*& luctum non videbo*:] quem mihi minantur. Contra quod *Luc.* 6. *Væ vobis, qui nunc ridetis, quia plorabitis & flebitis*. Quod dicitur

† forte arduum vel honestum. *Regina sedeo*, pertinet ad bonū †arduum. quod dicitur,

Vidua non sum, ad bonum delectabile. Quod dicitur,

Et luctum non videbo, ad bonum vtile. Ostensa enim culpa subditur eius pœna, cum subditur,

Vers.8. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne cōburetur: quia fortis est Dominus, qui iudicauit illam.

[*Ideo in vna die*:] & ostenditur indubitanter futura cum dicitur: *quia fortis est Dominus*.

Dicit ergo: [*Et ideo in vna die*:] scilicet in die iudicij. [*venient plagæ eius*:] dolebit enim quæ gaudere voluit. plagæ vocantur, sed vltiones peccatis debitæ. [*mors*] contra illud, *sedeo regina*. Mors enim à dignitate deiicit, *Isai.* 13. *Quiescere faciam superbiam infidelium.* [*& luctus*:] contra illud: *vidua non sum*. [*& fames*:] quoad carentiam desideratorum. vel

Mors potest referri ad carentiam visionis diuinæ, quæ est mors pessima.

Luctus, ad pœnarum acerbitatem.

Fames, ad defectum omnis boni.

[*Et igni comburetur*:] quia gauisa est in temporalibus, quæ libidinose amauit: cum libido ignis sit male incendēs, secundum *Augustinum*. Merito Augustin. igne æterno comburetur illa malorū cōgregatio, in qua ignis libidinis in præsenti arsit, *Matth.* 25. *Ite maledicti in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*. Nec poterit punienti resistere, [*quia fortis est Deus qui iudicauit illam*:] *Gloss.* id est, precibus non flectetur, *Prouerb.* 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus. Sapient.* 6. *Non subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cuiusquam.*

Vers.9. Et flebunt & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendij eius,

[*Et flebunt & plangent se*:] Ostensa damnatione impiæ ciuitatis, hic determinatur de consequentibus ad damnationem ipsius. &

Primo ponitur fletus & planctus reproborū.

Secundo exultatio & lætitia sanctorum: *exultate super eam cœli*.

Tertio damnationis exemplum: *& sustulit vnus angelus*.

Quarto eum gratiarum actione laudatur iudicium diuinum: *post hæc audiui: in principio* 19. *cap.* Determinatur autem triplex fletus reproborum.

Primo fletus regum,

Secundo fletus negotiatorum: *& negotiatores*.

Tertio fletus gubernatorum & nautarum: *& omnis gubernator*. Dicit ergo:

[*Et flebunt*:] id est, dolorem in animo patientur, vt dicit *Interlinearis*. [*& plangent se super eam reges terræ*:] id est, principes seculi dolorem cordis exterius ostendent. *Gloss.* qui in ea fuerunt fundati. hoc respicit illud: *super illam qui cum illa fornicati sunt*. *Haymo*. Ipsi reges sunt Babylon ciuitas, meretrix, id est, pars ciuitatis. Ideoque quod dicit, [*cum illa fornicati sunt*] sensus est, cum seipsis fornicati sunt, plus terrena quam Deum diligentes. [*& in deliciis vixerunt*:] eis abutendo, *Amos* 8. *Conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.* [*cum viderint fumum incendij eius*:] id est, incendium eius fumosum. *Supra* 14. *Fumus tormentorum tuorum ascendet in secula seculorum. Isa.* 34. *Ascendet fumus eius in generationem & generationem.* Haymo.

Vers.10. Longe stantes propter timorem tormentorum eius, dicentes, Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum.

[*Longe stantes propter timorem tormentorum eius:*] Sed quomodo longe stant cum sint ipsa ciuitas, vel pars ciuitatis?

Resp. Secundum *Hieronymum* animo nō corpore longe stabunt. dicent enim, *quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis, Sap. 5.* Stabunt longe per desiderium, aliud scilic. desiderantes, scil. requiem, & aliud patientes, sc. tormenta æterna. Stabunt ergo longe à tormentis non actu, sed voluntate, sicut dicit *Glossa*: quia vellent fugere, sed non poterunt. [*dicentes, væ:*] pro amissione gloriæ, [*væ:*] pro sustinentia pœnæ. vel [*væ*] propter pœnam animæ: [*væ,*] propter pœnam in corpore, *Ezech. 16. Et accidet tibi post omnem malitiam. Væ, væ tibi.* [*væ*] supple habet, [*ciuitas illa magna Babylon:*] magna propter multitudinem impiorum, vel propter enormitatem scelerum. [*ciuitas illa fortis:*] non in virtutibus, sed in vitiis scilicet in persecutione sanctorum, *Ieremiæ 23. Factus est cursus eorum malus & fortitudo dissimilis.* [*quoniam vna hora:*] scilicet hora mortis vel die iudicij. [*venit iudicium tuum:*] id est, damnatio tua. vel [*in vna hora:*] id est, subito, *Ioel. 3. Reddam vicissitudinem tuam cito velociter. Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Fletus regum referri potest ad superbiam vitæ. Fletus vero negotiatorum ad concupiscentiam oculorum, quorum dolorem exprimit cum subdit.

Ver. 11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam,

[*Et negotiatores terræ:*] *Interlinearis*: ad literam, vel pro terrenis animas dantes. [*flebunt & lugebunt super illam:*] Babylonem scilicet damnatam.

Versic. 12. Quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore.

[*Quoniam merces eorum nemo emet amplius:*] *Zachar. vltimo: Non erit vltra mercator in domo Domini exercituum in die illo.* Secundum *Glossam* loquitur Iohannes de negotiatoribus corporalibus & spiritualibus, ad literam, qui merces suas in hoc mundo fraudulenter vendebant, & sic diuitias congregauerunt. Tales dolebunt in morte & in iudicio, & in inferno, eo quod diuitiis illis amissis, videbunt se paupertati expositos. *Gl.* Flebunt & lugebunt, quia illa perire dolebūt in quibus suam reputabunt prosperitatem, & non poterunt amplius vendere vel emere, quod erat eorum vita. vel spirituales negotiatores sunt generaliter mali, qui cœlum dant pro terra, & æterna pro caducis, iustitiam pro pecunia, gloriam Dei, pro laude humana. [*merces auri & argenti:*] supple nemo emet: [*& lapidis pretiosi:*] qui antonomastice dicitur carbunculus. [*& margaritæ:*] id est, cuiusque alterius lapidis pretiosi. [*& byssi:*] quod est lignum Ægypti candidissimum. [*& purpuræ & serici & cocci:*] coccus est flos vnde fit tinctura pulcherrima. Ista supple nemo emet amplius. [*& omne lignum thyinum:*] id est, cedrinum. [*& omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso & æramento, & ferro, & marmore:*] facta vel ornata.

Versic. 13. Et cinnamomum & amomum, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

[*Et cinnamomum & amomum:*] quibus debeatur odoratus & gustus; supple nemo emet. amomum est semen. [*& odoramentorum & vnguentorum:*] vel vnguenti merces supple nemo emet. [*& thuris, & vini, & olei, & similæ:*] simila dicitur flos farinæ. [*& tritici, & iumentorum, & mancipiorum, & animarum hominum:*] nemo merces emet.

†Sed nunquid mancipia homines non sunt, ante animas non habent? quare ergo subdistinguit Iohannes inter ista? † *Haymo proponit hanc quæstionem sic. Nunquid mancipia sine animabus vendi possunt aut emi?*

Respondet *Haymo*, sunt inquit quædam mancipia, quæ tantummodo corpore venduntur, manente interius libertate: & cum corpore serui sint, anima per rectam fidem libera est. Sic *venditus est Ioseph, Genes. 39.* Plerique simul anima caprinantur & corpore saltem secundum ritus exteriores sicut hi, qui paganis aut Iudæis venduntur, quoniam ipsi quos emunt secondum legem suam circumcidunt, *Exod. cap. 12. Omnis seruus emptitius circumcidetur.* vnde mancipia dicuntur illi, qui tantum corpore seruiunt emptoribus suis & non mente sicut Ioseph; animæ vero hominum dicuntur, qui seruiunt mente & corpore. vel mancipia dicuntur illi serui, qui ad tempus venduntur: animæ vero, quæ venduntur ad totam vitam suam.

Spiritualiter in *auro*, sapientia intelligitur propter sui fulgorem & pretiositatem, *Prouerbiorum capite tertio: Omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* & 8. *Melior est fructus eius auro & lapide pretioso.*

In *argento* eloquentia propter sui sonoritatem, *Psalmo 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.*

In *lapide pretioso*, Christus, 1. *Pet. 2. Ponam in Sion lapidem angularem, electum pretiosum.*

In *margaritis*, Apostoli Christi, *Infra 21. Duodecim portæ duodecim margaritæ sunt.*

In *bysso candidissimo*, iustificationes sanctorum, vt dicitur 19.

In *purpura rubea* martyrium.

In *serico* virginitas.

In *cocco* rubeo charitas.

In *ligno thyino* constantia durabilis, quia illud lignum est imputribile.

In *ebore* virtutum pulchritudo.

In *ære* prædicationis sonoritas.

In *ferro* subtilitatis acumen.

In *marmore* inuicta habilitas.

In *cinnamomo & amomo* virtutum odor, *Eccles. 24. Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi.*

In *odoramentis & thure*, orationes sanctorum, *Apocal. 5. Plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.*

In *vnguento*, Christus, *Cantic. 1. Vnguentum effusum nomen tuum.*

Alia litera: oleum effusum.

In *vino* nouum Testamentum mentes auditorum

rum inebrians & mundi concupiscentiis insensibiles reddens. *Zach.* 9. *Vinum germinans virgines*: id est, incorruptas mentes.

In *oleo* vnctio Spiritus sancti, *Isai.* 10. *Computrescet iugum*, scilicet peccati *à facie olei*.

Per *similam & triticum*, caro redemptoris, quæ à fidelibus sumitur, *Iohan.* 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit multum fructum affert.*

Per *iumenta*, electi signantur, *Psal.* 72. *Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.*

Per *oues*, sancti, *Matth.* 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.*

Per *equos*, prædicatores, *Abac.* 3. *Viam fecisti in mari equis tuis.*

Rhedæ etiam signant prædicatores, 4. *Regum* 2. *Pater mi, currus Israel & auriga eius.* *Currus* quia imbecillitatem portant auditorum: *auriga*, quia vt ad destinatum cœlestis patriæ locum tendant, quos portant agitant. per mancipia etiam exprimuntur electi, qui omnino seruituti Dei se subiiciunt. Hæc omnia mentitur se reproborum Haymo. ciuitas habuisse falso & amisisse, vt dicit *Haymo*. quod in iudicio apparebit *cum Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, 1. *Corinth.* 4. & verificabitur illud, *Ierem.* 51. *Cessauerunt fortes Babylonis, deuoratorum est robur eorum, & facti sunt quasi mulieres.*

Sequitur:

Vers. 14. Et poma desiderij animæ tuæ discesserũt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non inuenient.

[*Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te*:] à Babylon. vel [*poma tua desiderii à te*:] secundum aliam literam. Sed prima est verior. Hoc ad literam secundum *Haymonem* fit quoniam hostes de regno in regnum insurgentes non solum depopulantur vrbes, sed & omnia ligna regionis vastant, & incendio cremant. Sed cum certum † del. cætũ MS. sit homines plus † delectari aliis rerum speciebus quam in pomis, propter quod in solis pomorum fructibus adiungit, [*desiderii*:] vel [*desideria animæ tuæ.*] Respondet *Haymo*, in hoc ostenditur, quod non solum in maioribus, sed in minimis valde offenditur Deus, si vltra quam debeant appetantur. *Poma* autem virtutes sanctorum signant, *Cantic.* 4. *Emissiones tuæ* (O tu Ecclesia) *paradisus malorum punicorum*. Babylon se simulate omnia dicit habere, quæ in veritate † dele illud verbũ pars. † *pars* possidet agnus. [*& omnia pinguia & præclara recesserunt à te.*] transierunt omnia tanquã vmbra. [*& amplius illa iam non venient*:] id est, non Psalm. 62. vendentur: cum *Psalmus* dicat: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*: ostendit pinguia illa virtutes esse animarum. quam pinguedinem impia ciuitas se habere mentitur, & ideo dolet se perdidisse, quod se simulat habere.

Alia litera habet, [*non inuenient*:] scilicet præcedentia.

Vers. 15. Mercatores horum qui diuites facti sunt, ab ea longe stabũt propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes, & dicentes:

[*Mercatores horum*:] id est, prædictarum mercium. [*qui diuites facti sunt*:] non virtutibus, sed Haymo. peccatis, sicut dicit *Haymo*. [*ab ea longe stabunt*:] non corpore, sed mente, sicut supra dictum est. [*propter timorem tormentorum eius*:] id est ciuitatis. [*flentes & lugentes ac dicentes.*]

Vers. 16. Væ, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis:

[*Væ, væ ciuitas illa magna*:] Hoc supra expositum. [*quæ amicta erat purpura & bysso & cocco, & deaurata est auro & lapide pretioso & margaritis*:] ex hoc patet quod ipsi homines reprobi sunt ipsa ciuitas. Non enim ciuitas huiusmodi amictum habet, sed homines in ea † habitantes..... vnde † habentes MS. cum flent super Babylonem, super seipsos flent.

Vers. 17. Quoniam vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ: & omnis gubernator, & omnis qui in lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longe steterunt,

[*Quoniam vna hora destituta sunt tantæ diuitiæ*:] id est, cito in aduentu iudicij. [*Et omnis gubernator*:] Hic determinatur de fletu gubernatorum: & dicit *Haymo*: qui supra appellantur reges & Haymo. negotiatores, hic appellantur gubernatores nauium & nautæ, id est, omnis seculi cultores & amatores. [*& omnis gubernator*:] id est, principes & reges, sicut exponit *Hieronymus*. [*& omnis* Hieronym. *qui in lacum nauigat*:] ad quærenda lucra: sicut idem dicit, [*& nautæ*,] ad bella præparanda: sicut idem dicit, [*qui in mari operantur*:] & intelliguntur per istos superbi & auari & malitiosi. [*longe steterunt*:] mente vt prius dictum est, non corpore.

Vers. 18. Et clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes, quæ similis ciuitati huic magnæ.

[*Et clamauerunt videntes locum incendii eius*:] id est, seipsos in igne gehennæ proiectos, *Ezech.* 27. *Nautæ tui & gubernatores tui, cum vniuersa multitudine tua, quæ est in medio tui cadent in medio maris*: id est, in profundo amaritudinis: *in die ruinæ tuæ*, id est, in die iudicij, *Psalm.* 45. *Transferentur montes*, id est, superbi *in cor maris*. [*dicentes, quæ similis ciuitati huic magnæ*:] *Haymo*: quasi dicat, nulla ciuitas magni- Haymo. tudini honoris eius æquari potuit. Oculi enim carnalium nihil magni nouerunt nisi quod oculis corporeis intueri possint.

Vers. 19. Et miserunt puluerem super capita sua, & clamauerunt flentes & lugentes, dicentes, Væ, væ, ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt, qui habebant naues in mari de pretiis eius. quoniam vna hora desolata est.

[*Et miserunt puluerem super capita sua*:] i. e. mentem habuerunt terrenam per amorem, quamdiu fuerunt in hoc mundo. vel melius, se fuisse de materia terrena, mortali, fragili recognoscent, in inferno, & nunc minime perpendunt in mundo. Et dicuntur hic *capita* corda, *Ezech.* 27. *Superiacient puluerem capitibus suis & cinere aspergentur.* [*& clamauerunt*:] id est, clamabunt, *Ezech.* 27. *Nautæ & vniuersi gubernatores maris in terra stabunt & vlulabunt super te voce magna, & clamabunt amare.* [*flentes & lugentes*:] id est, continue dolentes, vt geminatio continuationem fletus

 osten-

oſtendas: vel pōteſt hoc referri ad pœnam animæ & corporis, & ad pœnam ſenſus & damni. [*dicentes: Væ, væ:*] pro pœna duplici, *Eccleſiaſt.* 27. *Plorabunt te in amaritudine animæ planctu amariſsimo.* [*Ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes, qui habebant naues in mari,*] conducendas, vel merces in nauibus maris. Multi enim negotiatores ditantur in hoc ſeculo ex his, quę nauigio inferuntur. [*depretiis eius:*] id eſt, de mercibus, quæ in ea pretio emebantur & vendebantur. & ideo væ, væ, [*quoniam vna hora deſolata eſt:*] id eſt, omni gaudio & ſpe † deſtinata, ſubito adueniente die iudicij, *Iob.* 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.*

† *lege deſtituta.*

Beda: Non ſolum iacturam diuitiarum, ſed & repentinam improuiſamque deflent ruinam ſeculi fallentis, *Ieremia* 51. *Euigilabit cautra Babylonem cogitatio Domini, vt ponat terram Babylonis deſertam & inhabitabilem.*

Verſic. 20. Exultate ſuper eam cœli & ſancti Apoſtoli & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa.

[*Exultate ſuper eam cœli:*] Poſt fletum reproborum, agitur hic de lætitia ſanctorum: &

Primo inuitantur ſancti ad exultandum.

Secundo oſtēditur ratio exultationis eorum: *quoniam iudicauit Deus.* Dicit ergo:

[*Exultate ſuper eam:*] ſcilicet Babylonem. [*cœli:*] id eſt, conſcij ſecretorum Dei. & ſequitur ſpecificatio cum dicitur: *& ſancti Apoſtoli:* id eſt, maiores ſancti, qui futura bona de longe proſpiciunt, vt ad ea tendant: & futura mala, vt ea caueant: & ſic poſſent dici prophetæ omnes ſancti. vel per cœlum poſſumus intelligere Angelos præſentium ſecretorum Dei conſcios: per Apoſtolos conſcios præteritorum: per Prophetas conſcios futurorum, non ad monentur ſancti exultare ſuper damnis impiorum, ſed ſuper iudiciis Dei, quibus Deus iuſte mundum iudicat. vnde ſubditur: [*quoniam iudicium veſtrum Deus indicauit de illa:*] ſcilicet Babylone. [*veſtrum*] dicit quia ab eis quæſitum. *Supra* 6. *Vſquequo Domine ſanctus & verus. non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra?* vel ideo dicit *veſtrum*, quia pro iniuria eis illata. ideo enim iuſtæ damnabuntur, quia iniuſtæ ſancta damnauerunt.

Verſ. 21. Et ſuſtulit vnus angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens, hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna: & vltra iam non iuuenietur.

[*Et ſuſtulit vnus angelus fortis lapidem quaſi molarem:*] Hic oſtenditur damnationis Babylonis exemplum: vbi

Primo tangitur amaritudo pœnæ.

Secundo ablatio humanæ lætitiæ: *& vox citharædorum.* Dicit ergo:

[*Et ſuſtulit vnus angelus:*] Chriſtus ſcilicet paternæ voluntatis nuntius. [*vnus:*] quia *vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus,* 1. *Tim.* 2. [*fortis:*] qui aereas poteſtates deuicit, *Iob.* 10. *Si fortitudo quæritur robuſtiſsimus eſt.* [*lapidem quaſi molarem magnum:*] id eſt, impiam multitudinem, quæ dicitur lapis propter duritiam obſtinationis. [*magnum:*] propter magnitudinem & multitudinem malorum. [*molaris,*] propter circuitum mundanæ ſolicitudinis, *Pſalm.* 11. *In circuitu impij ambulant.* Per molam actio temporalis ſignatur, *Matth.* 24. *Erunt duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & vna relinquetur.* Lapis molaris manus pondus ſignat peccatorum quod ex temporali actione contrahitur. [*& miſit in mare:*] mare ſignat amaritudinem pœnæ gehennalis, *Exod.* 15. *Equum & aſcenſorem proiecit in mari:* quia peccatorem & diabolum in amaritudinem pœnæ æternæ proiiciet. [*dicens: hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna:*] id eſt, ſicut lapis eleuatus in altum maiori impetu deſcendit: ſic impij modo permittuntur eleuari, vt grauius corruant: iuxta illud:

——*Tolluntur in altum*
Vt lapſu grauiore ruant.——

Pſalm. 72. *Deieciſti eos cum alleuarentur. Iob.* 30. *Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me valide.* [*hoc impetu:*] in hac velocitate, [*mittetur Babylon ciuitas illa magna:*] *Exod.* 15. *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. Ieremia cap.* 51. *Cum compleueris legere librum iſtum, ligabis ad eum lapidem, & proiicies eum in medium Euphraten: & dices: ſic mergetur Babylon.* [*& vltra non inuenietur:*] in ſocietate ſcilicet ſanctorum, cum quibus modo permiſta eſt. Tunc ſeparabuntur oues ab hœdis, *Matth.* 25. *Et ibunt illi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.*

Quod dicitur hic [*vltra non inuenietur,*] eſt contra hæreſin illam, quæ dicit reprobos poſt mille annos ab inferno liberandos: quæ habuit occaſionem ex illo verbo, *Iſai.* 24. *Et poſt multos dies viſitabuntur.* Sed hæc viſio referendæ eſt ad diem iudicij, quando de inferno exibunt, vt ſumptis corporibus audita ſententia in infernum in perpetuum claudentur, *Matth.* 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* *Nota.*

Ver. 22. Et vox citharædorum, & muſicorum, & tibia canentium & tuba, non audietur in te amplius: & omnis artifex, omnis artis non inuenietur in te amplius, & vox molæ non audietur in te amplius.

[*Et vox citharædorum:*] Hic oſtenditur quod conſolatio auferetur à reprobis. &

Primo oſtenditur hoc de conſolatione pertinente ad auditum.

Secundo de conſolatione pertinente ad guſtum: *& vox molæ.*

Tertio de pertinente ad viſum: *& lux lucernæ.*

Quarto de pertinente ad tactum: *& vox ſponſi.* Dicit ergo:

[*Et vox citharædorum, & muſicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius:*] quaſi conſolatio pertinens ad auditum deficiet ibi, 1. *Regnum* 2. *Impij in tenebris conticeſcent.* 1. *Machab.* 9. *Conuerſa ſunt nuptiæ in luctum, & vox ſponſi in lamentum.* [*& omnis artifex, & omnis ars non inuenietur in te amplius:*] ibi nullum officium vel artificium erit ibi vnde luctus poſſet acquiri vel mereri apud Deum, *Eccleſiaſt. capite nono: Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus nec ratio, nec ſapientia nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Quod hic dicitur, [*omnis ars non inuenietur,*] videtur facere ad hoc quod philoſophi ſcientiam ſuam ibi amittant. [*& vox molæ non audietur in te amplius:*] quæ

quæ est ad saporem vel ad panem præparandum: & † committit sermunē ad Babylonem, ad maiorem eius confusionem. *Glossa ibi:* Non exquirentur delicatissimi panes.

† forte leg. conuertit.

Vers 23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes.

[*Et lux lucernæ non lucebit ibi:*] id est, ad tuam delectationem, vel vtilitatem amplius, *Ecclesia. 11. Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem. Iob. 21. Lucerna impiorum extinguitur.* Tunc non poterit sol videri ab eis, quia stabit in oriente vbi creatus est, *Abacuc. 3. Sol & luna steterunt in habitaculo suo.* Non descender amplius sub terraneeis lumine perfruantor damnati, vt dicit Isidorus. [*Et vox sponsi & sponsa:*] id est, carmen nuptiale, vel cantus, qui solet audiri in nuptiis, [*non audietur adhuc in te:*] in inferno scilicet vbi eris, *Ierem. 25. Perdam ex eis vocem gaudii & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molæ & lumen lucernæ.*

Isidorus.

[*Quia mercatores:*] Hic ostenditur quare Babylon prædictis priuetur.

Prima causa est inordinatio concupiscibilis.

Secunda est inordinatio rationalis: *quia in veneficiis.*

Tertia inordinatio irascibilis: *& in ea sanguis Prophetarum.* Dicit ergo:

[*Quia mercatores:*] Ideo scilicet prædicta non inuenientur in te, [*quia mercatores*] tui qui vt honores temporales sibi acquirāt infelici commercio animas suas commutaōt, vt dicit *Haymo. Erant principes terræ;* scilicet tuæ. *Isai. 24. Negotiatores eius principes.* Hoc multum nocet hodie Ecclesiæ Dei scilicet, quod quando eligendi essent pastores eliguntur mercatores. *Baruch. 3. Filii Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores terræ, viam autem sapientiæ nescierunt.* [*quoniam in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes:*] id est, aliqui de omnibus gentibus. veneficia vocat venenatas persuasiones eius.

Haymo.

Ver. 24. Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inuentus est, omnium qui interfecti sunt in terra.

[*Et in ea sanguis sanctorum & prophetarum inuentus est:*] id est, sanguinis effusio, *Isaia 1. Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* [*& omnium qui interfecti sunt in terra*] supple sanguis inuentus est in ea. Impia enim in ciuitate & boni & mali occiduntur. nec excusat occisorem occisi nequitia, vt dicit *Interlinearis. Ierem. 2. In alis tuis inuentus est sanguis pauperum & innocentium.*

Cap. XIX.

VErs. 1. Post hæc audiui quasi vocem tubarum multarum in cœlo dicentium, Allelu-Ia.

[*Post hæc audiui quasi vocē magnam tubarum multarum, &c.*] Hic incipit quarta pars illius partis in qua agitur de contingentibus ad damnationem Babylonis: in qua ponitur Dei glorificatio.

Primo pro effectu iustitiæ in damnatione Babylonis, ibi: *quia vera & iusta sunt iudicia.*

Secundo pro effectu misericordiæ in saluatione Ecclesiæ: *& audiui vocem.* Vbi tangitur triplex cœtus laudantium.

Primus est prædicatorum, qui per tubas intelliguntur, cum dicitur: *Et audiui quasi vocem tubarum.*

Secundus est seniorum scilicet patrum noui & veteris Testamenti: *& ceciderunt.*

Tertius est seruorum & timentium Deum: *& vox de throno.*

Prædicatores participant Dei sapientiam.

Seniores habent æmulationem bonitatis.

Serui timorem & reuerentiam maiestatis. Dicit ergo:

[*Post hæc:*] id est, post prædictam visionem, & non est diuersitas temporis, sed ordo narrationis. [*audiui quasi vocem magnam:*] Ista vox magna, sicut dicit *Haymo*, est tragium sanctorum desideriorum. [*tubarum multarum:*] Tubæ sunt prædicatores. tuba enim sine strepitu ab interioribus sonum accipit quem exterius profert: sic prædicatores sine vocis sono prius recipiunt in corde per internam inspirationem, quā † prius effundunt exterius per prædicationem. secundum illud, *Matth. 10. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Isai. 58. Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* [*in cœlo:*] id est, in Ecclesia triumphante, in qua erant per conuersationem, dum adhuc viuerent, *Philipp. 3. Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.* Licet multæ nominentur tubæ tamen dicit *vocem* in singulari, quia licet multi sint prędicatores, vnam tamen vocem concordem emittunt, quia quod loquitur in vnius fidei concordia consistit. [*dicentium, Alleluia:*] Alleluia sicut dicit *Beda*, dicitur laudate Dominum. vnde Psalmi, qui principium habent, [*Laudate Dominum,*] apud Hebræos ab Alleluia incipiunt. *Haymo* tamen dicit quod Græcum est. sancti prędicatores Alleluia dicunt, quia Deum verbo & opere laudant. Sed si Alleluia idem est quod *laudate Dominum*, quare post Alleluia subditur *laus & gloria.*

Haymo.

† forte lege, post.

Haymo.

Resp. Quia expositiuum est eius, quod præcedit. vnde dicit *Haymo*. hoc est, Alleluia dicere, scilicet Deo laus: deinde exponit alia sic: *& gloria:* id est, honor & exaltatio. *& virtus Deo nostro:* quia ipse vicit Diabolum, & electis suis potestatem vincendi tribuit. Et quod dicitur Alleluia, ad Dei laudem humanis verbis inexplicabilem pertinet. quod autem subditur,

Versic. 2. Laus & gloria, & virtus Deo nostro est: quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.

[*Laus & gloria & virtus:*] referri potest ad Trinitatem personarum. laus ad bonitatem, quæ attribuitur patri, [*quia vera & iusta iudicia eius sunt*] hic primo ratio laudis. [*vera*] quidem, promissa reddendo, vel prædicta implendo. [*iusta*] vero vnicuique secundum merita retribuendo, *Psalmo 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Secundo culpa Babylonis duplex: vna respectu sui, quia seipsam corrupit, cum subditur. *qui iudicauit, &c.* alia respectu bonorum quos afflixit, ibi: *& vindicauit sanguinem.*

vnde *Beda*: Duo facta meretricis commemorat, quæ se videlicet male corruperit, & bonos persecuta sit: quibus duobus reos cuncta crimina prauorum comprehendi. Dicit ergo:

[*Qui iudicauit*:] iudicio condemnationis, [*de meretrice magna*:] scilicet Babylone. *Supra* 17. *Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ.* [*quæ corrupit terram*:] id est, seipsam. [*in prostitutione sua*:] id est, in immunditia carnis, & in dilectione terrum terrenarum plus quam cœlestium. *Supra* 17. *Inebriati sunt, qui habitant terram de vino prostitutionis eius.* [*& vindicauit sanguinem seruorum suorum*:] id est, puniuit. *Deuter.* 32. *Sanguinem enim*, Christi scilicet, *vlciscetur.* *Psalm.* 78. *Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est.* *Supra* 17. *Quia sanguinem sanctorum fuderunt, & sanguinem dedisti eis bibere*, id est pœnam pro sanguinis effusione, *de manibus eius*, scilicet Babylonis. *Matth.* 23. *Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.*

Et notandum etiam quod Dominus indicabit sanguinem seruorum suorum in illis qui pauperibus auferunt ea, vnde debent viuere, & quæ sudore multo acquisierunt: quam rapinam Scriptura sacra vocat sanguinis effusionem, *Ecclesia.* 34. *Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum homo sanguinis est.* Et in eodem: *Qui aufert panem in sudore, quasi qui occidit proximum suum.*

Vers. 3. Et iterum dixerunt, Allelu-Ia. Et fumus eius ascendit in secula seculorum.

[*Et iterum dixerunt Alleluia*:] id est, laudauerunt Deum. Per hanc iterationem, vt dicit *Interlinearis* debemus intelligere laudem esse æternam. vel potest dici quod Sancti primo laudauerunt Deum, quia iudicauit de meretrice, quæ seipsum corrupit, & sic vindicauit peccata, quæ in seipsa commisit, non autem laudant Deum, quia vindicat sanguinem sanctorum, id est, peccata, quæ commisit in effusione sanguinis eorum, *Ecclesiast.* 12. *Impiis & peccatoribus reddet Deus vindictam*: impiis in alios & peccatoribus in se. [*& fumus eius ascendit in secula seculorum*:] In fumo ratione obscuritatis pœna damni ostenditur, quæ est carentia visionis diuinæ: ratione adustionis qua pronocet lachrymas pœna sensus proueniens. ex adustione ignis gehennalis. & ostenditur incensio vel acerbitas pœnæ, quæ non remittitur in hoc quod dicitur, [*ascendit*:] perpetuitas vero in hoc quod dicitur, [*in secula seculorum*:] *Supra* 14. *Fumus tormentorum eius ascendit in secula seculorum.* Vel in fumo potest notari pœna debita errorum rationis, & secundum hoc notantur hic pœnę quoad tres vires animæ: Pœna

Quoad concupiscibilem ibi, *iudicauit de meretrice.*

Quoad irascibilem, *indicauit sanguinem.*

Quoad rationalem, *ascendit fumus.*

Vers. 4. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes, Amen, Allelu-Ia.

[*Et ceciderunt*:] Hic ostenditur secundus cœtus laudantium Deum, cœtus scilicet seniorum: [*& ceciderunt*:] scilicet humiliando se. [*viginti quatuor seniores*:] id est, omnes sancti iudices, qui qui dicuntur seniores propter morum maturitatem & sapientiam, *Iob.* 12. *In antiquis est sapientia & in multo tempore prudentia.* Et dicuntur viginti quatuor propter patres veteris Testamenti ac noui. Duodecim enim patriarchæ fuerunt in veteri Testamento, & duodecim in nouo. [*& quatuor animalia*:] id est, doctores vniuersi Ecclesiæ, & signantur in quatuor animalibus, quæ gerunt figuram quatuor Euangelistarum. Vel per viginti quatuor Seniores, & quatuor animalia Ecclesiam electorum intellige. quia enim subiectorum facta examinat, recte per Seniores intelligitur. quia vero interne & externe viriditatis pascuam inquirit, recte per animalia signatur: de quibus pascuis, *Ezech.* 34. *In pascuis vberrimis pascam eos.* [*Et adorauerunt Deum sedentem super thronum*:] thronus Dei Ecclesia est. thronus enim Ecclesia est Dei. Thronus enim est sedes iudiciaria, & Deus in Ecclesia merita singulorum diiudicet, *Supra* 4. Cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in secula seculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum.

[*Dicentes*: *Amen*, *Alleluia*:] *Haymo*: id est, verum est quia Deo nostro est laus & gloria. [*Amen*] enim interpretatur verum: [*Alleluia*,] laudate Dominum. Maiores, qui per viginti quatuor Seniores, & quatuor animalia intelliguntur, & ex se testimonium dant, & testimonium minorum confirmant.

Versic. 5. Et vox de throno exiuit, dicens, laudem dicite Deo nostro omnes serui eius: & qui timetis eum pusilli & magni.

[*Et vox de throno*:] Hic ostenditur tertius cœtus laudantium Deum, scilicet seruorum & Deum timentium. & ponitur admonitio ad laudandum Deum: [*& vox*,] id est, exhortatio exit de throno, id est, de Ecclesia, in qua Deus sedet singulorum merita diiudicans. [*dicens, laudem dicite Deo nostro*:] *Ecclesiast.* 43. *Benedicentes Dominum exaltate eum quantum potestis.* maior enim est omni laude. Ad laudandum Deum creati sumus, *Deuteron.* 26. Quos creauit in laudem & nomen & gloriam suam. [*Omnes † serui eius*:] Hoc dicitur ad differentiam seruorum peccati, *Eccles.* 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris, quia non est à Domino missa.* [*& qui timetis Deum*:] timore scil. casto, qui est timor sc. permanès in seculum seculi. [*pusilli & magni*,] pusilli, vt dicit *Haymo*, sunt in Ecclesia, qui non possunt penetrare altiora mysteria, quibus dicitur, 1. *Cor.* 3. *Nō potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. tanquā paruulis in Christo lac vobis potum dedi nō escam, nondum enim poteratis.* Magni sunt, de quibus *Matth.* 5. *Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cœlorum*: id est, in Ecclesia. Parui enim & magni ibi sunt, *Iob. capite tertio.* † *sancti eius.* *liter.* *Haymo.*

Versic. 6. Et audiui quasi vocem tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium, Allelu-Ia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens.

[Et

[*Et audiui quasi vocem, &c.*] Hic ponitur glorificatio pro effectu misericordiæ in saluatione electorum. &

Primo audit bic Iohannes vocem exhortantium ad laudem Dei,& exprimentium laudis rationem.

Secundo ad gaudium Dei, etiam glorificationem: *gaudeamus & exultemus*. deinde

Tertio audit vocem allicientium ad beatitudinis amorem: *scribe: beati mortui*.

Quarto dicit ei angelus hominis dignitatem: *& cecidi ante pedes eius, &c.* Dicit ergo:

Haymo. [*Et audiui quasi vocem tubæ magnæ:*] *Haymo*: Magna vox canentium, & magna est deuotio sanctorum, quæ recte tubæ comparatur, quia magna prædicat. Vel, secundum *Glossam*, vox tubæ dicitur eorum, qui fuerunt tubæ in mundo, *Isaiæ* 58. *Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* [*& sicut vocem aquarum multarum:*] id est, populorum multorum, supple audiui, *Supra* 17. *Aquæ populi sunt & gentes.* In hoc signatur quod electi sunt ex multis populis collecti, *Matthæi cap.* 8. *Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.* [*& sicut vocem tonitruorum magnorum*,]....... in quo terror exponitur. Sanctorum enim exultatio terrebit impios, *Sapient.* 5. *Videntes turbabuntur timore horribili.* [*dicentium Alleluia:*] id est, laudate Dominum. vel [*dicentium Alleluia:*] id est, laudem homanis verbis explicabilem. [*quoniam regnauit*,] id est, regnabit, [*Dominus Deus noster omnipotens:*] in quo ostenditur ratio laudis: & est intelligendum de regnatione manifesta. prius enim occulte regnabat. Tunc implebitur quod petit Ecclesia dicendo: *Adueniat regnum tuum.* Dicitur

Dominus, quoad creationem, quia tunc factus est Dominus actu.

Deus quantum ad gubernationem, quia idem sonat quod videns.

Noster quantum ad redemptionem, quia in incarnatione factus est noster. *Paruulus natus est nobis, & factus est principatus super humerum eius*, *Isaiæ cap.* 9.

Omnipotens, quoad remunerationem. In iudicio enim eius potentia apparebit. tunc enim incuruabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa, *Isai.* 2.

Quod dictum est *regnauit*, potest referri ad diuinæ essentiæ vnitatem: quod dictum est, *Dominus Deus noster omnipotens*, ad personarum Trinitatem.

Vers. 7 Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerũt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.

[*Gaudeamus:*] Hic ponitur exhortatio ad gaudendum & glorificandum Deum, & hoc primo.

Secondo ratio gaudendi & glorificationis: *quia venerunt.* Dicit ergo:

[*Gaudeamus:*] mente: [*& exultemus:*] corpore. [*& demus gloriam ei:*] sermone. vel [*gaudeamus:*] pro dotibus animæ: vnde *Interlinearis*, beatitudinem animæ babentes. [*& exultemus*] pro dotibus corporis. *Interlinearis*: in corpore glorificato, *Isai.* 65. *Gaudebitis & exultabitis vsq; in sempiternum.* [*& dicemus gloriam ei:*] *Psal.* 114. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Isai.* 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.* [*quia venerunt nuptiæ Agni:*] id est, Christi innocentis pro nobis immolati. Copulata enim manifeste nunc est Ecclesia Christo per † gratiam, quia propter hoc passus est, & in futurũ copulabitur per gloriam. vnde *Beda*: Nuptiæ sunt agni cum Ecclesia Domino in thalamo regni cœlestis sociabitur. [*& vxor eius:*] Agni scilicet. *† Constan M.S.* *Beda.*

Haymo: Nunc sancta Ecclesia sponsa est, cum autem ad amplexum viri sui fuerit producta, & quod nunc tenet in spe, tenuerit in re, tunc erit vxor. [*præparauit se:*] in quo ostenditur idoneitas sponsæ respecto coniunctionis Christi, quia *Matthæi* 25. *Quæ parata erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Ponitur autem hic præteritum pro futuro propter certitudinem, quia ita certum est, ac si iam factum esset. vel iam factom est in præscientia. Et ne hanc idoneitatem meritis suis attribuat, subditur. *Haymo.* *Præteritum pro futuro.*

Vers. 8. Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinũ enim, iustificationes sunt sanctorum.

[*Et datum est illi:*] à Deo à quo est omne bonum. [*vt cooperiat se byssino splendenti & candido:*] secundum *Priscianum* media producta debet dici, licet alij aliter pronunciant. Alia litera habet, [*vt cooperiat se byssinum splendens candidum.*] Byssinus est genus ligni candidissimi: Byssinum vero est vestis de bysso; in quo signatur, vt dicit *Haymo*, quod sanctorum conscientia nullis peccatorum maculis confuscatur, *Ephes.* 5. *Dilexit Christus Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ vitæ in verbo, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Infra* 21. *Non intrabit aliquid coinquinatum in illam.* *Priscianus.* *Haymo.*

Byssinum splendere debet quoad alios quantum ad bonam famam, & esse candidom in se quantum ad bonam conscientiam. [*Byssinũ enim iustificationes sanctorum sunt:*] quia candidæ sunt interius in conscientia quoad se, & splendidæ exterius quoad alios, *Iob.* 29. *Iustitia indutus sum, & vestiuit me sicut vestimento, & diademate iudicio meo.*

Vers. 9. Et dixit mihi, scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt, & dicit mihi: hæc verba Dei vera sunt.

[*Et dixit mihi:*] Hic allicit ad amorem beatitudinis, quia

Primo hortatur ad scribendum.

Secundo ostendit quare scribendum: *& dixit mihi hæc verba scribe*: in corde tuo vel in libro, vt † preueniat ad posteros. *† perueniat.*

[*Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt:*] Si vocatio beatum faciet, quid faciet ipsa cœna? & non solum vocatio facit beatum, sed etiam esuries, *Matth.* 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.*

Videtur tamen contrarium esse quod hic dicitur ei quod legitur, *Matth.* 22. vbi Dominus dicit seruis: *Ite ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias.* & sequitur: *Egressi serui illius congregauerunt omnes bonos & malos.* nõ ergo omnes vocati ad cœnam beati sunt. *Obiectio.*

Resp. Hic fit sermo de aduocatis ad cœnam, *Matth.* 22. de vocatis ad prandium. vnde ibi dicitur: *Dicite inuitatis, prandium meum paraui.* prandium pertinet ad gratiam, cœna ad gloriam. *Responsio.*

Obiectio. Sed adhuc obiicitur de hoc quod legitur, *Luc.* 14. de vocatis ad cœnam: *Nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

Reſponſio. Reſp. Multiplex eſt vocatio ad cœnam.

Vna per prędeſtinationẽ, de qua fit hic ſermo.

Alia per præſentem iuſtitiam.

Tertia per prædicationem, de qua poteſt intelligi, quod in *Luc.* dicitur.

[*Et dixit mihi hæc verba Dei vera ſunt:*] & ideo certe ſcribenda, *Numer.* 23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.*

Verſ. 10. Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Et dicit mihi, vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrũ tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ.

[*Et cecidi ad pedes eius.*] Hic oſtenditur hominis dignitas. &

Primo oſtenditur circa hæc Iohannis humilis obedientia.

Secundo eius reuerentia: *vt adorem.*

Tertio dignitas humana: *vide ne feceris.*

Quartu cui adoratio adhibenda: *Deum adora.*

Dicit ergo:

[*Et cecidi ad pedes eius:*] *Gloſſ.* Quia maiorem me eum intellexi obedire paratus fui.

Obiectio. Sed cum angelus membra corporea non habeat, quomodo ad pedes eius cecidit?

Solutio. Reſp. Angelus qui apparuit corpus aſſumpſit. [*vt adorarem eum:*] Quæritur an voluerit eum adorare latria an dulia? Si latria, ergo peccauit, cum illa ſoli Deo exhibenda ſit. ſi dulia, non debuit prohiberi. hoc enim erat bonum Iohanni, angelo debitam reuerentiam exhibere.

Reſp. Voluit eum adorare, ſed dulia, quæ eſt honor exhibendus creaturæ. nec prohibuit eum angelus, ſed monuit ne hoc faceret, vt exemplũ humilitatis daret, & vt dignitatem humanæ naturæ oſtenderet, quæ in Chriſto erat exaltata ſuper omnes angelos. [*Et dixit mihi, vide:*] id eſt, caue, [*ne feceris:*] *Beda.* *Beda:* Poſtquã Dominus Ieſus hominem aſſumptum ſuper cœlos eleuauit, angelus ab homine timuit adorari, ſuper ſe adorans hominem Deum, quod ante incarnationem Domini ab hominibus factum, & nequaquam ab angelis prohibitum vel admonitum legimus, *Geneſ.* 18. *Abrahæ apparuerunt tres viri, & cucurrit & adorauit, nec prohibitus fuit.*

Sed quæritur quo timore timuerit angelus adorari? vtrum timore pœnæ aut ſeparationis? † ergo timore reuerentiæ. & contra timor reuerentiæ proprie & reſilitiũ à maioritate vel altitudine eius qui timetur, in propriam paruitatem: ſed nũ ſic ſe habet humana natura ad angelicam.

† videtur al quid deeſſe: ſupple forſan: ſi neutro ergo, &c.

Reſp. Si conſideretur humana natura in ſe, hoc verum eſt: ſi vero vt eſt vnita diuinæ, ſic poteſt eſſe timor reuerentiæ, in angelo reſiliente ab altitudine humanæ naturæ vnitate diuinæ, in propriam paruitatem. [*conſeruus enim tuus ſum:*] *Haymo.* *Haymo:* id eſt, verum Deum & Dominum habemus: & non ſolum ſum conſeruus tuus, ſed etiam [*fratrum tuorum:*] id eſt, fidelium hominum, qui ſunt fratres per gratiam. vnde ſubditur: [*habentium teſtimonium Ieſu:*] id eſt, gratiam Spiritus ſancti, quæ teſtificatur ipſus eſſe ſeruos Ieſu, *Roman.* 8. *Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* [*Deum adora:*] *Matth. cap.* 4. *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies.* quaſi eum adoraui cuius perſona tibi appareo, ſcilicet Chriſtum. [*Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ:*] quia omnis lex & propheta Ieſu deſeruit, *Actor.* 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.*

Verſ. 11. Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat.

[*Et vidi cœlum apertum:*] Hic incipit ſecunda pars huius ſextæ viſionis, in qua agitur de damnatione beſtiæ, id eſt, Antichriſti & Pſeudoprophetæ: & extenditur vſque ad viceſimum Capitulum. & poteſt diſtingui in tres partes. In quarum

Prima oſtenditur aduentus Chriſti, quaſi regis cũ ſuo exercitu ad perdendum Antichriſtum.

In ſecunda ex oppoſito oſtenduntur beſtia & eius exercitus congregati ad prælũ contra Chriſtum, & exercitum eius; *Et vidi beſtiam.*

In tertia oſtenditur apprehenſio beſtię & ſuorum, & damnatio eorum: *Et apprehenſa eſt beſtia.*

In prima primo oſtenditur aduentus Chriſti cum ſuo exercitu.

Secundo inuitantur ſancti ad lætandum in damnatione eorum, qui adhæſerunt Antichriſto: *Et vidi vnum angelum.*

In prima primu deſcribitur Chriſtus.

Secundo eius exercitus; *Et exercitus qui ſunt in cœlo:*

Tertio oſtẽditur Chriſti poteſtas: *& de ore eius.*

Vbi vero Chriſtus deſcribitur primu tangitur de eius incarnatione: *& ecce equus albus.*

Secundo de eius paſſione: *& veſtitus erat.*

Dicit ergo: [*Et vidi cœlum apertum:*] Eccleſia dicitur cœlum, quia alta eſt vitæ ſublimitate & à terrenis ſublimata. ſecundum illud *Iſai.* 58. *Suſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Ipſa etiam fulget maioribus ſanctis & minoribus, quaſi luminaribus & maioribus & minoribus. Hoc cœlum apertum eſt quoniam myſteriorum reuelatio facta eſt. vel cœlum poteſt hic dici Scriptura, quod cœlum in reuelatione myſteriorum apertum eſt. vel cœli ianua aperta eſt, quæ prius per peccatum hominis erat clauſa. [*Et ecce equus albus:*] *Haymo:* per equũ album corpus & animam Chriſti intelligere debemus. per ſeſſorem equi diuinitatem verbi, quę præſidet ſuæ humanitati. hunc equum tunc diuinitas aſcendit, quando verbum Dei humanam naturam ſibi vniuit. Hic equus portat verbum Dei contra Diabolum, *Prouerb.* 21. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuet.* Ita paratio fuit humanæ naturæ aſſumptiu. Iſte equus albus dicitur, quod Chriſtus *peccatum non fecit,* 1. *Pet.* 2. *Supra* 6. *Vidi & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum;* arcum ſcilicet Scripturæ ſacræ. [*& qui ſedebat ſuper illum vocabatur fidelis & verax:*] in ſeſſione † intelligere viſionem diuini verbi adhibitam naturam, & ſuperioritatem diuinitatis ad humanitatem. [*vocatur fidelis & verax:*] *Supra* 3. *Hæc dicit Amen, teſtis fidelis & verus.* *Gloſſ.* [*fidelis*] quia promiſſa implet: [*verax,*] quia ipſe eſt veritas & veraces facit. vel [*fidelis*] corde: verax ſermone, *Deuter.* 32. *Deus fidelis & abſque vlla iniquitate. Iohan.* 3. *Qui acceperit teſtimonium, ſignauit*

Haymo.

† forte lege ſeſ: intelligere non modo ſionem verbi ad humanã naturam, & ſuperioritati, &c.

quoniam

quoniam Deus verax est. [*& cum iustitia iudicat:*] secundum vtramq; naturã. Iudicat enim vt Deus auctoritate iudicat † vt hoc ministerio, *Ioh. 5. Dedit ei pater iudiciũ facere quia filius hominis est.* Indicat autem cum iustitia, *Isai. 11. Iudicabit in iustitia pauperes.* [*& pugnat:*] pro suis electis.

† lego, vt homo ministerio.

Primo vicit diabolum per se,

Nunc vincit in membris suis, *Isa. 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos. Deutero. 1. Dominus Deus qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit.*

Vers. 12. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa. habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse.

[*Oculi autem eius sicut flamma ignis:*] In quo tangitur plenitudo gratiæ Christi. Oculi enim Christi sunt dona Spiritus sancti, *Supra 5. Vidi agnum tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Illi oculi sunt sicut flamma ignis qui intellectum † ...... ad cognitionem veri, & accendunt affectum ad amorem boni.

† supple format, illuminant.

[*Et in capite eius multa diademata:*] In quo ostenditur quod Christus virtute diuinitatis triumphat. *Caput enim Christi Deus est, 1. Cor. 11.* In hoc capite sunt multa diademata, id est, multæ coronæ, quia virtute diuinitatis ipse & sui vincunt & coronantur, *Sap. 5. Accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.*

[*Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse:*] in quo ostẽditur quod notitia incarnationis infidelibus causa est. Hoc nomen est Deus homo, vel Emmanuel, *Isaia 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Vel hoc nomen est Iesus. ipsi enim soli conuenit esse Iesum, id est, saluatorem auctoritate & ministerio, *Matthæi 1. Vocabit nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Nec per hoc quod dicit, *nemo nouit nisi ipse*, excluduntur Pater & Spiritus sanctus, quia quorum est inseparabilis substantia est inseparabilis scientia.

Haymo. *Haymo:* Nec per hoc excluduntur fideles, quia sumitur Christus pro capite & membris. simile *Iohan. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* Falsi autem Christiani etsi simplici notitia sciant nomen Christi, tamen non noscunt experiendo suauitatem vnctionis, quam nomen eius sonat. Christus enim interpretatur vnctus.

Vers. 13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocatur nomen eius, verbum Dei.

[*Et vestitus erat:*] Hic tangitur de passione Christi primo:

Deinde ostenditur vnio verbi Dei ad humanam naturam: *& vocabatur.* Dicit ergo:

[*Et vestitus erat veste aspersa sanguine:*] id est, carne, sanguine passionis cruentata, *Isai. 63. Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari.* Caro Christi creditur fuisse cruentata sanguine septies: scilicet

In circumcisione, *Luc. 2.*

In prolixa oratione quando factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, *Luc. 22.*

In coronatione de spinis, *Iohan. 19.*

In flagellatione ad columnam, *Matth. cap. 27.*

In manuum & pedum crucifixione, &

In lateris apertione, de qua *Iohan. 19. Et vocabatur nomen eius, verbum Dei:* Filius verbum Dei patris, id est, declaratiuus eius sicut verbum declarat mentem loquentis.

Beda: Vocatur nomen eius verbum Dei, quia idem qui homo passurus ad tempus apparuit, *in principio Deus apud Deum erat, Iohan. 1. Et verbum erat apud Deum.* Beda.

Vers. 14. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.

[*Et exercitus:*] Postquam descripsit Iohannes Christum, hic describit eius exercitum: vnde dicit: [*& exercitus qui sunt in cœlo:*

Beda: Ecclesia quæ cœlum dicitur, rationibus prædictis, propter agonem certaminis sui, iure nomen accepit exercitus. vnde *Cant. 6.* dicitur, *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* [*sequebantur eum in equis multis albis:*] id est, imitabantur eum parati pugnare ad exemplum Domini. *Beda:* In cœlo sequebantur, id est, Ecclesia in corporibus candidis imitabatur eum. vnde equi albi sunt corpora ab omni peccato munda. Beda.

Haymo: Equus est vnicuiq; animæ sanctæ corpus suum quod scit & ab illicitis fræno temperantiæ restringere, & rursus charitatis impulsu in exercitationem boni operis relaxare. Sequuntur autem Christum, qui parati sunt pugnare ad eius exemplum, *1. Petr. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.*

[*Vesti byssino albo & mundo:*] In bysso intelligitur iustitia, in albedine innocentia, in munditia puritas carnis.

Ver. 15. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus: vt in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

[*Et de ore eius:*] Hic ostenditur potestas Christi in qua est damnatio reproborum primo: &

Secundo saluatio electorum, ibi: *& habet in vestimento.*

In prima primo ostenditur sententia eius terribilis, cum vocatur gladius ex vtraque parte acutus.

Secundo irreuocabilis; *& ipse reget eas in virga ferrea.*

Tertio ostenditur locus punitionis: *& ipse calcat torcular.*

Dicit ergo: [*Et de ore eius:*] scilicet Christi. [*procedit gladius:*] id est, exibit sententia, *Matt. 25. Tunc dicet rex his, qui à sinistris erunt ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*]*ex vtraque parte acutus:*] quia pertinget ad punitionem animæ & corporis. puniet enim prauas cogitationes animæ, & illicitas corporis. De hoc gladio, *Ezech. capit. 21. Gladius exacutus est & limatus: vt cædat victimas exacutus est: vt splendeat limatus est. Supra primo: De ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus:* quia damnabit animam cum corpore. [*vt in ipso percutiat omnes gentes:*] id est, omnes gentiliter viuentes. *Deuterono. cap. tricesimo secundo: Gladius meus deuorabit carnes:* id est, carnales. [*& reget eas:*] scilicet gentes. [*in virga ferrea:*] id est, iustitia inflexibili. de qua virga,

Psalm.

Pſalm. 44. *Virga directionis virga regni tui*: & quaſi exponendo quid eſſet virga, ſubdit. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* [*& ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis*:] torcular illud infernus eſt. Vinum enim furoris iræ Dei eſt diuina vindicta, quæ ad modum vini inebriat, *Iſai.* 63. *Conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea. Supra* 14. *Si quis adorauerit beſtiam hic bibet de vino iræ Dei.* Vinum maxime effunditur miniſterio: & propter hoc infernus vocatur torcular huius vini, quod Dominus calcat, quia poteſtate ſua exprimit vinum ſuæ indignationis, quo potantur reprobi.

Verſ. 16. Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum. Rex Regum, & Dominus dominantium.

[*Et habet in veſtimento*:] id eſt, in electis de gentibus, de quo *Iſaia* 49. *His omnibus velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa.* [*& in femore ſuo*:] id eſt, in electis de Iudæis qui per femur, per quod purgatio carnis intelligitur, ſignantur, quia ab eis Chriſtus ſecundum carnem duxit originem. [*ſcriptum*:] in cordibus eorum ſcilicet non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, 2. *Corinth.* 3. [*Rex regum*:] *Supra* 1. *Princeps regum terræ. Prouerb.* 8. *Per me reges regnant.* [*& Dominus dominantium*:] id eſt, ſanctorum, qui terrenitati dominantur, terrena contemnendo. vel ſic: [*In veſtimento*:] id eſt, in humanitate qua quodammodo veſtitur: ſecundum illud, *Philip.* 2. *Habitu inuentus vt homo.* [*& in femore*:] id eſt, in carne quam habet ex patrum origine, quæ per femur deſignatur. [*habet ſcriptum*] indelebiliter. [*Rex regum & Dominus dominantium*:] quia ſecundum humanitatem ipſe eſt rex ſanctorum, qui ſe & alios regunt.

Verſic. 17. Et vidi vnum angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna, dicens: omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli.

[*Et vidi vnum angelum*:] per hunc angelum intelligitur vniuerſitas prædicatorum, qui dicuntur angeli quia ſunt nuntiatores verbi Dei, *Iſaiæ* 33. *Angeli pacis amare flebant.* vnus vero angelus dicuntur propter vnam fidem quam nuntiant. [*ſtantem*:] per rectam intentionem & perſeuerantiam. [*in ſole*:] Sol lumen habet & calorem. In ſole ergo ſtare dicuntur propter lumen fidei & calorem charitatis, quæ habent in ſe & aliis oſtendunt in prædicatione. vel per ſolem intelligitur Chriſtus, qui dicitur *ſol iuſtitiæ*, *Malach. vlt.* In ſole ergo angelus iſte ſtat, quia prædicatores in Chriſto ſolidantur, vt ab eo nulla perſecutione auellantur, *Roman.* 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an fames? &c.*

[*Et clamauit voce magna*:] per ſcripturas ſcilicet confirmata. Illa enim vox parua eſt, quæ non fulcitur anctoritate Scripturarum. [*dicens omnibus auibus*:] id eſt, omnibus ſanctis, qui pennis virtutum volant in cœlum, *Pſalm.* 54. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ. & volabo & requieſcam.*

Beda. *Beda*: Aues appellat ſanctos in cœleſti vita degentes. Harum auium quaſi ſiniſtra eſt timor Dei, quaſi dextra amor. [*quæ volabant per medium cœli*:] volare eſt affectione & opere moueri. per medium volatur cum non declinatur in dexteram præſumptionis, neque in ſiniſtram deſperationis. *Haymo*: Sancti per medium cœli volare dicuntur, quod non terrenis rebus inhærent, ſed mente cœleſtia petunt. Ipſi ſunt vna aquila, quæ per medium cœli volare viſa eſt, *Supra* 8. Ipſi enim propter fidei vnitatem dicti ſunt vna aquila: Hic vero propter multitudinem ſanctorum dicuntur aues. Ipſi per medium cœli volant, dum per diuerſos ordines angelorum meditando diſcurrunt, *Cant.* 3. *Surgam & circumibo ciuitatem*: id eſt cœlum: per vicos & plateas: id eſt, per diuerſos ordines ſanctorum, quæram quem diligit anima mea. Haymo.

Verſic. 18. Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei: vt mãducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum & ſeruorum, & puſillorum & magnorum.

[*Venite & congregamini*:] *Venite* per fidem & bonam operationem. [*& congregamini ad cœnam magnam Dei*:] id eſt, ad commune conuiuium æternæ refectionis. De hac cœna legitur *Luc.* 14. & dicitur magna

Propter magnitudinem miniſtrorum, *Luc.* 12. *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*: dicitur de Filio. Pater hanc cœnam parauit, *Matth.* 20. *Sedere ad dexteram meam & ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo.* Spiritus ſanctus miniſtrat pigmentum ſuauitatis, *Pſalm.* 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Item, propter magnitudinem & multitudinem ferculorum, id eſt gaudiorum. vnum ferculum eſt ſufficientia, *Iohan.* 14. *Oſtende nobis patrem & ſufficit. Iſai.* 25 *Faciet Dominus exercituum conuiuium pinguium omnibus populis in monte hoc.*

Item propter magnitudinem & multitudinem conuiuarum, qui omnes reges erunt, *Supra* 7. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis.*

Item magna eſt duratione quia finem non habebit.

[*Vt manducetis carnes regum*] *Gloſſ.* Vt delectemini in cruciatu impiorum tam maiorum quam minorum. & præponuntur maiores, quia potentes potenter tormenta patientur, *Sap.* 6. Hæc delectatio referenda eſt ad pœnam malorum, prout pœna illa ad Dei iuſtitiam comparatur, & non in quantum eſt paſſio eorum. vnde

Auguſtinus libro de natura boni: Peccantes in ſupplicíis ordinantur: quæ ordinatio quia naturæ eorum non congruit, ideo pœna eſt, quia vero culpæ conuenit ideo iuſtitia eſt, *Pſalm.* 57. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* [*carnes regum*:] id eſt, maiorum ſcilicet dignitatibus ſeculi. [*& carnes tribunorum*:] id eſt, inferiorum poteſtate & nobilitate. [*& carnes fortium*:] qui confidunt de fortitudine corporali. [*& carnes equorum*:] id eſt, ſubditorum aliis. [*& ſedentium in ipſis*:] id eſt, prælatorum. [*& carnes omnium liberorum*:] à iuſtitia. [*& ſeruorum*:] peccati, *Romanor.* 6. *Cum ſerui fuiſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* [*& puſillorum*:] id eſt, acedioſorum. [*ac magnorum*:] ſcilicet ſuperborum, *Ezech.* 39. *Dic omni volucri & vniuerſis auibus, cunctiſque beſtiis*

agri,

agri, conuenite præparate, & concurrite vndique ad victimam meam.

Ver.19. Et vidi bestiam & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu eius.

[*Et vidi bestiam:*] posita descriptione Christi & eius exercitus, hic ex opposito ostenditur Antichristus & exercitus eius ad præliandum parati: vnde dicit: [*Et vidi bestiam:*] id est, Antichristum. [*& reges terræ:*] id est, sola terrena quærentes. [*& exercitum eorum.*]

Haymo. *Haymo:* [*Reges & exercitus eorum:*] præpositi cum subiectis malis designantur, *Dan. 11. In fine temporum annorumque veniet properans cum exercitu maximo.* Sed non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis & in paucis. quia *non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, 1. Machab. 3.* [*congregatos ad faciendum prælia cum illo, qui sedebat in equo:*] id est, contra Christum. [*& cum exercitu eius:*] id est, contra sanctos. *Dan. 11. Aduersum Deum Deorum loquetur magnalia, & dirigetur donec compleatur iracundia.* Sed quomodo præliabuntur?

Haymo. Respondet *Haymo:* Hi bellum facient contra Christũ, & eius fideles blasphemiis opprobriis, tribulationibus & miraculis pugnantes, *Matthei 24. Surgent Pseudochristi & Pseudopropheta. & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur,* (si fieri potest) *etiam electi.*

V.20. Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta: qui fecit signa corã ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis & sulphure.

[*Et apprehensa est bestia:*] Hic primo ostenditur damnatio Antichristi & suorum.

Secundo damnatio aliorum malorum: *& cæteri occisi sunt.*

Tertio pro damnatione omnium malorum ponitur exultatio sanctorum: *& omnes aues.*

Dicit ergo: [*Et apprehensa est bestia:*] id est, Antichristus apprehendetur, [*& cum illa Pseudopropheta,*] id est, prædicatores eiusdem Antichristi. [*que fecit signa coram ipso:*] *Supra 13. Fecit signa magna,* vt scilicet ignem faceret de cœlo descendere in terram.

Dicitur autem Pseudopropheta facere signa coram bestia, quia vbicunque sunt ministri Antichristi ita facient eius placita quasi ab eo viderentur. [*quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ:*] id est, Antichristi in eum credendo. [*& qui adorauerunt imaginem eius:*] opere se ei conformando. [*Viui missi sunt hi duo:*] id est, Antichristus & Pseudopropheta. [*in stagnum ignis ardentis sulphure:*] pœna gehennæ dicitur

Stagnum quia demergit illos, qui voluptatem mundi quasi aquam biberunt: vel propter status sui immobilitatem vel perpetuitatem dicitur stagnum, quia stagnum habet aquas immobiles.

Ignis vero dicitur, quia eos exurit, quia igne iræ vel inuidiæ, vel cupiditatis hic exarserunt.

Sulphuris vero dicitur, quod continuus fœtoribus eruciat illos, qui hic in fœt[illegible] luxuriæ finaliter vixerunt, *Infra 21. Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.*

Sed quid est quod hic dicitur, *Viui missi sunt in stagnum,* cum legatur, *2. Thessalon. 2.* quod *Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui.* Similiter omnes alij numquid soluent generale debitum mortis? Obiectio.

Resp. Illi quos secundus aduentus Christi viuentes in carne inuenerit, licet momentaneam Solutio. carnis mortem gustent, tamen quia in ictu oculi mors erit, sicut & resurrectio, ideo viui dicuntur missi in stagnum.

Versic. 21. Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum.

[*Et cæteri occisi sunt:*] Hic ostenditur damnatio aliorum malorum, qui Antichristo non adhæserunt, vel eorum qui per falsam doctrinam pseudoapostolorum Antichristi decepti sunt, qui minus punientur quam Antichristus vel Pseudoapostoli eius: quod signatur in hoc quod dicuntur *occisi gladio,* cum Antichristus & Pseudoapostoli eius dicantur viui missi in stagnum ignis.

Beda: Videtur significare Antichristũ & Pseu- Beda. doprophetam tanto maiore quam cæteros pœna plectendos, quanto grauius est viuenté flammis concremari sulphureis, quam cito moriturum ictu gladij trucidari.

Dicit ergo: [*Et cæteri:*] scilicet sequaces Antichristi, qui per prædicationem Pseudoprophetæ sunt decepti. vel [*cæteri,*] illi, qui Antichristo non adhæserunt. [*occisi sunt:*] id est, occidentur. [*in gladio sedentis super equum:*] id est Christi. qui sc. gladius, [*procedit de ore ipsius:*] scilicet Christi. *Supra versu 15. De ore ipsius procedit gladius ex vtraque parte acutus.* hic gladius est diuina sententia super omnem gladium timenda, *Iob. 19. Fugite à facie gladij quoniam vltor iniquitatum est.*

[*Et omnes aues:*] Hic ponitur exultatio sanctorum de visa vindicta malorum: vnde dicit: [*Et omnes aues cœli:*] id est, omnes sancti pennis virtutum à terra eleuati. [*saturatæ sunt:*] id est, delectati. [*carnibus eorum:*] id est, pœnis pro carnali opere eorum inflictis: non tamen in quantum pœnæ sunt, sed in quantum à diuina iustitia exeunt. Pœnæ etiam malorum & augmentum gloriæ sanctorum quodammodo faciunt. Contraria enim ad inuicem comparata magis manifesta fiunt.

Haymo: Eo internæ contemplationis dulcedine satiantur interius electi, quod reproborum tormenta exterius conspiciunt, quæ diuina misericordia euaserunt.

Cap. XX.

VEr 1. Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua.

[*Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, &c.*] Hæc est tertia pars sextæ visionis huius libri, in qua agitur de damnatione diaboli: in qua

Primo agitur de ligatione diaboli, quæ est quędam damnatio facta per primum Christi aduentum.

Secundo de damnatione diaboli, quæ fiet per Christum: *Et cum consummati fuerint.*

In

In prima parte primo deſcribitur ligans eum.

Secundo modus ligandi oſtenditur: *& apprehendit.*

Tertio oſtenditur pax Eccleſiæ, quę ſecuta eſt diaboli ligationem: *& vidi ſedes.*

In prima primo tangitur de humilitate primi aduentus ipſius ligantis.

Secundo de eius poteſtate: *habentem clauem.*

Dicit ergo: [*Et vidi:*] in ſpiritu. [*Angelum:*] id eſt, Chriſtum paternæ voluntatis nuntium. [*deſcendentem:*] carnem ſumendo. [*de cœlo:*] id eſt, de ſinu patris ſecreto, *Pſalm.* 18. *A ſummo cœlo egreſſio eius.* [*habentem clauem abyſſi:*] *Haymo:* Clauis abyſſi eſt vis diuinę diſcretionis qua Deus omnipotens aliquando reprobos ſæuire permittit, & iterum ne tantum noceant quantum volunt, eis aditum nocendi adimit. Per abyſſum autem fluida peruerſorum hominum corda & tenebroſa ſignantur. Habet ergo Chriſtus clauem abyſſi, quia ſicut ex claui aperitur oſtium & iterum clauditur: ita ſicut dicit *Haymo:* Diabolus & eius membra modo à Chriſto ſæuire permittuntur, modo exire prohibentur. [*Et catenam magnam in manu ſua:*] Per catenam intelligitur potentia Chriſti ineuitabilis, omnia cingens & complectens. manus Chriſti eſt eius diuinitas. In hac manu, id eſt, in virtute verbi habet vim diſcretionis, qua cuncta ſuo moderamine temperat. poteſtas Chriſti clauis dici poteſt & catena.

Haymo. *Haymo.*

Clauis, in quantum aperit vel claudit ad pœnam.

Catena, in quantum tentationis vires cobibet ne trahat in culpam.

Et nota quod diabolus dictus eſt † habere clauem diaboli, *Supra* 8. Sed intelligitur hoc de abyſſo culpæ. Tentatio enim eius aperit ad culpam quaſi quædam clauis. Chriſtus † autem habet clauem pœnæ. per iuſtitiam enim aperit ad pœnam, qui non nouit aperire ad culpam.

† lege ſic: habere clauem abyſſi ſupra 9. *† dum MS.*

Verſ. 2. Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille.

[*Et apprehendit:*] Hic oſtenditur modus ligandi. Chriſtus diabolum apprehendit quia illum contra genus humanum fraudulenter, & contra ſe impios in mortem eius commouendo, iniuſte egiſſe redarguit. [*Draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas:*] Et ponuntur hic multa nomina ad prauitatem diaboli manifeſtandam: vocatur:

Nomina Diaboli.

Draco propter nocendi malitiam.

Serpens, propter fallendi aſtutiam.

Antiquus dicitur propter nocendi conſuetudinem inueteratam. etiam dicitur

Satanas, id eſt; aduerſarius in quantum bonis aduerſatur. Dicitur etiam

Diabolus, id eſt, deorſum fluens, id eſt in eos, qui circa terram verſantur.

Vel ad literam, *deorſum fluens*, id eſt, de cœlo Empyreo, quia inde præcipitatus eſt, *Luc.* 10. *Vidi Satanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* [*& ligauit eum:*] id eſt, priori poteſtate priuauit, vt non tantum poſſit modo quantum poterat ante incarnationem, *Matth.* 12. *Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet?* In quo ſignificauit ſe ligaſſe diabolum, qui ante eius aduentum in carnem in mundo dominabatur, ſicut in domo ſua. [*Per mille annos:*] quantum ad literam ſpectat, millenarius annorum iam diu completus eſt. quando autem Antichriſtus veniat & ſatanas ſoluatur ignoramus. quantum vero ad ſpiritualem intelligētiam pertinet, nequaquam millenarius implebitur donec Eccleſiæ iuſtitia ſecundum diuinam prouidentiam plenius perficiatur. Millenarius namque perfectionem ſignat. tanto ergo tempore Satanas ligatur, quanto iuſtorum perfectio conſummatur. *Mille.*

Et notādum quod bene per mille annos tempus quo perficitur numerus electorum intelligitur. Componitur enim ex triplici ſtatu: ſcilicet

Coniugatorum,

Continentium, &

Prælatorum: † impleuerunt decalogum, vt impleretur numerus electorum. *† forte ſupple: qui.*

Sed cum in tempore Antichriſti multi poſſunt eſſe imperfecti, videtur quod iſti mille anni poſſint ſe extendere ad tempus illud: cuius contrarium videtur per hoc quod ſequitur: *& poſt hoc oportet illum ſolui:* ergo ſolutio diaboli eſt poſt mille annos: ergo erit tempus illud in quo regnabit Antichriſtus. ipſe enim regnabit ſoluto diabolo. *Quæſtio.*

Reſp. Concedendum eſt quod mille anni dicuntur totum tempus, quod eſt à natiuitate Domini vel paſſione vſq; ad finem ſeculi. Sed quia tempus quo erit ſolutus, eſt modicum reſpectu totius temporis gratiæ, ideo dicuntur conſummati eſſe mille anni, id eſt, totum illud tempus ante ſolutionem diaboli, quia cito poſt conſummabitur. *Reſponſio.*

V. 3. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni Et poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore.

[*Et miſit eum in abyſſum:*] id eſt, in profunda corda reproborum.

Auguſtinus: In hoc nomine ſignata multitudo innumerabilis impiorum, quorum aduerſus Eccleſiam Dei malignitate profunda ſunt corda. *Auguſtin.*

Sed numquid ante erat in reprobis?

Reſpondet Auguſtinus: Non hoc inquit dicitur quia ibi diabolus non ante erat, ſed ideo illuc dicitur miſſus, quia excluſus à credentibus plus cœpit impios poſſidere. vel [*miſit eum in abyſſum:*] id eſt, in infernum, vbi eſt obſcuritas carentiæ viſionis Dei, & profunditas interminabilis ignis gehennalis. [*& clauſit:*] id eſt, † aditum ingrediendi illi introduxit, ne alibi greſſus nequitiæ extendat, niſi quo occultum & iuſtum Dei iudicium permiſerit, *Iob.* 40. *Qui fecit illum applicabit gladium eius.*

† lege ſic: poteſtatem egrediendi illi interdixit, &c. vide Haymonem in loco.

Gregorius: Gladius Behemoth ipſa nocendi malitia erit. Sed ab eo à quo bonus per naturam factus eſt eius gladius applicatur, quia eius malitia diuina diſpenſatione reſtringitur, ne ferire mentes hominum tantum, quantum appetit permittatur. [*& ſignauit ſuper illum:*] id eſt, ſigillauit, vt ea etiam quæ ſub ſe habet diabolus, lateant ipſum. vnde dicit *Auguſtinus:* quod addidit *ſignauit ſuper illum* ſignificaſſe videtur mihi, quia occultum eſſe voluit qui pertineant ad partem diaboli, & qui nō. hic quippe in ſeculo iſto latet, quia ipſe ne[illegible] virtualiter, qui debeant eſſe ſui finaliter. [*vt non decipiat amplius gentes donec conſummentur mille anni:*] i. e. donec Antichriſtus venerit. *Gregorius.* *Auguſtin.*

Sed

Obiectio. Sed non videtur hoc esse verum: multos enim hoc tempore seducit. Si autem dicatur quod per gentes intelligantur fideles, de quibus Pater dixit Christo: *Postula à me & dabo tibi Gentes hereditatem tuam*: istos nunquam seducit, sicut dicit *Augustinus*: ex his inquit in æternam damoationem neminem seducit.

Quid est ergo quod hic dicitur, *donec consummentur mille anni*?

Responsio. Respond. Per gentes intelliguntur fideles: vnde dicit *Augustinus*: non dictum est, *vt seduceret aliquem*, sed, *vt non seduceret iam gentes*, in quibus Ecclesiam voloit intelligi. nec sic accipiendum est, *donec consummentur mille anni*, quasi posteros sit seducturus, sed aut illa locutiooe dictum est qualiter dicitur in *Psalmo* 122. *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.* Neque enim cum misertus fuerit non erunt oculi nostri ad Dominum. aut certe ille est ordo verborum: & clausit & signauit super eum. [*donec finiantur mille anni, vt non seduceret omnes gentes:*] quasi dicat, maius posse habuit diabolus ante aduentum Christi in carnem, & habebit tempore Antichristi, quam modo in tempore isto medio, vnde pro tanto nunc ligari dicitur, quia non ita permittitur modo seducere homines, sicut permissus fuit ante incarnationem, & sicut permittetur tempore Antichristi, quando maxime sæuiet. [*Et post hæc:*] id est, post mille annos, id est, appropinquante fine mundi. [*oportet illum solui:*] sic enim Deus constituit, sicut dicit glossa. [*modico tempore:*] id est, trib. anois & dimidio, quantum scilicet Antichristus regoabit: propter quod sicut dicit glossa, timeodus non est cum tam modico tempore regnet.

Augustin. *Augustinus*: Alligatio diaboli est non permitti exercere totam tentationem quam potest. tunc autem soluetur suis totis suorumque viribus sæuiturus.

Sed quare non modo soluitur?

Augustin. Si totam, inquit, tentationem quam potest exercere permitteretur, in tam lógo tempore & tanta infirmitate multorum, plurimos deiiceret & ne crederent impediret: tunc autem soluetur quoniam tempus breue erit, & tales erunt cum quibus illi belligerandum est, vt vinci eius tanto impetu non possent.

Sed nonne melius esset, vt semper esset ligatus?

Respondet *Augustinus*: Si nunquam solueretur, minus appareret eius maligna potestas, minus sanctæ ciuitatis fidelissima patientia probaretur, minus deniq; prospiceretur quam magno eius malo tam bene vsus fuerit omnipotens.

Ver 4 Et vidi sedes: & sederunt super eas, & iudicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbū Dei, & qui non adorauerunt bestiam, neq; imaginem eius, nec acceperunt characterē, eius in frontibus aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis.

[*Et vidi sedes:*] Hic agitur de tranquillitate Ecclesiæ, quæ ligationem diaboli secuta est, quæ in duobus consistit: scilicet

In debita ordinatione prælatorum, & subditorum in præsenti, de quo ibi: *Et vidi sedes.*

Et in reparatione regni amissi, siue in quiete beatarum animarum ante corporum assumptionem, ibi: *& animas decollatorum.*

Dicit ergo: [*Et vidi:*] Ligato scilicet diabolo, [*sedes*] id est, subditos in Ecclesia. [*& sederunt super illas:*] maiores scilicet prælati. [*& iudicium datum est:*] id est, iuste ligandi & soluendi potestas, illis scilicet prælatis.

Augustinus: Non hoc putandum est de vltimo iudicio dici, sed sedes præpositorum & ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos nunc Ecclesia gubernatur. Iudicium autē datum nullum accipiendum melius videtur quam id ꝙ dictum est: *Quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solueris super terram erit solutum & in cælis.* Quod eis in Petro dictum est, *Matth.* 16. *Augustin.*

Sed cum *supra* 4. dictum sit: *Vidi & ecce sedes posita erat in cælo*: id est, in Ecclesia, quare pluraliter dicit sedes vidisse? *Obiectio.*

Resp. In vna signatur sede, † quia huic singulariter præsidet Christus. vnde ibi dicitur: *& supra sedem sedens.* In pluribus vero sedibus signatur quod multis rectoribus est commissa. [*& animas decollatorum:*] supple vidi. decollatorum dico, [*propter testimonium Iesu:*] *Iesus* sicut dicit *Haymo* proprium nomen est hominis assumpti, & interpretatur *saluator*. Est ergo sensus: propter fidem humanitatis quam profitebantur, [*& propter verbum Dei:*] id est, propter fidem diuinitatis. ideo enim sancti persecutionem passi sunt, quia confitebantur Christum esse verum Deum & verum hominem. *Supra primo*: *Ego Iohannes frater vester fui in insula, quæ appellatur Pathmos propter verbum Dei & testimoniū Iesu.* [*& qui nō adorauerint bestiam:*] scilicet Antichristum. supple vidi. [*neq; imaginem eius:*] potest hoc intelligi de imagine corporea ad literam, sicut fecit Nabuchodonosor, *Daniel.* 3. vel [*qui non adorauerint imaginem eius:*] id est, signum ostensiuum quod essent de eius familia. [*in frontibus suis:*] *Gloss.* In manifesta scilicet confessione. [*aut in manibus suis:*] id est, in operatione. de his dictum est *supra* 14. [*& vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis.*] *Beda.* Simul de viuis & mortuis debemus hoc accipere. qui siue adhuc in hac mortali carne viuentes, siue defuncti iam nunc regnāt quodammodo: quod signatur tali numero huic tempori congruo. totum enim tempus, quo debet adimpleri numerus electorum signatur per *millenarium*, qui est numerus vltra quem non alius numerus nisi per resumptionem illius vel partium eius. Et dicit *Beda*, quod ideo de hoc regno præsenti hoc dicitur, de quo posset esse dubitatio, quia de futuro dubium non est. vnde dicit sic, retulit spiritus cum hæc scriberet regnaturam Ecclesiam mille aonis, id est, vsque ad finem mundi, ad id vnde posset dubitari. de perpetuo enim regno manifestum est. Hoc autem quod dicitur hic, *& regnauerunt cum Christo, &c.* multum est contra hæreticos, qui dicunt quod nullus intrat cælum aote diem iudicij.

Solutio. *† supple forsan Ecclesia, secundū expositionē Haymonis.* *Haymo.* *Beda.* *Beda.*

Vers. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.

[*Et cæteri mortuorum:*] Hic ostenditur qui careant quiete, quæ secuta est ligationé diaboli. &

Primo ostenditur quod mali non viuent,

Secundo quare? quia non fuerunt participes resurrectionis primæ: *hæc est resurrectio prima.*

Tertio commendando illam resurrectionem ad eam allicit: *Beatus*, &c. vnde dicit:

[*Et cæteri mortuorum:*] id est, illi inter mortuos, qui non fuerunt de prædictis, [*non vixerunt:*] id est, non viuent. minus dicit & plus signat: sed morte æterna morientur, *Matth. 25. Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam,* [*donec consummentur mille anni:*] non quod plus sint victuri, sed est simile quod legitur, 1. *Reg. 3. De Heli, qui non poterat videre lucernā antequam extingueretur:* multo minus, immo nullo modo poterat post. Sic qui non vixerit in spatio mille annorum, id est, huius vitæ, quando tempus est viuendi vita gratiæ, non viuet post tres annos. [*hæc est resurrectio prima:*] Hic redditur ratio quare mali non viuent. Prima resurrectio est, vt dicit *Haymo*, quæ fit in anima, quæ est ab infidelitate ad fidem, à vitiis ad virtutes resurgere. de qua *Coloss. 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Haymo.

Sed cum nulla de resurrectione mentio facta sit, quid est quod pronomine demonstratiuo vtens dicit, hæc est resurrectio prima?

Respond. Licet nomine resurrectionis vsus non sit, tamen de resurrectione actum est, cum dictum est *de animabus decollatorum*, & de his, *qui bestiam non adorauerunt.* Isti enim prima resurrectione resurrexerunt, qui hic vita gratiæ vixerunt.

Versic. 6. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi: & regnabunt cum illo mille annis.

[*Beatus & sanctus:*] Hic commendando illam resurrectionem allicit ad eam, vnde dicit: [*Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione illa prima:*] id est, qui hic resurgit in anima, dicit *Haymo*.

Sed quomodo est hoc verum cum multi resurgant per Baptismum† ante pœnitentiam, qui postea peccando moriantur? ideo dicitur à quibusdam quod prima resurrectio quæ fit non dicitur per Baptismum aut pœnitentiam; vnde distinguunt quadruplicem vitam. †lege forte, aut pœnitentiam.

Prima ante Baptismum, quæ tota mala est.

Secunda est post Baptismum, quæ potest esse & bona & mala.

Tertia quæ bona est, ad quam series huius locutionis pertinet, in qua sancti sine corporibus cum Domino vita æterna perfruuntur. Inchoatio vero huius vitæ prima resurrectio vocatur.

Quarta est sanctorum post resurrectionē corporum, quæ nullo fine terminabitur. & quia vita præsens in comparatione cœlestis quasi mors est, recte dicuntur sancti resurgere cum ab hac vita ad cœlestem transeunt: & sic est hæc prima resurrectio sanctorum.

Sic prima mors impiorum est† quos animæ sine corporibus à præsenti vita ad pœnam æternalem transeunt. † quæ MS.

† Secunda mors vero erit vltima damnatio. *Augustinus* tamen dicit planius: quia prima resurrectio est resurrectio à peccatis. ille autem solus beatus & sanctus, qui in ea perseuerauerit. [*Beatus*] ergo in spe. [*& sanctus,*] id est, firmus vitæ securitate. [*qui habet partem, &c.*] id est, qui hic resurgit in anima, & in eo quod cœpit perseuerat. † æternalem MS. Augustin.

Haymo: Fœlix est, qui dum adhuc in corpore viuit, à morte animæ surrexit, quia dum carnis resurrectio aduenerit in æterna lætitia viuet, [*In his secunda mors,*] id est, æterna damnatio. [*non habet potestatem:*] sicut in aliis, de quibus dictum est: *cæteri mortuorum non vixerunt. Supra secundo: Qui vicerit non lædetur à morte secunda.* [*sed erunt sacerdotes Dei:*] id est, laudes deferentes diuinitati, sicut dicit *Glossa*. [*& Christi eius:*] id est, laudes offerentes humanitati. vel [*sacerdotes Dei:*] scilicet Patris. [*& Christi eius:*] id est, Filij. Haymo.

Augustinus: Nō hoc de solis Episcopis & presbyteris dictum est, sed sicut omnes Christi, id est, Christiani dicimur propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes quoniā membra sunt vnius sacerdotis. Hinc est quod Petrus fidelibus dicit, 1. *Pet. 2. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumē suum.* [*& regnabunt cum illo mille annis:*] id est, in æternum. *Haymo*. In mille annis quibus electi regnabunt cum Christo, esse futurum intelligitur: iuxta illud *Matt. 25. Ibunt iusti in vitam æternam.* vel potest intelligi de fœlicitate animarum sine suis corporibus, quæ vsq; in finem seculi durabunt. Haymo.

Vers. 7. Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium quorum numerus est sicut arena maris.

[*Et consummati fuerint:*] Ostensa ligatione diaboli, quæ est quædam damnatio ipsius facta per primum aduentum Christi, hic ostenditur damnatio eiusdem, quæ fiet per secundum aduentum Christi: &

Primo ostenditur causa damnationis.

Secundo ipsa damnatio: *& descendit ignis à Deo:*

Tertio ostenditur iudicium, in quo ordo damnationis manifestatur: *& vidi thronum magnum.*

Dicit ergo: [*Et cum consummati fuerint mille anni:*] id est, illa pars mille annorum, quæ est ab aduentu Christi vsque ad tempus Antichristi, vt ponatur totum pro parte, [*soluetur Satanas de carcere suo:*] *Beda*: Consummatos dicit, à toto significans partem. nam sic soluetur † vt fiot mille anni & sex menses nouissimi certaminis Hoc etiam dicit *Haymo*: Solutio Satanæ intelligitur respectu ligationis qua ligatus erat ne tantum sæuiret quantum vult. [*& exibit:*] ad apertas persecutiones, per affluentiam malitiæ. [*& seducet Gentes:*] per erroris seminationem. [*quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog:*] sicut *Haymo* dicit, de his Gentibus quidam male loquuntur, æstimantes esse Gentes Aquilonares, id est, Getas & Massagetas. Sed si has, inquit, tantum duas Gentes diabolus seducturus esset, nequaquam diceretur, *ad hoc exiret, vt seducat Gentes, quæ sunt super quatuor partes terræ*, cum hæ Geotes vnam tantum partem mundi inhabitent. Beda. † sic legitur textus Bedæ: vt super sint anni tres [illegible] sex, &c. Haymo. Gog & Magog.

Per hoc etiam refelluntur opiniones, quæ sequuntur.

Dicunt enim alij has Gentes ab Alexandro Magno in partibus Macedoniæ conclusas, & in terra multiplicatas, vt viginti quatuor regna de se reddant.

Alij

Alij dicunt, quod illæ gentes sunt decem tribus vltra montes Caspios clausæ, non tamen ita quod non possunt exire, sed à regina † Amazonum prohibentur. Has dicunt Iudæi in fine seculi exituras & venturas in Hierusalem cum suo Messia ad destruendam Ecclesiam, quæ gens dicitur Gog & Magog.

† Amazonum: MS.

Gog enim interpretatur tectum. & quia post non exierint, sed sunt ibi inclusi quasi sub tecto, dicuntur *Gog*.

Quia vero aliquando † exituri sunt, id est, de tecto, dicti sunt *Magog*, quod interpretatur de tecto.

† exciturur: MS.

Augustin. *Augustinus* dicit: Gentes istæ quas appellat Iohannes *Gog & Magog*, nō sic accipiendæ sunt tanquam aliqui sint in aliqua parte terrarum barbari constituti. toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse, cum dictum est, nationes quæ sunt in quatuor Angulis terræ Gog & Magog, quorū interpretatio est, *Gog* tectum, & *Magog* de tecto: tanquam domus, & ipse qui procedit de Domo. Gentes ergo sunt in quib. est diabolus, & ipse de illis quodammodo se efferēs, vt illæ sint tectum; iste de tecto. Si autē vtrumq; referamus ad gentes, & tectum illæ sont dum in eis includitur, & quodammodo tegitur diabolus: & de tecto erūt ipsæ, quando in apertum odium de operto erupturæ sunt. Ergo est sensus: [*seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ:*] i.e. illos in quib. modo latet diabolus, & qui post in apertam malitiā prorumpent. [*& congregabit illos in prælium.*] sc. Gog & *Haymo.* Magog contra Ecclesiam. *Haymo*: Congregabit eos nō in locum, sed in vnum consensum: faciet enim eos cōcordes iri vna mala voluntate. [*quorum numerus est sicut arena maris:*] id est, sunt innumerabiles & steriles. Hæc est illa arena supra quam stetit diabolus, *Supra* 12.

Vers. 8. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam.

[*Et ascenderunt:*] Diabolus & membra eius, sc. Gog & Magog. [*super altitudinem terræ:*] superbientes contra Ecclesiam in omni orbe diffusam. *Haymo.* *Haymo*: sicut vbique erit Ecclesia, ita vbique erit & persecutio. [*& circumierunt castra sanctorum:*] *Interlinearis*: quasi inuadentes, sed intrare non poterūt. *Haymo*: Sancti appellantur castra, quia semper dimicant contra diabolum, & eius membra. [*& ciuitatem:*] i.e. Ecclesiam virtutib. vnitam. de qua ciuitate *Matt. 5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Hāc impij circumeunt, *Iob. 19. Obsederunt in gyro tabernaculū meum.* [*dilectam*] sc. à Deo, *Eph. 5. Christus dilexit Ecclesiā & tradidit seipsam pro ea.*

Versu 9. Et descendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos.

[*Et descendit ignis Dei de cœlo:*] Hic primo ostenditur damnatio reprobæ ciuitatis.

Secundo damnatio diaboli, qui eos seduxit: *& diabolus qui seducebat eos.* Dicit ergo:

Haymo. [*Et descendit ignis, &c.*] *Haymo*: per ignē repentinum interitum Antichristi & membrorū eius intelligere debemus: quia sicut dicitur, *1. Thes. 5. Cū dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Potest tamen dici ꝙ ignis appellatur ante aduentum iudicij, secundū illud; *Ps. 96. Ignis* hic pœna illa, qua punientur Antichristus & sui *ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos* *Augustin.* *eius*. [*& deuorauit eos:*] *Augustinus*: Si eam plagā qua percutiendi sunt Ecclesię persecutores, veniente iam Christo, quando interficiet Antichristū spiritu oris sui. *2 Thes. 2.* ignem appellāt descendentem de cœlo, eosdem comedentem, nō erit hoc vltimum supplicium impiorum, sed illud quod facta resurrectione passuri sunt. tunc quippe in ignem mittentur ipsi non ignis de cœlo mittetur super eos.

Beda: In nouissimo die non super eos pluet ignem, sed congregatos ante se, & iudicatos mittet in ignem æternum: de quo etiam subditur. *Beda.*

Ver. 10. Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.

[*Et diabolus qui seducebat:*] per se, ante per membra. [*missus est in stagnum ignis & sulphuris:*] *Haymo*: per stagnū ignis in quo missus est diabolus, profunditas inferni intelligitur, quo impij cū capite suo dānati tenebris perpetuis obuoluentur, quia licet sit ibi ignis, non erit ... ad lucendum, sed ad comburendū miserorum corpora. Corpora verò reproborum erunt fomentum ignis: ideoq; ignis erit indeficiens, quia corpora eorū immortalia. sulphur autem ignem ascendit, & fœtorem generat. [*vbi & bestia:*] i.e. Antichristus. [*& Pseudopropheta:*] i.e. Apostoli Antichristi. [*cruciabuntur:*] *Supr. 19. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure* [*die ac nocte:*] i.e. continue sine interpositione. vel sicut dicit *Haymo*, diem possumus referre ad gloriam iustorum, & noctē ad pœnam reproborum. Illi ergo qui in inferno erunt die ac nocte cruciabuntur recordātes bonorum iustorum, & malorum suorum. [*in secula seculorum:*] id est, in æternum. *Supr. 14. Fumus tormentorum ascendet in secula seculorum.* *Haymo.*

V. 11. Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, & locus non est inuentus eis.

[*Et vidi thronum magnum:*] Hic primo describitur iudex ad iudicandum paratus.

Secundo tangitur de immutatione electorū: *à cuius conspectu fugit terra.*

Tertio de iudicio in concomitantibus iudicium: *Et vidi mortuos.*

Quarto ponuntur consequentia iudicium, scilicet damnatio Diaboli & omnium reproborum: *& infernus & mors.* Dicit ergo:

[*Et vidi thronum:*] Thronus Dei est Ecclesia cui Christus singulariter & generaliter pręsidet, vt dicit *Haymo*: de quo throno, *Heb. 1. Thronus tuus Deus in seculum seculi.* [*magnum:*] magnus dicitur, vt dicit *Haymo*, quia Ecclesia ex multitudine populi cōstat, & per mundi partes dilatatur. [*candidum:*] *Haymo*: Candidus dicitur quia fonte baptismatis abluitur ab omni macula criminis. vel candidus dicitur, quia recepta carnis incorruptione nihil iam ex vetustate prioris vitę in electis remanebit. [*& sedentem super eum:*] scil. super thronum, qui est sedes iudiciaria: supple vidi. Ista sedes Christus est, de quo *sup. 4. Sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens.* & dum dicitur hic Christus paratos ad iudiciū, deinde subditur de immutatione electorum, cū dicitur: [*à cuius conspectu*] i.e. cuius pręsentia. [*fugit terra:*] videlicet à specie quā non habet. *Haymo.*

Haymo: Fugient terra & cœlum ab aspectu iudicis, ab ea specie quam nō habent, & ostendent

pulchritudinem quam non cælant, 1.Cor. 7. *Præterit figura huius mundi.*

August. Figura non natura: mutatione namq; rerum non omnino interitu transibit mundus.

[*Et cœlum:*] id est æer, *Matth.* 24. *Cœlum & terra transibunt.* *Gloss.* Cœlum aereum. [*& locus non est inuentus ab eis:*] *Interlinearis:* secundum priorem statum. *Haymo.* Locus pristinæ corruptionis non est inuentus ab eis: id est, in cœlo & terra: ac si diceretur, figura præterit, natura permanet.

Versic. 12. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.

[*Et vidi mortuos:*] Hic agitur de iudicio & comitantibus iudicium, quæ sunt resurrectio corporum & apertio conscientiarum: & secundum hoc videtur, quod prius sit immutatio electorũ quam iudicium. De immutatione enim electorum prius dictũ est. Contrarium autem dicit *Augustinus*, his verbis: Non tunc inquit factum est, id est, antequã esset de viuis iudicatum, sed postea peracto iudicio, tunc esse desinet hoc cœlum, & hæc terra, quando incipiet esse cœlum nouum & terra noua. vnde illud, [*fugit terra à conspectu eius*] per anticipationem dictum est. veruntamen aliqua immutatio electorum vel corporũ poterit præuenire iudicium. [*Et vidi mortuos magnos & pusillos:*] secundũ *Bedam*, per mortuos magnos & pusillos omnes gentes intelligũtur, quę ante Deum ad iudicium congregabuntur, vt dicitur *Matt.* 25. *& Ioel. vlt. Consurgant & ascendant in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.*

Secundum *Glos.* Per mortuos magnos & pusillos mali designantur, qui in die resurrectionis stabunt in conspectu Dei. mortui ea morte scilicet quæ prima dicitur, post paululum in mortem secundam deiiciendi. [*stantes in conspectu throni:*] id est, †omnium sanctorum, in quibus Deus sedet, qui merita eorum videbit & iudicabit, *Sap.* 3. *Iudicabunt sancti nationes, & dominabantur populis.* [*& libri:*] scilicet conscientiarum. [*aperti sunt:*] in quibus legentur merita singulorum, *Dan.* 7. *Iudicium sedit & libri aperti sunt.*

† *malorum MS.*

Beda. *Beda:* Mihi rectius dicere videntur, qui libros apertos cõscientias singulorum & opera patefacta interpretantur. *Gl.* [*libri:*] id est, diuina præcepta, quæ non obseruando, qui dimiserunt, sciant se merito puniri. [*Et alius liber apertus est:*] *Gl.* Alius liber est liber præscientiæ Dei, quia tunc aperte scient mali se non prædestinatos ad vitam, quam in mundo existentes sibi promittebant.

Liber vitæ. *Beda:* Liber vitæ est præscientia Dei, quæ falli nõ potest de illis, quib. æterna dabitur vita vnde apertio huius libri nil aliud est quã manifestatio electorum & reproborum, *Dan.* 12. *In tempore illo saluabitur omnis populus, qui inuentus fuerit in libro vitæ.* [*qui est vitæ:*] Ille liber dicitur esse vitæ, quia in eo scripti sunt, qui ad vitã prędestinati sunt. [*Et iudicati sunt:*] Hic ponitur iudicium quod fiet secundum merita singulorum. [*iudicati sunt:*] iudicio sc. condemnationis, de quo *Ioh.* 3. *Qui non credit iam iudicatus est, quia nõ credit in nomine vnigeniti filij Dei.* [*mortui.*] i. e. mali. [*ex his quæ scripta erãt in libris:*] sc. cõscientiorum, quæ tunc erunt apertæ omnibus, 1. *Cor.* 4. *Veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarũ & manifestabit consilia cordium.* [*secundum opera ipsorum:*] *Rom.* 2. *Qui reddet vnicuiq; secundum opera eius.*

Vers. 13 Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.

[*Et dedit mare:*] Hic per recapitulationem exequitur ordinem iudicij. vnde *Beda:* Hoc procul dubio prius factum est quam essent mortui iudicati. [*& dedit mare:*] id est, mundus. [*mortuos suos, qui in eo erant:*] id est bonos & malos, in carne viuos, spiritualiter autem mortuos. Boni tantũ aliter sunt mortui quã mali. mortui enim sunt peccato, sed mali mortui sunt iustitiæ. vel [*mare*] ad literam [*dedit mortuos suos:*] id est, corpora in eo submersa. [*& mors & infernus:*] id est, diabolus & loca tenebrarum. [*dederunt mortuos suos:*] id est, animas mortuorum: non quod finaliter de inferno exeant, sed vt iudici pręsentarentur cum corporibus resumptis, & iterum illuc redeant. [*& iudicatum est de illis secundum opera ipsorum:*] hoc est, quod paulũ ante dictum est, *iudicati sunt mortui &c.*

Vers. 14. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.

[*Et infernus & mors:*] Hic ponitur consequentia ad iudicium, sc. damnatio diaboli & suorum. vnde dicit: [*& infernus:*] id est, reprobi qui fecerunt se loca tenebrosa, in quib. diabolus requiescit, *Iob.* 41. *Sub vmbra dormit in secreto calami in locis humentibus.* [*& mors:*] id est diabolus. *Supra* 6. *Nomen est illi mors, & infernus sequebatur eum:* id est reprobi. [*missi sunt in stagnum ignis:*] i. e. in damnationẽ inferni stabilem: ... Stagnũ enim habet aquas stantes. *ignis* enim hic dicitur propter pœnę acerbitatem. *Supr. vers.* 10. *Diabolus missus est in stagnum ignis & sulphuris* [*Hæc est mors secunda:*] sc. mors pœnæ, quam pręcedit mors culpæ, ad hanc mortem quæ secunda est nõ venitur nisi per primam. *Supra vers.* 6. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem.*

Vers. 15. Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

[*Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum:*] sic videtur esse distinguendum inter verba præmissa, vt per mortem intelligatur diabolus, per infernum, angeli eius: per eum qui non est scriptus in libro vitæ homines mali, qui simili damnationi subiacebunt, *Matth.* 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Cap. XXI.

VErs. 1. Et vidi cœlum nouum, & terram nouam. Primũ enim cœlum, & prima terra abiit, & mare iam non est.

[*Et vidi cœlum nouum & terram nouam, &c.*] Hic incipit septima visio huius libri, in qua

Primo ostenditur elementorum innouatio.

Secundo sanctorum glorificatio. *Et ego Iohannes vidi.*

Tertio cœlestis ciuitatis dignitas, & pulchritudo: *& venit ad me,*

Et

Et quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, *Deuteron.* 19. ideo triplici testimonio ostenditur prædicta elementorum innouatio.

Primo testimonio Iohannis.

Secundo testimonio Patrum: *& audiui vocem magnam.*

Tertio testimonio Dei: *& dixit qui sedebat in throno.* Dicit ergo:

[*Et vidi, &c.*] Tetigerat per præoccupationem in præcedenti capitulo de immutatione elementorum dicens: *A cuius conspectu fugit terra & cœlum.* deinde de iudicio tractauerat, post quod innouatio elementorum facta est. ideo hic recto ordine † elementorum agit....... vnde *Augustinus*: Iudicatis his, qui non sunt scripti in libro vitæ, & in ignem æternum missis, tunc figura huius mundi, mundanorum ignium conflagratione peribit.

† *supple forsan: de innouatione.*

Dicit ergo:] *Et vidi cœlum nouum:*] id est, cœlum innouatum.

Augustinus: Hoc non de cœlo vbi sol & luna, & cætera sydera constituta sunt intelligendum est, sed de aere quod cœlum vocat. [*& terram nouam:*] id est, innouatam, 2. *Petr. vltimo*: *Nouos cœlos, & nouam terram, secundum promissa eius expectamus.* *Isai.* 65. *Ecce ego creo cœlum nouum & nouam terram.*

Haymo. [*Primū enim cœlum & prima terra abiit:*] *Haymo*: Per innouationem immutata sunt & à pristina figura recesserunt. [*Et mare iam non est:*] Super hoc sunt variæ opiniones doctorum: vtrum per illum magnum ignem, aqua quæ per mare intelligitur, immutetur, an omnino consumatur, & exsiccetur? quia *Beda* super Catholicam Petri dicit, quod ille maximus ignis duo elemēta ex toto consumet, duo vero in meliorem restituet faciem, scilicet cœlum & terram.

Augustin. *Augustinus* tamen videtur super hoc dubitare, 20. *de Ciuitate Dei*, dicens sic: Quod ait, *Et mare iam non est*, vtrum maximo ardore illo siccetur, an & ipsum vertatur in melius nō facile dicimus. cum magis videtur consentire in hoc quod mare in melius mutetur. De verbo vero *Beda* quidam non faciunt magnam vim. Dicunt enim quod in huiusmodi licet contraria opinari, cum nō sit ibi periculum fidei. Dicendum ergo: [*& mare iam non est:*] intelligendum est secundum priorem statum. Vnde *Augustinus* 20. *de Ciuitate Dei*: In illa conflagratione elemētorum corruptibilium, qualitates quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atq; ipsa substantia ipsas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant, vt scilicet mundus innouatus in melius apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innouatis.

August.

Vers. 2. Et ego Iohannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descēdentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.

[*Et ego Iohannes:*] Hic agitur de glorificatione sanctorum, vnde dicit: [*& ego Iohannes vidi ciuitatem:*] id est, Ecclesiam sanctam propter lauacrum regenerationis, *Eccles.* 24. *In ciuitate sanctificata similiter requieui.* [*Hierusalem:*] propter visionem intimæ pacis. [*nouam*] id est, innouatam, immortalem scilicet & impassibilem factam. [*descendentem de cœlo:*] *Augustinus*: Descendere de cœlo ista ciuitas dicitur, quoniam cœlestis est gratia qua Deus eam facit, *Iacob.* 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* [*à Deo paratam:*] virtutibus, *Supra* 19. *Datum est illi vt cooperiat se bysino*, scilicet candore virtutum. [*sicut sponsam ornatam:*] scilicet ornatu bonorum operum. [*suo viro:*] id est, ad honorem viri sui, vel sicut decet virum suum, *Isai.* 61. *Gaudebit sponsus super sponsam*: & quasi exponendo subdit: *& gaudebit super te Deus tuus.*

Sed cum Ecclesia sponsæ comparetur, quare Christus sponsus hic non dicitur, sed vir? *Obiectio.*

Respon. In præsenti Ecclesia sponsa est per fidem, *Ose.* 2. *Sponsabo te mihi in fide.* Vxor autem erit in futuro, & videbit Deum per speciem. *Responsio*

Haymo: Sponsa nunc est Ecclesia per fidem spem & dilectionem, sed tunc erit vxor, quando ad amplexus viri, id est, ad cōtemplationem Dei omnipotentis peruenerit. *Haymo.*

Vers. 3. Et audiui vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erūt: & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

[*Et audiui:*] Hic ponitur testimonium patrum: vnde dicit: [*Et audiui vocem:*] id est, propheticam annuntiationem, [*magnam:*] quia magnorum, vel quia de magnis, scilicet secretis cœlestibus est. [*de throno:*] id est, de Ecclesia, in qua Deus sedet. [*dicentem, Ecce tabernaculum, &c.*] quasi dicens, quod vidi intellexi, prophetatū esse à Prophetis. Quid autem illud fuerit aperit dicens: [*ecce tabernaculum.*] Duo annūtiauerūt Prophetæ, scilicet iocunditatem gloriæ, quæ tangitur hic: [*Ecce tabernaculum:*] & amotionem miseriæ, quæ tangitur ibi: [*& absterget.*] Iocunditas vero erit ex duobus, scilicet ex præsentia humanitatis, de quo ibi: [*ecce tabernaculum.*] & ex præsentia diuinitatis, de quo ibi: [*& ipse Deus.*] Dicit ergo:

[*Ecce tabernaculum Dei cum hominibus:*] id est, in euidenti est: quod humanitas, quæ dicitur tabernaculum, quia in eo Christus militauit contra Diabolum est; supple [*cum hominibus:*] id est, cum suis in eadem gloria, 1. *Iohan.* 3. *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* [*& habitabit cum eis:*] sc. Christus per humanitatē, *Supr.* 7. *Qui sedet in throno habitat super illos.* & dicit, *super illos*, quia *qui de cœlo est, super omnes est. Ioh.* 3. [*& ipsi populus eius erunt.*] *Leuit.* 26. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & nō abiiciet vos anima mea. ambulabo inter vos, & ero vester Deus, & vos eritis mihi populus.* [*& ipse Deus cum eis erit eorum Deus:*] *Ezech.* 39. *Scient domus Israel*, scilicet illi, qui sunt videntes Deum modo per fidem, & tandem per spem, *quia ego Dominus Deus eorum cum eis à die illa & deinceps.*

Vers. 4. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt.

[*Et absterget:*] Hic ostēditur amotio miseriæ: & Primo amotio luctus.

Secundo amotio causæ luctus: *& mors non erit.* Dicit ergo:

[*Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum:*]

ctorum:] Simile *Supra 6. Isa. 25. Auferet Deus omnem lachrymam ab omni facie.* [*& mors non erit vltra:*] quę sit lachrymarum causa. [*neque luctus neq; clamor:*] interius. & subditur causa cū dicitur: [*quia prima abierunt.*] vel sic: [*mors*] id est, dissolutio animæ & corporis vltra non erit, quia præcipitabit Dominus mortem in sempiternum, *Isa. 25.* [*neq; luctus:*] pro alicuius miseria, *Isa. 60. Complebuntur dies luctus tui,* [*neq; clamor:*] pro pugna sc. spiritus ad carnem, *Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt nō quæcunq; vultis illa faciatis.* [*neq; dolor:*] de peccatis propriis, [*erit vltra:*] *Haymo*: Dolor post hæc

Haymo. non erit, quia caro electorum spinas & punctiones peccatorū, pro quibus dolere debeant, vltra non generabit. [*quæ prima abierunt:*] id est, prius in hoc mundo habita transierūt. vel sicut innuit *Gloss.* iam non est locus eorum, cum non sit peccatum, de quo hæc procedunt.

V. 5 Et dixit qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia, & dixit mihi, scribe, quia hæc verba fidelissima sunt & vera.

[*Et dixit, qui sedebat in throno:*] ostensa innouatione elementorum, testimonio Iohannis & antiquorum patrum, hic ponitur testimonium Dei

† Amorem: MS. ad † maiorē eorum cōfirmationē: & hoc primo.

Deinde allicitur audiens ad innouationem dictam quærendam & amandam cum subdit: *quia hæc verba fidelissima.*

Tertio ostendit, quod innouationem istam facere poterit: *Ego sum Alpha.*

Dicit ergo [*Et dixit, qui sedebat in throno:*] Deus sc. qui præsidet sanctæ Ecclesiæ. [*Ecce noua facio omnia:*] scil. quæ supra dicta sunt, *Isa. 65. Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam.* vere noua, quæ fecit hominem nouum, quantum scilic. de matre sine patre ex purissimis sanguinibus beatæ virginis opere Spiritus sancti in vtero eius subito formatum, *Ierem. 31. Nouum facit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum. Eccles. 36. Innoua signa, & immuta mirabilia.* Hæc annuntiauit Gabriel in die annūtiationis cum dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Isa. 42. Noua annuntio*

† Portantur, MS. *vobis antequam † oriantur.* Et beatæ virgini competit illud, *Isa. 48. Audita facta sunt tibi noua ex tunc,* sc. à die annuntiationis, *& conseruata sunt quæ nescis,* id est, sacramenta humanæ reparationis, *& tunc creata sunt,* sc. in natiuitate filij sui. Ideo *Hest. 8.* Iudæis noua lux oriri visa est, inter nouam ciuitatem, scil. Ecclesiam, de qua hic, quæ dicitur, [*ciuitas.*] quia in hac ciuium vnitas, *Act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* [*sancta:*] quia in fide firma [*noua*] quia reprobatis ceremoniis, sacramentis est innouata. Sed de cœlo dicitur descendere, quia vnigenitus patris in carne descendens eam instituit. huius autem ciuitatis ciuibus multa noua dedit: quia

Noua corda, *Ezech. 36. Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri.* Item

Nouas linguas, *Marc. vlt. Linguis loquentur nouis.* Item

Noua præcepta, *Iohan. 13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Item

Nouam viam, *Hebr. 10. Habentes fiduciam in sanguine eius, qui initiauit nobis viam nouam.* Item

Nouam doctrinam, *Marc. 1. Quæ est ista doctrina noua. Esth. 8. Obsecro vt epistolis nouis* *Gl.* Euangelicis documentis: veteres Haman epistolæ. *Gl.* Sectæ veterum errorum, corrigantur. Item

Nouam escam, scilicet corpus suum, *Sap. 16. Hi & in breui inopes facti nouam gustauerunt escam.* sc. manna, in quo corpus Christi signatur. Item

Potum nouum, scilicet saporem sanguinis sui, *Matth. 9. Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. 1. Corinth. 11. Hic est calix noui Testamenti in sanguine meo.* Item

Nouam vestem, *Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundū Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Item

Nouam cantilenam diuinæ laudis, *Psalm. 39. Immisit in os meum canticum nouum. Isai. 42. Cantate Domino canticū nouum, laus eius ab extremis terræ.* Item

Nouum genus bellandi, orando scilic. & patiendo, *Iudic. 5. Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.* Item

Nouum balneum, id est, sacramenta, *Tit. 3. Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum.* Item

Nouum nomen, quia à Christo Christiani, *Isai. 62. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Item

Præmium nouum, animarum scilicet & corporum glorificationem, *2. Pet. vlt.*

[*Nouos cælos.*] quoad animas, quia cœlum mihi sedes est, dicit Dominus. anima autem iusti sedes est sapientiæ: [*& nouā terram*] quoad corpora, quæ de terra sunt, secundum eius promissa expectamus. Quæ etiam ad literam vera erunt: vt hic dicitur, quia homine innouato omnia etiam innouabuntur, vt homo in eis, & ipsa in homine quodammodo remunerētur. Ecce omnia noua.

[*Et dixit mihi scribe:*] supple quæ vidisti & audiuisti, ad aliorū vtilitatem. & subdit quare debeat ea scribere: [*quia hæc verba fidelissima sunt:*] i. e. talia quibus fides adhibenda est. [*& vera,*] quia complebūtur quæ promittunt, *Ps. 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnib. operibus suis.*

Vers. 6. Et dixit mihi, factum est, ego sum α & ω: initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis.

[*Et dixit mihi factum est:*] scilicet pro certo fiet, & non dubites sicut nec si factum esset. *Haymo:* quia hæc omnia tempore suo complebuntur, quasi iam facta sunt Dei omnipotentis voce firmantur.

[*Ego sum Alpha & Omega:*] Hic primo ostendit quod innouationem istam facere poterit, qui omnia creare potuit.

Secundo quia ad consummationem innouationis pertinet bonorum remuneratio, & malorum punitio, subdit de vtroq; ibi: *ego sitienti.* Dicit ergo:

[*Ego sum Alpha & Omega:*] & subditur eius expositio cum dicitur, [*initium & finis.*] *Haymo:* Non quod initium habeat in tempore, sed quia ab illo cuncta sumpserunt initium, & in ipso sumunt terminum, quia ipse omnia consummat.

Et notandum quod in Alphabeto Græcorum primo ponitur A litera, vltimo Ω. ideo A ponitur pro principio, & Ω pro fine.

[*Ego sitienti:*] Hic tangitur primo remuneratio bonorum.

Secundo punitio malorum: *timidis autem, &c.* Dicit ergo:

[*Ego sitienti:*] iustitiam. [*dabo de fonte aquæ viuæ:*] id est,

id est, meipsom, qoi sum principium vitæ, *Psalm. 35. Apud te est fons vitæ. Haymo*: sitientibos Deum deus seipsum dabit pro remuoeratione, in cuius contemplatione erit refectio æternæ satietatis. [*gratis*;] *Haymo*: Gratis fons ille datur fidelibus, hoc est, sine vllis præcedentibus meritis hominum. Quod intelligendum qoantum ad radicem meriti, quæ gratis infunditur, scilicet charitatem, *Rom. 6. Gratia Dei vita æterna.*

Vers. 7. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus: & ille erit mihi filius.

[*Qui vicerit*:] quasi non dabo sitienti ad horam, sed perseueranti. [*qui vicerit*:] carnem, mundum, diabolum. [*possidebit hæc*:] id est, firmiter & immobiliter tenebit ea, quæ dicta sunt, carnis scilicet immortalitatem & iocorruptionem, *Supra 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Idem est lignum vitæ & fons vitæ. Sed

Fons dicitur quantum ad sitientem,
Lignum quantum ad esurientem.

[*Et ero illi Deus*:] omnia bona illi tribuens. [*Et ipse erit mihi filius*:] amore filiali me amplectens, 1. *Iohan. 3. Nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. 2. Cor. 6. Ego ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.*

V. 8. Timidis autē & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

[*Timidis autem*:] quasi ita remunerabuntur boni, [*autem*:] sed. [*timidis*:] qui timore pœnæ fidem suscipere fugiunt, vel susceptam deserunt. [*& incredulis*:] qui futura booa minime credunt. [*& execratis*,] id est, excommunicatis, & sine pudore peccantibus. [*& homicidis*:] spiritualibus vel corporalibus. [*& fornicatoribus*:] corporalibus vel spiritualibus. [*& veneficis*:] qui venenum ad literam ministrant: vel venenum malitiæ verbo vel exemplu infundunt. [*& idololatris*] id est, illis qui ad literam idola colunt, vel qoi maioribus adolanior. [*& omnibus mendacibus.*] *Glos.* quibus mendacium est in vsu. [*pars illorum*:] scilicet peccatorum. [*in stagno ardenti igne & sulphure*:] id est, in profonda damnatione inferni, vbi sunt ignis & sulphur. [*quod est mors secunda*:] prima mors est in anima per peccatum. secunda in anima & corpore per æternum supplicium, *Psalm. 10. Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.*

Vers. 9. Et venit ad me vnus de septem angelis habentib. phialas plenas septem plagis nouissimis, & locutus est mecum, dicens, veni, & ostendam tibi sponsam vxorem agni.

[*Et venit ad me*:] Hic determinatur de pulchritudine cœlestis ciuitatis & dignitate. &

Primo introducitur Angelus promittens Iohanni huius ciuitatis pulchritudinem.

Secundo ostenditur Iohanni spiritualis eleoatio: *& sustulit me.*

Tertio impletur promissio: *& ostendit mihi ciuitatem.* Dicit ergo:

[*Et venit ad me vnus de septem angelis*:] per septem angelos iotelliguntor vniuersi prædicatores. per septenariom enim intelligitur vniuersitas, quia † septem diebus torum tempus voluitur.

† *quinque MS.*

Prædicatores vero sunt Angeli, id est, nootij Domini. [*vnus ex septem angelis*:] secundum *Bedam*, est ordo prædicatorum, qui dicuntur *vnus* propter vnitatem fidei quam prædicant, & vnitatem charitatis, qua inuicem vniuntur. Iohannes ad quem venit † signat multitudinem auditorum, quibus prædicatores futura Ecclesiæ pandunt gaudia.

† *signat MS.*

Secundum *Haymonem*, vnus de septem angelis Christus est paternæ voluntatis nuntius, qui dicitur *angelus magni consilij. Isai. 9.*

Secundum aliam literam. vnus vero ex septem dicitur, quia caput est omnium electorum, eis conformis, † & non assumpta. Hic angelus venit per mysterium incarnationis, qui vbique est per potentiam diuinitatis. vel, venit per prædicatores cum per eos loquatur, secundum illud, 2. *Corinth. vlt. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Vnde in idem redeunt hæ duæ expositiones, cum Christus per inspirationem, & prædicationem corda humana illustrat. [*habentibus septem phialas plenas septem plagis nouissimis*:] quia ipsi pleni sunt diuina prædicatione & comminatione, qoa quidam aoditorum vulnerantur ad salutem, quidam ad sui perniciem: quæ dicuntur plagæ nouissimæ, quasi in nouissimo tempore missæ, 1. *Iohan. 2. Filioli nouissima hora est.* [*& locutus est mecum dicens veni*:] passibus fidei & amoris. [*& ostendam tibi sponsam, vxorem agni*:] id est, manifestabo tibi qualis Ecclesia nooc sit per fidem, & qualis postea futura sit, cum ad Dei peroenerit contemplationem. qoaliter autem dicatur sponsa & vxor supra dictum est.

† *forte lege sic: & per assumptionē humanitatis illius conuenit cum Haymonem in loco.*

V. 10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum: & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei.

[*Et sustulit me*:] id est, sursum tulit in spiritu. Sed nonne iam eleuatus fuerat cum dixerit *supra 1. Fui in spiritu in Dominica die.*

Resp. Hoc dictum est non quia prius eleuatos non esset, sed qoia secretiora & altiora ei modo ostenduntur quam prius.

[*In montem magnum & altum*:] Mons ille Christus est, de qno *Matth. 5. Non potest abscondi ciuitas supra montem posita.* Hic mons est

Magnus, quia impleuit vniuersam terram, *Dan. 2.* &

Altus, qoia super omnes sanctos, *Isai. 2. Erit in nouissima die præparatus mons domus Domini in vertice montium*: id est, sanctorum.

[*Et ostendit mihi*:] Hic soluit angelus quod promiserat: &

Primo ostenditur ciuitatis claritas.

Secnodo eius munitio: *& habebat murum.*

Tertio eius dimensio: *qui loquebatur mecum.*

Quarto ædificij materia: *& erat structura.*

Qointo eius dignitas: *& templum non vidi in ea.*

Dicit ergo: [*Et ostendit mihi ciuitatem*:] scilicet iustorū vniuersam collectionem. [*sanctam*:] per iostitiam. [*Hierusalem*:] per visionē internæ pacis æternam. [*nouam*:] à vetustate purgatam. [*descendentem de cælo à Deo*:] quia quod iuste viuit in tempore, quod beate viuit in æternitate, se totum cognoscit habere à Deo. [*habentem claritatē Dei*:] id est, à filio Dei illuminatam, *Iohan. 17. Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.*

Versic.11. Et lumen eius simile lapidi pretioso ranquam lapidi iaspidis, sicut crystallum.

[*Et lumen eius simile lapidi pretioso*:] Lumen Ecclesiæ & maxime triumphantis Christns est, cui Ecclesiæ dicitur, *Isai.* 60. *Venit lumen tuum Hierusalem*, & exponendo subditur, & *gloria Domini super teorta est*: id est, filius Dei glnria pattis. Filius sapiens Christus dicitur esse similis lapidi proptet dissolubilitatem & immortalitatem corporis. [*Pretiosus*] autem ptopter animæ sanctitatem. & qund subiicitur: [*tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum,*] teferri potest ad diuinitatem. Iaspis viridis coloris est: crystallus est transparens. viror visum delectat: corpus transpatens nihil absconsum dedit. Insinuatur ergo qnod visio diuinitatis in futuro non habebit ignorantiam vel tristitiam, immo plenam cognitionem & lætitiam, *Iohan.* 14. *Qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* *Isai.* 51. *Lætitia sempiterna super capita eorum.*

Vers.12. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis angelos duodecim; & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.

[*Et habebat murum*:] Hic primo ostēditut qualis & quantus est murus prædictæ ciuitatis.

Secundo tangitut de numero & dispositioue portarum: *habentem portas duodecim.*

Tertio de fundamēto muri: *& murus ciuitatis.*

Dicit ergo: [*Et habebat murum*:] Iste murus Chtistus est, de quo *Isai.* 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion saluator, ponetur in ea murus & antemurale.* [*magnum & altum*:] Dominus in Sion magnus & excelsus super omnes populns. [*habentē portas duodecim*:] scilicet duodecim Apostnlos, & omnem ordinem doctorum, sicut dicit *Haymo*, per quorum ministerium intramus in Ecclesiam, *Isai.* 62. *Transite per portas, præparate viam populo.* [*& in portis angelos duodecim*:] id est, in Apostulis omnes doctores, sicut sunt presbyteri & cæteri minores ordines Ecclesiæ præpositi, qui dicuntur angeli, sicut dicit *Haymo*, quia etsi magna non valeut, tameu minota qnæ acceperunt fideli populo nuntiare non desistunt, *Malach.* 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, angelus enim Domini exercituum est.* In duodecim ergo portis consistunt, quia doctores Ecclesiæ fidem & vestigia Apostolorum sequuntur, vt dicit *Haymo*. Quidam tamen legunt hanc literam sic: [*in portis*:] id est, in patriarchis. [*angelos duodecim*:] i.e. Apostolns vel Prophetas, qui dicūtnt angeli, quia sicut angelus coniungit dnos parietes, sic ipsi prædicatione sua se & alios coninnxerunt in fide vna. vel quia prædicauerunt duo, scilicet fidem & mores, relata ad vnum scilicet ad Christum. [*& nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel*:] filios Israel nunc dicit *Haymo*, non debemus iotelligere carnalitet duodecim filios Iacnb, sed patres spirituales ex eius progenie descendenres, vt Isaiam, Ieremiam cæterosq; Prophetas, qnorum nomina sunt scripta in portis, quia memoria eorum in fide continetur Apostolorum. qnod enim isti annuntiant iam factum, illi prædixerunt futurum.

Psalm. 98.

Haymo.

Haymo.

Vers.13. Ab oriente portæ tres: & ab aquilone portæ tres: & ab Austro, portæ rres: & ab occasu, portæ tres.

[*Ab orientē portæ tres*:] Pet orientem secuudum *Haymonem* populus Iudænrum intelligitut, de quo ortus est *Christus sol iustitiæ, Malach. vltimo.* Ab oriente ergo sunt portæ tres, quia illis fides Trinitatis annuntiata est. [*ab aquilone portæ tres*:] Per aquilonem, secundum *Haymonem*, intelliguntut Gentiles in fetuore infidelitatis & ignorantiæ positi: Ab aquilone ergo sunt portæ tres, quia gentiles per doctrinam Apostolorum fidem Trinitatis receperunt. Et quia primo crediderunt Indæi, deinde Gentiles, ideo primo dicitur ab oriente, deinde ab aquilone. [*& ab austro portæ tres*:] secundum *Haymonem* claritas fidei intelligitur lucentis in toto orbe terrarum, quia dum sol ad austrum vertitur, totum mundum illuminat, & signat Christnm luce fidei suæ illuminantem vniuersam Ecclesiam. Ab austro ergn sunt portæ tres, qnia fideles splendore fidei sanctæ Trinitatis illustrantut. [*Et ab occasu portæ tres*:] Per occasum secundum *Haymonem*, nooissima mundi ætas accipitnt, in qua eadem fides Trinitatis pet orbem diffunditur. Et dicuntur esse portæ duodecim desigoatæ tali numero, qui quatuot partes principales & æquales habet: quia fides Trinitatis pet qnatuor partes orbis prædicatur. Vel ad literam potest exponi hoc, quia à quatuor partihus mundi veniunt electi ad fidem Trinitatis, *Matthæi cap.* 8. *Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.* *Isai. cap.* 43. *Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni Da: & Austro, noli prohibere, affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.*

Ver.14. Et murus ciuitaris habens fundamenta duodecim: & in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum Agni.

[*Et murus ciuitatis*:] id est, fides charitatis, quæ Ecclesiam tuetur. [*habens fundamenta duodecim*:] *Gloss.* scilicet dnodecim Patriarchas, qni primi hanc fidem tenneruut. [*& in ipsis*:] id est, super hæc fundamenta duodecim. [*nomina duodecim Apostolorum*:] supple, scripta etant, quia eaodem fidem quam Patriarchæ tenuerunt, Apostoli prædicauerunt, *Psalm.* 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Montes sunt Patriarchæ & Prophetæ, per qnos fides Ecclesiæ fundata est. [*& Agni*:] scilicet nomen erat in ipsis fundamentis: id est, nomen Christi, quia ipsum crediderunt veuturum, quem Apostoli venisse prædicaueruot.

Ver.15. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem & portas eius, & mutum.

[*Et qui loquebatur mecum*:] Hic primo ostenditur Christus ad mensurandum patatus:

Deinde ostenditur dispositio & mensura ciuitatis: *& ciuitas in quadro.* Dicit ergo:

[*Et qui loquebatur mecum*:] scilicet angelus mysteria Iohanni ostendens. [*habebat mensuram arundineam auream*:] *Haymo*: Quia arundine scribitur, recte Scriptura sacra per arnndinem intelligitut, ab efficiente illud quod efficitut. Hæc arundo

Aurea

Aurea dicitur propter fulgorem sapientiæ.

Mensura dicitur, quia per Scripturam merita singulorum iudicantur & mensurantur. Ipsa enim docet quod secundum differentiam meritorum erit differentia præmiorum.

[*Vt metiretur ciuitatem:*] per quam signantur minores. [*& portas eius:*] scilic. prædicatores, qui alios ad fidem introducant. [*& murum eius:*] id est, Ecclesiæ defensores.

Versic. 16. Et ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo: & mensus est ciuitatem de arundine per stadia duodecim millia, & longitudo & latitudo eius æqualia sunt.

[*Et ciuitas:*] id est Ecclesia. [*in quadro posita est:*] id est, quadrata figura. Quatuor enim latera eius æquali spatio tenduntur. scilicet quatuor virtutes principales, quæ vt dicit *Haymo*, ita debent esse in electis, vt vna alteram non excedat.

Hanc quadratam ostendit *Augustinus sexto libro de Ciuitate.* Quicunque, inquit, æquales fuerint in fortitudine æquales sunt in prudentia, iustitia & temperantia. Si enim dixerit æquales istos esse in fortitudine, sed illum præstare prudentia, sequitur vt huius fortitudo minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, ex quo illi fortitudo est prudentior. [*& longitudo eius tanta est, quanta latitudo.*] longitudo pertinet ad virtutes cognitiuas: latitudo ad affectiuas. vnde ostenditur hic adæquatio amoris ad cognitionem.

[*Et mensus est:*] hic ostenditur mensura ciuitatis, vnde dicit: [*& mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia:*] Stadium est locus cursus & signat tendẽtes ad brauium, secundum *Glossam*. vnde per stadium intelliguntur illi, qui in exercitio virtutum laborant, vt ad præmium veniant. [*quæ sunt duodecim millia:*] in quo notatur triplex status, scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum. Duodenarius namq; fit ex ternario ducto per quaternarium, vel è contrario. per ternarium intelligitur status incipientium, fidem Trinitatis recipientium. Per quaternarium ductum per ternarium, status proficientium, qui in fide Trinitatis exercitio quatuor virtutum proficiunt. Per mille cum sit numerus ternam habens dimensionem (nam decies decem decies faciunt mille) intelligitur status perfectorũ. Hos omnes metitur angelus arundine aurea, quia Christus per sacrã Scripturam ostendit singulorum merita, & secundum merita præmia. *Dabit enim gratiam pro gratia, Iohan. 1.* Est ergo sensus: [*mensus est:*] scilicet Christus. [*ciuitatem:*] i.e. Ecclesiam. [*arundine aurea:*] i.e. Scriptura sacra. [*per stadia duodecim millia*] i.e. per omnem statum.

[*Lõgitudo & latitudo & altitudo eius æqualia sunt:*] Hic ostenditur mensura quoad virtutes theoricas, fidem, spem & charitatem. In longitudine intelligitur fides, cuius cognitio ostenditur à principio creationis vsque ad finem beatitudinis. Fides enim facit credere quod qui creauit & recreauit ipse etiam glorificabit. In altitudine intelligitur spes, quæ ab initio nostræ infirmitatis erigit mentem in sublimitate diuinæ maiestatis. In latitudine charitas, quæ se extendit etiam ad inimicos, *Matt. 5. Diligite inimicos vestros.* Fides, spes, charitas æquales sunt, quia quantum credit quis
Haymo. tantum sperat & diligit, vt dicit *Haymo*, & quantum sperat tantum credit & amat: & quantum diligit, tantum credit & sperat.

Vers. 17. Et mensus est muros eius centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis, quæ est angeli.

[*Et mensus est muros eius centum quadraginta quatuor cubitorum:*] per *centum* status perfectionis intelligitur, secundum illud *Matth. 19. Omnis qui reliquerit domũ vel fratres & sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Per *quadraginta*, status pœnitentium. Partes enim aliquotæ numeri quadragenarij simul congregatæ reddunt quinquaginta, qui est numerus remissionis. Quinquagesimus enim annus erat numerus remissionis, *Leuit. 25.* Ad signandum ergo quod per pœnitentiam ad plenam venitur remissionem, intelligitur per *quadraginta* status pœnitentium. per *quatuor*, status minorum, qui Trinitatem personarum in vnitate essentiæ confitentur.

Est ergo sensus. [*Et mensus est:*] scilicet angelus † ministeria ostendens. [*muros eius.*] scilic. Ecclesiam. Cum murus singulariter ponitur, signat Christum: cum sumitur pluraliter signat membra eius, specialiter defensores aliorum, vt dicit *Interlinearis.* † [*vt mensuratur:*] eorum scilicet minorum. [*centum cubitorum:*] quantum ad operationem perfectorum. [*quadraginta:*] quantum ad operationem pœnitentium. [*quatuor*] quantum ad operationem minorum. [*& mensura hominis quæ est angeli:*] Sunt enim angeli quidam superiores, sunt quidam inferiores, quidam medij: ita cum ruina angelorum cum hominibus sit reparanda, quidam ascendent ad ordinem superiorem angelicum, quidam ad medium, alij ad infimum, secundum quantitatem meritorum: & sic est mensura hominis, quæ est angeli, *Matth. 22. Erunt sicut angeli Dei in cælo.* Secundum *Bedam*, per hoc significatur Iohanni angelum apparuisse in figura hominis. quasi dicat, illa mensura qua mensurabat angelus erat mensura hominis: id est, in humana specie apparentis. Hæc expositio magis videtur concordare literæ.

† *lege forte mysteria.*

† *forte lege sic: [muros eius] scil. minorum, &c.*

Vers. 18. Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa vero ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo.

[*Et erat structura muri:*] hic ostenditur ædificij materia. [*& erat structura:*] id est, ædificatio muri, secundum *Haymonem.* [*ex lapide Iaspide:*] Iaspis viridis coloris est, & delectat visum, vnde signat Christum, in cuius visione erit summa delectatio, *Iohan. 10. Per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur*, cõtemplando diuinitatem: *& egredietur*, videndo humanitatem: *& pascua inueniet*, habẽdo in vtroq; delectationem. Item per Iaspidẽ designantur electi, in quibus vigor fidei non marcescit. Ex Iaspide ergo est structura muri, quia prius in Ecclesia fundamentum Christi constituitur, *1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Cui fideles superponuntur, secundum illud, *1. Petr. 2. Ipsi tanquam lapides viui superædificamini:* prius dixit, Ad quem accedẽtes lapidem viuum, & sic tota structura muri Ecclesiæ est ex lapide Iaspide. [*ipsa vero ciuitas aurum mundum:*] est supple. [*simile vitro mundo:*] aurum fulgẽs præ cæteris metallis splendorem

dorem electurum designat, *Matth.* 13. *Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Vitrum transpaset, vnde quod in vase vitreo ponitur exterius conspicitur. ideo per vitrum puritas cordium intelligitur, quæ in patria ab omnibus videbitur.

Gregorius. *Gregorius*: Vniuscuiusque mentem ab occultis alterius, membrorum corpulentia non abscondet. Est ergo ciuitas [*aurum mundum,*] quantum ad splendorem. [*similis vitro mundo,*] quantum ad transparentiam. In auro ostenditur gloria animæ, in cuius splendore intelligitur lux cognitionis: in pondere, affectio amoris. in vitro ergo gloria corporum.

Vers. 19. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, iaspis: secundum, sapphirus: tertium, calcedonius: quartum, smaragdus.

[*Fundamenta muri ciuitatis, &c.*] Primum fundamentum huius ciuitatis vnum est, scilic. Christus, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, *Ephes.* 2. Fundamenta secundo posita multa sunt: primũ prædicatores, super quorum doctrinam & exempla structura Ecclesiæ erecta est: secundum illud *Ephes.* 2. *Vos estis ciues sanctorum & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo.*

[*Hæc fundamenta muri ciuitatis sunt ex omni lapide pretioso ornata:*] id est, omnibus virtutibus decorata, vt dicit *Haymo*, 3. *Regum* 5. *Præcepit rex vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi.* [*Et fundamentum primum:*] id est, fundamenti primi ornamentum. [*iaspis:*] In iaspide signatur fides sanctorum semper virẽs per bonam operationem, & non marcescens per persecutionis ardorem. vnde dicitur primum fundamentum, quia ex ipsa cæteræ generantur virtutes, secundum illud, *Matth.* 1. *Abraham genuit Isaac, Isaac Iacob: Gloss.* Fides spem, spes charitatem. quod non est intelligendum de virtutibus, quæ simul

† forte lege, sed. Infunduntur; † hoc de actibus quorum vnus ab alio generatur. [*Secundum sapphirus:*] cuius color cœlo sereno similis est, & signat altitudinem spei sanctorum, quorum cõuersatio in cœlis est, *Phil.* 3. [*tertium calcedonius:*] hic lapis secundum *Haymonem* fortissimę naturę est, ita vt omni sculpenti resistat, & ideo charitatem sanctorum signat, quæ eos inter aduersa huius seculi inuictissimos reddit, *Cant.* 8. *Fortis est vt mors dilectio.* Hic lapis calefactus à sole paleas ad se trahit: sic sanctorum charitas peccatores trahit exemplo. *Ierem.* 31. *In charitate perpetua dilexi te.* [*quartum est smaragdus:*] Hic lapis, vt dicit *Haymo*, tantæ viriditatis est, vt omnem virorem herbarum superet, & etiam aerem circumfusum viridem reddat, & signat virginitatem, quæ virorem carnis integræ seruat.

Vers. 20. Quintum sardonix: sextum sardius: septimum chrysolythus: octauum berillus: nonũ topazius: decimum, chrysophrasus: vndecimum, hyacinthus, duodecimum, amethystus.

[*Quintum sardonius vel sardonix:*] Hic lapis se-

Isidorus. cundum *Isidorum* candorem habet vt onyx, ruborem sicut sardius, & ab vtroque nomen accepit: trium colorum est: primus niger est, medius candidus, superior rubeus. In hoc signatur patientia. qui exterius apparent nigri, id est despecti, interius tamen in conscientia sunt candidi, desiderio vero martyrij sunt rubei. [*sextum sardius:*] Hic lapis, vt dicit *Haymo*, terræ rubeæ speciem tenet, & signat sanctorum humilitatem, qui licet ad sublimia intelligenda ducantur, tamen semper student suam recognoscere fragilitatem. hic lapis dictus est sardius, quia primo in Sardis repertus est. [*septimum chrysolitum:*] Hic lapis, vt dicit *Beda*, quasi aurum fulget, dictus à *chrysos*, quod est aurum, & videtur emittere ex se se quasi ardentes scintillas, & signat sapientiam sanctorum, quæ eos splendere facit, & verba exhortationis in proximos velut scintillas ignis emittere. [*octauum Beryllus:*] Hic lapis, vt dicit *Haymo*, duos colores habet, viridem & pallentem, & signat vitam illorum, qui contemplationi æternorum bonorum ad tempus inhærent, & iterum cura administrationis fraternæ ad pallorem redeunt. & qui paulo ante fuerunt virides in Dei cõtemplatione, fiunt pallentes in temporalium rerum administratione, & sic sunt Martha & Maria. [*nonum topazius:*] Hic lapis omnium colorum lapides in se habet, vt dicit *Haymo*, vnde & nomen accepit. *Pan* enim Græce dicitur *omne*, & signat sanctos omnibus virtutibus refertos, & quasi multis coloribus sic multis virtutibus lucentes. [*decimum chrysopprasus:*] Hic lapis, vt dicit *Haymo*, aurei coloris est & viridis parum distans à beryllo. signat electos sapientia splendentes & viriditate fidei semper ad cœlestia tendentes. se-

cundum *Isidorum* hic lapis Indicus est, quia in India inuenitur; coloris est purpurei, & guttulis distinctus aureis, vnde & nomen accipit. dicitur enim *chrysophrasus*, quasi passim habens aurum, & signat desiderium cœlestis patriæ, quia quanto plus tribulationibus concutitur, tanto amplius accenditur. Isidorus.

Gregorius: Quod flatus carboni, hoc facit tribulatio charitati. [*vndecimum hyacinthus:*] hic lapis cũ aere mutatur, in sereno perspicuus, in nubilo obscurus, & signat virtutem discretionis, qua sancti aliis se cõformant, vt eos lucrifaciant, 1. *Corinth.* 9. *Omnibus omnia factus sum, & omnes facerem saluos:* secundum *Haymonem* hyacinthus similis est aquæ radio solis perfusæ, & signat electos sapientia Dei repletos. [*duodecimum amethystus:*] de quo dicit *Isidorus* inter gemmas purpureas principatum Amethystus tenet. purpureus quidem est permisto colore violæ & rosæ, quasdam flammulas de se effundens, & est facilis ad sculpendum: vnde signat humilitatem cuius comes est obedientia, vt dicit *Ambrosius*. Color purpureus pertinet ad eos, qui se & alios bene regunt. purpura enim est regium indumentum. violaceus color, quia viola herba humilis est, pertinet ad humilitatem: roseus ad charitatem. effusio flammulæ, ad proximi ædificationem vel consolationem. Gregorius. Isidorus. Ambrosius.

Ver. 21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas: & singulæ portę erant ex singulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.

[*Et duodecim portæ:*] supple cum sint in ciuitate, vt prædictum est. [*duodecim margaritæ sunt per singulas portas:*] ita quod quælibet porta habet duodecim margaritas, quod referendum est ad in-

troeun-

troeuntes per has portas. Margarita candorem habet, vnde ſignat nitorem beatitudinis electorum. In generatione Margaritæ duo concurrunt, ſcilicet apertio conchæ marinæ, & ros cœli. Apertio conchæ pertinet ad liberum arbitrium: ros cœli ad gratiam infuſam. liberum enim arbitrium cum gratia principium eſt merendi gloriam. In duodenario numero deſignatur, quod intreuntes per has portas, ſcilicet per prædicatores, ad fidem Trinitatis ex quatuor partibus mundi ſunt vocati. Ternarius enim & quaternarius duodenarium conſtituunt, ſi alter numerus per reliquum multiplicetur. Cum vero quælibet portarum, quæ ſunt duodecim, margaritas duodecim habeat, ſunt duodecies duodecim margaritæ, ſiue centum quadraginta quatuor, per quem numerum vniuerſitas fidelium in triplici ſtatu ſignatur, vt dictum eſt *ſupra verſu decimoſeptimo*. In hoc ergo quod ſingulę duodecim portarum habēt duodecim margaritas, deſignatur quod per Apoſtolos, & alios prædicatores introducuntur ad fidem Trinitatis fideles à quatuor partibus mundi ſecundum omnem ſtatum. [*& ſingulæ portæ erant de ſingulis margaritis:*] id eſt, vnaquæq; porta erat vna gemma. Ad hoc enim vt eſſent portæ oportuit prius eſſe margaritas, vt dicit *Gloſſa*. [*& platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum:*] Sed quomodo differt ab eo, quod dictum eſt prius *verſu* 18. huius capitis: *Ipſa ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.*

Reſpon. Sicut in hac vita alius inuenitur alio ſanctior: ſic in illa beatitudine alius alio eminentior, 1. *Corinth.* 15. *Stella à ſtella differt in claritate.* [*Fundamenta ciuitatis,*] deſignant ſpecialiter fortiſſimos doctores Eccleſiæ: [*murus*] ſuper fundamenta conſtitutos alios perfectos: [*platea,*] homines minoris meriti. platea enim iacet inferius reſpectu ædificiorum ciuitatis, ad oſtendendum ergo quod tales non fundantur à fulgore & tranſparentia, quæ eſt in aliis, dicitur hic, [*platea ciuitatis aurum mundum.*]

Verſic. 22. Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt & agnus.

[*Et templum:*] Hic oſtenditur dignitas, ſiue nobilitas ciuitatis: &

Primo quoad *templum.*

Secundo quoad claritatem: *& ciuitas non eget.*

Tertio quoad ſecuritatem: *& portæ eius nō claudentur.*

Quarto quoad refectionem: *& oſtendit mihi: in principio capituli* 22.

Dicit ergo: [*Et templum:*] ſcilicet materiale. [*non vidi in ea:*] in quo innuitur carentia omnis mali, & præſentia omnis boni. templum enim materiale locus eſt diuinis deditus, *Iſaiæ capite quinquageſimo ſexto: Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus, qui congregat diſperſos Iſrael.* Oratio autem fit pro malis amouendis, aut bonis adipiſcendis. vnde innuitur in hoc, quod dicit ſe non vidiſſe templum, quod nullum malum ibi erit, pro quo malo amouendo fiat oratio: nec oportebit aliquod bonum adipiſci cum ibi omne bonum habeatur. [*Dominus enim omnipotens templum eius eſt:*] id eſt. omnimoda quiēs electorum. [*& agnus:*] id eſt, Chriſtus, innocens pro nobis immolatus, per quod innuitur quod Chriſtus eiuſdem naturæ ſit cum patre.

Verſ. 23. Et ciuitas non eget Sole neq; luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus.

[*Et ciuitas:*] Hic primo oſtenditur quod illa ciuitas Dei claritate illuſtrabitur.

Secundo, qui illa luce digni habeantur: [*Et ambulabunt gentes.*] Dicit ergo: [*Et ciuitas:*] ad literam. [*non eget ſole neque luna, vt luceat in ea:*] *Iſaia cap.* 60. *Non erit ibi ſol amplius ad lucendum per diem, neque ſplendor lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem templi*: & ſubditur cauſa quare non egeat ſole vel luna ciuitas illa. [*nam claritas Dei:*] id eſt, quæ eſt Deus. [*illuminabit eam:*] *Infra* 22. *Non egebunt lumine lucernæ neque ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos,* [*& lucerna eius eſt Agnus:*] id eſt, Chriſtus habens in ſe lumen diuinitatis, *Sapient. cap.* 7. *Candor eſt lucis æternæ.* In quo innuitur quod Chriſtus idem lumen ſit cum patre, quia lucerna, &c.

Verſ. 24. Et ambulabunt Gentes in lumine eius: & reges terræ afferent gloriam ſuam in honorem in illam.

[*Et ambulabunt Gentes:*] id eſt, minores. [*in lumine eius:*] ſcilicet fidei, in via. *Beda*: ipſo lumine *Beda.*
fruentur in patria, quo nunc regimur gradientes in via. [*& ipſe agnus:*] nunc eſt peregrinantibus via, qui tunc erit ciuibus vita, *Iohan.* 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* [*Et reges:*] id eſt maiores, qui nouerunt ſe & alios regere: [*reges*] inquam, [*terræ,*] qui terrenitatem regunt, id eſt, carnem de terra, ne ſuperbiat contra ſpiritum. [*afferent gloriam ſuam:*] ſcilicet puritatem conſcientiæ. 2. *Corinth.* 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* [*& honorem:*] id eſt, ſubditorum profectum, 1. *Theſſal.* 2. *Quæ eſt ſpes noſtra, aut gaudium aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? Haymo*: Recte ho- *Haymo.*
nor regum vocantur hi, pro quibus iidem reges coronantur. [*in illam:*] ſcilicet ciuitatem.

Verſ. 25. Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic.

[*Et portæ eius:*] Hic oſtenditur ſecuritas ciuitatis. [*& portæ eius:*] id eſt, prædicatores per quorum doctrinam eſt ingreſſus in Eccleſiam. [*non claudentur per diem:*] ergo nunquam claudentur, quia ibi erit dies perpetua, *Zachar. cap.* 14. *Erit dies vna quæ nota eſt Domino*: vnde ſubditur: [*nox enim non erit illic:*] ad literam, nec ea, quæ per noctem intelliguntur, vt aduerſitas vel ignorantia.

Haymo: Quaſi clauduntur portæ dum ſancti *Haymo.*
prædicatores diabolum repellunt à cordibus fidelium, ipſumque aditum intrandi ei denegant. Ideo iam ibi portæ non claudentur, quia ſublato noctis timore perpetua dies electis fulgebit: nec obſtat cum dicitur, *Matthæi cap.* 25. *Clauſa eſt ianua*, quia ibi loquitur de reprobis quibus clauſa erit, quia intrare non poterunt: hic vero de bonis quibus non claudetur.

Verſ. 26. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

[Et

[*Et afferent:*] ſcilicet prædicatores, qui prius dicti ſunt reges, vt dicit *Haymo*. [*gloriam gentium:*] id eſt, gentes glorificatas Deo repræſentabunt, vt dicit *Interlinearis*. [*& honorem:*] id eſt, puritatem conſcientiarum. [*in illam:*] ſcilicet ciuitatem. Illos enim quos prædicando introduxerunt ad fidem, ſecum ad cœleſtem patriam adducent.

Verſ. 27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

[*Non intrabit:*] Hic primo oſtenditur, qui non intrabunt in cœleſtem ciuitatem.

Secundo qui intrabunt: *niſi qui ſcripti ſunt*. Dicit ergo:

[*Non intrabit in eam aliquod coinquinatum:*] quoad immunditiam cordis. [*& faciens abominationem:*] quoad immunditiam operis. [*& mendacium:*] quoad immunditiam oris, *Iſai. 35. Non tranſibit per eam pollutus. Infra 22. Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* [*niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni:*] *Haymo*: Hi ſoli cœleſtē ingredientur Hieruſalem, qui in Dei præſcientia ad hoc ante omnia ſecula præordinati ſunt. *Supra 20. Qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Liber vitæ eſt præſcientia Dei, qui eſt liber agni, id eſt, Chriſti, qui non ſolum eſt homo, ſed Deus. vnde eſt vera vita.

Cap. XXII.

Verſ. 1. Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.

[*Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam cryſtallum, &c.*] Hic oſtenditur nobilitas, ſiue dignitas cœleſtis ciuitatis quantum ad eius refectionem: &

Primo deſcribitur beata refectio ſub ſimilitudine fluuij.

Secundo refectionis continuatio: *& omne maledictum.*

Tertio tangitur de viſione Dei, in qua erit illa refectio: *& videbunt faciem eius.* Dicit ergo:

[*Et oſtendit mihi fluuium:*] vel flumen, [*aquæ viuæ,*] vel vitæ. Fluuius ille eſt æterna beatitudo, quæ *ſupra 21.* dicitur fons, *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* & *Pſalm. 35. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. quoniam apud te fons vitæ.* [*vitæ*] aut [*aquæ viuæ*] dicitur, quia viuere facit, *Iohan. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei non ſitiet in æternum, ſed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* [*ſplendidum:*] quia æternaliter fulgebunt, *Matthæi 13. Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.* [*tanquam cryſtallum:*] propter tranſparentiam. quia ſecundum *Gregorium*, vniuſcuiuſque mentem ab occultis alterius, membrorum corpulentia non abſcondet. [*procedentem de ſede Dei:*] id eſt, de maioribus ſanctis, qui ſpecialiter dicuntur ſedes Dei, de quibus in *Pſalmo centeſimo viceſimoprimo: Illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid.* Et notatur hic ordo in gloria bonorum, quia maiores ſancti habent gloriam vberiorem. [*& agni:*] id eſt, Chriſti. intelligitur autem Spiritus ſanctus cum Patre & Filio. *Gregorius.*

Verſ. 2. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium.

[*In medio plateæ eius:*] id eſt, minorum ſanctorum, quia via latiori inceſſerunt. & inſinuatur quod beatitudo, quæ in maioribus ſanctis tanquam fons redundabit, per eos ad minores deriuabitur. manifeſte enim apparebit quod per illuſtrationem maiorum minores ſalui erunt. [*& ex vtraque parte fluminis lignum vitæ:*] in quo oſtenditur quod hæc refectio erit angelicæ naturæ & humanæ. flumen cuius impetus lætificat ciuitatem Dei fluit per medium ciuitatis, quæ conſiſtit ex hominibus & angelis, ex vna parte fluminis eſt angelica natura, ex altera humana. lignum vitæ eſt Chriſtus, Dei ſapientia, angelos & homines reficiens, *Prouerb. 3. Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam beati. Haymo.* Quod ſuperius deſignatur per fontem aquæ viuæ, hic nunc deſignatur per lignum ex vtraque parte fluminis poſitum, contemplatio ſcilicet Dei, quæ angelicam ſimul & humanam naturam hinc inde ſociat. [*afferens fructus duodecim:*] Apoſtolorum. hanc mercedem meruerunt. vel quia ſunt eorum, qui in fide Trinitatis cum exercitio virtutum perſeueranter vixerunt. Ternarius enim ductus per quaternarium reddit numerum duodenarium. [*per menſes ſingulos reddens fructum ſuum:*] ſicut dicit *Ambroſius*: ſolet Dei æternitas aliquando per vnum diem deſignari, vt in *Pſalmo 83. Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* aliquando per menſem, vt de requie electorum dicitur *Iſaiæ vltimo: Erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato.* Ita hic: vnde ſenſus eſt: [*per menſes ſingulos reddens fructum ſuum:*] id eſt, æternaliter. [*& folia ligni:*] Hoc pertinet ad laudem quæ erit in cœleſti ciuitate, de qua *Pſalmo 83. Beati qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* *Haymo.*

Beda: Si per fructus merces beatæ immortalitatis accipitur, recte per folia perpetuus intelligitur cantus. vnde ſenſus eſt. [*& folia ligni vitæ:*] id eſt, laudes quæ ex guſtatione ligni vitæ orientur. [*ad ſanitatem gentium:*] ſupple erunt. *Ambroſius.* Quaſi quoddam ſanitatis cataplaſma ex foliis ligni gentibus ad ſanitatem imponitur, cum earum corda perpetua luſus† cantoris obtinens, nullam in eis fatigationem, nullam triſtitiam ſinit ineſſe, *Ezech. cap. 47. Orietur in ripis eius ex vtraque parte lignum pomiferum:* & ſubditur: *& erunt fructus eius in cibum, & folia in medicinam.* *Ambroſius.* *† legendum ſic: creatoris replens, &c.*

Nota ſuper illud: [*Lignum vitæ ex vtraque parte fluminis afferens duodecim:*] quod ſecundum *Gloſſam*, duæ partes fluminis ſunt duo ſtatus ſanctorum: ſcil. vita præſens & futura, ſc. ſtatus gratiæ & gloriæ. Fluuius eſt vita hominis, quæ ſemper hic fluit & labitur ad modū fluminis. In vna parte, vel ripa fluminis ſcilicet in hac vita præſenti, Chriſtus eſt lignum vitæ per ſui & ſanguinis exhibitionem in Sacramento altaris, *Matthæi cap. 28. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* In alia parte, vel ripa fluminis, ſcilicet in vita futura, idem eſt lignum vitæ per ſuæ ſpeciei tam humanæ quam diuinæ exhibitionem. hic nos reficit per fidem, ibi per ſpeciem, [*afferens fructus duodecim:*] vtrobique: de illis quos hic affert Apoſtolus, *Galat. cap. 5.*

Fructus

Fructus spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Fructus autẽ quos affert in futuro sunt duodecim fercula, quæ ministrat sanctis in mensa æternæ refectionis.

1 Primus est vita sine morte, *Isaiæ 15. Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum. Augustinus*: Chri-
Augustin. stus erit ibi beato cibus ne deficiat, potus, ne sitiat, vita ne ipsum aliquis senectus dissoluat.

2 Secundus, sanitas sine ægritudine. *Gloss.* super illud *Psalmi 146. Qui sanat contritos corde*: in futuro erit perfecta sanitas, vbi corruptibile hoc induet incorruptionem.

3 Tertius plenitudo sine diminutione, *Psal. 64. Replebimur in bonis domus tuæ.* & *Isa. 49. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. & erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ.*

4 Quartus satietas sine fastidio, *Ecclesi. 24. Qui edunt me adhuc esurient: & qui bibunt me adhuc sitient.*

5 Quintus, securitas sine timore, *Psal. 90. Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die.* & *Prouerb. 1. Qui me audit sine timore requiescet.*

6 Sextus gaudium sine tristitia, *Isai. 51. Gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. Iohan. 16. Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

7 Septimus pax sine discordia, *Psal. 36. Delectabuntur in multitudine pacis.* & causa huius erit, quia sicut dicit *Gregorius*: totũ corpus ibit in spiritum, totus spiritus in affectũ, totus affectus in Deum.

8 Octauus libertas sine seruitute, *Iob. 3. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à domino suo.*

9 Nonus claritas sine obscuritate, *Supr. 21. Ciuitas illa non eget sole neq; luna vt luceant in ea. nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus.*

10 Decimus pulchritudo sine deformitate, *Supr. 21. Nihil coinquinatum intrabit in eam.*

11 Vndecimus laus sine intermissione, *Psalm. 83. Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te.*

12 Duodecimus vacatio ab omni labore, *Supra 14. A modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.*

Augustin. *Augustinus de ciuitate Dei.* Ibi vocabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus, ecce quid erit in fine sine fine. nam quid aliud noster est finis, nisi peruenire ad regnum cuius nullus est finis? quid plura? Tanta, dicit idem *Augustinus de ciuitate Dei*, pulchritudo & iocunditas lucis æternæ, quod si non liceret in ea amplius manere quam vnius diei hora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ, pleni deliciis atque diuitiis recte meritoq; contemnerentur.

Vers. 3. Et omne maledictum non erit amplius: & sedes Dei & Agni in illa erunt, & serui eius seruient illi.

[*Et omne maledictum*:] Hoc pertinet ad continuationem refectionis: &

Primo ostenditur quod non erit ibi iniquitas.

Secundo quod Deus quiescit in sanctis: *sed sedes Dei.*

Tertio quod sancti facient beneplacitum Dei: *ei serui eius.* Dicit ergo:

[*Et omne maledictum*:] id est, causa maledictionis, scilicet peccatum, vt patet in maledictione Adæ & Euæ, *Genes. 3.* [*non erit amplius*:] *Isa. 60. Non audietur vltra iniquitas tua in terra*, scilicet iudicij. [*sed sedes Dei*:] scilicet patris, [*& Agni*:] id est, Christi innocentis pro nobis immolati. [*erunt in illa*:] *Interlinearis*: æternaliter requiescet Deus Trinitas & Christus homo in illis. Sed cũ superius posuit vnam sedem Dei & Agni, de qua flumen procedebat. quare introducit nunc plures sedes.

Respondet *Haymo*, dicens hoc significant plures sedes quod vna, id est electorũ Ecclesiam, quæ propter vnitatem fidei in vna sede, propter diuersitatẽ gentium in pluribus exprimitur [*& serui eius seruient ei*:] id est, facient beneplacitum voluntatis eius. *Interlinearis*: nullo modo inquietabunt.

Sed cũ Dominus dicat discipulis adhuc mortalibus: *iam non dicam vos seruos Iohan. 15.*

Respondet *Ambrosius*, dicens: Sciendum nobis est, quia in eo quod in laboris certamine non desudabunt, sed in æterna quiete fouebuntur, liberi erunt: quia vero à superiore nunc regentur non timoris, sed amoris serui erunt.

Vers. 4. Et videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum.

[*Et videbunt*:] Hic ostenditur quod refectio erit in Dei visione. [*& videbunt faciem eius*:] *Haymo.* Primo perfectam eius cognitionem habebunt, quia dicit *Glossa*, videbunt faciem eius non in ænigmate vt nunc, sed sicut est. Nec hoc pueriliter intelligendũ est, vt putemus Deum Trinitatem habere faciem, quæ corporeis oculis videri possit: sed quia in facie hominis cognitio est, ideo hic per faciem quãm electi videre dicuntur, nihil aliud quam cognitio Trinitatis intelligitur. [*Nomen eius*:] id est, Dei. [*in frontibus eorum*:] id est, in manifesto. dicentur enim Dij, *Isai. 62. Vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit.* in *Psal. 81. Ego, inquit, dixi dij estis, & filij excelsi omnes.*

Vers. 5. Et nox vltra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in secula seculorum.

[*Et nox vltra non erit*:] id est, nulla obscuritas nec corporalis, nec spiritualis erit in sanctis, *Supr. 21. Nox non erit illic.* & *vers. 23. Claritas Dei illuminabit eam.* [*& non egebunt lumine lucernæ*:] quo vtuntur in nocte pro consolatione, quia vltra non erit nox. [*neque lumine solis*:] ad exercenda diurna opera, quia iam non laborabunt, *Supr. 14. A modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Supra 21. Non eget sole neque luna vt luceant in ea.*

[*Quoniam Dominus Deus illuminabit illos*:] *Isaiæ 60. Erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* [*& regnabunt in secula seculorum.*] id est, sine fine. *Supr. 20. Erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis*: id est semper, ponendo finitum pro infinito.

Vers. 6. Et dixit mihi, hæc verba fidelissima sunt & vera. Et Dominus Deus spirituum Prophetarum misit angelum suum ostendere seruis suis, quæ oportet fieri cito.

[*Et dixit mihi, hæc verba*:] Post exordium & narrationem huius libri, hic sequitur conclusio operis: &

Primo opus illud commendat.

Secundo tangit de inuitatione ad doctrinam istam: *& sponsus & sponsa dicunt, veni.*

Tertio fit comminatio addentib. vel subtrahentib. à doctrina ista: *contestor enim omni audienti.*

Cc Quarto

Quarto optat Ioannes gratiam omnibus sanctis: *Gratia Domini nostri Iesu Christi.*

In prima primo commendatur opus auctoritate Angeli, qui † mysteria ostendit.

† ministeria. M S.

Secundo auctoritate Iohannis, qui hæc audiuit & vidit: *& ego Iohannes.*

Tertia auctoritate Christi, qui angelum misit: *Ego Iesus misi angelum.*

In prima primo introducitur angelus testificans visionis veritatem.

Secundo reuelationis necessitatem: *quæ oportet fieri cito.*

Tertio visionis vtilitatem: *Beatus qui custodit.*

Dicit ergo: [*Et dixit mihi angelus:*] qui mysteria ostendebat. [*Hæc verba:*] quæ ab initio libri dicta sunt. [*fidelissima sunt:*] quia quicquid dictum est, veraciter implebitur. [*& vera:*] quia à Deo vero sunt prolata: sic exponit *Haymo*: sed quare dicit hoc, cum Iohannes non dubitaret de veritate & fidelitate verborum.

Beda. Respondet *Beda* dicens: Non de Iohannis diffidentia dubitabat, sed veram visionē omni Ecclesiæ, in qua paruulos futuros nouerat commēdabat: & quod vera & fidelia sunt probat per hoc quod subdit: [*Dominus Deus spirituum Prophetarū:*] id est, quia in potestate habet dona Spiritus sancti, per quem locuti sunt Prophetæ, 2 *Pet.* 1. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

Ambrosius. [*misit angelum suum:*] *Ambrosius.* Pater & Filius & Spiritus sanctus inseparabiliter hæc cuncta reuelarunt mysteria, licet angelus per quem missa sunt solius verbi incarnati personā gessit. [*ostendere:*] id est, vt ostenderet. [*seruis suis,*] scilicet humilibus, *Matth.* 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* [*quæ oportet fieri cito:*] Hoc est, remuneratio, & reproborū damnatio. ad confirmandum vero hoc, quod ea oportet fieri cito introducitur Christus asserens se cito venturum, cum dicitur:

Vers. 7. Et ecce venio velociter. Beatus qui custodit verba prophetiæ libri huius.

[*Et ecce venio velociter:*] *Ioel. vlt. Cito velociter reddam vicissitudinem super caput vestrum.*

Haymo. *Haymo*: Quia omne tempus præsentis vitæ, comparatione æternitatis veluti momentaneum habetur, idcirco se venire velociter protestatur, 1. *Ioh* 2. *Filioli nouissima hora est.*

[*Beatus qui custodit:*] Hic ostenditur vtilitas visionis. [*beatus enim qui custodit:*] id est, opere implet. [*verba prophetiæ huius libri:*] *Supra* 1. *Beatus qui legit & qui audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt. Luc.* 11. *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.*

Vers. 8. Et ego Iohannes, qui audiui & vidi hæc. Et postquam audissem & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat.

[*Et ego Iohannes:*] Hic primo commendatur opus auctoritate angeli † ad ostendendū qualem se habuerit Iohannes, quia cecidit ad pedes angeli vt eum adoraret. *& postquam audissem:* † & quod adoratio illa prohibita fuit: *vide ne feceris.*

† forte lege sic: secundo ostenditur, &c.

† Tertio quod illa adoratio, &c.

Quarto quod etiam prohibita fuit ei signatio verborum huius libri: *ne signaueris.*

Dicit ergo: [*Et ego Iohannes:*] qui nihil falsum soleo vobis scribere vel dicere, vt dicit *Interlinearis*: supple sum perhibens testimonium. [*qui audiui:*] voces. [*& vidi:*] figuras. [*& postquam audiuissem & vidissem cecidi:*] id est, humiliaui me. [*vt adorarem ante pedes angeli:*] id est, vt honorem reuerentiæ ei exhiberem. Angelus corpus æthereum suscepit, & ideo pedes habere describitur. Hic instruimur quod reuerentiam exhibere debemus his à quibus erudimur.

Sed cum *supra* 19. hoc fuerit prohibitum Iohanni, quare iterum tentauit?

Resp. Licet humilitas ad tempus obedientiæ cedat, nō tamen ab actu suo semper cessat, secundum *Glossam. Matth.* 3. *Sine modo*: sequitur: *& dimisit eum.*

Glossa: Vera humilitas est quam consequitur comes obedientia. præualuit humilitati, sed ad tempus Ioannes. & licet vellet eum adorare adoratione duliæ, & bene faceret, prohibitus est, & propter melius ad ostendendum exaltationem humanæ naturæ in Christo, & ad dandum humilitatis exemplum, & propter periculum idololatriæ in aliis vitandum. Simile *Act.* 10. *Cornelius procidens ad pedes Petri adorauit: Petrus vero leuauit eum, dicens: & ego ipse homo sum sicut & tu.*

V. 9. Et dixit mihi, vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui seruāt verba libri huius. Deum adora.

[*Conseruus enim tuus sum:*] quia vnius Domini serui sumus. [*& fratrum tuorum Prophetarum:*] *Gl.* id est, prædicantium: supple sum conseruus. [*Deum adora:*] non me, *Matth.* 4. *Dominum Deum tuum adorabis. Augustinus*: Angeli nolunt sibi sacrificari, sed ei cui & ipsi nobiscum sacrificādum esse nouerunt, scilic. Deo, cuius æternitate firmi sunt, & veritati certi, & munere sacti. *Augustin.*

V. 10. Et dixit mihi, ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim prope est.

[*Et dixit mihi, ne signaueris:*] Hic primo prohibetur occultatio mysteriorū Ioanni reuelatorū.

Secundo ostenditur ratio prohibitionis: *tempus enim prope est.* Dicit ergo:

[*Ne signaueris:*] id est, clauseris vel occultaueris. [*Verba prophetiæ huius libri:*] Simile *Abac.* 2. *Scribe visum & explana eum super tabulas.* Hæc autem reuelatio fienda est, vt boni in doctrina proficiant, & mali non possint se excusare per ignorantiam, & sic iustius puniantur, & iustior appareat pœna eorum, qui bonum quod audierunt facere contempserunt.

Sed quare dicitur hic, *ne signaueris*, cum *sup.* 10. dictum sit: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua?* *Obiectio.*

Respondet *Haymo* dicens: quod malis & contemptoribus signanda sunt, & claudenda diuina mysteria, *Matth.* 7. *Nolite sanctum dare canibus.* fidelibus autem manifestanda sunt. vnde supra *vers.* 6. dictum est: *Misit angelum suum ostendere seruis suis.* [*tempus enim prope est:*] hic redditur ratio quare non sunt signanda verba prophetiæ huius, quæ duplex est scilicet breuitas temporis, & apparentia diuinæ iustitiæ: *qui nocet noceat adhuc.* *Haymonis responsio.*

Tertio ponitur rationis vtriusq; confirmatio: *ecce venio cito.*

Dicit ergo: [*tempus enim prope est:*] quo hæc debent impleri. *Beda*: Propinquante iudicio manifestari oportuit. Dei præcepta, iudicia atq; promissa,

missa, quorum obseruatione præmium mites acquirant, neglectu pœnã contumaces incurrant.

Vers. 11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.

[*Qui nocet, noceat adhuc:*] *Beda*: iudicia hic occulta, sed iusta demonstrat, quibus mali homines in peius proficere permittuntur, & peruenire ad summam nequitiam, vt possit iustum iam venire iudicium. [*qui nocet:*] mala operando. [*noceat adhuc:*] post ostensionem libri, ea quæ in eo scripta sunt contemnendo. [*& qui in sordibus est:*] vitiorum. [*sordescat adhuc:*] & ad deteriora labatur. & dicit hoc permittendo non operando aut optando.

Ambrosius. *Ambrosius*: Ita districti iudicis exigit, vt qui eum ad innocentiam sequi cõtempserunt, adhuc magis nocere permittantur, *Ps. 8. Nõ audiuit populus meus vocem meam* sequitur: *& dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Eccl. 3. Peccator adiiciet ad peccandum.*

[*Et iustus iustificetur adhuc:*] bonum operando. [*& sanctus:*] in se. [*sanctificetur adhuc:*] amplius proficiendo.

Haymo. *Haymo*: Electi semper sunt in profectu virtutum, quia semper incipiunt, *Psal. 76. Et dixi nunc cœpi, hæc commutatio dexteræ excelsi. Prouer. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.*

Ver. 12. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua.

[*Ecce venio cito:*] hic ad confirmationem eorum quæ dicta sunt, maxime quia tempus prope est, introducitur Christus asserens se primo cito venturum.

Secundo ostenditur iusta damnatio impiorum, & saluatio iustorum: *& merces mea.*

Tertio ostendit in hoc posse suum: *Ego sum Alpha.*

Quarto specificatur quibus reddetur secundum meritum.

Primo de bonis: *beati qui lauant.*

Secundo de malis: *foris canes.*

Dicit ergo: [*Ecce venio cito:*] *Iacob. 5. Ecce iudex ante ianuam assistit. Ioel. vlt. Iuxta est dies Domini in valle concisionis.*

[*Et merces mea mecum est:*] *Isa. 40. Ecce merces eius cum eo, & opus illius cum illo.* [*reddere:*] idest, ad reddendum. [*vnicuique secundum opera sua*] *Eccles. 35. Reddet Deus hominibus secundum actus suos.*

Vers. 13. Ego sum α & ω, primus & nouissimus, principium & finis.

[*Ego sum Alpha & Omega, primus & nouissimus:*] Expositio est eius quod præcedit. [*primus*] ante quem nullus, [*nouissimus,*] post quem nullus, *Isa. 41. Primus & nouissimus ego sum.* Principium à quo omnis creatura sumpsit initium, & finis in quo omnia consummabuntur.

Beda. *Beda*: In *Alpha* verbi diuinitatem, in *Omega* susceptam humanitatem designat. Ipse est *Alpha*, id est, principium manẽs cum patre, vt dicit *Haymo*: ipse est *Omega*, finis temporaliter natus ex matre.

Vers. 14. Beati qui lauant stolas suas: vt sit potestas eorũ in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.

[*Beati qui lauant stolas suas:*] *Haymo*: idest, corpora sua & vitam suam fonte baptismatis, & lachrymis pœnitentiæ. [*vt sit potestas eorum in ligno vitæ:*] *Haymo*: id est, in domino Iesu Christo, quem habentes in capite suo omnia possidebunt. vel secundum *Glossam*: [*vt sit potestas eius in ligno vitæ:*] idest, vt possint edere de ligno vitæ, *Supra 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei.* [*& per portas:*] *Haymo*: id est, per Apostolos cæterosq; doctores. [*intrent in ciuitatem:*] scilicet cœlestem. per quorum enim ministerium nunc intramus in Ecclesiam, per ipsos in regnum cœlorum intramus, si fidem, quam prædicauerunt, moribus & vita teneamus.

Vers. 15. Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.

[*Foris canes:*] supple manebunt illi scilicet qui ad modum canum ad ea, quæ euomuerunt, reuertuntur, scilicet ad peccata quæ confessi sunt, *2. Pet. 2. Contigit eis illud veri prouerbii: Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti, Prouerb. 26. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.* Vel secundum *Haymonem*: Canes dicuntur Iudæi, hæretici cæterique increduli, qui latrant contra Ecclesiam, de quibus *Phil. 3. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* [*& venefici:*] ad literam, qui venenum procurant aliis, *Habac. 2. Væ, qui dat potum amico suo, mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.* vel [*venefici*] dicuntur, qui verbo vel exemplo alios corrumpunt. [*& impudici:*] idest, qui sunt sine pudicitia, vel sine pudore peccantes. [*& homicidæ:*] qui mente vel manu, vel beneficij necessarij subtractione alios occidunt. [*& idolis seruientes:*] ad literam. vel secundum *Haymonem*, plus terrena quam Deum diligentes, *Ephes. 5. Omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* [*& omnis qui amat:*] id est, qui libenter audit. [*& facit:*] id est inuenit. [*mendacium,*] vel inuentum ab aliis libenter dicit, vt histriones, adulatores, & detractores; supple foris erit. vel secundum *Haymonem* ille dicitur amare mendacium & facere, qui studio malaque linguæ consuetudine mentitur.

Vers. 16. Ego Iesus misi angelũ meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida & matutina.

[*Ego Iesus:*] Hic commendatur opus illud à Christi auctoritate: &

Primo introducitur Christus dicens se misisse angelum ad reuelationem horum mysteriorum.

Secundo describit seipsum: *ego sum radix.* Dicit ergo:

[*Ego Iesus misi angelum meum testificari:*] id est, ad testificandum. [*vobis hæc in Ecclesiis.*] Supra 1. *Significauit mittens per angelum suum seruo suo Iohanni.* & subditur *Iohannes septem Ecclesiis.* Hic primo describit Christus se à diuina natura dicens: *Ego sum radix*: scilicet Dauid, id est, principium & sustentamentum, & firmamentum ipsius,

Secundo describit se ab humana natura dicens: *& genus Dauid*: id est, de Dauid secundum carnem genitus.

Beda: Geminans hic personæ naturam expressit quod idem factor sit Dauid, secundum diui-

nitatem, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. [*Stella ſplendida & matutina:*] ſupple exiſtens..... ſiue ſtellam ſplendidam & matutinam appellat luciferum extremas noctis horas illuſtrantem, & mane citius affuturum demonſtrantem. & ſignat Chriſtum, qui mane reſurgens tenebras mundi fugauit, & claritatem Dei poſt reſurrectionem vltimam demonſtrabit.

V.17. Et ſponſus & ſponſa dicunt, veni. Et qui audit, dicat, veni. Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.

[*Et ſponſus:*] Hic primo ponitur inuitatio ad audiendum doctrinam ſuam.

Secundo incitantur auditores ad inuitandum † animos: *& qui audit.*

† *aliter, legis* *Gloſſa.*

Tertio determinatur, qui vocatur vt veniant. *Et qui ſitit.* Dicit ergo:

[*Et ſponſus:*] Deus ſcilicet habens Eccleſiam ſponſam. qui enim habet ſponſam ſponſus eſt, *Iohan.* 3. Vel [*ſpiritus*] ſecundum aliam literam. ſcilicet tota Trinitas *Ioh* 4. *Spiritus eſt Deus.* [*ſponſa,*] ſcilicet Eccleſia ſancta, [*dicunt: veni,*] *Haymo:* Vocat Deus per occultam inſpirationem, ſponſa vero inuitat auditores ſuos per apertam prædicationem. [*Et qui audit:*] id eſt intelligit. [*dicat: veni:*] inuitet ad cognoſcendum, quæ in hoc libro ſcripta ſunt. *Supra verſu* 10. *Ne ſignaueris verba prophetiæ huius libri.* [*& qui ſitit:*] id eſt, deſiderat credere in Chriſtum. [*veniat:*] per fidem rectam, & operationem fidei congruam, *Iohan.* 7. *Si quis ſitit veniat ad me & bibat.* [*& qui vult:*] Ille ſcilicet, qui de nolente Dei gratia factus eſt volens. [*accipiat aquam vitæ:*] id eſt, æternam beatitudinem. [*gratis:*] quantum ad radicem meriti, quæ eſt charitas, *Supra* 21. *Sitienti dabo de fonte aqua viua gratis.*

Haymo

Ver.18. Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius ſi quis appoſuerit ad hæc: apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.

[*Conteſtor:*] Hic primo comminatur apponenti ad hanc doctrinam.

Secundo detrahenti: *ſi quis diminuerit.*

Tertio auctoritatem Chriſti confirmat, quod dicit: *dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum.*

Quarto, vt magis eius ſententia timeatur, introducit Chriſtum aſſerentem ſe cito venturum: *Et veniam cito.*

Quinto reſpectu huius aduentus ſuam exprimit affectionem; *veni Domine Ieſu.*

Dicit ergo: [*Conteſtor enim:*] quaſi ita veniat, &c. [*enim:*] quia. [*conteſtor:*] id eſt, teſtificor. [*omni audienti verba prophetiæ libri huius,*] hoc ſcilicet, [*ſi quis appoſuerit ad hæc:*] aliquem errorem. [*apponet ſuper illum Deus plagas ſcriptas in libro iſto:*] *Supra* 15. *&* 16. *Prou.* 30. *Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inueniariſque mendax.* *Beda:* Hoc propter inſalſatores dixit, non propter illos, qui ſimpliciter quod ſentiunt dicunt, *Galat.* 1. *Licet angelus de cælo euangelizet vobis præterquam, quod euangelizauimus,* id eſt, contrarium ei, *anathema ſit.* *Beda.*

Verſ.19. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius: auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

[*Si quis diminuerit de verbis prophetiæ:*] volens errorem inducere. [*auferet Deus partem eius de libro vitæ:*] Contra, *Auguſtinus* 20. *de Ciuitate Dei.* Præſcientia Dei de ſanctis, quæ falli non poteſt liber vitæ eſt, in quo ſunt ſcripti, id eſt, præcogniti. De his autem nullus perit, vt dicit ipſe de prædeſtinatione ſanctorum: ergo non poteſt pars alicuius auferri de libro vitæ. *Auguſtin.*

Reſp. Auferri partem reproborum de libro vitæ nihil aliud eſt, quam oſtendere in eo nunquam ſcriptos fuiſſe: quod innuit Dauid dicens: *Pſalm.* 68. *Deleantur de libro vitæ, & pro id eſt cum iuſtis non ſcribantur.* Vel dic quod duæ ſunt paginæ libri vitæ: vna prædeſtinationis, à qua nullus aufertur: alia præſentis iuſtificationis, à qua aufertur iuſtus cadens, per mortale peccatum, de qua intelligitur, cum dicitur hic: [*& de ciuitate ſancta:*] id eſt, de Eccleſia triumphante. [*& de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto:*] ſcilicet de præmiis beatorum.

Verſ.20. Dicit, qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam venio cito: Amen, Veni Domine Ieſu.

[*Dicit:*] ſcilicet quod præcedit. [*qui teſtimonium perhibet iſtorum:*] *Supra verſu* 16. *Ego Ieſus miſi angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.* [*Etiam:*] id eſt, ſic fiet. [*venio cito:*] ſcilicet ad iudicium. *Supra verſ.* 7. *Ego venio velociter.* [*Amen:*] Verbum eſt Iohannis confirmantis verba Chriſti, & deſiderantis aduentum eius ad iudicium; vnde ſubdit: [*veni Domine Ieſu:*] ſcilicet cito ad remunerandum.

Verſ.21. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis.

[*Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti:*] ſit ſupple. [*cum omnibus vobis, Amen:*] à gratia cœpit dicens, *Supra* 1. *Gratia vobis & pax, &c.* & ad gratiam recurrens finem facit, per hoc docens, quod præueniente gratia ſaluamur, vt dicit *Haymo*, & ſubſequente iuſtificamur. Illa præcedit hominem, vt ei quo pergere debeat iter oſtendat: iſta ſubſequitur, vt ad id quod oſtendit, impellat & trahat: hoc eſt ad felicitatem ſanctorum, quam nobis concedat ille, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, qui nec loco capitur, nec tempore mutatur, immenſus, infinitus & æternus, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Explicitunt Poſtillæ Fratris Nicolai de Gorrham ſuper Apocalypſin.

F I N I S.

INDEX MATERIARVM NOTABILIORVM, QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR:

A.

B.

C.

Index.

N.

O.

P.

in pro-

Index.

F I N I S.

OMNIVM ANNI SERMONVM


FVNDAMENTVM AVREVM,

AVTHORE

R. P. F. NICOLAO GORRANO ORDINIS PRÆDICATORVM, S. PAGINÆ OLIM PROFESSORE, ET PER FRANCIAM PROVINCIALI:

TAM FRVCTVOSE TAMQVE CVRIOSE DISTINCTVM VT CVM OMNIBVS ANNI EVANGELIIS ET EPISTOLIS, Sanctorum etiam historias: generaliterque occurrentes materias plene pulcherrimeque sustineat atque distinguat.

Cum Indice Euangeliorum & Epistolarum.



ANTVERPIÆ,

ANNO M. DC. XX.

AD LECTORES EXHORTATIO.

MVLTIPLICIA veterum diuini præconum verbi volumina, in immensum pene vigilantibus eorum adaucta studiis, frugifero, suaui, sanctoque referta stilo arida sæpenumero corda nectareis irrorauere liquoribus & vacillantes dubiasue in firmo fidei fundamento mortalium roborauerunt mentes. Illis nihilominus (omnium cum venia dixero) aromatica fragransque nostri ordinis cellulla, prædicatoriæ à primæuo suæ institutionis exordio dedicata palestra, innumeros adiecit. Quis enim non videat inter doctissimos sanctosque velut præfulgidum iubar, aquinatem splendescere diuum? aut quis Albertum scientia magnum, sterilescere nescientem capriolum, Anthoninum florentinum, durandumque ac reliquos alias edoctæ palladis arces ambigit abtinere. Cui etiam diuo singulare sacrorum dogmatum postillatoris nomen adiudicas: nunquid prioritatis causa noster Hugo iuste sibi eum vendicat. Quis autem satis miretur laudetque subtilem Magistri Nicolai de Gorra postillam: cuius etiam studio vtilis hic libellus editur. Si vero præcipuos sermonum quæris conflatores vulgatas habes sanctum Vincentium & voraginensem. quibus si fultus fueris securus vbi libet incedis, his adiunge Leonardum Vtinensem, de prata florido, de peraldo Lugdunensem, de sancta geminiano & reliquos quasi innumeras qui omnes vt sapientissimi architectores supra solidissimam fidei basim, sacrorumque scripta librorum suas erexerunt structuras

Quia tamen ab vlteriori eorum indagine, quadrupliciter me præpeditum (si patienter audior) comprobabo. Aliquantam enim nonnullorum obscuritatem mea non facile mens capit sed nec varietatem. Aliorum nimiam horret voluntas prolixitatem. Et graue multorum onus debiles peditantis aggrauat humeros Cæterorum vero pecuniæ paucitas non sufficit acquirendæ multitudini. Idcirco mihi meique similibus in posterum consules hoc vnum, breue, lucidum. & leue atque robustissimum omnium sermonum fundamentum aureum: de bono monte sacrorum Christi ac Pauli verborum decisum, & iuxta matris ecclesiæ ordinationem per singula festa distinctum, ex referta libris Vallenchen. conuentus bibliotheca detuli vtque in lucem redderetur quam plurimum laboraui. Fundamentum vero non absre censui vocitandum. propietates enim omnes continet, nam ordine primum, & firmum primæ adhærendo veritati, fructuosas insuper omnium prædicantium structuras firmat, stabilit, atque sustinet rectas: vt quiuis superædificauerit viro comparetur sapienti: ædificanti domum suam supra petram: quam nec irruentes ventorum, pluuiæ, fluminumque subruere poterunt tempestates. Qui vero hoc vsi non fuerint etiam si varias grandiloquis sermonibus ventilent materias illorum numero adiudicabũtur insipientium, qui terrenum arenosum ve habent fundamentum. à veritate quippe diuersi ad fabulasque conuersi, placere non Deo cupiunt sed hominibus prurientes auribus. Quorum numerum floccifaciens vt sapiens architectus omnibus firmum sanctumque præsens offero fundamentum. videant tamen singuli ne lignum fænum aut stipulam superædificent, elaborentq; magis aurum argentum & lapides superstruere preciosos, vt in die Domini nostri Iesu Christi declarantur omnia laudem habeant & gloriam.

FVNDAMENTI HVIVS AVREI TERNAS DEPVTAVIMVS PARTES.

Primam omnibus temporis sermonibus.
Secundam singulis sanctorum festiuitatibus & communiter omnibus.
Tertiam materiis prouisimus plures occurrentibus.

PRIMAM VERO PRIMÆ PARTIS PORTIVNculam nostræ exordio salutis dedicantes Dominicæ primæ Aduentus Domini, primum sermonem inchoemus.

HORA est iam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. Rom. 13. Sicut dicit Sapiens Eccles. 3. Omnia tempus habent & suis spaciis transeunt vniuersa. tempus belli & tempus pacis. Modo est tempus belli contra vitia: ideo dicit Apostolus, hora est iam nos de somno surgere. Homo enim dormiens vel somnolentus non potest bene bellare: sed in proximo erit tempus pacis videlicet in morte (habita de vitiis victoria) ideo subdit, nunc enim propior est nostra salus.

Secundum hoc tanguntur hic duo. Primo opportunitas belli: quia, hora est. Secundo propinquitas premii: quia, propior est nostra salus. Oportunitatem ostendunt tria. Primum ex parte temporis: quia, hora est. Secundum ex parte hominis quia, nos. Tertiũ ex parte operis: quia, iam de somno surgere. In tempore innuit duo motiua ad bellandum siue operandum. Primo breuitatem: quia, hora. Multa debemus infra breue tempus. Iob. 10. Si peccaui & ad horam pepercisti mihi, i.e. dedisti mihi breue tempus in quo parcis: cur me ab iniquitate mea mundũ etiam non pateris. Secũdo præsentialitatem: quia, est iam, Iohan. 5. Venit hora & nunc est in qua omnes, qui in monumentis sunt, i.e. in peccatis putridi audient vocem filii Dei in prædicatione: & qui audierint aure obedientiæ viuent vita gratiæ. Sequitur necessitas ex parte hominis cum dicit nos. qui scilicet sumus in bello nec scimus euentum, Ephes. 6. Induite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias diaboli: Sequitur determinabilitas ex parte operis: cum addit de somno surgere. Vbi implicantur duo. vnum impediens abiiciendum: ibi de somno, sed culpæ negligentiæ. Prouerb. 5. Vsquequo piger dormis quando consurges è somno? Aliud expediens aggrediendum: ibi, surgere, sci. ad bonum opus. Eccles. 32. Hora surgendi non te tardet.

Sequitur secundum principale, scil. propinquitas præmii: cum dicitur, nunc enim propior est nostra salus. Vbi implicantur quatuor commendantia præmium. Primo facilitas acquirendi: quia breui labore. ibi, nunc. 1. Pet. 1. Modicum nunc si contristari oportet. Vulgariter dicitur. Modio vini ad nummum væ illi qui non habet. Secundo celeritas obtinendi: quia cito post mortem nisi in nobis desit: ibi, propior est. Apocal. vlt. Tempus enim prope est, scil. præmiandi. vnde sequitur. ecce venio cito & merces mea m. non sic antiquitus. Tertio securitas possidendi: ibi, nostra salus. Psal. Dominus illuminatio mea & salus mea quẽ timebo. Quarto æquitas habendi: quia fideles operarii habebunt: ibi quam cum credidimus, i.e. propior est per opera quam per solam fidem: vel quam cum credidimus quondam.

De Epistola, Sermo 2.

ABiiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis sicut in die honeste ambulemus. Rom. 13. Sicut dicitur. Iob. 7. Militia est vita hominis super terram: & ideo tanquam bonos milites exercitus summi regis hortatur nos Apostolus in verbis propositis bene & viriliter agere.

Triplex autem est differentia boni. Est enim bonum delectabile, vtile, & honestum. Secundum hoc hortatur primo ad bonum delectabile quod est in mali abiectione: cum dicit abiiciamus opera tene. Secundo ad bonum vtile quod est in bona operatione cum subdit, & induamur arma lucis. Tertio ad bonum honestum quod est in honesta conuersatione: cum addit, sicut in die ho. amb.

Circa primum hortatur abiicere malum tripliciter. Indignanter: quia abominabile sicut bufo vel coluber: ibi, abiiciamus. Iacob. 1. Abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ. Integraliter: quia sui multiplicabile sicut

cut ignis de incendio: ibi, opera non tantum opus. 1. Ioh. 3. Apparuit filius Dei vt dissoluat opera diaboli. Sapienter: quia hominis damnificabile sicut gladius abiicitur à vulnere ne vulneratus incurrat mortem: ibi, tenebrarum, ducunt enim ad tenebras inferni. Matth. 25. Seruum inutilem abiicite: & proiicite in tenebras exteriores.

Sequitur secundum principale, scil. exhortatio ad operationem boni: cum dicitur, induamur arma lucis. Et quia sumus in spectaculo, in prælio, in periculo. Pudorosum autem est nudum esse in spectaculo: ideo dicit induamur. Si pudorosa est nuditas corporalis coram hominibus: quanto plus spiritualis coram Deo & Angelis & demonibus. Apoc. 3. Sed vestimentis albis induaris vt non appareat confusio nuditatis tuæ. Periculosum est inermem esse in prælio ideo subdit arma. Si armamur propter hereditatem cito transitoriam: quanto plus propter externam. Ephes. 6. Induite vos armaturam Dei, &c. Ruinosum est cæcum esse in periculo: ideo addit, lucis. Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ: nūc autem lux in Domino vt filii lucis ambulate.

Sequitur tertium principale scil. exhortatio ad conuersationem honestam: cum dicitur, sicut in die ho. am. Antiqua quæstio fuit quod est summum bonum in vita: & responsum est honestas. quod verum est si intelligatur de honestate & interiori quam facit gratia Dei: & exteriori quam facit religiosa conuersatio ad ædificationem proximi. Ad quam monet nos hic Apostolus tangens tria. Primo exemplum: ibi, sicut in die. de die honestius se gerunt homines. 2. Corinth. 6. Ecce nunc tempus acce. &c. Eccles. 7. In die bona fruere bonis. Secundo modum: ibi, honeste. Aquila volitando prouocat ad volandum pullos suos. 1. Cor. 14. Omnia honeste & secundum ordinem fi. Tertio profectum: ibi ambulemus. 1. Thes. 4. Honeste ambuletis ad ad eos qui foris sunt.

De Euangelio, Sermo 3.

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21. Communiter dicitur quod promissio fidelis & iusti viri æquiualet solutioni. Deus autem fidelis & absq; vlla iniquitate: & ideo quod promittit veraciter soluit. Antiquitus autem promiserat se venturum. Esa. 62. Zach. 9. & ideo tempore præfinito soluit secundum quod inounr verba proposita. In quibus secundum sex vocabula notantur sex motiua ad recipiendum reuerenter & libenter dominum venientem: quia dudum venit corporaliter & frequenter: nunc venit spiritualiter. Primum est eius præsentia: ibi ecce. Magis quippe honorantur & timentur prælati in sua præsentia quam in absentia. Iste autem præsens est. Esa. 52. Ego ipse qui loquebar ecce assum in carne & mente. Secundum est eius potentia: ibi, rex. Magis debet honorari rex quam miles, episcopus quam garcio eius. 1. Petr. 2. Regem honorificate. hic est rex de quo. Psalm. Deus autem rex noster ante secula operatus est. Tertium est affectuosa caritas: qua scil. dedit se nobis: ibi tuus quilibet. libentius recipit suum quam alienum: amicum quam hostem. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum. Psal. Deus Deus tuus tuus ego sum. Quartum mira nouitas: qua scilicet venit non vt esset nouo loco: sed nouo modo scilicet homo: ibi, venit. Noui enim prælati venerabilius recipiuntur. Cant. 5. Veniat dilectus, &c. Quintum multa vtilitas: ibi, tibi. Hospitalarii libentius & honorabilius recipiont illos cum quibus plus lucrantur. Christus enim venit nos illuminare & dirigere in viam salutis. ideo Ephes. 5. Surge qui dormis & exurge à mortuis. Sextum magna benignitas: ibi, mansuetus. Socii enim benigni libentius recipiuntur quam discoli. Soph. 2. Quærite iustum: quærite mansuetum.

De Euangelio, Sermo 4.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 21. Cōtingit reddere malum pro bono: sicut Iudæi Christo. Psal. Retribuebant mihi mala pro bonis: & hoc est manifestæ peruersitatis. ideo Prouer. 16. Qui reddit malum pro bonis non recedet malum de domo eius. Econtra bonum pro malo: sic Deus nobis. Genes. vlt. Vos cogitastis de me malum: & Deus vertit illud in bonum. & hoc est magnæ charitatis. ideo Matth. 5. Benefacite his qui oderunt vos. 1. Pet. 3. Non reddentes malum pro malo: nec maledictum pro maledicto: sed econuerso. Tertio malum pro malo: sic impatiens inimico. contra quod. 1. Thes. 5. Videte ne quis malum pro malo reddat: & hoc est vindictæ. Rom. 12. Nulli malum pro malo reddatis. Quarto bonum pro bono: sic Deus bonis. Psal. Benefac Domine bonis. & econuerso boni Deo: qui pro beneficiis exhibitis glorificant Deum debitis præconiis: sicut isti pro aduentu Christi dicebant. Benedictus qui venit in nomine Domini. Vbi tanguntur duo. Primo præconium laudis Deo debitum: cum dicitur benedictus. sic pauper benedicit diuiti ipsum visitanti. Luc. 1. Benedictus Dominus Deus Israel quia visitauit. Secundo ratio laudandi scil. beneficium aduentus nobis exhibitum: cum subditur, qui venit in nomine Domini. Vbi implicantur tria. Primo aduenientis sublimitas: ibi, qui scil. saluator. de quo dixerant osanna, id est salua obsecro. Psal. Benedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus. Secundo sublimitatis humilitas: ibi, venit. Iohan. 16. Exiui à patre & veni in mundum. Tertio humilitatis vtilitas: ibi, in nomine Domini, i. e. ad notificandum Dominum. Ioh. 17. Notum feci eis voluntatē tuam & notum faciam. In primo notatur Christi diuinitas. In secundo humanitas. In tertio àuctoritas.

Dominica secunda in aduentu, de epistola, Sermo primus.

Suscipite inuicem sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Rom. 15. In corporalibus tria sunt quæ naturaliter attrahunt scil. vacuum, simile, & calidum. Vacuum attrahit per accidens non quod sit vacuum: sed ne sit vacuum. Vnde cum euacuatur vas liquore oportet quod aliud subintret: vel aer intret vel excedens ibi rarefiat. Simile iterum attrahit vnde & volatilia ad sibi similia conuertuntur. Eccles. 27.

Calidum

Calidum etiam attrahit sicut calor solis vel ignis vapotat aquas. Sic in spiritualibus tria attrahere debent ad mutuam subuentionem. Primo vacuitas egestatis mutuæ: vnde dicit suscipite inuicem. Secundo similitudo bonitatis diuinæ: vnde & subdit, sicut & Christus suscepit vos. Tertio amot vtilitatis intentæ: vnde addit, in honorem Dei.

Circa primum primo docetur egestatis remedium: ibi, suscipite. Sicut animalia repacia primo prædantur vt pascant infirmos sui generis: postea se. Actor.20. Oportet suscipere infirmos. Secundo remedii debitum ibi, inuicem. Sicut membra corporis mutuo indigent officiis suis: sic membra ecclesiæ. vnde diuitis est erogare pauperi. 1. Corinth.12. In idipsum per se inuicem sollicita sunt membra siue glotiatur vnum.

Circa secundum principale notantur duo. Primo magnificentia beneficii: quod Christus scilicet Deus & homo. Matth.16. Tu es Christus filius Dei viui. Secundo gratia beneficii: ibi, suscepit. naturam scil. nostram suæ vniendo. Luc.1. Suscepit Israel puerum suum, &c. nos ad pœnitentiam recipiendo. Hierem.3. Reuertere ad me etiam ego suscipiam. amicos suos in gloriam introducendo. Psal. Cum gloria suscepisti me.

Sequitur tertium principale: cum dicitur, in honorem Dei. scilicet faciendo & promerendo. i. e. vt Deus honoretur sicut qui honorat filium honorat patrem. 1.Pet.3. In omnibus honorificetur Deus. Item vt homo à Deo honoretur. Ioh. 12. Si quis mihi ministrauerit.

De Epistola, Sermo 2.

ERit radix Iesse & qui exurget regere gentes: in eum gentes sperabunt. Rom.15. Quadruplici affectione mouetur cor humanum: dolore, timore, gaudio, & spe. aut enim sentit bonum aut malum: si malum, aut præsens: sic dolet. aut futurum, sic timet. si bonum, aut præsens: sic gaudet: aut futurum, sic sperat. Esaias ergo præuidens bonum futurum humano generi scil. incarnationi filii Dei & ex hoc ortum spei ait, erit radix.&c.

Vbi tangit duo. primo aduentum Iesu Christi. Secundo fructum populi christiani: ibi, in eum gentes spe. Circa aduentum Christi tangit tria. Primo stirpem de qua processit: cum dicit, erit radix Iesse. glo. Iesse erit, quasi radix. Dauid, quasi arbor. Maria. quasi ramus. Christus flos & fructus. Esa.11. Egredietur virga de radice Iesse. Secundo mortem de qua surrexit: ibi, & qui exurget. glo. à morte. Psalm. Propter miseriam inopum & gemitum pauperũ nunc exurg. dicit Dominus. Tertio officiũ quod exercuit: ibi, regere gentes. glo. per fidem & bona opera. Psal. Hic est Deus Deus noster in æternum: & in sæculum sæculi ipse reget.

Sequitur secundum principale: cum dicitur, in eum gentes sperabunt. Vbi implicat spei obiectum: ibi, in eum. subiectum: ibi, gentes: actum: ibi, sperabunt. Osee 12. Misericordiam & iudicium custodi, & spera in Domino Deo tuo, Psal. Spera in Domino & fac bonitatem: aliter non est spes. ædificare enim spinas & sperare vuas fatuum est.

De Euangelio, Sermo 3.

TVnc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Luc.21. In præcedenti dominica recoluit ecclesia aduentum Messiæ, scil. in carnem. in hac recolit aduentum iustitiæ, scil. ad iudiciũ. & quod hunc aduentum admirabitur omnis creatura: ideo dicitur in principio huius euangelii. Erunt signa in Sole, &c. Dabit enim creatura suprema luminosa scil. astra signum obscuritatum. Creatura insima opaca, scil. terra signum oppressionis. Creatura media diaphana, scil. aqua signum confusionis. In obscuratione astrorum apparebunt tria: quia in Sole inducetur tenebrositas horribilis: à Luna subtrahetur luminositas delectabilis. In stellis videbitur impossibilitas probabilis: in hoc quod propter nimiam scintillationem quæ erit in aere videbuntur stellæ de cœlo cadere: licet na uraliter sit impossibile. Matth.24. Sol obscurabitur & Luna non dabit lumen suum: & stellæ de cœlo cadent & hæc erunt signa in Sole & Luna & stellis. Signum oppressionis in terra surget ex tribus: ex commotione: quia erunt frequentius terræ motus. ex corruptione: quia terra corrupta corrumpet aerem & aer hominem. ex fructus priuatione vnde & magna erit fames. Matth.24. Erunt terræmotus magni per loca: ecce commotio, & pestilentiæ: ecce corruptio, & fames: ecce fructus priuatio: & sic erit in terris pressura gentium. Signum confusionis in aqua surgit ex tribus: ex inundatione & impetuositate sonoritate. vnde dicit. Præ confusione sonitus maris & fluctuum: & sic erit obscuratio in cœlis, oppressio in terris. Confusio in aquis: tunc videbunt filium hominis, &c.

Vbi tangitur modus aduentus Christi ad iudicium. veniet enim oportune, manifeste & corporaliter, mirabiliter, auctentice & honorifice. Oportune: quo ad tempus præordinatum, ibi, tunc. Psal. Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie. Manifeste quo ad mundum vniuersum: ibi, videbunt. Esa.52. Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Corporaliter quo ad seipsum: ibi, filium hominis. Iohan.5. Dedit ei iudicium facere quia filius hominis est. Mirabiliter quo ad modum: ibi, venientem in nube. Daniel.7. Aspiciebam in visione noctis: ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat. Auctentice quo ad officium: ibi, cum potestate magna. Matth.vlt. Data est mihi omnis potestas vitæ. Honorifice quo ad Dominium: ibi, & maiestate. Matth.19. Amen dico vobis quia vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis, &c. Tempus ignotum exigit vigilantiam: sic pater familias vigilat propter furem, Luc.12. & vos estote parati. Aspectus iudicis pœnitentiam: sic latro videns iudicem dolet de furto Iob vlt. Auditu auris. Filius hominia amorem. omne quippe animal diligit sibi simile. Aduentus nubis stuporem. Actor.1. Viri Galilæi. Potestas magna timorem. Maiestas honorem.

De Euangelio, Sermo 4.

LEoate capita vestra quoniam apptopinqoat redemprio vestra. Luc. 21. Sicut ex viriditate frōdiom: speciositate florū: dulcedine fructuum perpenditur radicis virtus & ex desiccatione patet defectus: sicex depressione capitis patet tristitia cordis: & ex eleuatione lætitia. Eccles. 13. Cor his immutat faciem eius siue in bonum siue in malom: ideo Dominus lætos tumores afferens inuitat ad lætitiam cum dicit. leuate capita, &c. quod potest expoui de duplici aduētu Christi: de primo sic, exigente peccato Adæ homo de paradiso exclusus fuit & in limbo inclusus præ confusione non audebat ante adueotum Christi leuate caput. Iob 10. Si iustus fuero non leuabo caput. Ideo Dominus veniens ad liberandum per passionem suam ait, leuate capita vestra, i.e. gaudium facite: quoniam appropinquat redemptio vestra, i.e. passio mea per quam redimemiui. Matth. 21. Filius homiois venit dare animam suam redemptiouem pro multis. De secuudo adueotu sic. sicut dicitur in Psal. Multæ tribulationes iustorum tum præ dolore peccatorum, tum præ timore periculorum, ideo se humiliant & capita demittunt. Sed in iudicio redimentur ab omni miseria: malis in æterna miseria derelictis sicut fruges ventis & pluuiis frigori & ardori vsque ad maturitatem expunuutur: sed iu fine in horreo congregantur. Esa. 1. Sioo in iudicio redimetur. Ideo alloquens Dominus dignos fructus pœnitentiæ facieotes ait. Leoate capita, &c.

Vbi primo inuitat ad lætitiam. secundo indicat lætitiæ causam ibi. quoniam appropinquat redemptio. In primo inuitat ad lætandum, primo sapieotet cum dicit. Leoate. sic sapiens lætatur quando à vili loco leuatur & sursum ponitur, vilis locus est peccatum. ideo Psal. Ad te leuaui animam meam Deus meus, &c. Secundo multipliciter: subdit, capita. quia non tantum caput corporis sed & mentis. Matth. 6. Tu aotem cum ieiunas vnge caput tuum & fa. t. Tertio specialiter: cum addit vestra. specialiter iustorum est lætari in spe oon malorum. Phil. 4. Gaudete iu Domiuo semper: iterum, &c.

Sequitur secundum principale cum dicitur, quoniam appropinquat, vbi circa passionem Christi siue beatitudioem hominis tangit tria. Primo aduentum: ibi appropioquat. Matth. 3. Agite pœnitentiam appropinquabit enim re. cæ. Officium iocundum: ibi redemptio. Multum lætatur captiuus cum audit verba suæ redemptiouis. Esa. 52. Absque argento redimemini. Subiectum susceptiuum ibi vestra, scil. qui Deo seruitis. 1. Ioh. 3. Ipse dilexit oos & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris.

Dominica tertia in Aduentu de epistola, Sermo primus.

SIc nos existimet homo: vt ministros Christi. 1. Corioth. 4. Sicut iu domo ad hoc qood sit perfecte bona & grata exigitur triplex ordinatio: scilicet ad id quod est supra qood fit per decentem altitudinem. Ad id quod est intra: quod fit per debitam partium ordinatiouem. Ad id qood est iuxta: qood fit per innocuam ad alias situatiooem. Sic in homine ad hoc quod sit bonus oportet quod sit ordinatus ad id quod est sopra: scilicet Deum, ad id quod est iuxta: scilicet proximum ad id quod est intra, scil. seipsum. Ad seipsum ordinatur per mundam conscieotiam: quod implicatur ibi, nos de quo subdit; nihil mihi conscius sum. 1. Iohan. 4. Charissimi si cor nostrum uoo rep. oos fiduciam ha. Ad proximum ordinatur per bonam opinionem sine famam quod uotatur ibi, existimet homo. Rom. 12. prouidentes boua non tantom. Ad Deum ordinatur per integram obedientiam, quod notatur ibi, vt miuistros Christi. 2. Timoth. 4. Mioisterium tuum imple sobrius. Primum exigit munditiam interiorem. Secundum exteriorem. Tertium vtramque.

De Epistola, Sermo 2.

NOlite ante tempus iudicare qooadusque veniat Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit coosilia cordiom. Sicut dicitur. 1. Reg. 16. Homo enim videt quæ patent: Deus autem intuetur cor, & ideo de his quæ latent io corde nou debet alius alium iodicare: sed Deo iudicium dimittere. Homo autem in indicando vituperabilis redditur. Primo: quia hoc libidinose desiderat cootra quod dicit nolite. Quidam enim suot sicut vesica inflata, statim cum pungitur flat: Sic cum læduntur statim male iudicant & appetunt vindictam. contra quos. Luc. 6. Nolite iudicare & non iudicabimini. Secundo quando importune præcipitat: quod prohibetur ibi, ante tempus. Quidam sicut lecator qui ante maturitatem comedit fructum: sicut fatuus qui autequam sciat tem resp ondet, contra quod Dominos: cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Tertio: quia indiscrete vsurpat: illius enim est iudicare qui habet aoctoritatem & nouit merita rerum: quod no. ibi quoadusque veniat. Vbi tangitue primo aduentus iudicis cum dicit qooadusque veniat. Esa. 3. Dominus ad iudicium venit cum. Secundo executionem iudicii generalis, & primo quantum ad reprobos quorum deteget peccata. secundo quantum ad electos. quorum teuelabit merita ibi, & manifestabit. Deteget autem reproborum peccata, primo euidenter: qoia omnes videbuot sicut Sol detegit colores: qood no. ibi, & illuminabit. Amos 8. tenebrescere faciam terram io die luminis. Secundo totaliter: quia omnia occulta apparebunt ibi abscondita: Ideo melius esset ea modo delere per pœnitentiam. Matth. 4. Non est aliquid abscooditum quod noo manifestetur. Tertio coofusibiliter quo ad peccarores. coofusio est mulieri qoaodo manifestatur adulterium eius: ibi tenebrarum. glo. peccatorum. Naum. 1. Inimicos persequontur teoebræ. i.e. peccata.

Similiter merita electorum reuelabit. Primo euideoter ibi manifestabit. 1. Corinth. 3. Vniusc

vniuscuiusque opus manifestum erit. Secundo totaliter quia etiam consilia cordium. glo. cogitationes bonas. nec mirum: quia ipse dicit, Prouerb. 8. Ego sapientia habito in consilio & eruditis.

De Euangelio, Sermo 3.

TV es qui venturus es: an alium expectamus? Matth. 21. Quatuor quæstiones tanquam dubiæ leguntur in Euangelio factæ Christo. Vna de muliere deprehensa in adulterio. Iohann. 8. Tu autem quid dicis: quam soluit Theologice per misericordiã: ibi, vade & amplius noli peccare. Alia de censu cæsari soluendo, Matth. 22. Licet censum dare cæsari aut non? quam soluit logice per astutiam: ibi, Reddite quæ sunt cæsaris, &c. Tertia de textu legis. Matth. 22. Magister quod est mandatum magnum in lege? quam soluit per sapientiam: ibi, Diliges Dominum Deum tuum, &c. Quarta de aduentu Saluatoris vt hic, tu ea qui venturus es: quam soluit per potentiam: quia per miracula ibi, ite renunciate, Iohanni, &c.

In præsenti vero quæstione primo aduentus quondam promissus proponitur: ibi, qui venturus es. i. quem prædixerunt antiqui venturum. Genes. vlt. Non auferetur sceptrum de. &c. Secundo aduenientis persona inquiritur: ibi, tu es. Ioban. 10. Si tu es Christus die palam nobis. Tertio præcisio ad maiorem expressionem: ibi, an alium expectamus. Esa. 25. Ecce Dominus Deus noster iste: expectabimus eum & saluabit nos. Sed Iobannes hoc quærens videtur dubitasse de saluatore. Respondetur secundum Augustin. non dubitauit sibi sed discipulis suis qui Christo inuidebant & Messiam in lege promissum non credebant vnde volebat quod audirent & viderent Christum operantem. Secundum Gregor. intelligitur de aduentu ad limbum post mortem. nec fuit dubitatio infidelitatis vel tarditatis: sed verbum pietatis: sicut homo dicit amico, ibitis ad bellum illud. Tertio monet sic: tu ea qui venturus es vt sit hic punctus demissus. an alium expectamus? interrogatiue. quasi dicat non: & sic non dubitauit.

De Euangelio, Sermo 4.

ECce mitto Angelum meum qui præparabit viam ante faciem tuam. Matth. 11. Si sol materialis habet stellam. scilicet lucifer um præmonstrantem eius ortum. si rex terrenus habet hominem prænunciantem eius aduentum: quanto plus sol iustitiæ rex gloriæ debuit habere præcursorem suum. Hic præcursor fuit Iohan. Bap. qui præcessit Christum in ingressu nascendo, in progressu baptizando & prædicando, in egressu moriendo & ad limbum descendendo.

Ipsum tanquam idoneum nuncium tanto regi commendant tria. Primo auctoritas quam habuit in officio: quia à Deo missus qui dicit, ego mitto. pro magno reputat pauper quando rex magnus dignatur ipsum mittere ad sua negocia procuranda. Iohann. 1. Fuit homo missus à Deo: cui nomen. Secundo puritas quam tenuit in seipso: propter quod dictus est Angelus. Galat. 3. Sicut Angelum Dei recepistis me. Tertio vtilitas quam exhibuit proximo: ibi, qui præparabit viam. Vtile & nobile officium est præparare animas verbo prædicationis exemplo operationis vt Deus veniens in eis habitet. Luc. 1. Tu puer propheta altissimi vo. præibis, &c. Secundum vero quod verba prædicta spectant ad tempus modernum: posset dici Christus angelus qui missus est ad præparandum viam gloriæ ante faciem vniuscuiusque. Exod. 24. Ecce ego mitto angelum meum.

Dominica 4. in aduentu de Epistola, Sermo 1.

GAudete in Domino semper, Philipp. 4. Sic remorsus conscientiæ retrahit ab opere malo: sic gaudium spirituale in spe mercedis promouet in opere bono. ideo sicut agricola bouea arantea cantilenis lætificat vt ad laborem prouncentur sic apostolus incipientes bene agere ad lætitiam inuitat vt ardentiores fiant ad perseuerandum in bono. Primo ergo suadet exultationem: ibi, gaudete. sic itinerans lætificeat socios vt melius vadant. Ecclesiast. 37. Animus gaudens ætatem facit floridam: spiritua tristis exsiccat ossa. glo. gaudium spiritus florem operum adducit vnde fructus cælestis orietur. Secundo exultationis discretionem: ibi, in Domino. non in transitoriis & nociuis vt pueri & frenetici. Abacuc. vlt. ego autem in Domino gaudebo. Tertio discretæ exultationis continuationem: ibi, semper. non sicut alauda quæ non cantat nisi pulcro tempore. 2. Corint. 6. Quasi tristes semper autem gaudentes. Omnia attrabunt & gaudium quo nihil delectabilius quia non est oblectamentum super cordis gaudium: & Dominus quo nihil securius. Psalm. Dominus illuminatio mea, &c. & perseuerantia qua nihil vtilius quia qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. sic seruiamus Deo lætanter, confidenter & perseueranter, Luc. 1. Sine timore, &c.

De Epistola, Sermo 2.

DOminus prope est. Philipp. 4. Sicut dicitur communiter, qui est paratus non est confusus. Duo vero solent mouere hominem ad hoc quod præparet se in occursum alterius. timor scilicet & amor. timor sui superioris. Sic famulus in aduentu Domini: subditus in aduentu prælati se præparat. Amor sui familiaris sic sponsa in aduentu sponsi se parat. Ideo Apostolus volens nos inueniri paratos in aduentu Domini & amici nostri dicit, Dominus prope est.

Vbi tangit duo. Vnum pertinens ad timorem: quia Dominus. Aliud ad amorẽ: quia prope est. In primo ostenditur sublimitas potestatis: quia, Dominus. Apo. 19. Habẽs in vestimẽto & in femore eius scriptum. rex regum & Dominus dominantiũ. In secũdo beniguitas pietatis: quia prope est. scilicet generis propinquitate. Caro enim & frater

fratei noster est caritatis familiaritate. Psal. Verumtamen prope timeoies eum salutare &c. Secundum hoc præmittit duplicem exhortationem. Ptimo ad spiritualem lætitiam propter benignitatem pietatis: cum dicit, gaudete in Domino semper. Secundo ad exemplarem modestiam cū addit modestia vestra nota sit, &c. quasi dicat, gaudete quia prope est. sed modesti estote quia Dominus est.

De Epistola, Sermo 3.

PAx Dei quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Philipp. 4. Hominum quidam docent verbo sed nō factis: vt Prædicatores & Prælati multi. Hi sunt sicut lampreda quæ totam virtutem habet io ore, nec os nec arestam haber in corpore.

Item sicut heraudus qui animat alins ad torneamentum, sed ipse non intrat. Math. 23. dicuot enim: & non faciunt. Alii econuerso docent facto, sed non verbo: vt simplices illiterati & sancti: hi sunt sicut asinus sustinendo docens patientiā, turtur munditiam. Iob. 12. interroga iumenta & docebunt te: volucres cæli & indicabunt tibi. Tertii: docent verbo & facto, vt prædicatores iusti, hi sunt sicut luminaria quæ & in se lucent & mundum illuminant. Actor. 1. Cæpit Iesus facere & docere. Math. 5. qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorū. Quarti nec verbo docent nec facto vt plebaoi mali: Hi sunt sicut membrum paralticatum quod nec monet se, nec alia iuuat, sed grauat. Esa 56. canes muti non valentes latrare: Paulus vero docuit & facto & verbo. Rom. 15. non audeo aliquid loqui eorum quæ per me nō efficit Christus: & hoc patet in hac Epistola.

Vbi primo orandi formā instruit cum dicit, petitiones uostræ innotescant apud Deum. Secundo orationem ipse met facit. cum subdit: & pax Dei. &c. vbi primo sufficientiam eius quem orat describit. Secundo materiam orationis exprimit ibi: custodiat. Oratio autem debet porrigi ei qui est beniuolus potens & sciens: secundum quod tria exiguntur in opere apette agentis. scil. velle, posse, & scire. Secundum quod primo tangitur in eo quem orat beneuolentia: ibi pax glo. Deus qui est summa pax. 1. Corinth. 14. Non est Deus dissensionis, sed pacis. 2. Corinth. 14. Pacem habete & Deus pa. Secundo omnipotentia ibi Dei. Hest. 14. Domine Deus rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita: & non est &c. Tertio summa scientia ibi, quæ exuperat omuem sensum. Sap. 8. Si autem sensus optatur: quis horum quæ sunt magis quam illa est artifex.

Sequitur secundum principale: vbi materiam orationis exprimit petens custodiam interioris hominis, primo quo ad bonam voluntatem: ibi custodiat. Corinth. 5. sicut vinum custoditur in dolio bene religato: sic voluntas bona in homine à Deo religato. Eccles. 1. religio custodiet & iustificabit cor. Secundo quo ad rectam rationem ibi: & intelligentias vestras, sicut enim claritas & perspicuitas custoditur in aqua non perturbata: sic & veritas in intellectu recto & corde mundo. Iob. 32. Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam & bene præponit voluntatem rationi: quia per malam voluntatem homo sæpe decipitur quando scil. ratio sequitur voluntatem sicut fuit in stulto qui dixit quod melior cibus erat caseus recens: & requisitus quare respondit: quia libentius enm comedo: sic melior monachus est quem abbas magis diligit.

De Euangelio, Sermo 4.

EGo vox clamantis in deserto dirigite viam Domini. Ioan. 1. Duo sunt opera sapientis: non mentiri de quibus nouit: menrientem autem manifestare posse & sic habet construere veritatem: destruere falsitatem. Quorum vtrumque facit Ioan. In hoc Euangelio tanquam sapiens præco aduentus Christi: falsitatem destruie cum dicit: non sum ego Christus: de quo quidam mentiebantur: veritatem astruit cum subdit: ego vox clamantis, &c. Vbi oorantur tria. Primo præcursio Iohannis ibi, ego vox. Sicut enim vox naturaliter præcedit verbum: sic Iohannes Christum & sicut vox est indicatina animi ita Iohannes Christi. Psal. Ecce dabit voci suæ. scil. Iohanni vocem vir. Secundo prædicatio præcurrentis ibi clamantis inde. gloria Christi clamantis in me, Iohel. 1. ad te Domine clamabo quia ignis comedit speciosa deserti. In clamore innuitur feruor docendi: in deserto austeritas viuendi. Tertio commendatio prædicationis: quia de præparatione cuiuslibet ir aduentu ibi, dirigite viam Domini. Vbi tangit tria quæ sunt in quolibet motu. Primo terminum à quo recedendum, scilic. peccatum ibi dirigite à deuio scil. exeundo. Psal. ad omnia mandata. c. dirigebar. o. Secundo medium per quod incedendum scil. mandatum in ipso perseuerando ibi viam. Psal. viam mandatorum tuorum cucurri. Tertio terminum ad quem accedendum. scil. Dominum ipsum in præmium expectando. Psal. & nunc quæ est expectatio mea.

De Euangelio, Sermo 5.

MEdius nostrum stetit quem vos nescitis. Ioh. 1. Accidit frequenter quod aliquis quærit quod in manu tenet vel ante oculos haberet ac si nesciret: sic aliqui Dominum Christum præsentem habent: & tamen nesciunt vnde. Ioh. 20. Magdalena Christum quærebat quem ante oculos habebat: & hoc est quod dicebat. Iohan. Iudæis de Christo in verbo proposito. In quo commendat Christum à tribus. Primo à largitate Messiæ cum dicit. Medius nostrum largitas maxima Christi quod omnibus se communicat & exponit sicut medium extremis. Gen. 5. lignum vitæ erat in medio paradisi. i. Christi in medio Ecclesiæ: vt omnes de plenitudine eius accipiant. Secundo à stabilitate potentiæ ibi: stetit: fortium est stare. debilium iacere vel sedere. Matth. vlt. stetit Iesus in medio discipulo. Tertio à discretione scientiæ ibi: quem vos nescitis: discretio enim est sapientiā & virtutem suam abscondere pro tempore. Col. 2. in ipso sunt omnes thesauri.

De Euangelio, Sermo 6.

IPse est qui post me venturus est qui ante me factus. Sicut dicitur Prouer. 14. liberat animas testis

teſtis fidelis: ſuam à vitio falſitatis alienam à malo incredulitatis eius pro quo teſtatur à periculo condemnationis: hine eſt quod Iohannes qui miſſus erat à Domino vt teſtimonium pro hiberet de lumine Chriſto liberauit animam ſuam teſtificaodo veritatem & animas aliorum prouocaudo eos ad fidem eum dixit, ipſe eſt qui poſt me &c. orig. poſt me venit quia poſt me conceptus: ante me factus eſt quia mihi prælatus.

Secundnm hoc facit tria Ioh. Primo exprimit perſonam ſaluatoris ibi. ipſe eſt. Pſal. Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Secundo tangit tempus natiuitatis ibi, qui poſt me venturus eſt, Matth. 3. Qui poſt me venturus eſt fortior me eſt. Tertio addit gradum dignitatis ibi: ante me factus eſt. ſeil. dignitate vel factus id eſt genitus æterna generatione. Eccleſ. 24. ego ex ore altiſſimi prædii primogenita ante omnem. c. Ioh. 8. antequam Abraham fi.

Dominica infra octauas natiuitatis Domini de Epiſtola, Sermo primus.

VBi venit plenitudo temporis miſit Dominus filium ſuum factum de muliere factum ſub lege vt eos qui ſub lege erant redimerer vt adoptionem filiorum reciperemus. Gal 4. Secundum gregorium prohatio dilectionis exhibitio eſt operis. Vnde per beneficia nobis exhibita & à Domino miſſa probatur Dei ad nos dilectio maxima: habet quippe Deus prædicarores & prælatos: & illos propter nos mittit. Lue. 14. Miſit ſeruum ſuum hora cænæ dicere, &c. glo. ordinem prædica. diſcipulos & apoſtolos & illos propter nos miſit. Lue. 10. Miſit illos binos & binos. Propbetas & Patres antiquos. & illos propter nos miſit. Matth. 23. Ecce ego mitto ad vos prophetas, angelos & illos propter nos mittit, Hebreor. 1. Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hrs ſpiritum ſanctum, Gal. 4. Miſit Deus ſpiritom filii ſui Filium proprium. ſicut dicitur hie. Vbi venit pleni &c.

Vbi notatur primo congruentia temporis: ibi, vbi veoit plenitudo tempo. i. tempus adimpletionis promiſſorum. Eſa. 14. Prope eſt vt veniat tempus eius & dies &e. Secuodo excellentia miſſionis. Vbi notantur tria. primo miſſionis ſublimitas: ibi, miſit Deus filium ſuum. Secundo miſſi homilitas: ibi, factum de muliere. Tertio mittendi vtilitas ibi, vt eos qui ſub lege. Sublimitas permiſſionis patet ex duobus. Primo ex mittentis dignatione: qoia miſit Deus ſc. Pater Si rex terrenus mitterer mihi nnntium multum honorarē illum, Geneſ. 34. Veni mittam te ad eos. Secundo ex miſſi dignitate: ibi, filium ſuum non ſeruum. mirabilis charitas dare filium pro ſeruo: dilectum pro inimico, Rom. 8. Proprio filio ſuo non pepercit. Humilitas vero miſſi patet ex duobus. Primo ex incarnatione Dei quia factum de muliere: magnum bonorem debet quilibet carni ſuæ quæ deſponſata eſt filio Dei. Ioh. 1. Verbum caro factū eſt, &c. Secuodo ex ſubiectione Dñi ſummi quia factum ſub lege: ſi Dominus legis obedit legi: quanto plus ſeruus Domini. Matth. 5. Non veni ſoluere legem ſed adimplere. Vtilitas vero mittendi patet ex duobus. Primo ex hominis neceſſitate à qua eum redemit. ſicut pius pater pignus filii de taberna. Pſalm. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. Secundo ex redempti exaltatione quia in filium adoptauit: ibi, vt adoptionem. Si appetit aliqois eſſe ſamulum epiſcopi vel regis propter beneficium tranſitorium: quanto plus eſſe filium Dei propter hæreditatem regni cæleſtis. Rom. 8. Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum in quo clamaris abba pater. ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filii Dei.

De Epiſtola, Sermo 2. Gal. 4.

SI filius & hæres per Deum. Conſuetudo vbique approbata & quaſi in omnibus regionibus eſt quod filii legitimi & boni hæreditatem poſſideant tempore oportuno. quilibet noſtrum eſt filius Dei per creationem: legitimus per fidem. bonus per gratiam: & ideo erit hæres per gloriam. ſicut hic dicitur: ſi filius & hæres per Deum.

Vbi notantur quatuor de homine. Primo libertas voluntatis quod notatur in conditione filiationis, cum dieitur ſi. q. in hominis poteſtate eſt filium Dei fieri. & hoc per fidem & bona opera. fructus enim oſtendit genus arboris: ſic opera genus ſpirituale hominis. Ioh. 8. Si filii Abrahæ eſtis opera Abrahæ. Eſa. 1. Si volueritis & audieritis me bona ttero. Secundo dignitas filiationis: ibi filius. Si reputatur dignitas eſſe filium regis terreni: quanto plus æterni, Matth. 5. beati pacifici quoniam filii Dei vo. Tertio perpetuitas felicitatis ibi, hæres. Si reputatur felix cui regnum temporale iure hæreditario competit quanto plus cui regnum cæleſte. Pſal. Expecta Dominum & cuſtodi viam, &e. Quarto felicitatis eauſa principalis ibi per Deum. Pſalm. Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Pſal. quoniam miſericordiam & veritatem diligit Deus gratiam & gloriam.

De Euangelio, Sermo 3.

LOquebatur Anna de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſrael. Luc. 2. Sicut dicitur Eſdræ 4. Veritas manet & inualeſcit in æternum. Cæpit autem inualeſcere noticia veritatis de Chriſto atteſtante ei omni genere creaturæ. Nam teſtificata eſt ei creatura pure ſpiritualis ſcil. angelica, pure eorporalis ſcilic. ſtella compoſita, ex eorporali & ſpirituali ſcil. homo: & hoe de quolibet ritu quia & gentilis vt reges & Iudæus: vt paſtores in quolibet ſexu: quia & viri vt Simeon & mulieres vt Anna Propheriſſa.

Ad cuius teſtimonii commendationem tanguntur hic quatuor ſecundum quatuor cauſas in quolibet opere concurrentes. Primo loquendi oportunitas, cum dicitur hæc ipſa hora ſuperueniens confitebatur Domino & loquebatur. Eccleſ. 3. tempus tacendi & tempus loquendi: in verbo etiam præteriti imperfecti notatur continuitas loquendi de Deo contra illos qui pigri ſunt ad orandum & prædicandum. Actor. 4. Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Secundo loquentis veritas: ibi, Anna: quæ erat pro Prophetiſſa in quo veritas doctrinæ: ieiuniis & orationibus vacans,

vacans, in quo veritas vitæ, talis doctor est idoneus qui ædificat exemplo & verbo. 2. Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti. Tertio loquelæ bonitas ibi, de illo scilicet Christo contra illos qui loquuntur detractiones ad diffamationem: vel scurrilia ad delectationem vel magnifica ad ostentationem. 2. Corinth. 4. non enim nosmet ipsos prædicamus sed Dominum Iesum Christum. Quarto locutionis vtilitas ibi, omnibus qui expectabant re. Israel. non est vtile seminare super petras vel inter spinas: sed in terra bona. Sic nec prædicare pertinacibus sed corrigibilibus & obedientibus. 1. Corinth. 1. nihil nobis desit in vlla gratia expectantibus. re. Domini nostri Iesu Christi qui confirmabit.

De Euangelio, Sermo 4.

PVer autem crescebat & confortabatur: plenus sapientia & gratia Dei erat in illo. Luc. 2. Sicut arborem commendant tria fructuum vbertas: florum & frondium densitas & ramorum viriditas: sic hominem commendant tria Vitæ sanctitas, doctrinæ vtilitas, vtriusque continuitas.

Ista tria de Christo dicta nobis proponuntur hic in exemplum. Primo vita sancta ibi, puer autem cresc. Secundo doctrina sana: ibi, & confortabatur. Tertio continua perseuerantia. ibi, & gratia Dei. In prima primo ad memoriam reducit nobis incarnationis beneficium vt de salute confidamus. puer enim propono daret regnum. Psalm. Da imperium puero tuo scil. vendendi tua: vt possim facere cum eo bonum forum & filium ancillæ tuæ. Secundo per factum eius corporalem proponit nobis spiritualiter in exemplum ibi crescebat vt ipsum imitemur. Hoc enim nunquam in eodem statu permanet. vnde oportet crescere vel decrescere. sicut dies. Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splen. pro.

Sequitur secundum principale in quo tangitur eius doctrina commendabilis quantum ad lætitiam aliis proficiendi ibi confortabatur sic agricola confortatur in frugum multiplicatione. Eccles. 7. Sapientia confortauit sapientem.

Secundo quo ad sufficientiam docendi: ibi, plenus sapientia. Aquam enim emanat de fonte pleno & viuo. Ioh. 1. Plenum gratiæ & veritatis: & post de plenitudine eius.

Sequitur tertium principale in quo notatur perseuerantia imitabilis: & primo gratiæ excellentia: cum dicitur simpliciter gratia Dei. non partialiter sicut est in nobis. Eccles. 24. In me omnis gratia. Secundo excellentis gratiæ permanentia: cum subditur, erat in illo. Præteritum quippe imperfectum notat continuitatem: in nobis non continuatur, sed sæpe amittitur. Ioh. 1. Super quem videris spiritum desc. & ma. hic est qui bap. &c.

Dominica infra octauas Epiphaniæ de Epistola, Sermo 1.

EXhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam Deo placentem; rationabile obsequium vestrum. Rom. 12. Gen. 43. legitur quod Iacob dedit consilium filiis suis de quo & qualiter & quare & de quãto seruirent Ioseph Domino terræ Ægypti. De quo: quia de optimis terræ fructibus. qualiter: quia deferendo ei munera. quare: quia vt esset eis placabilis. quantum: quia cum hoc pecuniam duplicem reportarent. sic Apostolus docet nos seruire Deo secundũ quod debemus: & hoc iuxta numerum quatuor causarum accipiendo quatuor conditiones seruitii Deo grati: & primo vt sit in modo seruiendi cutialitas: ibi, exhibeatis. glosa. offeratis. Acceptabilius est enim quod sponte offertur: quam quod multa prece vel admonitione traditur. 1. Corinth. 6. In omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros. Secundo in materia seruitii preciositas. iustum est vt Domino seruiatur de melioribus quam familiæ. quod notatur ibi, corpora vestra Ho. 6. sanctam. In quo implicatur quod oblata Deo debent esse cara non vilia. ibi, corpora. Non multum honorat hospitem qui non dat ei de meliori vino & pane: sic nec Deum qui non exponit corpus suum labori pœnitentiæ. 2. Corinth. 4. Semper mortificationem Christi Iesu in corpore nostro circum. glor. mortificationem quam sustinemus pro Iesu vel quam Iesus sustinuit pro nobis. Item propria non aliena: ibi, vestra. Multi de alieno corio faciunt largas corigias: qui aliis imponunt pœnitentias graues sed non sibi. alios hortantur ad paupertatem & castitatem: & ipsi in diuitiis & deliciis viuunt: sicut Iephte filiam suam in holocaustum obtulit: sed non se. Iud. 11. Prouerb. 24. Exerce agrum tuum, &c. Prouerb. 3. Honora Dominum de tua substantia. Item munda non maculata: ibi, hostiam. Hostia enim non fiebat nisi de mundis animalibus. Aliquando enim vinum vel ferculum respuitur à principe propter immundiciam vasis: sic nec Deo acceptatur abstinentia & alia opera in corde immundo. Leuit. 3. Si hostia pacificorum. i. pro pace habenda cum Deo fuerit eius oblatio immaculatam offeret eoram Domino. Item viua non mortua, id est in spe vitæ æternæ: ibi, viuentem. glo. hostiam viuentem debent offerre: vt signum sit vitæ æternæ habendæ. Milites seruientes regi terreno diuiti & tuto securi sunt si equum pro ipso perdiderint de recuperando meliori. 2 Corinth. 4. Semper nos qui viuimus in mortem tradimur propter Iesum vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Mirabilis cambitor est Dominus quia dat pro paupertate regnum. pro labore requiem. Item permanentia non retractabilia: ibi, sanctam id est firmam non sicut pueri qui statim dant & statim pro rehabendo clamant: multi sunt sicut pugil qui in conductione iactat se viriliter agere. Sed postmodum sub ictibus turpiter superatur: sic multi promittunt se Deo seruire qui deficiunt in tentatione. Psalm. filii effrem intendentes & mittens arcum. cõ. Psalm. Domum tuam Domine decet sanctitudo. Luc. 1. in sanctitate. Tertio in fine seruientis recta intentio: ibi, Deo placentem. Non enim placet viro ornatus sponsæ causa adulterii non sui. sic nec Deo opus factum propter gloriam hominum. Gal. 1. Si hominibus placerem Christi. Mirabile est salmonem ponere in escam ad capiendum locham quod faciunt qui opera bona

bona faciunt propter vanam gloriam. Coloss. 1. Ambuletis digne Deo per omnia pla. in omni. Quarto in sequente discretio. ibi, rationabile sit obse. Glo. s. Cum discretione corpora castigetis vt naturæ non cogantur dissolui. sed vitiis moti. Medicinæ enim corporales sic dantur vt humores mali expellantur & natura confortetur. Sarracenis sic captiuos opprimunt vt possint laborare non tamen rebellare. Item rationabile est obsequium quando secundum modum culpæ agitur pœnitentia. 1. Petr. 2. rationabiles sine dolo lac concupiscite vt in eo crescatis in salutem.

De Epistola, Sermo 2.

PRobetis quæ sit voluntas Dei bona beneplacens & perfecta. Roman. 12. Sapiens accedens ad seruitium alterius diligenter studet cognoscere voluntatem Domini sui vt melius ei seruiat, seruiendo placeat. placendo mercedem accipiat ampliorem. Ideo Ps. ait, Domine doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu. & sic spiritus tuus bonus deducet me. Sic & Apostolus monet nos ad studium notitię voluntatis diuinæ dicens probetis &c.

Vbi facit tria. Primo suadet cognoscendi modum quia probandum: ibi, Probetis. Auditu sicut electicus cum examinatur. gustu sicut cibus cum masticatur. visu sicut liber legitur. Ergo probetis audiendo præcepta, gustando beneficia. Considerando præmia. & scietis quia bona est in præceptis: beneplacens in beneficiis. perfecta in præmiis. 1. Thessal. 5. omnia probat. Malach. 3. inferte omnem decimam in hor. m. vt sit cibus in domo mea & probate me dicit Dominus: Si non apparuero. Secundo docet cognitionis obiectum siue quid cognoscendum: ibi, quæ sit voluntas Dei: si doctor aliquis doceret scientiam per quam de facili & sine peccato acquireretur regnum aliquod. Multi audirent eum & vterentur illa scientia: talis est scientia practica voluntatis diuinæ. Math. 7. Non omnis qui dicit Domine Domine intrabit &c. Tertio addit ad hanc cognitionem allicitiuum: ibi, bona beneplacens & perfecta. Bona vt dictum est in præceptis ad quæ ligat: sicut bonum est cæco vt illuminetur: ægro vt ad diætam ligetur. Psalm. Bonum mihi Domine quia humiliasti me. bonum mihi lex. &c. Psalm. Domine vt scuto bone. Beneplacens in beneficiis quæ præstat. vnde & placet largo danti & egeno accipienti. Psalm. in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Perfecta in præmiis quibus remunerat: sic perfecta est via cum finis habetur. 1. Corinth. 13. Cum venerit quod perfectum est &c. Vel bona in peccantibus quos reducit ad pœnitentiam: beneplacens in pœnitentibus quos deducit per perseuerantiã. perfecta in perseuerantibus quos perducit ad gloriam. Psalm, perfice gressus m. inse.

De Euangelio, Sermo 3.

INuenit eum in templo sedentem in medio Doctorum audientem illos & inter. Lucæ. 2. Quidam quærunt Dominum & non inueniunt: & hoc vel quia non perseuerant sicut simia quærendo nucleum: vel quia nec locum nec tempus captant: sicut qui quærunt flores in hyeme. Iohann. 7. quæretis me & non inuenietis. Oseæ 5. Cum gregibus suis & in armentis vadent ad quærendum Dominum & non inuenient. Alii non quærunt & inueniunt quod est mirabile, sicut Paulus. Actor. 9. Esa. 64. g. inuenerunt me qui ante non quæsierunt. Hoc maxime patet in innocentibus & paruulis baptizatis: qui motu proprio non quærunt Dominum. Tertii nec quærunt nec inueniunt: sicut infideles & accidiosi: sicut letargici non quærunt remedium morbi scilicet vigiliam. sed potius somnum, ideo nec inueniunt. Iob. 28. Non inuenitur in terra suauiter viuentium. quippe: quia nec quæritur. 2. Paralip. 15. Si quis non quæsierit Dominum. d. morte mo. Quarti quærunt & inueniunt: sicut boni Christiani similiter quærit diligenter drachmam perditam donec inueniat. Lucæ. 15. Quanto plus homo Deum quærere debet donec inueniat. Deuteron. 4. Cum quæsieris Dominum Deum tuum inuenies eum: si cum toto corde quæsieris & tota tribulatione animæ tuæ. Sic quæsierunt Christum parentes eius: & ideo inuenerunt sicut dicitur hic, inuenerunt eum. &c.

Vbi notantur tria. Primo inuentionis locus sanctus quia in templo. Secundo inuenti status honestus: quia, sedentem in medio Doctorum. Tertio actus eiusdem fructuosus: quia, audientem illos & inter. In primo dat exemplum sanctæ viuendi. vnde de Anna dicitur. Lucæ. 2. quod non discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. sicut lasciui vadunt ad loca lasciuia: sic sancti ad loca sancta. In secundo dat exemplum honeste conuersandi. In hoc quod sed. bat exemplum humilitatis. In hoc quod in medio exemplum securitatis. In hoc quod Doctorum exemplum honestatis. Psalm. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. In tertio dat exemplum sedule addiscendi: non quia ipse addisceret ab eis: sed potius ipsi ab eo.

Vbi notatur duplex actus disputantis vel docentis: audire loquentes, & interrogare tacentes: quod notatur ibi, audientem illos. Sap. 1. Auris zeli audit omnia & interrogantem. Luc. 9. Interrogabat Iesus discipulos dicens, quem me dicunt turbæ.

De Euangelio, Sermo 4.

FIli quid fecistis nobis sic: ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Lucæ. 2. Triplex conditio inuenitur in re quare libenter quæritur si amittatur. videlicet quando commendata: sic miles quærit equum, scholaris magistrum: Quando necessitas: sic pauper victum, æger medicum. Quando dilecta: sic nupta sponsum, mater filium. Beata mater audierat filium suum ab angelo commendatum. Lucæ 1. Hic erit magnus & filius. credebat eum mundo necessarium. Lucæ. 1. Misericordia eius à progenie habebat eum intime dilectum. Vnde Simeon. Luca. 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ideo merito quærebat eum quasi perditum dicens, fili quid fe. &c.

Vbi primo proponitur à matre quo modo cũ dicitur, fili. &c. Secundo subditur quæstionis ratio: ibi, ego & pater tuus do. In sua quæstione quatuor facit B. mater. Primo alloquitur dulciter: ibi. fili. Secundo interrogat cautaliter, quid fecisti. Tertio adm-

admiratur rationabiliter: ibi, nobis. Quarto demonstrat euidenter: ibi, sic. Ergo dulcedo est in allocutione cum dicitur fili: non garcio prauæ: non puer fatue: sed fili non tantum mei: sed Dei. Esa. 9. Paruulus enim datus est nobis: & filius datus est. &c. Secundo curialitas in interrogatione: ibi, quid fecisti. Non dicit quare fugisti quare contempsisti nos: sed quid fecisti. & vere quid faciebat. quia beneplacita patris sui Iohann. 14. Sicut mandatum dedit mihi pater: sic facio. Tertio in admiratione prudentia: ibi, nobis scilicet parentibus tuis, dilectis tuis. Tob. 10. Heu me fili mi vt quid te misimus peregrinari lumen. Quarto in demonstratione euidentia: ibi, sic scilicet nobiscum non redeundo sicut patet. Genes. 25. Si sic mihi futurum erat quod ne.

Circa secundum principale tanguntur quatuor expedientia ad inueniendum. Primo sanctitudo associationis qua quærebant vnanimiter: ibi, ego & pater tuus. ego scilicet mater tua vera: & pater tuus putatiuus, hoc est valde placitum Deo concordia in bono opere. Ecclesiast. 25. In tribus beneplacitum est spiritui meo quæ sunt probata coram Deo & hominibus: & post vir & mulier bene consentientes. Spiritualiter Maria amaritudo significat pœnitentes. Ioseph accrescens proficientes. Hi quærunt & inueniunt Iesum Christum. Secundo magnitudo affectionis: ibi, dolentes. Si dolet mater de amissione filii: quanto plus quilibet de amissione Dei: quia ipso perdito perduntur omnia. Psalm. Vsquequo Domine obliuisceris me. Iohann. 20. Tertio longitudo continuationis qua quærebant perseueranter: ibi, quærebamus. præteritum imperfectum implicat continuationem: sic qui perseuerat currendo accepit brauium. Psalm. Lætetur cor quærentium Dominum quærite Dominum. &c. Quarto rectitudo intentionis qua quærebant Deum simpliciter. mulier enim quærens amplexus adulteri non mariti: odio habetur à marito: Sic pulli aquilæ qui non respiciunt solem quod notatur ibi, te. Psal. non dereliquisti quærentes.

Dominica primus post octauas Epiphaniæ, De Epistola, Sermo primus.

ODientes malum adhærentes bono. Rom. 12. More boni hortulani facit Apostolus nos docens extirpare spinas & tribulos vitiorum: & deinde serere semina virtutum: sic & medicus primo purgat corpus à nociuo humore vt introducatur sanitas in corpore. Secundum hoc hortatur Apostolos. Primo ad detestationem vitiorum & peccatorum. Secundo ad dilectionem bonorum: ibi, adhærentes bono.

In prima primo hortatur ad veram fugam peccati cum dicit, odientes: si cor refugit & euomit cibum abominabilem corporalem. quanto plus voluntas abominationem spiritualem. Psal. Iniquitatem odio habui & abominatus sum. Secundo innuit causam fugiendi: ibi, malum. Si agnus fugit lupum quia malum sibi, sermo illud quod est contra Domini beneplacitum. & nos multo plus peccatum quia Deo displicens. Sapient. 16. Homo per malitiam o. a. Psalm. qui diligitis Dominum.

Circa secundum principale primo hortatur ad veritatem dilectionis: ibi, adhærentes. Amor enim est quædam vis amantium vnitiua vt sicut ex surculo adhærente trunco fit vna arbor naturalis: sic ex amante inhærente amato bono fiat vna bona voluntas spiritualis. 1. Corinth. 6. Qui adhæret Deo vnus spiritus est cum illo. Secundo addit rationem diligibilis: ibi, bono. quicquid enim appetitur, appetitur sub specie boni: si indumenta bona appetimus quanto magis animam. Prou. 11. desiderium iustorum omne bonum: sed heu de quibusdam dicitur. Mich. 3. Odio habetis bonum & diligitis malum.

De Epistola, Sermo 2.

GAudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Roman. 12. Cor hominis quatuor affectionibus immoratur secundum quod ad quatuor conuertitur quia aut ad bonum aut ad malum. ad bonum aut præsens sic gaudet, aut futurum sic sperat: si ad malum aut præsens sic dolet: aut futurum sic timet: & quia vix est timor sine dolore & spes sine gaudio.

Ideo ista quatuor comprehendit sub duobus scilicet gaudio & dolore siue fletu hortans secundum hoc ad duplicem amoris effectum. quorum primum est congratulatio in alienis bonis: ibi, gaudere cum gau. secundum est compassio in alienis malis: ibi, flere cum fle. 1. Corinth. 12. Si quid patitur vnum membrũ compatiuntur alia membra si gloriatur. &c. In prima primo monet ad gaudium: ibi, gaudere. Actus ad quos inclinat natura faciliores sunt ad gaudendum de bono inclinat natura & ideo facile & inexcusabile est hoc. 2. Corin. 13. Gaudere perfecti estote. Secundo subdit motiuum ad gaudium: ibi, cum gaudentibus. Auicula cantans excitat socias ad cantandum. Prouer. 23. fili si fuerit sapiens animus tuus gaudebit cor m. tecum & exulta.

Circa secundum principale similiter primo monet ad compatiendum. Secundo subdit ad hoc motiuum: ibi, cum flentibus. canis enim latrans excitat alios ad latrandum. Iob. 30. Flebam quondam super eo qui afflictus.

De Euangelio, Sermo 3.

QVodcunque dixerit vobis facite. Iohann. 2. Sicut lux expellit tenebras: ita veritas errorem. fuit autem error quorundam prohibentium nubere vt habetur. 1. Timoth. 4. Ideo Christus qui est veritas veniendo ad nuptias hunc errorem elidit.

Commendant autem istas nuptias tria: Iesus qui ostenditur admirabilis. mater eius quæ describitur amicabilis. Architriclinus qui proponitur imitabilis, ergo consideres matrem inuenies quid amandum: si filium quid admirandum: si architriclinum: quid imitandum, mater est amanda tanquam sollicita, tanquam aduocata. tanquam magistra. Quia sollicita filio præmittitur cum dicitur, & erat mater Iesu: ibi Quia aduocata filio loquitur. ibi, vinum non habent. Quia magistra ministros hortatur, ibi Quodcunque dixerit vobis facite. Iam patet quid amandum quia mater. Sequitur quid admirandum quia filius. & hoc propter clementiam, sapientiam, potentiam. Clementia ostenditur in responsione. nondum venit hora mea quasi dicat dimitte mater apparere defectum vt

magis

magis appareat miraculum. Sapientia ostenditur in admonitione: ibi, implete hydrias aqua. unde dicat vos eritis mihi testes huius miraculi. Potentia ostenditur in subita mutatione: ibi, haurite nunc & ferte. ar. q. d. iam aqua mutata est in vinum quod non potest natura facere nisi successiue. Sequitur quid immutandum quia archtriclinus. qui tria fecit. Primo vinum gustauit: ibi, vt autem gustauit ar. Secundo factum narrauit: ibi, omnis homo vinum bonum. Tertio miraculum commendauit: ibi, tu autem seruasti vinum bonum vs. Sic debemus miracula Dei gustare: secundo aliis narrare: tertio commendare. Psalm. Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. &c. Mater ergo sapientiæ docet compendiose. quotum obediendum est Deo. Primo generaliter: ibi, quodcunque: modo seruire de vino & modo de veneno non placeret Domino: modo ire tectam viam tandem deviam non perducit ad debitum terminum. Ierem. 1. Ad omnia quæ mittam te ibis & vniuersa quæcunque. Secundo faciliter: ibi, dixerit vt non expectetur præceptum: seruitia enim quanto minus coacta tanto magis grata. Matth. 8. Et dico huic vade. Tertio humiliter siue personaliter: ibi, vobis scil. ministris quorum est humiliari: sicut cantus modicarum auium gratiosior est: sic seruitium humilium. Ecclesiast. 10. Secundum iudicem populi sic & ministri eius. Iudex autem populi scil. Christus fuit humilimus. Matth. 11. tollite iugum. Quarto veraciter & instanter: ibi, facite. non tantū promittite. non fingite. Item facite non differre qui non facit quando potest non facit quando vult. Exemplum de Iudæo qui cecidit in latrinam & noluit extrahi die sabbati & Christianus noluit extrahere die Dominica: & sic mortuus est. Psalm. Inclinaui cor meum ad faci.

De Euangelio, Sermo 4.

TV autem seruasti vinum bonum vsque adhuc. Iohan. 2. Summus magister Iesus Christus docet nos tanquam filios & discipulos suos multipliciter. Videlicet verbo veritatis. exemplu sanctitatis. miraculo potestatis. Verbo veritatis in prædicatione. Iohan. 6. Verba quæ ego loquor spiritus & vita sunt. Exemplo sanctitatis in conuersatione. Iohan. 13. Exemplum dedi vobis vt quemadmodum Miraculo potestatis in mirabili operatione. Iob. 5. Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me quia pt. Sic in præsenti Euangelio docet charitatem mutuam & misericordiam tripliciter. Primo exemplo quia vocatus ad nuptias venit & defectum vini suppleuit. Secundo verbo in hoc quod ministris dixit haurite nunc & ferte archi. Tertio miraculo in hoc quod aquam in vinum bonum conuertit. vnde & architriclinus ait, tu autem seruasti, &c.

Vbi tanguntur tria. Primo boni erogandi debita procuratio: ibi, vinum bonum. Debet enim eleemosyna fieri de proprio bono. Luc. 19. Dimidium bonorum meorum do pau. Secundo procurati discreta conseruatio: ibi, tu autem seruasti. Non minor est virtus quærere: quam parta tueri. Can. 7. Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. Tertio conseruati opportuna distributio: ibi, vsq; adhuc. Ioh. 16. Vsque modo non petimus.

Dominica 2. post octauas Epiphaniæ de Epistola, Sermo primus.

SI esurierit inimicus tuus ciba illum. Rom. 12. Apostolus ro. 12. dicit quod sicut in vno corpore multa membra habemus. omnia aūt membra non eundem actum habent: oculi habent dirigere: manus protegere: pedes portare: ita multi vnum corpus sumus in Christo. Singuli autem alter alterius membra. In membris autem ita est quod si vnum est ægrum quod grauet alia dum tamen non corrumpat ea: alia supportant illud naturam fouendo: & sanitatem morbi procurando. Sic in mēbris ecclesiæ debet esse quod inimicorum nos lædentium debemus diligere & sustentare naturam: odire & sanare culpam. secundum quod hic dicitur, si esurierit, &c.

Vbi primo supponit infirmitatem hominis. Secundo docet remedium infirmitatis ibi, ciba illum. In primo tangit duplicem infirmitatem. Primo corporalē: ibi, si esurierit. defectui quippe naturæ subueniendum est. 1. Cor 4. Vsque in hanc horam esurimus & sitimus. Secundo spiritualem: ibi, inimicus mus. sc. qui te odit: non tu illum. Prou. 26. In labiis suis intelligitur inimicus. & sequitur huius defectus remedium: ibi, ciba illum. Esa. 58. Frange esurienti panem tuum &c. Sic quædam aues pascunt impotentes sui generis. Prou. 25. Si esurierit. Ergo vide defectum & appone remedium: quia cibando sustentabis: & tibi illum concordabis.

De Epistola, Sermo 2.

NOli vinci à malo: sed vince in bono malum. Rom. 12. Sicut dicitur Iob. 7. Militia est vita hominis super terram. Vnde oportet vincere vel vinci. vincitur cum peccato consentit. Superbia quippe eleuando præcipitat: sicut pugil socium Esa. 14. Detracta est ad inferos superbia tua qui dicebas ascendam. Inuidia inuidendo excæcat sicut pelusis lucens: & calida vtsum intuentem diu. Sap. 2. Grauis est nobis ad videndum: & post excæcauit eos malicia eorum. Auaritia ditando depauperat: sicut hydropisis bibentem magis facit sitire. Prouerb. 11. Alii rapiunt non sua. & semper in egestate. Iracundia inflando attenuat: sicut pellis inflata attenuatur. Prou. 17. Spiritus tristis exsiccat ossa. id est virtuosa opera. Accidia quiescendo inquietat: sicut perplexus dubitando se anxiat. Prouerb. 13. Vult & non vult piger. Luxuria delectando damnat: sicut letargicus dormiendo moritur. 1. Tim. 5. Quæ in deliciis est viuens mortua est. Gula commessando necat: sicut nimietas oneris opprimit asinum. Eccl. 37. Propter crapulam multi obierunt. Vide ergo fallacias vitiorum: quia prætendunt vnum & subinferunt oppositum. Caue ergo ab eo quod videtur delectabile ne vincaris, sed vincas. secundum quod monet hic Aposto.

Vbi dat duo monita. Vnum negatiuum: aliud affirmatiuum. Primum est de cauendo malum. Secundum est de faciendo bonum: ibi, sed

sed vince. Cauere autem debet qilibet id qnod est voluntarium: verecundum & damnosum. Peccare autem est volontarium: ideo dicit, noli. quasi dicat, io volntate tua est præceptum: quanto faciliuseft, tanto inexcusabilius est. Eccles 7. Noli facere mala & non te apprehendent. Secundo verecuodnm: ideo dicit, vinci. Si verecundamns vinci corporaliter coram hominibus: quanto plus spiritualiter coram Deo. Ierem. 48. Confusus est moab quoniam victus est. Tertio damnosum: ideo dicit, à malo. Naturaliter vnum quodque refugit quod est sibi nociuum & malum: vt agnus lupum: lupus gladium. Nihil magis nocet homini: quam malum peccati. Sapien. 16. Homo autem per malitiam occidit animam suam. ergo quia facile est resistere: turpe succumbere. damnosum facere: debet quilibet à malo cauere: sed & vlterius bonum facere. vnde sequitur, sed vince in booo malum.

Vbi notantur tria motiua ad bonum faciendum. Primo actus desiderabilis: vnde dicit, vince. Vnumquodque naturaliter appetit vincere: vt aqua ignem & econuerso: gallus gallum: & nauta ventum. Apoca. 6. Vidi & ecce equus albus: & qui sedebat super eum habebat arcum, &c. Secundo modus commendabilis: ibi, in bono. non sicut hypocritæ qui propter vanam gloriam faciunt bonum. Item non sicut illi qui vnum peccatum faciunt: vt euadant aliud turpius. Galat. 4. Bonum æmulamini in bono semper: & non cum tantum præsens sum apud vos. Tertio hostis insolerabilis: ibi, malum. scil. culpæ quod non solum pugnat pro ablatione substantiæ temporalis vel vitæ corporalis: sed etiam damnatione animæ rationalis. Ierem. 26. Itaque nos facimus grande malum contra animas nostras. Tob. 12. Qui faciunt iniquitatem & peccatum: hostes sunt animæ.

De Euangelio, Sermo 3.

Domine si vis potes me mundare. Matth. 8. Operatiorum tria sunt genera. Est enim quoddam operans cum motu & labore: vt homo & cætera animalia. Est aliud operans cum motu sine labore: vt sol & cætera luminaria. Est tertium operans sine motu & labore: vt Deus qui est prima causa. quippe quia sua sola voluntas sufficit ad hoc quod res statim producatur in esse. Vnde bene dixit iste leprosus, Domine si vis potes me mundare.

Vbi tria facit vt impetret mundationem à lepra. Primo supplicat humiliter recognoscendo mundantis potestatem: ibi, Domine. Apocalyp. 19. Rex regum & Dominus dominantium. & ideo qnia summus Dominus illi seruiendus & nulli alii contra eum. 1. Reg. 7. Præparate corda vestra Domino & seruite. Secundo allegat prudenter proponendo mundandi facilitatem: ibi, si vis potes. Sapien. 12. Subest enim tibi cum volueris posse. Ideo ipsum debemus specialiter exorare. Matth. 20. An non licet mihi quod volo facere. Tertio postulat vtiliter confitendo mundationis necessitatem: ibi, me. scilicet leprosum mundare. Iob. 13. Quis potest facere mundum de immundo conceptū semine? nonne tu qui solus es. Sine mundicia nullus ascendit in cælum. ea quæ sunt munda magis apta sunt ad ascensum: vt patet in musto, in flore. Psalm. Quis ascendet in montē Domini, &c.

De Euangelio, Sermo 4.

Extendens manum Iesus tetigit eum dicens, volo mundare, Matth. 8. Verum dixit Psalm. loquens Domino. Mirabilia opera tua: quod pt. in mirabili mundatione leprosi huius.

Circa qnod miraculum tria commendant Dominum. scilic. miraculum antecedentia concomitantia, & consequentia. Antecedentia sunt tria: descensus Domini, concursus populi, aduentus infirmi. Descensus Domini cum clementia. contra superbos. Descendens inquit Iesus de monte. Psalm. Inclinauit cælos & descen. Concursus populi cum reuerentia. contra ingratos: ibi, secutæ sont enm turbæ. sicut pauperes diuitem, peregrini ducem. Matth. 19. Si vis perfectus esse vade. Aduentus infirmi cum fiducia contra pigros: ibi, & ecce leprosus veniens adorauit eum sicut seruns Dominum, infirmus medicum. Genes. 43. Obtulerunt ei munera & adorauerunt proni in terram. Concomitantia similiter sunt tria: humilitas in tactu, pietas in affectu, potestas in effectu. Secundum hæc tria probantur in Christo tres substantiæ in vna persona. In tactu corpus est enim contactus duorum corporum: quod notatur ibi, tetigit eum. In affectu anima: ibi, volo. Non enim in corpore vel Deitate cadunt affectiones: sed in anima. In effectu Deitas: ibi, mundare. Mundauit in instanti qnod natura causare non potest. Consequentia similiter sunt tria. Iniunctio silentii contra vane gloriantes: ibi, vide nemini dixeris. Approbatio sacramenti contra infideles: ibi, ostende te sacerdotibus. Oblatio testimonii contra negligentes: ibi, & offer munus. Quod tetigit immundum fuit contra legem. Quod sanauit ad tactum fuit supra legem. Quod misit ad sacerdotes fuit secundum legem.

De Euangelio, Sermo 5.

Ego veniam & curabo eum. Quatuor debet quilibet ex charitate diligere. scilicet Deum in summo gradu, seipsum in secundo, proximum in tertio, corpus proprium in quarto. Et quia probatio dilectionis exhibitio est operis debet Deo obedire. seipsum irreprehensibilem custodire. proximo subuenire. corpus immaculatum seruare. Quod & fecit excellentius cæteris Iesus Christus. Nam Deo patri vsque ad mortem obediuit. Philipp. 2. Seipsum irreprehensibilem custodiuit. Iohann. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato. Proximo subuenit sicut patet ex verbo suo hic proposito, ego veniam, &c.

Vbi tanguntur quatuor. Primo personæ Christi sublimitas: ibi, ego. Secūdo sublimitatis humilitas: ibi, veniā. Tertio humilitatis vtilitas: ibi, & curabo. Quarto vtilitatis necessitas: ibi, eū. s. centurionis seruū infirmū: per quem peccator designatur. pro quo plarus debet orare. Sublimitati debe-

debetur timor & obeditio. Mal. 1. Si Dominus ego sum vbi timor meus. Humilitati amor & imitatio. Luc. 9. Qui vult venire post me abne. Vtilitati gratiarum actio. Tho. 5. In proximo est vt à Deo cureris & sequitur gratiarum actio. Necessitati compassio. Luc. 10. Videns eum misericordia motus est.

Dominica 3. post oct. Epiphaniæ de Epistola, Sermo 1.

NEmini quidquam debeatis nisi vt inuicem diligatis. Rom. 13. Dicitur communiter quod oportet soluere vel pendere. quidā autem debent & male soluunt: & hoc est iniustitiæ. Eccles. 29. dicitur de ingrato. Solidi vix reddet dimidium computabit illud quasi inuentionem. In hoc peccant multi executores testamentorum. Alii non debent & bene soluunt: & hoc est gratiæ. Sic & Christus soluit pœnam quam non meruit. Psal. Quæ non rapui tunc exsoluebam. Tertii debent & soluunt & hoc est iustitiæ. soluere. scil. debita. ad quod monet hic Apostolus.

Vbi innuit duo genera debitorum. Sunt enim quæ reddita nec habentur nec debentur vt pecunia. Quædam quæ reddita & habentur & debentur. vt dilectio mutua. Prima sunt reddenda & non retinenda. vnde dicit, nemini quicquam debeatis. Alia reddenda & retinenda ideo excipit, nisi vt inuicem diligatis. glo. cætera ita reddite vt non amplius debeatis. Charitatem autem ita reddite vt semper eam debeatis. Charitas enim est quæ semper suum detinet debitorem. In primo monet soluere debita integre. Primo quoad vtilitatem creditorum: ibi, nemini contra illos qui reddunt diuitibus non pauperibus: non seruientibus. Rom. 13. Reddite omnibus debita. Secundo quoad integritatem reddendorum: ibi, quidquam. contra illos qui minuunt debita & negant pro parte vel pro toto. Sic fecit villicus iniquitatis. Luc. 16. Quantum debes Domino meo?

Circa debitum charitatis similiter tangit duo. Primo actum qui est inexcusabilis: ibi, diligatis. Ioh. 15. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem. Secundo obiectum cuius connexio est rationabilis: ibi, inuicem. 1. Ioh. 4. Si Deus dilexit nos: & nos debemus inuicem diligere.

De Epistola, Sermo 2.

DIlectio proximi malum non operatur. Omne quod potest errare indiget regula. Voluntas autem humana potest errare: immo prona est ad malum: vt habetur Gen. 3. ideo indiget regula dirigente in bonum ne operetur malum. Veracior & rectior relatiua est dilectio Dei & proximi: quia qui ex charitate diligit alium: non parat ei malum: secundum quod dicit Apostolus dilectio proximi malum non operatur. glo. mortale peccatum. In dilectione vero proximi intelligitur dilectio Dei: quia non debet diligi proximus nisi propter Deum.

In quo verbo notantur tria inducentia ad amorem proximi. Quorum primum est virtus delectabilis: ibi, dilectio. Nihil delectabilius est quā diligere quod patet per oppositum quod est odio habere vel irasci. Eccl. 23. Nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei. Maximum mādatum est diligere Deum & proximum. Matth. 22. Secundum est species amabilis: ibi, proximi. Animalia enim diligunt sibi similia in specie: vnde & simile naturaliter attrahit. Eccl. 13. Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi. Tertium est effectus vtilis: ibi, malum non operatur. minus dicit & plus significat. quasi dicat, imo operatur bonum. Quædam enim animalia nobilia prædam diuidunt. & primo dant impotentibus suis generis. Similiter vnum membrum iuuat aliud & cauet ab eius læsione. 1. Cor. 13. Charitas non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Attende ergo delectabilem habitum qui est dilectio. amabile obiectum quod est proximus. vtilem effectum qui est non operari malum.

De Euangelio, Sermo 3.

DOmine salua nos perimus. Matth. 8. Mundus caro dæmonia diuersa mouent prælia aduersus nos in hac vita. sicut mundi cupiditas quærit diuitias: sub prætextu viuendi. Carnis voluptas sequitur delicias. sub prætextu recreandi. Diaboli malignitas suggerit honores & pompas. sub prætextu prodessendi. Sed per hæc omnia augetur animæ periculum: quia in diuitiis augetur cupiditas: sicut ignis in lignis & periclitatur charitas. In deliciis augetur voluptas: sicut sitis hydropici in potu: & periclitatur castitas. In prælationibus augetur elatio: sicut tempestas ex vento: & periclitatur humilitas ita quod nos in tantis periculis constitutos oportet iterum clamare, Domine salua nos perimus.

Vbi tria faciunt discipuli. Præmittunt potentiam vt alliciant, Domine. Petunt misericordiam vt inueniant, salua nos. Ostendunt miseriam vt appareat quod indigent, perimus. Hæc enim tria requiruntur in petitione discreta. scil. quod ille à quo petitur sit potens: ille qui petit, sit indigens: res quam petit conueniens. Primo ergo tangitur potentia. petere enim beneficium ab egeno: eō silium à fatuo: auxilium ab infirmo fatuum est: sed ab eo qui potest: & sic petendum est vt velit: ideo dicunt, Domine. scil. qui potes. Psalm. Tu dominaris potestati maris. Secūdo petitur misericordia salutaris: ibi, salua nos. q. d. non petimus diuitias aut delitias quæ inclinant ad malum: sed salutem nostram, Matth. 21. Turbæ quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant dicentes Osanna. i. salua. Tertio ostenditur indigentia finalis: ibi, perimus. q. d. necessitas mortis nos compellit petere. Psalm. Erraui sicut ouis quæ periit. &c.

De Euangelio, Sermo 4.

QValis est hic quia & venti & mare obediunt ei. Matth. 8. Propter admirari inceperunt homines Philosophari. Summa autem Philosophia est cognitio Dei: ideo antiqui admirantes opera Christi quærebant qualis est vt cognitionem haberent de ipso. Admirabantur autem quidam speciositatem gratiæ: ideo quærebant qualis est dilectus. i. Christus. Can. 5. Qualis est dilectus

lectus tuus, dicunt minores contemplatiuo ex dilecto. id est filius dilectus: ex patre dilecto: dilectus meus candidus per vitæ mundiciam: & rubicundus per mortis tolerantiam: electus ex milibus per prædicationis sapientiam. Admirabantur alii virtutem potentiæ in operando: sicut nautæ & alii secundum quod dicitur hic: qualis est hic, &c.

Vbi ponitur primo admiratiua quæstio. Secundo quærendi ratio: ibi, quia & venti. In prima primo quæritur conditio: ibi, qualis est. quasi dicat non tantum est Deus: quia dormit. non tantum est homo: quia miracula facit. Secundo ponitur personæ singularis demonstratio: ibi, hic. Huic quæstioni respondet pr. Matth. 3. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Circa rationem quærendi tanguntur tria. Primo creaturarum irrationabilitatem: quia, venti & mare. Secundo rationabilem earum obedientiam: quia, obediunt. Dominum imperantem: ibi, ei. Psalm. Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas. In hoc confunditur creatura rationalis quæ non obedit suo creatori.

Dominica 4. post oct. Epiphaniæ de Epistola, Sermo primus.

INduite vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ benignitatem: humilitatem: modestiam: patientiam. Col. 3. Sicut habitu indumenti corporalis discernuntur religiosi à non religiosis. Sic habitu indumenti spiritualis discernuntur boni à malis. Nam boni induunt habitum virtutum: mali non. bene autem indui & honorifice decet seruos & amicos nobilis Domini. Ideo seruos Christi monet Apostolus bene indui: quod est opera meritoria operari.

Vbi implicantur tria allicitiua ad habitus & opera virtutum. sc. fructus: status habitus. Primo fructus: quia aliter essemus nudi: Ideo dicit, induite vos. O quam periculosum est nudum esse inter hostes: quia vbi non protegit humilitas: superbia præcipitat. vbi non largitas: auaritia suffocat: vbi non castitas: voluptas vulnerat. Apoc. 3. Vestimentis albis induaris vt non appareat confusio nuditatis tuæ. Secundo status: quia sumus serui & amici magni Domini. ideo oportet honorabiliter indui: ideo subdit, sicut electi De. glo. per æternam prædestinationem. sancti per sacramentorum participationem. dilecti per præsentem iustificationem: & sic electio est causa sanctitatis: sanctitas causa dilectionis, Eph. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate: vel electi per fidem. sancti per spem: dilecti per charitatem. Tertio habitus: quia virtus animi, ibi, viscera misericordiæ. Virtus autem ordinans ad proximum aut respicit inferiorem. Sic est misericordia de qua dicit, viscera misericordiæ id est affectuosam misericordiam: viscera non pellem sicut hypocritæ. Matt. 5. Beati misericordes: quoniam misericordiam consequentur. Aut superiorem: sic est humilitas. Iob. 5. qui ponit humiles in sublime. Sic arbor quanto profundius radicatur: tanto in ramis exaltatur. Aut respicit beneficium: sic est benignitas, Ephes. 4. Estote inuicem benigni. Aut maleficum: sic patientia. hæc est cappa ad pluuiam. Luc. 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Aut quemcunque proximum: sic est modestia. Philipp. 4. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus Dominus prope est. Sic mulier modeste segerit coram Domino. Fœlix ille in quo misericordia siue auaritia: benignitas sine inuidia: humilitas sine superbia: modestia sine voluptate: patientia sine rancore.

De Epistola, Sermo 2.

OMne quodcunque facitis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Col. 3. Solet paterfamilias seruum priuare à mercede & merito triplici de causa. Propter seruiendi defectum: vt patet in seruo pigro. Propter seruitium imperfectum: vt patet in Iuda. Propter seruitium alii impensum: vt patet in hypocritis.

Contra hæc tria hortatur hic Apostolus ad tria circa seruitium diuinum. Primo ad inchoationem seruitii diuini. Secundo ad consummationem inchoati: ibi, omnia facite. Tertio ad rectam intentionem seruiendi: ibi, in nomine Domini Iesu Christi. In prima implicat quod oportet operari. Primo præsentialiter: cum dicit, facitis. Qui non facit quando potest: non facit quando vult. Modo est tempus faciendi bonum: non sic post mortem. Luc. 3. Iam securis ad radicem arboris posita est. omnis ergo arbor quæ non facit fru. Secundo multipliciter: ibi, omne quodcunque: & specificat in verbo aut in opere. Eccles. 9. quodcunque potest manus tua, &c. contra delicatos qui modico sunt grauati. Psal. Eructauit cor meum verbum bonum.

In secundo principali monet ad perfectionem operis: cum subdit, facite omnia, Matth. 3. Facite dignos fructus pe.

In tertio principali monet ad rectam intentionem. Non enim placet sponso ornatus sponsæ dum fit adulteri amore: ideo dicit, in nomine Domini. id est ad gloriam vel beneuolentiam, Domini, cui timor, nostri cui amor, Iesu. cui gratiarum actio. Christi cui deuotio. 1. Cor. 10. Siue manducatis siue bibitis siue quid aliud facitis: omnia in gloriam Dei facite.

De Euangelio, Sermo 3.

DOmine nonne bonum semen seminasti in agro tuo vnde habet zizania: ait illi. inimicus homo hoc fecit. Matth. 13.

Antiqua quæstio fuit de peccato vnde primo ortum habuit malum. Nam creator bonus: creaturæ factæ sunt bonæ secundum illud, Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona. Bonum autem non videtur esse causa mali, vnde ergo malum? Hoc est quod parabolice quæritur in verbo proposito.

In quo primo proponitur quæstio. Secundo quæstionis solutio: ibi, ait illi inimicus homo. In prima proponitur primo quærendi occasio. Secundo ipsa quæstio: ibi, vnde ergo habet zizania. In prima tanguntur tria. Primo creatoris potestas singularis: ibi, Dñe. Ps. In initio tu Domine terram fundasti. Secũdo creatio admirabilis: ibi, nonne seminasti, Ier. 2. Ego te plantaui vineam electã omne semen verum. Tertio bonitas creaturarum naturaliũ: ibi bonũ semẽ. Ecc. 39. Opera Domi-

Domini vniuersa valde bona. In Dominio patet potentia. in seminatione sapientia. in bono semine bonitas. Quia summe potens non est creaturæ causa desiciendi. quia summe sapiens non est causa errādi. quia summe bonus non est causa malignandi. Ideo quæritur vnde ergo habet zizania erroris. scil. & maliciæ. Iudic. 6. Si Dominus nobiscum; cur apprehenderunt nos hæc mala.

Sequitur secundum principale in quo subditur responsio. Inimicus homo. i. diabolus hoc fecit qui dicitur inimicus homo quia inimicus hominis. Iohan. 8. Ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit. Voluntas ergo potens deficere eo quod de nihilo. est prima causa peccati: & ita bonum est causa mali. Ierem. 4. Fecisti mala & potuisti.

De Euangelio, Sermo 4.

COlligite primum zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum. triticum autem congregate in horreum meum, Matth. 13. Sicut grana tritici in agro simul crescunt cum paleis & aliis herbis. In area separantur ab illis. In horreo quiescunt sine illis. ita boni in hoc mundo viuunt cum malis. in iudicio separabuntur ab illis. in regno quiescent sine illis. Hæc tria tangit Dominus in hoc Euangelio. Primo communem bonorum & malorum habitationem cum dicit. sinite vtraque crescere. Secundo futurum ipsorum ab inuicem separationem: ibi, vsque ad messem & tunc di. Tertio finalem eorum remunerationem hic, colligite primum, &c.

Vbi describitur. Primo reproborum vilitas vt terreat. Secundo electorum dignitas vt alliciat: ibi, triticum. Vilitas autem apparet in tribus. in situ in quo instabilitas: ibi, colligite: quia non sunt firmi. adulterinæ enim plantationes nō dabunt radices altas nec stabile fir. Sap. 4. Ioh. 15. Colligent eum & in ign. In fructu in quo sterilitas: ibi, zizania. i. lolium quod non sustentat sed inebriat & alia impedit ne fructificent. tales sunt peccatores quando sapientes sunt vt faciant mala bene autem facere nescierunt. Ierem. 4. In cruciatu in quo acerbitas: ibi, & alligate ea. &c.

Vbi implicantur tria aggrauantia cruciatum. scil. liberationis impossibilitas: ibi, alligate ea. Matth. 22. ligatis manibus & pedibus, &c. Compressionis grauitas: ibi, in fasciculos, Esa. 24. Congregabuntur congregatione fascis vnius in lacum & claudentur ibi in carcere afflictionis. Asperitas: ibi, ad comburendum. Luc. 3. Paleas comburet igni inexting. Iam patet vilitas malorū in instabilitate. in sterilitate fructus in asperitate cruciatus. Sequitur dignitas bonorum quæ apparet in tribus. Primo in vbertate boni operis: ibi, triticum autem congregate. Psal. A fructu frumenti vini & olei sui. &c. triticum enim est fructus vberrimus & nutritiuus. Secundo ab vnitate amoris, amor enim est vnitiuus: ibi, congregate. Matth. 18. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo. i. in amore nominis mei. Tertio à securitate mansionis: ibi, in horreum. in glo. in cælesti mansione. Prouerb. 3. Honora Dominum de tua substantia & primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. &c.

Dominica in Septuagesima de Epistola, Sermo primus.

NEscitis quod hi qui in stadio currunt omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium. 1. Corinth. 9. Sicut currentes continue & festinanter tendunt ad metam. Sic viuentes continue & festinanter tendunt ad mortem & sic ad præmiationem. Vnde vita nostra quidam cursus est: cuius motus dicitur esse opus gratiæ. brauium præmium gloriæ. Est autem vita triplex scil. naturæ gratiæ & gloriæ. Prima est omnium. Secunda fidelium. Tertia peruenientium siue perseuerantium.

Vnde & si omnes currunt cursu naturæ & gratiæ: non tamen ad vitam gloriæ perueniunt nisi perseuerent vt dicitur hic.

Vbi Apostolus primo excitat ad intelligendum similitudinem cum dicit, nescitis quod hi qui in sta. c. q. dicat scire debetis. Secundo demonstrat sub similitudine veritatem: ibi, omnes quidam currunt.

Vbi circa laborem præsentis vitæ tangit duo. Primo laboris cōmunitatem: quia, omnes currunt. Secundo laborantium differentiam: ibi, sed vnus accepit bra. Circa primum tangit duo. Primo laboris generalitatem: ibi, omnes. Eccles. vlt. Deum time. &c. Secundo laborandi opportunitatem: cum dicitur in præsenti currunt. Prouerb. 18. Turris fortissima nomen Domini ad ipsam currit iustus. Circa laborantium differentiam: quia quidam perseuerant: quidam non. Notantur tria. Primo labor meriti: ibi, vnus. scil. perseuerans in bono labore siue opere charitatis. Matth. 24. Vnus assumetur & alter re. Secundo valor laborandi: ibi, accipit quasi dicat non frustrabitur à mercede. Psalm. Hic accipiet benedictionem à Domino. Tertio dedit præmii: ibi, brauium. i. munus perseuerantis in cursu. 2. Tim. 4. bonum certamen. &c.

De Epistola, Sermo 2.

OMnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet & illi quidē vt corruptibilem accipiant coronam; nos vero incorruptam. Homo constat ex duplici substantia: corporali. scil. & spirituali: secundum hoc duplicem habet pugnam corporalem pro re temporali & spiritualem pro patria cælesti. Et sicut anima nobilior est corpore: sic victoria in pugna spirituali nobilior est & melior quam in pugna corporali: quia prima victoria habet honorem æternum. Secunda honorem transitorium secundum quod tangit Apostolus in verbo proposito.

In quo tangit primo pugnam corporalem. Secundo præfert spiritualem: ibi, nos vero incorruptam. In prima tangit tria. Primo pugnæ speciem in contentione agonis. Secundo pugnandi periciam in abstinentia ab illicitis. Tertio pugnantis intentionem in acceptione coronæ. Sic spiritualiter oportet omnes pugnare & contendere contra carnem, mundum, & diabolum, sicut nauta contra descensum aquæ & ventum contrarium ne nauis descendat. Luc. contendite intrare per angustam portam: sicut pauperes ad eleemosynam. Secundo ab omnibus illicitis abstinere: sicut natura contendens con-

tia infirmitatem. 1. Pet. 2. Obsecro vos tanquam aduenas. Et tertio rectam intentionem habere. scil. pro corona gloriæ. sicut bonus miles intendit Domini honorem: & consequenter suam vtilitatem. Iacob. 1. Beatus vir qui suffert tentationem quoniam cum probatus. &c. Ideo ad aliorum ædificationem narrabat Apostolus suam miliciam & vitæ perfectionem in quatuor. In carnis afflictione: ibi, castigo corpus meum. In spiritus humilitate: ibi, & in seruitute redi. Io proximi ædificatione: ibi, cum aliis prædi. In scandali euitatione: ibi, ipse reprobus efficiar.

De Euangelio, Sermo 3.

ITe & vos in vineam meam & quod iustum fuerit dabo vobis. Matth. 20. Duplici virtute extrinseca mouetur res: ant impulsu vt pila. aut tractu vt quadriga. sic mouetur nanis impulso nautæ: tractu corde. ita & Dominus mouet nos ad bonum opus dupliciter. scil. impulsu præceptorum, & tractu promissionum. sicut patet in verbo proposito.

In quo ponuntur duo. Primo exhortatio præcepti: ibi, ite & vos. Secundo promissio præmii: ibi, & quod iustum fuerit. In prima præcepit benefacere, malum fugere, fructum sperare. Primo ergo præcepit opus obedientiæ: ibi, ite. Psal. euntes ibant, &c. Secundo fugam accidiæ: ibi, & vos. scil. qui estis otiosi. Luc. 10. Ite ecce ego mitto vos. Tertio spem vtilitatis consequendæ: ibi, in vineam meam. in vinea bene culta est spes fructus. Esa. 5. Vinea Domini exercituum domus Israel est.

Circa secundum principale tangit duo per quæ allicit ad operandum. Primo præmiatio secundum meritum: ibi, & quod iustum fuerit. Esa. velociter reddens quod iustum est. Secundo additio supra condignum: ibi, dabo. Luc. 6. mensuram bonam & confertam & coagitatam. Tertio discretio præmiandorum: ibi, vobis. scil. operariis. Matt. 25. Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum. Ite ergo præsentialiter: & vos personaliter: in vineam meam specialiter: & quod iustum fuerit sine diminutione dabo vobis suo tempore. Eccl. vlt. Operamini opus vestrum ante tempus & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

De Euangelio, Sermo 4.

QVid hic statis tota die ociosi. Duo mouent hominem ad mutandum statum suum: scilicet status in quo est detestatio & vituperatio: status alterius commendatio & præmiatio. sic bonus homo artifex transit de patria in patriam: homo de domo ruinosa in domum aliam: sapiens de mundo ad religionem. Sic & Dominus volens nos transire de otio ad actum bonum procedit obiurgando & arguendo ociosos: vt. hic: commendando & præmiando operarios: ibi, voca operarios.

Arguit autem homines de ocio propter multa. Primo propter defectum rationis excusantis: ideo dicit, quid id est quam rationem habetis ocii: quasi dicat, nullam. cum præceptum Dei sit de operando. Luc. 6. quid autem vocatis me Domine Domine: & non facitis quæ dico. Secundo propter necessitatem loci congruentis ideo subdit: hic. In inferno est locus patiendi: in paradiso quiescendi. sed in hoc mundo operandi. 2. Machab. 1. & nunc hic sumus orantes pro vobis. Genes. 28. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta. Tertio propter fortitudinem corporis sufficientis: ideo addit statis. non iacetis infirmi. non sedetis contracti: non transitis mortui: sed statis fortes & sani. Esa 21. Super custodiam meam ego sum stans tota nocte. Quarto propter opportunitatem temporis præsentis. ideo addit, die. Luc. 13. Sex dies sunt in quibus operari oportet. Quinto propter diuturnitatem ocii: ibi, tota. si post vesperam quieuissent tolerabile esset, Prouerb. 21. Desideria occidunt pigrum noluerunt quicquam manus eius operari: tota die concupiscit & desiderat. Operandum est ergo vbi non est excusans. vbi est locus competens corpus poteos. tempus iuuans, continuatio ocii damnans.

De Euangelio, Sermo 5.

VOca operarios & redde illis mercedem: incipiens à nouissimis vsque ad primos. Verum dixit. Psalm. quia misericors Dominus & iustus. Misericors: quia labores iustorum cito terminat. Iustus: quia terminato labore large remunerat: secundum qood patet in verbo proposito.

Vbi notantur ea quæ commendant præmiationem. Primom est reddentis curialitas: ibi, voca. quasi dicat, non expecta quod operarii repetant mercedem: sed præueni repetitionem. Tob. 12. Vocantes angelum pater & filius rogare cœperunt vt dimidiam partem bonorum acceptare dignaretur. Secundo recipientium dignitas: ibi, operarios. 1. Tim. 5. Dignus est operarius mercede sua. non sic ociosus, non fabulator. Tertio operis opportunitas: ibi, redde illis. scilicet completa diæta. Ecclesiast. vlt. Operamini opus vestrum ante tempus: & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. 2. Timoth. 4. In reliquo reposita est mihi co. Quarto debiti integritas: ibi, mercedem suam: non tantum partem. Sapien. 10. Reddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Quinto reddendi generalitas: ibi, incipiens à nouissimis vsque ad primos. quasi dicat, noo vni vel duobus: sed omnibus redde. Roman. 13. Reddite omnibus debita.

Dominica in Quadragesima de Epistola, Sermo primus.

LIbenter gloriabor in infirmitatibus meis: vt inhabitet in me virtus Christi. 2. Corint. 12. Verum dixit antiquitus quidam sapiens quod passionibus nō meremur nec demeremur. quod intelligendū est de se: tamen inquantum voluntarie acceptatę & in finem bonum ordinatę meritorię sunt gloriæ: vt patet in martyrib. Ideo Apostolus hoc attendens passiones piẽtes & libẽter susti-

sustinebat & iu finem debitum ordinabat. secundum quod asserit in verbo proposito.

Vbi commendatur passio viri iusti à quatuor. Primo à sustinentis libera voluntate: ibi, libenter. Sic clericus libenter sustinet examinationem pro spe licentiæ: infirmus sudorem, dietam, medicinam pro sanitate. 2. Macha 6. Domine qui habes omnium sciētiam tu scis quia cum à morte possem liberari duros sustineo corporis dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. Secundo à sustinendi secura iucunditate: ibi, gloriabor: Sic mercator in bonis mercibus. Miles in ictibus gloriatur: sic & qui bibit ad ciphum regis. Iacob. 1. Glorietur frater humilis in exaltatione sua. Tertio à sustinentiæ pœnali difficultate: ibi, in infirmitatibus meis. Infirmitas enim corporis valet ad firmitatem animæ: sicut debilitato exercitu vno fortificatur aduersarius. Psal. Multiplicatæ sunt infirmitates eorū: postea accelerauerunt. Quarto à sequentis effectus vtilitate: ibi, vt inhabitet in me virtus Christi. glos. gratia Christi in me cōsummetur. Sicut pulli grati sunt coruis quando plumescunt propter similem colorem quem vident in eis: & tunc fortificant eos cibis. 1. Pet. 2. Si bene facientes patienter sustinetis. hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia Christus passus est pro nobis.

De Epistola, Sermo 2.

SVfficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. 2. Corinth. 12. Hominum quidam nec petuut nec accipiunt: sicut nec Iudas veniam. Alii petunt & accipiunt: vt latro gloriam. Tertii non petunt & accipiunt: vt paulus gratiam. Quarti petunt & non accipiunt: vt mater filiorum Zebedei sedere ad dexteram: & paulus hic sanitatem. cui tanquam dilecto suo respondit Dominus: non confundendo sed confortando eum: cum dicit, sufficit tibi, &c.

Vbi ponitur primo responsio. secundo responsionis ratio: ibi, nam virtus. Et est summa totius quod gratia sufficit ad salutem: nec infirmitas impedit gratiam. In prima proponitur donum Dei. Primo tanquam commendabile propter plenitudinem: quia, sufficit. non sic dona auarorū qui pauca & parua dant. 2. Cor. 3. Sufficientia nostra ex domino est. Secundo tanquam desiderabile propter vtilitatem: ibi, tibi. Nihil vtilius homini quam gratia: quia per illam habetur gloria. Psal. Delectare in Domino. quod fit per gratiam: & dabit tibi pe. &c. Tertio tanquam delectabile propter suauitatem: ibi, gratia. Habere Deum sibi gratum & econuerso maximam delectationem & suauitatem importat. Roman. 8. Gratia Dei vita æterna. Eccles. 40. Gratia Dei sicut paradisus in benedictionibus. Quarto tanquam venerabile propter voluntatem: ibi, mea. id est à me creata & infusa. 2. Corinth. 6. Rogamus vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce ergo in donatione copiositas quia, sufficit. in recipiente vtilitas: quia, tibi. in dono suauitas: quia, gratia: in dante nobilitas: quia, mea.

De Euangelio, Sermo 3.

SEmen est verbum Dei. Luc. 8. Sicut nos sumus ex duplici natura corporali & intellectuali: & sicut Christus Saluator noster est filius Dei & hominis: Sic tradit nobis salutaria documenta dupliciter. Primo quantum ad similitudinem sensibilem: cum dicit, exiit qui seminat seminare, &c. Secundo quantum ad veritatem intelligibilem: cum exponit, semen est verbum Dei.

Vbi commendatur sermo diuinus à quatuor secundum quatuor causas in quolibet opere concurrentes. quæ sunt vtilitas quo ad finem: veritas quo ad materiam: claritas quo ad formam: dignitas quo ad efficientem. Commendatur ergo primo à fructus vbertate: ibi, semen. quod est multiplicatiuum sui, & nutritiuum corporis, sic verbum Dei. Et quodlibet bonum opus plus reddit in messione præmii: quam fuerit in satisfactione meriti. Psal. Euntes ibant & flebant. Secundo à veritatis soliditate: ibi, est. quod est verbum substantiuum. Iacob. 5. Sit autem sermo noster est est. hoc est contra illos qui modo dicunt vnum, modo oppositum. 2. Cor. 1. Non fuit in illo est, & non: sed est in illo est. Tertio ab exprimendi claritate ibi, verbum. Verbum enim inter omnia signa meritis principatum tenet. Psal. Declaratio sermonum tuorum il. Eccl. 1. Fons sapientiæ verbum Dei in ex. Psal. Lucerna pedibus meis verbum. Quarto ab auctoris dignitate: ibi Dei. si verbum regis terreni de mandatur reuerenter executioni: Quanto plus verbum Dei. 1. Thessal. 2. cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei: accepistis illud non vt verbum hominum, sed vt est vere verbum Dei qui operatur in nobis qui credidistis.

De Euangelio, Sermo 4.

QVod autem cecidit in terram bonam: hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent & fructum afferunt in patientia. Status iustorum comparatur modo luci splendenti: modo terræ fructificanti. luci: propter decorem conuersationis splendentis ad exemplum. terræ: propter virtutem operationis fructificantis ad meritum: & vtrumque propter gradum sanctitatis ad augmentum. de luce dicitur. Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, &c. Ergo splendent bene inchoando procedunt in melius proficiendo. crescunt vsq; ad perfectum diem: optime consummando. Terræ vero fructificanti comparatur vt hic, quod autem cecidit, &c.

Vbi primo similitudinem proponit. Secundo propositam exponit. In cuius expositione tangit quatuor gradatim ascendentia. Primo verbum audire. Secundo auditum retinere. Tertio retentum adimplere. Quarto post impletionem præmium sperare. Sic terra primo semen recipit. Secundo retinet & germinat. Tertio fructificat. Quarto sequitur messio. Primo tangit bonæ vitæ fundamentum. quod est audire cum fide ibi, hi sunt qui in corde bono & optimo au. Rom. 10. Fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei. Matth. 7. Omnis qui audit verba mea & facit ea: assimilabitur viro sa. Secū-

do subdit profectum qui est retinere ex dilectione: ibi, verbum retinent. Medicina bene retenta non euomita melius operatur: sic & viator retinet viam per quam oportet ambulare. Eccles. 2. Qui diligunt eum conseruabunt verbum illius. Psal. Quomodo dilexi legem tuam Domine to. Tertio addit complementum, quod est implere ex obedientia: ibi, fructum afferunt. Matth. 3. Facite dignos fructus pœnitentiæ. Quarto sequitur desiderium: quod est patienter præmium expectare: ibi, in patientia. Iac. 5. Ecce agricola expectat præciosum fructum terræ patienter, &c. Et est hic vnum notabile terribile, scil. quod sola quarta pars seminis profecit & tres defecerunt: quia multi vocati pauci electi.

Dominica tertia in Quinquagesima, de Epistola, Sermo 1.

VIdemus nunc per speculum & in ænigmate tunc autem facie ad faciem. 1. Cor. 13. Sicut se habet oculus noctuæ ad lucem Solis: sic intellectus noster ad manifestissima naturæ. sed parum videt manifesta naturæ: quanto minus occulta. Ergo nec videre poterit ea quæ sunt supra naturam Deum, scil. & diuina nisi diuino munere supra se eleuetur. Istud autem munus duplex est. vnum huius viæ. aliud cœlestis patriæ. Primum est fides quæ habet obscuritatem. Secundum est gloria quæ habet claritatem. & hoc est quod dicit Apostolus, videmus nunc, &c.

Vbi tangit duo. Primo obscuritatem cognitionis in via. Secundo claritatem apprehensionis in patria: ibi, tunc autem facie. In primo implicantur tria de fide. Primo actus: ibi, videmus. nihil enim scimus de articulis fidei nisi quantum credimus. Iohan. 8. Abraham pater noster exultauit vt videret. d. m. Secundo tempus. ibi, nunc. 1. Corinth. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas. Tertio modus: quia cum obscuritate: ibi, per speculum & in ænigmate. Heb. 11. Fides est rerum substantia sperandarum argumentum non appa. Vnde & hic nunc cognosco ex parte. tunc autem sicut & cognitus sum.

Circa secundum principale notantur duo. Primo apprehensionis opportunitas: ibi, tunc, sc. in patientia. Psal. Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini. Secundo delectabilis claritas: ibi, facie ad faciem. Apoc. 22. Serui eius seruient ei & videbunt faciem eius. Matth. 18. Angeli.

De Epistola, Sermo 2.

NVnc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. maior autem horum est charitas. Cor. 13. Antiquorum quæstio fuit quid est summum bonum in vita: & dixerunt Epicuri quod voluptas. In quorum persona dicitur. Sap. 2. Nonne melius est comedere & bibere & ostendere bona animæ suæ. Philosophi dixerunt quod honestas: & hi minus errauerunt. Apostolus vero veritatem determinat dicens: quod charitas. vt patet in verbo proposito.

Vbi primo virtutes excellentes enumerat. Secundo eas ad inuicem comparat: ibi, maior autem horum est charitas. In primo tangitur Primo tempus durationis: ibi, nunc autem manent. Iob. 14. Cunctis diebus quibus nunc milito, scil. sub scuto fidei. expecto, certitudine spei: donec veniat immu. m. Secundo nomina habituum: ibi, fides, spes, charitas. de quorum actibus. Eccles. 2. Qui timetis Dominum credite, &c. Tertio numerus earum: ibi, tria hæc. significantur autem per tres panes: quia reficiunt tres potentias animæ. fides rationabilem dirigens in primam veritatem. charitas concupiscibilem dirigens in summam bonitatem. spes irascibilem dirigens in summam maiestatem. Luc. 11. Amice commoda mihi tres panes.

Sequitur secundum principale in quo virtutes ad inuicem comparat eis præferens charitatem. Vbi commendat charitatem. Primo ex dignitate, quia, maior. ex duratione: quia nonquam excidit ex latitudine: quia ad omnes se extendit: ex altitudine: quia Deo altissimo vnit. ex profunditate: quia omnia sustinet & stabilit. Matth. 22. Diliges Deum ex toto corde & proximum sicut teipsum maius est omnibus holocaustum. Secundo ex societate: ibi, bonum nunquam enim est charitas sine aliis virtutibus: nec aliæ merentur gloriam sine illa. 1. Iohan. 4. Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo. Tertio ex nomine, ibi: charitas quæ dicitur ex hoc genitiuo chari addita. vnde charitas facit hominem charum Deo & proximo: & econuerso: ita quod nullo modo vellent se offendere inuicem. 1. Iohan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus vt filii Dei nominemur & simus. filius enim charus est patri.

De Euangelio, Sermo 3.

CVm appropinquaret Iesus Iericho cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Lu. 18. Sicut appropinquante luce solari innatur oculi ad videndum: excitantur anes ad quærendum cibum victum: surgunt homines ad operandum. Sic appropinquante luce spirituali, scil. Christo per irradiationem alicuius gratiæ excitantur peccatores ad videndum peccata: ad quærendum remedia: ad faciendum bona opera: sicut patet in verbo proposito.

In quo notantur tria. Primo Dei saluatoris admiranda miseratio: quia appropinquauit Iericho. sicut medicus infirmo. Luc. 10. Appropinquans alligauit vulnera eius. Secundo hominis peccatoris miseranda conditio: ibi, cæcus quidam sede. Tertio miseriæ per misericordiam amanda releuatio: ibi, & cum turbam prætereuntem audiret.

Circa miseram peccatoris conditionem tangitur quadruplex defectus, scilicet luminis: quia, cæcus: nominis quia, quidam. fortitudinis: quia, sedebat. rectitudinis: quia, secus. viam gratiæ gratum faciens: ibi, mendicans. Ergo peccatorem primo excæcat ad electionem: quia omnis malus errans, scilic. in eligendo: ibi, cæcus. qui videt bonum & accipit malū reputatur cæcus. Sap. 2. Excæcauit eos malitia eorum. Secundo obligat ad afflictionem: ibi, quidam. quasi carens nomine impassibilitatis. Isidor. Dum homo in paradiso innocenter viuebat non ignis eum vrebat: non aqua mergebat. non spinarum aculeus vulnerabat, non absentia aeris suffocabat,

bat: sed heu quia Luc. 10. Homo quidam descendebat à Hierusalem in Iericho. Tertio debilitat ad bonam operationem. vnde dicit, sedebat. sic infirmum oportet sedere vel iacere. Psal. Vanum est vobis ante lucem surgere, &c. Quarto deordinatā cœlestibus: ibi, secus viam. Luc. 8. Qui autem secus viam hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus & tollit verbum. Quinto denudat spiritualibus: ibi, mendicans. q. mendicens. & vere qui non habet Deum nihil habet. Exemplum de muliere qui perdit maritum, liberos, hereditatem, & formositatem. Iob. 2. Nonne hic est qui sedebat & mendicabat. Prou. 20. Propter frigus piger arare noluit mendicabit ergo æstate. Sequitur miseriæ per misericordiam amanda releuatio, cum dicitur, & cum turbam præter euntem, &c.

Vbi commendatur cæcus: quia fuit sollicitus in quærendo, vnde turbam prætereuntem audiens quæsiuit. feruens in clamando. vnde clamauit dicens. fidelis in postulando: ibi, Iesu fili Dauid. constans in perseuerando: ibi, ipse vero multo magis cla. Prudens in eligendo: ibi. Domine vt videam. Deuotus in imitando: ibi. & sequebatur eum. gratus Dominum magnificando: ibi, magnificans Deum.

De Euangelio, Sermo 4.

IEsu fili Dauid miserere mei. Quatuor mirabiliter inclinant aliquem ad miserendū sine dandum. Primum est assueta exhibitio miserationis. homo enim pronus est ad assueta. ideo. Psalm. Miserere mei Deus secundum magnam, &c. Secundum est innata pietas misereotis. facile enim est exire in opus ad quod natura inclinat. sicut quod nauis descendat. Ind. 8. Tu Domine quia pius es miserere. Tertiū est discreta petitio supplicantis. Matth. 18. Patientiam habe in me & omnia reddam tibi: misertus autem Dominus serui illius, &c. Quartum est euidens indigentia petentis. Vacuum enim naturaliter attrahit. exemplum in Luc. 10. De samaritano qui misericordia motus est super spoliatum, vulneratum, semiuiuum. Ideo iste cęcus sapienter formans suam petitionem vt inclinet Christum ad misericordiam allegat in Christo. Primo miserendi officium & consuetudinem: cum dicit Iesu, id est. Saluator. Matth. 1. Vocabunt nomen eius Iesum ipse enim saluum faciet populum. Secundo innatam mansuetudinem: cum subdit, fili Dauid. Dauid enim fuit mansuetus. Psal. Memento Domine Dauid & omnis man. eius. Bonus enim filius non degenerat à bonis conditionibus patris. Tertio rei petitæ honestatem cum addit, miserere. cum enim esset mendicus tamen non petit honores: sed misericordiam. Si dicebam motus est per mea misericordia. t. do. ad. Quarto petentis egestatem: ibi, mei. sc. cæci & mendici. Psal. Ego autem mendicus sum & pauper Dominus sollicitus est mei.

De Euangelio, Sermo 4.

REspice fides tua te saluum fecit & confestim vidit & sequebatur illum. In operibus Dei gradualiter apparent tria, scil. sapientia, potentia & bonitas. Sapientia in pulchritudine. Potentia in magnitudine. Bonitas in ordine ad finem. Specialiter hæc tria apparent in hoc opere mirabili sapientia: quia ipsum cæcum docuit: potentia: quia confestim vidit. bonitas: quia se sequi ab illo voluit. Docuit autem cæcum, Primo de restitutione visus corporalis: cum dixit. respice Iob 29. Respiciant homines & dicant vere peccauimus. Secundo de veritate visus spiritualis, scil. fides tua te sal. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit.

Feria quarta in die cinerum de epistola, Sermo primus.

COnuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio & fletu et. Ioel. 2. Sicut ostium materiale auersione clauis ad vnam partem clauditur: conuersione ad oppositam aperitur: sic ostium cæleste auersione à Deo clauditur: quod fit per culpam. conuersione ad Deum aperitur: quod fit per pœnitentiam. Ideo saluator noster volens nos introducere in regnum cœlorum per pœnitentiam dicit, conuertimini, &c.

Vbi docet sex conditiones pœnitentiam commendantes. Primo quod sit integra sine simultate: ibi, conuertimini. id est simul ab omnibus peccatis vertimini. Eccles. 17. Conuertere ad Dominum & relinq. peccata. Secundo quod sit recta in intentione: ibi, ad me. non ad mea nisi propter me. sicut pullus aquilæ oculos recte & simpliciter vertit ad solem. Eccles. 24. Transite ad me omnes qui cō. me. Tertio quod sit interna in deuotione: ibi, in toto corde vestro. Dominus est sicut auis nobilis quæ appetit cor prædæ. Deut. 4. Cum quæsieris Dominum inuenies eum si tamen quæsieris eum in toto corde, &c. Quarto quod sit aspera satisfactione: ibi, in ieiunio. Contraria enim contrariis curantur: sic delectatio culpæ austeritate pœnitētiæ: sicut morbus dieta. Psal. Ego autem cum mihi molestii essent induebar ei. Quinto quod sit amara in contritione: ibi, & fletu. Sicut fœtus & si cum delectatione concipitur: non tamen sine angustia egreditur. Luc. 22. Egressus foras fleuit amare. Sexto quod sit dolorosa in confessione: ibi, & planctu. Sic infirmus narrat infirmitatem medico cum planctu: sic & mater mortem filii. Hiere. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum: scil. heu. Hier. 8. Nemo est qui agat.

De Euangelio, Sermo 2.

TV autem cum ieiunas vnge caput tuum & faciem tuam laua ne videaris hominibus ieiunans: sed patri tuo qui est in abscondito & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Mat. 6. In quolibet opere meritorio concurrunt duo. gratia Dei, & cooperatio liberi arbitrii. Vnde sunt ibi duo socii: Deus & homo. Deo debetur gloria operis, non homini. Hinc est quod si homo accipit sibi gloriam: Deus auferet ei mercedem. Si autem dat Deo gloriam: Deus reddet illi mercedem: secundum quod dicitur hic.

Vbi Dominus monet ad tria. Primo ad bonam operationem. Secundo ad rectam intentionem: ibi, ne videaris hominibus. Tertio ad mercedis expectationem: ibi, & pater tuus qui videt. In prima licet dissuadeat hypocrisim literaliter: tamen inuitat spiritualiter ad triplex opus

opus bonum: secundum triplicem substantiam quam habet homo: temporalem, spiritualem, & corporalem. & primo ad castigationem corporis: ibi, tu autem cum ieiunas. Castrum enim affamatum citius Domino subiicitur. Iud. 8. Ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ. Matth 4. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur. Secundo ad opera pietatis: ibi, vnge caput tuum. glo. vt dilectionis odor fragret in operibus misericordiæ. Sic membrum infirmum vngitur ab alio. Luc. 7. Maria vnxit pedes Domini, i. e. pauperes. Tertio ad munditiam cordis ibi, & faciem tuam laua. glo. vt sit munda coram Deo. non enim placet cibus in vase immundo. Esa. 1. Lauamini mundi estote: auferte malum.

Sequitur secundum in quo monet ad rectam intentionem. Vbi ostendit primo quid fugiendum tanquam malum: quia gloria mundana: ibi, ne videaris hominibus ieiunans. Matth. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis alioquin. Secundo quid eligendum tanquam bonum quia gratia diuina: ibi, sed patri tuo qui est in abscondito. Esa. 45. Vere tu es Deus absconditus. Psal. Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus.

Sequitur tertium principale in quo monet ad mercedis expectationem. Vbi tanguntur tria. Primo sapientia remunerantis: quia pater qui te videt in abscondito. 1. Reg. 16. Homo videt ea quæ patent: Deus autem. Iac. 1. Omne datum optimum & omne do. Secundo certitudo remunerationis: ibi, reddet. 1. Tim. 4. Bonum certamen certaui cur, &c. Tertio iustitia hominis remunerabilis: ibi, tibi. Tob. 4. Si multum tibi fuerit abundanter tribue, &c.

Dominica prima in Quadragesima, de Epistola, Sermo primus.

ECce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. 2. Corinth. 6. Sicut in omni loco orandus est Dominus: secundum quod dicit Apostolus. 1. Tim. 2. Volo viros in omni loco orare. Tamen ad hoc sunt aliqua loca specialiter dedicata: vt Ecclesiæ, vbi & frequentius oramus & facilius exaudimur. vnde 2. Paral. 7. Oculi mei erunt aperti: & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco isto orauerit. Sic in omni tempore est munde viuendum: secundum illud Eccles. 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida. tamen ad hoc spiritualius est tempus Quadragesimæ deputatum. de quo dicit Apostolus, ecce nunc tempus acceptabile. vel potest accipi de toto tempore huius mortalis vitæ.

Vbi notantur duo. Primo temporis opportunitas ad operationem bonam. Secundo operationis vtilitas ad salutem: ibi, ecce nunc dies salutis. In primo tanguntur de tempore quatuor motiua ad opus. Primo quod datur præsentialiter: ibi, ecce. Præsens enim opportunitas monet ad faciendum siue bonum siue malum. Vulgariter dicitur opportunitas facit latronem. Dan. 13. Ecce ostia pomerii clausa sunt, &c. qui non facit quando potest: non facit quando vult. Galat. 6. Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, &c. Secundo quia durat breuiter: ibi, nunc. Viator vel artifex videns breuitatem temporis festinantius agit. videns breuitatem laboris: libentius laborem subit. 1. Pet. 1. In quo exultabitis nunc modicum si contristari oportet in variis tri. Tertio quia se habet mutabiliter: ibi, tempus. Tempus enim est mensura motus rerum mutabilium. Eccles. 18. A mane vsque in vesperam immutabitur tempus. Sic viator aggreditur iter tempore pulcro: & festinat ne mutetur. Eccles. 4. Fili conserua tempus & declina à malo. Quarto quia iuuat multipliciter: ibi, acceptabile. Medicinæ enim dantur & valent tempore debito & maxime antequam mors appropinquet. Similiter venalia carius venduntur tempore suo. Sic & Dominus tempore accepto miseretur. Esa. 58. Nonne illud vocaui ieiunium & diem ac Domino. & 49. in tempore placito.

Sequitur secundum principale in quo notatur opportunitatis vtilitas ad salutem. Vbi tangit quatuor. Primo præsentialitatem: ibi, ecce. breuitatem: ibi nunc. opportunitatem: ibi, dies. vtilitatem: ibi, salutis. id est in quo possumus mereri salutem.

De Epistola, Sermo 2.

QVasi tristes semper autem gaudentes. 2. Corinth. 6. Sicut recipiens metallum vel ceram fluentem format ea secundum figuram & modum sui non metalli vel ceræ: Sic homines frequenter iudicant de aliis non secundum veritatem quæ est in re: sed secundum suam æstimationem & infirmitatem quam habent in se. Vnde impatiens in tribulatione iudicat de alio, quod in simili casu impatiens esset: Sic mali iudicabant de Apostolis quod tristes essent in tribulationibus: contra quos dicit hic Apostolus, quasi tristes semper, &c.

Vbi tangit duo. Primo aliorum opinionem ibi, quasi tristes. glo. non vere tristes: sed quasi quia secundum aliorum opinionem. Prouerb. 12. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit, scil. pro iustitia. vel loquitur de tristitia impatientiæ. Secundo rei veritatem. ibi, semper autem. Vbi tangit duo. Primo lætitiam spiritualem: ibi, gaudentes. Sic mercator gaudet in mercimoniis lucrosis: sic sirena tempore pluuioso cantat propter serenitatem quam expectat. Matt. 5. Gaudete in illa die. Secundo lætitiæ continuationem: ibi, semper. contra illos qui gaudent in prosperis sed non in aduersis. Phil. Gaudete in Domino semper.

De Epistola, Sermo 3.

IN omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. 2. Corinth. 6. Sicut conclusio argumenti non sequitur affirmatiua: nisi omnes præmissæ sint affirmatiuæ: nec mulier dicitur casta nisi ab omni illicito concubitu abstineat: Sic nec obedientia hominis est Deo grata nec gloriæ meritoria: nisi in omnibus obediat. Ideo dicit Apostolus, in omnibus exhibeamus, &c.

Vbi hortatur primo ad iustitiæ plenitudinem: ibi in omnibus. Vnicum enim mortale tollit iustitiam: sic vt sola vnitas paritatem. Psal. Ad omnia

mnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui. Secūdò ad obedientiæ promptitudinem: ibi, exhibeamus nos. Seruitia enim volūtaria magis placent. Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire, &c. Tertio ad sanctimoniæ rectitudinem: ibi, sicut Dei ministros. Sanctum Dominū decet sanctam habere familiam. Eccl. 10. Secundum iudicem populi: sic & ministri eius & qualis rector, &c. Quarto ad constantiæ siue tolerantiæ fortitudinem: ibi, in multa patientia. perseuerans enim accipit brauium, Ephes. 4. Cum patientia supportantes inuicem. Ergo debet esse exercitiū generale: obsequium liberale: ministerium spirituale: certamen forte.

De Euangelio, Sermo 4.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu vt temptaretur à diabolo. Matth. 4. Omnis Christi actio: nostra est instructio. Actio quippe potentiæ vt in miraculis instruit ad credendum. Actio iustitię vt in vindictis instruit ad timendum. Actio misericordiæ vt in beneficiis instruit ad laudandum. Actio sapientiæ vt in moralibus factis instruit ad imitandum. Vnde victoria habita de temptatore instruit nos ad vincendum de qua temptatione agitur hic.

Vbi proponitur nobis Christus primo in exemplum obedientiæ, quia, ductus est Iesus à spiritu sancto. in ductu humilitas. in Iesu vtilitas. in spiritu bonitas commendatur. Psal. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Sic amor ducit amantem. Gal. 5. Si spiritu ducimini: non estis sub lege. Secundo in exemplum pœnitentiæ: ibi, in desertum. qui locus est pœnitentialis. Matth. 15. Quid existis in desertum videre hominem mollibus vestitum. Tertio in exemplum constantiæ: ibi, vt temptaretur à diabolo. Temptari & cadere malum est: non temptari & cadere peius est. temptari & non cadere sed vincere bonum est. iden Iac. 1. Omne gaudium existimate. Ecce ergo pugil fortis in Iesu Christo. ductor fidelis in spiritu sancto. labor pœnitentialis, in deserto. aduersator rebellis, in diabolo. armatura vtilis, in ieiunio. quia enim ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus: postea esu.

De Euangelio, Sermo 5.

Dominum Deum tuum adorabis: & illi soli seruies. Matth. 4. Sicut dicit August. in enchirid. fide, spe, & charitate colendus est Deus. quippe: quia ipse prima veritas cui fides consentit. immensa maiestas: de quo spes confidit. summa bonitas: cui charitas vnit. Fides enim illuminat ad cognitionem veri: spes alleuat ad adeptionem magni præmii: charitas inflammat ad dilectionem summi boni: & sic credendo, sperando, & diligendo colitur: quia ista soli Deo conueniunt: ideo soli Deo exhibenda sunt ex debito. secundum quod hic dicit Christus, Dominum Deum tuum, &c.

Vbi nos docet qualiter debitum honoris diuini soluendum est. Primo quia sapienter: ibi, Dominum Deum tuum non diabolū, non deos alienos: quod esset magna fatuitas. Psal. Non erit in te Deus recens: neque adorabis Deum alienum: ego enim sum Dominus Deus tuus. Ergo, Dominum, cui timor. Deum, cui honor. tuum, cui amor. Secundo quia humiliter: ibi, adorabis. Matth. 2. Procidentes adorauerunt eum. Tertio quia singulariter: ibi, & illi soli. ita. scil. quod nō alii contra eius voluntatem. 1. Reg. 7. Præparate corda vestra Domino: & seruite illi soli: quia nemo potest duobus Dominis seruire. Quarto quia perseueranter: ibi, seruies. Luc. 1. Sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus ei in sanctitate, &c.

Dominica secunda in Quadragesima, de Epistola, Sermo primus.

Obsecramus in Domino Iesu: vt quemadmodū accepistis à nobis quomodo vos oporteat ambulare & placere Deo sic ambuletis vt abundetis magis. 1. Thes. 4. Quatuor mouent hominem ad aliquid operandum. scil. supplicatio aliena: obligatio propria: bonitas operis: vtilitas operantis. Ideo Apostolus intendens nos mouere ad bene operandum. Procedit primo humiliter supplicando: cum dicit, obsecramus in Domino Iesu. Sic Dominus rogatus à seruo nequā omne debitum dimisit ei Mat. 18. 2. Paral. 6. Respicias ad obsecrationem serui tui. & orationē eius Domine Deus noster. & sequitur quod exandiuit. Secundo obligationē allegando: ibi, quemadmodum accepistis à no. Sic accipiens regulam alicuius sancti debet obseruare. Iohan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam. scil. præuenientem pro gratia, scil. cooperante. Tertio bonitatem operis insinuādo. & hoc quo ad duo. Primo quo ad debitam actionem: ibi, quomodo nos oporteat am. Sic error in via corporali displicet: quanto plus in via spirituali. ideo Eph. 5. Videte quomodo caute ambuletis: non quasi. Secūdo quo ad rectam intentionem: ibi, & placere Deo. bene illum remunerat rex qui placet ei. Eccles. 44. Enoch placuit Deo: & translatus est in paradisum. Quarto vtilitatem operanti promittendo.

Vbi primo proponit modum operandi: ibi, sic ambuletis. Iohan. 14. Diligo patrem: & sicut mandatum dedit mihi pater sic facio. Secundo promittit eum modum operanti: ibi, vt abundetis magis. Sic qui operatur terram & seminat abundat nisi sit ociosus: sic qui vtitur gratia quam habet. Luc. 19. Quia omni habenti dabitur, &c.

De Epistola, Sermo 2.

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra vt abstineatis à fornicatione. Tria impediunt hominem ab opere: ignorantia: displicentia: & difficultas. Propter ignorantiam excusabat se Abacuc ne ferret prandium Danieli. Dan. vlt. Propter displicentiam noluit Ioseph consentire Dominæ suæ in stupro. Gen. 39. Propter difficultatem nolebant ascendere filii Israel in terram promissionis, Num. 13.

Contra hæc tria procedit Apostolus tripliciter. Primo documentum vtile proponendo cōtra ignorantiam cum dicitur, hæc est voluntas Dei. Non enim impletur voluntas alterius: nisi cognoscatur: quia vbi terminatur intellectus: incipit affectus & sequitur effectus. ideo Psal. Doce me facere voluntatē tuam. Eph. 5. Nolite fieri imprudentes: sed intelligentes. Secūdo rem gratā exprimēdo: ibi, sanctificatio vestra. & hoc cōtra displicē: tiam. Cuilibet enim placet munditia

nisi

nisi porcis. Si placet munditia in veste, in corpore: quanto plus in anima. Mundus & sanctus Dominus vult sanctam familiam: sicut avaruarum. Leui. 19. Sancti estote quia ego sanctus sum Dominus Deus noster. Tertio facilitatem rei superaddendo contra difficultatem: ibi, vt abstineatis à fornicatione. ab hoc enim nullus potest se excusare cum nihil ponat. Facilius enim est abstinere ab opere: quam operari. Ecclef. 3. Cor sapiens & intelligibile abstinebit à peccatis. 1. Pet. 2. Abstinete vos à carnalibus desideriis.

De Euangelio, Sermo 3.

Ecce mulier cananea à finibus illis egressa clamauit dicens: miserere mei fili Dauid filia mea male à dæmonio vexatur. Matth. 15. Quia corporalia magis sunt nota nobis quam spiritualia: ideo per similitudinem corporalium deuenimus in notitiam spiritualium. Vnde culpam vocamus infirmitatem, pœnitentiam medicinam, gratiam sanitatem, peccatorem infirmum, pœnitentem conualescentem, iustum sanum. Hinc est quod per istam mulierem intelligimus peccatorem: cuius filia. i. e. anima infirmatur. scil. morbo culpæ. Proponitur autem nobis hæc taliter in exemplum veræ conuersionis ad Deum.

Ad veram autem conuersionem exiguntur tria. Primo periculi tanquam nocui desertio cum dicitur, ecce mulier cana. à fi. il. egres. Secundo Christi tanquam medici deprecatio ibi, clamauit dicens miserere, &c. Tertio peccati tanquam morbi desertio: ibi, filia mea, &c. Primum pertinet ad contritionem. Secundum ad satisfactionem. Tertium ad confessionem. Desertio autem periculi debet esse primo festina. viator enim festinat vt exeat de passu periculoso: quod notatur ibi, ecce, i. e. statim. vnde Matth. 7. dicitur statim vt audiuit de eo. Esa. 55. Ecce gentes quas nesciebas vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt ad te current. Secundo deuota siue discreta vt fiat zelo iustitiæ non timore pœnæ: amore Dei, non gloria mundi. quod notatur ibi, mulier. q. molliens eum, scil. Christum. Ecclef. 26. Gratia mulieris sedule delectabit virum suum: & ossa il. &c. Tertio vera siue manifesta: ibi, cananea, i. e. commutata. Sicut enim clauis mutat motum in claudendo & aperiendo: sic homo peccando & pœnitēdo: quia de quo gaudebat dolet. Psalm. Hæc mutatio dextre ex. Quarto generalis siue integra: ibi, à finibus illis egressa. quasi non solum à peccatis. sed ab actionibus peccatorum. Gen. 19. Nuli te spicere post tergum tuum: nec stes in omni loco circa regi. Sequitur secundum principale. scil. Christi tanquam medici deprecatio. Vbi notantur duo. Primo seruor deprecantis: quia, clamabat. Psal. Ad Dominum cum tribularer cla. Secundo tenor deprecationis: ibi, miserere mei fili Dauid. Quam acceptabilem faciunt tria. Primo rei petitæ materia. ibi, miserere. quia non diuitias: non delitias: sed misericordiam peto. Psal. Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Secundo personæ petentis indigentia: ibi, mei. cuius filia infirmatur. Infirmos enim sui generis pascunt aues & bestiæ quædam. Psal. Miserere mei, quoniam infir. Tertio eius à quo petitur clementia: ibi, fili Dauid. qui scil. sc. fuit clemens. Psal. Memento Domine Dauid & omnis mā. sic cæcus petebat. Luc. 18. Iesu fili Dauid miserere mei.

Sequitur tertium principale. scil. peccati detectio. Vbi implicantur quinque quæ docent confessionem. Primo quod sit dolorosa: ibi, filia: mater dolet de peccato vel patibulo filiæ. ideo Thren. 3. Diuisiones aquarum deduxerunt oculi mei super contritione filiæ populi mei. Secundo quod propria: ibi, mea. contra quosdam accusantes defectus aliorum, non suos: sicut oculus videt alia, & non se. Esa. 28. Recogitabo tibi omnes annos. Tertio accusatoria: ibi, male contra illos qui excusant vel defendunt peccata sua: sicut symia iudicat faciem suam pulchram dum respicit in speculo. Matth. 18. Miserere filio meo quia lunaticus est & male pa. Quarto verecunda: ibi. à dæmonio. Verecundum est vexatum fuisse à diabolo corporaliter: quanto plus spiritualiter. Sic magdalena de qua septem dæmonia eiecerat. vt habetur Matth. vlt. Stetit retro secus pedes Domini tanquam verecunda. Luc. 7. Quinto integra: ibi, vexatur. Vexatio enim non causatur ex vno actu: sed ex multis. & eum Dominus ad se redeuntes curat de omnibus. Luc. 6. Qui vexabantur à spiritibus immundis curabantur. Hæ quinque conditiones possunt retineri hoc nomine, Iudæa. quæ interpretatur confessio. i. e. integra. v, verecunda. d, dolorosa. e, emendatoria: quod fit quando est propria. a, accusatoria.

De Euangelio, Sermo 4.

Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: dimitte eam quia clamat post nos. Matth. 5.

In præsenti euangelio tres leguntur personæ loquentes. ideo potest diuidi in tres partes. Primo enim ponitur egressus Saluatoris. Secundo aduentus mulieris. Tertio accessus intercessoris. omnia ædificant: quia si consideres saluatorem, inuenies quid admirandum. si mulierem quid imitandum. si intercessorem, quid diligendum.

In saluatore tria sunt admiranda. Primum est quod se cessit: vnde dicitur egressus Iesus venit in. Secundum quod obmutuit: ibi, & non respondit ei. Tertium quod te spondit ei: ibi, ō mulier magna est fides tua. Sic & nos debemus secedere vt expectemus saluatorem. Psal. Ecce elongaui fugiens & mansi, &c. Item silere vt conseruemus humilitatem. Psal. Obmutui & humiliatus sum. Tertio respondere commendicus charitatem. Prouerb. 5. Si est tibi intellectus responde proximo.

Sequitur aduentus mulieris de qua inueniuntur tria imitanda. Primo quod clamauit confidenter testificando humanitatem: ibi, miserere mei fili Dauid. Secundo quod adorauit reuerenter credendo diuinitatem: ibi, adorauit eum dicens. Domine adiuua me. Tertio respondit humiliter recognoscendo suam infirmitatem: ibi, etiam Domine nam & catelli edunt.

Sequitur accessus intercessoris vbi notantur quatuor commendabilia, de discipulis. Primo accessus familiaritatis: quia, accedentes discipuli. Secundo affatus humilitatis: ibi, rogabat eum.

Tertio

Tertio deprecatio vtilitatis: ibi, dimitte eam. Quarto allegatio rationis: ibi, quia clamat post nos. sic qui vult impetrare aliquid à Deo debet habere charitatem in corde, & sic accedit. Psal. Accedite ad eum & illuminamini. Item humilitatem in ore: & sic rogat. Matth. 18. Serue nequam omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: & ibidem præmittitur de humilitate rogantis. Tertio vtilitatem in petitione: ibi, dimitte eam, scil. recedem concessa sibi filiæ sanitate. Sic dicebat Simeon Luc. 2. Nunc dimittis. Quarto rationem in petitionis formatione quę est necessitas aliena quæ ootatur in clamore. Ioel. 1. Ad te Domine clamabo quia ignis comedit speciosa deserti. Ignis luxuriæ speciosa castitatis. Ignis auaritiæ speciosa liberalitatis. Ignis superbiæ speciosa humilitatis.

Dominica tertia in Quadragesima, de Epistola, Sermo primus.

AMbulate in dilectione sicut Christus dilexit vos. Ephes. 5. Experimento nos scimus quia non habemus hic manentem ciuitatem: sed ad futura tendimus. vnde non mansionarii: sed viatores sumus. Huius autem viæ duplex est terminus. vnus perambulantium in delictis suis: & hic est infernus. Alius ambulantium in mandatis diuinis: & hic est paradisus. Prima est via iniquitatis. Secunda est via charitatis ad quam aggrediendam monet hic Apostolus.

Vbi tangit tria viatori ne deuiet expedientia. Primo bonam voluntatē ad aggrediendum: ibi, ambulate. qui enim non ambulat non peruenit ad terminum. ambulare autem est proficere. Ioh. 12. Ambulate dum lucem ha. Secundo rectam viam ad progrediendum: ibi, in dilectione. sine dilectione vero non vnitur aliquid secundum se totum summo recto: nisi rectum. vnde Cant. 1. recti diligunt te. Tertio peritum ducem ad sequendum: ibi, sicut Christus dilexit vos. Addiscens enim nititur sequi & imitari magistrum. scriptorem, scilic. vel pictorem in operando. Ioh. 15. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.

De Epistola, Sermo 2.

ERatis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino vt filii lucis am. Ephes. 5. Sicut aqua calefacta congelatur vehementius: & viator post deuium ambulat cautius. Sic pœnitens post refrigerium ab ardore peccandi. post deuium erroris peccati, debet firmius & cautius in via iustitiæ ambulare: secundum quod innuit hic & monet Apostolus.

Vbi primo tangit horrorem præcedentis culpæ: cum dicit. eratis aliquando te. Secundo ostendit valorem præsentis gratiæ: ibi, nunc autem lux in Domino. Tertio monet ad decorem præsentis vitæ: ibi, vt filii lucis am. Horror culpæ tangitur ad detestandum: sicut ponitur aliquid deforme & amarum super mamillam ne puer lactet. Rom 13. Abiiciamus opera tenebrarum, i.e. peccatorum quæ in tenebris fiunt: & ad tenebras æternas ducunt. Valor gratiæ ostenditur ad lætificandum conuersos, scil. per gratiam.

Vbi circa conuersionem implicantur tria. tempus: ibi, nunc. scilic. post peccata & ante mortem. Ioel. 2. Et nunc conuertimini ad me in toto. fructus: ibi, lux. Lux autem vehiculum est caloris. vnde confert ad fructificationem: sic lux gratiæ. vnde hic. s. Ephes. 5. Fructus autem lucis in omni bonitate & iustitia & sanctitate & veritate. Modus: ibi, in Domino non tantum in mundo in vbi multi appetunt lucere. Ergo in Domino tanquam in principio lucis & ob. Psalm. Dominus illuminatio mea & salus mea, &c. decor vitæ suadetur ad tendendum. Et hic continetur in tribus. Primo in vera Dei dilectione: ibi, vt filii. 1. Ioh. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus pater vt filii Dei. Secundo in exemplifica proximi ædificatione: ibi, lucis. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram. Tertio in strenua in nobis operatione: ibi, ambulate. Ioh. 12. Ambulate dum lucem habetis.

De Euangelio, Sermo 3.

ERat Iesus eiiciens dæmonium: & illud erat mutum & cum eiecisset dæmonium locutus est mutus. Luc. 11. Sicut intentio me dici corporalis est curare infirmitatem & restituere sanitatem: sicut patet de. Naaman cuius mundata est lepra & restituta est caro eius sicut caro pueri. 3. Reg. 5. Sic intentio spiritualis est subtrahere peccatorem diabolicę potestati. & restituere diuinæ seruituti: quod notatur hic in eiectione diaboli & locutione muti.

In quibus ostenditur nobis mistice cura & salus humani generis in peccato languentis. Vbi notantur tria. Primo medici benignitas tum ex nomine: quia, Iesus. tum ex opere: quia, eiiciens dæmonium. Phil. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Io hoc patet quod peiores sunt dæmonio homines qui non obediunt Christo. Secundo morbi difficultas: ibi, & illud erat mutū, sci. effectiue: & hoc est periculosum quādo homo celat morbum. Matth. 12. Oblatus est ei dæmonium habens cæcus & mutus. Prou. 28. Qui abscondit scelera non dirigetur qui, &c. Tertio ægri sanitas: ibi, & cum eiecisset. Vbi implicatur. Primo sanitatis initiū in eiectione diaboli. Num. 5. Eiiciant de castris omnem lep. Secundo signū: ibi, locutus est mutus ad confitendum peccatum. ad laudandum Deum. Sap. 10. Sapientia aperuit os mutorum. Iob. 10. Loquar in amaritudine animæ meæ dicam Deo.

De Euangelio, Sermo 4.

DVm fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia quæ possidet. Luc. 11. Metuendus est homini aduersarius suus propter tria specialiter: propter fortitudinem: sollicitudinem & astuciam, i. e. quando fortis est io aggrediendo. Sollicitus io continuando astutus in detinendo talis autem est aduersarius noster diabolus: est enim fortis in tentando: infatigabilis in continuando. astutissimus in detinendo. Ergo metuendus est. Primo propter fortitudinem quæ notatur: ibi, fortis armatus. fortis potestate natutæ. armatus armis insidiæ de quibus. Eccl. 9. Communionem mortis scito quoniam in medio laqueorum ingrederis & super dolentium, i.e. dæmonum arma. Secundo propter sollici-

c tudinem

tudinem: ibi, custodit atriū suum, i.e. cor peccatoris in carcere peccati sicut princeps captiuū: carnifex bouem ad interficiendum. de huius custodia. Actor. 12. De Petro qui custodiebatur in carcere. Tertio propter astutiam: ibi, in pace sunt omnia quæ possidet vt, sc. placeat peccatori status suus dum videt se prosperari. Psal. Zelaui super iniquos pacem pec. vi. Peccator est sicut auis habens pedem in laqueo & comedens grana: quæ quando euolat sentit de captam. Ecce ergo prosperitas vana: quia, io pacē. Matth. 10. Non veni pacem mittere: sed gladium: sed captiuitas vera: ibi, quæ possider. Esa. 26. Domine Deus noster possiderunt nos Domini absque te.

De Euangelio, Sermo 5.

BEati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Luc. 11. Secundum Prophetam. Scire autem parum aut nihil valet ad virtutem. & ita nec ad beatitudinem. quod est verum de scire pure speculatiuo: quia seruus sciens voluntatem Domini sui: & non faciens vapulabit multis. vt dicitur. Luc. 12. Scire vero practicatum multum valet. secundum quod mouit hic Dominus, beati qui audiunt, &c.

Vbi primo promittitur præmium: quia beati. Psal. Beati qui scrutantur testimonia eius. Secundo describitur meritum: ibi, qui audiunt. & primo quo ad fidem quæ est ex auditu verbi. Rom. 10. Ergo fides ex auditu. Secundo quo ad operationem quæ est ex motu fidei: ibi, & custodiunt illud, scil. mente retinendo. manu adimplendo: sic terra bona custodiens granum fructificat. Luc. 8. Quod autem cecidit in terram bonam. Prouer. 29. Qui custodit legem bonus est.

Dominica 4. in quadragesima, de epistola, Sermo primus.

ILla quæ sursum est Hierusalem libera est: quæ est mater nostra. Gal. 4. Vniuersum distinguitur in tres ciuitates: quarum vna est infima, scil. infernus. alia media, scil. iste mundus. tertia suprema, scil. paradisus. Infima est damnatorum. media viatorum. suprema beatorum. de qua loquitur hic Apostolus.

Commendans eam primo à discretione singularitatis cum dicit. illa excellens, scil. omnes alias in omnibus bonis. Ideo concludit Apostolus. Heb. 4. Festinemus ergo ingredi in illam requiem. Secundo à potentia sublimitatis: ibi, quæ sursum est. Vbi, scil. nulla inopia. nullus timor. Colos. 3. Sic consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite. Tertio à contemplatione diuinitatis: ibi, Hierusalem quæ interpretatur visio pacis: ibi enim quietabitur omne desiderium nostrum. Psal. Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas cuius. Esa. 33. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis in ta. Quarto à conditione libertatis: ibi, libera est ab omni, scil. seruitute & labore. Rom. 8. Creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Quinto à diffusione charitatis: ibi, quæ est mater nostra. 2. Reg. 1. Quomodo mater vnicum diligit filium. Psal. Habitare facit sterilem.

De Epistola, Sermo 2.

NOn enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ qua libertate Christus. n. l. Apostolus more boni doctoris instruit nos tripliciter. Modo sermonibus veritatis. Modo operibus sanctitatis. Modo similitudinibus congruitatis. Sermones sunt ad loquendum: operationes ad monendum. similitudines ad explanandum.

Volens ergo ostendere Apostolus beatitudinem electorum vtitur similitudine rerum sensibilium: quia sicut liberi habent hæreditatem parentum non adulteri: sic hæreditatem Dei habebunt boni non mali. Christus ergo est pater. liberi est ecclesia iustorum: ancilla ecclesia malignantium: filius liberæ est iustus: filius ancillæ iniquus.

Et secundum hoc tanguntur hic tria. Primo deiectio iniquæ familiæ. Secundo exaltatio legitimæ: ibi, cum filio liberæ. Tertio actor exaltationis tantæ: ibi, qua libertate. In prima tanguntur duo. Primo malorum exclusio à regno: ibi, non enim hæres erit. Ephes. 5. Hoc autem scitote intelligentes quoniam omnis fornicator, &c. Secundo exclusorum conditio: ibi, filius ancillæ. Gen. 21. Eiice ancillam, i. e. concupiscentiam malam & filium eius, i. e. opus malum. filius vero liberæ est actus gratiæ. Iohan. 8. Si filius vos libera.

De Euangelio, Sermo 3.

ABiit in monte Iesus &: ibi, sedebat cum discipulis suis. Iohan. 6. Sicut dicitur Eccl. 13. Omnis caro ad similem sui coniungetur: & omnis homo simili suo sociabitur: sic Christus verus Deus & verus homo sociabat se hominibus: & hoc vel vt sibi similes fierent. vel quia sibi similes erant: cum malis vt eos bonos faceret: cum bonis: vt eos meliorarer & exemplo & verbo secundum quod patet in verbo proposito.

Vbi de Christo nobis proponitur. Primo contemplationis sublimitas in exemplum: ibi abiit in montem. sicut auis nobilis non accipit prædam nisi à terra eleuata: sic nec Deus acceptat animam nisi à terrenis eleuatam. Abditas in mōte Sion erit saluatio. Secuodo saluationis potestas in remedium: ibi, Iesus. Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum ipse enim saluum faciet populum suum. Tertio eruditionis auctoritas in documentum: ibi, & ibi sedebat. Prou. 20. Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo. Quartio dilectionis familiaritas in solacium: ibi, cum discipulis suis. Magnum solacium est esse cum tali magistro. hi sunt qui seruant charitatem ad inuicem. Ioh. 13. In hoc cognoscent omnes quod discipuli, &c. Ecce ergo saluator propter exemplum imitandus. Propter remedium exorandus. Propter documentum audiendus. Propter solacium amandus.

De Euangelio, Sermo 4.

ACcipit Iesus panes & cum gratias egisset distribuit discumbentibus. Iohan. 6. Sicut Sol commendabilis redditur: quia bene ordinatur ad tria. scil. ad id quod est supra. scil. Deum per obedientiā. ad id quod est iuxta, scil. mundum. per influentiam. ad id quod est intra. sc. seipsum per munditiam vt habetur. Eccles. 43. Sic homo qui permanet in sapientia sicut Sol ordinatur recte ad id quod est supra. scil. Deum ad id quod est iuxta. sc. proximum ad id quod est intta. scil. seipsum.

Huius ordinis exemplar proponitur nobis Christus: vt ipsum imitando ordinatur quisque. Primo ad seipsum per laboris susceptionem: φ nota-

notatur ibi, accepit Ieſus panes. glo. quod alios docebat in ſe complebat contra illos qui commendant virtutes: ſed non habent opera. magis diligunt alios quos docent: quã ſe. Eſa. 63. Frange eſurienti panem tuum. non dicit totum da: ſed partem. Secundo ad Deum per honoris exhibitionem: ibi, & cum gratias egiſſet. Diſplicet enim danti quando non regratiatur. 2. Theſ. 5. Semper gaudete ſine intermiſſione orate: in omnibus gratias agite. Tertio ad proximum per amoris oſtentionem: ibi, diſtribuit diſcumbentibus. Diues enim debet eſſe depoſitarius: & q. theſaurarius pauperum. Tob. 4. Si multum tibi fuerit: abundanter tribue. ſi autem, &c. Primum eſt contra malos magiſtros qui dicunt & non faciunt. Secundum contra homines ingratos qui accipiunt nec gratias agunt: ſicut porcus glandes. Tertium contra cupidos & auaros qui habent & non tribuunt.

Dominica in paſſione de Epiſtola, Sermo primus.

PEr proprium ſanguinem Introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta. Hebr. 9. Contraria contrariis curantur. In peccato vero ſunt tria. delectatio: damnificatio: & obligatio. Delectatio reſpicit complacentiam in peccato. damnificatio excluſionem à regno. obligatio concluſionem in inferno. Ideo ad curationem plenariam exiguntur tria. vt ſit vnum contra vnum: & duo contra duo. Contra delectationem afflictio. cõtra damnificationem reſtitutio. contra obligationem redemptio.

Quia ergo Chriſtus pati voluit vt curaret peccata noſtra. ideo paſſionis ſuæ tangitur. Primo afflictio pœnaliſſima: ibi, per proprium ſanguinem, i. e. ſanguinis effuſionem vſq; ad mortem. Leuit. 27. Anima, i. e. vita hominis in ſanguine eſt. Apoc. 1. Dilexit nos & lauit, &c. Secundo reſtitutio ſufficientiſſima: ibi, introiuit ſemel. ſcil. in aſcenſione: & per ſanguinem ſemel effuſum in cruce: in ſancta. i. e. in cæleſtia Sic ſoluto ſufficienti precio: reſtituitur impignorata hereditas. Apoc. vlt. Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni: vt per portas in ci. Tertio redemptio gratiſſima: ibi, æterna redemptione inuenta. à Chriſto, ſcil. nobis. & dicit æterna: quia fructus æternus eſt. ſcil. gloria. 1. Pet. 1. Non corruptibilibus argento vel auro redempti.

De Epiſtola, Sermo 2.

SAnguis Chriſti qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum: Deo mundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti. Sicut conſideratio præmii minuit vim doloris: ſic recordatio beneficii augmentat vim amoris. amor enim facit ſeruire gratanter amato.

Ideo Apoſtolus inducens nos ad amorem & ſeruitium redemptoris recitat hic beneficium paſſionis quæ proponitur nobis. Primo tãquam doloroſa: ibi, ſanguis. Doloroſa quippe fuit: & Chriſto patienti, & populo compatienti. non enim condemnatur innocens & crucifigitur ſine dolore. Pſal. Captabunt in animam iuſti & ſan. Thren. 1. O vos omnes qui tranſitis per viam, &c. Secundo tanquam precioſa: ibi, Chriſti. voluntas enim patiendi non tantum erat hominis: ſed etiam Dei. vnde precium quaſi infinitum habebat per quod rediremus ad noſtrã hereditatem. Eph. 2. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longe facti eſtis prope in ſanguine Ipſius. Tertio tanquam affectuoſa: quod patet ex tribus. ſcil. ex ſpiritu mouente: ibi, per ſpiritum ſanct. Eſa. 61. Spiritus Domini ſuper me. Ex voluntate obedientiæ: ibi, ſe ipſum obtulit. Eſa. 53. Oblatus eſt: quia voluit. Ex habitu granficante: immaculatum Deo. 1. Pet. 1. Redempti eſtis ſanguine agni incontaminati & immaculati. Quarto tanquam fructuoſa quod: patet ex tribus contra tria quæ ſunt in peccato. ſcil. macula, pœna debita, & offenſa diuina. patet ergo fructus. Primo ex mundatione maculæ; ibi, emundauit cõſcientiam n. ab. Heb. 9. Omnia pene in ſanguine mundantur ſecundum legem. Secundo ex commutatione pœnæ æternæ: ibi, ab operibus mortuis. i. e. ducentibus ad mortem. Rom. 6. Stipendia peccati mors. Tertio ex reconciliatione offenſæ: ibi, ad ſeruiendum Deo viuenti. Luc. 1. Sine timore de manu inimicorum no. liberati ſer. ſeruitium enim hominis immundi vel inimici non placet.

De Euangelio, Sermo 3.

ABraham pater veſter exultauit vt videret diẽ meum: vidit & gauiſus eſt. Ioh. 8. Sicut dicit Aug. eadem eſt fides mediatoris quæ nos ſaluat, & quæ ſalnos faciebat antiquos. Vnde glo. dicit hic: Abraham credens exultauit ſperando: vt videret intelligendo, diem meum vel aduentus temporalis: vel æternitatis. Ex hac autem fide & ſpe inerat ei gaudium ſpirituale: ſecũdum quod teſtatur Dominus hic.

Vbi tangitur gaudium Abrahæ. Primo de expectatione aduentus Chriſti: quia exultauit vt videret. Secundo de exhibitione expectati: ibi, vidit & ga. Circa primum deſcribit primo expectantem. ſecundo expectationem: ibi, exultauit. Expectantem deſcribit. Primo ex nomine: quia Abraham quod interpretatur pater multarum gentium: & gerit typum boni prædicatoris qui debet multos gignere Chriſto verbo & exemplo. Eccl. 44. Abraham magnus pater mul. Secundo ex genere: ibi, pater veſter. & ideo imitandus à vobis. Ioh. 8. Si filii Abrahæ eſtis opera Abrahæ facite: quæ ſunt fides & obedientia, &c. Tertio ex deuotione expectandi: ibi, exultauit. Pſal. Exultate iuſti in Domino. ſic exultat exul in ſpe ſuæ reuocationis. Quarto ex expectatione Chriſti: ibi, vt videret diem meum. diem, ſcil. incarnationis. 4. Reg. 7. Hæc dies boni nuncii eſt. Iſta exultatio poteſt intelligi. Gen. 18. Quando dixit ei Dominus. in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Sequitur ſecundum gaudium de exhibitione expectati. Vbi notãtur duo. Primũ pertinens ad intellectum: ibi, vidit glo. intellexit diem incarnationis m. Eccl. 48. dicitur de Eſa. Spiritu magno vidit vltima. Secundum pertinẽs ad effectum: ibi, & gauiſus eſt. Luc. 1. Annuncio vobis gaudium magnum, &c.

De Euangelio, Sermo 4.

IEſus autem abſcondit ſe & exiuit de templo. Iohan. 8. In præſenti vero euangelio ponitur communis conflictus inter Iudaicã ſtultitiam, & diuinam ſapientiam. Stultitia Iudaica tria facit.

 allegat

allegat fœlicitatem: ibi, benedicimus nos nonne quia Samaritanus es & dæmonium habes. Negat veritatem: ibi, nonne maior es patre nostro Abraham. q.d. non. Irrogat violentiam: ibi, tulerunt ergo lapides vt ia. Econtra sapientia diuina respondens falsitatem negat: ibi, ego dæmonium non habeo. Veritatem probat: ibi, antequam Abraham fieret ego sum. Violentiam sedat sicut habetur hic. Iesus autem abscondit se.

Vbi proponitur nobis Christus. Primo in exemplum patientiæ cōtra malum pœnæ: quia abscondit se. glo. commendanda est patientia non exercenda potentia. Deut. 32. Abscondam faciem meam ab eis: & con. quippe agnus erat nō canis. Secundo in exemplum innocentiæ contra malum culpæ: ibi, & exiuit de templo. glo. non status in consortio malorum. parum agnum diligit qui eum inter lupos dimittit. 2. Cor. 6. Exite de medio eorum, &c.

Dominica in ramis Palmarum, de Epistola, Sermo primus.

HOc sentite in vobis quod est in Christo Iesu. Phil. 2. Sicut in corpore naturali hominis membra recipiunt à capite sensum, motum, & regimen: & ideo dum caput ægrotat omnia membra dolent. nisi sint paralitica vel abscissa. Sic in corpore mistico ecclesiæ cuius nos sumus membra & Christus caput debet esse: vt scil. recipiamus sensum gratiæ ab ipso inspirante: motum obedientiæ ab ipso præcipiente. Regimen discretionis ab ipso docente. dolorem compassionis ab ipso patiente vt in nobis sit quomodo fuit in ipso. secundum quod mouet hic Apostolus.

Vbi notantur tria præmotiua ad faciendum quod mouetur. Primo facti facilitas: ibi, sentite. scil. compatiendo, obediendo, facile est opus ad quod natura inclinat: sicut lapidi descendere: inclinat autē ad compatiendū innocēti afflicto. Sap. 1. Sentite de Domino in bonitate & in. Secundo non facientium inexcusabilitas: ibi, in vobis, sci. qui debetis: quia peccatores pro quibus passus est. & potestis: quia mortales & passibiles. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis relinquens exemplū, &c. Tertio facientis vtilitas: ibi, quod & in Christo Iesu quicquid enim fuit in Christo Iesu fuit bonum & salubre. 1. Pet. 4. Communicantes Christi passionibus gaudete vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.

De Epistola, Sermo 2.

HVmiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortē autem crucis. Phil. 2. Quoniam secundum Apostolum per vnum hominem mors. Ita per vnum hominem vita introiuit in orbem.

Ideo in verbo proposito tangit Apostolus triplicem modum quo Christus induxit nobis vitam contra triplicem modum quo Adam induxit nobis mortem. Adam enim demeruit nobis mortem per peccatum inobediētiæ & transgressionis. Per peccatum concupiscentiæ & delectationis. Christus vero ecōtra vt contraria contrariis curentur: humiliauit semetipsum. contra superbiam: factus obediens contra inobedientiam vsque ad mortem, &c. contra concupiscentiam vt sibi correspondeant virtutes & vitia & sacrificarent Deo. Primo humilitatis plenitudo contra superbiæ elationem. nam qui se humiliat exaltabitur. Luc. 18. Secundo obedientiæ promptitudo contra inobedientiæ transgressionem: quia vir obediens loquetur victorias. Prou. 21. Tertio mortis amaritudo contra concupiscentiæ delectationem. nam Christus mortuus est pro peccatis nostris. 1. Cor. 15. Et ideo meruit exaltationem: & suam & nostram. Vnde sequitur propter quod Deus exaltauit illum. Psal. Exaltauit electum de plebe mea.

De Euangelio, Sermo 3.

ECce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam, Matth. 21. Verbum istud nō tam euangelicum est quam propheticum. In quo describitur Saluator noster vt intuendus propter eius præsentialitatem: ibi, ecce. vt reuerendus propter eius dignitatem: ibi, rex. vt cognoscendus propter eius familiaritatem: ibi, tuus. vt suscipiendus propter eius propinquitatem: ibi, venit: vt diligendus propter eius bonitatem: ibi, tibi. vt imitandus propter eius benignitatem: ibi, mansuetus. vt admirandus propter eius humilitatem: ibi, sedens super asinam. Quære concordantias Dominica prima in Aduentu. fol. 2.

De Euangelio, Sermo 4.

EVntes discipuli fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Matth. 25. Conditiones quinque solent seruis displicere impotentia: quod patet in pueris & senibus qui excludunt à prælio. proteruia quod patet in seruo nequam qui noluit misereri conseruo suo. Negligentia quod patet in seruo pigro. Superbia quod patet in seruo percussore: & voluptuoso. Stultitia quod patet in seruo inutili à nuptiis excluso.

Econtra commendatur hic obedientia seruorum Dei ab oppositis conditionibus. Primo à vigore in inchoando contra impotentiam: ibi, euntes. Psal. Euntes ibant & flebant non excusabant non tardabant. Secundo ab amore in cōcordando contra proteruiam: ibi, discipuli. Ioh. 13. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis si dilectionem, &c. Matth. 11. Discite à me quia, &c. Tertio à perfectione in consummando: ibi, fecerunt contra negligentiam: multi enim dicunt & non faciunt: ideo dixit beata virgo. Iohan. 2. Quodcunque dixerit vobis facite. Quarto ab integritate in exsequendo: ibi, sicut præceperat illis. q.d. non tantum id quod præceperat: sed modo quo præceperat fecerunt contra illos qui non obediunt: sed cum murmure & plus vel minus faciunt quam eis dicatur. Exemplum de illo qui fregit pedem asini cum deberet dirigere. Iosue. 14. Sicut præceptum dedit m. pater sic. Quinto à discretione in obediendo contra stultitiam: ibi, Iesus. tali obediendum est qui non præcipit nisi bonum & salubre. Phil. 2. In nomine Iesu omne flectatur. Exemplum de dæmone genua flectente.

In

Sermo primus in Cœna Domini de Epistola.

ACcipite & manducate hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur hoc facite in meam commemorationem. Corinth. 11. Sicut habetur Genes. 27. Isaac deceptus fuit iudicando, secundum quemlibet sensum particularem, excepto auditu. secundum visum: quia caligauerunt oculi eius: ideo non discernebat inter Iacob & Esau. secundum olfactum cum dixit: ecce odor filii mei, &c: secundum gustum: cum hedos domesticos loco venationis comedebat. secundum tactum: cum pilos edorum credebat pilos Esau, secundum auditum bene iudicauit dicens, vox quidem vox Iacob est. Sic homo decipitur qui de eucharistia iudicat. secundum visum: quia ibi videtur species panis, non hominis. secundum olfactum: quia ibi sentitur odor vini & panis. secundum gustum: quia ibi sapor vini & panis. secundum tactum: quia ibi tangitur & frangitur species, non corpus. Sed secundum auditum bene iudicat cum audit veritatem dicentem verbum propositum, accipite & manducate hoc est, &c.

Vbi quatuor tanguntur verborum genera. Primo exhortantia ad receptionem: ibi, accipite & manducate. spiritualiter credendo & sacramentaliter sumendo. idem habetur Matth. 26. Secundo pertinentia ad consecrationem: ibi, h. e. corpus, hoc, præsentialiter. est veraciter. corpus, substantialiter. meum, singulariter. Idem Matth. 26. Tertio incitantia ad deuotionem: ibi, quod pro vob. trad. scil. à patre ordinante. à me obediente. à Iuda vendente. à Iudæa procurante. à Pilato iudicante. à milite suspendente. Esa. 50. Corpus meum dedi percutientibus. Quarto dirigentia intentionem: ibi, hoc facite in meam commem. Idem Luc. 22. Prima verba sunt dilectionis. secunda admirationis. tertia compassionis. quarta instructionis.

De Epistola, Sermo 2.

PRobet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat & de calice bibat. 1. Cor. 11. Si medicina sine præparatione: si rex terrenus sine honore non recipitur: quanto magis medicina salutaris rex cœlestis in sacramento altaris sine præparatione & honore non debet recipi: alias ei mortis periculum imminet.

Hoc attendens Apostolus volentes communicare corpus Domini hortatur ad duo. Primo ad diligentem sui examinationem. Secundo ad reuerentem sacramenti sumptionem: ibi, & sic de pane. In prima implicantur tria. Primo examinationis diligentia: cum dicit, probet. Sicut vas inspicitur: si mundum, si integrũ antequam vinum infundatur. 2. Cor. 13. Vosmetipsos tentate si estis in fide: vosipsos probate. Probet ergo se in articulis si credat. in præceptis si impleat. in peccatis si caueat. in virtutibus si habeat. Secundo examinandi indigentia: ibi, seipsum. In multis enim offendimus omnes. Bern. Multi multa sciunt: sed seipsos nesciunt. Gal. 6. Probet autem vnusquisq; opus suum. Tertio examinandi prudentia: ibi, homo: qui est animal rationale. & ideo scit se examinare. Eccl. 17. Deus de terra creauit hominem & sequitur de sapientia eius & libertate.

Sequitur secundum in quo monet ad reuerentem sacramenti sumptionem. Primo sub specie panis: ibi, & sic de pane illo edat. Exod. 16. Iste est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum in solitudine. Secundo sub specie vini: ibi, & de calice bibat. Cant. Comedite amici mei.

De Euangelio, Sermo 3.

SCiens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad patrem cum dilexisset suos qui erãt in mundo in finem di. eos. Verba proposita inducunt stuporem: incutiunt timorem: & exigunt amorem. Sunt ergo verba stuporis propter sapientiam Christi admirabilem. verba timoris propter potentiam insuperabilem. verba amoris propter bonitatem irreprehensibilem. Vere sapientia admirabilis: quia mortis horam præsciuit, sciens inquit Iesus. quia venit. quippe quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Col. 2. Vere potentia insuperabilis: quia mortuus est quando voluit: ibi, hora eius vt transeat, &c.

Vbi notatur primo præordinatio finis: ibi, hora eius. de qua. Matth. 26. Ecce appropinquabit hora & filius hominis tradetur in manus pec. Secundo descriptio mortis. Circa cuius exitum implicat tria. Primo terminum à quo: in quo pœnalitas: ibi, ex hoc mundo. Ioh. 15. Si mundus vos odit scitote, &c. Medium per quod: in quo breuitas: ibi, transeat. Ose. 11. Sicut mane pertransit rex Israel. Terminum ad quem: in quo felicitas: ibi, ad patrem. Ioh. 16. Exiui à patre & veni in mundum. iterum relinquo. Sed tertio sequitur bonitas irreprehensibilis: quia eos pro quibus moriebatur in morte dilexit: ibi, cum dilexisset suos. Prou. 8. Ego diligentes me diligo: & qui, &c. misericorditer: ibi, qui erant in mundo. & ita pauperes & miseri. Iohan. 17. Iam non sum in mundo & hi in mundo sunt: & ego ad te venio. perseueranter: ibi, in finem di. eos Prou. 18. Omni tempore diligit qui amicus est. Ecce ergo Dominus venerandus propter sapientiam. metuendus propter potentiam. diligendus propter bonitatem.

De Euangelio, Sermo 4.

SI ego laui pedes vestros Dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Ioh. 13. Duo sunt sensus disciplinabiles visus, & auditus. Visui deseruit factum: auditui verbum. Ideo perfectus magister perfecte nos instruit vtroque modo in verbo proposito.

In quo nobis occurrit consideranda. Primo disciplina eius exemplaris. Secundo doctrina eius salutaris: ibi, & vos debetis, &c. Propter primum est imitandus: propter secundum audiendus. In primo patet humilitas Christi ex duobus. Primo ex qualitate operis: ibi, si ego laui pedes. hæc lotio significat interiorem animę lotionem: de qua ait Petro. Si non lauero te: non habebis partem mecum. Psal. Amplius laua me Domine. Secundo ex quantitate operantis: ibi, Dominus & magister. Dominus voluntatis: magister rationis. Dominus virtutum: magister scientiarum. Domino obediendum: magistro credendum. Magna humilitas quod homo homini lauet pedes: maior quod Angelus homini: sed maxima q Deus homini. Ex hoc concludit, & vos debetis, &c.

tiis, &c. Gal. 6. Alter alterius onera portate. Turpe esset seruo si rex lauaret pedes conserui: & ipse indignaretur simile facere per lotionem intelligit quæcunq; opera misericordiæ.

In Parasceue, Sermo primus.

ESt enim phase, i. e. transitus Domini. Exod. 12. Passio Domini nostri Iesu Christi præsignata figuris vt in immolatione agni paschalis: de hac hab. prænunciata Prophetiis, vt Esa. 53. Vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit: & nos. Hierem. 11. Ego quasi agnus. Reuelata Apostolis. Matt. 26. Scitis quia post biduum pascha fiet: & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Exhibita in suppliciis: vt patet in quolibet euangelio.

In verbo ergo proposito nobis proponitur sub signra. Primo quãtum ad præsentialitatem temporis: cum dicitur, est enim phase 14. enim die Apostolis immolabãt agnum paschalem: & nox illa dicebatur phase. Secundo quantum ad veritatem passionis: ibi, i. e. transitus. quia tūc transijt Christus ex hoc mundo ad patrem, siue quantum ad veritatem: quia tunc transierunt filii Israel de Ægypto. ad terrã promissionis: per quod signatur transitus iustorum de mũdo ad cœlum. Psal. Transiuimus per ignem & aquam & edu. Tertio quantum ad dignitatem patientis: ibi, Domini. Psal. Deus noster Deus saluos faciendi & Domini Domini exitus. supple non est alius quam mortis. Ecce ergo dies in qua lugẽdum: transitus cui compatiendum: Dominus cui seruiendum.

De Euangelio, Sermo 2.

INclinato capite tradidit spiritum. Ioh. 19. Placere solent & debent obsequium cohabitantibus quod fit ex humilitate. Indigentibus beneficium quod fit ex pietate. Præsidentibus obeditiũ: quæ fit ex voluntate. Delinquentibus correctio: quæ fit ex charitate. Quia ergo passio Christi processit ex humilitate vera. ex pietate mera. ex voluntate libera. ex charitate sincera: patet quod maxime & Deo: & nobis placere debuit.

Signatur autem primo Christi humilitas: quia, inclinauit. Nunquam enim monachus ita bene inclinauit. Iob. 22. Qui inclinauit oculos suos ipse saluabitur. Secundo eius pietas: quia, caput inclinauit. Inclinatur autem caput ad respiciendum inferius. Psalm. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat & humil. Cant. 5. Caput meum plenum est rore. 1. Esdr. 9. In seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster & inclinauit super nos misericordiam. Tertio eius voluntas: quia, tradidit. Ephes. 5. Ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos & tradit. Quarto eius charitas: quia, spiritum tradidit. Dare enim cor suum alii: vel vita pro alio signum est maximæ dilectionis. Ioh. 15. Maiorem hac dilectionem nemo, &c. Matth. 27. Iesus clamans voce magna emisit spiritum.

In vigilia paschæ, Sermo primus, de Epistola.

CVm autem Christus apparuerit vita vestra tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Col. 3. Sicut membra corporalia sequuntur caput suum corporaliter: sic membra spiritualia, scil. electi qui sunt de corpore ecclesiæ & numero & merito sequũtur caput suum, sc. Christum: spiritualiter in præsenti p gratiã: & in futuro per gloriam: secundum quod innuit hic Apostolus.

Vbi primo nobis prædicatur euidens Christi resurrectio: ibi, cum apparuerit. Secundo promittitur consequens ex hac nostra reformatio: ibi, tunc & vos apparebitis. In prima implicantur duo. Primo resurrectionis euidentia: ibi, cum autem Christus apparuerit. Luc. vl. Surrexit Dominus vere & apparuit simoni. Secundo resurgentis potentia: ibi, vita vestra. Ioh. 14. Ego sum via veritas & vita.

Circa secundum principale, scil. reformationem nostram notantur tria. Primo opportunitas ordinata: ibi, tunc. Psal. Tunc exultabunt omnia ligna sil. contra hypocritas qui nunc volunt habere gloriam. Secundo societas valde grata: ibi, & vos apparebitis cum ipso. 1. Ioh. 3. Nunc filij Dei sumus: sed nondum appa. 1. Thes. 4. Nos qui viuimus qui relinquimur simul rapiemur. Tertio felicitas manifesta: ibi, in gloria. Psalm. Gloria hæc est omnibus sanctis eius. Vel dicendum quod ibi notantur tria. beatificabile: beatificans: & beatitudo. Beatificabile: ibi, vos. beatificans: ibi, cum ipso. beatitudo: ibi, in gloria.

De Euangelio, Sermo 2.

EXierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno currentes anunciare discipulis. Matth. vlt. Exemplum bonorum operum habemus non solum in viris: sed etiam in mulieribus. Exemplũ continentię in virginibus. Exemplum patientiæ in martyribus. Exemplum obedientiæ in his sanctis dominabus. Quarum obedientiam commendat triplex actus, scil. operis cordis: & oris.

Tangitur ergo primo velocitas operis: quia, exierunt cito de mo. Sic sol exit in ortu vt luceat super terram: viator de domo vt eat viam suam. Psal. Exibit homo ad opus suum & ad operationem suam vsque, &c. Secundo deuotio cordis: ibi, cum timore & gaudio. Timor sine gaudio vergit in desolationem: gaudium sine timore in dissolutionem: timor cum gaudio in deuotionem: timor de nouitate visionis: gaudium de veritate resurrectionis. Psal. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Tertio vtilitas sermonis: ibi, currentes anunciare discipulis. Vbi ostẽditur quod diuulgauerunt resurrectionem indilate: quia, currentes. stimulus enim amoris agitabat eas. Prou. 4. Ducam te per semitas æquitatis, &c. Item simpliciter: quia, nunciare. 4. Reg. 7. Venite & nunciemus in aula regis. Tertio ordinate: quia, discipulis primo: & postea discipuli nunciauerunt populo. Matth. vlt. Ite dicite discipulis eius & Petro quia præcedet vos in Galilæam.

In die sancto Pascha, Sermo primus, de Epistola.

EXpurgate vetus fermentum vt sitis noua cõspersio. 1. Corinth. 5. Antiquitus mandatum fuit in lege Exod. 12. vt tempore quo comedebatur agnus paschalis vterentur azimis & non fermentato: quod significat debitam præparationem ad accipiendam eucharistiam.

Ad

Ad quam exiguntur duo. Primo correptionis peccati detectio. Secundo renouatio virtutis: ibi, vt sitis no. cō. Peccatum vero innuit eiiciendum propter tria. Primo propter fœtorem maculæ: ibi, expurg. purgatio enim sordium est. Prouer. 15. Per misericordiam & fidem purgantur peccata. Secundo propter reatum pœnæ: ibi, vetus. vetustas enim est causa ruinæ quod enim antiquatur & senescit: prope interitū est. Eph. 4. Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem qui corrumpitur. Tertio propter exacerbationem offensæ: ibi, fermentum. fermentum e. acerbat pastam: & per consequens gustū Gal. 5. Modicum fermenti totam massam corrumpit. Leuit. 6. Comedet Aaron cum filiis absque fermento. Sequitur electio virtutis innouantis: cum dicitur, vt sitis noua cō. Rom. 6. Quorum Christus surrexit à mortuis: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Vetus enim vita est quam à veteri Adam habemus.

Sermo 2. De Epistola.

PAscha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in. 1. Cor. 5. Quam liberalis fuerit & sit nobis Iesus Christus patet ex triplici dono: secundum triplicem naturam quæ est in ipso. scil. Deitas, anima, & caro. Dat enim nobis dilectionem in præmium beatitudinis. animam in precium redemptionis. carnem in viaticum nostræ peregrinationis.

Ideo hortatur hic Apostolus. Primo ad debitam deuotionem. Secundo ad iocundam comestionem: ibi itaque epulemur. In primo reducit nobis ad memoriam beneficium nostræ redemptionis: vt exercetur nostra deuotio. Primo propter redemptionis securitatē: ibi, pascha. transit de morte. s. ad vitam. Ioh. 13. Ante diem Paschæ sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat. Secundo propter redemptorum fœlicitatem: ibi, nostrum. scil. in Christum credentium & sperantium Tit. 3. Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri. Tertio propter redimendi difficultatem: ibi, immolatus est. scil. in crucis patibulo. Gen. 22. extendit manum & arripuit gladiū vt immol. fi. Quarto propter redimentis dignitatem: ibi Christus. i. vnctus: quod non deberet nisi magnis & dignis personis. Heb. 9. Christus assistēs pontifex futurorū bonorū. Phil. 3. Omnia arbitror vt stercora vt Christum lucrifaciam.

De Euangelio, Sermo 3.

NOlite expauescere Iesum quæritis nazarenum crucifixum surrexit non est hic. Matt. 16. Frequenter in nobis deiiciuntur potentiæ animæ: videlicet irascibilis timore rei insolitę. cōcupiscibilis languore rei non habitæ: rationabilis errore rei non cognitæ. Ideo frequenter indigemus consortatione contra timorem: iocundatione contra languorem instructione contra errorē. quod patet in istis deuotis mulieribus quæ timebāt angelos metuendo, languebant Christū quærendo. errabant ipsum mortuum putando.

Ideo alloquitur angelus mulieres. Primo confortando eas: quia timebant: ibi, nolite expauescere. quasi dicat, bonum est quod videtis: quod agitis, ideo non est pauendum. Ier. 30. Noo paueas Israel: quia saluabo te. Secundo congratulando eis: quia Iesum quærebāt: ibi, Iesum quæritis nazarenum cru. Et merito quærebant quia salutem in præmio: ibi, Iesum. qui interpretatur salus. Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suū. Vnumquodq; enim naturaliter appetit salutē suam. Florem in exemplo: ibi, nazarenum. quod interpretatur floridus. Cant. 2. ego flos campi. viola. scil. obedientiæ. rosa patientiæ. lilium munditiæ. In merito: ibi, crucifixum. Per crucem enim meruit nobis vitam. Ephes. 2. per crucem interficiens inimicitias. Tertio instruendo eas: quia resurrectionem nesciebant: ibi, surrexit non est hic. Vbi docet primo resurrectionem: ibi, surrexit. Psalm. nunquid qui dormit. s. iacens in sepulchro: non adiiciet vt resurgat. scil. exiliens de sepulchro. Secundo resurrectionis manifestationem ibi, non est hic. Matth. vlt. non est hic surre.

Sermo 4. De Euangelio.

ITe dicite discipulis eius & Petro quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Sicut per angelum malum mulierem & virum incohata est nostra ruina: per angelum. scil. suggerentem: mulierem consentientem: virum acquiescentem: Sic per angelum bonum, mulierem & virum diuulgata est resurrectio nostra: per angelum. s. reuelantem: mulierem nunciantē: virum prædicantem: secundum quod innuitur in hoc verbo.

In quo angelus certificans mulieres de resurrectione. Primo iniungit eis obedientiam nunciandi. Secundo specificat materiam nuncii: ibi, quia præcedet. In primo iniungit eis quod nunctient. Primo festinanter ibi, ite. euidenter: ibi, dicite. ordinabiliter: ibi, discipulis eius. addit, & Petro. ne videretur abiiciendus quia negauerat eum. Matth. vlt. Cito euntes dicite discipulis eius.

Sequitur secundum principale in quo specificat materiam nuncii: in quo prędicit quod est diuinæ bonitatis: ibi, præcedet vos in Galilæam. Ipse enim præcedet sicut dux viatorem: sicut pastor ouem. Exod. 13. Dominus Deus præcedebat eos ad ostendendam viam. Promittit quod est humanæ felicitatis: ibi, eum videbitis. Iob. 16. Modicum & non videbitis me: & iterum modicum. Subiungit quod est cognitæ veritatis: ibi, sicut dixit vobis. Matth. 12. postquam resurrexero præcedam vos in Galilæam. Num. 14. non est Deus. quasi homo vt mentiatur: nec vt filius hominis vt mutetur: dixit ergo & non faciet. quasi d. non.

Sermo 5.

MAne facto surrexit homo & aperuit ostium vt cœptam expleret viam. Iud. 19. Sicut ait Psalm. nos sumus populus Domini: & oues pascuę eius. Sed heu quia positi in paradiso errauimus sicut ouis quæ perit: fructum vetitum comedentes. vnde & inde eiecti sumus propter quod & bonus pastor Dei filius viam aggressus est in hunc mundum: vt oues perditas & carcere detentas redimeret & secum reduceret ad ouile. Redemit autem eas non ponendo capam vel dando pecuniam: sed ponendo animam. Vnde & pro ouibus mortuus est: qui tamen tertia die à passione mane facto surrexit & aperuit ostium inferni vt oues educeret: & monumenti vt de resurrectione sua certificaret: & sic cœptam expleret viam: secundum quod hic dicitur.

Vbi ostenditur quod Dominus Festinanter surrexit: quia tertia die in mane: quod notatur ibi, mane facto. Matth. vlt. Et valde mane vna sabbatorum veniunt, &c. Veraciter: quod notatur in præterito, surrexit. Luc. vlt. Surrexit Dominus vere. Personaliter: ibi, homo, persona enim surrexit nobis secundũ naturam humanam. Luc. vlt. Oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & crucifigi: & tertia die resurgere. Euidenter: ibi, aperuit ostium. scil. monumenti. Matth. vlt. Quis reuoluet nobis. Iterũ ostium inferni. Psalm. Portas æreas. vtiliter: ibi, vt cæptam viam scil. in incarnatione, expleret. quod fecit in ascensione. Matth. 7. Arcta est via quæ ducit ad vitam. Psalm. Deus meus impolluta via eius.

De eadem Sermo 6.

Refloruit caro mea. Psalm. Antiquitus dixit Esaias. Esa. 11. Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet. virgo Dei genitrix virga est flos filius eius. Christus ergo floruit in natiuitate: sed emarcuit in passione. Esa. 11. Exsiccatum est fœnum & cecidit flos. Refloruit vero in resurrectione: secundum quod hic dicitur. Iterum floruit præcedenti Dominica quando obuiauerunt ei cum floribus & palmis. Sed emarcuit sequenti sexta feria: quando cum gladiis & fustibus occurrerunt ei. Sed refloruit præcedenti Dominica: quando non iam cum ramis marcessibilibus: sed cum stolis immortalibus suæ carnis resurrexit. Vnde vere potuit dicere, refloruit caro mea.

Vbi circa resurrectionem notantur tria. delectatio fælicitatis: ibi, refloruit. Cant. 2. Iam enim hiems transiit, &c. dilatatio delectationis: quia non iam tantũ in anima: sed & in carne: ibi, caro. Psalm. Insuper & caro mea requiescet in spe. glo. resurrectionis. prærogatiua prioritatis: ibi mea. quia vnusquisque resurget in suo ordine. primitiæ Christus. Corinth. 15. Est ergo resurrectionis iocunditas in flore: nouitas in carne: prioritas in Christi carne.

De eadem Sermo 7.

Domine Deus meus clamaui ad te: & sanasti me. Psalm. 29. Dicitur Iob. 5. de Domino quod ipse vulnerat & medetur. percutit, & manus eius sanabunt. quod significatur, Luc. 10. Vbi sauciato infudit primo vinũ pungẽs: postea oleum vngens. ergo vulnerat, non sicut inimicus vt occidat: sed sicut medicus scindit vt sanet. Exemplum Iob. Et hoc est quod restatur Christus de seipso loquens ad patrem, Domine Deus meus ad te. glo. in passione, & sanasti me. glo. in resurrectione: ergo vulneratum est caput: & sic sanatum à malo pænæ: sic & membra eius à malo culpæ & pœnæ.

Sic ergo Christus tangit hic primo angustiam passionis. scil. in clamore. Secundo lætitiam resurrectionis. scil. in sanitate. Circa angustiam passionis implicantur tria. scil. affectio deuota: cum dicit, Domine Deus meus. Domine per potentiam. Matth. 11. Confitebor tibi Domine cæli & terræ: Deus per sapientiam. Deus enim dicitur à theos græce quod est videre. Eccles. 23. Omnia videt oculus eius. meus per bonitatem. Psalm. Ipse innocauit me: Pater meus es tu. Secundo afflictio magna: cum subdit, clamaui, Matth. 27. Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna. Hely. Tertio intentio recta: cum addit, ad te. Psalm. Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor. Circa lætitiam resurrectionis implicantur duo. immunitas ab omni miseria: ibi, sanasti. Esa. 57. Vias eius vidi & sanaui eum: vidi reduxi eum. Immunitatis causa meritoria: ibi, me. scil. clamantem. Ecclesiast. 4. Tempus occidendi: tempus sanandi. Esa. 53. Cuius liuore sanati sumus.

De eadem, Sermo 8.

Svrrexit Dominus vere. Luc. vlt. Solet dici de homine qui non vult mutare verbum sed omnino implere, ipse vult esse rex verbi sui: in signum quod verbum regis debet duci ad effectũ: quia ergo rex regum dixerat quondam per famulum suum in Psalm. Exurgam diluculo. dixerat postmodum per seipsum in Euangelio. Matth. 16. quia oportebat eum pati: & tertia die resurgere: ideo illa die resurrexit secundum testimonium suorum discipulorum dicentium, quia resurrexit Dominus vere.

In quo verbo excitamur ad tres virtutes theologicas. scil. fidem, spem, & charitatem. Nam veritas rei excitat fidem. resurrectio capitis eleuat spem. Dominus legitimus inflammat charitatem. Ergo credamus propter veritatem rei: propter quod dicunt, vere. Iohann. 8. Si veritatem dico: quare non creditis mihi? Speremus propter resurrectionem capitis nostri: propter quod dicunt, surrexit. 1. Pet. 1. Regenerauit nos Deus in spem viuam per resurrectionem Christi à mortuis. 1. Thessal. 4. Si enim credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit. Diligamus propter dominationem: propter quod Dominus. Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum. 1. Corinth. vlt. qui non amat Dominum Iesum Christum.

De eadem, Sermo 9.

Sol egressus est super terram. Gen. 19 Secundum Philosophum nihil cadit in intellectu: quin prius fuerit in sensu. Vnde & cognitio humana à sensu incipit. Rom. 1. Inuisibilia enim Dei per ea, &c. Hinc est quod aliquando nomine corporalium intellectualia appellamus. Et quia inter corporalia sol apparet nobis purior, pulcrior, & vtilior: ideo frequenter in scripturis Dei filium solem legimus appellari. sol iste sub nube latuit in incarnatione, Ezech. 32. Solem nube tegã. In terra occubuit in passione: quando mortuo Christo corpus descendit in tumulum & anima ad infernum. Amos. 8. Occidet sol in meridie. Quippe quia hora sexta crucifixus est Christus: sed super terram exiit in resurrectione. Tempus enim affuit quo sol refulsit qui prius erat in n. 1. Machab. 1. Hoc est quod hic dicitur, sol egressus est super terram.

Vbi tanguntur tria. Primo resurgentis ratio: ibi. sol. Eccles. 9. Dulce lu. & de. l. ma. vi. refulsit sol in clypeos aureos. id est in Apostolos. Secũdo rationis veritas: ibi, egressus est. Abac. 3.

egressus

egressus est in salutem populi tui. Tertio resurgendi necessitas: ibi super terram. terra enim erat inanis & vacua: quia relicto eo omnes fugerant: ideo necesse erat illuminatione solis super terrã. Apoc. 18. terra illuminata est à gloria eius.

De eadem Sermo 10.

HÆc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea. Psal. Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. omnis dies naturaliter bona est: sed vulgo dicitur dies bona quando est mensura bonæ actionis. Eccles. 14. non defrauderis à die bona. mala quando malo. Eph. 5. Redimentes tempus quoniam de vtraq; Eccl 7. In die bona fruere bonis: & die. m. Sic omnem diem fecit Dominus. Eccl. 7. Sicut enim hanc: sic & illam fecit. Sed vulgariter dicitur illam fecisse in qua eius sapientia vel bonitas præcipue apparet. Et quia hodie eius gloria communicata est carni nostræ: ideo cantamus, hæc dies quam fecit Dominus.

Vbi notantur tria Primo resurgendi opportunitas: ibi hæc dies. Matth. 16. Oportet eum tertia die resurgere. Luc. vlt. Et nunc hæc est tertia dies. Secundo resurgentis claritas: ibi, quam fecit Dominus. sol enim facit diem diffundendo claritatem super terram. Sic sol iustitiæ qui occiderat super terram in sero passionis cursum suum egerat sub terra in nocte sepulturæ: hodie exiit super terram ostendendo claritatem gloriæ: & sic diem fecit. Tertio resurrectionis iocunditas: ibi, exultemus. id est extra saltemus quantum ad gaudium exterius, & lætemur quantum ad gaudium interius, in ea. Psalm. vox exultationis & sa. &c.

De eadem Sermo 11.

GAuisi sunt discipuli viso Domino. Ioh. 20. Tristes erant Apostoli de nece sui Domini. quem prædixerat eis: Dominus ipse. Iohann. 16. Quia hæc locutus sum vobis tristicia impleuit cor vestrum. ideo ad consolationem ipsorũ promisit eis dicens. iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum. quod pro parte impletum est hoc tempore: quia gauisi sunt, &c.

Vbi ostẽditur quod resurrexit patenter. quod notatur in visu. vnde dixerunt Apostoli. Ioh. 20. Videbimus Dominum Potenter. quod notatur in Domino. vnde dixit Io. Petro: Dominus est. Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas. Vtiliter quod notatur in gaudio. Psalm. lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

De Eadem, Sermo 12.

SI confitearis in ore tuo Dominũ Iesum Christum & in corde tuo credideris quod Deus suscitauit illum à mortuis saluus eris. Rom. 10. Sicut bonus magister vult omnes discipulos suos literatos esse. nec tamen omnes litterati sunt. & hoc ideo: quia nolunt ad hoc laborare. sic saluator noster vult omnes saluos fieri nec tamen saluantur: & hoc ideo: quia vel non credunt vel non obediunt saluatori. Ideo discrete dixit Apostolus, si confitearis. &c.

Vbi notantur quatuor circa fidem resurrectionis. Primo constantia in confessione vocali: ibi, si confitearis. in. o. Psal. confitebor Domino ni. in. o. m. Secundo noticia cum assensu mentali: ibi, & in corde. &c. Ps. Credidi propter quod locutus sum. Materia in veritate salubri: ibi, quod Deus suscitauit illum amor. 1. Thess. 4. Si enim credimus: quod Iesus mortuus est: & resurrexit. &c. Efficacia in salute finali: ibi, saluus erit. Ephes. 2. Gratia enim saluati estis & hoc per fidem. Primum enim respicit formam. Secundum efficientem. Tertium materiam. Quartum finem.

Feria. 2. post Pascha de Epistola, Sermo primus.

IPse est qui constitutus est à Deo iudex viuorũ & mortuorum. Actor. 10. In præsenti Epistola percutit breuiter beatus Petrus omnes articulos ad humanitatem Christi pertinentes. & primo verbi incarnationem: ibi, vnxit eum Deus oleo. scil. s. Secundo nati conuersationem; ibi, qui pertransiit benefaciendo. Tertio crucifixionem: ibi, quem occide. sus. Quarto resurrectionem: ibi, hunc Deus suscitauit. Quinto apparitionem & ascensionem: ibi, & dedit eum manifestum fieri. Sexto à sede maiestatis spiritus sancti missionem: ibi, & præcepit vobis p. Septimo aduentum ad iudicium hic, ipse est qui con. Octauo in ecclesia remissionem peccatorum; ibi, huic omnes Prophetæ testimonium. In verbo ergo proposito in quo tangitur auctoritas iudicis proponitur nobis Iesus Christus. Primo tanquam diligendus propter essentialem bonitatẽ ibi, ipse est loquitur. de Iesu qui est bonus essentialiter. Psal. ipse est Dominus Deus noster. nos autem populus eius. Cant. 5. talis est dilectus meus & ipse a. m. Secundo tanquam reuerendus propter euidentem auctoritatem: ibi, qui constitutus est à Deo. Psal. ego autem constitutus sum rex ab eo. Tertio tanquam metuendus propter potentem æquitatem: ibi, iudex viuorum & mor. Ioh. 5. Pater omne iudicium dedit filio.

Sermo 2. De Euangelio.

NOnne cor nostrum ardens erat in nobis dũ loqueretur in via & aperiret nobis scrip. Luc. 24. Si Christus comparatur soli. Mal. vlt. Merito comparatur sermo eius radio solari. nam sicut radius solaris est caloris delatiuus: operis directiuus aeris illuminatiuus. Sic sermo diuinus inflammat affectum ad diligendum. ideo dicitur, nonne cor. no. ar. erat. Hic est verus Helias de quo Eccles. 48. Surrexit Helias. quasi ignis & verbum, &c. Psal. Ignitum eloquium tuum vehementer. Dirigit affectum ad perficiendum: ibi, dum loqueretur in via. Ier. 42. Annunciet nobis Deus viam per quam pergamus. Psal. notam fac mihi viam in qua am. Illuminat intellectum ad credendum: ibi, & aperiet nobis scrip. Luc. 24. Aperuit illis sensum vt intelligerent. s.

Feria tertia de Epistola, Sermo primus.

DEus vero suscitauit eum à mortuis tertia die qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalem, Actor. 14. Licet impossibile sit à priuatione deuenire in habitum per naturam vt à morte in vitam: tamen possibile est hoc per virtutem diui-

diuinam vnde & resurrectio Christi attribuitur diuinæ virtuti : secuudum quod dicit hic beatus Panlus.

Vbi tangitur primo Christi resurrectio. secundo resurrectionis probatio: ibi, qui visus est. In prima notantur quatuor. Primo suscitantis potestas: quia Deus. Genes. 17. Ego sum Deus omnipotens. Heb. 11. Arbitrans quia & à mortuis suscitare eum potens est Deus. Secundo suscitati dignitas: ibi, eum. scil. Iesum. Psalm. minuisti eũ paulominus ab an. sc. iu passione gloria & ho. co. eũm. scil. in resurrectione. Tertio suscitationis veritaa: ibi, suscitauit à mortuis. Heb. vlt. Deus autem pacis qui eduxit à mortuis pastorem magnum. Quarto oportunitas: ibi, tertia die Luc. 18. Postquam flagellauerint occident eum & tertia die resurget. Sequitur secundum principale. scil. resurrectionis probatio quæ fit Primo per visionum multitudinem. ibi, qui visus est per dies multos. Actor. 1. Quibus & præbuit seipsum viuum in multis argumentis per dies. 40. ap. Secundo per videntium certitudinẽ: ibi, his qui similiter as. cum eo. &c. Felix ascensus & ratione concordis societatis: quia, simul & ratione gloriosi principis: quia, cum eo & ratione quietis: quia, à Galilæa in Hierusalem. Psalm. stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.

Sermo 2. De Euangelio.

STetit Iesus in medio discipulorum: & dixit eis pax vobis. In præsenti Euangelio probat Dominus resurrectionem suam coram discipulis suis quadruplici sensu corporali. scil. per auditum: cum dicit, pax vobis ego sum. Secundo per visum: ibi, videte manus meas & pedes meos: quia ego sum. Tertio per tactum: ibi, palpate & videte: quia spiritus. &c. Quarto per gustum ibi, habetis hic aliquid quod mandu. &c. Vt ergo discipuli eum audirent viderent, palparent, & cum eo manducarent. stetit in medio discipulorum: secundum quod dicitur hic.

Vbi commendatur Christus. Primo ab auctoritate prædicationis: ibi, stetit. Iohan. 7. Stabat Iesus & clamabat dicens. Secundo à potestate saluationis: ibi, Iesus. Phil. 3. Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Tertio à familiaritate conuersationis: ibi, in medio. Matt. 18. Vbi duo vel tres congregati. Luc. 22. Ego autem in medio vestri sum sicut qui mi. Quarto à dilectione veritatis: ibi, discipulorum. Esa. 8. Signa legem in discipulis meis. Quinto ab vtilitate sermonis: ibi, pax vobis. Ioh. 14. Pacem relinquo vobis. Ecce ergo resurrectio potestatiua: quia stetit Iesus. communicatio dignatiua: quia in medio. associatio discretiua: quia discipulorum suorum. allocutio consolatiua: quia dixit eis, pax vobis. In quo excutit timorem cum dicit. pax. Exprimit amorem: cum addit vobis.

In octauis Pascha de Euangelio, Sermo primus.

HÆc est victoria quæ vincit mundum. fides nostra. 1. Iohan. 5. Sicut dicit Augustin. in sermone de sancto vincentio. duplicem mundus aciem producit contra milites Christi. aut enim blanditur vt decipiat: aut terret vt frangat. non te teneat voluntas propria non te terreat crudelitas aliena & victus est mundus. Fides autem per dilectionem operans ostendens tormẽtum inferni facit tollere propriam voluntatem. tolle inquit Ber. propriam voluntatem: & infernus non erit. Intuens præmium paradisi facit sustinere alienam crudelitatem & sic vincit mundum; secundum quod hic dicitur.

Vbi tanguntur tria. Primo bonum quod optamus. scil. triumphus: ibi, hæc est victoria. Omnia pugnantia naturaliter appetunt victoriam: quanto plus homo in causa animæ. Iudic. 13. Reduxit me ad vos gaudentem cum victoria. Secundo malum quod debellamus. scil. mundus: ibi, quæ vincit mundum. sola nobilitas: & strenuitas parentum animat militem ad superãdum aduersarium. Iohan. 16. In mundo pressuram habebitis: in me autem pacem. sed confidite: ego vici mundum turpe est vinci à pugile victo. Tertio medium per quod superamus. scilic. fidei virtus: ibi, fides vestra. fides enim est scutum in pugna animæ. Ephes. 6. In omnibus sumentes scutum fidei. Nota de scuto praui militis pendentis ad parietem quod de nullo seruit.

Sermo 2. De Euangelio.

HIc est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. 1. Iohan. 2. Duplex distinguitur mali genus. scil. malum quod agimus quod est culpa: malum quod patimur quod est pœna. Ad hoc duplex malum tollendum venit Dominus Iesus Christus. Malum culpæ tollit sacramentali virtute: malum pœnę sua humili passione: secundum quod dicitur hic.

Vbi implicantur quinq; commendãtia Christum. Primo excellentia singularis: ibi, hic est. quasi hic & non alius. Matt. 3. Hic est filius meus dilectus meus. Secundo commitatio familiaris: ibi, qui venit sicut lux sicut dux. Psalm. Benedictus qui venit in nomine Domini. Tertio mundificatio suauis à culpa: ibi, per aquam. scilicet baptismi vel pœnitentiæ. contulit enim vim regeneratiuam aquis. Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam. Quarto redemptio mirabilis à pœna. scilicet limbi ad quam obligati eramus: ibi, & sanguinem. Apoc. 1. Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Quinto saluatio desiderabilis ab omni miseria: ibi, Iesus Christus, Phil. 3. Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Excellenti debetur reuerentia: communicanti amicitia: mundanti fidei deuotio redimenti gratiarum actio: saluanti obedientia.

Sermo 3. De Euangelio.

GAuisi sunt discipuli viso Domino. Iohan. 20. Tempore passionis Christi & circa defecerunt Apostoli. In fide quia hi qui viderunt eum resurrexisse non crediderunt. in dilectione: quia relicto eo fugerunt. in spe. vnde dicebant: nos autem sperabamus quod ipse redempturus esset Israel. vt ergo pius Dominus amoueret obscuritatem infidelitatis: stetit in medio discipulorum sicut lampas in medio Ecclesiæ vt illuminet Ecclesiam. vt amoueret timorem de amissione dilectionis,

ctionis, dixit eis, pax vobis ego sum. vt amoueret languorem desperationis: ostendit eis manus & latus. Vbi apparebant signa nostræ redemptionis & argumenta suæ resurrectionis: & ideo his auditis & visis: orta est lætitia in discipulis: secundum quod hic dicitur, gauisi sunt discipuli viso Domino.

Vbi tanguntur tria necessaria ad lætificationem. scilicet lætificans, lætificabile, & lætitia. Notatur ergo primo lætitiæ perfectio: ibi, gauisi sunt. sicut desiderans gaudet inuentione desiderati, Luc. 15. epulari & gaudere oportebat: quia &c. Secundo lætificandorum conditio: ibi, discipuli. isti enim cognoscebant: & ideo gaudebant sicut oculi in aspectu solis. Matth. 9. Quare discipuli tui non ieiunant. Et respondit: quia filii sponsi non possunt lugere quamdiu sponsus est cum ipsis. Tertio lætificantis descriptio: ibi, viso Domino. Iohan. 16. Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum. Non est res dilecta sine gaudio dum tamen res dilecta sit in honore.

Sermo 4.

HÆc autem scripta sunt vt credatis: quia Iesus est Christus filius Dei & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius. Iohan. 20. Ad actum fidei quædam sunt antecedentia. quædam concomitantia. quædam subsequentia. Antecedit enim doctrina scripturarum. concomitatur veritas articulorum: subsequitur fælicitas præmiorum.

Secundum hoc notantur hic tria. Primo scriptura antecedens ad fidei cognitionem: ibi, hæc autem scripta sunt. sic cartæ & testamenta scribuntur ad noticiam & fidem. Sed ne dicatur scriptura est falsa vel dubia: Ideo tangitur primo scripturæ materia vera ibi, hæc. scil. facta: vera & verba vtilia. Tit. 2. g. hæc loquere & exhortare. Secundo ipsa scriptura: ibi, scripta sunt, Ioh. 5. Scrutamini scripturas & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Secundo notatur fidem concomitans: ibi, vt credatis: quia Iesus, &c. Vbi notatur trinitas personarum: quia Iesus est Christus. id est vnctus a spiritu sancto filius Dei. scil. patris. 1. Iohan. 5. Quis est qui vincit mundum nisi qui credit: quia Iesus est filius Dei. Tertio fælicitas fidem subsequens ibi, & vt credentes. &c. Vbi implicantur tria. Primo beatificabile ibi, credentes. Matth. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: & loquitur de fide formata. Secundo beatitudo: ibi, vitam ha. 1. Ioh. 5. Hæc scribo vobis vt sciatis quoniam vitã habetis æternam qui creditis in nomine filii Dei. Tertio beatificans: ibi, in nomine ipsius. id est in confessione nominis eius quæ fit per verba & opera. Psal. Deus in nomine tuo saluum me fac.

Dominica secunda post pascha de Epistola Sermo primus.

CHristus passus est pro nobis vobis relinquẽs exemplum vt sequamini vestigia eius. 1. Pet. 2. Naturam humani generis manifestat triplex incommodum. scil. immunditia in affectu. ignorantia in aspectu: deuiatio in effectu. Econtra passio Christi habet triplicem effectum. scil. purgandi inquantum est precium redemptionis. illuminandi inquantum est exemplum directionis. perficiendi inquantum est vestigium deductionis. & hoc est quod dicitur hic Christus passus est pro nobis purgandis ab omni iniquitate contra immunditiam: vobis relinquens exemplum, illuminandis in omni veritate contra ignorantiam, vt sequamini ve. eius. perficiendi in omni sanctitate contra deuiationem.

Secundum hoc describitur mysterium Dominicæ passionis. Primo sub ratione pretii redemptionis. cum dicitur. Christus passus est pro nobis. scil. redimendis. Attende patientis conditionem: quia Christus. scil. Dei filius: passionis perfectionem: quia passus. scil. mortem turpissimam: patiendi rationem: quia pro nobis, non pro se, non pro angelis. Eph. 5. Ambulate in dilectione: sicut & Christus dilexit nos & tra. Secundo sub ratione exempli Christi diligentis: ibi, vobis relinquens exemplum. id est pro vestra directione. Iohan. 13. Exemplum dedi vobis vt quemadmodum. Tertio sub ratione vestigii deducentis: ibi, vt sequamini vestigia eius. scil. in perfecta imitatione secundum possibilitatem vestram: sicut cæcus sequitur videntem. Iob. 23. Vestigia eius secutus est pes meus viam eius custodiui.

Sermo 2. De Eodem.

ERatis sicut oues errantes sed conuersi estis ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum. 1. Pet. 2. Quadruplex potest considerari status hominis. Primus naturæ: in quo fuit simplex & rectus sicut ouis. Secundus culpæ: in quo fuit deuius: sicut ouis errans. Tertius gratiæ: in quo est ad Deum conuersus. Quartus gloriæ: in quo erit pastus & securus.

Secundum hoc tanguntur hic quatuor. Primo in natura existentium ibi, eratis sicut oues. Psalm. nos autem populus eius & oues pascuæ eius. Secundo status casus in culpa deuiantium: ibi, errantes. Psalm. errraui sicut ouis quæ periit. Tertio cursus in gratia proficientium: ibi, sed conuersi estis. Noe 9. Conuersi sunt & clamaneruot ad te tu autem de cælo ex. Quarto status in gloria quiescentium: ibi, ad pastorem & episcopum. a. v. Tunc enim pascentur sine defectu: & eurabuntur sine metu. Ezech. 38. In pascuis pinguibus pascentur. Iohan. 10. Ego sum pastor bonus.

Sermo 3. De Euangelio.

BOnus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Iohan. 10. Sicut in capite corporali inuenimus quatuor ipsum commendantia. scil. faciei decorem. linguæ facundiam: complexionis fortitudinem. oculorum simplicitatem. sic in capite spirituali scil. prælato vel principe qui est caput subditorum exiguntur hic quatuor. scil. sanctitudo vitæ, sollicitudo curæ, fortitudo protectionis, rectitudo intentionis.

Et hæc quatuor tanguntur hic quæ pertinent ad prælatum. Primo quod viuat irreprehensibiliter ne desit ei pulchritudo sanctæ conuersationis ibi bonus, Matt. 20. Euge serue bone & fidelis quia super pauca, &c. Secundo quod prosit vtiliter ne desit sollicitudo debitæ administrationis ibi, pastor. Io. 10. Petre amas me pasce agnos. Ter-

Tertio quod defendat viriliter ne desit ei promptitudo strenuæ protectionis: ibi, animam suam dat. Iohan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet. &c. Quarto quod ordinet simpliciter ne desit ei rectitudo piæ intentionis: ibi, pro omnibus suis. 1. Ioh. 3. In hoc cognoscimus charitatem Dei: quia animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus. Gen. 31. Oues tuæ & capræ steriles non fuerunt.

Sermo 4. De Euangelio.

EGo sum pastor bonus & cognosco oues meas & cognoscunt me meæ. Luc. 10. Non est pastoris excusatio si lupus oues comedit & pastor nescit. Quod autem nescit hoc est, vel quia de ouibus non curat: vel quia oues ignorat: vel quia cum eis non habitat: Et hæc sunt tria reprehensibilia in prælato. scil. negligentia, ignorantia, & absentia.

A quorum contrariis commendatur hic bonus pastor. scilicet Christus. Primum est diligentia in procurando, ego sum pastor bonus. Secundum est prudentia in cognoscendo: ibi, & cognosco oues meas. Tertium est præsentia in cohabitando: ibi, & cognoscunt me meæ. In prima tangitur primo ministrandi stabilitas: ibi, ego sum. Secundo ministerii vtilitas: ibi; bonus. Tertio ministri idoneitas: ibi, pastor. vel secundum quod exponitur de Christo dicendũ quod proponitur nobis commendabilis ex quatuor. Primo ab excellentiæ dignitate: ibi, ego, discretiue. Eccles. 24. Ego in altissimis habito Secundo ab essentiæ nobilitate: ibi, sum. Exod. 3. Ego sum qui sum. Tertio à præsidentiæ auctoritate. ibi, pastor. 1. Pet. 2. Conuersi estis ad pastorem & episcopum animarum nostrarum. Quarto ab innocentiæ puritate: ibi, bonus. Luc. 18. Nemo bonus nisi solus Deus. Propter primum est reuerendus. propter secundum laudandus. propter tertium amandus. propter quartum imitandus.

Sequitur prudentia in cognoscendo: ibi, & cognosco oues meas. Prou. 28. diligenter agnosce vultum peccoris tuę. Medicus qui ignorat cõditiones infirmi non bene curat eum.

Sequitur tertium. sc. præsentia in cohabitando: ibi, & cognoscunt me meæ. ex conuictu enim oritur amor & noticia. 1. Iohan. 4. Omnis qui diligit fratrem suum ex Deo natus est & cognoscit Deum. hoc est contra prælatos qui absentant se à communi vita & societate subditorum & ideo non cognoscuntur ab ouibus.

Dominica 3. post Pascha, Sermo primus.

OBsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis quæ m. s. a. conuersationem. v. est g. h. b. 1. Petr. 2. Secundum partem duplicem hominis. scil. interiorem quæ est anima: & exteriorem quæ est corpus. indiget homo duplici bono: interiori quod est puritas: exteriori quod est honestas.

Secundum hoc hortatur hic Apostolus ad duo. Primo ad puritatem interiorem. Secundo ad honestatem exteriorem ibi, conuersationem. v. Primum habetur abstinendo à carnalibus desideriis. Ad quod inducit quadrupliciter, secundum quod quatuor sunt quæ inducunt ad abstinentiá scil. instans monitio. Sic rechabitæ abstinebant à vino: status conditio: sic agonizans à quolibet nociuo. Indecens operatio: sic mulier ab adulterio. Imminens periclitatio: sic infirmus à vino & nociuo cibo.

Secundum hoc tanguntur hic quatuor inducentia ad abstinentiam à malo. Primo instantia monitionis: ibi, obsecro vos sic instar desiderans vt obtineat. Prouer. 18. Cum obsecrationibus loquitur pauper. Secundo exigentia conditionis: ibi, tanquam aduenas & pere. peregrinus enim abstinet à superfluo victu & vestitu. Ps. aduena ego sum & peregrinus sicut omnes patres mei. Tertia indecentia operationis ibi, à carnalibus desideriis. sicut nobilis auis à cadaueribus immundis, Eccl. 18. Nihil iniquius quam quod excogitauit caro & sanguis. Galat. 5. Spiritu ambulate & desideria carnis non per. Quarto euidentia periclitationis: ibi, quæ militant ad. a. sic abstinet sapiens à societate inimici. mercator à societate latronũ. Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Sequitur secundum principale. scil. exhortatio ad honestatem exteriorem. Vbi monet primo ad conuersationis meritum cum dicit, bonam. Secundo exemplum: ibi, inter gentes. 1. Tim. 4. Exemplum esto fidelium in verbo. in conuersatione. in charitate.

Sermo 2. De eodem.

FRaternitatem diligite: Deum timete: regem honorate. 1. Pet. 2. Homo habet ordinem ad proximum tanquam parem ad prælatum tanquam superiorem: ad Deum tanquam supremũ. In proximo videt bonitatem saltem naturæ. In prælato bonitatem & potestatem. In Deo bonitatem potestatem & sapientiam. Bonitati debetur amor. potestati honor. sapientiæ timor.

Ideo proponuntur hic tria. amor proximi honor prælati. timor Dei. Primo ergo amor respectu proximi est ostendendus. ideo dicit, fraternitatem diligire. i. fratres siue natura siue fide. omne enim animal diligit sibi simile. 1. Iohan. 3. Scimus: quia translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres. Secundo timor respectu Dei est habendus: ibi, Deum timete. timore filiali: eo enim quod potest & videt omnia timendus est. Eccles. vlt. Deum time & mandata eius obserua, hoc est omnis homo. Tertio honor respectu prælati est exhibendus: ibi, regem honorate: Imago enim Dei & minister in honore habendi sunt. Eccl. 10. In medio fratrum rector illorum in honore.

Sermo 3. De Euangelio.

AMen amen dico vobis plorabitis & flebitis vos mundus autem gaudebit. Iohan. 16. Meritum & præmium hominum sicut satio & messio conueniunt in tribus: & differunt in tribus. Cõueniunt in tribus videlicet. In radice: quia gratia est radix vtriusque. Iohan. 1. Gratiam per gratiam. Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. In proportionalitate: quia qui parce seminat: parce & metet. 2. Corinth. 9. & Zach. 4. Exæquabit gratiam gratiæ. In qualitate: quia si bonum meritum: & bonum præmium. Gal. vlt. Quæcunque

semina-

seminanerit homo hæc & metet. Differunt autem in tribus. In tempore: quia modo est tempus merendi: postea præmiandi. Eccles. 3. Tempus flendi & tempus ridendi, Galat. vlt. Tempore suo meremus. In loco: quia in terra meremur: sed in cælo vel in inferno præmiabimur. Heb. 13. Non habemus hic manentem ciuitatem sed. In modo: quia lugendo meremur: gaudendo præmiabimur. Psalm. qui seminant in lachrymis in exultatione metent, &c. Ideo dicit hic Dominus discipulis suis. Amen amen dico vobis, &c.

Vbi ostendit quod iusti bene flendo merentur gaudium: e conuerso mali male gaudendo merentur tormentum. Vbi primo asseritur veritas dicendorum: ibi, Amen amen dico vobis. Secundo describitur vita iustorum. ibi, plorabitis & flebitis vos. Plorabitis pro malis quæ accidunt: flebitis pro bonis quæ desunt. Esa. 22. Vocauit Dominus ad fletum & plan.

Tertio subiungitur vita malorum ibi, mundus autem gaudebit. Iob. 21. Tenent tympanum & cytharam & gaudent, &c. Ergo in Domino veritas. In iusto sanctitas. In mundo vanitas est. vnde debemus Deo fidem. iusto imitationem mundo fugam.

Sermo 4. De Euangelio.

VIdebo vos & gaudebit cor vestrum & gaudium vestrum. Ioh. 16. Præsentia amicorum eligibile est exhilarans secundũ Philosophum. Ideo ad discipulorum exhilarationem promittit fidelis amicus Christus suam præsentiam visibilem in verbo proposito.

In quo proponuntur nobis tria. Primo eminentia diuinæ pietatis in sua visitatione: cum dicit, videbo vos sicut pater filios amicus amicos. 1. Iohan. 3. Videte qualem chatitatem dedit vobis Deus, &c. Secundo superfluentia suæ bonitatis in nostra lætificatione: ibi, & gaudebit cor vestrum. Esa. 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt. & fugiet dolor & gemitus. Tertio potentia suæ maiestatis in æterna stabilitione: ibi, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Gaudiũ mundi multis modis tollitur. non gaudium cæli. Esa. 60. Ponam te in superbiam seculorum: gaudium in generatione & generationem. Esa. 12. Haurietis aquas in gaudio.

Dominica 4. post Pascha, Sermo primus de Epistola.

SIt omnis homo velox ad audiendum & tardus ad loquendum &. t. ad iram. Iacob. 1. Sapientia salutaris ab omni homine habenda est sicut lux ab oculo: sicut dux à peregrino. Et ideo vt habeatur est acquirenda. Indicanda. conseruanda. Acquiritur autem audiendo attente. Indicatur tacendo oportune: conseruatur. viuendo pacifice. sicut limpiditas in aqua quieta non turbata.

Secundum hoc monet hic beatus Iacobus ad tria. Primo auris apertionẽ quod est sapientiæ acquisitiuum. sicut apertio vasis ad recipiendum liquorem. Eccl. 6. Si dilexeris audire sapiens eris. Ideo dicit. Sit omnis homo sine exceptione. Velox. i. promptus sine dilatione ad audiendum. In hoc quia non dicit quod intelligit vtilia sine curiositate. Ideo fecit natura duas aures diuisas & apertas. Secundo ad linguæ moderationem quod est sapientiæ indicatiuum vnde vulgariter dicitur. tantũ apparet stultus sapiens: quantum tacet. Prou. 17. Stultus si tacuerit sapiens reputabitur. ideo addit, & tardus ad lo. non dicit mutus: sed tardus vt loquatur: tamen cũm moderamine & præmeditatione. Eccl. 32. Adolescens loquere in causa. t. vix etiam cum necesse fuerit. tertio ad refrænationẽ iræ quod est sapientiæ conseruatiuum: quia impedit ira animum ne possit cernere verum. Ideo subdit & tardus ad iram. Iob. 5. Virum stultum interficit iracundia. Eph. 4. Sol enim occidat super iracundiam ve.

Sermo 2. De Eodem.

ABiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ in mansuetudine suscipite insitũ verbũ quod potest saluare animas vestras.

Ad hoc quod suscipiatur delectabiliter spes rei visibilis in oculo: exiguntur tria. se. sanitas oculi: quia oculis ægris odiosa est lux. Claritas medii: quia videmus mediante actu lucidi. Amabilitas obiecti: quia vbi amor ibi oculus.

Sic ad debitam susceptionẽ verbi Dei exiguntur tria. Primo puritas cordis quæ est quasi terræ bonitas ad suscipiendum semen. Vnde dicit, abiicientes omnem immunditiam quo ad peccata cordis & abundantiam malitiæ quo ad peccata operis: quia in maliuolam animam non intrabit sapientia nec habitabit. &c. Secundo studiositas meriti: ibi, suscipite. &c. ad quod exigitur in discipulo vt quiete audiat: ibi, in mansuetudine. Eccl. 5. Esto mansuetus ad audi. Vt sollicite intendat: ibi, suscipite. Act. 17. Susceperunt verbũ cum omni auiditate. Vt bene retineat: ibi, insitum. sc. cordibus nostris. Ioh. 14. Si manseritis in me & verba. m. in vobis man. Vt sic voluntas sic prompta quo ad primum. ratio intenta quo ad secundum. memoria firma quo ad tertium. Tertio subditur amabilitas sermonis: ibi, quod potest saluare animas vestras. Salus autem animæ maxime amabilis est. Act. 13. Vobis verbum salutis huius missum est. Ecce ergo saluans quod potest. salus ibi saluare. saluabile: ibi animas vestras.

Sermo 3. De Euangelio.

VEritatẽ dico vobis expedit vobis vt ego vadam. Ioh. 16. Indigent ignari instructione. desolati consolatione. exclusi reductione. Instructio fit à sapiente. consolatio ab amante. reductio à potente.

Secundum hoc relucet nobis in verbo proposito. Primo Christi sapientia in discipulorum eruditione: ibi, veritatem dico vobis. quippe si veritatem dicit. qui veritas est. Matth. 12. Magister scimus: quia verax es & viam Dei. Secundo Christi beniuolentia in desolatorum consolatione: ibi, expedit vobis. promissio enim vtilis lætificat. Ioh 14. Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis. Tertio Christi potentia in cælorum ascensione: ibi, vt ego vadam. Iob. 16. Exiui à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum.

Sermo 4. De eodem.

DVm venerit ille arguet mundum de peccato & de iustitia & de iudicio. Ioh. 16. Ad hoc

quod alius alium sapienter reprehendat vel corrigat: exiguntur tria. Primo in reprehendente iustitia. In reprehenso culpa. In reprehensione modestia vnde Psalm. corripiet me. scil. peccantem. Iustus in misericordia: & increpabit me. Increpatio enim cum misericordia sonat. Galat. vlt. Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis homini: instruite in spiritu lenitatis.

Et haec tria implicantur in verbo proposito. Primo reprehendentis iustitia in aduentu spiritus sancti: ibi, cum venerit ille. 1. Cor. 3. Nescitis quia templum Dei estis vos & spiritus Dei. ha. in. Vnde post aduentum spiritus sancti caeperunt audacter loqui Apostoli. Actor. 2. Secundo reprehensionis modestia in vocabulo arguendi: ibi, arguet mundum. non dicit, exterminabit vel confundet: sed arguet: qui est actus rationis: hoc autem fecit per Apostolos quando dedit eis robur & sapientiam ad arguendum peccatores. Esa. 2. Iudicabit gentes & arguet populos multos. Tertio reprehensi culpa in die triplici: ibi, de peccato: quo ad seipsum. de iustitia: quo ad proximum. de iudicio quo ad Deum. De peccato quod commiserunt. Eccl. 47. Spiritus porgauit peccata illius. De iustitia quam omiserunt. Esa. 26. Iustitiam non fecimus in terra. De iudicio quod contempserunt. Dan. 13. Declinauerunt oculos. scil. ne viderent caelum nec recordarentur iudiciorum iustorum: contra quos. Psal. a iudiciis enim tuis timui.

Dominica 4. post Pascha, Sermo primus de Epistola.

SI quis perspexerit in lege perfectae libertatis & permanserit in ea non auditor obliuiosus factus: sed factor operis hic beatus in facto suo erit. Iac. 1. Legem diuinam debet quilibet audire: diligenter ad intelligendum. Retinere memoriter ad meditandum. Adimplere totaliter ad merendum. Vt. scil. ratio sit intenta in intelligendo: memoria manens in retinendo: voluntas prorupta in operando: & tunc erit praemium sequens in perfruendo. secundum quod dicit hic beatus Iacobus.

Vbi primo describitur obedientia debita diuinae legi. Secundo promittitur beatitudo obedienti: ibi, hic beatus in facto. In prima notantur tria. Primo auditus ad intelligendum. Secundo cogitatus ad memorandum: ibi, & permanserit in ea. Tertio conatus ad operandum: ibi, sed factor operis. In prima ostenditur. Primo audiendi diligentia: ibi, si quis perspexerit. id est perfecte inspexerit. sicut mulier in speculo vt abstergat maculam ne confundatur. Psalm. tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Secundo auditus materia: ibi, in lege perfectae libertatis. Non in Poeticis: non in Philosophicis: sed in Euangelicis: quae dicuntur lex quantum ad praecepta. sed perfecta quantum ad consilia. Matth. 19. Si vis perfectus esse. Sed libertas quantum ad effectum: quia reddit libertati gratiae. vt patet in sacramentis. Gal. 4. Qua libertate Christus nos liberauit. Sequitur memoria in retinendo: ibi, & permanserit in ea nő. Prouer. 3. Ne obliuiscaris legis meae. Sequitur voluntas in operando: ibi, sed factor operis. Psal. Inclinaui cor meum. Sequitur praemium gloriae. Vbi tangitur primo praemii subiectum: ibi, hic. Secundo meritum: ibi, in facto suo. Tertio ipsum praemium: ibi, beatus erit. Luc. 10. Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.

Sermo 2. De eodem.

REligio munda & immaculata apud Deum & patrem haec est visitare pupillos & viduas in tribulatione earum: & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Beatus Iacobus hic distinguit duplicem religionem vanam, & veram. Vana consistit in falsa praesumptione: de qua dicit. Si quis putat se religiosum esse. In immoderata locutione: ibi, non refraenans linguam suam. In fatua cogitatione: ibi, sed seducens cor suum huius vana est religio.

Vera autem religio de qua loquitur hic consistit in tribus. Primo in simplicitate intentionis quo ad Deum: ibi, religio. qua scilicet ligamur: est, munda in se, immaculata ab aliis, apud Deum & patrẽ. Non dicit apud homines qui magis indicant habitus apparentiam: quam rei existentiam. hoc est quod dicitur. 1. Reg. 16. Homo videt quae patent: Deus autem in. Secundo in pietate subuentionis quo ad proximum. ibi, visitare pu. & vi. non diuites & potentes. sicut canis visitat os carnosum: in tribulatione earum: non in prosperitate tantum. Matt. 25. Infirmus fui & visitastis me. Tertio in puritate incorruptionis quo ad seipsum, & immacu. se cu. ab hoc seculo maculato contagioso. In canonica Iudae. odientes eam quae in mundo est maculatam tunicam.

Sermo 3. De Euangelio.

PEtite & accipietis vt gaudium vestrum sit plenum. Ioh. 16. Liberalitas multum diminuitur si illud quod permittitur non datur. Vel si datur cum difficultate datur. Vel si datur de facili: vile est quod datur. Vel si pretiosum est quod datur: parum datur. E contra liberalitas commendatur si de facili datur: & bonum & abundanter datur.

Vnde ab his quatuor commendatur Iesu Christi liberalitas quae mouere voum quemq; ad petendum. Primum est facilitas impetrandi: ibi, petite. non dicit emite. Vulgariter dicitur. Multum dare desiderat: qui sibi postulari supplicat. Ec quid facilius quam petere. 1. Iob. 5. Si petierimus secundum voluntatem eius: audiet nos. Secundum est certitudo habendi: ibi, & accipietis. non dicit cogitabo, deliberabo: sed accipietis. Matth. 11. quaecunq; orantes petitis credite quia accipietis & fient vobis. Tertio preciositas doni: ibi, vt gaudium vestrum. Eccl. 30. Non est oblectamentum super cordis gaudium. Quarto quantitas pretii: ibi, plenum fit. id est purum & perpetuum. Non enim esset domus plena calore si in aliqua parte esset frigus. Eccl. a 4. In plenitudine sanctorum detentio mea. Ecce ergo pulcra promissio vbi promittitur satis: quia, plenum. & de bono: quia, gaudium. & pro nihilo: quia petite. & certitudinaliter siue oportune: quia, accipietis. Dicitur vulgariter. Modium vini ad nummum: vae illi qui non habet.

Sermo 4. De Eodem.

EXiui à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Sicut auis nobilis ab alto descendit vt capta præda ascendat ad alta. Sic Dei filius de cælo descendit in incarnatione vt capta præda generis humani redempti in passione: ascendat in cælum captiuam ducens captiuitatem in ascensione. ideo Psal. Inclinauit cælos & descendit & caligo. id est diabolus sub pedibus eius: & ascendit, &c.

Et hoc est quod ipse Dei filius testatur hic tangens quatuor. Primo æternam generationem: in quo patet diuinitatis sublimitas: ibi, exiui à patre. sicut lux à sole: riuus à fonte Eccl. 24. Ego quasi aquæ ductus exiui de paradiso. id est de sinu patris. Secundo temporalem incarnationem: in quo sublimitatis humilitas: ibi, & veni in mundum. sicut radius solis in terram. Ioh. 3. Lux venit in mundum & dilexerunt homines. Tertio salutarem passionem: in quo humilitatis profunditas: ibi, iterum relinquo mundum. Prou. 27. Sicut auis transmigrans de nido suo: sic vir qui relinquit locum suum. Quarto admirabilem ascensionem: in quo profundæ humilitatis vtilitas: ibi, & vado ad patrem. s. caput cum membris. Ioh. 14. Si diligeretis me gauderetis vtique quia vado ad patrem.

Feria 2. in roga. Sermo primus. de Epistola.

COnfitemini alterutrum peccata vestra. Iac. 5. Sicut dicitur Ier. 5. peccata vestra prohibuerunt bonum à nobis: bonum inquam & spirituale quod est diuina gratia: & temporale quod est terrenorum abundantia. Et ideo vt cessante causa cesset effectus hortatur hic Apostolus ad pœnitentiam vt recuperemus diuinam gratiam & etiam temporalem sufficientiam.

Vbi proponit Apostolus Iacobus quatuor quæ exiguntur ad hoc vt Deo placeat confessio. Primum est quod sit integra non diuisa: quod notatur in præpositione con, quod est simul. Prouer. 28. qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit, &c. Esa. 38. Recogitabo tibi omnes an. Secundum est quod sit aperta non inuoluta: ibi, confitemini. Psal. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam. Eccles. 4. Non confundaris confiteri peccata. Tertium est quod sit transitiua non reciproca: ibi, alterutrum. quasi d. alteri non tibiipsi tantũ. Luc. 17. Ite ostendite vos sacerdotibus & factum est dum irent mundati sunt. Quartum est quod sit accusatiua non defensiua. vnde dicit, peccata non virtutes. Psalm. Non declines cor meum in verba ma. &c. Quintum est quod sit propria nõ aliena: ibi, vestra. Esa. 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. si fuerint peccata.

Sermo 2. De eodem.

ORate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. Sicut ait Apostolus. 1. Cor. 12. In idipsum pro inuicem sollicita sunt membra: nos autem sumus inuicem membra. Et ideo debemus solliciti esse vnus de alio iuuando: & ad bonum obtinendum: & ad malum euitandum. Hoc autem fit mutua interuentione ad Deum & pro bonis obtinendis quæ proprie dicitur oratio: & pro malis amouẽdis quæ proprie dicitur deprecatio. Secundum hoc beatus Iacobus duo facit. Primo inuitat ad orationem: quæ est pro bonis acquirendis. Secundo commendat deprecationis frequentiam: quæ est pro malis amouendis: ibi, multum enim valet. depre. In prima tangitur triplex bona conditio orationis. Primo quod sit votiua quo ad Deum: ibi, orate. Oratio enim est pius affectus mentis in Deum. Psal. Dirigatur oratio mea sicut incensum. Secundo quod sit communicatiua quo ad proximum: sicut ignis: ibi, pro inuicem: oratio enim quanto communior: tanto melior: 1. Thess. 5. Videte ne quis alicui malum pro malo reddat: sed quod bonum est sectamini inuicem & in omnes. Tertio quod sit lucratiua quo ad hominem ipsum: ibi, vt saluemini. orare pro malo alterius vel pro re vana non est bonum. Ps. Clamaui & Dominus saluauit me. Iac. 5. oratio fidei saluabit infirmum.

Sequitur secundum principale in quo commendat deprecationis frequentiam. vbi tangitur. Primo fructus qui in ea percipitur. Secundo modus qui in ea exigitur. Fructus: ibi, multum enim valet. Ierem. 37. Valeat deprecatio mea in conspectu. Modus triplex exigitur. Primo in precando diligentia: ibi, deprecatio. id est de corde precatio. Psalm. Appropinquet deprecatio mea in conspectu. Secundo in precante sanctimonia: ibi, iusti. Psalm. clamauerunt iusti & Dominus ex. eos. Tertio in prece perseuerantia: ibi, assidua. pulsans enim perseueranter intrat. Ecclesiast. vlt. Laudabo nomen tuum assidue. Ecclesiast. 18. Non impediaris orare semper.

Sermo 3. De Euangelio.

PEtite & dabitur vobis. Luc. 11. Dei filius dicitur & fons & lux. fons sine defectione. Eccles. 5. fons sapientiæ verbum Dei: in excelsis lux sine obscuritate. 1. Iohan. 1. Deus lux est & tenebræ in eo non sunt. Ad habendum fontem sufficit inclinare & haurire ad præcipiendum lucem sufficit aperire oculos & videre. Sic ad habendum gratiam diuinam sufficit disponere se & petere: & sic datur secundum quod dicitur hic.

Vbi primo tribuit consilium prosequendum: ibi, petite. Si diceret date: posset se excusare pauper. si currite: posset se excusare æger. Sed à petitione cordis nullus potest excusari. Iohan. 16. Vsque modo non petistis quicquam petite & accipietis. Secundo promittit beneficium assequendum: ibi, & dabitur vobis. Iohan. 4. Forsitan petisses ab eo & dedisset tibi aquam viuam. Primum est humanæ deuotionis. Secundum diuinæ dignationis.

Sermo 4. De Eodem.

QVi petit accipit: & qui quærit inuenit & pulsanti aperietur. Luc. 11. Quoniam homo propter peccatũ adæ factus fuit indignus: priuatus & exclusus. Indignus prosperitate terrena priuatus gratia diuina: exclusus à gloria æterna.

Ideo per Christi meritum osteuduntur hæc omnia restaurata. Ipse enim Christus meruit nobis primo indigentiæ subleuationem attente petentibus. vnde dicit, qui petit accipit. vnde supra, petite & accipietis. Secundo gratiæ perditæ recuperationem deuote quærentibus: ibi, & qui quærit inuenit. Canis enim dormiens vel iacens in fæno non inuenit leporem; sed currens in campo. Eccl. vlt. Quæsiui sapientiam palam in orationem. & inueni. Tertio ianuæ cæli apertionem perseueranter pulsantibus: ibi, & pulsanti aperietur. Apoc. 4. Vidi ostium apertum.

In Ascensione Domini, de Epistola, Sermo primus.

Videntibus illis eleuatus est. Actor. 1. Si simpliciter ad simpliciter & magis ad magis & maxime ad maxime. qui autem se humiliat exaltabitur: & ideo qui magis se humiliat magis exaltabitur: & qui maxime, maxime. Christus autem maxime & euidentissime se humiliauit: & ideo maxime & euidenter exaltatus est: sicut hic dicitur.

Vbi notantur tria. Primo ascensionis veritas: ibi, videntibus. quicquid enim scitur est verum. Actor. 4. Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Secundo testium idoneitas: ibi, illis. scil. Apostolis sanctis. 1. Iob. 1. Quod vidimus & audiuimus annunciamus vobis. Tertio ascendentis sublimitas: ibi, eleuatus est. id est extra alios leuatus. Psal. Eleuata est magnificentia tua super cælos. Iob. 39. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila.

De Eodem, Sermo 2.

Hic Iesus qui assumptus est à nobis in cælum sic veniet. Duplex legitur aduentus Christi: Primus fuit in carnem: & hic misericordiæ. Secundus erit ad iudicium: & hic iustitiæ. Primus fuit propter nostram redemptionem. Secundus erit propter nostram remunerationem. Cuilibet autem aduentui respondet suus ascensus: ita quod in primo ascensu ascendit in cælum cum sanctis aliquibus. Psal. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. In secundo quia ascendet cũ sanctis omnibus. Primus enim ascensus similis est secundo aduentui: secundũ quod hic dicitur, hic Iesus qui &c.

Vbi tangitur primo primus ascensus qui erigit spem. Secundo secundus aduentus qui incutit timorem: ibi, sic veniet. Psal. Deus manifeste veniet. In prima commendatur Christus ascendens. Primo ab excellenti dignitate: ibi, hic. Eccles. 31. Beatus diues qui inuentus est sine macula, &c. quis est hic & laudabimus eum. Secundo à saluandi vtilitate: ibi, Iesus. quod interpretatur saluator. Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum. Tertio à regnandi sublimitate: ibi, assumptus est in cælum. Matth. 16. Dominus Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cælum. Debetur autem excellenti honor: saluanti amor: regnãti laus: iudicanti timor.

Sermo 3. De Euangelio.

Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Matth. vlt. Diligentia summi doctoris ad homines patet in hoc quod docuit per seipsum. Matth. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Per angelos. Actor. 1. Hic Iesus qui assumptus est in cælum sic veniet. Verba sunt angeli. Per homines: vt hic.

Vbi primo iniungit Apostolis prædicandi officium. Secundo ostendit eis possibilem prædicationis fructum: ibi, qui crediderit &c. In prima ostendit primo qui debeant prædicare: quia, euntes: non otiose sedentes: non in sorde iacentes. Psalm. Euntes ibant, &c. Secundo vbi debeant prædicare: quia in mundum vniuersum. non in cælo: quia illi non indigent. non in inferno; quia illis nihil prodesset. Ioh. 17. Sicut tu me misisti in mundum: ita & ego mitto eos in mundum. Tertio quid debeant prædicare: quia, euangelium, non vaniloquium: non mendacium. 1. Cor. 15. Notum vobis facio euangeliũ. Quarto quibus debeant prædicare: quia, omni creaturæ. id est hominibus. non angelis, non dæmonibus. Sic accipitur creatura. Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt à creatura mundi. id est ab homine intellecta conspiciuntur.

Sequitur secundum principale vbi ostendit possibilem prædicationis fructum. Et primo quo ad fidei meritum; quia fides ex auditu: ibi, qui crediderit & baptizatus fuerit. Secundo quo ad salutis præmium: ibi, saluus erit. In prima primo proponitur actus virtutis: ibi, qui crediderit. Rom. 10. Quoniam credent ei quem non audierunt. Secundo excluditur contemptus religionis: ibi, & baptizatus fuerit. Actor. 1. Ait Petrus: pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in re. & sic sequitur effectus salutis. Ier. 33. In diebus illis saluabitur Iuda. id est confitens: & Israel, &c.

De Eodem, Sermo 4.

Dominus Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cælum: & sedet à dextris Dei. Matth. vlt. Conueniens est vt operarius completo labore & consummata diæta redeat ad domum & ad quietem. Sic nuntius perfecto negotio redire debet ad mittentem. Tho. 12. Tempus est vt reuertar ad eum qui me misit. Sic Dei filius completo negocio redemptionis humanæ rediit ad patrem: secundum quod hic dicitur, Dominus Iesus, &c.

Vbi notantur duo. Primo ordo ascensionis. Secundo gloria ascendentis: ibi, & sedet à dextris Dei. Heb. 1. Sedens ad dexteram. m. In prima primo describitur persona ascendentis. Secundo ostenditur exhibita in ascendendo reuerentia: ibi, assumptus est. id est ab angelis & nubibus vel à patre sumptus: non propter indigentiam, sed propter reuerentiam. Psalm. Misit de summo & accepit & assumpsit me de aquis. m. Tertio gloriosa ad quam ascendit patria: ibi, in cælũ. Ps. A summo cælo egressio eius: & occursus eius. &c. In prima describitur à tribus. Primo ab excellentis potentiæ: quia Dominus. Ioh. 20. Dominus meus & Deus meus. Secundo ab euidentia clementiæ: quia Iesus. id est saluator Matt. 1. Vocabis nomẽ eius Iesum. &c. Tertio à perseuerantia doctrinæ: ibi, postq̃ locutus est eis. Act. 1. Apparẽs eis & loquẽs de regno Dei. ecce potẽtia

metuen-

metuenda: clementia diligenda: doctrina adimplenda.

De eodem, Sermo 5.

Tempus est vt reuertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite Dominum. Tob. 12. Misit Deus filium suum in hunc mundum propter redemptionis humanae negocium procurandum. sicut dicitur Gal. 4. Hoc autem negocium incboauit in incarnatione. continuauit in conuersatione. compleuit in passione. completum ostendit in resurrectione. Et ideo completo negocio manifesto: tẽpus fuit reuertendi ad eum qui misit illum more boni nuntii vel legati: vt ei competat dicere verbum propositum, quia tempus est vt reuertar. quod fecit in hodierna ascensione.

In quo verbo duo facit. Primo supponit negocium nostrum bene procuratum: & ideo, tempus est vt reuertar. Secundo imponit nobis praeconium debitum: ibi, vos autem. sc. qui redempti estis benedicite Dominum.

Circa primum notantur tria. scilicet ascensionis opportunitas: iocunditas: & aequitas. Ascendendi opportunitas notatur in tempore: cum dicit, tempus est. Eccles. 3. Tempus belli & tempus pacis. belli in passione: sed pacis in ascensione Ascendentis iocunditas in reuersione: ibi, vt reuertar. Luc. 19. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquã accipere sibi regnum & reuerti. Eccles. 1. Vsque ad tempus sustinebit patiens, &c. Ascensionis aequitas siue sublimitas: ibi, ad eum qui misit me.

De Eodem, Sermo 6.

Ascende ad me in montem. Deut. 31. Operum quaedam sunt naturalia: quaedam artificialia: quaedam moralia. In naturalibus ita est quod quanto radix plus profundatur in terra: tanto plus arbor ascendit supra. In artificialibus similiter est quod quanto fundamentum plus profundatur in terra: tanto aedificium securius potest eleuari supra. Sic est & in moralibus quanto plus humiliamur in hoc mundo; tanto plus exaltamur in futuro: & ideo quia Christus prae caeteris humiliauit se in hac valle misetiae ideo prae caeteris ascendit in mountem gloriae. Et hoc est quod pater dicit ei, quia tu humiliasti te in valle mundi: ascende ad me in montem paradisi. Ergo verba sunt patris ad filium hodie impleta.

In quibus pater dicit filio inuitando curialiter, ascende superius. Blandiendo amicabiliter, ad me. Eccles. 24. Transite ad me omnes, &c. Praemiando excellenter, in montem id est super omnem creaturam Ps. Im. Mons Dei mons pinguis. Psalm. Domine quis habitabit in taber. &c. In primo commendatur euidentia potentiae. Ascensus enim signum est virtutis & potentiae. Psal. Qui ascendit super occasum Dominus nomen illi. In secundo eminentia gloriae quia ascendit ad patrem. id est ad patris aequalitatem: vel ad potiora bona patris. Ioh. 20. Ascendo ad patrem meum. In tertio excellentia patriae. Sicut enim mons supereminet aliis terrae: sic illa prima omnium aliae creaturae: & ipse ascendit super caelos caelorum ad orientem.

De eodem, Sermo 7.

Initiauit nobis viam nouam, Heb. 10. Deus ab antiquo constituit hominem: & reliquit eum in manum consilii. Reliquit enim eum, quasi in biuio boni & mali, vitae & mortis. Eccl. 15. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi. Vt tenendo viam bonam: iret ad vitam gloriae. tenendo viam malam iret ad mortem gehennae. Ipse vero in biuio deuiauit: nam transgrediendo mandatum Dei viam vitae deseruit. Vnde nec ipse nec posteri eius ingressi sunt viam vitae introducentis in gloriam vsque ad Christum. Sed Christus hodie iam solota emenda pro transgressione initiauit nobis viam nouam ascendens in caelum: secundum quod innuit Apostolus hic.

Vbi tangit quatuor. Primo ascendentis Christi principalitatem. quia initiauit. glo. Primus ascendit. Mich. 2. Ascendit pandens iter ante eos. Secundo fidelium vtilitatem: quia nobis. Heb. 6. Praecursor introiuit pro nobis. glo. introducendis. Ioh. 14. Vado vobis parate locum. Tertio ascendendi possibilitatẽ: ibi, viam. Iohan. 14. Accipiam vos ad meipsum: vt ibi ego sum & vos sitis. & quo vado scitis & viam scitis, &c. Quarto ascensionis iocunditatem: ibi, nouam. quia de nouo ascendit homo per eam & nonnis factus per gloriam. Apoc. 21. Ecce noua facio omnia.

De Eodem, Sermo 8.

Dominus Iesus postquam locutus est eis assumptus est in caelum. Matth. vlt. Tria hominum genera solent honorari & ad gradum prouehi dignitates. scil. potentes: sapientes: & sancti. Hinc est quod honorifice praemiatur. Pugil qui potenter triumphauit. Medicus qui sapienter curauit. Religiosus qui disciplinate vixit. Quia ergo Christus fuit pugil potentissimus: medicus sapientissimus: homo optimus: merito debuit assumi ad summum gradum gloriae & honorem: quod & factum est hodie: secundum quod hic innuitur, Dominus &c. Dominus propter potentiam: Iesus propter bonitatem. Locutus propter sapientiam, assumptus est in caelum ad patris dexteram.

Ecce ergo quatuor notabilia nobilia de Christo hic tanguntur. Primo eminentia potestatis: quia Dominus. In omni loco dominationis eius, glo. vbiq; dominatur. Secundo excellentia pietatis: quia Iesus. Luc. 1. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet. Tertio doctrinae veritatis: ibi, locutus est eis. Psalm. Domine quis habitabit in ta. &c. Quarto euidentia maiestatis: quia, assumptus est in caelum. Psal. Beatus quem elegisti & assumpsisti inhabitabit in atriis tuis.

De Eodem, Sermo 9.

Ascendisti in altum coepisti captiuitatem: & dedisti dona hominibus. Psal. 67. Antiquitus quaestionem proposuit Psal. de ascensu in caelum: & propositam determinauit. Quaesiuit lamentabiliter, quis ascendet in montem Domini, &c. Determinauit veraciter quia innocens manibus &c. In quaestione mentionem fecit de duobus: de ascensu in caelum: quis inquit ascendet. de statu

statu in cælo: aut quis stabit. Sed vnde ortum habuit ista duplex quæstio. Dico quod ex duobus: quorum vnum ad homines: Aliud ad angelos pertinebat. Videns enim. Psal. quod omnes homines tam boni quam mali descendebant ad infernum lamentabiliter quærebat. Quis ascendet in montem Domini, &c. Videns etiam quod lucifer in cælo creatus plenus sapientia & decore perfectus ibi non stetit quærebat. Quis stabit in loco sancto eius. Ecce lamentabilis quæstio: & subditur commendabilis responsio quia innocens ma. &c. Sed quia indefinite respondet: posset enim vlterius quæri, quis est ille innocens. Expressius determinat in verbis præmissis conuertens verba ad Dei filium & dicens, ascendens in altum, vtens præterito de re tunc futura propter certitudinem.

In quibus verbis circa ascensionem Domini tangit tria. ascensus sublimitatem: ascendentis societatem: ascensionis vtilitatem. Apparet sublimitas in termino motus: quia, ascendisti in altum. Apparet societas in electione comitatus: quia, cæpisti captiuitatem. Apparet vtilitas in donis spiritu sancti: quia dedit dona hominibus. In primo apparet dignitas. In secundo pietas. In tertio largitas ascendentis. De primo Psal. ascendit super cherubin. de secundo Zach. 9. tu autem in sanguine testamenti. de tertio Iohan. 16. Si autẽ non abiero paracletus non veniet ad vos.

De eadem Sermo 10.

ORitur sol & occidit & ad locum suum reuertitur: ibique renascens girat per meridiem & flectitur ad aquilonem. Eccl. 1. Sicut in principio mundi ad corporum illuminationem fecit Deus luminaria: quidam in potestate diei. scil. solem: quædam in potestate noctis: vt stellas & lunam: quædam quasi media. scil. stellam matutinam. Sic Dominus ad illuminationem spirituum fecit luminaria stellas. id est antiquos patres. lunam. id est synagogam. tempore noctis. id est legis naturæ & scripturæ quando obscura erat Dei cognitio. Solem id est Christum facientem diem tempore gratiæ. Stellam matutinam. id est beatã virginem quasi tempore medio.

Sol ergo Christus qui ad modum solis ortus est in natiuitate. Mal. 3. Orietur vobis timentibus nomen meũ. Sol occidit in passione, Amos. 8. Occidet sol in meridie. Ad locum suum reuersus est in ascensione. Esa. 28. Reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat &c. Girauit per meridiem in sancti spiritus missione. Eccles. 43. In meridiano exurit terram. id est Apostolos. dicitur de sole. Sed flectetur ad aquilonem in extremi examinis districtione. Ier. 1. Ab aquilone pandetur omne malum.

Dominica infra octau. ascensionis Sermo primus. de Epist. 1. Pet. 4.

EStote prudentes sobrii & vigilate in orationibus: ante omnia autem mutuam in vobismetipsis continuam habentes charitatem. Hostis animæ aut est inuisibilis sic est diabolus: aut est inuisibilis: & tunc aut est coniunctus sic est caro: aut separatus sic est mundus. Peruersitas enim dæmonis: voluptas carnis. Cupiditas mundi. concutiunt nauiculam animæ vt submergant. Ideo beatus Petrus hortatur nos ad triplicem armaturam contra hos tres hostes ostendens quales debemus esse. Primo contra peruersitatem diaboli: quia circumspecti: ibi, estote prudentes: ideo quia multæ sunt insidiæ dolosi. Iob. 26. Prudentia eius percussit superbum. Secundo quales contra carnis voluptatem: quia, sobrii & vigiles in orationibus. Sobrietas subiugat carnem: oratio erigit animam. 2. Tim. 4. tu vero vigila in omnibus labora &c. Eccl. 31. Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Tertio quales contra mundi cupiditatem: quia charitatiui: ibi, ante omnia, &c.

Vbi ostenditur quod charitas debet haberi tanquam superior: ibi, ante omnia. id est præ aliis virtutibus. Col. 3. Super omnia hæc charitatem habentes quod est. Tanquã communior: ibi mutuam. vt. scil. vnus reddat alii. Rom. 13. Nemini quicquã debeatis nisi &c. Eccl. 4. Si fuerint duo fo. mutuo. Tanquam intimior: ibi, in vobismetipsis. non in signis exterioribus vel in verbis tantum. 1. Ioh. 2. Vnctio quam accepistis ab eo manest in vobis. Tanquã durabilior ibi, continuã. 1. Ioh. 4. Deus charitas est. & qui manet in charitate, &c. Tanquam gratiosior: ibi, charitatem. Charitas dicitur à charus chara charum. 1. Ioh. 3. Videte qualem charitatem Deus nobis ostendit vt filii Dei, &c. Tanquam vtilior vnde sequitur quia charitas operit multitudinem peccatorum. Prouer. 10. Vniuersa delicta operit charitas.

Sermo 2. De eodem.

SI quis loquitur quasi sermones Dei. Inter cætera illud in quo homo cuiuscunq; status frequentius offendit vel deficit est in loquẽdo. Vnde Iac. 3. Si quis in verbo non offendit hic perfectus est vir.

Ideo beatus Iacobus hic innuit triplicem loquendi conditionem bonam. scil. raritatem: gratiositatem: vtilitatẽ. Raritatem in loquente: quia in multiloquio non deest peccatum. quod notatur ibi, si quis id est si cõtingat quod aliquis loquitur. Iac. 1. Sit omnis homo velox ad audiendum & tardus ad loquendũ. Iob. 34. Si quid melius nosti loquere. Secundo gratiositatem in locutione: ibi, loquitur. glo. gratiam loquendi habet. Iob. 7. Nunquam sic locutus est homo. Tertio vtilitatem in fine: ibi, quasi sermones Dei. sc. ad honorem Dei ad ædificationem proximi. Ioh. 14. Et sermonem quem audistis non est meus: sed eius. &c.

Sermo 3. De Euangelio.

EGo mittam vobis à patre spiritum veritatis. Ioh. 15. Omne quod potest turbari consolatione indiget. ideo ait Psal. Domino. secundum multitudinem dolorum meorum in corde consolationes. t. le. i. m. Antiquicus turbabatur homo de clausione cæli: & Deus pater consolatus est eum mittendo filium qui aperuit. 2 Cor. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. Turbabatur iterum de absentia Christi qui in cælum ascendit: & Christus consolatus est eum promittendo spiritum sanctum qui doceret & roboraret contra aduersa mundi secundum quod dicitur hic.

Vbi describitur missio spiritus sancti à quatuor. Primo à dignitate eius per quod mittitur: ibi, ego. scilicet filius Dei. Apocalyp. 1. Ego sum alpha & o. principium & finis. Secundo ab vtilitate eorum quibus mittitur: ibi, vobis, id est ad vtilitatem vestram. Iohan. 14. Paracletus spiritus sanctus

sanctus

ſanctus quem mittet pater in nomine meo: ille vos docebit omnia. Matth. 10. Non enim vos eſtis qui loquimini, &c. Tertio à poteſtate eius cuius auctoritate mittitur: ibi, à patre. Iohan. 14. Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis. Quarto à bonitate eius qui mittitur: ibi, ſpiritum veritatis. Vere veritatis: quia à filio qui eſt veritas procedit: quia veritatem inſtruit, omne enim verum à quocunque dicatur à Spiritu ſancto eſt. Sap. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia.

Sermo 4. de eodem.

VOs teſtimonium perbibebitis: quia ab initio mecum eſtis. Veritas indiget teſtibus nō propter ſe: ſed propter contradicentes & non credentes ſibi. Ideo Chriſtus ſciens veritatem fidei habituram multos contradictores volens eam defendere prouidebat ſibi de teſtibus fide dignis. ſcil. apoſtolis & apoſtolicis viris dicens. Vos teſtimonium, &c.

Vbi tria notantur quæ in teſtibus requiruntur. Primo conſortium multitudo. non enim ſufficit vnus teſtis quantumcunque ſanctus. vt patet Dan. 13. De ſenibus: & hoc nota. ut ibi, vos teſtimonium. in quo perſonarum pluralitas & teſtimonii vnitas. Eſa. 43. Vere vos teſtes mei dicit Dominus. Deut. 19. In ore (in quo vnitas) duorum vel trium (in quo pluralitas) ſtabit omne verbum. Secundo bona fortitudo. vt nec prece, nec precio, nec amore, nec odio à veritate moueantur: & hoc notatur: ibi. perbibebitis, ſcil. inceſſanter non ad horam tantum, hanc firmitatem dat Spiritus ſanctus. Act. 1. Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti. in vos & eritis mihi. Tertio cauſæ certitudo teſtimonium enim debet eſſe de viſu vel auditu: & hoc notatur ibi: quia ab initio, mecum eſtis. 1. Iohan. 1. Quod fuit ab initio quod vidimus & audiuimus, &c.

In die Pentecoſtes, Sermo primus, de Epiſtola.

REpleti ſunt omnes Spiritu ſancto & ceperunt loqui variis linguis. Act. 2. Antiquitus promiſerat Dominus dare Spiritum ſanctum ſuis fidelibus quod & diebus iſtis fecit: quando non ſolum inuiſibiliter ſed etiam viſibiliter donum Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos apparuit. Dixerat enim Ioel. 2. Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem & prophetabunt filii veſtri. Promiſerant ergo dare abundanter quod notatur in effuſione dum aliquis vult dare abūdanter ad bibendum effunde. Eccleſ. 24. Ego ſapientia effudi flumina. Secundo liberaliter: quia de optimo: ibi, de ſpiritu meo. Pſal. Emitte ſpiritum t. & creabuntur. Tertio generaliter: quia omnibus qui parabant ſe ad accipiendum: ibi, ſuper omnem carnem. Actor. 10. In nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Quarto vtiliter: quia vt impleat ſapientia & facundia: ibi, & prophetabunt filii veſtri: ſic Zach. Repletus Spiritu ſancto prop he tauit. Luc. 1. Sicut autem Dominus promiſit dare ſic & dedit ſicut dicitur hic.

Vbi notantur illa quatuor per ordinem. Primo doni plenitudo: quia, repleti ſunt. Sap. 1. Spiritus Domini: in quo ſublimitas. repleuit orbem: in quo liberalitas. terrarum: in quo humilitas. Recipientium multitudo: quia, omnes, ſcil. Apoſtoli & etiam poſtea omnes credentes. Actor. 10. Adhuc loquente Petro verba hæc. cecidit Spiritus ſanctus: ſuper omnes qui. an. ver. Dantis liberalitas: quia, Spiritu ſancto. Magna liberalitas Dei: donum dat æquale ſibi. Iob. 14. Paracletus autem Spiritus ſanctus quem mittit pater. Quarto populi vtilitas: ibi, & cæperunt loqui variis linguis. 2. Pet. 1. Spiritu ſancto inſpirati: locuti ſunt ſancti Dei homines. Ecce ergo magna largitas, dare abundanter: & omnibus qui volunt: & de bono valde & vtili.

De Euangelio, Sermo 1.

PAracletus Spiritus ſanctus quem mitte t pater in nomine meo ille vos docebit omnia.

Miſſio Spiritus S. diſtinguitur duplex. Inuiſibilis quæ cum ſit latens ſit homini propter ſeipſum. Viſibilis quæ cum ſit patens ſit homini propter alterum. Prima miſſio ſit ad habendam plenitudinem ſufficientiæ gratiæ in ſe. Secunda ad oſtendendā plenitudinem redundantiæ in alios ſicut cella ſinum ſine circulo impletur ad ſufficientiam propriæ familiæ. ſed cum appoſitione circuli ad plenitudinem redundantię in alios oſtendendam. Sic miſſus eſt Spiritus ſanctus: diſcipulis die iſto: ſecūdum quod prædixit eis Dominus in verbo propoſito.

Vbi deſcribitur miſſio Spiritus ſancti à quatuor. Primo à bonitate eius qui immittitur: ibi, paracletus Spiritus ſanctus: paracletus enim interpretatur conſolator. Actor. 9. Eccleſia ædificabatur ambulans in timore Domini & conſolatione Spiritus ſancti replebatur. Sapient. 12. O quam bonus & ſuauis. Secundo à liberalitate eius à quo immittitur: ibi, quē mittet pater. Gal. 4. Miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda noſtra. Ipſe miſit nobis filium. Spiritum ſanctum, Angelos, prælatos, &c. Tertio à dignitate eius per quem mittitur: ibi, in nomine meo filius enim eſt qua ſi manus patris. Pſal. Confitebor nomini tuo quoniam bonum eſt. Quarto ab vtilitate eorum quibus mittitur: ibi, ille vos docebit omnia, ſcil. ad ſalutem veſtram & ad prædicationem expedientia. Thren. 1. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis: & eru.

Sermo 3. de eodem.

PAcem meam do vobis. Poſſet aliquis dubitare cum Dominus dicat, Matth. 10. Non veni pacem mittere. ſed gladium quomodo dicit hic, pacem meam do vobis, ſed pater. Reſponſ. Cum enim pax dicat quietationem. aut eſt quietatio in malo: ſicut letargicus quietatur in dormiendo: & ſic eſt pax mala. Pſal. Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns. Aut eſt quietatio in bono. ſic conualeſcens quietatur in ſanitate: & ſic eſt pax bona. Prouerb. 13. Qui timet præceptum in pace verſabitur. Primam non venit Dominus mittere in terram. ſed ſecundam de qua dicit hic. pacem meam non mundi do vobis.

Vbi commendatur donum Dei. Primo quia

quia acceptissimum: ibi, pacem. Zach. 8. Veritatem tantum & pacem diligite. Secundo: quia nobilissimum: ibi, meam. nó peccatorum quæ vilis est. Ioh. 16. Hæc locutus sum vobis vt in me solum pacem habearis. Tertio quia liberalissimum: ibi, do. Agge. 2. In loco isto dabo pacem. Quarto quia vtilissimum: ibi, vobis, i.e. ad vtilitatem nostram. Esa. 26. Domine dabis pacem nobis. Psal. Dominus benedicet populo suo in pace.

Sermo 4. de eodem.

SVrge aquilo veni auster perfla ortum meum & fluent aromata illius. Can. 4. Naturale est vt secundum varietates ventorum: varietur & qualitas temporum. Vnde in hyeme flante aquilone ingruunt tempestates & terræ nascentia reprimuntur. Eccles. 43. Frigidus ventus aquilo flat. In æstate autem austro flante redit serenitas & terræ facies renouatur. Luc. 12. Cum videritis austrum flantem dicitis: quia æstas erit. Sic spiritus malus facit tempestatem & remorsum conscientiæ. Spiritus bonus serenitatem & gaudium. Per aquilonem intelligitur spiritus malus: quippe quia ab aquilone pandetur omne malum. Hier. 1. Per austrum Spiritus sanctus. quippe: quia Deus ab austro veniet. Ideo sponsa Christi iucundam conscientiæ serenitatem desiderans ait, surge, i.e. fuge aquilo. cuiusmodi desiderium cœpit impleri quando Dominus transtulit austrum de cœlo emittens Spiritum sanctum: & perflauit ortum ecclesiæ: & fluxerunt aromata quando prædicantibus apostolis diffusa sunt per orbem Spiritus S. charismata.

Ecce ergo Spiritus sancti virtus, aduentus, locus, & fructus. Virtus in fuga aquilonis, i.e. peccata. propter quod dicit, fuge aquilo. Zach. 2. Fugite de terra aquilonis dicit Dominus. Aduentus: in aduentu austri propter quod subdit veni auster. Abacuc. 3. Deus ab austro veniet. Locus in nomine orti, i.e. animæ. propter quod addit perfla ortum meum. Iob. 36. Nonne vestimenta tua calida sunt cum perflata fuit terra austro. Fructus in affluentia aromatum, i.e. bonorum operum: propter quod dicit, & fluent aromata il. Psal. Flabit spiritus eius & fluent aquæ. Primo ergo opratur expulsio culpæ. Secundo infusio gratiæ. Tertio cooperatio animæ. Quarto diffusio doctrinæ vel opinionis bonæ.

De eodem, Sermo 5.

ECce ego intromittam in vos spiritum & viueris. Ezech. 37. Sicut corpus viuere non potest naturaliter sine spiritu creato. Sic nec anima spiritualiter sine spiritu diuino. Apoc. 3. Nomen habes quod viuas & mortuus es. Ad mortuum ergo istum viuificandum vel ne moriatur roborandum intromittit Deus spiritum suum secundum quod antiquitus promisit: & hodie manifeste impleuit dicens, ecce ego, &c.

Vbi ostendit quomodo missus est hodie Spiritus sanctus. quia patenter: potenter: veraciter: sapienter: amicabiliter: & vtiliter.

Patenter: quia in signo visibili: quod notatur ibi, ecce. Act. 2. Apparuerunt illis dispertitę linguæ. Potenter: quia à Deo omnipotenti: qui dicit, ego. Ioh. 15. Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis. Veraciter: quia intus in corde: quod notatur ibi, intromittam. Gal. 4. Misit Deus spiritum filii sui in corda. Sapienter: quia in gente sibi obediente: quod notatur ibi, in vos. Actor. 1. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos. Sapien. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Amicabiliter: quod notatur in spiritu. Magnus amor est dare spiritum suum & talem spiritum. Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Vtiliter: quod notatur ibi, & viuetis. vita, scil. gratię in præsenti & gloriæ in futuro. Rom. 8. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Iohan. 6. Spiritus est qui viuificat.

De eodem, Sermo 6.

FLuminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Ps. 45. Ad decorem ciuitatis & commodum ciuium facit multum fluminis impetus: propter quod iuxta fluuios solent ciuitates ædificari: & in diebus festiuis solent homines egredi & circa flumina spaciari. Sic ad decorem ecclesiæ & commodum fidelium fluit de paradiso fluuius, scil. Spiritus sanctus: cuius Propheta nobis describit solacium dicens, fluminis impetus, &c.

Vbi Propheta tangit quatuor: videlicet Spiritus sancti processionem æternam: ibi, fluminis. Missionem temporalem: ibi, impetus. Effectum delectabilem: ibi lætificat. Populum acceptabilem: ibi, ciuitatem Dei.

Processio ergo æterna notatur in flumine. Nam sicut riuus à fonte & flumen ab vtroque & est eadem aqua in fonte, riuo, & fluuio: nec tamen vnus est alius. Sic filius à patre, Spiritus sanctus ab vtroque: & est eadem natura in patre & filio & Spiritu sancto: nec tamen vnus est alius. Ergo fons pater: riuus filius: flumen Spiritus S. Ioh. 7. s. qui credit in me: fluuia de. Missio temporalis notatur in impetu propter velocitatem subitam. Act. 2. Factus est repente, &c. Effectus delectabilis notatur in lætificatione. Eccles. 40. Vinum & musica lætificant cor: & super vtroque dilectio sapientiæ. Populus acceptabilis notatur in Dei ciuitate. Eccl. 24. In ciuitate sancta similiter requieui, &c.

Vel aliter notantur hic quatuor effectus Spiritus S. ipse enim fideles suos abluit: quod notatur in flumine. Protegit: quod notatur in impetu. Iucundat: quod notatur in lætificatione. Congregat: quod notatur in ciuitate.

De eodem, Sermo 7.

DE excelso misit ignem in ossibus meis: & erudiuit me. Thren. 1. Rerum mobiliũ quædam mouentur natura propria. quædam virtute aliena: vt ignis mouetur sursum motu proprio sed deorsum motu alieno. sic econtrario lapis. Hinc patet quod ignis hodie descendens de cœlo non naturaliter, sed mirabiliter virtute diuina mouebatur: & hoc ad significandum feruorem & robur Spiritus sancti in eos in quos descendebat. Sic enim promisit Deus Apostolis suis se missurum eis Spiritum sanctum post ascensionem suam quem & hodie misit sub specie ignis. Acto. 2. Ideo sancta ecclesia tantum recitans beneficium dicere potest, de excelso misit, &c.

Vbi tangit primo Spiritus S. missionem, Secundo

cundo missionis vtilitatem, & erudiuit me. Ioh. 16. Cum autem venerit illis spiritus veritatis. Circa primum implicantur in mittente quatuor, scil. dispositio: dignatio: dilectio: & discretio. Dispositio: quia, de excelso. Hebr. 1. Sedens ad dexteram maiestatis in excelsis. Dignatio: quia misit. Psal. Emitte spiritum, &c. Galat. 4. Misit Deus spiritum, &c. Dilectio: quia, ignem, i. e. Spiritum S. sub specie ignis. Act. 2. Apparuerunt Apostolis disper. lin. &c. Luc. 12. Ignem veni mittere, &c. Discretio: quia, in ossibus meis, i. e. in apostolis robustis vel ad robur. Psal. Exultabunt ossa humiliata. Ergo dedit hodie Spiritum sanctum. Potenter: quia de excelso. Dignanter: quia, misit. Patenter: quia, ignem. Sapienter, quia, in ossibus. m. Vtiliter: quia, erudiuit me.

De eodem, Sermo 8.

TRipliciter sol exurens montes radios igneos exsufflans & refulgens radiis suis obcecat oculos. Eccles. 44. a. Sicut sol materialis sua irradiatione duo facit in istis inferioribus. Inflammat quippe & illuminat: & fortius propinquiora sibi vt montes. Sic sol supercælestis, scil. Christus irradiatione sua, i. e. missione S. Spiritus duo facit in electis suis: quia inflammat ad dilectionem Dei: & illuminat ad cognitionem fidei. & prius & amplius sibi propinquiores, sci. Apostolos & apostolicos viros. Quod visibiliter apparuit hodie quando inflammauit apostolos & illuminauit apparentibus radiis igneis. verbis vt essent profusi & charitate feruidi. vt verum sit de sole iustitiæ, scil. Christo. quod hic dicitur de sole materiali. quia, tripliciter sol, &c.

Vbi tangitur duplex huius solis effectus in apostolos. Primus inflammatio per maiorem charitatis feruorem: propter quod dicitur exurere. Secundus illuminatio per firmiorem fidei nitorem: propter quod dicitur refulgere: ibi, refulgens, &c. Circa primum notantur duo, scil. inflammantis virtus, scil. sol ex. Inflammationis modus. quia, radios ig. ex.

Circa primum implicat quatuor. inflammationum multiplicitatem: quia, tripliciter ter enim dedit eis Spiritum sanctum. Semel ante passionem. Luc. 9. Conuocatis 12. &c. Secundo post resurrectionem. Ioh. 20. Insufflauit, &c. Tertio post ascensionem, scil. hodie. Actor. 2. Factus est repente, &c. Primo dedit gratiam ad prædicandum. Secundo ad peccata remittendum. Tertio ad aduersa patiendum. Inflammantis potestatem: quia, sol. Eccles. 43. Sol in meridiano exurit terram. Inflammationis intentionem: quia, exurit. Psal. Vre renes m. & cor m. Inflammatorum dispositionem: quia, montes. de quibus. Psalm. Fundamenta eius, &c.

Circa secundum effectum notantur duo. Primo illuminatio bonorum per causam: ibi, & refulgens. Psal. Præ fulgore in conspectu eius nubes, i. e. Apostoli transierunt. Refulsit enim sol in clipeos au. 1. Macc. 6 Secundo obcæcatio reproborum per occasionem: ibi, radiis suis obcæcat oculos. Act. vl. Aure audietis & non intelligetis.

De eodem, Sermo 9.

MIsit Deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem, abba pater. Gal. 4. Antiquitus promisit Dominus dare Spiritum S. electis suis. vnde Ioel. 2. Effundam spiritum meum super omnem carnem. & sicut promisit ita misit: sicut hodie visibiliter apparuit: quod & testatur beatus Petrus Act. 2. Huic consonat quod dicit Apostolus in verbo proposito: quia, misit Deus, &c.

In quo, donum quod est Spiritus S. commendat quadrupliciter, scil. quia venerabile ex mittente: quia, misit Deus. Ioh. 14. Paracletus autem Spiritus S. Nobile ex genere: quia, spiritum filii sui. Psal. Verbo Domini cœli, &c. Delectabile in suscipiente: quia, in corda nostra. Psal. Cor mundum crea. Sap. 12. O quam bonus & suauis est spiritus. &c. Vtile ex fine: quia, clamantem, i. e. clamare facientem, abba pater. Esa. 61. Spiritus Domini super me. Rom. 8. Ipse spiritus postulat, &c.

Vel potest esse thema de trinitate. In quo Apostolus tangit personarum trinitatem: ibi, Deus spiritum fi. Trinitatis benignitatem in verbo mittendi: quia pater mittens: Spiritus S. missus: filius mittens & missus. Benignitatis vtilitatem: quia, clamantem abba pater. nihil enim proprie clamat sine spiritu.

Feria 2. Pentecostes, Sermo primus, de Epistola.

ADhuc loquente Petro cecidit Spiritus S. super omnes qui audiebant verbum. Acto. 10. In primitiua ecclesia erat quasi in occulto veritas: erat fidelium paucitas. erat plantationis ecclesiæ nouitas. Ideo erat contradicentium fidei pluralitas. Hinc est quod indigebat ecclesia missione S. Spiritus visibili ad confirmandum veritatis verbum: ad multiplicandum fidelium numerum. ad destruendum contrarium cultum: & sic factum est secundum quod hic dicitur, quia adhuc loquente Petro, &c.

Vbi tanguntur tria. Primo apostolicum officium: ibi, adhuc loquente Petro. Act. 1. Repleti sunt omnes Spiritu S. & cœperunt loqui. Secundo diuinum beneficium: ibi, cecidit Spiritus S. i. e. subito descendit. Psal. Os meum aperui & attraxi spiritum. Tertio virtuosi verbi præconium: ibi, super omnes qui audiebant verbum. Ideo Psal. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Luc. 10. Beati qui audiunt verbum Dei; & custodiunt illud.

De Euangelio, Sermo 1.

SIc Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Iohan. 3. Quinque sunt quæ beneficium alteri impensum acceptabilius & carius reddunt. In dante sublimitas: vt quod datur à rege carius seruatur. In dando liberalitas: vt quod datur ex amore. In recipiente necessitas: vt quod datur indigenti. In dono preciositas: vt aurum, quam cuprum. In fine vtilitas vt quod datur ad bonum non sicut esca cum hamo pisci.

Ista quinque mirabiliter commendant beneficium diuinum homini exhibitum. Primo dantis sublimitas: quia Deus, scil. Pater quo nihil sublimius. Ps. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat & humilia respicit, &c. Secūdo dandi liberalitas: ibi, dilexit. quasi dicat, ex amore puro:

puro: non timore non debito: non incroprio. Eph. 3. Propter nimiam charitatem suam qua dilexit. Tertio recipientis necessitas: ibi, mundum, qui erat exclusus à regno inclusus in limbo. 2. Corinth. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quarto doni preciositas: ibi, filium suum vnigenitum daret. Hoc enim habito, habentur omnia. Rom. 8. Qui proprio filio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non nobis cum illo omnia donabit. Quinto finis vtilitas: ibi, vt omnis qui credit, &c. Vbi tanguntur duo. Primo præsens meritum: ibi, omnis qui credit in ipsum. Ioh. 1. In propria venit & sui eum nō receperunt. quotquot autem receperunt eum dedit eis, &c. Secundo sequens præmium: & primo quo ad euasionem gehennæ: ibi, non pereat. Secundo quo ad adeptionem gloriæ: ibi, sed habeat vitam æternam. Ioh. 10. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas & sequuntur me & ego vitam æternam do eis.

Dominica tertia post Pentecostes, Sermo primus.

ORant sunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum. Act. 8. Contingit aliquid dare ab aliquo tripliciter: vel per modum auctoritatis: vel per modum impetrationis: vel per modum ministerii. Primo dat Dominus rei. Secundo mediator. Tertio dispensator siue seruus: sicut in Domino & eius vxore eum sollicitante: & seruo eleemosinam deferente pauperi. Primo modo solus Deus dat Spiritum sanctum. Secundo modo viri sancti. Tertio modo sancti vel non sancti ministri: qui ministrant sacramenta ecclesiæ. in quibus datur gratia Spiritus sancti. Secundo modo potest intelligi quod dicitur hic de datione Spiritus sancti.

Vbi tanguntur duo. Primo impetrantium merita. Secundo res impetrata: ibi, vt acciperent Spiritum sanctum etiam visibiliter. Vnde postea sequitur, imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum sanctum. In prima notantur duo. Primo apostolorū deuotio quo ad Deum: ibi, orauerunt. Oratio enim est pia mentis affectus in Deum. Psal. Dirigatur oratio mea sicut incensum. Secundo ipsorum dilectio quo ad proximum: ibi, pro ipsis. Iac. 5. Orate pro inuicem.

De Euangelio, Sermo 2.

EGo veni vt vitam habeant, Ioh. 10. Alia de causa venit Fur: alia vero venit pastor ad oues. Fur non venit nisi vt perdat & mactet: pastor vt paleat & viuificet. Sic diabolus venit in paradisum & ouea, i.e. primos parentes occidit: sed Christus venit in mundum: & occisos viuificauit. Vnde secundum Apostolum. sicut in Adam omnes moriuntur: sic in Christo omnes viuificabuntur. Et hoc est quod dicit Christus hic, ego veni, &c.

Vbi tanguntur duo. Primo benignitas diuinæ condescensionis: ibi, ego veni. Secundo felicitatis humanæ remunerationis: ibi, vt vitam habeant.

Vel dicendum quod ibi notantur tria. Primo diuinitatis sublimitas: ibi, ego, scil. Dei filius. Iohan: 8. Ego principium qui & loquor vobis. Secundo sublimitatis humilitas: ibi, veni. Iohan. 8. Ego ex Deo processi & veni. Tertio homilitatis vtilitas: ibi, vt vitam habeant. Iohan. 6. Ego sum panis vitæ: si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.

In festo Trinitatis, Sermo primus.

GRatia Domini nostri Iesu Christi & charitas Dei & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. 2. Corinth. 13. Ego de trinitate beatissima loquens: sum quasi cæcus de coloribus iudicans: qui potius per auditum quam per visum iudicat. Sic per auditum verbi diuini assentientes & credentes veritati potius supplicando quam disputando dicamus cum Apostolo, gratia Domini, &c.

Vbi primo ponitur trinitatis confessio. Secundo imploratur eius in nobis per gratiam inhabitatio: ibi, sit cum omnibus vobis. In prima exprimitur primo persona filii quia magis nota. Secundo persona patris: ibi, & charitas Dei. glo. patris. Tertio persona Spiritus sancti: ibi, & communicatio Spiritus sancti. Attribuitur autem gratia filio: quia vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Iohan: 1. Charitas patri: quia in hoc apparuit charitas Dei in nobis quoniam filium suum misit in mundum. Ioh. 4. Communicatio spiritui sancto; quia ipse est ratio communicandi omnia bona. 1. Corinth. 12. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.

Sequitur secundum principale in quo imploratur in nobis inhabitatio trinitatis per gratiam: ibi, sit cum omnibus vobis. vbi implorat mansionem: ibi, sit. mansionis speciem: ibi, cum omnibus. non contra nos. manendi generalitatem: ibi, omnibus. vt sic maneat familiariter & communiter. Vnde sæpe in fine epistolæ dicit Paulus gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.

De Euangelio, Sermo 2.

AMen, amen dico tibi nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Ioh. 3. Quia omne quod potest errare indiget regula dirigente. omne quod potest displicere indiget forma gratificante. omne quod potest perdere indiget Domino restituente. Homo autē potest errare per ignorantiā credendi quantum ad rationabilem. displicere per maculam peccati quantum ad concupiscibilem: potest perdere regnum Dei quantum ad irascibilem.

Ideo ad reuelationem suæ miseriæ indiget opere beatissimæ trinitatis: & primo instructione filii contra ignorantiam: quæ notatur ibi, Amen, Amen dico tibi. Secundo regeneratione Spiritus sancti contra maculam: ibi, qui renatus fuerit ex, &c. Tertio regno patris contra perditionem: ibi, non potest introire in regnum Dei.

De eodem, Sermo 3.

BEnedicat nos Deus Deus noster: benedicat nos Deus & metuāt eum omnes fines terræ. Psal. 46. Legimus benedictionem dari & à Deo, & ab homine. In benedictionibus vero homanis con-

nis contingit error dupliciter. quinque ex parte benedicentis: vtpote quia non competit ei benedicere: sicut patet in vetulis carminatricibus & huiusmodi. Quinque ex parte suscipientis: vtpote qui io dignus est benedictione. Psal. Quoniam laudatur peccator in desideriis. propter quod Dominus Malach. 1. Maledicam benedictionibus vestris. Ideo his omissis petit Psal. Benedictionem Dei dicens, benedicat nos Deus Deus noster, &c.

Vbi duo facit. Primo precatur Deum vt hominem benedicat. Secundo hortatur hominem vt Deum metuat: ibi, & metuant eum, &c. Vt sic nec error sit in benedicente: quia Deus non errat. nec defectus in suscipiente: quia timor ad hoc parat. Eccl. 1. Timenti Deum bene erit, &c. Psal. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. In primo inuocat trinitatem personalem cum dicit, Deus. In secundo explicat vnitatem essentialem: cum dicit singulariter & semel, metuant eum.

Circa inuocationem & deprecationem suam discrete procedit. Primo: quia petit illud quod prodest scil. benedictionem duplicem: gratiæ, & gloriæ propter quod dicit bis, benedicat. Prouerb. 10. Benedictio Domini diuites facit. Secundo petit ab eo qui potest: sc. à Deo trinitate: propter quod dicit ter, Deus, scil. pater. 2. Cor. vlt. Gratia Domini, &c. Deus filius. Esa. 9. Et vocabitur Deus fortis. Deus Spiritus S. 1. Ioh. 4. Deus charitas est. Tertio petit pro eo cui necesse est: cum dicit, nos.

Sermo 4. de eodem.

GRatia Domini nostri Iesu Christi & charitas Dei & communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis. 2. Cor. 13. Sicut omne quod potest errare indiget regula rectificante: sic omne quod potest displicere indiget forma gratificante. Quia ergo anima rationalis quamdiu est vertibilis ad vtrumlibet, de facili potest errare & displicere. Ideo indiget forma regulante & gratificante ad hoc quod finem optimum assequatur. In anima vero sicut & in qualibet creatura videmus tria quæ possunt displicere. scil. substantiã tanquam displicentiæ subiectum. Virtutem tanquam displicendi motiuum. Operationem tanquam displicentiæ effectum. Ideo anima indiget triplici forma gratificante. Gratia informante eius substantiã. Charitate informante eius virtutem. Sanctitate informante eius operationem. Et sicut ex substãtia virtus, & ex vtroque operatio: sic ex gratia charitas, & ex vtraque sanctitas. quod attendens Apostolus eleganter petit, gratia Domini, &c.

Implorans beneficia tria tribus personis appropriata, scilic. gratiam filii: charitatem patris: communicationem Spiritus S. Primo ergo tres personas diuinas insinuat. Secundo tria tribus personis appropriat, sc. gratiam Christo. & merito: quia de pleonitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia: quia lex, &c. Iohan. 1. Charitatem patri Deo. & merito quia in hoc apparuit charitas Dei, scil. patris in nobis: quoniam filium suum vnigenitum misit. 1. Ioh. 4. Communicationem Spiritui S. & merito: quia ipse est ratio communicandi omnia bona. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus. Tertio tria dicta exoptans implorat: ibi, sit cum omnibus vobis.

Sermo 5. de eodem.

CLamabant Seraphin alter ad alterum & dicebãt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Esa. 6. Omnes qui pie volunt in Christo viuere confitentur in Deo trinitatem in vnitate. Sed quid sint illi tres difficile fuit antiquitus assignare. Nã in veritate tres sunt quorum quilibet est Deus, nec tamen tres dii. Ideo fideles antiqui non audentes nec debentes dicere tres dii dicebant ter, Deus, Deus, Deus. sicut Psal. Benedicat nos Deus, &c. Sic & angeli confitentes trinitatem clamabant ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus. secundum quod Esa. vidit dicena quod clamabant.

Vbi notantur tria. confessio congratulans catholicę veritati: quia clamabant, &c. Repetitio trina attestans diuinæ trinitati: quia dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Expressio singularis attestans vni deitati: ibi Dominus Deus exercituum. expressius dicitur hoc. 1. Ioh. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo. pater, verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.

Sermones pro festo Corporis Christi inuenies feria 5. in Cæna Domini.

Dominica 1. post Trinitatem, Sermo primus.

DIligamus Deus quoniam ipse prior dilexit nos. 1. Ioh. 4. Vnumquodq; agens intendit imprimere similitudinem suam in id in quod agit: sicut pater in prole, artifex in opere. Vnde & amatissimus Christi discipulus dilectus & diligens Deum alios ad dilectionem Dei hortatur dicens, diligamus Deum.

Vbi primo excitat vt amemus: ibi, diligamus. Nihil enim est delectabilius nihil facilius: quam diligere: quia natura ad hoc inclinat. 1. Iohan. 3. Qui non diligit manet in morte, &c. Secundo dirigit ne deuiemus: ibi, Deum. Si bonum est diligendum & summe bonum: super omnia diligendum. Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum. Tertio allicit ne recusemus: ibi, quoniam ipse prior dilexit nos. debet quippe homo rependere vicem pro vice. Hiere. 31. In charitate perpetua dilexi te, &c. Omnia notanda & diligentis altitudo: quia, ipse scil. Deus. & dilectionis preuentio: quia prior dilexit. & dilectorum conditio: quia nos miseros & peccatores.

De eodem, Sermo 2.

HOc mandatum habemus à Deo vt qui diligit Deum, diligat & fratrẽ suum. Tria sunt quæ monent hominem ad obediendum: fortis iniunctio: vt patet in Abraham eunte ad immolandum filium. Gen. 22. Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, &c. Naturalis inclinatio: vt patet in matre Moysi accipiente ipsum ad nutriendum. Exo. 2. Suscepit mulier & nutriuit puerum: adultumq; tradidit filiæ Pharaonis. Facilis adimpletio: vt patet de Naaman leproso. 4. Reg. 4. Et si rem grandem, &c.

Ideo dilectus Deo & hominibus inducens nos ad dilectionem mutuam allegat ista tria. Primo districtam iniunctionem: ibi, hoc mandatum habemus à Deo. Attende iniunctionis specialitatem: quia, hoc. Matth. 16. Hoc est maximũ & primum

primum mandatum. Districtionem: quia, mandatum. Psal. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Notitiam: quia, habemus. Deut. 4. Quæ est alia gens sic inclita vt habeant ceremonias, &c. Obligationem: quia, à Deo. 1. Ioh. 2. Qui dicit se nosse Deum. & mandata eius non custodit, mendax est. Secundo allegat naturalem inclinationem: ibi, vt qui diligit Deum. ad quod inclinatur homo naturaliter: hoc etiam inclinat ad dilectionem proximi. opus enim quandoque diligitur propter opificem: & imago propter illum cuius est. Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Tertio facilem ad impletionem: ibi, diligat & fratrem suum. omne enim animal diligit sibi simile: propter quod vnumquodq; tale & ipsum magis. Si ergo amor facit alia facilia: ergo & amate super omnia est facile. 1. Ioh. 4. Diligamus nos inuicem.

De Euangelio, Sermo 3.

FActum est vt moreretur mendicus & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ mortuus est & diues & sepultus in inferno. Luc. 16. Sicut in biuio sic homines sunt in hoc mundo: cuius vna via lata & spaciosa ducit ad infernum. Alia stricta & angusta ducit ad cælum. Per primam viam iuit diues impius: vnde & descendit ad infernū. Per secundam iuit pauper mendicus. vnde & deuenit in Abrahæ sinum qui modo est locus gloriæ.

Secundum hoc nobis proponuntur hic duo. Primo præmiatio pauperis vt ipsam appetamus. sicut pauper currit vbi videt aliis erogari. Secundo damnatio diuitis vt eam caueamus: sicut ferocitas leonis mitigatur visa catuli verberatione: ibi, mortuus est & diues. In prima implicantur tria. Primo quærendi status: ibi, mendicus. Paupertas enim voluntarie assumpta vel patienter tolerata propter Christum meritoria est. Psalm. Ego autem mendicus sum & pauper Dominus sol. Secundo meriti terminus, scil. mortis euentus: ibi, vt moreretur. Prou. 14. Sperat iustus in morte sua. Tertio merentis fructus: ibi, & portaretur ab an. in sinum Abrahæ: tunc sinus Abrahæ erat limbus: modo paradisus. Matth. 8. Multi ab oriente in occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum.

Sequitur damnatio diuitis. vbi notantur tria. Primo terminus vitæ: ibi, mortuus est. Eccles. 11. Est qui locupletatur parce agendo, &c. Secundo status fortunæ cum suppositione culpæ: ibi, diues. Luc. 6. Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem. Tertio merces culpæ: ibi, & sepultus est vt in infer. Iob. 6. Qui descendit ad inferos non ascendit quod, patet in isto.

Sermo 4. de eodem.

FIli recordate: quia recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala: nunc vero hic consolatur, tu vero cruciaris. Solent iudices in dandis sententiis præassignare causas rationis sententiæ. sic Abraham repetens sententiam summi iudicis de salute pauperis & condemnatione diuitis præassignat causam huius sententiæ dicens. fili recordate: quia, &c.

Vbi primo assignatur sententiæ causa. Secundo exprimitur ipsa sententia: ibi, nunc autem hic consolatur. In prima assignat causam. Primo damnationis diuitis, scil. prosperitatem qua abusus est. Secundo salutis pauperis, scil. aduersitatem: qua bene vsus est: ibi, & Lazarus mala.

In prima reducit ei ad memoriam. Primo hæreditatem gloriæ quam contempsit: ibi, fili. Psal. Ego dixi dii estis & filii excelsi omnes. glo. omnibus cælestia promisi. Secundo prosperitatem fortunæ quam amisit: ibi, recepisti bona, scilicet temporalia. Iob. 21. In bonis dies suos. Tertio tempus merendi quod consumpsit: ibi, in vita tua. Psal. Defecit in dolore vita mea. Iob. 7. Militia est vita hominis super terram.

Sequitur aduersitas pauperis qua bene vsus est: cum dicitur, & Lazarus similiter mala. Greg. Mala quæ nos hic premunt: ad Deum nos ire compellunt. Iob. 2. Si bona suscepimus, &c. Sequitur sententia diffinitiua. Primo quantum ad salutem pauperis: ibi, nunc autem hic consolatur. Matth 6. Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur: sic granum prius mortificatur: & postea pullulat. Secundo quantum ad damnationem diuitis: ibi, tu vero cruciaris. Apoc. 14. Si quis acceperit imaginem bestiæ cruciabitur igne & sulphure.

Dominica 2. post Trinitatem, Sermo primus, de Epistola.

SCimus quoniam translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres. 1. Ioh. 3. Sicut defectus caloris naturalis signum est & causa mortis corporalis: contemperatio autem caloris signum vitæ. Sic defectus caloris spiritualis, in charitatis signum est: & causa mortis spiritualis. Vnde qui non diligit manet in morte. 1. Ioh. 3. Habitus vero charitatis est causa vitæ spiritualis: secundum quod dicit hic beatus Ioh. scimus, &c. ac si diceret scimus quasi quadam mentis securitate, quoniam translati sumus ex diuinæ misericordiæ benignitate: de morte culpæ, ad vitam gratiæ, quoniam diligimus habitu & actu fratres, i. e. possibiles ad percipiendum hæreditatem gloriæ.

Apostolus ergo primo tangit certitudinem veritatis cum dicit, scimus. Ioh. 3. Quod scimus loquimur. Secundo subdit vtilitatem imitationis appetente: ibi, quoniam translati sumus de morte ad vitam. Iohan. 5. Amen dico vobis: quia qui verbum meum audit & credit ei qui misit me: habet vitam æternam & in iudicium. Tertio rationem vtilitatis prædictæ: ibi, quoniam diligimus fratres. 1. Iohan. 4. Si diligimus inuicem: Deus in nobis manet, scil. per gratiam viuificantem: & tandem per gloriam.

De eodem, Sermo 2.

OMnis qui odit fratrem suum homicida est: & scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam. Consuetudo est cum nolumus aliquid multum laudare vel vituperare: loquimur cum quodam excessu: vtpote si loquimur de mansueto dicimus Agnus Dei est. Si de iraeundo: totus furiosus est. Sic Apostolus in verbo proposito vt totis viribus detestemur vicium odii & rancoris: dicit illud esse homicidium.

Et po-

Et ponit quatuor detestabilia circa istud vitium. Primum est anxietas in subiecto: cum dicit, qui odit: Prou. 10. Odium suscitat rixas. Secundum est impietas in obiecto: ibi, fratre suum: quem odire est impium. Prou. 19. Fratres hominis pauperis oderunt illum. Tertium est enormitas in peccato: ibi, homicida est. Matth. 15. De corde exeunt cogitationes malæ: homicidia, adulteria. Quarto immensitas in damno: ibi, & scitis, scil. per fidem per rationem quoniam omnis homicida, &c. Apoc. vlt. Foris canes & veuefici & impudici & homicidæ, &c.

De Euangelio, Sermo 3.

HOmo quidam fecit cœnam magnam: & vocauit multos. Luc. 14. Soleut quatuor lætificare conuiuas & magnificare conuiuia, scil. Inuitantis nobilitas Ciborum fertilitas. Inuitandi curialitas. Inuitatorum pluralitas. vt patet in cōuinio Assueri. Hester. 1.

Ab his quatuor commendatur hic apparatus gloriosæ refectionis. Monstratur enim primo mirabilis ex inuitantis dignitate: quia, homo quidam, scil. Christus Deus & homo & ita singularis excellentiæ. Psal. Homo natus est in ea: & ipse fundauit eam altissi. i. Secundo delectabilis ex copiosa fruitione: quia fecit cœnam magnam. Vere magna: quia bona maxima dabuntur ibi: quia cuilibet quid & quantum voluerit. Psalm. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam præparasti dili. Tertio laudabilis ex curiali inuitatione: quia, vocauit. Prou. 9. Misit ancillas, scil. vt vocarent ad arcem: sed heu quia multi vocati: pauci electi. Quarto amabilis ex liberali communicatione: quia, multos. Act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum, &c. In primo patet vtriusq; naturæ veritas. In secundo maxima potestas. In tertio aperta curialitas. In quarto summa largitas Iesu Christi.

De eodem, Sermo 4.

MIsit seruos suos dicere inuitatis vt venirent: quia iam parata sunt omnia. Ire ad conuiuium mouere debent homines tria. mandatum, scil. superioris. promissum inferioris. oportunitas temporis. Vnde quando superior præcipit, inferior promittit: & tempus congruit obediendum est.

Hæc tria monere debent vt nos festinemus ad conuiuium supernum. Primo instantia Dei mandatis. quod notatur ibi, Misit seruos suos, scilic. Prophetas, Apostolos, Prædicatores, & Prælatos. Si rex vel Episcopus mandaret clerico vt veniret pro præbenda cito veniret. Prou. 9. Misit ancillas suas vt vocarent, &c. Matth. 23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c. Et attendenda est nunciorum auctoritas: quia, misit. humilitas quia, seruos. charitas quia suos. Secundo promissio vocati hominis: ibi, dicere inuitatis. Inuitantur enim homines & promittunt in baptismo, in pœnitentia. Luc. 14. Misit seruum suum hora cœna dicere inuitatis vt venirent. Tertio oportunitas temporis: ibi, quia iam parata sunt omnia. Ecce horæ cœnādi præsentia quæ excludit temporis tarditatem: ibi, iam. Can. 2. Iam enim hyems transiit. Apparatus exquisita diligentia, quæ excludit insipiditatem: ibi, parata. Psal. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Vniuersalis ciborum copia: quæ excludit paupertatem: ibi, omnia. Sap. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter. Horæ præsentia debet monere pigros: exquisita diligentia delicatos ciborum copia famelicos & egenos.

Dominica 3. post Trinitatem, Sermo primus, de Epistola.

HVmiliamini sub potenti manu Dei vt vos exaltet in tempore visitationis. 1. Petr. vlt. Omnis motus est à cōtrario in contrarium vt pote à dextra in sinistram vel econuerso ab anteriori in posterius vel econuerso ab inferiori ad superius vel econuerso. Oportet ergo quod hic humilietur inferius qui postea vult exaltari superius: quod innuit beatus Iacobus dicens humiliamini sub potenti, &c.

Vbi primo monet vnumquemq; fidelem ad sui abiectionem: cum dicit, humiliamini Iudic. 8. Humiliemus illi animas nostras & in spiritu cōtricto: & humiliato seruiamus illi. Secundo ostendit inductiuam rationem: ibi, sub potenti manu Dei: sicut discipulus sub manu magistri, seruus sub manu Domini. hæc est manus de qua Psal. In manu potenti & brachio extento. Iob 10. Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. Tertio assignat humilitatis præmiationem: ibi, vt vos exaltet. Sicut depressa rota ab anteriori eleuatur à posteriori. Luc. 2. Deposuit potentes de. Luc. 18. Omnis qui se exaltat, &c. Quarto specificat præmiationis oportunitatem: ibi, in tempore visitationis, i. e. in tempore mortis vel iudicii generalis. de quo Psalm. Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo. Sicut enim aliud est tempus seminandi: aliud merendi: sic aliud est tempus merendi: aliud præmiandi.

De eodem, Sermo 2.

SObrii estote & vigilate quia aduersarius vester diabolus tanquā leo rugiens circuit quærens quem deuoret cui re. for. in fide.

In bello corporali solet homo succumbere propter tria. propter negligentiā corporis. propter ignorantiam hostis. propter timiditatem cordis.

Ideo beatus Petrus tria bona tangit contra dicta tria mala. Primo excitat pugnatorem ne sit negligens cum dicit. sobrii estote & vigilate. Secundo describit impugnatorē ne homo sit ignorans: ibi, quia aduersarius, &c. Tertio animat ad pugnam ne sit nimis timens: ibi, cui resistite fortes. In prima monet primo ad abstinentiam quæ valet ad hostis debilitationem: ibi, sobrii estote, debilitato enim vno cōtrario fortificatur aliud. Carnalis enim concupiscentia militat cum dæmone aduersus spiritum. Tit. 2. Iuuenes hortare vt sobrii sint. Secundo ad prouidentiam quæ valet contra deceptionem: ibi, & vigilate. sic speculator, sic pastor vigilat. Matth. 27. Vigilate & orate vt non intretis in tentationem.

Sequitur secundum principale in quo describitur hostis noster ex quatuor. Ex nequitia: violentia: versutia & immisericordia. Ex nequitia est hostis pessimus. Ex violentia terrificus. Ex versutia fallacissimus. Ex immisericordia crudelissimus. Inimicus est nocendo: terrificus est terrendo: versutus fallendo: crudelis puniendo. Tangit er-

git ergo primo inimicitiam liuoris: ibi, aduersarius vester diabolus: vere aduersarius: qui vertit ad malum. Iob. 26. Aduersarius meus quasi iniquus. Secundo incussionem timoris: ibi, tanquam leo rugiens. Psal. Salua me ex ore leonis. Tertio versutiam deceptionis: ibi, circuit. Sicut hostis castrum latro domum considerans ex qua parte possit intrare. Iob. 1. Circuiui terram & ambulaui eam. Quarto immisericordia afflictionis: ibi, quærens quem de. sicut lupus agnum. Ioel. 1. Ignis deuorauit speciosa deserti.

Sequitur tertium in quo animat ad pugnam: & primo animat ad repellendum: ibi, cui resistite. sicut domus bene fundata fluctui. Iacob. 4. Resistite diabolo & fugiet à vobis. Secundo animat ad vincendum: ibi, fortes in fide. Eph. 6. In omnibus sumentes scutum fidei vt possitis. Nota de scuto praui militis suspenso ad parietem.

De Euangelio, Sermo 3.

ERant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores vt au. e. Luc. 15. Appropinquare faciunt vnum aliá tria. videlicet natura inclinans. sic lapis ad imum sol ad occasum appropinquat. Necessitas vrgens. sic famelicus ad cibum, infirmus ad medicum appropinquat. Vtilitas delectans sic stolidus ad suauem sonum. Mercator foro appropinquat. Propter hæc tria merito appropinquabant publicani ad Iesum prædicantem: tum quia ipse erat Iesus, i. e. salus quæ naturaliter appetitur: tum quia ipsi peccatores. à peccato vero nemo sine Iesu liberatur: tum quia regnum prædicabat quod libenter auditur.

Secundum hoc tangitur primo conuersio malorum in appropinquatione medici. erant inquit appropinquantes ad Iesum. Num. 16. Quos elegit appropinquabit ei. Iac. 4. Appropinquate Deo & a. Secundo necessitas appropinquandi in magnitudine morbi: ibi, publicani & peccatores, i. e. aperte & occulte peccantes. Tob. 13. Conuertimini peccatores & facite iustitiam coram Domino. Tertio vtilitas & desiderium in auscultatione verbi: ibi, vt audirent eum. Luc. 10. Beati qui audiunt verbum Dei, &c.

De eodem, Sermo 4.

GAudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ecce quam bonum & quam iucundum sit peccata relinquere & pœnitentiam agere. Patet ex gaudio triumphantis ecclesiæ. Quamuis enim beati angeli iugiter contemplētur: quamuis in conspectu Dei delectabiliter epulentur: quamuis diuinis laudibus incessanter occupentur: non tamen dicit quod gaudent de iugi contemplatione: de dulci fruitione: de suaui modulatione. sed potius de peccatorum conuersione: secundum quod tangitur in verbo proposito.

In quo exprimitur primo exultationis veritas: quia, gaudium est. Luc. 15. Epulari & gaudere oportet: quia frater tuus. Secundo exultantium dignitas: ibi, angelis Dei. Matth. 18. Angeli eorum, scilic. custodes semper vident faciem, &c. Custos enim gaudet de prosperitate custoditi. Luc. 2. Tertio exultationis materia: ibi, super vno peccatore. Luc. 5. Non veni vocare iustos: sed peccatores ad pœnitentiam. Quarto exultandi causa: ibi, pœnitentiam agente. 2. Cor. 7. Gaudeo non quia contristati estis: sed quia contristati estis ad pœnitentiam. sic mater gaudet in sanatione filii.

Vide ergo statum beatorum & concupisce: quia gaudium: statum peccatorum & detestare: statum pœnitentium & exerce. primus est lætitiæ. secundus est miseriæ. tertius iustitiæ.

Dominica 4. post Trinitatem. Sermo primus, de Epistola.

EXistimo quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8. Ad laborandum & mercandum solet inducere homines. labor modicus & lucrum magnum. Ideo seminatur granum vt multiplicetur. Hic est quod Apostolus volens nos lucrari regnū gloriosum dicit quod incomparabiliter plus ibi habebimus gloriæ quam hic pœnæ: quippe quia pœna modica gloria magna. pœna transitoria gloria æterna. pœna mixta quia cum lætitia: gloria pura: quia sine tristitia. Ideo bene dicit Apostolus. existimo quod non sunt, &c.

Vbi ponitur primo apostolicę sententiæ grandis auctoritas: ibi, existimo, scil. per fidem. Psal. Existimaui vt cognoscerem. Secūdo pœnæ temporalis ad æternum præmium improportionalitas: ibi, quod nō sunt condignæ, &c. Tertio præmii conferendi apertissima veritas: ibi, quæ reuelabitur in nobis. Improportionalitatem ostēdit in duobus quia hic afflictio: ibi, delectatio: quod notatur, in passionibus & gloria. Item hic breuitas: ibi perpetuitas: quod notatur, in hoc tempore & futuro. 2. Cor. 4. Ideo enim quod in præsenti momentaneum est & leue tribulationis nostræ supra modum. Sequitur tertium, scil. præmii apertissima veritas: ibi, quæ reuelabitur. Modo enim velata est. 1. Petr. 4. In reuelatione gloriæ eius gaudeamus. Auctoritas facit ad fidei confirmationem. Improportionalitas præmii ad charitatis inflammationem: propalanda veritas ad nostram glorificationem.

De eodem, Sermo 2.

CReatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sicut dicitur. Rom. 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur. scil. potentia, sapientia, & clementia. Potentia in rerum creatione. Sapientia in hominum recreatione. Clementia in sanctorum glorificatione.

Et hæc tria implicantur hic. Primo humanæ naturæ conditio quod fuit ex infinita potentia: ibi, creatura. create enim est de nihilo aliquid facere. Gen. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Secundo conditę & lapsæ reparatio: ibi, liberabitur à seruitute corruptionis. Rom. 7. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius. gratia Dei. Tertio reparatę perfecta sublimatio: ibi, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Ecce tria concurrentia ad sublimationem: sublimans: ibi, Dei. sublimabile: ibi, filiorum sublimitas: ibi, in libertatem gloriæ. Psal. Beatus qui intelligit super egenum.

Serm

De Euangelio, Sermo 3.

ESTote misericordes sicut & pater vester misericors est. Ad operandum solent nos inducere tria facilitas boni operis: copia veri exemplaris: certitudo magnæ mercedis.

Duo prima notantur in verbo proposito. tertium in hoc quod sequitur date & dabitur vobis mensuram bonam, &c. Primo ergo tangitur facilitas operis: ibi, estote misericordes. facile est opus ad quod inclinat natura: tale opus est misereri. Iob. 31. Ab infantia creuit mecum miseratio. Tob. 4. Quomodo potueris esto misericors. Secūdo copia exemplaris: ibi, sicut & pater vester, &c. 1. Cor. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi: pater misericordiarū. Estote ergo misericordes, reuelando miseriam. sicut pater per creationem: vester, per recreationem: misericors est, per abundantem & gratuitam beneficiorum exhibitionem. Psal. Misericordia Domini plena est terra.

Sermo 4. de eodem.

DImittite & dimittetur vobis: date & dabitur vobis. Homines huius mundi duplex infestat incommodum. Vnum in spiritualibus quod est malitia. Aliud in corporalibus: quod est inopia. secundū hoc duplici indigēt remedio, scilicet remissione offensæ: & subuētione eleemosynæ.

Summus ergo magister misericorditer prouidens hominibus in vtroque: monet primo ad dimissionem iniuriæ illatæ. Secundo ad collationē eleemosynæ: ibi, date. In prima, primo præcepit verbo. Secūdo allicit præmio: ibi, & dimittetur: dimitte ergo pro Christo illationem iniuriæ. Matth. 18. Domine quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei, &c. Et dimittetur offensa culpæ & debitum pœnæ. Matth. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet vobis pater vester cælestis delicta vestra.

Sequitur secundum principale in quo monet ad erogationem eleemosynæ: ibi, date. Prou. 3. Honora Dominum de tua substantia & de præ. Prou. 25. Si esurierit inimicus. Secundo allicit præmio: ibi, & dabitur vobis. vnde sequitur mēsuram bonam & confertam, &c.

Dominica 5. post Trinitatem, Sermo primus, de Epistola.

OMnes vnanimes in oratione estote. 1. Petr. 2. Quemadmodum domus materialis ad hoc quod sit bona debet esse ordinata ad tria. Ad id quod est supra: per debitam altitudinem. Ad id quod est iuxta: per innoceam positionem. Ad id quod est infra: per firmam dispositionem. Sic domus spiritualis, scilicet homo, ad hoc quod sit bonus debet esse ordinatus ad proximum per concordiam, ad Deum per orationem, ad seipsum per stabilitatem.

Secundum hoc monet beatus Iacobus ad tria. Primo ad vniuersalem concordiam: ibi, omnes vnanimes. Rom. 15. Vnanimes vno ore honorificetur Deum. legio dæmonum fuit vnanimis ad malum: quanto plus nos ad bonum. Secundo ad precum instantiam: ibi, in oratione. Actor. 1. perseuerantes vnanimiter in oratione. Colos. 4. Orationi instate. Tertio ad stabilitatis constantiam: ibi, estote. Luc. 12. Et vos estote parati.

Amplius procedendo in epistola potest dici quod sicut in claustro materiali sunt diuersæ officinæ, scil. ecclesia. infirmaria, refectorium, hospitium, capitulum, & dormitorium: sicut claustro spirituali debet esse templum orationis. Infirmitorium compassionis: ibi, compacientes. Refectorium cōmunitatis: ibi, fraternitatis amatores. Hospitium largitatis: ibi, misericordes. Capitulum humilitatis: ibi, humiles. Dormitorium pacis. & quietis: ibi non reddentes ma.

De eodem, Sermo 2.

IN hoc vocati estis vt benedictionem hæreditate possideatis. Exhibet nobis Deus beneficia in omni statu: quia & in via: & in patria: vocat in via ditat in patria. vocat ad sermonem ditat ad consortium: secundum quod hic dicitur, in hoc vocati estis, &c.

Vbi notantur tria commendantia quodlibet beneficium. Primo curialitas in dando: ibi, in hoc vocati estis. 1. Thes. 2. Ambuletis digne Deo qui vocauit vos in suum regnum & gloriam. Sed heu quia conqueritur Dominus. Prou. 1. Vocaui & renuistis. Secundo preciositas in dono: ibi, vt benedictionem. Eccles. 11. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat. Matth. 25. Venite benedicti patris mei: sed heu: quia dicitur in Psal. Noluit benedictionem & elongabitur ab eo. Tertio perpetuitas in possidendo: ibi, hereditate possideatis. Psal. Nouit Dominus dies immaculatorum & hereditas: contra dicitur malo. Iudic. 11. Heres nobiscum esse non poteris.

De eodem, Sermo 3.

SI quid patimini propter iustitiam beati. Viatores & peregrini sumus in hoc mundo. & ideo ne deuiemus docet nos viam veniendi ad patriam beatus Petrus.

Cuius viæ ponit signū: causam: & terminum. Signum habet ducere. Causa perducere. Terminus quietare. Signum ducens est perpessio tribulationis: de quo dicit, si quid patimini. 2. Tim. 4. Omnes qui pie volunt viuere in Christo pri pa. Causa perducens est meritum iustificationis: ibi, propter iustitiam Eccl. 4. Pro iustitia agonizare pro anima tua & vsque ad mortem certa pro iustitia: terminus quietās est præmium æternæ fruitionis: ibi, beati Apo. vlt. Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni. Matth. 5. Do his tribus simul beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

De Euangelio, Sermo 4.

PRæceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus in verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5. Fidei fundamentum commendatur in homine generaliter ex tribus. Ex inuocatione diuini adiutorii. Ex recognitione defectus proprii. Ex cōfidentia profectus per gratiam Christi.

Ideo exemplo. Petri primo inuocandum est diuinum adiutorium: quia potentissimum. vnde dicit, præceptor: sic 10. leprosi. Luc. 17. Iesu præceptor miserere nostri. Secundo recognoscendum est proprium demeritum: quia inutile imo & damnosum propter tenebras cæcitatis quod notatur: ibi, per totam noctem. Prou. 7. Considero vecordem iuuenem qui transit per plateas

advesperascente die in noctis tenebris: & item flagitiosum propter angustias pœnalitatis: ibi, laborantes. Psal. Nisi Dominus ædificauerit domum &c. Item infructuosum propter incommodum sterilitatis: ibi, nihil cepimus. Ioh. 15. Sine me nihil potestis facere. Tertio confidendum est de profectu per auxiliū gratiæ Christi quia plurimum fructuosum: ibi, in verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Sermo 5. de eodem.

EXi à me: quia homo peccator sum Domine. Consideratio operum Dei inspicientibus ea inducit tria. sc. stuporem & quasi amentiam: sicut nimietas lucis visum retundit. Abac. 3. Sibi 70. consideraui opera tua & expaui: ibi, exi à me. Item propriorum defectuum notitiam: ibi, quia humo peccator sum: sic tortuositas lignorum ex applicatione rectæ regulæ percipitur. Iob. 42. Nunc oculus meus videt te idcirco me reprehendo. Tertio timorem & reuerentiam: ibi, Domine. columba enim viso accipitre timet Iudic. 16. Adonai Dominus Deus magnus & terribilis.

Dominica 6. post Trinitatem, Sermo primus, de Epistola.

QVomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Rom. 6. Antiquitus dixit Dominus Moysi sicut dicitur Exod 25. Inspice & fac iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est. Hoc autem competit vnicuiq; nostrum spiritualiter. Nam in monte Christus monstrauit nobis exemplar sanctimoniæ in bonis agendis. Ioh. 13. Exemplum enim dedi vobis: vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis. Exemplar patientiæ in malis sustinendis. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Exemplar perseuerantiæ in vtrisque continuandis: sicut dicitur hic. Vbi monet quod sicut Christus surrexit à morte pœnę in nouitatem gloriæ: nunquam postea moriturus. Sic quilibet surgat à vetustate culpæ ad nouitatem gratiæ nunquam postea relapsurus.

Monet ergo exemplo resurrectionis. Secundo admonitionis: ibi, ita & nos. In primo tangit tria. Primo resurgentis dignitatem: ibi, Christus. Hebr. 9. Christus assistens pontifex futurorum, &c. Secundo resurrectionis veritatem: ibi, surrexit à mortuis. Roman. 16. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. Tertio resurgendi virtutem: ibi, per gloriam patris. glo. per verbum patris vnitum homini: de quo Ioh. 1. Verbum caro factum est, &c.

Sequitur secundum principale: in quo ponitur verbum admonitionis ad perseuerandum in bono: ad quod inducunt tria. Primo pulchritudo spiritualis: quæ notatur ibi, in nouitate. Psal. Cor mundum crea in me Deus & spiritū rectum innoua in visceribus meis. Tūc est vas pulchrum quando est mundum & recte formatum. Secundo appetitus naturalis: ibi, vitę. Naturaliter enim homo appetit viuere: & maxime bene viuere. Ps. Veniant mihi miserationes tuæ & viuam. Tertio obligatio temporalis: ibi, ambulemus. ex quo enim viatores sumus: oportet nos ambulare. Ioh. 12. Ambulate dum lucem habetis.

De eodem, Sermo 2.

EXistimate vos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo. Sicut dicitur Sap. 8. Diuina sapientia sobrietatem docet & prudētiam & iustitiam: & fortitudinem: quibus vtilius nibil est in vita hominibus: quia per Prudentiam deliberamur in omnibus diligenter. Per temperantiam abiicimus malum totaliter. Per fortitudinem negociamur virtualiter. Per iustitiam intendimus Deo finaliter.

Secundum hoc Apostolus ergo primo sollicitat ad deliberandum: ibi, existimate vos. 1. Corinth. 10. Qui se existimat stare: videat ne cadat. Secundo ad malum abiiciendum: ibi, mortuos peccato. Colos. 3. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Tertio inducit ad spiritualiter negotiandum: ibi, viuentes. Negotiatio enim fit propter vitam & à viuis. Prouer. 9. Relinquite infantiā & viuite: & ambulate per vias prudentiæ. Quarto informat ad rectam intentionem habendam: ibi, Deo, i. e. ad honorem & voluntatem Dei. 1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite. Phil. 1. Repleti fructu iustitiæ.

De Euangelio, Sermo 3.

NIsi abundauerit iustitia vestra plusquā Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5. Iustitia potest deficere in homine tripliciter secundum triplicem dimēsionem, scil. profunditatem deficit in hypocritis: in quibus est iustitia exterius in superficie nō interius in profundo qui sunt. q. fimus niue tectus. Matth. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Secundum latitudinem deficit in his qui diuitibus satisfaciunt: sed pauperes opprimunt qui alios corrigunt seipsos negligunt. Esa. 64. Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ. Luc. 18. Dixit Dominus ad quosdam qui in se cōfidebant tanquam iusti, &c. Secundum longitudinem deficit in his qui recidiuant. Esa. 1. Iustitia habitauit in ea: nūc autem homicidę. nullus talium intrabit regnum cœlorum. Et quia Scribæ & Pharisæi tales erant: ideo dicitur hic. nisi abundauerit, &c.

Vbi primo inuitat ad sanctificationem interiorem: ibi, abundauerit iustitia, scil. in profunditate, latitudine, & longitudine. vt ibi sit iustitia: veraciter generaliter, & finaliter. Prou. 15. In abundanti iustitia virtus maxima. Secundo respuit iustificationem exteriorem: ibi, Scribarum & Pharisæorum. Matth. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritę qui decimatis, &c. Tertio infert terribilem comminationem: ibi, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, &c.

Sermo 4. de eodem.

AVdistis quod dictū est antiquis non occides qui autem occidit reus erit iudicio. Tria ostendunt grauitatem peccati, scil. offensa Dei. macula peccati: pœna inferni.

Ex his patet grauitas homicidii voluntarii & iniusti. Primo ex virtute prohibitionis: ibi, audistis, &c. Dño displicet illud ꝙ prohibet: & si fiat offen-

offenditur. ecce prohibitio facta euidenter quia audistis. Generaliter non solum modernis, sed antiquis Misericorditer: quia, non occides. Psal. Quanta andiuimus & cugnouimns ea patres nostri nar. Secundo ex culpa transgressoris: ibi, qui autem occiderit. Leuit. 24. Qui occiderit hominem morte morietnr. Tertio ex pœna transgressionis: ibi, reus erit iudicio, sci. condemnationis: de quo indicio Ioh. 5. Qui audit verbum meum & credit ei qui misit me habet vitam æternam: & in iudicium non veniet, &c. Negatina præceptio ligat vniuersaliter. Voluntaria transgressio maculat criminaliter. Moralis inordinatio obligat ad pœnam æternaliter.

Dominica 7. post Trinitatem. Sermo primus, de Euangelio.

NVnc autem liberati à peccato: serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero vitam æternam. Sicut ait veritas Matth. 6. Nemo potest duobus Dominis seruire: Deo, scil. & peccato. & hoc propter repngnantiam dominorum: quia vbi Deus, non est peccatum: propter contrarietatem seruorum: quia seruus Dei bonns: sernns peccati malus. Propter diuersitatem præmiorum: quia stipendia peccati mors inferni. gratia Dei vita æterna: & ideo qui vult seruire Deo oportet, quod liberetur à peccato: secundum quod hic dicitur.

Vbi tangitur primo bonæ vitæ inchoatio: ibi, nunc autem liberati à peccato. egressus enim vicii ingressus est virtutis. Psal. Libera me de sanguinibus. Secundo inchoatæ progressio: ibi, serui autem facti Deo. Luc. 1. Sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus, &c. Tertio ipsins perfectio: ibi, habetis fructum vestrum in sanctificationem. frui enim est: cum delectatione vti. Ezech. 31. Ego Dominus sanctifico vos. 1. Thes. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Quarto perfectæ præmiatio: ibi, finem. non vitam æternam. Matth. 25. Iusti autem in vitam æternam. In prima tangitur primo pœnitentiæ tempus: ibi, nunc. Iac. 5. Agite nunc diuites. Sacundo virtus: ibi, liberati à peccato. Ezech. 18. Iustiria liberabunt animas suas.

De eodem, Sermo 2.

STipendia peccati mors: gratia autem Dei vita æterna. Cuius finis bonus est: ipsum quoque bonum est. Er cuius finis malus est ipsum quoq; malum est. hinc patet quod peccatū est malum, gratia vero bona: quia stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita ætetua: sicut hic dicitur.

Vbi tangitur primo damnum culpæ. Secundo fructus virtutis gratuitæ: ibi, gratia autem Dei. In prima primo tangitur demeritū vitii: ibi, stipendia peccati. Iob. 8. Qui facit peccatum seruus est peccati. Secundo pœna supplicii: ibi, mors, scil. æterna. Iac. 1. Concupiscentia cum conceperit parit peccatum. peccatum vero cum cōsummatū fuerit generat mortem. In secunda parte principali similiter tangitur primo virtutis meritum: ibi gratia autem Dei. 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum, sc. in esse meritorio. Secundo gloriæ præmium: ibi, vita æterna. 1. Tim. 5. Apprehende vitam æternam in qua, &c.

De Euangelio, Sermo 3.

MIsereor super turbam: quia iam triduo sustinent me nec habent quod manducent & si dimisero eos, i. e. in d. f. deficient in via. Mar. 8. Antiquitus quærebat. Psal. Nunquid obliuiscetur misereri Deus: q. d. non. quia & ex natura est misericors & etiam assuetus ad opera misericordiæ. clericus enim qui frequenter repetit lectionem suam non obliuiscitur eam. Vnde & ipse Dominus, hic dicit, misereor sup turbā. &c.

Vbi notatur primo benigna Christi compassio cum dicit, misereor super turbā. Ps. Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se. Secundo compassionis ratio: & hæc triplex. Primo deuotio populi: ibi, quia ecce iam triduo sustinent me. Ps. Viriliter age & confortetur cor tuum & sustine Dominum expectando, scil. eius auxilium: sic pauper sustinet ad ostium benefici. Secundo penuria famelici: ibi, nec habent quod mandūcent. Rom. 14. Qui non manducat Domino non manducat. Tertio in commodum tanti ieiunii: ibi, & si dimisero eos ie. deficient in via. Ps. Cum defecerit virtus mea ne derelinquas.

De eodem, Sermo 4.

ACcipiens Iesus panes gratias agens fregit & dabat discipulis suis vt apponerēt. Summus Dominus & Magister Iesus Christus docet quēlibet ordinatum esse ad se: ad Deum: & ad proximum vt sit saluti suæ intentus: Deo gratus. proximo fructuosus: & hoc per salubrem animæ refectionem: & sic panes accipit: per beneficii recognitionem: & sic gratias agit: per sanctam ædificationem & sic aliis apponit: alias esset famelicus quoad seipsum. ingratus quoad Deum: nociuus quoad proximum.

Secundum hoc docet hic tria. Primo sui curam habere: ibi, accipiens panes. Esa. 58. Frange esurienti panem t. q. d. non totum da, sed retine tibi contra illos qui alios corrigunt & non se. Secundo gratias agere: ibi, gratias agens. 1. Thes. 5. In omnibus gratias agite. Tertio aliis prodesse; ibi, fregit & dabat discipulis vt apponerent.

Vbi tangitur primo dans & non recipiens ab homine: ibi, fregit & dabat. Psal. Dispersit dedit pauperibus. Secundo recipiens & dans: ibi, discipulis. Matth. 10. Gratis accepistis gratis date. Tertio recipiens & non dans: ibi, vt apponerent turbæ: Eccl. 31. Vtere quasi homo fruge his quæ tibi apponuntur. Primus est sicut sol. Secundus sicut luna. Tertius sicut terra in illuminando.

Dominica 8. post Trinitatem, Sermo primus, de Epistola.

SI secundum carnem vixeritis moriemini: si spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis. Rom. 8. Sicut dicit sapiens. Eccles. 15. Ante hominem vita & mors bonū & malum quod placuerit ei dabitur illi: quia si placuerit ei bonum gratiæ: dabitur ei vita gloriæ: si malum culpæ: dabitur ei mors gehennæ. huic concordat quod dicit Apostolus in verbo proposito: si secundum carnem, &c.

Vbi docet quatuor, sc. quid fugiendum: quia culpa. quid metuendum: quia pœna: quid eligendum quia pœnitentia. quid sperandum: vita æterna. Tangit ergo primo vitæ carnalis illecebras tanquam fugiendas: ibi, si secundum carnem vixeritis, i. e. secundum carnis desideria. 1. Petr. 2. Charissimi obsecro vos tanquam adue-

advesperascente die in noctis tenebris: & item flagitiosum propter angustias pœnalitatis: ibi, laborantes. Psal. Nisi Dominus ædificauerit domum &c. Item infructuosum propter incommodum sterilitatis: ibi, nihil cepimus. Ioh. 15. Sine me nihil potestis facere. Tertio considerandum est de profectu per auxiliũ gratiæ Christi quia plurimum fructuosum: ibi, in verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Sermo 5. de eodem.

EXi à me: quia homo peccator sum Domine. Consideratio operum Dei inspicientibus ea inducit tria. sc. stuporem & quasi amentiam: sicut nimietas lucis visum retundit. Abac. 3. Sibi 70. consideraui opera tua & expaui: ibi, exi à me. Item propriorum defectuum notitiam: ibi, quia homo peccator sum: sic tortuositas lignorum ex applicatione rectæ regulæ percipitur. Iob. 42. Nunc oculus meus videt te idcirco me reprehẽdo. Tertio timorem & reuerentiam: ibi, Domine. columba enim viso accipitre timet Iudic. 16. Adonai Dominus Deus magnus & terribilis.

Dominica 6. post Trinitatem, Sermo primus, de Epistola.

QVomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Rom. 6. Antiquitus dixit Dominus Moysi sicut dicitur Exod. 25. Inspice & fac iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est. Hoc autem competit vnicuiq; nostrum spiritualiter. Nam in monte Christus monstrauit nobis exemplar sanctimoniæ in bonis agendis. Iob. 13. Exemplum enim dedi vobis: vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis. Exemplar patientiæ in malis sustinendis. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Exemplar perseuerantiæ in vtrisque continuandis: sicut dicitur hic. Vbi monet quod sicut Christus surrexit à morte pœnę in nouitatem gloriæ: nunquam postea moriturus. Sic quilibet surgat à vetustate culpæ ad nouitatem gratiæ nunquam postea relapsurus.

Monet ergo exemplo resurrectionis. Secundo admonitionis: ibi, ita & nos. In primo tangit tria. Primo resurgentis dignitatem: ibi, Christus. Hebr. 9. Christus assistens pontifex futurorum, &c. Secundo resurrectionis veritatem: ibi, surrexit à mortuis. Roman. 16. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. Tertio resurgendi virtutem: ibi, per gloriam patris. glo. per verbum patris vnitum homini: de quo Ioh. 1. Verbum caro factum est, &c.

Sequitur secundum principale: in quo ponitur verbum admonitionis ad perseuerandum in bono: ad quod inducunt tria. Primo pulchritudo spiritualis: quæ notatur ibi, in nouitate. Psal. Cor mundum crea in me Deus & spiritũ rectum innoua in visceribus meis. Tũc est vas pulchrum quando est mundum & recte formatum. Secundo appetitus naturalis: ibi, vitę. Naturaliter enim homo appetit viuere: & maxime bene viuere. Ps. Veniant mihi miserationes tuæ & viuam. Tertio obligatio temporalis: ibi, ambulemus. ex quo enim viatores sumus: oportet nos ambulare. Ioh. 12. Ambulate dum lucem habetis.

De eodem, Sermo 2.

EXistimate vos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo. Sicut dicitur Sap. 8. Diuina sapientia sobrietatem docet & prudẽtiam: & iustitiam: & fortitudinem: quibus vtilius nihil est in vita hominibus: quia per Prudentiam deliberamur in omnibus diligenter. Per temperantiam abiicimus malum totaliter. Per fortitudinem negociamur virtualiter, Per iustitiam intendimus Deo finaliter.

Secundum hoc Apostolus ergo primo sollicitat ad deliberandum: ibi, existimate vos. 1. Corinth. 10. Qui se existimat stare: videat ne cadat. Secundo ad malum abiiciendum: ibi, mortuos peccato. Colos. 3. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Tertio inducit ad spiritualiter negotiandum: ibi, viuentes. Negotiatio enim fit propter vitam & à viuis. Prouer. 9. Relinquite infantiã & viuite: & ambulate per vias prudentiæ. Quarto informat ad rectam intentionem habendam: ibi, Deo, i. e. ad honorem & voluntatem Dei. 1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite. Phil. 1. Repleti fructu iustitiæ.

De Euangelio, Sermo 3.

NIsi abundauerit iustitia vestra plusquã Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5. Iustitia potest deficere in homine tripliciter secundum triplicem dimẽsionem, scil. profunditatem deficit in hypocritis: in quibus est iustitia exterius in superficie nõ interius in profundo qui sunt. q. fimus niue tectus. Matth. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Secundum latitudinem deficit in his qui diuitibus satisfaciunt: sed pauperes opprimunt qui alios corrigunt seipsos negligunt. Esa. 64. Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ. Luc. 18. Dixit Dominus ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, &c. Secundum longitudinem deficit in his qui recidiuant. Esa. 1. Iustitia habitauit in ea: nũc autem homicidę. nullus talium intrabit regnum cœlorum. Et quia Scribæ & Pharisæi tales erant: ideo dicitur hic. nisi abundauerit, &c.

Vbi primo inuitat ad sanctificationem interiorem: ibi, abundauerit iustitia, scil. in profunditate, latitudine, & longitudine. vt ibi sit iustitia: veraciter generaliter, & finaliter. Prou. 15. In abundanti iustitia virtus maxima. Secundo respuit iustificationem exteriorem: ibi, Scribarum & Pharisæorum. Matth. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritę qui decimatis, &c. Tertio infert terribilem comminationem: ibi, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, &c.

Sermo 4. de eodem.

AVdistis quod dictũ est antiquis non occides qui autem occidit reus erit iudicio. Tria ostendunt grauitatem peccati, scil. offensa Dei. macula peccati: pœna inferni.

Ex his patet grauitas homicidii voluntarii & iniusti. Primo ex virtute prohibitionis: ibi, audistis, &c. Dño displicet illud q; prohibet: & si fiat offen-

offenditur. ecce prohibitio facta euidenter quia audiſtis. Generaliter non ſolum modernis, ſed antiquis Mifericorditer: quia, non occides. Pſal. Quanta audiuimus & cognouimus ea patres noſtri nar. Secundo ex culpa tranſgreſſoris: ibi, qui autem occiderit. Leuit. 14. Qui occiderit hominem morte morietur. Tertio ex pœna transgreſſionis: ibi, reus erit iudicio, ſci. condemnationis: de quo iudicio Ioh. 5. Qui audit verbum meum & credit ei qui miſit me habet vitam æternam: & in iudicium non veniet, &c. Negatiua præceptio ligat vniuerſaliter. Voluntaria tranſgreſſio maculat criminaliter. Moralis inordinatio obligat ad pœnam æternaliter.

Dominica 7. post Trinitatem. Sermo primus, de Euangelio.

NVnc autem liberati à peccato: ſerui autem facti Deo habetis fructum veſtrum in ſanctificationem: finem vero vitam æternam. Sicut ait veritas Matth. 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire: Deo, ſcil. & peccato. & hoc propter repugnantiam dominorum: quia vbi Deus, non eſt peccatum: propter contrarietatem ſeruorum: quia ſeruus Dei bonus: ſeruus peccati malus. Propter diuerſitatem præmiorum: quia ſtipendia peccati mors inferni. gratia Dei vita æterna: & ideo qui vult ſeruire Deo oportet, quod liberetur à peccato: ſecundum quod hic dicitur.

Vbi tangitur primo bonæ vitæ inchoatio: ibi, nunc autem liberati à peccato. egreſſus enim vitii ingreſſus eſt virtutis. Pſal. Libera me de ſanguinibus. Secundo inchoatæ progreſſio: ibi, ſerui autem facti Deo. Luc. 1. Sine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus, &c. Tertio ipſius perfectio: ibi, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem. frui enim eſt: cum delectatione vti. Ezech. 31. Ego Dominus ſanctifico vos. 1. Theſ. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. Quarto perfectæ præmiatio: ibi, finem. non vitam æternam. Matth. 25. Iuſti autem in vitam æternam. In prima tangitur primo pœnitentiæ tempus: ibi, nunc. Iac. 5. Agite nunc diuites. Secundo virtus: ibi, liberati à peccato. Ezech. 18. Iuſtitia liberabunt animas ſuas.

De eodem, Sermo 2.

STipendia peccati mors: gratia autem Dei vita æterna. Cuius finis bonus eſt: ipſum quoque bonum eſt. Et cuius finis malus eſt ipſum quoq; malum eſt. hinc patet quod peccatū eſt malum, gratia vero bona: quia ſtipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna: ſicut hic dicitur.

Vbi tangitur primo damnum culpæ. Secundo fructus virtutis gratuitæ: ibi, gratia autem Dei. In prima primo tangitur demeritū vitii: ibi, ſtipendia peccati. Ioh. 8. Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Secundo pœna ſupplicii: ibi, mors, ſcil. æterna. Iac. 1. Concupiſcentia cum conceperit parit peccatum. peccatum vero cum cōſummatū fuerit generat mortem. In ſecunda parte principaliter ſimiliter tangitur primo virtutis meritum: ibi gratia autem Dei. 1. Cor. 15. Gratia Dei ſum id quod ſum, ſc. in eſſe meritorio. Secundo gloriæ præmium: ibi, vita æterna. 1. Tim. 5. Apprehende vitam æternam in qua, &c.

De Euangelio, Sermo 3.

MIſereor ſuper turbam: quia iam triduo ſuſtinent me nec habent quod manducent & ſi dimiſero eos, l. e. in d. ſ. deficient in via. Mar. 8. Antiquitus quærebat. Pſal. Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus: q. d. non. quia & ex natura eſt miſericors & etiam aſſuetus ad opera miſericordiæ. clericus enim qui frequenter repetit lectionem ſuam non obliuiſcitur eam. Vnde & ipſe Dominus, hic dicit, miſereor ſup turbā, &c.

Vbi notatur primo benigna Chriſti compaſſio cum dicit, miſereor ſuper turbā. Pſ. Quomodo miſeretur pater filiorum miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Secundo compaſſionis ratio: & hæc triplex. Primo deuotio populi: ibi, quia ecce iam triduo ſuſtinent me. Pſ. Viriliter age & conſortetur cor tuum & ſuſtine Dominum expectando, ſcil. eius auxilium: ſic pauper ſuſtinet ad oſtium benefici. Secundo penuria famelici: ibi, nec habent quod manducent. Rom. 14. Qui non manducat Domino non manducat. Tertio in commodum tanti ieiunii: ibi, & ſi dimiſero eos ie. deficient in via. Pſ. Cum defecerit virtus mea ne derelinquas.

De eodem, Sermo 4.

ACcipiens Ieſus panes gratias agens fregit & dabat diſcipulis ſuis vt apponerēt. Summus Dominus & Magiſter Ieſus Chriſtus docet quēlibet ordinatum eſſe ad ſe: ad Deum: & ad proximum vt ſit ſaluti ſuæ intentus: Deo gratus. proximo fructuoſus: & hoc per ſalubrem animæ refectionem: & ſic panes accipit: per beneficii recognitionem: & ſic gratias agit: per ſanctam ædificationem & ſic aliis apponit: alias eſſet famelicus quoad ſeipſum. ingratus quoad Deum: nociuus quoad proximum.

Secundum hoc docet hic tria. Primo ſui curam habere: ibi, accipiens panes. Eſa. 58. Frange eſurienti panem t. q. d. non totum da, ſed retine tibi contra illos qui alios corrigunt & non ſe. Secundo gratias agere: ibi, gratias agens. 1. Theſ. 5. In omnibus gratias agite. Tertio aliis prodeſſe: ibi, fregit & dabat diſcipulis vt apponerent.

Vbi tangitur primo dans & non recipiens ab homine: ibi, fregit & dabat. Pſal. Diſperſit dedit pauperibus. Secundo recipiens & dans: ibi, diſcipulis. Matth. 10. Gratis accepiſtis gratis date. Tertio recipiens & non dans: ibi, vt apponerent turbæ: Eccl. 31. Vtere quaſi homo fruge his quæ tibi apponuntur. Primus eſt ſicut ſol. Secundus ſicut luna. Tertius ſicut terra in illuminando.

Dominica 8. post Trinitatem, Sermo primus, de Epiſtola.

SI ſecundum carnem vixeritis moriemini: ſi ſpiritu facta carnis mortificaueritis viuetis. Rom. 8. Sicut dicit ſapiens. Eccleſ. 15. Ante hominem vita & mors bonū & malum quod placuerit ei dabitur illi: quia ſi placuerit ei bonum gratiæ: dabitur ei vita gloriæ: ſi malum culpæ: dabitur ei mors gehennæ. huic concordat quod dicit Apoſtolus in verbo propoſito: ſi ſecundum carnem, &c.

Vbi docet quatuor, ſc. quid fugiendum: quia culpa. quid metuendum: quia pœna: quid eligendum quia pœnitentia. quid ſperandum: vita æterna. Tangit ergo primo vitæ carnalis illecebras tanquam fugiendas: ibi, ſi ſecundum carnem vixeritis, i. e. ſecundum carnis deſideria. 1. Petr. 2. Chariſſimi obſecro vos tanquam adue-

nas & peregrinus vt abstineatis à carnalibus. Secundo debitas illi pœnas tanquam metuendas: ibi, moriemini, scil. morte culpæ & gehennæ. 1. Tim. 5. Vidua quæ in delitiis est viuens mortua est. Tertio macerationis meritum tanquam eligendum ibi, si spiritu facta carnis mor. Colos. 3. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Quarto huius meriti præmium tanquam spetandum: ibi, viuetis. Col. 3. Mortui enim estis & vita nostra abscondita est cum Christo in Domino. de his. Ioh. 12. Qui amat animā suam perdet eam: & qui odit animam suam in vitam æternam custodiet eam.

De eodem, Sermo 2.

IPse spiritus reddit testimoniū spiritui nostro q̄ sumus filii Dei: si autē filii & hæredes: hæredes quidem Dei: coheredes autem Christi. Triplici via habetur notitia de rebus, scil. per propriam inuentionē: sic nouerunt primi philosophi. per humanam eruditionem. sic philosophorum discipuli per diuinam reuelationem: sic viri sancti. Reuelatio autem diuina fit quandoq; ad certam scientiam sicut Paulo & Prophetis. quandoq; ad probabilem confidentiam sic fit iustis: qui bona opera quæ agit Spiritus S. per illa habent confidentiam quod sint filii Dei per gratiam: & tandem hęredes per gloriam. secundum quod dicit Apostolus hic, ipse spiritus, &c.

Vbi trinitas diuina exprimitur & primo Spiritus S. benignitas in hoc quod nobis testimonium dat. Secundo patris charitas in hoc quod nos in filios adoptat: ibi, si autem filii & heredes. Tertio filii liberalitas in hoc quod hæreditatem suam nobis communicat: ibi, hæredes quidem Dei, &c. In prima notantur tria. Primo testis idoneitas: ibi, ipse spiritus. Ioh. 16. Cum venerit spiritus veritatis ille docebit vos omnē veritatem. Secundo testificandi subtilitas: ibi, reddit testimonium spiritui nostro. Rom. 9. Testimonium perhibente mihi conscientia, &c. Tertio testimonii iucunditas: ibi, quia sumus filii Dei. 1. Ioh. 3. Charissimi nunc filii Dei sumus: sed nondum apparet quid erimus.

Circa secundum principale apparet Christi charitas in duobus. Primo in hoc quod adoptat in hac via. Secundo in hoc quod ditat in patria. Vnde dicit. Si filii & heredes. Gal. 4. Quod si filius & heres per Deum.

Circa tertium principale apparet filii liberalitas: in hoc quod hæreditatem suam nobis communicat. Vbi notatur hęredum delectatio: quia, hæredes Dei. 1. Petr. 1. In hæreditatem incorruptibilem incontaminatam, &c. Ipsorum comparticipatio: ibi, cohæredes autem Christi. Luc. 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis & ego, &c.

De Euangelio, Sermo 3.

OMnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Matth. 7. In scriptura comparatur homo frequenter arbori. Habet enim os. q. radicem per quam attrahitur alimentum. Vnde dicitur arbor euersa. Sanguinem. q. humorem. Corpus. q. stipitem. Brachia. q. ramos. Linguam. q. folium. Gestus. q. flores. Opera. q. fructus. Huius ergo arboris sterilis i. e. hominis peccantis describitur damnatio.

Vbi notantur quatuor. Primo natura: ibi, omnis arbor. Matth. 8. Video homines velut arbores ambulantes. Secundo culpa: ibi, quæ non facit fructum bonum. Ioh. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Tertio sententia: ibi, excidetur. Luc. 13. Succide illam, vt quid terram occupat. Quarto pœna: ibi, & in ignem mittetur. Psal. Pluet super peccatores laqueos ignis, &c. Attende ergo nobilitatem naturæ humanæ. sterilitatem detestandæ culpæ. seueritatem diuinæ iustitiæ, acerbitatem infligendæ pœnæ: & caue ab iniquitate.

De eodem, Sermo 4.

NOn omnis qui dicit Domine Domine intra, &c. Sicut dicitur vulgariter. Qui bene facit bene habebit. Vnde Iac. 1. Factor operis. beatus erit in facto suo. Vnde sicut non sufficit promittere nisi assit soluere. Sic nec dicere nisi assit facere. maxime in mandatis diuinis. vnde hic dicitur, non omnis qui dicit Domine, &c.

Vbi notatur triplex bonum. Primum verbi. secundum facti. tertium præmii. Primum est eloquentiæ: & istud deficiens. Secundum obedientiæ: & istud sufficiens. Tertium gloriæ: & istud perficiens. Tangitur ergo primo bonum deficiens. & hoc in duobus. Primo in simulatione virtutis: quia in verbo tantum. non in facto est virtus: cum dicitur, Domine Domine, Matth. 25. Domine Domine aperi nobis. Si dixissent ter Domine. scil. corde: ore: & opere aperuisset eis. Secundo in damnositate simulationis: quia, non intrabit in regnum cœlorum. Matth. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui clauditis regnum cœlorum ante homines: vos non intratis. Secundo principaliter tangitur bonū sufficiens: ibi: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est. Ideo Psal. Benedicite Domino omnes virtutes eius ministri eius qui facitis voluntatem eius. Tertio bonum perficiens: ibi, ipse intrabit in regnum cœlorum. Matth. 25. Venite benedicti patris mei percipite, &c.

Dominica 9. post Trinitatem. Sermo primus, de Epistola.

NOn simus concupiscentes malorum. 1. Cor. 10. Qui vult plantam destruere nititur illam eradicare. Sic qui vult peccata destruere debet radicem eorum, sc. concupiscentiam mortificare: & post concupiscentias suas non ire. Ideo dicit hic Apostolus, non simus concupiscentes malorum.

Vbi docet destruere peccatum & totaliter & generaliter. Primo totaliter quantum ad radicationem: vt scil. nec radix remaneat: cum dicit, non simus concupiscentes: quia concupiscentia est radix omnium malorum. Iac. 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Secundo generaliter quo ad numerositatem: ibi, malorum simpliciter. non vnius mali tantum. 1. Pet. 3. Deponentes omnem malitiam. quamdiu manet vna plaga mortalis: non est sanus homo.

De eodem, Sermo 2.

QVi se existimat stare: videat ne cadat. 1. Corinth. 10. Sicut dicit Greg. In cassum bonū agitur si ante vitæ terminum deseratur. Nam & frustra

frustra cito currit: qui antequam ad metam veniat deficit. Et quia homo pruousest ad cassum: tum ea lubricitate viæ: tum ea fragilitate naturæ. Ideo sollicitat Apostolus existentem in statu gratiæ vt caueat à statu culpæ dicens, qui se existimat. &c.

Hoc autem facit. Primo commendando securitatem conscientiæ: ibi, qui se existimat stare. id est cui conscientia testatur quod sit in bono statu. Rom. 5. Accessum habemus ad Deum per gratiam in qua stamus. Secundo inuitando ad diligentiam cautelæ: ibi, videat. Matth. 13. Videte: vigilate: orate. Antonius vidit mundum plenum laqueis & audiuit quod humilitas liberat et ab his. Tertio reuocando à præcipicio ruinæ: ibi, ne cadat. Psalm. Cadent omnes qui descendunt in terram.

Sermo 3. De Euangelio.

VOcauit Dominus villicum & ait illi quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ iam enim non poteris amplius villicare. Luc. 16. Solent res laudari secundum quadruplex genus causæ ea quo consistunt. Ex preciositate materiæ: vt vas aureum. Ex speciositate formæ vt imago bene protracta. Ex vtilitate finis: vt efficax medicina. Ex sagacitate agentis: vt obturatio antis aspidis cum cauda.

Ab his duabus causis vltimis laudatur villicus iniquitatis: quia sagaciter & vtiliter operatus est: de quo tangitur in hoc Euangelio. Potestatis collatio: ibi, homo quidam erat diues qui habebat villicum villæ custodem. Collationis abusio: ibi, dissipantem bona ipsius Abusionis accusatio: quia, diffamatus est apud eum. Reprehensi prouisio: ibi, ait autem villicus intra se. Prouidi commendatio: ibi, & laudauit hic. Ergo notatur accusati villici reprehensio. Vbi tangitur primo obiurgandi vocatio vel ad pœnitentiam: vel ad iudicium: ibi, & vocauit illum. Genes. 3. Vocauit Dominus Adam & dixit ei: vbi es. Secundo vocati obiurgatio. ibi, quid hoc audio de te. Sap. 1. Auris Dei audit omnia. Tertio obiurgati examinatio. Vbi primo quæritur cōputum propter debitum: ibi, redde rationem. 1. Pet. 4. Reddent rationem ei qui paratus est iudicare viuos & mortuos. Ideo bonum esset modo computare in confessione. vt diminueretur vel remitteretur debitum. Secundo determinat materiam. scil. thesaurum commissum: ibi villicationis tuæ. id est animæ cuius tanquam villę es custos. Deut. 4. Custodi temetipsum & animam tuam sollicite. Tertio assignat causam. sc. instantem mortem: ibi, iam enim non poteris vilicare. Ideo Eccl. 18. ante languorem adhibe medicinam: & ante iudicium interroga teipsum.

De Eodem, Sermo 4.

FAcite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Triplex est status hominis. Vnus ante mortem. alius in morte. tertius post mortem. Ante mortem est merendi tempus. In morte est merendi defectus. Post mortem recipiendi locus. Docet ergo Dominus transire de primo ad vltimum optimum: per medium bonorum operum: & specialiter operum misericordiæ quæ impetrant amicos. scilicet familiares summi regis pauperes: cum dicit, facite. &c.

Vbi tangitur primo merendi & miserendi tēpus: & quo ad misericordiæ veritatem: cum dicit, facite. & quo ad virtutem: ibi, amicos. & quo ad facultatem: ibi, de mammona iniquitatis. id est inæqualitatis. quia alii plus: alii minus habent. Prouerb. 19. Multi sunt amici dona tribuentis. Secundo temporis defectus: ibi, vt cum defeceritis ab hac vita. Psalm. Defecit in dolore vita mea. Tertio misericordiæ fructus ibi, recipiant vos in æterna tabernacula, de quibus Psalm. Quam dilecta tabernacula tua Domine &c. Luc. 16. Mensuram bonam & confertam. &c.

Dominica 10. post Trinitatem, Sermo primus de Epistola.

SCitis quoniam cum gentes essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes. 1. Cor. 12. Antiqua quæstio fuit vnde malum habuit ortum. Non ita vnde bonum: quia planum est quod omne bonum est à summo bono. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona: vnde ergo malum? Dicendum quod malum hominis fuit à voluntate deficiente: dæmone suggerente: & homine consentiente. Et hæc tria notantur in verbo proposito.

Vnde notatur primo voluntas deficiens: ibi cum gentes essetis. id est gentiliter viuentes. scil. quales geniti. 1. Thess. 4. Sciat vnusquisque vestrum vas. s. possidere in sanctificatione & honore nō in passione desiderii sicut gentes quę ignorant Deum. Secundo dæmon suggerens: ibi, prout ducebamini. Prou. 16. Vir iniquus. s. diabolus lactat amicum & ducit eum per viam non bonam. Tertio homo consentiens: ibi, ad simulacra muta euntes. supple eratis. Psalm. Simulacra gentium argentum & aurum. Ier. 18. Post cōgitationes nostras ibimus. &c.

De Eodem, Sermo 2.

HÆc omnia operatur vnus atq; idem spiritus diuidens singulis prout vult. In Deo sunt potentia: sapientia: & bonitas: quia Spiritus sanctus Deus. Ideo & in Spiritu sancto sunt ista tria in summo. sicut hic ostenditur per effectum potentia in omni operatione. Sapientia in singulorum diuisione. Bonitas in voluntatia liberalitate. Tangitur ergo hic de Spiritu sancto. Primo essentiæ simplicitas: quia, vnus atq; idem Spiritus vnus in persona. idem in mirabili essentia. Gal. 3. Deus autem vnus est. Secundo effectuum multiplicitas. In quibus apparet primo potentia generalis in operatione: quia, hæc omnia operatur. Esa. 27. Omnia opera nostra operatus es. &c. Sap. 13. Speciei generator hæc omnia cō. &c. Secundo sapientia in generali diuisione: ibi, diuidens singulis. Sap. 11. Omnia in numero pondere & mensura disposuisti. Tertio bonitas in liberali voluntate ibi, prout vult. Ioh. 3. Spiritus vbi vult spirat.

Ecce ergo spiritus potens in agendo: simplex in essendo: sapiens in diuidendo: clemens in volendo. De omnibus his habetur. Sapient. 7. Est enim in illa spiritus intelligentiæ simplex,

sanctus, &c. Debetur autem potentiæ timor: simplicitati stupor: sapientiæ honor: bonitati amor.

Sermo 3. De Euangelio.

CVm appropioquaret Iesus Hierusalem videns ciuitatem fleuit super illā dicens: quia si cognouisses & tu. Luc. 19. Duæ sunt principales potentiæ animæ: apprehensiua, & affectiua. Apprehensiua vero mouet affectiuam. Nam homo cum apprehendit bonum si gaudet: si malum dolet. Vnde vulgariter dicitur quod oculus non videt: cordi non dolet. Et quia Hierosolimitæ quibus hic loquitur Dominus imminentem miseriam non videbant: ideo non dolebant: sicut dicit ei Dominus in verbo proposito.

Vbi tangitur primo perfectio Christi. Secundo defectus populi: ibi, quia si cognouisses. Perfectio Christi notatur duplex. Primo cognitionis in aspectu: quia vidit ciuitatem. id est miseriam ciuium futuram. Eccl. 23. Omnia videt oculus eius. Secundo compassionis in affectu: quia, fleuit. Sic Iob. 31. Flebam quondam super eo qui afflictus erat. Defectum autem populi similiter tangit duplicem. Primo cognitionis in aspectu: ibi, quia si cognouisses. quasi dicat nō cognouisti. Ierem. 8. Populus meus non cognouit iudicium Domini. Secundo compassionis in affectu. ibi, & tu. fleres supple quæ non fles. Lu. 23. Nolite flere super me: sed super vosipsas flete. &c.

Spiritualiter autem tangitur hic primo gratuita Christi miseratio in accessu ad abluendum culpam: ibi, cum appropinquaret Iesus hic. Secundo dignatiua consideratio in respectu ad cōferendum gratiam: ibi, videns ci. Tertio miseratina compassio in affectu ad relaxandum pœnam: ibi, fleuit super eam. Quarto vor ua instructio in affectu ad pronocandum ad pœnitentiam: ibi, dicens. si cognouisses & tu.

De Eodem, Sermo 4.

DOmus mea domus orationis vocabitur. Iocundi principes & prælati tria solent habere locorum genera. Vnum iocundationis: vt palatium, thalamum. Alium orationis: vt capellam vel oratorium. Tertium afflictionis: vt carcerem. In primo fiunt conuiuia. In secundo suffragia. In tertio supplicia. Sic summus princeps habet locum iocundationis paradisum: domum afflictionis infernum: locum orationis ecclesiam siue templum: de quo hic, domus mea &c.

Vbi Dominus ostendit ecclesiam suam dignam: deuoram: & famosam. Ratione dignitatis est honoranda. ratione deuotionis visitanda. ratione famositatis est laudanda. Digna est: quia Deo appropriata. vnde dicit, domus mea. Psal. domum tuam Domine decet sanctitudo in longitu. Deuota: quia orationibus consecrata. 2. Paral. 6. Aperias oculos tuos super domum istam di. ac. &c. Ps. Introibo in domum tuam ado. Famosa: quia diffusius nominata. Esa. 56. Domus mea domus orationis &c. Genes. 28. Lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei.

Dominica 11. post Trinitatem, Sermo primus.

NOtum vobis facio Euangelium quod prædicaui vobis quod & accepistis in quo & statis per quod & saluamini. 1. Cor. 15. Sicut sator ad terram, sol ad aerem: sic prædicator ad auditorem. Nam sator est prædicator: semen est verbum Dei: terra auditor verbi. Similiter sol est prædicator: lumen est verbum: aer est homo. Vnde sicut sol radios diffundit & aer recipit: Sic Paulus Euangelium diffundebat prædicando: auditores accipiebant credendo & obediendo: secundum quod ipse Paulus testatur in verbo proposito.

Vbi tangitur primo prædicationis actus & modus in Paulo. Secundo sequens fructus in populo: ibi, quod & accepistis. In prima notantur tria. Nam sicut sol diffundit radios super terram euidenter: vtiliter: & frequenter. Sic Paulus prædicabat euidenter ad notificandum intelligentiæ: ibi, notum vobis facio. Esa. 38. Pater filiis notam faciet veritatem tuam. Vtiliter ad proficiendum ad placendum voluntati: ibi Euangelium. Matth. vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Frequenter ad recommendandum memoriæ: ibi, quod prædicaui vobis. scilicet alias. 1. Corinth. 1. nos autem prædicamus Christum cru.

Sequitur secundum principale in quo notatur populi fructus. Sicut enim terra semen recipit: retinet & fructificat: Sic bonus auditor primo recipit credendo & obediendo. vnde dicit, quod & accepistis. Ephes. 6. Accipite armaturam Dei &c. Secundo retinet perseuerando: ibi, in quo & statis. 1. Cor. 15. Vigilate & state in fide. Tertio peruenit ad fructum. salutem obtinendo: ibi, per quod & sal. Rom. 9. Non enim erubesco Euangelium: virtus enim Dei est in sal. o. c.

De eodem, Sermo 2.

GRatia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit. Opus salutis meritorium faciunt duo. scil. munus gratiæ Dei: & actus liberi arbitrii: & sic in bono opere associantur Deus & homo. Ita quod debetur Deo gloria operis: quia dat gratiæ munus homini vtilitas mercedis: quia laborabat ad opus hoc attendens Apostolus in præconium Dei & exemplum proximi dicit, gratia Dei sum. &c.

Vbi tangit tria. Primo liberalitatem dantis in Dei præconium: ibi, gratia Dei sum. Actor. 10. Gratia Dei in nationes effusa est. Secundo humilitatem recipientis in sui meritum: ibi, id quod sum. Vnde supra. ego sum minimus Apostolorum. Psal. Quid est homo quod memor es eius. Tertio vtilitatem exequentis in proximi exemplum: ibi, gratia eius in me vacua non fuit. Sicut fides mortua: sic gratia Dei vacua sine operibus. 2. Cor. 6. Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Sermo 3. De Euangelio.

DVo homines ascenderunt in templum vt orarent. Luc. 18. Quidam videntur esse insti & sunt:

& sunt: vt sancti famosi. Genes. 6. Nue vir iustus atque perfectus. Sapient. 3. Fulgebunt. Alii nec videntur esse nec sunt: vt peccatores notorii. Esa. 5. Expectaui vt faceret indicium: & ecce iniquitas: iustitiam & ecce clamor. Tertii videntur esse & non sunt: vt hypocritæ. Luc. 20. Miserunt insidiatores qui se iustus simulareot. Matt. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui similes estis. Quatti non videntur esse & sunt: sicut humiles contempti. Iob. 12. Deridetur iusti simplicitas. Eccl. 8. Sunt iusti quibus mala proueniunt. quasi opera egerint impiorum.

De his duobus vltimis dicitur hic, duo homines. &c. Nam Pharisæus erat apparens iustus & non existens: publicanus econuerso. Et hi ponuntur hic in exemplum homini vt se habeat in bono socialiter quo ad proximum: viriliter quo ad seipsum: humiliter quo ad Deum.

Secuodum hnonotatur primo associatio cōmēdabiliter: ibi, duo homines. Eccl. 4. Melius est duos esse simul quam vnum: habent. &c. Secundo actio vtilis: ibi, ascenderunt in templum. Sic Petrus & Iobannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam. Act. 4. Tertio recta intentio actionis: ibi, vt orarent. vt non se ostenderent vt compositę mulieres: non vt pecuniam acciperent. Psalm. Introibo in domum tuam adorabo ad te.

De eodem Sermo 4.

DEVS propitius esto mihi peccatori. Publicanus iste nobis proponitur in exemplum orandi. Nam humiliter se habuit in signo: quia à longe stabat. In animo: quia nec oculos sursum leuare nolebat. In facto: quia pectus suum percutiebat. In verbo: quia dicebat, Deus propicius esto mihi peccatori.

Vbi primo captat beniuolentiam: Dei maiestatem confitendo: ibi, Deus. Psalm. quoniam Deus magnus Dominus. Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Secundo allegat clementiam veniam exorando: ibi, propicius esto. Psalm. Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit. Tertio demonstrat miseriam seipsum accusando: ibi, mihi pec. Psal. Tibi soli peccaui. &c.

De eodem, Sermo 5.

OMnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur. Si consideremus euentum rerum: vt beatam virginem & luciferum: diuitem epulonem & Lazarum: Pharisæum & Publicanum, videbimus manifeste verum quod hic dictum est, omnis qui se humi. &c.

Vbi ostenditur de Deo primo quod sine acceptione personarum est iudicaturus: ibi, omnis. Actor. 10. In veritate comperi quod non est personarum acceptor Deus. Secundo quod est elatorum superbiam depressurus: ibi, qui se exaltat humiliabitur. non enim est mons sine valle. Prouerb. 29. Superbum sequitur humilitas. Tertio quod est abiectionem humilium eleuaturus: ibi, & qui se humiliat exalta. Luc. 1. Deposuit potentes de sede.

Dominica 12. post Trinitatem, Sermo primus de Epistola.

FIduciam talem habemus per Christum ad Deum non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis. quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. Corinth. 3. ait Dominus. sine me nihil potestis facere. Sapient. 7. ait sapiens. In manu eius & nos & sermones nostri. Hinc ait Apostolus. Non quod sufficientes simus cogitare. Ex quibus patet quod nec facere nec cogitare aliquid boni possumus nisi Deo adiuuante.

Hic ergo ostendit Apostolus primo quod in meritis mediatoris habenda est securitas: cum dicit, fiduciam talem. &c. Secundo quod in propriis meritis consideranda est defectibilitas: ibi, non quod sufficientes. &c. Tertio quod ex diuinis beneficiis speranda est fælicitas: ibi, sed sufficientia nostra ex Deo est.

Circa primum tangit primo subiectum: in quo securitas debet manere: cum dicit, fiduciam talem habemus. Prouerb. 28. Iustus quasi leo confidens. &c. Iohan. 15. Confidite ego vici mundum. Secundo causam per quam habet, talem per Christum. 2. Corinth. 1. Per Christum abundat consolatio o. Tertio terminum ad quem debet tendere: ibi, ad Deum. Psal. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te cō.

Circa secundum principale tangit defectibilitatis primo immensitatem: quia, non sumus sufficientes cogitare aliquid. Eccles. 11. ne dicas sufficiens sum. Secundo originem: ibi, ex nobis. Ideo Esa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Tertio originis expressionem: ibi, quasi ex nobis. scil. principaliter. Ideo Psalm. Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Circa tertium principale tangitur speranda felicitas. Primo quantum ad copiositatem indefectibilem: ibi, sufficientia nostra. Iohan. 14. Domine ostende nobis patrem: & sufficit nobis. Psalm. Satiabor cum appa. Secundo quantum ad dignitatem incomparabilem: ibi, ex Deo. Ioban. 5. Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem quæritis: & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis. Tertio quantum ad securitatem immutabilem: ibi, est. In pace factus est locus eius. &c.

Sermo 2. De Eodem.

ABundat ministerium iustitiæ in gloria. Frequenter comparat sancti præmium patriæ in iusto merito viæ per superabundantiam: vt ex consideratione abundātis præmii, crescat in nobis deuotio merendi. Abundat autem præmium plus merito. In claritate: quia videmus nunc per speculum & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. In puritate quia nunc iocunditas mixta: tunc pura. 1. Pet. 1. Nunc modicum si oportet contristari in variis, &c. In numerositate: quia in paucis vexati: in multis bene disponuntur. Sap. 3. In duratione: quia id quod in præsenti: momentaneum est & leue &c. 2. Cor. 4. Ergo in gloria erit visio clara: exultatio pura: abundantia copiosa: duratio perpetua. non sic est in merito. Ideo bene dicit Apostolus, abundat ministerium.

Vbi notantur duo. Primo bonum meriti. Secundo donum præmii: ibi, abundat in gloria. In primo duo. Primo virtuosus habitus: ibi, iustitiæ. Eccl. 18. Ante iudicium para iustitiam. Prou. 15. In abundanti iustitia virtus maxima. Secundo actus inde elicitus: ibi, ministerium. Luc. 1. Sine timore de manu inimicorum nostrorum libe. &c. Circa primum notatur honor. Primo vt desiderabilis: quia, in gloria. Psal. Gloria hæc est omnibus sanctis eius. Secundo vt indefectibilis: ibi, abundant. Prouer. 1. bonorum omnium abundantia perfruetur.

Sermo 3. De Euangelio.

APertæ sunt aures eius & solutum est vinculum linguæ eius & loquebatur recte. Matth. 7. In facta scriptura non tantum significat verba sed res: Vnde in miraculosa curatione hominis infinuatur ostenditur miraculum quod facit Dominus in cuiuslibet peccatoris conuersione. Ibi enim oportet esse motum contritionis. propositum confessionis: & promissum satisfactionis: sicut patet hic.

Nam primo in motu contritionis aperiuntur aures cordis voci diuinæ inspirationis. Iob. 33. tunc aperit aures virorum & erudiens eos instruit disciplina: vt auertat &c. Secundo in proposito confessionis soluitur malum sceleratæ occultationis: ibi, & solutum est vinculum linguæ eius. Ergo lingua debet vinculari sicut fera ne loquatur male: & solui vt loquatur bene. Prouer. 12. Lingua sapientum sanitas est. &c. Tertio in promisso satisfactionis percipitur rectitudo perfectę iustificationis: ibi, & loquebatur rec. scil. orando: iudicando: & prædicando. Prouer. 13. Exultabunt renes mei cum locuta fuerint recta labia tua.

Sermo 4. De eodem.

BEne omnia fecit & surdos fecit audire & mutos loqui. Proponuntur nobis frequenter diuina præcepta vt faciamus: iudicia vt cogitemus: præmia vt acquiramus: supplicia vt caueamus: beneficia vt gratias agamus. Nam præcepta ligant ad faciendum. Iudicia valent ad cogitandum. Præmia mouent ad acquirendum. Supplicia terrent ad cauendum. Beneficia alliciunt ad regratiandum & diligendum beneficum.

Ideo popularis laudatio proponitur hic ad literam pro beneficiis & miraculis saluatoris: per quod datur intelligi generalis gratiarum actio: pro præcipuis beneficiis conditoris. Et primo pro vniuersali rerum creatione: quia, bene omnia fecit. Secundo pro mirabili verbi incarnatione quia surdos fecit audire. Tertio in liberali paracleti missione: ibi, & mutos loqui.

Circa primum tanguntur tria de creatore. Primo bonitas: quia, fecit. quia enim bonus est ideo summus. Psalm. Ipse fecit nos & non ipsi nos. & post. laudate nomen eius quoniam suauis est Dominus. Secundo potestas: quia omnia fecit. Eccles. 1. Vnus est altissimus creator omnium opus. Tertio sapientia: quia bene Psalm. omnia in sapientia fecisti. Genes. 1. vidit Deus cuncta quæ fecerat. &c.

Circa secundum principale. scilicet incarnationem notatur. Primo necessitas generis humani: ibi, surdos. scil. ab auditu verbi ab obedientia fidei: à cantu cæli. Mich. vlt. Ponent manus super os & aures eorum surde. Secundo potestas verbi incarnati: ibi, fecit audire. Cant. 2. Sonet vox tua in auribus meis. Esa. 35. Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt. scil. in prædicatione Christi.

Circa tertium principale. scilicet missionem spiritus sancti notantur duo. scil. hominis necessitas: ibi, mutos. s. Apostolos qui pusillanimes erant ante aduentum spiritus sancti. Esa. 56. Canes muti non volentes la. Secundo missionis vtilitas: quia fecit loqui. Act. 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto.

Dominica 13. post Trinitatem, Sermo primus de Epistola.

DEVS vnus est. Gal. 3. In summa Trinitate Patris & Filii & Spiritus sancti nulla est propter patris antiquitatem debilitatio: nulla propter filii generationem diuisio. nulla propter spiritus sancti processionem mutatio.

Et secundum hoc tanguntur hic tria in illa trinitate. Primo omnipotentiæ immensitas: ibi, Deus. Deus enim est quo maius excogitari non potest. Gen. 17. Ego sum Deus omnipotens. Secundo essentiæ simplicitas: ibi, vnus. Deut. 6. Dominus Deus tuus Deus vnus est. Tertio permanentiæ æternitas: ibi, est. Psal. tu autem idem ipse es & anni tui non deficient. Propter omnipotentiam est insuperabilis. Propter essentiam indiuisibilis. Propter permanentiam immotabilis: & ideo ei seruiendum est reuerenter, singulariter, & semper.

Sermo 2. De Eodem.

COnclusit scriptura omnia sub peccato vt promissio ex fide Iesu Christi daretur cre. Mira Dei sapientia quę nouit ex malis elicere bona qui in scriptura tanquam in speculo ostendit hominem in peccato conclusum: vt quærat medicum: vt ei credendo & obediendo assequatur præmium gloriæ credentibus repromissum secundum quod dicit hic Apostolus conclusit. &c.

Vbi tangit primo generalem malitiam humanæ corruptionis. Secundo sapientem prouidentiam diuinæ ordinationis: ibi, vt promissio. &c. In prima tangit tria. circa malitiam. Primo magnitudinem: ibi, conclusit. idest conclusos ostendit sub peccato. Thren. 3. Conclusit inimicus vias meas lapidibus quadratis &c. sic fur concluditur in carcere. Secundo multitudinem: ibi, omnia. Rom. 3. Omnis quidem pec. Tertio certitudinem: ibi, scriptura. Dan. 10. Annunciabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis. Circa secundum. scil. prouidentiam diuinæ ordinationis notantur tria quæ dant confidentiam gloriæ promissæ. Primo promissionis veritas ibi, vt promissio ex fide Iesu Christi. Titum. 1. Vitam æternam promisit qui non mentitur Deus, &c. Secundo promittentis liberalitas: ibi, daretur. 2. Pet. 1. Pretiosa nobis promissa donauit. Tertio eius cui promittitur dignitas: ibi, credentibus. Heb. 4. ingredimur in requiem qui credimus.

Sermo 3. De Euangelio.

BEati oculi qui vident quæ vos videtis, Lucæ. 10. Sicut ad remunerationem hominis exiguntur tria. homo qui præmiatur: opus propter quod præmiatur: præmium quod soluitur. Sic ad remunerationem gloriosam exiguntur tria. natura quasi gloriæ subiectum. gratia quasi gloriæ meritum: gloria quasi vtriusque præmium & hæc tria notantur hic. Primo subiectum gloriæ: quia, oculi qui vident. Esa. 52. Simul laudabunt: quia oculo ad lumen videbuor. Secundo meritum gloriæ: ibi quæ vos videtis. scilicet per fidem. Iob. vlt. Auditu auris audiui te: nunc oculus meus videt te: quia, beati. 4. Reg. 10. Beati serui tui qui astant. &c. Beati ergo oculi propter fruitionem qui vident per speciem: quæ vos videtis per speciem.

De Eodem, Sermo 4.

MAgister quid faciendo vitam æternam possidebo. Solent tria impedire hominem ne perueniat ad primam intentam. scilicet error viæ: torpor persone: odium patriæ. Econtra perueniet si sequatur bonum ductorem: si patiatur viæ laborem. si moueatur ad patriæ amorem. nam primum inuat aspectum. secundum actū. Ternum affectum.

Sic circa peruenientes ad patriam gloriosam notantur hic tria. Primo doctor sapiens ad conducendum: ibi, magister. Iohan. 13. Vos vocatis me magister, &c. Iohan. 14. Ego sum via veritas & vita. Secundo bonum expediens ad ambulandum: ibi, quid faciendo. peccatores faciunt nihil. sed iust quid. Actor. 9. Domine quid me vis facere. Psalm. Feci iudicium & iustitiam. Tertio amor attrahens ad perueniendum: ibi, vitam æternam possidebo. Omnia enim diuinum esse appetunt. id est esse cum Deo in æternum quod possidebitur in visione beata. Iohann. 17. Hæc est autem vita æterna. &c.

Sermo 5. De eodem.

DIliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum sicut teipsum. Sicut non est vita temporalis sine calore corporali: sic non est vita cælestis nec spiritualis sine calore spirituali qui est dilectio. Vnde petenti de possessione vitæ dictum est. diliges Dominum &c.

Vbi tangitur triplex gradus diligendorum. supremus: ibi, Dominum Deum. secundus: ibi, sicut teipsum. tertius: ibi, proximum tuum.

Circa primum tangit tria. actum debitum: ibi, diliges. Roman. 13. Nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem dili. Amicum optimum: ibi, Dominum Deum tuum. 1. Iohan. 4. Nos ergo diligamus Deum quoniam ipse. p. d. Modum perfectum: ibi, ex toto corde. t. &c. Eccl. 44. De omni corde suo laudauit Deum & dilexit Dominum qui fecit illum dicitur de Dauid.

Dominica 14. Sermo primus de Epistola.

SPiritu ābulate & desideria carnis nō perficietis. Gal. 5. Fortificato vno exercitu debilitatur aduersarius: sic fortificato calore debilitatur frigus: & hoc propter contrarietatē actionū. Similiter cum caro & spiritus sibi inuicem aduersentur: fortificato spiritu debilitatur caro secundum quod hic innuitur. Spiritu ambulate &c.

Vbi primo monet Apostolus ad continuam vitæ spiritualis meliorationem per meritorum augmentationem cum dicit, ambulate. vel spiritu increato ducente secundum illud. Psal. Spiritus tuus bonus deducet me. vel spiritu creato recte ordinante: de quo. Psal. Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ephes. 5. Vt filii lucis amb. Secundo ostendit illecebram concupiscentiæ reprimendam per fomitis debilitationem: ibi, & desideria carnis. 1. Petr. 2. Obsecro vos tanquam ad. & p. abstinere à carna de. Tertio promittit perpetrationis peccati vitationem per assiduam mali detestationem: ibi, non perficietis. Eccles. 7. Noli facere mala & non te apprehendent.

De Eodem, Sermo 2.

QVi Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum viciis & concupiscentiis. Docet hic Apostolus in quo consistit Christianæ religionis status. Consistit enim primo in vera fidei professione per quam ordinatur ad superius per obediendi obsequium: ibi, qui Christi sunt. scil. fideles, famuli, & amici. 1. Corinth. 13. Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei. Rom. 1. Paulus Apostolus seruus Iesu: Secundo in corporis maceratione per quam ordinatur ad inferius per præsidendi Dominium: ibi, carnem suam crucifixerunt. id est mortificauerunt per pœnitentiam secundum illud. Galat. 2. Christo confixus cruci. Luc. 9. Qui vult venire post me. &c. Tertio in criminis detestatione per quam ordinatur ad interius & exterius per resistendi exercitium: ibi, cum viciis & concupiscentiis. Eccles. 18. Post concupiscentias tuas non eas: & à voluntate tua auertere. si præstes &c.

Sermo 3. De Euangelio.

IEsu Præceptor miserere nostri. Luc. 16. Ad subueniendum alteri mouent aliquem quatuor. duo ex parte ipsius subuenientis: duo ex parte alterius recipientis. Duo prima sunt innata pietas: & libera potestas. Duo alia sunt vera humilitas: & aperta necessitas. Vnde quando pius & potens est à quo petit cum humilitate: & pro necessitate petit: exaudiendus est qui petit.

Ista quatuor allegant Iesu isti leprosi, quorum deuota oratio nobis proponitur in exemplum. Primo ergo allegant pietatem: ibi, Iesu quod interpretatur saluator. Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populū &c. Secundo confitentur potestatem: ibi, præceptor. Luc. 5. Præceptor per totam noctem laborantes &c. Tertio postulant misericordiam: ibi, miserere. non petunt diuitias, delicias, honores: sed misericordiam. sic Dauid miserere mei Deus. Quarto demonstrant miseriam: ibi, nostri. scil. qui sumus leprosi. Psal. miserere nostri Domine miserere nostri quia multum repleti sumus.

Sermo 4. De Eodem.

ITe ostendite vos sacerdotibus. Diuina sapientia disposuit. vt ima per media reducantur in suprema. ideo Dei filius Iesus Christus volens seruare suum ordinem quem instituit: vult peccatorem pœnitentem tanquam vnum. per sacerdotem absoluentem tanquam medium reduci in Deum: iustificantem & glorificantem tanquam supremũ. vnde dicit leprosis per quos peccatores significatur, Ite ostendite vos sacerd.

Vbi primo sollicitat ad exercitium operis per motum virtutis ibi, ite. Matth. 20. Ite & vos in vineam meam. Secundu ad detestationem criminis per verbum confessionis: ibi, & ostendite vos. sic infirmus ostendit infirmitatem medico. Leuit. 13. Quicunque maculatus fuerit lepra ostendetur sacerdoti. Eccl. 18. In tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam. Tertio ad perceptionem absolutionis per officium clauis: ibi, Sacerdotibus Nehe. 12. Mundati sunt sacerdotes & leuitæ & mundauerunt populum.

De eodem, Sermo 5.

SVrge vade quia fides tua te saluum fecit. Sicut in corporalibus ægritudinibus prius est sanari: deinde surgere & tertio operari. Sic in spiritualibus prius est à culpa sanari. deinde ad opus meritorium surgere. Tertio meteri: secundum quod hic tangit Dominus, surge. &c.

Vbi primo notificat sanitatis meritum: quia fides tua. Secundo sanatum sollicitat ad exercitium debitum: ibi, surge vade: & primo ad inchoandum: ibi, surge. Psal. surgite postquam se. deinde ad persequendum: ibi, vade, Luc. 10. Vade & tu fac similiter.

Circa primum principale implicantur quatuor quæ requiritur ad iustificationem impii. sc. fides: ibi, fides tua. motus voluntatis: ibi, te. scil. orantem. remissio culpæ: ibi, saluum. id est sanũ à culpa infusio gratiæ: ibi, fecit. Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem.

Dominica 15. post Trinitatem, Sermo primus de Epistola.

ALter alterius onera portate & sic adimplebitis legem Christi. Gal. 6. Sicut in corporalibus tria sunt naturaliter attractiua: simile vacuũ, & calidum. Sic in spiritualibus tria sunt spiritualiter attractiua ad opera charitatis. Simile naturæ: propter quod dicit, alter alterius. Vacuum indigentis propter quod addit, onera portate Calidum. id est amor legis adimplendæ propter quod subdit, & sic adimplebitis.

Secundum hic tria facit Apostolus. Inuitat enim ad opera charitatis. Primo hortando ad mutuam subuentionem. quia connectimur naturæ vinculo: ibi, alter alterius. Rom. 12. Singuli alter alterius membra. Iob. 13. Alter alterius la. Secundo ostendendo necessitatem: quia premimur multiplici incommodo: ibi, onera portate. sc. in præsenti quis in futuro vnusquisque onus suum portabit. Esa. 46. Ego portabo & saluabo. Tertio insinuando obligationem qua compellimur Dei præcepto: ibi, & sic adimplebis. Roman. 2. Factores legis iustificabimur apud Deum.

Sermo 2. De Eodem.

QVæcunque seminauerit homo: hæc & metet. Proponit Apostolus opetum meritum: subiectum: & fructum. In merito potest esse iustitia vel iniquitas. In subiecto est ad vtrumlibet libertas. In fructu damnum vel vtilitas. Meritum describitur sub metaphora seminatoris cum dicit quæcunq; seminauerit: siue bonum siue malum. Luc. 8. Exiit qui seminat seminare. Subiectum sub conditione humanæ dignitatis: ibi, homo. Psal: exibit homo ad opus suum fructus sub similitudine messis: ibi, hæc & metet. Ecclef. 6. non semines mala in sulcis iniustitiæ & non metes ea septuplum.

Sermo 3. De Eodem.

BOnum autem facientes non deficiamus: tẽpore enim suo metemus non deficiẽtes. Sicut in conuentionibus merces operi: in contractibus precium rei: in seminationibus messis seminis se habet ad quandam correspondentiã vt qui parce seminat parce metet: & q magis magis. Sic in spiritualibus se habet præmium merito per quandam correspondentiam quæ determinatur hic quantum ad tria. quantum ad oportunitatem temporis. qualitatem operis. perseuerantiã continuationis.

Secundum hoc primo suadentur tria ex parte meriti. secundo promittuntur tria correspondentia ex parte præmii: ibi, tempore enim suo. In prima tangitur oportunitas temporis: ibi, facientes. sc. in præsenti, Luc. 3. Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. Eccl. 9. Quodcunq; potest. sed heu: quia tempus faciendi Domine dis. le. t. Secundo qualitas operis: ibi, bonum. Psalm. declina à malo & fac bonum sed heu: quia non est qui faciat bonum. Tertio perseuerantia continuationis ibi, non deficiamus. Esa. 40. Ambulabunt & non deficient: sed heu. Iob. 4. Venit super te plaga & defecisti.

Similiter in primo notantur tria. Primo oportunitas temporis: ibi, tempore suo. scil. post mortem completa diæta. Eccl. vlt. g. operamini opus vestrum ante tempus & dabit vobis mercedem tempore suo. Secundo qualitas mercedis: ibi, metemus. scil. bonum pro bono. In messione etiam notatur abundantia. Oseæ 10. Seminate vobis in veritate iustitiam & mente in ore misericordiæ. Tertio perpetuitas continuationis: ibi, non deficientes. Esa. 51. Iustitia mea non deficiet.

Sermo 4. De Euangelio.

NEmo potest duobus Dominis seruire. aut enim vnum odio habebit & alterum diliget. Matth. 6. Contrariorum natura est quod mutuo se expellunt. vt virtus vicium. calor frigus & sic de aliis: & hoc est: quia ad diuersa tendunt: vt leue sursum: graue deorsum. Diuersa efficiunt. vt album disgregat: nigrum congregat. In diuersis consistunt. vt prodigalitas in superfluo: auaritia in diminuto. sic Domini contrarii contraria volunt. Nam bonus Dominus bonum seruum appetit. bonum præcipit: bonum retribuit. malus vero malum. Idem vero non

non potest simile recipere contraria informantia. implete contraria præcepta. Habere incompossibilia præmia. ideo nullus potest duobus Dominis supple contrariis seruire. sicut hic dicit Dominus.

Vbi primo ponit veritatem. Secundo declarat eam: ibi, aut enim vnum. In prima notantur tria. Primo generalis impossibilitas quæ excludit personarum acceptionem: ibi, nemo potest. 1. Corinth. 10. Non potestis mensę Domini participes fieri & dæmoniorum. Secundo principatus pluralitas: quæ innuit principum oppositionem: ibi, duobus Dominis. scil. Deo & peccato. 1. Cor. 8. Si quidam sunt dii multi & Domini multi: nobis tamen vnus Deus. Tertio obsequendi necessitas: quæ ostendit hominũ conditionem: ibi, seruire. Genes. 43. Omnes serui sumus. Ios. vlt. Absit vt relinquamus Dominum. &c.

Sequitur pars in qua declarat veritatem: quia ex quo Domini sunt contrarii: oportet quod seruus adhærendo vni recedat ab alio. vnde si vnum odio habet, alium diliget. Amos. 5. Odite malum & diligite bonum.

Sermo 5. De eodem.

QVærite primum regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Tria sunt bonorum genera. suprema, media, & infima. Prima sunt bona gloriæ. Media gratiæ. Infima fortunæ. Prima sunt in intentione tanquam præmium. Media in operatione tanquam meritum. Infima in sustentatione tanquam viaticum.

Secundum hoc tria facit hic Dominus. Primo sollicitat ad patriam cum dicit. quærite primum regnum Dei. Psal. Quærite Dominum & confirmamini: quærite faciem eius semper Matth. 3. Agite pœnitentiam. Secundo notificat viam: ibi, & iustitiam eius. Sapient. 5. Iusti autem in perpetuum viuent &c. & 10. Iustum deduxit Dominus &c. Tertio excludit curam noxiam cum promittit, & hæc omnia adiicientur vobis. hæc sunt de quibus diabolus dicit Matth. 4. Hæc omnia dabo tibi &c.

Dominica 16. post Trinitatem, Sermo primus.

OBsecro vos ne deficiatis in tribulationibus. m. pro vobis quæ est gloria vestra Ephes. 3. Solent mouere homines ad agendum vel sustinendum aliquid tria. scil. verbum: exemplum: & præmium. id est persuasio verbi: ostensio exẽpli: magnitudo præmii. Propter hoc ait Dominus Matth. 11. Discite à me. Ecce persuasio verbi, quia mitis sum & humilis corde. ecce ostensio exempli: & inuenietis requiem. ecce promissio præmii.

Sic Apostolus nos hortans ad virtutis constantiam. Primo allicit verbo ad beniuolentiam vt libentius audiamus: ibi, obsecro vos. Sic Petrus. 1. Pet. 2. Obsecro vos tanquam adue. &c. Secundo animat exemplo ad patientiam ne succumbamus ibi, ne deficiatis in tri. m. supple quas sustineo pro vobis. Prouerb. 3. Non deficias dum ab eo corriperis. Tertio attrahit gloriæ præmio vt sperare contendamus: ibi, quæ est gloria vestra. sæpe patitur pater pro gloria filiorum. Rom. 8. Non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam.

Sermo 2. De Eodem.

IN charitate radicati & fundati vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum. Sicut arbor sine radice viridi non potest crescere nec facere fructum: sicut vas sine fundo nõ tenet vinum: Sic nec homo sine charitate potest ascẽdere ad sublimitatem gloriæ: quia secundũm Greg. Nihil habet viriditatis ramus boni operis: nisi permanserit in radice charitatis. Ideo dicit Apostolus, in charitate. &c.

Vbi primo hortatur nos ad continuam stabilitatem gratuitæ dilectionis: cum dicit, in charitate radicati & fundati. Ephes. 4. Veritatem autem facientes in charitate crescamus. Esa. 11. Egredietur virga. scilicet boni operis de radice Iesse. id est charitatis. Iesse enim interpretatur incendium. Secundo allicit ad iucundam societatem beatæ visionis: ibi vt possitis cõ. cum. om. sanct. i. manifeste vide. 1. Corint. 9. Sic currite vt comprehendatis. scil. brauium gloriæ. gloria enim hæc est omnibus sanctis eius. Tertio specificat perfectam sed inexplicabilem quantitatem illius iucunditatis. ibi, quæ sit latitudo fertilitatis. Deut. 33. Benedictus in latitudine gad. & longitudo æternitatis. Eccles. 1. timor Domini delectabit cor: & dabit gaudium & lætitiam in longi. d. & sublimitas honoris. 2. Corinth. 4. Id quod in præsenti momentaneum est & leue &c. & profundum amoris & dulcoris. Psalm. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ. 1. Cor. 2. Spiritus omnia scrutatur & profunda. &c.

Sermo 3. De Euangelio, Luc. 7. b.

ADolescens tibi dico surge. Ab habitu contingit deuenire in priuationem: sed nõ à priuatione in habitum per naturam. Vnde à vita potest homo deuenire in mortem: sed non à morte in vitam per naturam. Per virtutem tamen diuinam quæ est supra naturã potest à mortuis redire in vitam: peccator ad gratiam. sicut patet in præsenti miraculo.

In quo spiritualiter intellecto Dominus Primo corrigit peccantem ex leuitate ætatis: ibi, adolescens. Secundo dirigit errantem ex colloquio affabilitatis. ibi, tibi dico. Tertio erigit decumbentem in pheretro impietatis: ibi, surge. Ostenditur igitur hic primo peccator corruptibilis ex ætatis conditione: cum dicitur, adolescens. Eccles. 11. Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Secundo saluator amabilis ex benignitatis allocutione: ibi, tibi dico. Hic est ille qui dixit & facta sunt. Hester. 13. Domine Deus rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita. Tertio effectus virtutis mirabilis ex infirmitatis releuatione: ibi, surge. sic Paulus Ephes. 5. Surge qui dormis. Ecce exemplum loquendi pœnitenti. scilicet amicabiliter, adolescens. singulariter, tibi dico. vtiliter, surge.

De Eodem, Sermo 4.

Resedit qui erat mortuus & cœpit loqui. Sicut suscitatio à morte corporali ostenditur duplici actu: motu, & loquela: Sic suscitatio à morte spirituali ostenditur duplici actu; motu contritionis & bonæ operationis; & loquela confessionis diuinæ laudis.

Secundum hoc notantur hic tria. Primo detestabilis damnificatio ex peccati perpetratione: quia erat mortuus. Iacob. 1. Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem. Psalm. Mors peccatorum pessima. Secundo conscientiæ quietatio ex vera contritione: ibi, resedit. Prouerb. 20. Rex qui sedet in solio. scilicet di. Tertio peccati confessio cum gratiarum actione: ibi, & cœpit loqui. Iob. 10. Loquar in amaritudine animæ meæ. Prouerb. 16. qui recta loquitur dirigetur.

De eodem, Sermo 5.

PRopheta magnus surrexit in vobis & Deus visitauit plebem suam. Quia cognitio humana incipit à sensu: ex cognitione sensibilium deuenit homo in cognitionem spiritualium: & ex cognitione mirabilium operum deuenit in cognitionem Dei mirabiliter operantis. Vnde ex consideratione miraculi prorumpit populus in confessionem & laudem Dei dicens, Propheta magnus &c.

Vbi commendatur saluator noster Primo à claritate sapientiæ: ibi, Propheta. Deut. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Secundo à sublimitate potentiæ: ibi, magnus. Psal. Magnus Dominus noster & magna virtus eius. Tertio ab immensitate clementiæ: ibi, surrexit in vobis. id est in natura nostra. Iohan. 1. Verbum caro factum est & habitauit in nobis. Quarto ab vtilitate plebis humanæ: ibi, & quia Deus visitabit plebem suam.

Vbi implicatur in Christo diuinitas sublimitas: quia, Deus Sublimitatis humilitas: quia, visitauit. Humilitatis vtilitas: quia, plebem suam. Luc. 1. Visitauit nos oriens ex alto. illuminare &c. Psalm. Visita nos Domine in salutari tuo.

Dominica 17. post Trinitatem, Sermo primus.

OBsecro vos ego vinctus in Domino vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine. Eph. 4. Quia omne quod errare potest indiget regula: nos autem viatores sumus & in via errare possumus: ideo regula dirigente indigemus: sicut scriptores, latomi, & huiusmodi. Hanc autem regulam dat nobis Apostolus in verbo proposito.

In quo primo dat monitionem generalem. scilicet digne ambulandi. Secundo docet regulam specialem in determinatione modi: ibi, cum omni humilitate. In prima allicit nos ad obedientiam suæ monitioni. Primo adiurando per meritum alienum: ibi, obsecro. idest ob sacra rogo. vt per passionem Christi & huiusmodi. Sic Roman. 12. Obsecro vos per misericordiam Dei vt exhibeatis &c. Hoc est contra iracundos homines & pestiferos. Secundo addendo meritum proprium: ibi, ego vinctus in Domino, non in peccato. Psalm. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus & vinctos suos non despexit. Si audit Dominus verba vinctorum suorum: quanto plus & nos exaudire debemus. Tertio ostendendo opus honestum: ibi, vt digne ambuletis. Psalm. Beati omnes qui timent Dominum qui ambulant in viis eius. Digne enim ambulare est se dignum facere beatitudine. Quarto allegando beneplacitum diuinum: ibi, vocatione qua vocati estis scilicet à Deo. 1. Thess. 4. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam: sed in. Esa. 22. Vocauit Dominus ad fletum &c.

Sequitur regula specialis de modo ambulandi id est. viuendi: quia, cum humilitate, quoad Deum & proximum, & mansuetudine: quoad proximum bonum, cum patientia: quoad proximum discolum, supportantes inuicem in charitate: quoad omnem proximum.

Sermo 2. De Eodem.

SOlliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Triplex depositum habet homo seruare: scilicet obedientiam quo ad Deum. Iohan. 14. Si diligitis me mandata mea seruate. Munditiam quoad seipsum. Tob. 3. Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Concordiam quoad proximum. Prouerb. 25. Gratia & amicitia liberant quas serua tibi ne exprobabilis fias. His seruatis seruat homo vnitatem spiritus cum Deo. scilicet per obedientiam; vnitatem spiritus in seipso scilicet per munditiam. Vnitatem spiritus cum proximo scilicet per concordiam. de qua principaliter loquitur Apostolus in verbo proposito, solliciti seruare &c.

Vbi inuitat primo ad diligentem curam custodiæ: ibi, sollicite seruare. Roman. 12. Sollicitudine non pigri. Deut. 4. Custodi temetipsum & animam tuam sollicite. Secundo ad tranquillitatem concordiæ: ibi, vnitatem spiritus. Actor. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Tertio ad firmitatem colligantiæ: ibi, in vinculo pacis. Allegatura salutatis Ergo, solliciti. Per vigilantiam rationis, seruate. Per mansuetudinem connexationis, vnitatem. fraternæ dilectionis, spiritus. interioæ deuotionis, in vinculo. firmæ adhæsionis, pacis. per adoptionem diuinæ filiationis. Matth. 5. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.

Sermo 3. De Euangelio.

CVm vocatus fueris vade & recumbe in nouissimo loco. Luc. 14. Modus stateique est: & similiter &c. totæ quia nunquam eleuatur à posteriori: nisi descendat ab interiori. Similiter arbor

arbor non crescit sursum: nisi radicetur deorsum. Similiter homo non eleuatur post mortem sursum ad beatitudinem: nisi descendat antea deorsum per humilitatem. non enim ascendit nisi qui est in imo. Ideo saluator noster volens nos ascendere ad culmen veri honoris monet nos ad opus humilitatis dicens, cum vocatus fueris. &c.

Vbi primo proponitur Dei gratuita vocatio: in qua patet eius liberalitas: ibi, cum vocatus fueris. Secundo ostenditur debita dispositio: in qua exigitur vera humilitas: ibi, vade. De primo Apoc. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.

Circa secundū ostenditur quomodo vocatus se debet gerere: quia discrete: ibi, recumbe. Iohan. 21. Recubuit in cœna super pectus Iesu. Humiliter: ibi, in nouissimo. Esa. 53. Vidimus eum nouissimum virorum. Ordinate: quia, in loco. Num. 2. Per loca & ordines suos proficiscentur.

Sermo 4. De Eodem.

AMice ascende superius. Sicut dicitūr Prou. 3. Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectum diem. scilicet à prima ad tertiam: à tertia ad meridiem: Sic iustorum vita inchoatur per diuinam acceptationem: proficit per meritorum augmentationem: consummatur per beatitudinis glorificationem.

Secundum hoc inuitat nos hic Dominus ad ttia. Primo ad meritorum inchoationem: ibi, amice. Iohan. 15. Vos amici mei estis si feceritis. Prouerb. 22. qui diligit cordis mundiciam. Secundo ad profectum: ibi, ascende. Psalm. Beatus vir cuius est auxilium abs te ascensiones in corde. Tertio ad consummationem: ibi, superius. Luc. 23. & ego dispono vobis &c. Beatus ille seruus quem Dominus alloquitur sic dulciter, amice. Inuitat sic curialiter, ascende. Honorat sic excellenter, superius.

Dominica 18. post Trinitatem, Sermo primus.

GRatias ago Deo meo semper. 1. Corinth. 1. Sicut merces operario: sicut honor militi strenuo: sic gratiarum actio debetur beneficio: & secundum modum beneficiorum debet esse modus actionis gratiarum.

Attendens ergo Apostolus beneficia sibi data esse multa: vera: diuina: continua, tegratiatur multipliciter. veraciter: rectitudinaliter: & perseueranter. Multipliciter vitat ingratitudinem. Vnde dicit pluraliter, gratias. 1. Thessal. 5. In omnibus gratias agite. Veritas tollit fictionem: vnde dicit, ago. non tamen dico. Iohann. 11. Pater gratias ago tibi: quia semper audis me. Rectitudo adulationem: quia, Deo meo. non mundo. 2. Corinth. 2. Deo autem gratias qui semper triumphat nos. Perseuerantia interruptionem: quia semper in aduersitate sicut in prosperitate. Ephes. 5. Gratias agentes semper pro omnibus: scilicet aduersis & prosperis.

Sermo 2. De Eodem.

IN omnibus diuites facti estis in illo in omni verbo & in omni scientia. Cum sint quædam bona temporalia: quædam spiritualia. Quidam sunt diuites in temporalibus, & in spiritualibus: sicut boni principes. & hi sunt pauci: quia si diues fueris non eris immunis à peccato. Eccl. 11. & Eccles. 31. Beatus diues qui inuentus est sine macula &c. talis fuit Abraham. de quo Gen. 13. Erat enim diues in summa possessione auri & argenti. Alii pauperes & in temporalibus & in spiritualibus: sicut egeni mendaces. & hi multi. Eccles. 25. Tres species odiuit anima mea: & post pauperem superbum. talis fuit Iudas. Eccl. 13. Nequissima paupertas in ore impii: vt pote Iudæ qui dixit, potuit venundari. &c. Alii diuites in temporalibus & pauperes in spiritualibus: vt diuites auari: & hi plures. Matth. 19. Diues difficile intrabit in regnum cælorum. talis fuit epulo. Luc. 16. Homo quidam erat diues & induebatur. Luc. 6. Væ vobis diuitibus. Quarti pauperes in temporalibus sed diuites in spiritualibus: & hi pauci. de quibus Iacob. 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo: diuites in fide. talis fuit Christus: de quo Psalm. Simul in vnum diues & pauper. De talibus diuitibus dicit hic Apostolus, in omnibus &c.

Vbi tangit diuitias perfectorum. Primo in generali. secundo in spirituali: ibi, in omni verbo. In prima tangit quinque pertinentia ad statum perfectionis. Primo sufficientiam: ibi, in omnibus. scil. expedientibus ad salutem. 1. Corint. 3. omnia vestra sunt Phil. 4. Omnia possum in eo qui me confortat: Secundo abundantiam ibi, diuites. scil. vltra necessaria addentes consilia & supererogationes Prouerb. 10. Benedictio Domini diuites facit. Tertio tollit superbiæ occasionem: ibi, facti. quasi d. à vobis non habetis sed à Deo. Ideo Psalm. Delectasti me Domine in factura tua. id est in bono quod in me fecisti. Quarto excludit hypocrisis simulationem: ibi, estis. quasi dicat non apparetis sicut hypocritæ. Matth. 5. Vos estis lux mundi: sic &c. Quinto addit illius perfectionis causam: ibi, in illo. scil. Christo. Ioh. 15. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso. Sequitur secunda pars in qua tangit diuitias in speciali. & has duas. Primo sermonis. scil. confitendo, orando, prædicando: ibi, in omni verbo. Secundo cognitionis: ibi, & in omni scientia. Luc. 21. Dabo vobis os & sapientiam. 1. Cor. 12. Alii per spiritum.

Sermo 3. De Euangelio.

MAgister quod est mandatum magnum in lege. Matth. 22. Sicut opera sic & verba quædam sunt bona & ex genere operis & ex genere operantis: vt prædicate fidem Christi propter auditorum vtilitatem. Quædam mala & ex genere & ex intentione: vt mentiri propter cupiditatem. Quædam bona ex genere: sed mala ea intentione: sicut quæstio huius doctoris qui bonum quærebat: sed Christum tentare intendebat.

In verbo ergo suo dat exemplum interrogandi. Primo humiliter: ibi, magister. Iohan. 3. Scimus quia à Deo venisti magister. Secūdo vtiliter: ibi,

ibi, quod est mandatum. non interrogat de pinguiori beneficio non de meliori cibo: sed de maiori mandato. Mandatum habet necessitatem. Magnum principalitatem. Lex veritatem. Et ne aliquod mandatorum videatur graue Dominus in maximo mandato ostendit facilitatem: quia, diliges. Honestatem: quia, Dominum. Vtilitatem. quia, Deum. Congruitatem: quia, tuum. Formam: quia, ex toto corde.

Sermo 4. De Eodem.

Congregatis Pharisæis interrogauit eos Iesus dicens quid vobis videtur de Christo cuius filius est. Antiquitus quæsiuit Esaias. 53. cap. de Christo generationem eius quis enarrabit. quasi dicat nulli vel pauci: quia hoc est infideli impossibile. fideli difficile: ipsi tantum Christo possibile & facile. Vnde Iohann. 1. Deum nemo vidit vnquam: nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse nobis enarrauit illum. Vnde & multi errant putantes partem Christi hominem & non Deum dicentes eum filium Ioseph de semine Dauid & non filium Dei. Quos volens corrigere & instruere Christus proponit eis quæstionem: sicut patet hic, congregatis autem &c.

Vbi tanguntur tria. Primo docendorum conuentus in congregatione: ibi, congregatis Pha. Eccles. 51. Congregate vos in domum disciplinæ sicut boni scholares. Secundo docendi modus: quia sub interrogatione: ibi, interrogauit eos Iesus. sic Luc. 2. Inuenerunt eum parentes sedentem in medio doctorum audientem illum & interrogantem. Tertio doctrinæ genus: quia de Christi generatione: ibi, quid vobis. Matth. 16. Quem dicunt homines esse filium hominis.

Dominica 19. post Trinitatem, Sermo primus.

Renouamini spiritu mentis vestræ & induite nouum hominem qui secundū Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Ephes. 4. Ad reparationem imaginis antiquatæ & deprauatæ exigitur depositio vetustatis: obedientia materiæ subiacentis: subinductio formositatis: recta repræsentatio exemplatis.

Sic ad iustificationem peccatoris deprauati exigitur. Primo vetustæ & deprauatæ vitæ depositio: propter quod dicitur, renouamini. quasi d. noui fuistis per baptismum: sed post deturbati per peccatum: & ideo oportet renouari per pœnitentiam Psalm. Emitte spiritum tuum & creabuntur & reno. Secundo hominis obedientis voluntaria humiliatio: ibi, spiritu mentis vestræ. Psalm. Cor mundum crea in me Deus & spiritum rectum innoua. Multi renouant se in indumentis corporalibus: sed non in spiritualibus. Ezech. 18. Facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Tertio formositatis superinductio: ibi, & induite nouum hominem. Galat. 6. In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet neque præputium &c. Quarto per conformitatem vitæ. diuina imitatio: ibi, qui secundum Deum creatus.

Vbi notatur Primo conformitas appetenda: ibi, secundum Deum creatus est. scilicet in nouum hominem per gratiam. Secundo conformitatis materia: ibi, in iustitia. vt sit veritas in aspectu ad credendum, Iustitia in effectu ad operandum, Sanctitas in profectu ad perseuerandum. Luc. 1. Vt sine timore &c.

Sermo 2. De eodem.

Laboret homo operando manibus suis vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Ad integritatem bonæ vitæ exiguntur duo. scil. declinare à malo, & facere bonum. Ad ista duo valet aliquo modo labor boni operis & etiam corporalis. Valet enim ad declinationem culpæ: vtpote luxuriæ, accidiæ, furti. Vnde præmittit Apostolus in verbis propositis, qui furabatur iam non furetur: magis autem laboret &c. Item ad exhibitionem misericordiæ. secundum quod dicitur hic.

Vbi hortatur Apostolus. Primo ad acquirendum temporalia fideliter scilicet labore proprio. Secundo ad distribuendum ea viliter. scilicet pauperi egeno: ibi, vt habeat vnde. In prima hortatur ad operandum. Primo viriliter: ibi, laboret. Ecclesiast. 7. Ne oderis opera laboriosa. Secundo corporaliter: ibi, operando manibus suis. Psalm. Labores manuum tuarum quia manducabis: Beatus es. multo plus quia dabis. Ecclesiastic. 9. quodcumque potestma.

Sequitur secundum principale vbi hortatur ad distribuendum aequisita viliter. Et notantur tria eleemosynam commendantia. scilicet iusta possessio quo ad hominem qui tribuit ibi, vt habeat. Ecclesiast. 13. Si habes benefac. Secundo recta intentio quo ad Deum propter quem tribuit, vnde tribuat. non vendat. Tob. 4. Si multum tibi fuerit abundanter tribue &c. Tertio discreta largitio quo ad proximum cui tribuit: ibi, necessitatem pa. Ecclesiast. 29. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis.

Sermo 3. De Euangelio.

Svrge tolle lectum tuum & vade in domo tua. Matth. 9. Processus animæ tendentis in Deum innuitur in hoc verbo quod est verbum præcepti, consilii, & instructionis. quippe: quia est Domini excellentissimi qui potest præcipere. Consiliarii fidelissimi qui vult consulere. Doctoris sapientissimi qui nouit instruere. Primo ergo præcipit errata corrigere: ibi, surge. & hic est processus initium. Ephes. 5. surge qui dormis &c. Secundo consulit impedimenta rescindere: ibi, tolle lectum tuum. & hic est processus medium. Lectus est occasio siue delectatio mala quæ facit iacere in peccato. Ierem. 1. Tollite de via lapides. Leuit. 15. Qui tetigerit lectum eius lauabit vestimenta sua. Tertio instruit habitationē securam quærere: ibi, & vade in domum tuam. claustrū id est paradysum. Psal. Beati qui habitant in dōmo tua Domine. Ergo surge ne deprimaris in aduersis: tolle

tolle lectum tuum: ne emolliaris in prosperis, vade in domo tua: quærendo quietem contemplationis.

Sermo 4. De Eodem.

COnfide fili remittuntur tibi peccata tua. Manente gladio in vulnere non habetur confidentia de sanitate. extracto vero gladio operante medici peritia habetur confidentia. Sic manente peccato in anima non habetur salutis fiducia: quia longe à peccatoribus salus. Sed remisso & extracto peccato habetur confidentia operante Deo summo medico. Vnde & ipse dicit, confide fili.

Vbi tria facit valde consolatoria. Primo erigit ad securitatem ne nimius timor deiiciat in desperationem ibi, confide. Eccles. 11. Confide in Deo & ma. in t. lo. Secundo adoptat ad hæreditatem vt alliciat ad perfectam dilectionem: ibi, filii. 1. Ioh. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus vt filii Dei. Tertio indulget iniquitatem ex quo habet homo veram contritionem: ibi, remittuntur tibi peccata tua. Vide opportunitatem temporis: quia remittuntur. scil. in præsenti. Vtilitatem pœnitentis: quia tibi. Vniuersalitatem miseriæ: quia, peccata. Deus enim non dimidiat veniam. abundantiam misericordiæ quia, tua. Ergo iustificat in præsenti vtiliter, vniuersaliter, misericorditer. ideo Psal. remitte mihi vt refrigerer.

Dominica 20. post Trinitatem, Sermo primus de Epistola.

VIdete quomodo caute ambuletis non quasi insipientes: sed vt sapientes Eph. 5. Viam præsentis vitæ multa conturbant incommoda. Est enim dubia propter multiplicitatem compitorum: periculosa propter insidias hostium: prolixa propter breuis vitæ spacium: deserta ex defectu operationis bonæ. Ideo quatuor proponit hic Apostolus quæ sunt necessaria viatori. Primo vt viam rectam diligenter consideret. est enim deuia ibi, videte. Ierem. 2. Vide vias tuas in conualle. Secundo vt pedem ponat. est enim periculosa: ibi, quomodo caute. Luc. 12. Videte & cauete ab hominib. Tertio vt expedite vadat. est enim prolixa ibi, ambuletis. 3. Reg. 19. Surge comede grandis enim tibi restat via & ambulauit &c. Ioh. 12. Ambulate dum lucem habetis. Quarto vt victualia secum ferat. est enim deserta non quasi insipientes. &c. Collo. 4. In sapientia ambulare. Prou. 9. Relinquite infantiam. &c.

Felix qui intentus est circa ocium contemplationis vt videat. Sollicitus circa studium discretionis vt caueat. laboriosus circa exercitium bonæ actionis vt ambulet. assiduus circa exemplum bonæ societatis vt contineat.

Sermo 2. De Eodem.

NOlite inebriari vino in quo est luxuria: sed impleamini spiritu sancto. Duplex inuenitur defectus in anima rationali. secundum duplicem eius potentiam: intellectiuam, scilicet & affectiuam. Primus est error circa cognitionem diuinorum. Secundus amor circa ambitionem terrenorum. Primus tollitur [illegible] fidei. Secundus charitate Spiritus sancti. [illegible] que defectui subuenit Apostolus in hac Epistola. Primo. ibi, nolite fieri imprudentes [illegible] telligentes quæ sit voluntas Domini. Secundo bic nolite inebriari. &c.

Vbi primo dissuadet gulositatem: quia est spiritualis profectus impeditiua, cum dicit. nolite inebriari vino. Eccl. 31. Vinum in iocunditate creatũ est non in ebrietate ab initio. Secundo ostendit necessitatem vitandi eam quia. scil. est libidinis incentiua: ibi, in quo est luxuria. scilicet causaliter. Prouerb. 20. Luxuriosa res vinum & tumultuosa ebrietas. Tertio suadet amplectendam charitatem: quia est bonorum omnium perfectiua: ibi, sed impleamini Spiritu sancto. Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Sermo 3. De Euangelio.

ITe ad exitus viarum: & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias. Matth. 22. Diuina sapientia ordinauit ima per media reducere in suprema. secundum quod innuit beatus Dionysius. vnde homines per angelos: inferiores per superiores vocat ad nuptias cælestes dicens. ite ad exitus &c.

Vbi primo iniungit prædicationis officium. Secundo specificat materiam de qua principaliter est prædicandum: ibi, vocate ad. In prima iniungit prædicare primo instanter sine dilatione: ibi, ite. scil. in præsenti. Luc. 13. Ite ecce ego mitto vos. Secundo patenter sine trepidatione: ibi, ad exitus viarum. vbi. scil. plures transeunt. Prouerb. 8. In summis excelsisque verticibus super viam. &c. Tertio communiter sine personarum acceptione: ibi, & quoscumq; inueneritis. Ezech. 3. Fili hominis quæcunque inueneris comede.

Circa secundum principale patet & curialitas & liberalitas diuina. Curialitas quia facit vocare non expectat quod petatur. Liberalitas quia ad nuptias cælestis gloriæ. Apoc. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. vel magis secundum litteram ad nuptias militantis Ecclesiæ vel Eucharistiæ.

Sermo 4. De eodem.

AMice quomodo huc intrasti non habens vestẽ nuptialẽ. Quidam sunt de Ecclesia & numero & merito: vt Christiani boni. Quidam nec numero nec merito: vt omnes increduli. Tertii numero non merito vt Christiani mali. Primi intrant & habent vestem nuptialem. scilicet charitatem. Secundi nec intrant nec habent vestem nuptialem: quia nec habent fidem nec charitatem. Tertii intrant. scilicet per fidem: sed non habent vestem nuptialem. scilicet charitatem. secundum quod dicitur hic vni talium, amice. &c.

Vbi Dominus tria facit. Primo redarguit ingratitudinem de reprehendenda dilectione: ibi, amice. scil. quem amo non qui amat. Eccl. 6. Est amicus socius mensæ. Secundo admiratur præsũptionẽ de propria ingressione: ibi, quomodo huc intrasti. Ioh. 10. Qui non intrat per ostium. f.

Tertio increpat negligentiam ex necessarii apparatus omissione: ibi, non habens vestem nuptialem Apoc. 16. Beatus qui custodit vestimenta sua. s. virtutum ne nudus ambulet.

De eodem, Sermo 5.

Ligatis manibus & pedibus mittite eum in te. ex. ibi erit frigus & stridor dentium.

Sicut fur seruo & infideli ostenditur patibulum vt à furto caueat: sic homini describitur gehennæ tormentum vt ab illo fugiat. Describitur autem quaotum ad tria. Primum quantum ad omnimodam inpotentiam liberationis propter ligationem: ibi, ligatis. m. & pe. Sap. 18. Vna cathena tencbratum omnes erant colligati. Secundo quantum ad sempiternam earentiam diuinæ visionis. propter subtractionem luminis: ibi, & mittite eum in te ex. Esa. 47. Sede ad iudicium tace propter iustitiæ tuæ defectum intra in tenebras filia Chaldæorum. Tertio quantum ad acerbissimam experientiam sensibilis vexationis: propter afflictionis immensitatem: ibi, ibi erit fletus & stridor dentiom. hoc dicitur in octo locis Euangelii. Matth. 8. f. 13. g. 22. b. 25. d. 21. c. Luc. 13. e.

Dominica 20. post Trinitatem, Sermo primus.

Accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo: & in omnibus perfecti stare. Phil. 6. Hoste triplici impugnamur in hac vita: carne, mundo, & diabolo. Cato intendit emollire delitiis. Mundus occupare negociis. Diabolus damnare nequitiis. Ideo oportet accipere arma. scil. temperantiæ contra delitias carnis. iustitiæ contra negotia mundi. sapientiæ contra nequitias diaboli. hæc est armatura Dei quam monet Apostolus accipere dicens, accipite &c.

Vbi tangit triplex opus boni pugilis. arma accipere, aduersario resistere, victoriosos stare. Secundum hoc inuitat primo ad spirituale munimentum: ibi, accipite arma. Dei: non mundi. Cant. 4. Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Secundo ostendit consistens fulcimentum: ibi, vt possitis re. in die ma. id est in præsenti vita in qua dies mali sunt: quia periculosi. 1. Pet. 5. aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens &c. Tertio addit perfectum victoriæ complementum: ibi, & in omnibus perfecti: stare contra carnem: per votum continentiæ: contra mundum: per votum paupertatis voluntarie: contra diabolum: per votum humilis obedientiæ Matth. 19. Si vis perfectus esse &c. Eccles. 31. Qui probatus est in illo & perfectus inuentus est.

Sermo 2. De Eodem.

Galeam salutis assumite & gladium spiritus quod est verbum Dei. Duo sunt armorum genera. Quoddam ad protegendum: vt scutum, Galea. Aliud ad impugnandum vt gladius, lancea. Per Primum ab hostibus sustinemus: per secundum hostes fugamus. Et quia habemus sustinere aduersa: & contemnere siue fugare prospera.

Ideo dupliei armorum genere armat nos Apostolus. Primo spe mercedis ad sustinendum aduersa: quod notatur, in Galea. Secundo sapientia spirituali ad contemnendum prospera. ibi, & gladium spiritus. In prima do cet sustinere sapienter: ita quod caput custodiatur, id est mes: ibi, Galeam quæ obuoluit caput. Ier. 46. State in Galileis. Vtiliter: ibi, salutis. Esa. 59. Galea salutis in capite eius: . Galea defecit Iudæ quando desperauit: libenter: ibi, assumite. Genes. 17. Sume arma tua. In secunda principali commendat verbum prædicationis à tribus. Primo ab effectu: quia, gladius diuidens animam, à terrenis. Matth. 10. Non veni pacem mittere: sed gladium. Secundo ab actore: quia, spiritus. glo. quem dat Spiritus sanctus. Ioh. 3. Spiritus vbi vult spirat & vocem. Tertio à materia: ibi, Dei. id est de Deo. Iohan. 8. Qui ex Deo est verba Dei audit.

Sermo 3. De Euangelio.

Domine descende priusquam moriatur filius meus. Iohann. 4. Mors est priuatio vitæ. vnde secundum duplicem vitam duplex est mors hominis. Est enim vita innocentiæ quam priuat mors culpæ. vita pœnitentiæ quam priuat mors gehennæ. Ideo priusquam moriatur spiritus per culpam, debet homo rogare Dominum pro vita innocentiæ. antequam moriatur per gehennam, debet rogare pro vita pœnitentiæ.

Vnde proponitur nobis in exemplum deuotio huius reguli Dominum deprecantis: qui primo allegat saluatoris potentiam: ibi, Domine. Hesther. 5. Domine in ditione tua &c. Secundo implorat eius clementiam: ibi, descende. Exod. 19. Totus mons fumigabat eo quod descendisset Dominus super eum. Tertio demonstrat suam indigentiam: ibi, priusquam moriatur filius meus. Eccles. 17. Ante mortem confitere: & 18. Ante languorem adhibe medicinam.

Sermo 4. De Eodem.

Cognouit pater: quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit & credidit &c. In cordibus nostris ædificatur fides tripliciter. scilicet per exemplum fidelium. per verba fidei. per miracula facta in fide. Per exempla. nam sancti per fidem vicerunt regna: operati sunt iustitiam: adepti sunt re. Hebr. 11. Per verba nam fides ex auditu. Rom. 10. Per miracula vt patet in verbo proposito.

In hoc tangitur primo miraculi facti noticia. Secundo cogniti efficacia: ibi, & credidit ipse. In primo notatur patris considerantis cognitio. ibi, cognouit pater. Secundo cognitionis ratio: ibi, quia illa hora: quæ surgit ex consideratione temporis: ibi, quia illa hora erat. Ex veritate sermonis: ibi, in qua dixit ei Iesus. Ex euidentia operis: ibi, filius tuus viuit. ideo Psal. Mirabilia opera tua & anima mea.

Spiritualiter spiritus rationalis est filius regis summi, sed filius. generaliter: quia insignitus eius Imagi-

imagine. suus specialiter quia decoratus eius similitudine. sed vitens spiritualiter; quia nutritus eius dulcedine.

Dominica 22. post Trinitatem, Sermo primus.

Confidimus in Domino Iesu: quia qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vsq; in diem Iesu Christi, Phil. 1. In scriptura sacra quinque filii dicuntur opera: vt pote. Eccle. 22. In filiis suis agnoscitur vir. Vnde sicut filii nobilium habent patrem, matrem, & nutricem. Sic opera bonorum habent patrem, scil. Deum. matrem. scilic. voluntatem nostram. nutricem, scil. proximum in buoo nutrientem.

Secundum hoc notantur hic tria circa bonum opus. Primo Paulus qui nutrit docendo: & confortando dicens. Confidimus in Domino Iesu. Hebr. 6. Confidimus de vobis dilectissimi meliora & vicinintra saluti. Secundo Deus qui gignit per gratiam infusam operando: ibi, quia qui cœpit. Gratiam enim dat Deus ad inchoandum vnde dicit, qui cœpit: ad perficiendum. vnde dicit, perficiet. ad perueoiendum: quia vsque in diem Iesu Christi. 1. Petr. vlt. Deus autem gratiæ qui vocauit vos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, &c. Tertio notatur voluntas quæ parit gratiæ cooperando: ibi. in vobis. Ioh. 15. Manete in me & ego in vobis. sicut palmes non potest, &c.

De eodem, Sermo 2.

Hoc oro vt charitas vestra magis ac magis abundet. Clerici disputant & sancti orant. Disputant clerici de augmento charitatis vel scientiæ. Sed sancti orant pro augmento charitatis. Primi conantur vt sciant. Secundi conantur vt habeant. bonum est scire: sed melius est habere. Paulus ergo quod melius est eligens omissa disputatione orat pro augmento charitatis: secundum quod ipse testatur hic, hoc oro, &c.

Vbi innuit huius augmenti meritum subiectum & modum. Meritum est oratio. subiectum est homo. Meritum est maior ratio. Tangit ergo primo meritum cum specificat. supplicando, hoc oro. 2. Thes. 1. Oramus semper pro vobis vt digni. Secundo subiectum cum supponit æstimando: ibi, vt charitas vestra. Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus. Tertio modum eum dicit copulando, magis ac magis abundet. Vbi innuit triplex augmentum, scil. quo ad firmitatem radicationis. quo ad feruorem deuotionis. quo ad virtutem potestatis. Rom. 15. Abundetis in spe & virtute Spiritus sancti. sed heu: quia abundat iniquitas: & refrigescit charitas multorum vt habetur, Matth. 24.

De eodem, Sermo 3.

Repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum. Quia dictum est homini, Exod. 23. Non apparebis in conspectu meo vacuus. ideo intimat hic Apostolus ad meritorum plenitudinem.

Et hoc quantum ad tria. Primo quantum ad abundantiam sanctitatis interiorem: ibi, repleti. Mich. 3. Repletus sum fortitudine spiritus Domini. Secundo quantum ad exuberantiam æquitatis exteriorem: ibi, fructu iustitiæ. de quo Prou. 11. Fructus iusti lignum vitæ. Tertio quantum ad causam vtriusque superiorem: ibi, per Iesum Christum.

De Euangelio, Sermo 4.

Procidens seruus orabat dicens: patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Matth. 18. Sicut seruus debitis obligatus & pauper petit dilationem à Domino. Sic anima Deo obligata tum propter beneficia quæ recepit: tum propter mala quæ commisit: tum propter bona quæ omisit debet à Deo petere spacium pœnitentiæ & emendæ exemplo huius serui.

Qui primo facit prostrationem humiliter. Ideo eius humiliatio est acceptanda: ibi, procidens seruus orabat. Psal. Venite adoremus & procidamus ante Deum. Matth. 2. Procidentes adorauerunt. Secundo petit dilationem misericorditer. ideo eius petitio est exaudienda: ibi, patientiam habe, i. e. patienter expecta. De hac patientia Rom. 2. An diuitias bonitatis & patientiæ: & lon. contemnis. Tertio proponit excusationem rationabiliter. ideo est eius excusatio admittenda: ibi, in me, scil. paupere. Psal. Respice in me & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego. Quarto promittit satisfactionem fideliter. ideo eius satisfactio est expectanda: ibi, & omnia integraliter: reddam veraciter: tibi fideliter. Ro. 13. Reddite omnibus debita.

Sermo 5. de eodem.

Nonne oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum. Saluator noster & Dominus est & magister. Dominus voluntatis. magister rationis. Dominus virtutum. & magister artium. vnde Iohan. 13. Vos vocatis me magister & Domine: & bene dicitis sum & enim. Secundum hoc vtitur hic officio duplici videlicet Domini, & magistri. Domini cum seruos vocat ad compotum & damnat impium magistri cum arguit & instruit ipsum vt patet hic.

Vbi allegat magister pius multa motiua ad miserendum. quorum primum est temporis opportunitas: ibi, nonne oportuit. Eccles. 3. Omni negotio est tempus & oportunitas. Psalm. Quia tempus miserendi eius: quia venit tempus. Secundum naturæ conformitas: ibi, & te. Eccles. 28. In hominem sibi similem non habet misericordiam & à Deo quærit medelam. Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; &c. Tertium est actus facilitas: ibi, misereri. facilis est actus ad quod inclinat natura. Exod. 23. Miserebor cui voluero. Quartum conditionis æqualitas: ibi, conserui tui. si Dominus miseretur serui: multo plus seruus serui. Ephes. 4. Estote benigni inuicem misericordes, &c. Quintum Dei misetentis exemplaritas: ibi, sicut & ego. Io. 13. Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, &c. Sextum est rependendæ vitis æqualitas. ibi, tui misertus sum. 2. Tim. 1. Deus det misericordiam Onesiphori domui quia sæpe me refrigerauit.

Dominica 23. post Trinitatem, Sermo primus, de Epistola.

IMitatores mei estote & obseruate eos qui ita ambulabant sicut habetis formam nostram. Phil. 3. In omnibus artibus & mechanicis & liberalibus sunt varii gradus hominum: supremi, medii, & infimi. In liberalibus, magistri sunt supremi. i. e. baccalarii medii. discipuli infimi. In mechanicis vt in latomia architecti sunt supremi. operarii medii. discentes infimi. habent autem discentes respicere formam traditam sibi. attēdere ad manum operarii prouecti & sic tendere ad assimilationem architecti.

Secundum hoc Apostolus hic tria facit. Primo inuitat ad sui assimilationem per quam fideles & iusti efficimur: cum dicit, imitatores mei estote. 1. Corinth. 4. Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Secundo sollicitat ad diligentem aliorum considerationem per quam cauti & operosi reddimur: ibi, & obseruate eos qui ita am. Exod. 23. Ecce mitto angelum meum: & post obserua eum & audi vocem eius. Tertio insinuat exemplarem directionem per quam manuducimur: ibi, sicut habetis formam nostram. 1 Pet. 5. Non vt dominantes in clero: sed forma facti gregis.

De eodem, Sermo 2.

SAluatorem expectamus Dominū Iesum Christum qui reformabit corpus homilitatis nostrę configuratum corpori claritatis suæ. Sicut aliud est tempus seminandi: & aliud metendi. sic aliud est tempus metendi: & aliud præmiandi. Tempus metendi est præsens vita vsque ad vesperam mortis vniuscuiusque. secundum illud. Psalm. exibit homo ad opus suum, &c. Tempus præmiandi est à vespera mortis & deinceps. Vnde modo debemus expectare & præmiatorem venturum & præmium in futuro. secundū quod dicitur in verbo proposito.

In quo notatur primo ex parte nostra longanimitas perseuerantiæ in expectando: ibi, expectamus. Psal. Expecta Dominum & custodiam, &c. Secundo ex parte Dei benignitas clementiæ in saluando: ibi, saluatorem. Tit. 3. Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei. Ecce Deus saluator noster. Tertio immensitas potentiæ in operando quæ ostenditur. Primo ex auctoritate damnandi: ibi, Dominum nostrum Iesum Christum. 1. Corinth. 18. Vnus Dominus Iesus Christus. Secundo à potestate suscitandi: ibi, qui reformabit corpus hu. n. i. humiliatum in cinerem. Iob. 19. Rursum circumdabor pelle mea, &c. Tertio à virtute glorificandi: ibi, configuratum corpori claritatis suæ. 1. Corinth. 15. Seminatur corpus animale: surget spirituale, &c.

De Euangelio, Sermo 3.

MAgister scimus quia verax es & viam Dei in veritate doces & nō est tibi cura de aliquo. Matth. 22. Triplex distinguitur veritas vitæ, scil. doctrinæ & iustitiæ: prima manifestat hominem ipsum. secunda Deum. tertia proximum.

Ab hac triplici veritate commendatur hic magister veritatis: imo magister qui est via, veritas, & vita, scil. Christus. Primo à veritate, vitæ cum dicunt, magister scimus quia verax es. viuere enim viuentibus est esse. Rom. 3. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax. Secundo à veritate doctrinæ: ibi, & viam Dei in veritate doces. ideo Psal. Vias tuas Domine demōstra mihi, &c. Ecce prædicationis materia: quia viam, finis: quia Dei, scil. ducentem ad Deum. forma: quia, in veritate. efficiens: quia, doces. Psal. Docebo iniquos vias tuas, &c. Tertio à veritate iustitiæ: ibi, & non est tibi cura de aliquo: & exponunt se. non enim respicis personam hominum. Actor. 10. In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus. Ecce isti Christom alloquuntur reuerenter licet tentatiue: ibi, magister. describunt sufficienter licet adulatoriæ: ibi, scimus quia verax es. Vbi implicāt quam multipliciter. bonus magister debet habere veritatem: quia in corde cogitando & amando: ibi, verax es. In ore prædicando & docendo: ibi, & viam Dei in veritate doces. In opere exequendo & defendendo: ibi, & non est tibi cura de aliquo.

De eodem, Sermo 4.

REddite quæ sunt Cæsaris cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Quia proni sumus ex corruptione peccati ad perturbandum ordinem iustitiæ tam in temporalibus, quam in spiritualibus. ideo oportet esse aliquos qui ex officio faciant hunc ordinem obseruari. Vnde duplex est potestas in ecclesia Dei: secularis in temporalibus: & spiritualis in spiritualibus.

Et vtrique legitime institutæ secundum modum ipsius potestatis oportet obedire. secundum quod hic docet Dominus, reddite, &c.

Vbi primo ponitur exhortatio iustitiæ & veritatis: ibi, reddite. vulgariter dicitur oportet vel reddere vel pendere. Rom. 12. Reddite singulis debita. Secundo approbatio potentiæ secularis: ibi, quæ sunt Cæsaris Cæsari. simile. Matth. 22. Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Tertio reuerentia diuinæ maiestatis: ibi, & quæ sunt Dei Deo. Mich. 6. Quid dignum offeram Deo.

Dominica 24. post Trinitatem, Sermo primus.

NOn cessamus pro vobis orantes & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius. Collo. 1. In ecclesia Dei sunt duo gradus hominum principales, scil. prælati. & subditi & sunt debitores inuicem. nam subditi debēt prælatis obedientiam, prælati subditis custodiam: & hi pro inuicem orationem. subditi prælatis obedientiam. vnde Paulus Hebr. 13. Obedite præpositis vestris & subiacete eis. ipsi enim peruigilant, &c. prælati subditis custodiam. vnde dicit Apostolus, non cessa, &c.

Vbi secundum quadruplicem causam in quolibet opere concurrenté tanguntur quatuor causæ orationis. Primo efficiens: in quo attendenda importunitas: ibi, non cessamus. 1. Reg. 7. Ne cesses semper pro nobis ad Dominum clamare. Secundo finis: in quo vtilitas: ibi, pro vobis. Phil. 4. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum

pigrum vobis autem necessarium. Tertio forma: in qua humilitas: ibi, orantes & postulantes. Psal. Respexit in orationem humilium. Quarto materia: in qua bonitas: ibi, vt impleamini agnitione voluntatis eius. Bona petitio: in qua petitur satis: quia impletionem, impleamini inquit. De bono: quia, diuinæ voluntatis agnitione. Eccle c. 15. Impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus. dicitur de viro iusto.

De eodem, Sermo 2.

AMbuletis digne Deo per omnia placentes in omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia Dei.

Spiritualis profectus hominis consistit in augmento triplici, scil. dilectionis, operationis, & cognitionis. vt cum est dilectio charitatis feruentior, operatio boni frequentior, cognitio fidei purior: Sic proficit medicus diligentior in cura. examinatior in practica. prudentior in theorica.

Secundum hoc Apostolus desiderans profectum nostrum spiritualem hortatur ad tria. Primo ad augmentum charitatis vt homo sit Deo placidior. Secundo ad augmentum boni operis vt homo sit fructuosior: ibi, in omni opere. Tertio ad augmentum cognitionis: vt homo sit in fide firmior: ibi, & crescentes. vt sic augeatur in nobis fides operans per dilectionem. Circa charitatem tangit tria. Primo motum: ibi, ambuletis. Equus cum bene ambulat suauiter portat: sic motus amoris est. Ephes. 1. Ambulate in dilectione Dei: sicut & Christus dilexit. Secundo modum: ibi, digne. Ephes. 4. Digne ambuletis vocatione qua vocati estis, &c. Tertio finem: ibi, Deo per omnia pla. hoc enim debet esse intentio nostra, sc. Deo placere: sicut sponsa sponso. Tob. vlt. Seruitute Domino in timore & veritate & inquirite vt faciatis quæ placita sunt illi.

Sequitur secundum principale in quo hortatur ad augmentum boni operis. Sicut autem arborum quædam non faciunt fructum: quædam faciunt, sed malum: vt arbores Sodomæ. quædam fructum bonum sed interruptum: quia vno anno vacant & alio fructificant. aliæ bonum & continuum. Sic hominum quidam nihil faciunt: vt ociosi. contra quos dicit, in opere. Matth. 20. Quid hic statis tota die ociosi, &c. Eccles. 9. Quodcunque potest manus tua, &c. Quidam faciunt sed malum. contra quos addit, bono. Mat. 5. Sic luceat lux vestra, &c. 2. Petr. 1. Satagite vt per opera bona certam vestram vocationem & electionem faciatis. Tertii faciunt bonum: sed interruptum vt recidiuantes. contra quos addit, in omni. Prouerb. 14. In omni opere bono erit abundantia, sc. meriti & præmii. Quarti faciunt bonum continuum ad quod hortatur: cum dicit, in omni opere bono fru. Matth. 3. Facite dignos fructus pe.

Sequitur tertium principale in quo hortatur ad augmentum cognitionis: cum dicit, & crescentes in scientia Dei. Scire est bonum: crescere in scientia melius: sed crescere in scientia Dei est optimum. Vani enim sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei. Sap. 13. Hæc est scientia quam Christus docuit. sc. de fide & moribus. Sap. 2. Promittit se scientiam Dei habere. 2. Petr. 3. Crescite in gratia & in cognitione Dei.

De Euangelio, Sermo 3.

DOmine filia mea modo defuncta est: sed veni & impone manum tuam super eam & viuet. Matth. 11. In sacra scriptura non tantum significant voces: sed etiam res. Vnde per filiam defunctam significatur anima quæ moritur per culpam: suscitatur per veniam: viuit per gratiam. Quia ergo veniam dare & gratiam non est hominis sed Dei. Ideo pœnitens vel prælatus habet dirigere verba ad Deum dicendo, Domine, &c.

Vbi tria debet facere. Primo confiteri Dei potentiam: ibi, Domine. Psal. Potens es Domine & veritas tua in circuitu tuo. Secundo aperire indigentiam: ibi, filia mea modo de. est. ecce qualis debet esse confessio: quia Amara: ibi. filia. i. e. anima. Mater enim multum dolet de confusione filiæ. Propria: ibi, mea. Festina: ibi modo. Accusatoria: ibi, defuncta est. Homo enim per malitiam occidit animam suam. Sap. 1 6. Matth. 15. Filia mea male à Dæmonio vexatur. Tertio implorare clementiam: ibi, sed veni, &c.

Vbi primo petit diuinam misericordiam: ibi, sed veni appropinquando per veniam. Psal. Veniat super me misericordia tua Domine. Secundo misericordiæ efficaciam: ibi, impone manum tuam super eam. Psal. Emitte manum tuam de alto eripe me, &c. Tertio efficaciæ euidentiam: ibi, & viuet. Psal. Suscipe me secundũ eloquium tuum & viuam & non confundas. Ergo veni misericorditer: subueni efficaciter: & viuifica spiritualiter.

De eodem, Sermo 4.

SI tetigero tantum fimbriam vestimenti eius salua ero. Omnis actio est per contactum. Vnde secundum propheram quod non tangit non agit. Est autem duplex tactus: corporalis scil. & spiritualis. Mulier tetigit Christum corporaliter: sed Christus mulierẽ virtualiter. vnde Luc. 6. dicitur de Christo. Omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat & sanabat omnes. Ideo inquit mulier, si tetigero, &c.

Vbi mulieris huius deuotio & confidentia nobis proponitur in exemplum. Ipsa enim primo captauit accessum ex deuotione: ibi, si tetigero. sic Magdalena. Luc. 7. Quæ & qualis est mulier quæ tangit illũ, &c. Secũdo vitauit excessum ex humilitate: ibi: tantum fimbriam vestimenti eius. Fimbrias habebant antiquitus Iudæi in veste sua. Zach. 8. g. dicitur de gentilibus. Apprehendent fimbrias viri Iudæi dicentes: ibimus vobiscum, &c. Tertio sperauit successum ex fidelitate: ibi, & salua ero. Esa. 45. Conuertimini & salui eritis. Vnde & ipsa meruit audire: confide filia. in quo erigit Dominus eius constantiam, fides tua te saluam fe. in quo exprimit fidei efficaciam.

Dominica 25. post Trinitatem, Sermo primus.

SVscitabo Dauid germen iustum & regnabit rex & sapiens erit & faciet iudiciũ & iustitiam in terra. Hierem. 23. In mutatione rerum sibi succedentium ita est quod finis vnius & initium alterius, maximam habent conuenientiam: sicut patet in calefactione aquæ finis frigiditatis & principium caliditatis maxime conueniunt. Sic finis ægritudinis in principium sanitatis: sic initium aduentus & finis præcedentis temporis cõueniunt. Vnde in hac vltima epistola fit principaliter mentio de aduentu: secundum quod patet in verbo proposito.

In quo notantur quatuor de Christo contra quatuor incommoda hominis. Est enim homo per peccatum infectus in germine, infirmatus in voluntate, obscuratus in ratione, deprauatus in opere. Ideo Christus veniens destruere peccatum hominis habuit. Primo innocentiam in germine contra infectionẽ: quod notatur ibi, suscitabo Dauid, i. e. de genere Dauid. germen iustũ, i. e. Christum. Omnia commendabilia & pater qui suscitat, & genus de quo suscitat. Psal. Iurauit Dominus Dauid veritatem & non frustrabitur eum. Esa. 45. Rorate cœli desuper: & nu. Secundo virtutem in voluntate contra infirmitatem: ibi, & regnabit rex. irrumpendo iniquitates, arcendo hostes. Psal. Deus iudicium tuum regi da: & iu. Tertio claritatem in ratione contra obscuritatem: ibi, & sapiens erit. Eccles. 9. Inuentus est in ea vir pauper & sapiens, &c. Quarto æquitatem in operatione contra deprauationem: ibi, & faciet iudicium feminando, & iustitiam: exequendo, in terra: nobiscum habitando. Psal. Iustus Dominus & iustitias dilexit, &c.

De eodem, Sermo 2.

IN diebus illis saluabitur Iuda: & Israel habitabit confidenter. Antiquitus dixit Esa. 21. Venit mane, & nox. nox pro tempore legis naturæ. mane pro tempore legis scriptæ. Sed Hieremias ait: ecce dies veniunt pro tempore gratiæ: quia in lege naturę erat obscuritas. in lege scripta modica luminositas. tẽpore gratiæ magna claritas: quia tunc ortus est sol iustitiæ afferens lucem & calorem: non tantum in præsenti super terram. sed etiam in futuro super cœlum. In præsenti lucem fidei & calorem charitatis, in futuro lucem plenæ visionis & calorem perfectæ dilectionis. Nam per Christum venientem in mundum facta est salus & non an. secundum quod prædixit Hie. in hoc verbo.

Vbi tangitur primo adueniendi oportunitas: ibi, in diebus illis. Rom. 13. Nunc autem propior est nostra salus quam cum credidimus: nox præcessit, &c. Secundo aduentus vtilitas: ibi, saluabitur, &c. & primo in actiuis. secundo in contemplatiuis: ibi, & Israel. In prima notantur duo. Primo salutis promissio: quia saluabitur. Esa. 25. Dicent in die illa: ecce Dominus Deus noster iste expectauimus eum & sal. nos. Secundo saluandorum dispositio: quia per fidem Christi: ibi Iuda. qui interpretatur confitens. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam: ore, &c.

Circa secundum principale tangitur. Primo conditio glorificandorum: ibi, & Israel, i. e. videns Deum per fidem & contemplationem. Numer. 10. Dominus bona promisit Israeli. Secundo securitas glorificatorum: ibi, habitabit eom. Psal. Beati qui habitant in domo tua Domine. Deut. 33. Beniamin amantissimus Domini: habitabit confidenter.

Sermo 3. de eodem.

DOminus iustus noster. Ad operandum exiguntur tria in operante, scil. posse, scire, & velle. Hinc est quod non operatur infirmus: quia non potest. fatuus: quia nescit. piger: quia non vult. Ideo creator noster qui vult omnes homines saluos fieri misit sicut & promisit nobis talem qui posset, sciret, & vellet saluare: ideo merito vocatur, Dominus. in quo potentia. Psalm. Magnus Dominus noster & magna virtus eius. Iustus, in quo sapientia. Scientia enim dirigit iudicium. Eccles. 10. Iudex sapiens iudicabit populum suum. Psal. Iustus Dominus & iustitias dilexit æquitatem. Noster, in quo voluntas clementissima. Psalm. Suscepto, & noster Deus Iacob. Esa. 9. Paruulus datus est nobis: & filius, &c.

De Euangelio, Sermo 4.

EST puer vnus hic qui habet quinque panes ordeaceos & duos pisces. Ioh. 6. Quædam operatur Deus secundum communem naturæ cursum. quędam supra communem cursum. Prima opera dicuntur naturalia: quia fiunt operante natura: vt pullulatio plantarum. Secunda dicuntur mirabilia: quia fiunt subito virtute diuina: vt est præsens multiplicatio panum. Vnde admirans Andreas ait, sed hæc quid sunt inter tantos? Tangitur igitur oblatio panum multiplicandorum & piscium. & primo panum. secundo piscium: ibi, & duos pisces. Circa panes tanguntur primo gerulus: quia, puer vnus. Secundo: quia, quinque panes. genus: quia, ordeaceos.

Spiritualiter describitur hic vir iustus & spiritualiter misericors. Primo à sanctitate vitæ. Secũdo à prosperitate fortunæ: ibi, qui habet quinque panes & duos pis. alii nihil habebant. In prima commendatur à quatuor. Primo à puritate munditiæ quo ad seipsum: ibi, puer. 1. Corinth. 14. Nolite pueri effici sensibus: sed malitia paruuli estote. Osee 11. Puer Israel & dilexi eum: Secundo ab vnitate concordiæ quo ad Deum: ibi, vnus. 1. Cor. 6. Qui adheret Deo: vnus spiritus est cum illo. 1. Corinth. 9. Vnus accipit brauium. Tertio à sanctitate societatis quo ad proximum: ibi, hic in nostra societate. Matth. 17. Bonũ est nos hic esse. faciamus tria tabernacula. Quarto à stabilitate continuationis quo ad quodlibet prædictorum: ibi, est. propter hanc stabilitatem dicit Dominus. Exod. 4. Qui est misit me ad vos & frequenter in prophetis dicitur, & erit, &c. De quinque panibus & duobus piscibus procede vt vis.

De eodem, Sermo 5.

ILli homines cum vidissent quod fecerat signũ dicebant: quia hic est vere Propheta qui venturus

turus est in mundum. Licet in omnibus diuinis operibus reluceat potentia, sapientia, & bonitas: præcipue tamen relucet potentia in miraculorum operatione: sapientia in certissima rerum cognitione: clementia in carnis mortalis assumptione.

Ab his tribus commendatur Christus in verbo proposito. Primo à potentia mirabilis operationis: cum dicitur, illi homines cum vidissent quod fecerat signum. Ergo operatiuæ est euidenter: quia, homines viderunt. Veraciter: quia, fecit. non finxit. Mirabiliter: quia, signum, i. e. miraculum. Ideo Ioh. 3. Nemo potest facere signa quæ tu facis nisi fuerit Deus cum eo. Secundo à sapientia supernaturalis cognitionis: ibi, hic est vere Propheta. Deut. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit Dominus Deus tuus. Tertio à clementia vtilis incarnationis: ibi, qui venturus est in mundum. Ioh. 16. Exiui à patre & veni in mundum, &c.

Circa primum habemus exemplum operandi. Primo euidenter ad exemplum: ibi, illi homines cum vidissent. Matth. 5. Sic luceat lux. &c. Secundo veraciter ad meritum: ibi, quod fecerat. Eccle. 3. Iudicium patris audite filii dilecti: & sic facite vt salui si. Tertio excellenter ad meriti cumulum: ibi, signum, i. e. opus arduum & perfectum. Eccl. 45. Corona aurea super caput.

Circa secundum principale sapientiam Christi commendant tria. Primo excellentia singularis: ibi, hic. discretiue Luc. 11. Regina austri venit à fi. t. audire sapientiam sa. & ecce plusquam Salomon hic. si plus sapientissimo transcendit comparationem. Secundo existentia indefectibilis: ibi, est vere Prou. 12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Tertio notitia mirabilis: ibi, Propheta. Matth. 21. Hic est Iesus Propheta à Nazareth.

Circa tertium principale, scil. bonitatem notantur tria. Primo diuinitatis sublimitas: ibi, qui. Exod. 4. Qui est misit me ad vos. Secundo sublimitatis humilitas: ibi, venturus est. Iohan. 1. Qui post me venit. Tertio humilitatis vtilitas: ibi, in mundum. Iob. 12. Non veni vt iudicem mundum: sed vt saluificem mundum.

Finitis iam Dei munere omnibus Dominicarum festorumq; mobilium sermonibus: hic quadragesimæ feriis prouisuri, communes temporis sermones immediate subnectemus.

Quia tamen sicut feriæ quintæ, sextæ, & sabbati ante pascha epistolarum & euangeliorum Sermones præposuimus: sic & quartæ feriæ cinerum. Nihilominus tamen in illis diebus pulcherrimos communes descripsimus Sermones: vt patet intuenti.

Feria 4. in capite ieiunii, Sermo primus generalis.

Memor esto vnde excideris & age pœnitentiam & prima opera fac. Apoc. 2. Verbum propositum ad peccatorem dirigitur ex parte diuinæ misericordiæ ipsum ad pœnitentiam reuocantis. Est autem peccator peruersus quo ad tria: quo ad vim cognitiuam Deum obliuiscendo, quo ad vim affectiuam noxie delectando, quo ad vim operatiuam male agendo.

Ideo hortatur ad tria opposita. Primo ad memorandum contra obliuionem: ibi, memor esto vnde excideris. quia de gratia in peccatum: de paradiso in infernum. Hier. 2. Scito & vide quia malum & amarum est dereliquisse te Dominum d. t. Summum enim genus infelicitatis est fuisse felicem. Eccl. 7. Memorare nouissima i. gaudium paradisi quod per peccatum amittis: supplicium inferni quod incurris, & in æternum non peccabis. Secundo ad pœnitendum contra delectationem: ibi, & pœnitentiam age. Pauo enim deponit alas dum respicit pedum turpitudinem. Leuit. 5. Anima si intellexerit delictum suum agat pœnitentiam super peccato. Hier. 31. Postquam conuertisti me, &c. Tertio ad bene operandum contra malam actionem: ibi, & prima opera fac. Gal. 5. Neque circumcisio aliquid valet neque præputium: sed fides quæ per dilectionem operatur. Eccl. 3. Sic facite & salui sitis.

De eodem, Sermo 2. generalis.

Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Esa. 38. Contraria contrariis curantur. Delectatio & amaritudo sunt contraria: imo delectatio culpæ per amaritudinem pœnitentiæ curatur: secundum quod hic super ponitur.

Vbi nobis proponitur huius Prophetæ pœnitentia in exemplum: vt cognoscamus qualis debet esse pœnitentia Domino placens. debet enim esse primo prompta: sic homo cadens in latrinam vel ignem nititur statim exire. quod notatur ibi, ecce. Psal. ecce elongaui fugiens, &c. 1. Reg. 3. Ecce ego vocasti enim me: moraliter ad pœnitentiam. sic prompta fuit virgo Maria ad obediendum. Luc. 1. Ecce ancilla Domini fiat mihi, &c. Secundo voluntaria: ibi, in pace. contra murmurantes de austeritate pœnitentiæ: sic æger voluntarie accipit medicinam dicet amaram. Eccles. 41. Disciplinam in pace conseruate. Psalm. Iustitia & pax osculatæ sunt. Tertio austera: sic medicina acuitur vt efficacius operetur: ibi, amaritudo. Hier. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Quarto propria: sapiens enim prius eiicit festucam de oculo proprio quam de alieno: ibi, mala. Psal. Iniquitatem meam annunciabo & cogitabo pro peccato meo. 2. Reg. vlt. Ego peccaui: ego inique egi, &c. Quinto immensa: si damnum est causa doloris immensum damnum est causa immensi doloris. Immensum damnum est amissio summi boni: ibi, amarissima Esa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, &c.

De eodem, Sermo 3. generalis.

Dabo eis coronam pro cinere Esa. 61. b. Dicitur communiter quod bonu forum trahit denarium de bursa. Ideo diues mercator Christus quem misit pater Deus ad nundinas mundi huius vt nobis venderet coronam cœlestis regni ponit eam ad valde bonu forum: quia propter humilem pœnitentiam dat gloriæ coronam: sicut antiquitus clamauit per Esa. quia dabo, &c. & hoc vt extrahat à nobis veram pœnitentiam.

Vbi notantur quatuor fere in quolibet opere concurrentia, scilicet glorificans, glorificabile, gloria, & meritum gloriæ. Ecce ergo largitas glorificandis: ibi, dabo. potius enim dat quam vendit. Psalm. Gratiam & gloriam dabit Do-

bit Dominus. humilitas beatificabilis: ibi, eis, sc. lugentibus. Matth. 5. Beati qui lugent. Esa. 61. Lætitia sempiterna erit eis. perpetuitatis glorificationis: ibi, coronam. corona enim non habet principium nec finem. 1. Tim. 2. Non coronabitur nisi qui legitime certauerit. meritum perpetuitas: ibi, pro cinere, i.e. pro humilitate pœnitentiæ. Hier. 6. Conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum: quia repente ve. &c.

De eodem, Sermo 4. generalis.

SAnctificate ieiunium. Ioel. 2. Sicut non est aurum quicquid lucet, nec farina quæcunque albet: ita nec est sanctus quicunque ieiunat. Si enim propter ieiunium esset quilibet sanctus nemo esset sanctior diabolo quia nunquam comedit. Hinc est quod quia modo incipiunt ieiunia docet nos Propheta modum ieiunandi Deo gratum dicens, sanctificate ieiunium.

Vbi duo facit. Primo imponit munditiam: cum dicit, sanctificate, i.e. sanctũ facite. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Secundo supponit abstinentiam cum dicit, ieiunium. Ioel. 2. Cõuertimini ad me in ie. Primum est curatiuum infirmitatis. Secondum conseruatiuum sanitatis. felix qui sic ieiunat. vt & sit mũdus à peccato & parcus in cibo.

De eodem, Sermo 5. generalis.

AVditu auris audiui te nunc oculus meus videt te idcirco me reprehendo & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Iob. vlt. Secundum philosophicam veritatem finis est causa causarum. & est efficiens: & est effectus causarum: causa dicitur: quia mouet alias. Mouet quippe efficientem: efficiens imprimit formam in materia. Effectus dicitur: quia in opere sequitur alias. habetur quippe finis opere consummato. Vnde consideratio finis mouet ad faciendum aliquid vel fugiendum. finis enim culpæ mouet ad fugiendum culpam: quia finis est malus. stipendia enim peccati mors. Rom. 6. Finis pœnitentiæ mouet ad agendum pœnitentiam: quia finis est bonus. Matth. 3. Agite pœnitentiam, &c. Ideo Iob in persona pœnitentis ait Domino. auditu au. au. te prædicantem pœnitentiam. nunc oculus meus videt te pro peccato morientem. idcirco me reprehendo, &c.

Vbi circa pœnitentiam tangit quatuor. Primo motiuum. sc. auditus & visus. Secundo motum: ibi, idcirco me reprehendo. Tertio actum: ibi, & ago pe. Quarto modum: ibi, in fauilla & cin. Motiuum tangit duplex. Auditum sermonis diuini: cum dicit, auditu auris. au. Abac. 3. Domine audiui au. & post. audiui & contur. est venter exemplum in Adam. Gen. 3. Item visum passionis Christi: cum dicit, nunc oculus meus videt. Thren. 3. O vos omnes qui transitis. Exemplum de videntibus serpentem æneum in palo. Num. 21. Vide ergo motiuum prudentiæ. in auditu & visu. sed motum iustitiæ in reprehensione. Galat. 2. In faciem restiti ei: quia te. sed actum seueritatis in actione pœnitentiæ. Apoc. 3. Age pœnitentiam: sed modum humilitatis in fauilla & cinere. Iob 30. Comparatus sum luto & assimilatus sum fauillæ & cineri.

De eodem, Sermo 6. generalis.

COnuertimini ad me & salui eritis. Esa. 65. Tria mouent homines ad operandum, scil. præceptum, debitum, & præmium. Obligatio præcepti secũdum illud. Luc. 7. Dico seruo meo fac hoc & facit. Tentio debiti secundum illud, Luc. 17. Quod debemus facere fecimus. Delectatio præmii secundum illud. Psal. Inclinaui cor meum ad faci.

Hæc tria debent mouere peccatorem vt relicto peccato conuertatur ad Dominum. Primo, scil. præceptum quo obligamur: quia Dominus est qui præcepit dicens, conuertimini. Zach. 1. Conuertimini ad me dicit Dominus ex. Secundo debitum quo tenemur: ibi, ad me. ad Deum enim debemus conuerti tanquam ad finem nostrum. Cant. 7. Ego dilecto meo & ad me con. eius. Ioel. 2. Conuertimini ad me. Tertio præmium quod meremur: ibi, & salui eritis. Ioh. 23. In diebus illis sal. Iuda. Pet. 2. Conuersi estis ad pasto.

De eodem, Sermo 7. generalis.

DErelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas & reuertatur ad Dominũ & miserebitur eius. Esa. 55. Omniũ artifex Deus in opere suo vult habere duas comites, scil. iustitiam & misericordiam: sicut dicitur super illud. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas: quæ & si non vbique appareant tamen in iustificatione impii apparent. nam ibi iustitia exigit vt homo pœniteat: misericordia petit vt Deus indulgeat, & sic homine pœnitente & Deo indulgente, iustificatur impius: alias iustitia sine misericordia videretur crudelitas: misericordia sine iustitia fatuitas.

Hoc attendens Propheta duo facit. Primo hortatur ad pœnitentiam: cum dicit, derelinquat impius. Secundo promittit indulgentiam: cum subdit, & miserebitur eius. Primum exigit iustitia. Secundum impendit misericordia. Ad pœnitentiam exiguntur duo secundum exigentiam iustitiæ, scil. cessare ab offensa, & prouidere de emenda. Ideo duo hortatur. Primo cessare à peccato: cum dicit, derelinquat, &c. Secundo humiliari Deo: cum subdit, & reuertatur ad Dominum. Psal. Declina à malo & fac bonum. Cessare autem oportet à peccato dupliciter. Opere exteriori: propter quod dicit, derelinquat impius viam suam. Ezech. 18. Nolo mortem impii: sed vt conuertatur impius à via sua. & voluntate interiori: propter quod addit & vir iniquus cogitationes suas. Esa. 1. Auferte malum co. & sic reuertator ad Dominum. Can. 6. Reuertere, reuertere, & sic miserebitur eius. Eccl. 12. Altissimus odio habet pec. & misertus, &c.

De eodem, Sermo 8. generalis.

TV autem cum ieiunas vnge caput tuum: & faciem tuam laua. Matth. 6. Antiquitus proposuit Propheta Domino quæstionem de ieiunio dicens in persona peccatorum: quare ieiunauimus & non aspexisti. Esa. 58. Et respondet Dominus assignans duplicem huius causam. Vna est inimicitia quo ad proximum. Vnde ait. Ecce ad lites & con. ie. Alia est immunditia quo ad ho-

ad hominem ipsum. vnde ibid. In die ieiunii vestri inuenietur voluntas vestra.

Ideo vt acceptabile fiat ieiunium nostrũ Dominus in verbo proposito tria facit. Primo supponit abstinentiam: cum dicit, tu autem cum ieiunas. Secundo imponit lætam misericordiam: cum subdit, vnge caput tuum. Tertio apponit perfectam munditiam: cum addit, & faciẽ tuam laua vt nec sit fidei error in cognitione nec carnalis amor in affectione: nec popularis fauor in intentione. Tria enim prædicta multum placẽt in seruo: vt scil. sit abstinens, non gulosus: ideo dicit, tu autem cum ieiunas. Psal. Humiliabam in ieiunio a. m. Mansuetus est misericors, non contentiosus: ideo subdit, vnge caput tuum. oleo scil. lætitiæ & misericordiæ. Psal. Ecce quam bonum & quam iucundum, &c. Mundus, non sordidus: ideo addit, & faciem tuam laua Esa. 1. Lauamini mundi estote. Secundum literalem sensum hortatur vt in bonis operibus non quæramus laudem hominum: sicut hypocritæ qui exterminant facies suas vt videantur ab hominibus.

Sermones de Epist. & Euangel. require supra pag. 9. col. 1. & 2.

Feria 5. post cineres, Sermo primus, de Epistola.

Dispone domui tuæ quia morietis tu. Esa. 38. Vniuscuiusq; vita inuitatur secundum duplicem statum. Vnus est in quo meretur. alius in quo præmiatur. In primo habet dispositionem. In secundo est disposita: ita quod bona dispositio prima est causa bonæ dispositionis secundæ. Prima est ante mortem: de qua hic, dispone domui, &c. Secunda est post mortem de qua, Sap. 3. In paucis vexati: in multis bene disponentur.

In proposito ergo verbo Dominus per Esaiam exemplo Ezechiæ regis Iuda vnumquemq; monet, & terret. Primo monet contra negligentiam ne tepescat: ibi, dispone domui tuæ. Secundo terret contra insolentiam ne euanescat: ibi, quia morietis tu. Monet ergo vt simus prouidi: terret vt simus timidi. Prouidentia debet fieri tripliciter: secundum quod hic innuitur. Primo præsentialiter: ibi, dispone. sicut villicus ante compotum prouidet sibi: miles ante bellum. Psal. Iucundus homo qui miseretur & commodat: disponit sermones suos in iudicio. Prou. 24. Cum dispositione initur bellum. Secundo integraliter: ibi, domui. spirituali scil. animæ. carnali scil. corpori & familiæ. temporali, scil. opulentiæ. Dispositione ergo vt anima dominetur: caro ancilletur: opulentia distribuatur. & hoc fit præcipue per timorem Domini. Eccl. 1. Omnem domum illius implebit agnitionibus illius. Tertio vtiliter: ibi, tuæ. Rationabile & vtile est vt quilibet prius & plus sibi prouideat quam alii. Eccl. 32. Præcurre prior in domum tuam, &c. Sed multi plus disponunt de pecunia vel conscientia aliena quam de sua. Eccles. 21. Pes fatui facilis in domum proximi.

Sequitur secundum principale vbi terret vt simus timidi: cum dicit, quia morieris tu. 2. Reg. 14. Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur, &c. Eccles. 18. Ante iudicium para iustitiam: ante languorem, &c.

De Euangelio, Sermo 2.

Domine non sum dignus vt intres sub tectũ meum: sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus. Matth. 8. Sicut dicitur Iacob. 4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam: ideo iste centurio se humiliauit: & gratiam exauditionis obtinuit.

Proponitur ergo nobis in exemplum quantum ad debitam reuerentiam: quantum ad feruidam diligentiam: quantum ad deuotam confidentiam. Primo ergo debitam reuerentiam exhibuit in sui humilitate: cum dicit, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. sic Ioan. baptista. Ioh. 1. Non sum dignus vt soluam eius corrigiam calciamenti. Secundo feruidam diligentiam adhibuit in Dei inuocatione: ibi, sed tantum dic verbo. Psal. Quoniam ipse dixit & facta sunt. verbum enim Domini omnipotens est. Vnde Petrus Luc. 5. In verbo tuo laxabore-te, &c. Tertio deuotam confidentiam quam habebat in gratiæ adoptione: ibi, & sanabitur puer, i. e. seruus meus. Psal. Misit verbum suum & sanauit eos. hic est qui sanat contritos corde.

Feria 6. Sermo primus, de Epistola.

Frange esurienti panem tuum. Esa. 58. Sicut non proficit corporaliter ore manducanti si totum cibum sibi retineat & ad membra reliqua esurientia non transmittat: Sic nec proficit diuiti si diuitias sibi habeat & pauperibus non distribuat. Ideo inuitat Dominus per Prophetam vnumquemq; diuitem ad eleemosynam faciendam dicens, frange esurienti panem, &c.

Vbi notantur quatuor conditiones quæ hoc opus perfectum reddunt, scil. quomodo dandum, cui dandum, quid dandum, de quo dandum. Primo ergo ostendit quomodo dandum quia modo sapienti: ibi, frange, q. d. non totum da sicut prodigus: nec totum retine sicut auarus: sed da danda: & retine retinenda sicut largus. Item non totum da vni: sed frange diuersis: exemplo Christi. Matth. 6. Fregit panes & dedit discipulis vt ponerent ante eos. sed heu. Thren. 4. Paruuli petierunt panem: & non erat qui frangeret eis. Secundo cui dandum: quia personæ indigenti: ibi, esurienti. Multi faciunt sicut asinus qui mingit in aqua: quia dant diuitibus contra quos Christus in Psalm. Animam esurientem satiauit bonis. Prou. 25. Si esurierit inimicus tuus ciba illum. sed heu. Matth. 25. Esuriui & non dedistis mihi manducare. Tertio quid dandum: quia de bono expedienti: ibi, panem. Genes. 18. Ponam buccellam panis & confortabitur cor vestrum. Nomine panis intelligitur cibus expediens. Prouerb. 22. Qui pronus est ad misericordiam benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Quarto de quo dandum. quia de proprio valenti: ibi, tuum. Prouerb. 3. Honora Dominum de tua substantia & de primitiis frugum tuarum da pauperibus. contra raptores & alios qui de alieno corio faciunt largas corrigias. Eccles. 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas.

De Euangelio, Sermo 2.

CVm oraueris intra in cubiculum tuum: & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito & pater tuus qui videt in ab. r. tibi. Matth. 5. Secundum quod homo habet ad tria ordinari, scil. ad seipsum, ad proximum, & ad Deum: Sic sunt tres partes satisfactionis: ieiunium, eleemosyna, & oratio. Ieiuniū ordinat hominem ad seipsum, eleemosyna ad proximum, oratio ad Deum. De ieiunio habetur in epistola. de oratione in euangelio, de eleemosyna in vtroque. Oratio autem duplex est: vocalis, & mentalis. & de vtroque agitur hic.

Vbi innuitur primo orantis diligētia. Secūdo orationis efficacia: ibi, & pater tuus, &c. In prima docet primo formam orādi. Secūdo cui debet oratio dirigi: ibi, & clauso ostio ora patrē tuum. In prima docet nos primo esse vocaliter attentos, & hoc per exteriorē expressionem: ibi, cum oraueris. contra illos qui detruncant vel rapti ad alia dimittunt verba aliqua in orationibus suis. Eccles. 7. Non iteres verbum in oratione tua, i.e. ita perfecte ora vt non oporteat iterare. Secundo mentaliter esse intentos: & hoc per interiorem deuotionem: ibi, intra in cubiculum tuum, i.e. in locum quietum. Tob. 3. Perrexit Sara ad superius cubiculum domus suæ: & in oratione persistens cum lachrimis deprecabatur.

Sequitur secundum principale, scil. cui debet oratio dirigi: quia Deo patri: quod debet fieri primo totaliter vt nihil retrahat: ibi, clauso ostio, i.e. quolibet sensu exteriori. Dan. 13. Ostia pomerii claudite. Iud. 8. Fecit sibi Iudith cubiculum secretum: vbi cum puellis clausa morabatur. Secundo fiducialiter vt non diffidat: ibi, ora patrem tuum. Luc. 11. Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater, &c.

Sequitur tertium principale, scil. orationis efficacia: quia, pater tuus qui videt, &c. Pater qui potest, tuus qui vult, videt in abscondito, ita scit seddere. & ideo, reddet tibi. Iacob. 1. Omne datum optimum & omne bonum perfectum de sursum est à patre luminum. Iob. 16. Si quid patientis, &c.

Sabbatho post cineres, Sermo primus, de Epistola.

SI abstuleris de medio tui cathenam & desieris digitum tuum extendere & loqui quod non prodest: cum esurienti effuderis animam tuam & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua. Esa. 58. Sicut in cultura terræ prius est extirpare spinas & nociua: deinde serere bona semina: & vltimo fructum colligere: Sic in cultura animæ prius est extirpare vitia deinde virtutes inserere: & in fine fructum percipere.

Secundum hoc proponit nobis Dominus per Prophetam tria. Primo quid abiiciendum. Secundo quid adimplendum: ibi, cum effuderis esurienti, &c. Tertio quid assequendum: ibi, orietur in tenebris lux tua. Abiiciendum quippe est malum. adimplendum est bonum. assequendum est præmium.

Circa primum docet triplex malum abiiciendum. Primo à corde malam cogitationem: cum dicit, si abstuleris de medio tui, i.e. de corde tuo catenam, i.e. cogitationem quæ trahit ad delectationem, delectationem quæ trahit consensum. consensum qui trahit opus Sicut ansulæ catenæ tenent & trahunt se inuicem & ligant hominem. Sap. 17. Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Secūdo à manu illicitam operationem: ibi, & desieris digitum tuum ex. ad rapiendum, ad percutiendum, ad impudice tangendum. Eccl. 4. Noli esse sicut leo in domo tua: euertens domesticos tuos & opprimens subiectos tibi. non sit manus tua porrecta ad accipiendum: & ad dandum collecta. Sed heu quia Esa. 59. Digiti eorum pleni iniquitate. Tertio à lingua inutilem locutionem: ibi, & loqui quod non prodest, quia sicut dicitur Matt. 12. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, &c. Psalm. Prohibe linguam tuam à malo & labia t. &c.

Circa secundum principale docet duplex bonum adimplendum. Primo compassionem in tribulationibus: ibi, cum esurienti effuderis animam tuam. Esa. 44. Effundam aquas super sitientem, &c. Luc. 1. Esurientes impleuit bo. Secundo subuentionem in necessitatibus: ibi, & animam afflictam repleueris. Tob. 12. Bonis omnibus per eum repleti sumus.

Circa tertium principale notatur duplex vtilitas. Primo amotio mali, scil. culpæ. & tandem miseriæ: cum dicitur, orietur in tenebris. lux enim oriens tenebras expellit. Psal. Exortum est in tenebris lumen rectis, &c. Secundo adeptio boni, scil. gratiæ & gloriæ: ibi, lux tua. Psal. Lux orta est iusto: & rectis corde lætitia. Esa. 9. Habitantibus in regione vmbræ mor. &c.

De Euangelio, Sermo 2.

QVotquot tangebāt eum salui fiebant. Mar. 6. Omnis actio fit per contactum vel corporalem vel virtualem. vnde quod non tangit non agit. Hinc est quod volentes salutem quærere: nituntur salutis actorem tangere: secundum quod hic innuitur.

Vbi proponit primo fidelitatem humanæ deuotionis. Secundo pietatem diuinæ miserationis: ibi, salui fi. In prima innuit quod Dominus saluat generaliter: quia, quotquot: faciliter: quia, tangebant. virtualiter: quia, eum. Luc. 5. Omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, &c. sic mulier ait. si tengero fimbriam vestimenti eius, &c. Circa secundum principale tangitur pietas diuinæ miserationis: quia, salui fiebant. Hier. 17. Sana me Domine & sanabor: saluum me fac.

Dominica prima 40. sermones supra pag. 20. col. prima.

Feria 2. Sermo primus, de Epistola.

QVod perierat requiram & quod abiectum fuerat reducam: & quod confractum fuerat alligabo. Exech. 34. Reddit malum pro malo iracundus: bonum pro bono iustus: malum pro bono peruersus: bonum pro malo perfectus. prima tria frequenter contingunt in hominibus quartum specialiter in Deo secundum quod hic dicitur.

Vbi tangitur & humana miseria & diuina misericordia: secundum tria sibi inuicem correspondentia. Fuit enim homo primo amissus per negligentiam: ibi, perierat, sed inuentus per diuinam diligentiam: ibi, requiram. Psal. Errani sicut ouis quæ periit: quære seruum. &c. Domine, &c. Hoc significatur in parabola de oue perdita & inuenta. Matth. 12. Quis ex vobis homo, &c. Luc. 19. Filius hominis venit quærere & sal. f. q. p. Secundo seductus per ignorantiam: ibi, quod abiectum fuerat: sed reductus per diuinam sapientiam: ibi, reducam. Zach. 10. Reducam eos de terra Ægypti. Tertio oppressus per violentiam: ibi, q. confractum fuera: sed curatus per diuinam clementiam: ibi, alligabo. Ps. Qui sanat contritos corde & alligat contritiones eorum. Exemplum in parabola de Samaritano qui appropians sauciato alligauit vulnera eius, Lu. 10.

De Euangelio, Sermo 2.

SEdebit super sedem maiestatis, scil. & congregabuntur ante eum omnes gentes & separabit eos ab inuicem. Matth. 25. Secundum Greg. iacula minus feriunt quæ præuidentur: vnde ictus melius euadimus quos præuidemus: quia ergo Dominus in iudicio grauiter super malos feriet: ideo hic de futuro iudicio præmunimur.

Vbi tanguntur tria timorem & confusionem incutientia malis. Et est primum potētia iudicis. secūdum præsentia communitatis. tertium euidentia sceleris. secundum hoc finale iudicium describitur hic. Primo quantum ad iudicantis auctoritatem cum dicitur, sedebit super se ma. sue. sedere enim iudicantium est. Dan. 7. Iudicium sedit: & libri aperti sunt, &c. Secūdo quantum ad iudicii generalitatem. Ioel. 3 Congregabo omnes gentes & deducam eas in valle Iosaphat. Tertio quantum ad iudicandi æquitatem: ibi, & sepa. eos ab inui. sc. malos à bonis. in quo patebit qui damnati sunt. Matth. 13. Exibunt angeli & separabunt malos.

Feria 3. Sermo primus, de Epistola.

QVærite Dominum dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est. Esa. 55. Duo mouent nos ad quærendum id quod est vtile. sc. inueniēdi possibilitas: & habendi facilitas. quærere quippe quod est impossibile vel difficile habere retrahit à quærendo.

Secundum hoc notantur hic duo mouentia ad quærendum Dominum. Primo possibilitas inueniendi cum dicit, quærite Dominum dum Secundo facilitas habendi: ibi, inuocate eum dum.

Circa primum tria facit Propheta. Primo suadet intentam esse affectionem: ibi, quærite. Sap. 1. Sentite de Domino in bonitate & in simplicitate cordis quærite illum. hoc est contra ociosos. Secundo monet rectam esse intentionem: ibi, Dominum. non diuitias, delitias & honores. Eccles. 23. Magna gloria est sequi Dominum. Psal. Quis ascendet in montem Domini, &c. Hoc est contra ambitiosos. Tertio docet vtilem esse operationem: ibi, dum inueniri potest. In hac vita inuenitur per gratiam: vt habeatur in futura per gloriam. Matth. 7. Quærite & inuenietis, &c.

Sequitur secundum principale, scil. habendi facilitas quæ duplex innuitur. Prima ex parte nostra cum dicit, inuocate eum. Si sola inuocatione haberetur præbenda ab Episcopo: multi inuocarent eum. Ioel. 2. Quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. Psal. Cum inuocarem, &c. Secunda ex parte diuina: ibi, dum prope est oblatione gratiæ, gratuita subuentione. Phil. 3. Gaudete in Domino.

De Euangelio, Sermo 2.

ACcesserunt ad eum cæci & claudi in templo & sanabat eos. Matth. 21. Vnumquodq; naturaliter appetit sibi bonum vel bonum secundum rem vel bonum secundum appetentis æstimationem, sicut famelicus cibum. Ideo infirmi appetentes sanitatem accesserūt ad saluatorem: secundum quod dicitur hic.

Vbi describitur effectus humanæ salutis. Primo quantum ad confidentiæ securitatem quæ requiritur: ibi, accesserūt ad eum, sc. Iesum: quod fit gressibus pœnitentiæ & deuotionis. Psal. Accedite ad eum & illuminamini, &c. Secundo quantum ad indigentię necessitatem quæ exprimitur: ibi, cæci & claudi. cæcus dicitur peccator propter errorem in eligendo. claudus propter turpitudinem in operando. Leuit. 21. Si claudus fuerit non accedet ad ministerium meum. Tertio quantum ad subuentionis pietatem quæ percipitur: ibi, & sanabat eos. Psal. Benedic anima mea Domino qui sanat omnes infirmitates, &c. Matth. 11. Cæci vident claudi, &c.

Feria 4. Sermo primus, de Epistola.

SVrge comede: grandis enim tibi restat via. 3. Reg. 19. In cœlo sunt beati: & quiescunt in inferno damnati & gemunt. In mundo peregrini quia ad finem tendunt. Sicut ergo peregrinantibus corporaliter necessarius est cibus corporalis ne deficiant in via: sic peregrinantibus spiritualiter necessarius est cibus spiritualis. scil. gratia propter quod Angelus ait Heliç verbum propositum.

In quo spiritualiter intellecto hortatur peccatorem ad opera pœnitentiæ: & primo ponitur fructuosa monitio cum dicitur, surge & comede. secūdo manifesta monitionis ratio: ibi, grandis enim tibi. In prima inuitat primo ad detestationem culpæ: ibi, surge, scil. à sterquilinio culpæ. Ephes. 5. Surge qui dormis & exurge à mortuis. Secundo ad refectionem gratiæ: ibi, comede, i. e. recipe interuentum gratiæ quo viuit anima Prou. 23. Comede fili mel: quia bonum est. Cant. 5. Comedite amici & bibite, &c.

Sequitur monitionis ratio, scil. magnitudo viæ cum dicitur, grandis tibi restat via quæ dicitur gradis: quia nescitur finis. Item quia ad grandia ducit. Psal. In mari via tua & semitæ tuæ in aquis, &c. Psalm. Vide: si via iniquitatis in me est &, &c.

De Euangelio, Sermo 2.

QVicunq; fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est ipse meus frater & soror & mater est. Matth. 13. Triplex distinguitur cognatio sine propinquitas. naturalis quam facit generatio. legalis quam facit adoptio. spiritualis quam facit dilectio de qua loquitur hic Dei filius.

Vbi proponit nobis duo, Primo quid adimplendum

plendum: quia voluntas Dei. Secundo quid assequêdum: quia cognatio Christi: ibi, ipse meus frater, &c. Adimpletio requirit humilitatem & obedientiam. Psal. Ad te confugi doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu. Assecutio acquirit dignitatem & excellêtiam: quia, frater & soror est credendo, mater prædicando, & sic alios Deo generando. Ioh. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt, &c.

Feria 5 primæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Ezech. 18. Cum anima rationalis sit immortalis quæritur quomodo hic dicitur anima morietur. Responsio: triplex est mors: naturæ, culpæ, gehennæ. prima morte non moritur. sed secunda & tertia potest mori: secundum quod hic innuitur.

Vbi duo notantur. Primo mors prima, scilic. culpæ quæ est detestabilis & cauenda, cum dicitur, anima quæ peccauerit. Tob. 4. Caue ne aliquando peccato consentias. Eccles. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum. Secundo mors secunda, scil. gehennæ quæ est horribilis & metuenda cum addit, ipsa morietur. Rom. 6. Stipendia peccati mors scil. æterna.

De Euangelio, Sermo 2.

Non quæro voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me. Ioh. 8 Omnis Christi actio nostra est instructio & hoc vel ad credendum, vt patet in prædicatione & miraculorum operatione: vel ad gratias agendum & laudandum & diligendum: vt patet in creatione & incarnatione. vel ad imitandum. vt patet in obedientia: & humilitate de qua dicit hic, non quæro voluntatem, &c.

Vbi notantur duo necessaria obedienti. Primo abrenunciatio voluntatis quippe cum dicit, non quæro voluntatem meam. Matth. 26. Pater mi si possibile est transeat à me calix iste verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu. Secundo adimpletio voluntatis diuinæ: ibi, sed voluntatem eius qui misit me. Ioh. 4. Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me. Ioban. 6. Descendi de cœlo non vt facerem voluntatem meam, &c.

Feria 6. primæ Dominicæ, Sermo primus, de Epistola.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est: & custodierit vniuersa præcepta mea & fecerit iudicium & iustitiam vita viuet, & non morietur. Ezech. 18. Beneficia confert Deus homini communia aliis creaturis: sicut esse cum lapidibus: viuere cum arboribus: sentire cum animalibus: intelligere cum angelis. Sed vltra hæc confert homini beneficium speciale, scilic. remedium pœnitentiæ quod non angelis peccantibus dedit: de quo remedio dicit hic Propheta.

Vbi docet hominem esse ordinatum quantum ad quatuor. quantum ad suum damnum. quantum ad suum debitum. quantum ad suum gradum. quantum ad suum commodum. Damnum est amissio innocentiæ. debitum est adimpletio obedientiæ. gradus est altitudo potentiæ. commodum est promissio gloriæ. Docet ergo hominem esse ordinatum. Primo respectu innocentiæ amissæ, scil. per pœnitentiam: ibi, si impius egerit p. ab o. pec. Matth. 4 Agite pœnitentiam appropinquabit enim re. cæ. Secundo respectu operationis iniunctæ, scil. per obedientiam: ibi, & custodierit vni. præ. m. Psal. Tu mandasti mandata. 1. &c. Tertio respectu potentiæ permissæ, sc. per iustitiam: ibi, & fecerit iudicium & iustitiam, &c. Quarto respectu excellentiæ promissæ, sc. per gloriam: ibi, vita viuet. Mat. 19. Si vis ingredi ad vitam.

De Euangelio, Sermo 2.

Surge tolle grabatum tuum & vade. Iohan. 5. Communiter dicitur qui est bene nô se moueat. ergo à contrario sensu. qui non est bene moueat se. sed homo non est bene in peccato. Eccl. 12. Non est ei bene qui assiduus est in malis. Ideo dicitur hic peccatori sub typo languidi, surge, &c.

Vbi Dominus hortatur eum ad tria. secûdum tres partes pœnitentiæ. Primo ad veram contritionem quæ habet fieri per cordis à peccato ad eum eleuationem: cum dicit, surge qui dormis, &c. Secundo ad puram confessionem quæ habet fieri per oris accusationê. cum subdit, tolle grabatum. lectum tollit qui onus pœnitentiæ in confessione iniunctæ suscipit. Matth. 16. Si quis vult venire post me, &c. Psal. Dominus opem ferat illi super lectum doloris, &c. Tertio ad plenam satisfactionem quæ habet fieri per boni operis executionem: cum addit. & ambula. Psal. Beati omnes qui timent Dominum. qui am.

Sabbat. 1. Dom. Sermo 1. de Epistola.

Omnia probate quod bonum est tenete ab omni specie mala abstinete vos. 1. Thess. 5. Salubris ordinatio vitæ humanæ consistit in tribus secûdum tres potentias animæ, sc. in discernendo bonum à malo in eligendo bonum: & fugiendo malum. Primum est rationabilis. secundum est concupiscibilis. tertium est irascibilis.

Secundum hoc dat Apostolus formam viuendi tripliciter. Primo quantum ad generalem examinationem rationalis cum dicit, omnia probate. 1. Io. 4. a. Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex Deo sunt. sic clericus probat librum si litera est bona & vera. Gal. 6. Opus suum probet vnusquisque. Secundo quantum ad specialem electionem concupiscibilis: ibi, quod bonum est tenete. Sic columba granum eligit & accipit non paleam & potius frumentum quam ordeum: quia quod melius est magis est eligendum. Prou. 11. Desiderium iustorum est omne bonum. Tertio quantum ad singularem detestationem irascibilis: ibi, ab omni specie mala ab. Rom. 12. Noli vinci à malo: sed vince in bono malum. Psal. Declina à malo & fac bonû; sed beu. Mich. 3. Odio habetis bonum & diligitis malum.

De Euangelio, Sermo 2.

Surgite & nolite timere. Matth. 17. Duo sunt impedientia omnem deuotionem, scil. tepor in agendis, & pauor in sustinendis.

Ideo Dominus in verbo proposito duo contra hoc facit: excitat, & confortat. Primo excitat tepidos vt agant viriliter cum dicit, surgite. Psal. vanum est vobis ante lucem surgere surgite, &c. Hier. 6. Surgite & ascendamus in montem, &c. Secundo confortat pauidos vt sustineant audacter: ibi, & nolite timere. Zach. 8. Nolite timere & confortentur manus vestræ: quia sicut cogitaui vt affligerem vos, cum ad iracundiam prouocarent me patres vestri dicit Dominus: & non sum misertus: sic cogitaui, &c.

Dominica 2. 40. Serm. supra fol. 21. col. a.

Feria 2. 2. Dominicæ, Sermo primus, de Epistola.

NVnc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui & preces eius & ostende faciē tuam super sanctuarium tuum. Dan. 9. Sicut dicit beatus Greg. Mala quæ nos hic premunt: ad Deum nos ire compellunt. Exemplum in filio prodigo qui oppressus fame & inopia redit ad patrem suum. Luc. 16. Sic Daniel videns oppressionem & opprobrium populi sui conuersus ad Dominum ait, nunc ergo, &c.

Vbi tangit quatuor. Primo demonstrat præsentem indigentiam cum dicit, nunc ergo. concludit ex prætacta tribulatione. Dan. 13. Inueterate dierum malorum nunc venerunt peccata tua quæ. o. prius. Ioel. 2. Et nunc in toto corde vestro conuertimini ad me dicit Dominus. Secundo captat beneuolentiam: ibi, Deus noster. sic aduocatus beneuolentiam iudicis: seruus gratiam Domini sui. sic Psal. Deus noster refugium & virtus adiutor, &c. Tertio allegat humiliationem propinquam: ibi, exaudi orationem serui tui. sic pauper humiliat se coram diuite vt exaudiatur Ioh. 9. Scimus quoniam peccatores Deus non audit: sed si quis, &c. Psal. Ad te leuaui. a. m. &c. Quarto implorat misericordiam sicut infirmus sanitatem: & ob hoc medici operam: ibi, & ostende faciam tuam super s. t. Psalm. Dominus Deus virtutum conuerte nos & ostende faciem tuam & salui erimus: sed heu: quia hodie dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omni platearum, Thren. 4.

De Euangelio, Sermo 2.

QVæ placita sunt ei facio semper. Ioh. 8. Amittit homo mercedem suam propter defectum triplicem: vel rectę intentionis: sicut hypocritæ: vel sanctæ operationis vt ociosi. vel debitæ continuationis vt instabiles.

Econtra meretur mercedem bonam propter tria contraria quæ tangit hic Christus de seipso. Primum est intentionis rectitudo: ibi, quæ placita sunt ei. Tit. 2. Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis vt ei placeat, &c. Secundum est operationis sanctitudo: ibi, facio. Act. 1. Cœpit Iesus facere & docere. Tertio operantis continuatio: ibi, Psal. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo, de his tribus. Colos. 1. Ambuletis digne Deo per omnia placentes, &c.

Feria 3. Sermo primus, de Epistola.

NOli timere sed vade & fac sicut dixisti, verumtamen mihi fac primum, 3. Reg. 17. c. Tria solent hominem retrahere ne faciat eleemosynam, timor indigētiæ. torpor improuidentiæ, amor carnis propriæ. Timor autem impedit velle: multi enim qui timent indigere nolunt eleemosynas facere. Torpor impedit posse. multi enim quia nolunt operari: non habent vnde necessitatem tribuant patienti. Amor impedit scire lecator nescit dare bonum morsellum alii quam sibi.

Contra hæc tria monnit Helias tria mulieri viduæ excusanti se de eleemosyna propter paupertatem. Primo ad confidentiam de sufficientia contra timorem: cum dicit, noli timere, scil. de defectu cibi. Luc. 12. Nolite solliciti esse quid manducetis, &c. Prouerb. 31. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis dicitur de muliere larga. Secundo ad diligentiam de prouidentia contra torporem: ibi, & fac sicut dixisti, scil. parando cibum tibi & filio tuo. 1. Paral. 18. a. Omnia quæ in corde tuo sunt fac Deus enim tecum est. Tertio ad curialitatem in exhibenda gratia: ibi, verumtamen fac mihi primum: & bene primum pauperi iuste quia in hoc fit Deo. Matth. 25. Quamdiu vni de minimis istis fratribus fecistis mihi fecistis. Eccl. 12. Benefac iusto, &c.

De Euangelio, Sermo 2.

QVi se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur. Matth. 23. Verbum istud & est terribile, & consulabile. superbis terribile, humilibus consolabile.

Proponitur ergo nobis primo ad terrendum: quia exprimit malorum damnationem: cum dicitur, qui se exal. &c. Secundo ad consolandum: quia exprimit bonorum remunerationem: cum additur &, qui se humiliat ex. In prima tangitur primo actio superborum: ibi, qui se exal. sicut Lucifer Esa. 14. Super astra cœli exaltabo solium meum: sic fumus exaltatur & deficit. Prouerb. 18. Ante ruinam exaltatur cor hominis. quo cōtra. Psal. Domine non est exaltatum cor meum, &c. Secundo passio ipsorum: ibi, humiliabitur. Sic lapis quanto de altiori loco cadit: tanto plus luto infigitur. Psal. Tu populum humilem saluum facies & oculos superborum humiliabis.

Feria 4. Sermo primus, de Epistola.

SI decreueris saluare nos continuo liberabimur. Hester. 13. Verba sunt Hester typum gerentis animæ Deo deuote. Debet enim anima Deo deuota considerare in ipso sapientiam, clementiam, & potentiam. & sic exhibere honorem sapientiæ. amorem clementiæ, laudem potentiæ.

Exemplo istius Hester quæ inducitur hic primo tanquam exhibens reuerentiam sapientiæ cum dicitur, si decreueris. decernere enim sapientis est. Esa. 18. Dominus exercituum decreuit. & quis poterit infirmare. Ephes. 2. Legem mandatorum decretis euacuans. Secundo amorem clementiæ: ibi, saluare nos. 1. Corinth. vlt. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum sit anathema maranatha. Iesus autem interpretatur saluator. Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum. ipse enim sal. &c. Tertio laudem potentiæ: ibi, continuo liberabimur. Hier. 20. Cantate Domino laudate Dominum qui liberauit

animam

animam pauperis de manu malorum. Apparet ergo Dei sapientia in decernendo, clementia in saluando, potentia in repente liberando.

De Euangelio, Sermo 2.

QVicunque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister. Matth. 20. Magister humilitatis persuadet nobis tripliciter ministrare, scil. exemplo, promisso, & verbo. Exemplo humilitatis. vnde in hoc euangelio dicitur. sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare & dare animam suam &c. Promisso felicitatis. Ioh. 12. Qui mihi ministrat me sequatur: & vbi sum ego illic & minister meus erit. Verbo veritatis vt hic, quicunque voluerit, &c.

Vbi instruit discipulos suos. Primo ad desiderium spiritalis excellentiæ & sublimitatis: cum dicit, quicunque voluerit inter vos maior fieri maior, scil. dignitate, sanctitate, & felicitate. de prima magnitudine. Eccl. 3. Quanto magnus es humilia te in omnibus. Luc. 22. Facta est contentio inter eos quis eorum videretur esse maior. De secunda Matth. 11. Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne baptista. De tertia ibidem: qui autem minor est in regno cœlorum: maior est illo. Secundo ad exercitium charitatiuæ custodiæ. & humilitatis: ibi, sit vester minister 2. Corinth. 6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.

Feria 5. secundæ Dominicæ, Sermo primus, de Epistola.

MAledictus homo qui confidit in homine. Hierem. 17. Tria generant confidentiam in homine de aliquo alio, scil. magna potentia: longa præsentia: vera amicitia. Vnde quando aliquis vere amicus. semper præsens multum potens de eo confidendum est. Quia ergo in homine non est veritas amicitiæ: non est longitudo præsentiæ: non est magnitudo potentiæ: quia omnis homo mendax quantum ad primum. homo infirmus quantum ad secundum. & exigui temporis quantum ad tertium. In homine non est confidendum tanquam insufficienti per se: nec tanquam in fine: secundum quod proponit hic nobis Dominus per Hieremiam ostendens. Primo quid metuendum, quia diuina maledictio. Secundo quid considerandum, quia propria conditio. Tertio quid fugiendum, quia vana præsumptio. Primo ergo protestatur pœnam vt timeamus: ibi, maledictus. Psal. Increpasti superbos maledicti qui declinant à mandatis tuis. Ista maledictio diuulgabitur in fine. Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, &c. Secundo testatur naturam fragilem vt consideremus: ibi, homo. qui dicitur ab humo. Eccles. 17. g. Omnes homines terra & cinis & 18. Quid est homo & quæ gratia illius. Infirmus enim non confidit de infirmo: sed de medico. Tertio detestatur culpam vt fugiamus: ibi, qui confidit in homine. Ideo Psal. Nolite confidere in principibus; in filiis hominum in quibus non est salus. verum est à se; sed à Deo est ei salus.

De Euangelio, Sermo 2.

PAter Abraham miserere mei, Luc. 16. Misericordiam Dei quidam nec petunt nec accipiunt vt desperantes. Alii petunt & accipiunt: vt pœnitentes. Exemplum de vtroque, in vtroque latrone. Matth. 27. Tertii petunt & non accipiunt: eo quod male petũt: sicut iste diues qui iam exierat statum merendi & gratiam obtinendi: & ideo frustra petiit. sicut qui petit medicinam post mortem.

Nos autem qui adhuc in statu merendi sumus, Deo deuote hanoorationem porrigamus. Tanquam allegatiuam diuinæ potentiæ & maiestatis: ibi, pater Abraham. Eccles. 44. Abraham magnus pater multarum gentium: & non est inuentus similis illi in gloria: quod summe competit Deo. Tanquam imploratiuam diuinæ clementiæ & pietatis: ibi, miserere. Psal. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Tanquam expressiuam humanæ miseriæ & iniquitatis: ibi, mei. Psal. Miserere mei Domine quoniam conculcauit me homo. Ergo ora potentissimum non impotentem: pete misericordiam, non pecuniam: indica miseriam, non sufficientiam.

Feria 6. secundæ Dominicæ, Sermo primus, de Epistola.

VAde & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos: & renuntia mihi quid agatur. Gen. 37. Historice verbum istud fuit Iacob ad Ioseph filium suum quem misit ad visitandum fratres suos.

Allegorice verbum est Dei ad quemlibet prælatum qui habet regere subditos. Tropologice verbum est Christi ad sponsam suam animam deuotam: alloquentis superiorem potentiam, scil. rationem quæ habet regere inferiores & actus earum: & hortatur eam vt habeat Primo sollicitudinem agendo, scil. conuertendo se ad inferiores vires & earum opera: ibi, vade. 3. Reg. 20. Vade & confortare & cito vide quid facias. Secundo prouidentiam in considerando: ibi, & vide. Matth. 13. Videte vigilate orate. Tertio diligentiam: ibi, si cuncta prospera sint erga fratres tuos. Nehem. 2. Contristati sunt quia venisset homo qui quæreret prosperitatem Israel. Quarto audacia in accusando: ibi, & renuntia mihi, sc. in confessione, in oratione. quid agatur 1. Maccab. vlt. a. Ascendit Iohannes de Gazaris & nunciauit patri suo quæ fecit cendebeus in populo ipsorum. Iob. 1. Euasi ego solus vt nunciarem tibi.

De Euangelio, Sermo 2.

MAlos male perdet. Matth. 21. Dominus iustus iudex confert aliqua, & bonis, & malis: sed differenter in præsenti & in futuro. In præsenti facit bonis male: & malis bene. In futuro facit bonis bene & malis male: & hoc significatur in parabola de diuite epulone. Luc. 16. Fili recordare: quia recepisti bona, &c. Confert ergo vel causaliter vel permissiue. Primo bonis male. vt patet maxime in martyribus. Eccles. 49. Male tractauerunt eum qui à ventre matris consecratus est Propheta. Secundo malis bene. nam peccatores obtinent diuitias. Hier. 12. a. Quare via impiorum prosperatur bene est omnibus qui præuaricantur & iniq; agunt. Sed in futuro cõfert primo bonis bene. Eccles. 1. Timenti Deum bene erit in extremis: secũdo malis male: secundum quod hic dicitur, malos male perdet.

Vbi

Vbi duo tangit. Primo peruersitatem humanæ nequitiæ: ibi, malos. Mich. 3. Odio habetis bonum & diligitis malum. 1. Mach. 1. Multiplicata sunt mala in terra. Secundo seueritatem diuinæ iustitiæ. Et hoc in duobus. Primo in pœna sensus ibi, male. Eccles. 3. Cor durum male habebit in nouissimo. quãdo dicetur illud Matt. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Secundo in pœna damni: ibi, perdet. res perdita non est cum Domino suo: sic mali non erunt cum Domino in gloria. Psalm. perdes omnes qui loquuntur mendacium. Sap. 1. Non acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.

Sabbatho secundæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

ACcede huc vt tangam te fili mi & probem vtrum tu sis filius meus. Gen. 27. Sicut vasa figuli probat fornax vt bona solidentur, sic Deus homines probat in tentationibus vt electi gloriosius coronentur benedictionem patris sui accipientes: sicut innuitur in verbo proposito.

Quod literaliter fuit Isaac ad Iacob filium suum: & spiritualiter est verbum Dei ad quemlibet Christianum: & spiritualiter ad virum religiosum: quem inuitat ad tria. Primo ad appropinquandum per deuotionem: ibi, accede huc: sicut homo de nocte ad lucem vt videat. Psalm. accedite ad eum & illuminamini &c. Secundo ad coniungendum per dilectionem: calidum enim attrahit. vnde & amor est virtus vnitiua. ibi, vt tangam te fili mi. Psalm. qui tangit montes & fumigant. Tertio ad examinandum per tentationẽ: ibi, vt probem te &c. filius est Christi per imitationem qui in aduersis habet patientiam. Hebr. 12. In disciplina perseuerate: tanquam filiis nobis se offert Deus &c.

Sermo 2. De Euangelio.

SVrgam & ibo ad patrem meum & dicam illi, pater peccaui in cælum & coram te iam non sum dignus vocari filius tuus. Luc. 15. Tres sunt partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio. Contritio dolorosa: in qua redit pœnitens ad Deum relicta malitia Confessio pudorosa: in qua recognoscit peccatum & taxatur ei pœna. Satisfactio laboriosa: in qua soluit emendam pro offensa.

Et hæc tria notãtur hic in filio pœnitente. Primo contritio quæ comprehendit duo. Relinquere malum: ibi, surgam. Psalm. Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. Aggredi bonũ: ibi, & ibo ad patrẽ meum. Exod. 3. Ibimus viam trium dierum in sollicitudine vt sacrificemus Domino. Secundo confessio: ibi & dicam illi &c. Esa. 43. Dic iniquitates tuas vt iustificeris. Psal. Ego dixi Domine miserere &c. Iste aũt confitens allegat clementiã in qua confidit: ibi, pater. Denudat malitiam quam commisit: ibi, peccaui in cælum & coram te. Deplorat miseriam quam incurrit: ibi, iã non sum dignus &c. Tertio satisfactio in qua nititur impetrare gratiã quam amisit: ibi, fac me sicut vnum de minimis. Psal. fac mecum signum in bono &c. Matth. 20. Voca operarios & redde illis mercedem suam.

Dominica 3. XL. Sermo Quære supra. pag. XXIII. Col. 1.

Feria. 2. tertiæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

VAde lauare septies in Iordane & recipiet sanitatem caro tua. 4. Reg. 5. Quædam operatur Deus secundum virtutem inditam naturæ vt est productio plantarum generatio animaliũ. Quædam super virtutem naturæ vt est operatio miraculorum, iustificatio impiorum. vt patet in curatione lepræ Naaman: de qua est verbum propositum literaliter.

Spiritualiter tamen intellectum est verbum Christi ad quamlibet animam peccatricem quã primo inuitat ad virtuosam operationem: cum dicit, vade. Luc. 10. Vade & tu fac similiter. Matt. 19. Si vis perfectus esse vade &c. Secundo persuadet ad lachrymosam compunctionem ibi, lauare septies in Iordane. ergo lauare veraciter. Esa. 1. Lauamini mundi estote, Septies integraliter. id est à 7. vitiis mortalibus. Ps. lauabo per singulas noctes lectum meum. noctes enim. 7. septem sunt peccata. Humiliter: ibi, in Iordane. quod interpretatur humilis descẽsus. Esa 47. a. Descende sede in puluere virgo filia ba. Tertio promittit gratiosam reconciliationem ibi, & recipiet sanitatem caro tua. Mal. 3. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ: & sanitas in pennis eius.

Sermo 2. De Euangelio.

IPse autem transiens per medium illorum ibat. Luc. 4. Quamuis in toto hoc facto appareat virtus diuina esse in Christo: tamen in diuersis vocabulis diuersa attributa diuina apparent in ipso. Et primo excellens clementia: ibi, ipse. scil. Iesus. Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum &c. saluare enim actus est clementiæ. Secundo allegans sapientiam: ibi transiens. transire enim hostes est sapientiæ. Iob. 37. Subito aer cogetur in nubes id est synagoga in errores: & ventus. i. Christus mansuetus fugabit eas. Tertio euidens potentia. ibi, per medium illorum. sc. Iudæorum præcipitare volentium ibat. & tamen nullus ei restitit. Psal. si ambulauero in medio vmbræ mortis nõ. &c.

Fer. 3. tertiæ Dom. Sermo primus de Epist.

VAde vende Oleum & redde creditori tuo. 4. Reg. 4. Iustitia est virtus quę reddit vnicuiq; quod suum est, vnde iustos placet Deo cauet sibi à malo: & satisfacit proximo.

Secundum hoc in verbo proposito spiritualiter intellecto, inuitat Dominus animam Christianam ad tria. Primo ad boni exercitationem: ibi, vade. Prou. 6. Vade ad formicam ô piger &c. Secundo ad mali abiectionem: ibi, vende oleũ, de quo Ps. oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Tertio ad debiti persolutionem: ibi, & redde creditori tuo. Rom. 13. Reddite omnibus debita &c. vt sic homo per primum Deo placeat. per secundum seipsum custodiat. per tertium proximo satisfaciat.

Sermo 2. De Euangelio.

VBi sunt duo vel tres congregati in nomine meo: ibi sum ego in medio eorum. Matt. 18.

Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum ostenditur in verbo proposito.

In quo describitur sancta religio siue religiosa congregatio quantum ad tria. Primo quantum ad charitatiuam associationem quæ suadetur: ibi, vbi sunt duo vel tres cō. Eccl. vlt. Congregate vos in domum disciplinæ. Eccles. 4. Melius est duos esse simul quam vnum. Secundo quantum ad directiuam intentionem quæ docetur: ibi, in nomine meo. Prouer. 28. Turris fortissima nomen Domini &c. Psalm. confitebor nomini tuo quoniam bonum &c. Tertio quantum ad consolatiuam visitationem quæ habetur: ibi, ibi sum ego in medio eorum. Iohan. 20. Cum essent discipuli con.

Feria 4. tertiæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

HOnora patrem tuum & matrem tuam vt sis longæuus super terram quā Dominus Deus tuus dabit tibi. Exod. 20. Quadruplici modo loquendi inclinat Dominus voluntatē hominis ad meritum salutis. scil. præcipiendo, prohibendo, promittendo comminando. Præcipiendo inquam bonum prohibendo malum. promittendo gloriam, comminando pœnam. Præceptum ergo & promissum sunt respectu boni: secundum quod hic tangitur.

Vbi Dominus Primo obligat præcipiendo vt obediamus: ibi, honora patrem tuum & ma. t. i. Deum & Ecclesiam triumphantem, vel prælatum: ecclesiam militantem: vel patrem & matrem carnalem. Eccles. 3. Qui timet Deum honorat parentes. Secundo allicit promittendo vt assentiamus: ibi, vt sis longæuus super terram. de qua Psal. credo videre bona Domini in terra viuentium. Eccl. 3. Qui honorat patrem suum vita viuet longiore.

Sermo 2. De Euangelio.

OMnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis eradicabitur. Matth. 15. Dominus sub metaphora arboris siue plantæ tangit hic triplicem statum in homine. Primo statum naturæ qua in se subsistit: ibi, omnis plantatio. Ier. 2. Ego plantaui te vineam electam &c. Secundo statum culpæ qua à Deo recedit: ibi, quā non plantauit pater meus cælestis. Sap. 4. Adulterinæ plantationes non dabunt ra. al. Tertio statum pœnæ quam per peccatum incurrit. ibi, eradicabitur. Psalm. Propterea Deus destruet te in finem euellet te &c.

Feria. 5. tertiæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

BOnas facite vias vestras & studia vestra: & habitabo vobiscum in loco isto. ier. 7. Sicut iniquitas diuidit hominem à summo bono. Sic bonitas associat summo bono. simile quippe attrahit; & hoc innuit Dominus in verbo proposito.

Quod est Primo persuasiuum honestę conuersationis: ibi, bonas facite vias vestras. Eccl. 15. Ante hominem bonum & malum: Roman. 16. Bonum fac & habebis inde laudem. Secundo excitatiuum sanctæ meditationis: ibi, & studia vestra. via ergo dicit opus exterius, studium interius. Prouer. 27. Stude sapientiæ fili mi & lætifica cor tuum. Ecclef. 4. Pulchritudinis studium habentes. Tertio promissiuum gratuitę visitationis: ibi, & habitabo vobiscum. Ier. 42. Nolite timere: quia ego vobiscum sum vt saluos vos faciam. Psal. Factus est in pace locus eius & habitatio. Primum requirit promptitudinem obedientiæ & executionis. Secundum sanctitudinem innocentiæ & deuotionis. Tertium gratitudinem reuerentiæ & gratiarum actionis.

Sermo 2, De Euangelio.

IMperauit febri & dimisit illam & continuo surgens ministrabat illi. Luc. 4. Sicut infirmus corporaliter non est aptus ad ministrandum corporaliter. Sic spiritualiter infirmus nō est aptus ad ministrandum spiritualiter. Vnde, plus est sanari à febre peccati & tunc instare ministerio Dei secundum quod hic innuitur.

Vbi notantur tria Primo potestas diuina sanans: ibi, imperauit febri. Secundo sanitas humana sequens. ibi, & dimisit illam. Tertio humilitas debita seruiens ibi, & continuo &c. In potestate diuina video pietatem virtuti accēdentem: quia imperat febri. Psalm. Da imperium puero tuo & saluum fac filium ancillæ tuæ. Luc. 8. Imperat venti & mari &c. In sanitate humana video salutem infirmitati succedentem: quia dimisit illam. Luc. 7. Dimissa sunt ei peccata multa quoniam &c. In humilitate vigorem ministrantē: quia continuo surgens &c. Natura enim quandoq; sanat sed paulatim: Deus vero subito vt patet hic. Ecce ergo sanatio miraculosa: quia, continuo surgens: manifesta: quia surgens ministrabat. fructuosa; quia ministrabat illi. Ioh. 12. Si quis mihi ministrauerit.

Feria. 6. tertiæ Dominicæ Sermo primus de Epistola.

DOmine Deus audi clamorem populi huius & aperi eis thesaurum. t. fontē aquæ viuæ. Num. 20. Proponitur nobis hic in exemplum orandi Moyses deuote orans pro populo.

Est autem hæc oratio primo allegatiua potestatis quod potest. ibi, Domine Deus. q. d. tu potes: quia, Dominus. tu scis: quia, Deus & ideo peto vt velis facere. Hest. 13. Dominus omnium es nec est qui resistat maiestati tuæ. Psalm. Deus meus in te speraui. Secundo imploratiua pietatis ibi, audi clamorem populi huius: sic Apostoli. Matt. 15. Dimitte eam: quia clamat post nos. Tertio impetratiua vtilitatis: ibi, & aperi eis &c. Esa. 12. Haurietis aquas in gaudio &c. Quarto expositiua necessitatis: ibi vt saciati cesset murmur eorum. Psal. Satiauit animam inanem &c.

Sermo 2. De Euangelio.

QVi biberit ex aqua quam ego dabo ei nōn sitiet in æternum. Iohan. 4. Triplex distinguitur generalis status hominis. scil. innocentiæ, culpæ, & gloriæ. In primo statu poterat homo mori & non mori, sitire & non sitire. In secundo necesse habet & mori & sitire. In tertio nec poterit

poterit mori nec sitire: sicut hic innuit Dominus dicens, qui biberit &c.

Vbi exprimitur immensa Dei bonitas in tribus. Primo in spirituali refectione cum dicit, qui biberit ex aqua. Esa. 55. Omnes sitientes venite ad aquas &c. Esa. 12. Haurietis aquas in gaudio &c. Esa. 55. Ecce serui mei comedent & vos esurietis. &c. Secundo in liberali affectione: ibi, quam ego dabo ei. Apoc. 21. Ego dabo sitienti fontem aquæ viuæ gratis. Tertio ex defectus omnis exclusione: ibi, non sitiet in æternū Apoc. 7. Non esurient neque sitient amplius nec cadet &c.

Sabbatho tertiæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

FLens suspexit in cælum. erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Dan. 13. Sicut dicitur Eccles. 13. Cor hominis immutat faciem eius siue in bono siue in malo. Vnde dolor cordis facit faciem flere. fiducia in Deo facit sursum aspicere: quia vbi amor; ibi oculus: sicut hic apparet.

Vbi proponitur Susanna in exemplum: animæ existenti in tribulatione tentationis. Ad cuius imitationem debet habere Primo acerbitatem in compunctione: ibi, flens. 1. Reg. 1. Orauit Anna ad Dominum flens largiter. Secundo sublimitatem in contemplatione: ibi, suspexit in cælum. Iob. 35. Suscipe cælum & intuere & contemplare æthera quod altior te sit. Psalm. Ad te leuaui oculos. Tertio securitatem de euasione. ibi, erat enim cor &c. Psal. bonum est confidere in Domino quam confidere in homine.

Sermo 2, De Euangelio.

VAde & amplius noli peccare Ioh. 8. Verum dixit Psalm. de Domino: quia est misericors & miserator & iustus. patet misericordia in hoc quod adulteram non condē̄nauit. patet iustitia in hoc quod partes generalis iustitiæ innitauit quæ partes sunt duæ. facere bonum, & fugere malum.

Secundum hoc proponit animæ peccatrici duo. Primo quid faciendum: quia bonum: ibi, vade. 4. Reg. 5. Vade lauare septies in Iurdane. Luc. 10. Vade & tu fac similiter. Secundo quid fugiendum quia malum: ibi, & amplius noli peccare. Rom. 12. Noli vinci à malo.

Dominica XL. Sermones Quære supra pag. XXIII. col. 1.

Feria. 2. quartæ Dominicæ. Sermo primus de Epistola.

CVM surrexissem mane vt darem lac filio meo apparuit mortuus. 3. Reg. 3. Verbum illud spiritualiter sumptum intelligi potest de sancta matre Ecclesia conquerente mortem spiritualem cuiuslibet filii sui scil. peccatoris.

Conqueritur autem hic primo suæ sollicitudinis prouidentiam despectam: ibi, cum surrexissem mane. Prou. 31. De nocte surrexit deditque prædam domesticis suis. Secundo suæ nutritionis diligentiam adnullatam: ibi, vt darē lac filio meo. lac. scil. verbi diuini: boni exempli. 1. Cor. 3. Tanquam paruulis in Christo lac potū dedi vobis. Tertio suæ prolis innocentiam amissam: ibi; apparuit mortuus Apoc. 3. Nomen habes quod viuas & mortuus es. esto vigilans &c.

Sermo 2. De Euangelio.

AVferte ista hinc & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Ioh. 2. Cum sit templum materiale & spirituale: sub figura templi materialis: iubet saluator noster mundari templum spirituale id est animam rationalem in qua habitat per gratiam.

Et primo prohibet actionem: cum dicit, auferte ista hic. Prouer. 25. Aufer rubiginem de argento &c. Secundo dissuadet male agendi vlterius voluntatem: ibi & nolite facere. Eccles. 7. Noli facere mala & non te apprehendent. Tertio declarat actionem prohibitam esse malam: ibi, domum patris mei. d. n. quia nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: sed heu, Osee 6. dicitur. in domo Israel vidi horrendum.

Feria. 3. quartæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

QVlescat ira tua & esto placabilis super nequitia populi tui. Exod. 32. Sicut in legendo librum accipit puer documentum. Sic in orationibus antiquorū accipit sapiens orādi modū.

Vnde hic nobis proponitur in exemplū oratio Moysi quantum ad tria quæ debet in se habere oratio perfecta. Debet enim oratio Primo mitigare seueritatem iustitiæ quod notatur: ibi, quiescat ira tua. 1. Esd. 10. Auertatur ira Dei nostri à nobis super peccato nostro. Secundo inuocare benignitatem misericordiæ: ibi, & esto placabilis. Iob. 33. Deprecabitur Dominum & placabilis erit ei. Tertio denudare fœditatem malitiæ: ibi, super nequitia populi tui. Act. 8. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.

Sermo 2. De Euangelio.

NOlite secundum faciem iudicare sed iustum iudicium iudicate. Ioh. 7. Quia sæpe fallitur humanum iudicium docet iustus iudex iuste iudicare dupliciter. Primo prohibendo iniquitatem. Secundo præcipiendo æquitatem.

Cauendum est ergo primo ne infringamus prohibitionem: de qua dicit, nolite secundum faciem iudicare. Leu. 19. g. Nolite iniquum aliquid facere in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Prou. 28. Qui cognoscit faciem in iudicio non bene facit. Secundo studendum est, vt impleamus præceptionem: de qua: ibi, iustum iudicium iudicate. Zach. 7. Iudicium verum iudicate & misericordiam & miserationes facite.

Feria. 4. quartæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

QViescite agere peruerse: discite benefacere. Esa. 1. Quia contraria mutuo se expellunt vt sanitas ægritudinem: albedo nigredinem. ad hoc quod opus bonum ingrediatur simpliciter: oportet quod malum egrediatur.

Ideo Dominus per Esa. hortatur hic ad duo: Primo ad mali desertionem: ibi, quiescite agere peruerse: ecce peccatum inquietat per remorsum consciētiæ. peruertit à debito fine. 1. Par. 25. Quiesce ne interficiam te Prou. 25. Peruersa via aliena ē à Deo. Secūdo ad boni exercitationē: ibi, discite

discite benefacere. Prouer. 6. Vade ad formicam o piger: & disce sapientiam. Psalm. Da mihi intellectum vt discam mandata tua. ad vtrumque valet bona societas: quia cum sancto sanctus eris. &c.

Sermo 2. De Euangelio.

ABiit & lauit & venit videns Ioh. 9. Per peccatum fit homo inobediens Deo. immundus in seipso. ignorans in eligendo. Sed per pœnitentiam redit ad obedientiam, munditiam, & sapientiam salutarem.

Secundum quæ in exemplum nobis proponitur cæcus iste. Et primo quantum ad promptitudinem obedientiæ: quia, abiit. scilicet ad dictum Domini. Matth. 25. Abiit qui quinque talenta acceperat &c. Secundo quantum ad gratitudinem munditiæ: quia lauit Esa. 1. Lauamini mundi estote. Psal. amplius laua me ab iniquitate mea &c. Tertio quantum ad certitudinem efficaciæ: quia venit videns. Prouer. 22. Callidus videt malum & abscondit se: sed heu: quia quidam sunt sicut idola. de quibus Psal. oculos habent &c.

Feria 5. quartæ Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

VEnit illa & corruit & adorauit super terram. 4. Reg. 4. Deus est summe bonus, summe potens, & summe sapiens. Bono debetur amor, potenti timor, sapienti honor. ideo ista summe debentur Deo.

Vnde mulier ista gerens typum animæ pœnitentis & post peccatum ad factorem suum reuertentis: ostendit nobis ad exemplum Primo feruorem amoris & diligentiæ: ibi, venit illa. Amor enim facit venire amantem ad amatum quod est vis vnitiua. Esa. 21. Conuertimini & venite. Iob. 23. Quis mihi det vt cognoscam & inueniã illum: & veniam ad solium eius. Secundo timorem humilitatis & obedientiæ: ibi, & corruit ante pedes eius. Hest. 15. Regina corruit in pallorem colore mutato. Tertio honorem venerationis & reuerentiæ: ibi, & adorauit super terram. Psalm. affette Domino gloriam & honorem &c.

Sermo 2. De Euangelio.

ADolescens tibi dico surge. Luc. 7. Sicut dicitur in Psalm. Dominus noster est adiutor in oportunitatibus in tribulatione. ibi quippe oportunum est adiutorium vbi est pronitas cadendi: impossibilitas resurgendi: facilitas adiuuandi: vtilitas adiutorij.

Hic autem concurrebant ista quatuor scilicet in hoc mortuo: per quem peccator intelligitur qui spiritualiter mortuus est in peccato. Primo pronitas cadendi: ibi, adolescens, quod enim in vano ponitur de facili cadit. Eccles. 11. Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Secundo impossibilitas resurgendi: ibi, tibi. scilicet mortuo. Impossibile enim est à priuatione deuenire in habitum per naturam: ideo 2. Mach. 7. Tibi enim non erit resurrectio ad vitam. Tertio faci-

litas adiuuandi: ibi, dico. Solo enim verbo potest iuuare Deus; quoniam ipse dixit & facta sunt. Matth. 8. tantum dic verbo & sanabitur puer meus. Quarto vtilitas: ibi, surge. Cant. 2. Surge propera amica mea &c.

Feria 6. Dominicæ quartæ, Sermo primus de Epistola.

DOmine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius. 3. Reg. 17.

Proponitur nobis in exemplum oratio huius deuotissimi Prophetæ. Primo quo ad venerationem potentiæ: ibi, Domine. Hester. 13. Domine Deus rex in ditione tua cuncta sunt posita &c. Secundo quo ad demonstrationem sapientiæ: ibi, Deus. quod dicitur à theasse quod est considerare. 1. Reg. 2. Deus scientiarum Dominus est: & ipsi præparantur cogitationes. ideo Psalm. Deus docuisti me. Tertio quo ad expressionem charitatis, ibi, meus. Psal. Deus meus es tu & confitebor tibi: Deus meus es tu & exaltabo te. Quarto quo ad deprecationem benignitatis: ibi, obsecro. Philip. 4. In omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Quinto ad impetrationem vtilitatis: ibi, reuertatur obsecro anima pueri huius, Psalm. Posuit animam meam ad vitam &c.

Sermo 2. De Euangelio.

LAzare veni foras. Iohan. 11. Lazarus iste typum gerit cuiuslibet peccatoris qui spiritualiter mortuus est coram Deo.

Hic ergo peccatorem resuscitatum inuitat Dominus ad tria. Peccator enim Deo inimicatur. à Deo alienatur. à Deo incarceratur. Secundum hæc inuitat primo inimicum ad reconciliationem misericordiæ auxilio: ibi, Lazare. qui interpretatur auxiliatus à Deo. vnde potuit dicere illud Psalm. Auxilium meum à Domino. Secundo alienum ad reuertendum à miseriæ exilio: ibi, veni. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Tertio incarceratum ad egrediendum de malitiæ vinculo: ibi, foras. Matth. 26. Egressus foras fleuit amare.

Sabbatho 4. Dominicæ, Sermo primus de Epistola.

IN die salutis auxiliatus sum tui. Esa. 44. Ante aduentum Christi fuerunt dies damnationis: quia omnes descendebant ad infernum. Sed in aduentu Christi & post sunt dies salutis: quia auxilio passionis & misericordiæ Christi ascendere possumus in cælum: secundũ quod promisit Dominus antiquitus in verbo proposito.

Vbi tangitur efficacia diuinæ miserationis quantum ad duo Primo quantum ad temporis congruentiam & oportunitatem: ibi, in die salutis. Ierem. 23. In diebus illis saluabitur Iuda. 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis. Secundo quantum ad muneris commodum & liberalitatem: ibi, auxiliatus sum tui. 2. Paral. 18. Clamauit ad Dominum & auxiliatus est ei.

Sermo 2. De Euangelio.

QVi sequitur me non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. Iohan. 8. Sicut sapiens in via ignota quærit ducem, lucem, & finem vtilem. Ducem ne deuiet. lucem ne cespitet. finem vtilem ne in vanum laboret. Sic homo in hac vita dubia debet sequi Christum qui est dux contra deuium culpæ: lux contra tenebras ignorantiæ: finis desideratissimus contra mortem gehennæ.

Secundum quod proponitur hic saluator noster docens tria iuxta tria prædicta. Primo quid imitandum: ibi, qui sequitur me. Eccl. 23. Gloria magna est sequi Dominum longitudo &c. Secundo quid euitandum: ibi, non ambulat in te. Ephes. 5. nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Tertio quid desiderandum: ibi, sed habebit lumen vitæ. Psalm. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

Dominica passionis Sermones supra pag. XXV. Col. 1.

Feria secundæ Domin. in Passione, Sermo primus de Epistola.

COnuersi sunt de via sua mala: & misertus est populo suo Dominus Deus noster. Ier. 3. Sicut ad culpam sequitur pœna: sic ad pœnitentiam misericordia: secundum quod innuitur in verbo proposito.

Vbi circa pœnitentiam Primo tangitur eius actus: ibi, conuersi sunt &c. Secundo fructus: ibi, & misertus est &c. Circa primum ostendit quod debemus pœnitentiam agere tripliciter. Primo de omnibus generaliter: ibi, conuersi sunt id est simul versi sunt: ita quod nihil auertens remansit. Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro &c. Secundo quod de propriis spiritualiter: ibi, de via sua. Esa. 55. Derelinquat impius viam suam &c. Tertio quod de malis singulariter. sicut infirmos ostendit infirmitatem medico, mendicans læsionem diuiti. Ier. 18. Reuertatur vnusquisque a via sua mala. Secundum principale est fructus pœnitentiæ. scil. misericordia diuina: de qua sequitur, & misertus est Dominus &c. Eccles. 12. Altissimus odio habet peccatores: & misertus est pœnitentibus.

Sermo 2. De Euangelio.

SI quis sitit veniat ad me & bibat. Ioh. 7. Sicut dicitur Sap. 11. omnia disposuit Deus in mensura, pondere, & numero. In mensura vt nihil sit superfluum. In pondere vt nihil sit inordinatum. In numero vt nihil sit diminutum.

Vnde Dominus munera largitur Primo sobrie, non superflue: quod notatur ibi, si quis sitit. Fundere aquam in fonte non in terra arenti superfluum est: sic dare diuiti & non pauperi. Prouer. 25. Si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit potum da illi. Luc. 14. Cum facis conuiuium voca pauperes. Secundo ordinate non inordinate: ibi, veniat ad me. scil. qui sum fons viuus & finis optimus. Matth. 11. venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Tertio sufficienter non diminute: ibi, & bibat. Cant. 5. Comedite amici & bibite & inebriamini charissimi. Esa. 65. Serui mei comedent & vos esurietis: serui mei bibent & vos sitietis &c.

Feria tertiæ Dominicæ in Passione de Epistola, Sermo primus.

REcordatus es mei Domine Deus meus: & non dereliquisti quærentes te. Dan. 14. Aliter diligit Deus, aliter homo. Homo diligit propter dona Deus gratis. Vnde homo diligit hominem in prosperitate magis quam in aduersitate: Deus econuerso. De amore hominis dicitur Prouer. 19. Multi colunt personam potentis: & amici sunt dona tribuentis. De amore Dei dicit hic Daniel, recordatus es &c.

Vbi notantur quatuor. Primo pietas diuina: ibi, recordatus. Non enim dicitur Dominus recordari proprie: sed eius recordari est misereri. Ier. 2. Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam. Secundo aduersitas humana: ibi, mei. scil. missi in lacum leonum. Psalm. Miserere mei quoniam inops & pauper sum ego. Tertio effectus pietatis diuinæ: ibi, & non dereliquisti. Psal. quia non derelinquet sanctos suos in æternum conseruabuntur. Quarto effectus aduersitatis humanæ: ibi, quærentes te. Psalm. Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine. Psal. cum occideret eos quærebant eum.

Sermo 2. De Euangelio.

NOn potest vos odisse mundus: me autem odit. Iob. 7. Cum bonum sit diligibile: malum autem odibile: Diligere bonum & odire malum iustum est. Diligere vero malum & odire bonum peruersum est.

Ideo saluator noster in verbo proposito describit peruersitatem huius mundi ex duobus. Primo ex placentia mali: cum dicit, non potest vos odisse mundus. loquitur falsis fratribus qui appetebant fauorem mundanum Psal. Iniquitatē meditatus est in corde suo astitit omni viæ nō bonæ: malitiam autem non odiuit. Secundo ex displicentia boni: ibi, me autem odit. Iohan. 15. Nolite mirari si odit vos mundus: quia me priorem odio habuit Psal. Retribuebant mihi mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

Feria. 4. post Dominicam in Passione, Sermo primus de Epistola.

NOn facies quod iniquum est: nec inique iudicabis. Leuit. 19. Idoneitas & etiam ratio exigit vt qui mundat alios: mundus sit. qui docet alios doctus sit. Sic & qui iudicat alios iustus sit: ne dicatur iudicanti, in quo alium iudicas: teipsum condemnas.

Ideo summus magister docet nos hic duo. Primo quid cauendum in conuersatione quo ad seipsum: quia iniquitas: ibi, non facies quod iniquum est. exemplo Psalm. qui dicit, iniquitatem odio habui. & abominatus sum. sed heu. Ier. Ve inique agerent laborauerunt. Secundo quid fugiendum in prælatione quo ad proximum. Psal. quia iniustitia. ibi, nec iniuste iudicabis. Leuit. 30. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio.

Sermo

Sermo 2. De Euangelio.

MVlta bona opera ostendi vobis ex patre meo propter quod horum me lapidatis. Iohan. 10. Reddere malum pro malo, vindictæ est. reddere bonum pro bono, iustitiæ est. reddere bonum pro malo, benignitatis est, reddere malum pro bono, malignitatis est. Hæc fecerunt Iudæi Christo: & adhuc faciunt mali homines Deo.

Sicut patet in verbo proposito: quod est Christi. Primo exprimentis diuinam benignitatem. Secundo reprimentis humanam malignitatem ibi, propter quod horum me lapidatis. Benignitas vero ostenditur Primo ex operum quantitate: quia, multa. Psal. Multa fecisti tu Domine Deus mirabilia tua &c. Secundo ex qualitate: quia, bona. Gen. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona. Tertio ex vtilitate: quia exemplaria ibi, ostendi vobis. id est ad vtilitatem vestram. Ier. 31. Postquam ostendisti mihi percussi femus meum & egi pæ. Luc. 2. Transeamus vsque Bethleem: & videamus hoc &c. Quarto ex origine: ibi, ex patre meo. Iaco. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est &c. Iohan. 5. Pater meus vsque modo operatur & ego operor.

Sequitur secundum principale scil. malignitas humana cum dicitur, propter quod horum me lapidatis. Ioh. 10. Sustulerunt lapides Iudæi vt lapidarent eum.

Feria 5. post Dominicam in passione, Sermo primus de Epistola.

NVnc sequimur in toto corde & timemus te & quærimus faciem tuam. Dan. 3. Verum est quod dicitur, quia omnis malus errans: nam peccando errat tota anima, rationabilis in eligendo, irascibilis in præsumendo, concupiscibilis in desiderando. Erronea electio patet in sequendo malum. Præsumptio in transgrediendo mandatum. Desiderium in quærendo bonum creatum plus quam increatum.

Contraria horum facit vere pœnitens: sicut innuit hic Daniel. Nam primo rationabilis innititur primæ veritati per fidem formatam: vnde dicit, nunc sequimur in toto corde. Secundo irascibilis subiicitur diuinæ maiestati per timorem: vnde subdit, & timemus te. Tertio concupiscibilis adhæret summæ bonitati per amorem: ibi, & quærimus faciem tuam.

Circa primum. scil. rectam electionem implicantur tria. scil. tempus: quia misericordiæ dum possumus mereri. Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino vt filii &c. Psal. Et nunc quæ est expectatio &c. Secundo actus: ibi, sequimur scil. per fidem & imitationem. Ioh. 8. Qui sequitur me non ambulat in tenebris: sed &c. Eccl. 23. Magna gloria est sequi Dominum. Tertio modus: ibi, in toto corde. Iohelis 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro &c.

Sequitur secundum principale: ibi, & timemus te. Psal. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Luc. 12. Ostendam vobis quem timeatis &c.

Sequitur tertium principale: ibi, & quærimus faciem tuam. Psal. Quærite Dominum & confirmamini: quærite faciem eius spiritus id est visionem faciei.

Sermo 2. De Euangelio.

NOn habentibus vnde redderent donauit vtrisque: quis ergo eum plus diligit. Luc. 7. Magister noster Christus instruit nos modo verbis simplicibus. vt Matth. 4. Pœnitentiam agite. Matt. 22. Diliges Dominum Deum tuum &c. Modo similitudinibus. vt Matth. 25. de virginibus: & in multis aliis locis. Modo rationibus. vt Ioh. 13. Si ego laui pedes vestros Dominus & magister & vos debetis &c.

In verbo autem proposito instruit nos hoc triplici modo: verbo prædicationis, similitudine duplicis debitoris, allegatione rationis. quia si Deus plus donat & condonat homini: homo plus debet diligere Deum. In hac ergo allegatione implicantur tria. Primo humanæ miseriæ defectus ad resurgendum: ibi, non habentibus illis vnde redderent. Matth. 8. Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me nec habent quod manducent: & si dimisero eos &c. Secundo diuinæ misericordiæ respectus ad subueniendum: ibi, donauit vtrisque. Actor. 2. Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum: & accipietis donum Spiritus sancti. Tertio hominis obligatio ad diligendum: ibi quis ergo eum plus diligit. 1. Ioh. 4. Diligamus Deum quoniam ipse prior dilexit nos &c.

Feria. 6. post Dominic. in Passione, Sermo primus de Epistola.

SAna me Domine & sanabor: saluum me fac & saluus ero: quoniam laus mea tu es. Ier. 17. Secundū Aug. duplex est malum nostrum. Vnū quod agimus scilicet culpa, & aliud quod patimur. scil. pœna. A culpa sanatus homo per gratiam, & a pœna saluatur per gloriam. Et quia gratiam & gloriam dabit Dominus Ieremias in persona hominis cuiuscunque deuote orantis dicit, sana me &c.

Vbi ponit primo petitionem vtilem. Secundo persuasionem humilem: ibi, quoniam laus mea tu es. In prima petit duo. Primo liberationem à culpa per gratiam: cum dicit, sana me. Secundo liberationem à pœna per gloriam: ibi, saluum me fac. In prima notantur duo imitanda. Primo diligentia inuocationis: cum dicit, sana me Domine. Psalm. ego Dixi Domine miserere mei: sana animam meam quia peccaui tibi. Secundo confidentia impetrationis: ibi, & sanabor. Luc. 6. Virtus de illo exibat & sanabat omnes. Psalm. qui sanat contritos corde &c. In secundo principali similiter notantur duo. Primo diligentia inuocandi: ibi, saluum me fac. Ps. Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ &c. Secundo fiducia impetrandi: ibi, & saluus ero. Psalm. Adiuua me & saluus ero. Vltimo ponitur persuasio vtilis: cum dicitur quoniam laus mea tu es. Mos est hominum quod illum à quo petunt laudant vt obtineant. Eccles. 47.

De omni corde suo laudauit
Dominum.

Sermo 1. De Euangelio.

EXpedit vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat. Iohan. 11. A qualicunque Propheta vel qualicunque intentione hoc verbum prolatum fuerit, propheticum est & verum.

In quo describitur nobis passio saluatoris. Primo à passionis vtilitate: quia, expedit. Iob. 16. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis quia expedit vnum hominem mori pro populo. Secundo ab afflictionis asperitate: ibi, vt vnus moriatur. Philipp. 2. Factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis. Sap. 3. Morte turpissima condemnemus eum. Tertio à patientis conditione: ibi, homo. secundum humanitatem enim mortuus est. Iohan. 19. Ecce homo. Quarto à liberantis benignitate: ibi, pro populo. Sicut pius pater soluit vinum quod hibit fatuus filius. Vnde Christus per Psalm. Quæ non rapui tunc exoluebam. Matth. 2. Vocabis nomen eius Iesum ipse enim saluum faciet populum &c. Quinto ab euasionis securitate: ibi, & non tota gens pereat. Esa. 38. Eruisti animam meam vt non periret: proiecisti &c.

Sabbatho post Dominic. in Passione, Sermo primus de Epistola.

NUnquid redditur pro bono malum: quia foderunt foueam animæ meæ Ierem. 18. Ingratitudo est non reddere bonum pro bono: sed maior ingratitudo est reddere malum pro bono: sed maxima ingratitudo est reddere graue malum pro grandi bono. Sic fecerunt Iudæi & faciunt mali Christiani Domino: qui pro bono creationis, redemptionis, iustificationis, & doctrinæ reddunt malum persecutionis, infidelitatis, & inobedientiæ. Vnde per Hieremiam conqueritur Dominus de talibus dicens, nunquid redditur &c.

Vbi notantur duo. Primo persequentium ingratitudo: cum dicit, nunquid redditur pro bono malum. Psalm. Retribuebant mihi mala pro bonis: & odium pro dilectione mea. Secundo persecutionis magnitudo: ibi, quia foderunt &c. Cuius magnitudinem ostendunt quatuor. Primo persequentium immanitas: quia, foderunt. Psalm. Foderunt manus meas & pedes meos &c. Secundo passionis vilitas: quia, foueam. id est vile genus tormenti. Psalm. Foderunt ante faciem meam foueam. scil. mortis. Tertio patientis acerbitas vel voluntas: ibi, animæ. Psalm. defecit in dolore anima mea. Ierem. 12. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Quarto patientis nobilitas: ibi, meæ. Matth. 1. Filius hominis venit dare animam. scil. redemptionem pro multis.

Sermo 2. De Euangelio.

SI exaltatus fuero à terra omnia trahã ad meipsum. Iohan. 13. Patiuntur quidam contra se: quidam pro se: quidam pro aliis. Primi patiuntur in malum suum: vt damnati. Secundi in bonum suum: vt pœnitentes & martyres. Tertii in bonum alienum vt Christus: secundum quod ipse dixit in verbo proposito.

Vbi circa passionem Christi tangitur Primo passionis vilitas: ibi, si exaltatus fuero à terra. sc. in patibulo crucis. Iohan. 3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis. Secundo vtilitas vilitatis: ibi, traham ad meipsum. Cant. 1. Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum. Oseæ. 11. In vinculis Adam traham eos in funiculis charitatis. Tertio vtilitatis generalitas: ibi, omnia. id est omnes homines quantum ad sufficientiam passionis. Sapient. 16. Neque herba neque malagma sanauit eos: sed tuus sermo Domine qui sanat omnia. Psalm. Aperiente te manum tuam: vtpote in cruce omnia implebuntur bonitate.

Dominica in ramis Palmarum, Sermo primus generalis.

OCcurrerunt ei de ciuitate honorifice. 1. Machab. 11. Secundum tullium honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. Quia ergo Christus multis miraculorum virtutibus claruerat: per quas virtus diuinitatis & etiam sanctitatis apparebat: & maxime de nono in suscitatione Lazari: audito aduentu eius in Hierusalem occurrerunt ei honorifice: & sic quod factum est antiquitus Ionate ab habitatoribus ciuitatis ascalon. hodie factum est Christo ab habitatoribus Hierusalem: quia, occurrerunt ei de ciuitate honorifice. quod repræsentat processio hodierna.

In quibus verbis notatur quatuor: quæ quodlibet beneficium gratũ reddunt: quod fit quando exhibetur Primo cum iocunda oblatione: quod notatur ibi, occurrerunt. Exemplum. 1. Reg. 21. Festinauit Abigail in occursum David ferens panem & vinum: hoc est contra auaros qui se celant & abscondunt propter pauperes hospites. contra quos Esa. 21. Occurrentes sitienti ferte aquam qui habi. Secundo cum debita discretione: quod notatur ibi, ei. Iohan. 12. Processerunt obuiam ei. scil. Iesu. hoc est contra gulosos & fatuos qui dant meretricibus & histrionibus, non sanctis viris. Eccles. 12. Si benefeceris scito cui benefeceris &c. Tertio cum aperta deuotione: quod notatur ibi, de ciuitate. ciuitas dicitur ciuium vnitas. Quando ergo tota familia vnanimiter congaudet pauperibus venientibus signum est deuotionis in Domino. Matth. 21. Commota est tota ciuitas &c. contra illos qui in absentia sua nihil volunt dari. quo contra Gen. 18. Abraham & vxor & pueri ministrabant angelis. Quarto cum recta intentione: ibi, honorifice. id est ad faciendum honorem. Eccles. 7. Honora Dominum ex tota anima. non sicut illi qui occurrerũt ei in horto tanquam latroni vt interficerent. Eccles. 3. Magna est potentia Dei solius: vt patet in resuscitatione Lazari. & ab humilibus scil. pueris hebræorum honoratur.

De Eodem, Sermo 2. generalis.

LAudate pueri Dominum. Psalm. 112. Aliquando contingit quod malus laudat alium malum: & hæc laus est vtrique nocens: quia sic vnus alium ad malum animat. Psalm. Quoniam

laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Aliquando malus bonum: & hæc laus est laudantis indecens: quia se seipsum vituperat. Eccl. 15. non est speciosa laus in ore pec. Aliquando bonus malum & hæc laus est laudato inexpediens: quia ipsum eleuat. Luc. 16. Laudauit Dominus villicum iniquitatis. Aliquando bonus bonum: & hæc est conueniens solus debitis circumstantiis: ideo hoc innuens Psalm. dixit antiquitus, laudate pueri Dominum. quod hodie impletum est quando pueri hebræorum clamabant, Osanna filio Dauid &c.

Vbi circa præsentem solennitatem implicat. Psalm. tria. scilicet debitam laudis exhibitionem: cum dicit, laudate. Ecclesiast. 51. Confitebor tibi Domine rex &c. Debitam laudantium conditionem: cum subdit, pueri. Puer dicitur. quasi purus aer. Psalm. ex ore infantium &c. econtra alibi. peccatori autem dixit Deus &c. Debitam laudandi rationem: cum addit, Dominum. Ecclesiast. 43. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis maior est omni laude.

De Eodem, Sermo 3. generalis.

EXtrema gaudii luctus occupat. Prou. 14. Magna est differentia valde inter luctū mundi & luctum inferni: gaudium mundi & gaudium paradisi. Nam luctus mundi vertetur in gaudium. Matth. 5. Beati qui lugent &c. nunquam luctus inferni Iacob. 4. Risus vester in luctum vertetur. Similiter gaudium mundi vertetur in luctum. Iacob. 4. & gaudium in mœrorem. Iob. 21. Gaudent ad sonitum &c. gaudium paradisi nunquam. Iohan. 16. Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum. Ergo gaudium mundi frequenter vertitur in luctum vt patet in gaudio hodie exhibito Christo. Nam eadem hebdomada feria. 6. occidentes suspenderunt eum: in quo verificatum est verbum propositum: quia, extrema gaudii luc. oc.

In quo notantur duo. Primum est exhibitio honoris quantum ad solemnitatem præsentem: quæ notatur in gaudio. Secundum est illatio doloris quantum ad passionem sequentem: quæ notatur in luctu. Heu honor breuis: quia vix per diem. sed dolor grauis: quia vsque ad mortem. Circa primum tangit duo. Plebis iocunditatem: ibi, gaudii. Psalm. Gaudebunt labia mea cum can. Iocunditatis breuitatem, ibi, extrema. Esa. 24. Cessabit gaudium. Circa secundum similiter tangit duo: passionis acerbitatem; ibi, luctus. Hebr. 5. Cum clamore valido & la. &c. Ierem. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum &c. Acerbitas immensitatem: ibi, occupat. Psalm. præoccupauerunt laquei mortis.

Sermo 4. generalis, De Eodem.

EGredimini in montem & afferte frondes oliuæ & frondes ligni pulcherrimi & frondes mirti & ramos palmarum. Nehe. 8. Tria sunt propter quæ solent homines honorari. scilicet sapientia sanctitas, & potestas. Propter sapientiam honorantur magistri. Eccl. 38. honora medicum. Propter sanctitatem religiosi. Eccl. 10. semen hominum honorabitur hoc quod timet Deum. Propter potestatem prælati, Psalm. Afferte Domino gloriam & honorem. Hinc est quod veniente Christo in Hierusalem hebræi qui audiuerunt verba sapientiæ in eius prædicatione. opera sanctimoniæ in eius conuersatione. facta potentiæ in operatione miraculorū egressi sunt cum ramis arborum vt reciperent eum honorifice: & sic hodie impletum est quod antiquitus dictum est, egredimini &c.

Vbi ostenditur quomodo receperunt eum: quia curialiter: quod notatur in egressu: & solenniter: quod notatur in fron. ar. Sed quia illa receptio præteriit loquamur de spirituali quæ fit per gratiam.

Ad hoc quod Dominus bene recipiatur oportet quod hoc fiat mundo loco, deuoto animo, & debito seruitio. quæ tria notantur hic. Primo mundatio cordis: cum dicitur, egredimini. scil. ab immunditia peccati Esa. 48. Egredimini de Babylone. Secundo deuotio orationis: cum subditur, in montem. Agge. 1. Ascendite in montem & portate lig. Tertio exhibitio placidæ seruitutis: ibi, & afferte frondes oliuæ. id est opera misericordiæ. Leu. 24. Præcipe filiis Israel vt afferant tibi oleum de oli. purissimum ac lucidum & fron. ligni. pul. glo. cedri. id est opera charitatis. Dan. 4. Magna arbor & for. &c. Frondes mirti. id est opera mortificationis & pœnitentiæ. Cant. 5. Manus meæ distillauerunt myrrham &c. & ramos pal. i. constantiam perseuerantiæ. palma enim est signum victoriæ. Apoc. 7. Post hæc vidi turbam magnam &c.

De Eodem. Sermo 5. generalis.

FVlcite me floribus: stipate me malis quia amore langueo Cant. 2. Verum est quod dicitur Cant. vlt. quia fortis est vt mors dilectio; quod maxime patet in Christo. Nam ipsum & languere fecit, & tandem mori. Mirabilis vis amoris qui & languere fecit sanitatem summam: & mori vitam æternam.

Vnde vt ostenderet se mori non ex necessitate cogente sed charitate mouente: instante tempore passionis ad locum passionis. scil. Hierusalem venit vt in promptu inueniretur; & solenniter tanquam Deus laudari & recipi cum floribus voluit vt inuidorum animus ad ipsum occidendum excitaretur: cui concordat verbum propositum hodie adimpletum, fulcite me &c.

Vbi tangit duo. Primo honoris exhibiri modum: ibi, fulcite me &c. Secundo honorandi debitum motiuum: quia amore langueo. Modum autem honoris determinat in duobus. in fulcimento florum. in stipatione malorum. In primo notatur honesta conuersatio attrahens, & fulciens in bono. Ecclesiastic. 39. Florete flores quasi lilium date odores &c. In secundo virtuosa operatio circumcingens in prælio. Cant. 2. Sicut malus inter ligna &c.

Sermo 8. De Euangelio.

ECce rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21. Antiqui Patres vt Prophetæ & alii multa prædi-

prædixerunt futura vt essemus firmi in veritate credendorum: & muniti in aduentu eorum. vnde Amos. 4. Præparate in occursum Dei tui Israel. Antiquitus vero prædixit Zacharias aduentum Christi & modum veniendi in Hierusalem. Zach. 9. Sicut refert beatus Matthæus in verbis propositis.

In quibus notantur tria, propter quæ debuit recipi reuerenter: & etiam debet à nobis recipi spiritualiter. Primum est status sublimitatis: subditi enim recipiunt prælatos & principes suos honorifice. quod notatur ibi, rex tuus. 1. Pet. 2. Deum timete regem honorificate. Secundum est modus humilitatis: hospitalarii honorifice recipiunt diuites cũ quibus putant lucrari: quod notatur ibi: venit tibi id est ad vtilitatem tuam Agge. 2. Veniet desideratus cunctis gentibus. Tertium est modus humilitatis. libenter quippe recipiuntur qui sunt mites & non graues ad seruiendum: quod notatur: ibi; mansuetus. Ier. 11. Ego quasi agnus mansuetus &c. ergo quia sublimis, humilis recipiendus est à nobis.

Sermones de Epistola & Euangelio supra pag. XXVI. col. 1.

Feria. 2. post Dominicã in ramis palmarum, Sermo primus de Epist.

CORpus meum dedi percutientibus Esa. 50. Tria sunt quæ mouent ad compatiendum alteri. scil. passionis magnitudo, patientis mansuetudo, persequentis ingratitudo.

Secundum hæc Propheta in persona saluatoris loquens describit passionem eius à tribus. Primo à passionis magnitudine: ibi, corpus meum: Si vestem eius lacerarent vel temporalia caperent. hoc est aliud. Sed corpus innocentis lacerare & perforare hoc est graue. 1. Pet. 2. Peccata nostra in corpore suo super lignum. Secundo à patientis mansuetudine: ibi, dedi: voluntarie sacrificabo. scil. offerendo. Ier. 12. Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum eius. Tertio à persequentis populi ingratitudine ibi, percutientibus. scil. in facie in dorso: in pedibus: manibus: & latere. Matth. 26. Percutiam pastorem: & dispergentur oues gregis Luc. 22. Quis est qui te percussit. Ier. 18. Percutiamus eum lingua &c.

Sermo 2. De Euangelio.

DOmus impleta est ex odore vnguenti. Ioh. 12. Beata Magdalena data est nobis non solum in exemplar pœnitentiæ, sed etiam in exemplar misericordiæ: secundum quod patet in hoc verbo.

In quo implicantur tria quæ gratificant beneficium & attollunt. Primum est pluralitas accipientium vt quando multis datur, quod notatur ibi, domus: quasi dicat non tantum vna camera, vna persona: sed tota domus est impleta. Ioh. 1. Nonne tu vallasti eum. & domum eius &c. Secundo copiositas acceptorum vt quando abundanter datur: ibi, impleta est. Psal. aperiente te manum. s. omnia implebuntur bonitate. Luc. 1. Esurientes impleuit bonis. Tertio preciositas munerum, vt quando pretiosa dantur: ibi, ex odore vnguenti. Vnde Iudas arguebat eam de effusione tam pretiosi vnguenti. dicendo, quare hoc vnguentum non venit. ccc. denariis & datum est egenis. Mystice per effusionem alabastri figuratur effusio sanguinis Christi. Secundum hoc innuitur Primo ecclesiasticę refectionis pleniendo: quia domus impleta. Secundo Dominicæ passionis valitudo: quia; ex odore vnguenti.

Feria. 3. post ramos, Sermo primus de Epistola.

EGo quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Ier. 11. Dei filius Iesus Christus secundum diuersa attributa comparatur diuersis rebus Modo leoni, modo soli, modo agno Leoni propter sublimitatem potentiæ. Apoc. 5. Vicit leo de tribu Iuda. Soli propter claritatem sapientiæ Mal. vlt. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ: Agno propter benignitatem patientiæ: sicut in verbo proposito.

In quo notantur tria de Christo: Primo singularis immensitas personæ: ibi, ego Mal. vlt. Ego Dominus & non mutor. Ioh. 8. Ego principium qui & loquor vobis Secundo admirabilis benignitas innocentiæ: ibi, quasi agnus mansuetus Ioban. 1. Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi. Matth. 21. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Tertio imitabilis humilitas patientiæ: ibi, qui portatur ad victimam: sed iste ibat pedes baiulans sibi crucem. Ezech. 39. Immolo vobis victimam magnam super montes Israel. Gen. 22. Dominus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi. verba sunt Abrahæ ad Isaac.

Sermo 2. De Euangelio.

VIgilate & orate ne intretis in tentationem. Marc. 14. Sicut dicitur Iob 7. Militia est vita hominis super terram. Tentari ergo non est malum, vincere tentationem est bonum. succumbere tentationi est malũ. & hoc vocat Dominus intrare in tentationem in hoc verbo.

In quo primo docet remedium periculo adhibendum: ibi, vigilate & orate. Secundo monstrat periculum remedio præcauendum: ibi, ne intretis in tentationem. Remedium vero consistit in duobus: Primo in attentionem intellectus: ibi, vigilate. 1. Pet. 5. Sobrii estote & vigilate: quia aduersarius vester &c. Secundo in deuotione affectus: ibi, & orate. Col. orationi instate.

Sequitur secundum principale. sc. periculum præcauendum: ibi, ne intretis in tent. Matth. 6. Et ne nos inducas in tentationem &c.

Feria. 4. post ramos, Sermo primus de Epistola.

DOlores nostros ipse portauit. Esa. 53. Quamuis diuinæ bonitatis radii diffundantur ad omnes creaturas: generaliter diffunduntur tantum ad homines præ cæteris specialiter. Nam angelus peccauit & statim sine remedio damnatus fuit: homo peccauit & remediũ habuit. scil.

passionem Christi per quam virtutem habent sacramenta ecclesiæ.

Cuius passio describitur hic quantum ad tria. Primo quantum ad afflictionis angustiam: quia, dolores. Vnde Esa. 53. Considerauimus eum despectum & nouissimum virorum virum dolorum. Thren. 1. O vos omnes qui transitis per viam &c. Secundo quantum ad affecti innocentiam: quia, nostros. id est nobis debitos, non sibi. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius qui peccatum non fecit &c. Tertio quantum ad sustinentis patientiam: ibi, ipse portauit. Deut. 33. Expandit alas suas & assumpsit eos atque portauit in humeris suis. 1. Pet. 2. Peccata nostra ipse pertulit super lignum in corpore suo.

Sermo 2. De Euangelio.

EVntes parate nobis Pascha vt manducemus. Luc. 22. In quolibet humano opere concurrunt quatuor causæ: efficiens, forma, materia, & finis: Sic in cœna legali Domini fuerunt quatuor causæ quæ notantur in verbo proposito.

Primo efficiens. scilicet Christus qui loquitur: & discipuli quibus loquitur dicens, euntes. scilicet ad parandum Pascha. Vnde ibidem sequitur. Euntes autem fecerunt sicut dixit illis Iesus. In quo commendatur obedientia discipulorum. Secundo formalis: ibi, parate nobis. Psalm. Nunquid & mensam parare poterit populo suo. Matth. 23. Prandium meum paraui. In quo notatur Christi prouidentia. Tertio materialis: ibi, Pascha. id est agnum Paschalem. Matth. 26. Vbi vis paremus tibi Pascha. Per hunc significatur verus agnus. de quo 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Quarto finalis: ibi, vt manducemus. Vnde ibidem. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. In quo significatur manducatio Eucharistiæ. Iohan. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. 1. Corinth. 11. Qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit.

In Cœna Domini, Sermo primus generalis.

DE comedente exiuit cibus: & de forti egressa est dulcedo Iud. 14. Problema est Samsonis. Saluator noster ab initio nobis dederat suas secundum illud Psalm. Omnia subiecisti sub pedibus eius. & hoc in sustentamentum. suos. scilicet angelos in ministerium. Heb. 2. Nonne omnes sunt administratorii spiritus. Sed his diebus dedit seipsum totum. Totum dico: quia carnem & sanguinem in cibum spiritualis sustentationis. Corpus & animam in precium nostræ redemptionis. Diuinitatem in præmium nostræ glorificationis. Magnum signum est amoris exponere alii & dare sua. Maius dare suos famulos vel amicos, sed maximum dare seipsum. Vnde amico præcipuo dicitur, darem vobis de carne & sanguine meo si velletis.

Hoc notatur in verbis propositis allegorice intellectis. Nam, de comedente in cœna hodie, exiuit cibus Eucharistiæ. & de forti in passione, egressa est dulcedo glorificationis nostræ. Secundum hoc ergo primo describitur institutio Eucharistiæ: in qua dedit carnem in cibum: cum dicitur, de comedente exiuit cibus. Secundo implicatur beneficium Dominicæ Passionis: cum additur, & de forti. in qua dedit animam in pretium. Tertio dulcedo beatitudinis humanæ: in qua dedit diuinitatem in præmium: cum se quitur, dulcedo.

Circa institutionem Eucharistiæ notantur tria: quæ quodlibet opus reddunt commendabile: scilicet operandi oportunitas: quæ notatur in hora comestionis. Matth. 26. Cœnantibus illis accepit Iesus panem. Operantis potestas: quæ notatur in persona comedentis. Psalm. Dominus dabit voci suæ virtutem: scilicet in transumptione panis & vini. Operis vtilitas: quæ notatur in collatione talis cibi. Psal. Memoriam fecit mirabilium suorum. Matth. 26. Accipite & comedite panem meum.

Sermo 2. De Eodem.

MAndatum nouum do vobis vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Iohan. 13. In quolibet opere concurrunt quatuor causæ: efficiens, materia, forma, & finis. vt patet in ciphi, in domo. Et frequenter contingit rem aliquam ratione dictarum causarum diligentius vel negligentius custodiri. vt cultellus datus à rege vel factus à bono artifice carius custoditur ratione actoris. marca autem ratione materiæ. res curiosa ratione formæ. gladius ratione finis.

Sic in mandatis Dei concurrunt quatuor causæ nos ad ipsa custodienda obligantes. Efficiens scilicet Deus mandata dans: ibi, do. Ecclesiast. 15. Deus ab initio constituit hominem: & reliquit eum in manu consilii. scilicet adiecit mandata & præcepta sua. Psalm. Seruaui mandata tua & testimonia tua. Materia. scilicet charitas mutua: ibi, vt diligatis inuicem. Roman. 13. Nemini quicquam debeatis: nisi vt inuicem diligatis. Forma. scil. dilectio diuina: ibi, sicut dilexi vos. Apocal. p. 1. Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Finis. scilicet innouatio humana: ibi, nouum. id est innouans. Psal. Cor mundum crea in me Deus.

Sermo 3. De Eodem.

DEsiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Luc. 22. Ille qui dat escam omnium in tempore oportuno dedit constat escam hominum nobilissimam: scilicet Eucharistiam tempore competenti.

Tempus autem competens instituendi Eucharistiam fuit in Cœna quadruplici ratione; quæ in verbo proposito implicantur. Prima est manendi semper nobiscum affectio: quod notatur, in desiderio. Non enim conueniens fuit vt simul adesset corporali præsentia & facta-

& sacramentali: neo vt deesset in vtraque. Ideo imminente absentia corporali in crastino. instituit præsentiam sacramentalem. vnde Matth. vlt. ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Secunda est veteris sacrificii terminatio quod in passione terminandũ erat: quod notatur in paschate. Pascha enim dicitur transitus. non enim conueniens erat simul vmbram & veritatem currere: nec veritate nõdum habita vmbram cessare. vnde Iohan. 19. prope mortem ait. Consummatum est. Tertia est maior huius recommendatio vt vltimo recessu traditum Apostoli diligentius retinerent. ideo vltima cæna hoc instituit quod notatur: ibi, manducare nobiscum. Luc. 21. Hoc facite in meam commemorationem. Quarto est passionis repræsentatio. quod notatur ibi, antequam patiat. Thren. 3. a. Recordare paupertatis meæ &c. In prima notatur feruor dandi: quia, cum desiderio. In secunda valor doni: quia, hoc pascha. In tertia notatur amor dantis: quia, manducare nobiscum. In quarta oportunitas temporis: quia, antequam patiat.

Sermo 4. De Eodem.

Lauentur pedes vestri & requiescite sub arbore: ponamque buccellam panis & confortetur cor vestrum. Genes. 18. Cum sint duo sensus disciplinabiles in nobis. scil. visus, & auditus: quo ad vtrumque instruit nos perfectus magister noster Christus. Quo ad visum exemplo sanctitatis. Iohan. 3. Exemplum dedi vobis. Quo ad auditum verbo veritatis. Ioh. 6. Verba vitæ æternæ habes. Act. 1. Cæpit Iesus facere & docere. quod hodie apparuit in quatuor: quæ in verbis propositis implicantur.

In quibus satis pulchre alludit historia allegorice. Nam historice verba sunt Abrahæ loquentis ad angelos in assumptis corporibus apparentes. Quos more hominum fatigatorum inuitat ad quatuor. ad lotionem post sudorem: ibi, lauentur pedes vestri. Ad quietem post laborem: ibi, & requiescite. Ad refectionem corporis: ibi, ponamque buccellam. Ad recreationem cordis. ibi, & confortetur cor nostrum.

Allegorice vero competunt præsenti festiuitati: in quibus verbis Abrahã Christus inuitat Apostolos ad quatuor quæ eis hodie exhibuit. Primo ad pedum ablutionem: ibi lauentur pedes vestri. Secundo ad passionis imminentis considerationem: ibi, & requiescite sub arbore. glo. cruce. Tertio ad Eucharistiæ communionem: ibi, ponamque buccellam panis. Quarto ad vtilitatem sequentem: ibi, & confortetur cor vestrum. Hoc enim exhibuit hodie Christus in propria persona. Nam pedes Apostolorum lauit tanquam minister humilis. Ioh. 13. Cæpit lauare pedes discipulorum. Et mortem suam eis prædixit tanquam magister vtilis. Ibidem. vnus ex vobis me tradet. Seipsum in cibum dedit tanquam hospes liberalis. Psal. panem Angelorum manducauit ho. Corda eorum confortauit tanquam cibus spiritualis. Ps. panis cor hominis confirmet.

Moraliter quatuor notantur quæ sunt in vera pœnitentia. sc. mundatio à peccatis præteritis: ibi, lauentur &c. Esa. 1. Mundamini mundi estote. Cessatio à futuris: ibi, & requiescite sub arbore. Esa. 1. Quiescite agere peruerse. Infusio gratiæ: ibi, ponamq; buc. pa. Sap. 16. Panem de cælo præstitisti. Eccl. 15. Cibauit illos. Propositum perseuerantiæ: ibi & confor. cor vestrum. Psal. viriliter agite & confortetur cor vestrũ. Vel sic lauentur pedes vestri hodie: requiescite cras sub arbore, ponamq; buccellã pa. in die Paschæ. & confortetur cor vestrum in sequenti tempore: & postea transibitis de statu viæ ad patriam claritatis æternæ.

Sermo 5. De Eodem.

Lauare & vngere & induere cultioribus vestimentis & descende in aream. Ruth. 3. Secundum Apostolum quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt: quia & per quæ facta sunt: & per quæ fiunt: & per quæ facienda sunt. Vt ergo doceamur in omnibus conuertamus ea quæ facta sunt, ad ea quæ fiunt, & ea quæ fiunt ad ea quæ facienda sunt. Antiquitus ergo dixit Noemi verba proposita Ruth nurui suæ cui proponebat Booz propinquum suum in coniugem copulare.

In quibus hortatur ad quatuor quæ solent animum hominis inclinare ad amorem mulieris. Primum est munditia corporis: ideo dicit, lauare. Secundum est nitor coloris: ideo subdit, vngere. Tertium est exterior ornatus: ideo addit, & induere cultioribus. Quartum locus solitarius: ideo sequitur, & descende in aream. Mulier ergo munda, pulchra & ornata cum viro solo: de facili inclinat hominem ad se. Exemplũ in Iudith. Sed quia hæc doctrina minus abundat conuertamus eam ad ea quę facit ecclesia, quę sunt quatuor. Primum est pedum ablutio: quod notatur ibi, lauare. Secundũ est chrismatis consecratio. quod notatur ibi, vngere. glo. chrismate. Tertiũ est solennitas cœnæ. quod notatur: ibi, & induere &c. Hodie enim fit maior solennitas quam in aliis feriis. Quartum est institutio Eucharistiæ. quod non: ibi, & descende in aream: in qua Booz debebat cænare. glo. tandem cænant Christus cum discipulis suis corporis & sanguinis sui sacramenta communicantibus. Fecit ergo Christus lotionem in exemplum humilitatis. Ioh. 13. Vnctionem in remedium infirmitatis. Eccl. 38. In his curans. Cœnam in signum dilectionis. Cant. 5. Comedite amici. Eucharistiam in memoriam passionis. Psal. memoriam fecit.

Sed vlterius vt facta conuertamus ad facienda contra quatuor mala quæ facit peccatum, hęc quatuor nobis remedia proponuntur. Peccatum enim animam maculat, vulnerat, spoliat, & separat. sicut habetur Luc. 10. de homine descendente ab Hierusalem in Hierico qui incidit in latrones. Qui autem maculatus est indiget vt lauetur: ideo dicit, lauare. glo. lachrymis pœnitentiæ. Psalm. Lauabo per singulas noct. Qui vulneratus est indiget vt vngatur. ideo dicit, vngere. glo. Spiritus sancti vnctione. Iacob. vltim. Infirmatur aliquis. Qui spoliatus est indiget vt induatur. ideo dicit, induere cul. vesti. glo. ornatu virtutum. Roman. 13. Abiiciamus &c. Qui separatus est vt reconcilietur. ideo dicit, & descende in aream. Esa. 48. Descende sede & in puluere virgo filia Babylonis.

Sermo 5. De Eodem.

VEre tu es Deus absconditus Deus Israel saluator. Esa. 45. Antiquitus dixit Esaias verbum propositum. sed his diebus videtur praecipue impletum. Nam cum esset praesens sub speciebus panis & vini non videbatur. cum esset omnipotens occidebatur: cum esset immensus sepeliebatur. Ergo vere absconditus quo ad praesentiam corporalem in sacramento. Prou. 9. Panis absconditus suauior. Quo ad potentiam insuperabilem in patibulo. Abac. 3. Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius. Quo ad immensitatem immensurabilem in sepulchro. Esa. 2. Ingredere in petram abscondere in fo. Prima absconsio facta est hodie. secunda cras. tertia post cras. dicamus ergo, vere tu es Deus.

Vbi primo affirmatur veritas exprimenda: cum dicitur, vere. Secundo exprimitur veritas affirmata: cum subditur, tu es Deus.

Vbi exprimuntur tria de Christo. scil. diuinitatis sublimitas: ibi, tu es Deus. Esa. 9 Et vocabitur Deus. Sublimitatis charitas: ibi, absconditus. vultus eius & despectus &c. Esa. 54. In momento indignationis abscondi faciem meam pauperum a te. scil. in triduo: & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Charitatis vtilitas: ibi, Deus Israel. id est fidelium saluator. Vbi implicat tria saluantis potestatem: quia, Deus. Psal. Dominė Deus salutis meae. Idoneitatem: quia, Israel. id est videns Deum. Hest. 13. Si decreueris saluare Israel. Ipsam salutem: ibi, saluator. Tit. 3. Cum apparuerit be.

Sermones de Epistola & Euangelio supra pag. XXVII. col. 1.

In Die Passionis, Sermo primus generalis.

FIlius regis mortuus est. 2. Reg. 18. Quantum tenemur Deum diligere & ei seruire ostendit praecipue beneficium redemptionis nostrae & maxime si consideremus tria in nostra redemptione. scilicet redemtionis precium. re limentis dominium. redimendi modum.

Pretium redemptionis fuit non angelus non seruus. non asinus. non census: sed proprius Dei filius patris. quod notatur: ibi, filius. Roman. 8. Proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum. O inaestimabilis dilectio charitatis: vt seruum redimeres: filium tradidisti. Dominum redimentis fuit illud quo omnia reguntur. quod notatur: ibi, regis. ergo non patentes: non filii: non familia: non pecunia redemerunt: sed rex mittens filium. Psal. Deus autem rex noster ante se. Modus redimendi fuit per mortem filii. quod notatur: ibi, mortuus est. non tantum disciplinatus vel illusus: sed turpissima morte condemnatus. Roman. 5. Commendat Deus charitatem suam in nobis. quoniam cum peccatores essemus secundum tempus. Christus pro nobis mortuus est. In filio quippe notatur proprietas personalis. In rege potestas naturalis. In morte charitas mirabilis.

Sermo 2. De Eodem.

DIlexit nos & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo Apocal. 1. Contraria contrariis curantur. in peccato vero sunt tria mala. scilicet offensa diuina, macula humana, poena debita. Vnde ex peccato hominis Deus offenditur. anima maculatur, homo ad poenam obligatur.

Sed medicus noster Christus exhibuit tria contraria bona. quia dilexit nos contra offensam: lauit nos contra maculam: sanguinem effudit contra poenam debitam. Est ergo dilectio delens offensam. Ierem. 35. In charitate perpetua. loton mundans maculam. Psalm. asperges me Domine Isopo. Sanguis soluens poenam. Zach. 9. Tu vero in sanguine testamenti. Psal. quae non rapui tunc exsoluebam. Consideremus ergo redemptionis nostrae motiuum quod est dilectio. Commodum quod est lotio. Modum qui est in sanguine suo. Videamus ergo charitatem in motiuo. necessitatem in commodo. afflictionem in modo.

Sermo 3. generalis, De Eodem.

O Mors quam amara est memoria tua. Ecclesiast. 41. In libro de naturis animalium dicitur quod turtur est auis mundissima. vnde amisso compare. alii non copulatur. habet gemitum pro cantu. occiso compare suo in arbore: quandoque redit ad arborem: & ibi quasi meditando gemit. Sic mater Ecclesia quae est mundissima non habens maculam neque rugam. Ephes. 5. Vni viro. scilicet Christo desponsata. Corinth. 11. Hodie assumpsit gemitum pro cantu: & hoc propter memoriam mortis sponsi sui Christi in arbore crucis occisi. Vnde tacta dolore cordis intrinsecus prorumpit in verba lamentationis dicens, o mors &c.

Vbi primo ponitur exclamatio compassionis: cum dicitur, o. Secundo ratio exclamationis: cum subditur, mors quam amara. Vbi implicantur tria. passionis Christi amaritudo: cum dicitur, mors amara. 1. Reg. 15. Siccine separat amara mors. amaritudinis magnitudo cum additur, quam amara. quasi dicat valde est amara. Ierem. 15. Sedebam solus quoniam amaritudine reple. magnitudinis certitudo: cum dicitur, memoria tua. si enim memoria est tam amara. certum est quod praesentia. Thren. 3. Recordare paupertatis &c. memoria ero &c.

Sermo 4. generalis, De Eodem.

PRoposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Hebraeor. 12. Tria sunt quae multos hodie ad malum trahunt: & a bono retrahunt scilicet amor, timor, & pudor. Amor. scilicet male inflammans. timor male humilians. pudor male confundens. hinc est quod amor mundanę prosperitatis retrahit a bono: quia male inflammat. exemplum de adolescente multas possessiones habente. Matt. 19. Similiter timor pręsentis aduersitatis: quia male humiliat. exemplu de filiis Israel non audentibus ingredi terram

terram promissam. Num. 13. Similiter pudor humanæ confusionis. exemplum de villico iniquitatis qui erubuit mendicare. Luc. 16.

Hoc triplex trinarium excluditur ab eo qui est exemplar totius perfectionis: quia gaudium propositum respuit: crucem sustinuit: confusionem contempsit. Ergo nec amor mundani gaudii, nec timor humani supplicii. nec pudor opprobrii proprii impediuit: quin salutem humani generis procuraret. Ecce ergo passio voluntaria: quia, proponebatur ei gaudium regni. afflictoria: quia sustinuit patibulum crucis. derisoria: quia, turpibus verbis & signis. In primo dedit exemplum voluntariæ paupertatis. In secundo obedientiæ & humilitatis. In tertio magnanimitatis. glo. exponit dupliciter de gaudio æterno: ad quod per passionem itur. & de temporali: ad quod contrarium sequitur.

De eodem, Sermo 5.

Redemit Dominus Iacob & liberauit eum de manu potentis. Hierem. 31. Quis cæcus vel dormiens non videt lumen vel colorem, hoc non est ex defectu solis irradiantis: sed potius ex defectu recipientis. Similiter quod homo non habet gratiam Dei, hoc non est quia Deus non dat: sed quia homo non recipit. Hoc ideo dico: quia Dominus per mortem suam de manu inferni liberauit omnes quantum ad sufficientiam: & tamen non omnes quantum ad efficaciam: sed tantum boni liberantur qui per Iacob significantur. hinc est quod bene dicitur, quia redemit Dominus Iacob, &c.

Vbi tanguntur quatuor causæ nostræ liberationis ab obligatione inferni, scil: efficiens, forma, materia, & finis. Tangitur autem in efficiente potestas: quia, Dominus. Psal. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. vnde oblatus est: quia voluit. Esa. 53. In forma congruitas: quia redemit: non enim alius modus conuenientior fuit secundum August. Apocal. 6. Redemisti nos Domine in sanguine tuo. In materia idoneitas: quia, Iacob. qui interpretatur supplantator. Esa. 43. Et nunc hæc dicit Dominus Deus creans te Iacob noli timere: quia redemi te. In fine necessitas: quia, liberauit, &c. Hierem. 15. De manu fortium redimam te.

Sermones de Epistola & Euangelio supra pag. 27. colum. 2.

In sabbatho paschæ, Sermo primus.

Caro mea requiescet in spe. Psal. 15. Secundum triplicem statum variata est bis diebus caro Christi: secundum quod & variabitur caro sanctorum & si non ita festinanter. Primo fuit in statu mortalitatis. Secundo in statu mortis. Tertio in statu immortalitatis. In statu primo nec habuit gloriam nec quietem. Iuxta illud. 2. Corinth. 7. Nullam requiem habuit caro nostra: sed omnem tribulationem passi sumus. In secundo habuit quietem non gloriam. Psal. In pace in idipsum, &c. In tertio habuit & quietem & gloriam. Ideo ait per Psal. Refloruit caro mea, &c. Pro secundo igitur statu quo fuit in triduo mortis prædixit, caro mea requiescet in spe.

Vbi tangit in se tria. Primo expressionem naturæ corporalis: cum dicit, caro mea. Luc. vlt. Palpate & videte: quia spiritus carnem, &c. Secundo terminationem assumptæ pœnalitatis: cum subdit, requiescet. Apoc. 14. A modo iam dicit spiritus. Tertio expectationem propinquæ resurrectionis: cum addit, in spe. Psal. In te Domine speraui non confun.

De eodem, Sermo 2.

Exurgam diluculo. Psal. 56. Fides est ex auditu: auditus autem per verbum Dei. Vnde quod intelligimus debemus rationi: sed quod credimus debemus auctoritati. Hinc est quod ad ædificationem fidei resurrectionis Dominicæ dicit Dei Filius antiquitus per Prophetam verbum illud, exurgam diluculo.

Vbi circa resurrectionem suam tangit duo: euidentiam, & horam. Euidentiam: cum dicit, exurgam, i. e. extra surgam. Luc. vlt. Surrexit Dominus vere, &c. Horam: cum dicit, diluculo. Matth. vlt. Surgens mane prima sabbathi.

De Euangelio, Sermo 3.

Venite & videte locum vbi positus erat Dominus. Matth. vlt. Sicut dicit beatus Dionysius. Lex diuinitatis inuiolabiliter stabilita: est infima per media reducere in suprema. Vnde diuinæ sapientiæ prouidentia ordinauit homines per angelos reducere in Deū: sicut patet in verbo proposito: in quo angelus inducens mulieres ad fidem resurrectionis Iesu Christi ait, venite, &c.

Vbi inuitat Primo ad motum sollicitudinis: ibi, venite. 2. Paral. 30. Tradite manus vestras Domino & venite ad sanctuarium eius. Secundo ad aspectum certitudinis: ibi, & videte locum. Ioh. 20. dicitur de Petro. Et cum se inclinasset videt li- teamina, &c. Tertio ad argumentum resurrectionis: ibi, vbi positus erat Dominus. Luc. 23. Depositum inuoluit sindone & posuit in monumento. Psal. Venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram, &c.

Sermones de Epistola & Euangelio supra pag. 28. colum. 1. & 2.

Finis quadragesimæ.

In dedicatione ecclesiæ, Sermo primus.

Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Psal. 65. Sicut bonitas siue laus ædificii non debet attribui securi sed artifici: & sicut donum eleemosynæ non debet attribui simpliciter ministro qui defert sed Domino qui confert: Sic sanctificatio rerum siue hominum siue locorum siue vasorum non debet simpliciter attribui homini ministratori, sed Deo actori. Ideo proprie loquitur Psal. dicens, sanctificauit ta. &c.

Vbi notantur tria in qualibet actione necessaria, scilicet agens, actio, in quid agitur: Sic & hic sanctificans, sanctificabile, sanctificatio. Notatur igitur sanctificantis potentia: quia, altissimus.

ſimus. de quo Pſalm. Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Sanctificabilis decentia: quia tabernaculum ſuum, i.e. eccleſiam ſuam. Pſal. Domum tuam Domine decet ſanctitudo. Iudith. 13. Dixit Achior benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob. Sanctificationis efficacia: quia, ſanctificauit, i.e. ſanctum fecit. Pſal. Sanctum eſt templum tuum. 3. Reg. 9. Sanctificaui domum hanc quam ædificaſti, &c.

Sermo 2. de eodem.

VEre Dominus eſt in loco iſto. Gen. 28. Communiter dicitur qui igne indiget digito ſuo quærit. Deus autem noſter ignis eſt quo omnes indigemus: quoniam ſine eius luce cognoſcere verum, ſine eius calore appetere bonum, ſi. e eius virtute non poſſumus ferri ſurſum: & ideo diligenter quærendus eſt. res autem debet quæri in loco in quo eſt. Licet ergo Deus vbique poſſit inueniri quia vbique eſt: tamen facilius in hoc loco: quia ad hoc ſpecialius elegit eum. Exemplum in Maria & Ioſeph qui inuenerunt eum in templo: ideo benedixit Iacob, vere Dominus eſt in loco iſto. q. d. in hoc loco quærite eum ſi amiſiſtis eum per peccatū. Hic enim dantur ſacramenta, i.e. ſacra ſigna quibus inuenitur.

Primo ergo Iacob veritatem dicendam aſſerit: cum dicit, vere. Secundo aſſertam differit: cum ſubdit, Dominus eſt in loco iſto. Vbi notantur tria eccleſiam dedicatam commendantia. ſcil. ſecuritas, vtilitas, & ſanctitas. Securitas notatur in Domino. ſecurior enim locus in quo eſt Dominus & eius familia: & eius armamenta. Pſalm. Dominus illuminatio mea & ſalus mea. quam ti. & alibi. eſto mihi in Deum protectorem & in locum munitum.

Vtilitas notatur in, loco: locus enim conſeruat locatū. non ſic tempus ſic eccleſia conſeruat ad ſe confugientes. Exod. 21. Conſtituam tibi locum ad quem poſſit confugere homicida non tam corporalis quam ſpiritualis, ſcil. peccator vt confiteatur & oret: Sanctitas notatur. in, iſto, ſc. dedicato. Exod. 3. Locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt. Paralip. 6. Si quis adorauerit in loco iſto tu exaudies de cœlo. Ecce ergo locus ſecurus propter dominantem. vtilis propter finem. ſanctus propter conſecrationem.

Sermo 3, de eodem.

DEdicauerunt templum Domini rex & filii Iſrael. 3. Reg. 8. Volunt habere mūda principes palatia ſiue aulas ſibi dedicatas in quibus exerceant iudicia. tenent colloquia. faciunt conuiuium: ſic & ſummus princeps Chriſtus vult aulam ſpecialem ſibi dicari. ſcil. eccleſiam. In qua exerceat iudicia quod fit in confeſſione. teneat colloquia quod fit in oratione. faciat conuiuia quod fit in euchariſtiæ communione. hinc eſt quod dedicauerunt templum Domini rex & filii Iſrael ſecundum quod hic dicitur, & hodie agitur vel recolitur.

Vbi notantur tria. actus dedicationis: quia, dedicauerunt. Nehem. 13. Fecerunt dedicationem in lætitia & gratiarum actione. locus delectabilis: quia templum Domini. 2. Paral. 7. Impleuit maieſtas Domini templum Domini, gradus dedicantis: quia, rex, ſcil. Chriſtus & filii Iſrael. i.e. pontifex & clerici. 2. Paral. 7. Dedicauit domum Domini rex & vniuerſus populus. Sacerdotes autem ſtabant in officiis & c. Chriſtus autem dedicat auctoritate. ſacerdos miniſterio.

De eodem, Sermo 4.

AVdiui orationem tuam & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii. 2. Paral. 7. Aliter ſanctificat homo & aliter Deus. Nam homo ſanctificat diſpoſitiue ſiue miniſterialiter. & hoc verbo orationis. 1. Tim. 4. Sanctificatur enim per verbum & orationem. Deus autem ſanctificat effectiue ſiue cauſaliter: & hoc beneplacito electionis. Nam quemcunque elegerit Dominus ipſe eſt ſanctus. Num. 16. Hæc ſunt tria quæ tetigit Dominus loquens Salomoni antiquitus, ſed humana oratio: diuina electio: ſequens ſanctificatio. cuius ſimile hodie factum eſt in hac dedicatione. vt adhuc dicat Dominus pontifici dedicanti hunc locum, audiui orationi, &c.

In quo notatur Primo dedicandi modus in oratione cum dicit, audiui. o. t. Prou. 15. Longe eſt Dominus ab impiis & orationes iuſtorum exaudiet. Secū. lo dedicationis virtus in electione. cum dicit, & elegi locum iſtum mihi. Pſalm. Elegit Dominus Sion. & c. &c. Tertio dedicati loci vſus cum addit, in domum ſacri. 1. Eſdr. 6. Decreuit rex vt domus Dei quæ in Hieruſalem ædificetur in loco vbi immolent hoſtias.

De eodem, Sermo 5.

FEcerunt filii Iſrael Sacerdotes & Leuitę & reliqui filii tranſmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio. 1. Eſdr. 6.

In ſcriptura ſacra legimus triplicem dedicationem: & quartam nondum factam ſed futuram expectamus. Prima dedicatio facta eſt ſub Salomone. Secunda in reditu de captiuitate ſub Zorobabel principe & Eſdra pontifice. Tertia ſub Iuda Maccabæo. prima facta eſt in autumno vt dicitur. 3. Reg. 9. ſecunda in vere menſe Martio: de qua dicitur hic. tertia in hyeme menſe Caſleo. 1. Maccab. 4. Statuit Iudas & fratres eius. Quartam factam in æſtate non legimus ſed expectamus in patria. prima ſignificat ſanctificationem animæ per baptiſm. ſecunda per pœnitentiam. tertia per cōtemptum mundi. Quarta per præmium regni. de ſecunda ergo dicitur hic, quod fecerunt filii Iſrael, &c.

Vbi non tam antiqua quam hodierna dedicatio commendatur ex tribus quæ gratum reddunt quodlibet opus. Opus quippe commendatur quando fit ordinate. honeſte & iucunde. vnde 1. Corinth. 13. Omnia honeſte: & ſecundum ordinem fiant in vobis. Commendatur ergo primo ex manifeſta operantium ordinatione: quia. fecerunt ſacerdotes. tanquam conſecrantes & Leuitæ tanquam adminiſtrātes, & reliqui tanquam aſſiſtentes. vt intelligantur ſacerdotes Epiſcopi, Leuitę clerici, reliqui laici. Num. 21. Loquere ad ſacerdotes, &c. Secunda ex debita operationis honeſtate. honeſtum eſt enim quod Dominus habeat domum ſacram & miniſterio ſuo dicatam. Pſalm. Domum tuam Domine decet ſanctitudo. Tertio ex interna operandi incun-

iucunditate: quia in gaudio. 1. Maccab. 4. Ornauerunt faciem templi coronis, &c.

De eodem, Sermo 6.

CHristus dilexit ecclesiam & semetipsum tradidit pro ea vt illam sanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ. Ephes. 5. In sacra scriptura inuenimus duplex genus ecclesiæ siue templi. Est enim ecclesia materialis quæ consistit in coaceruatione lapidum. Psal. In ecclesiis benedicite Domino. est & ecclesia spiritualis quæ consistit in congregatione fidelium, de qua Matt. 18. dic ecclesiæ. Secundum hoc duplex est genus sanctificationis: quia & ecclesiæ materialis quæ dicitur dedicatio: & ecclesiæ spiritualis, quæ dicitur iustificatio. quarum vna est significatio alterius. vt quod exterius agitur in ecclesia materiali repræsentet sanctificationem, quæ interius fit in ecclesia spirituali: vt de vtraque sanctificatione possit exponi verbum propositum.

In quo tangit Apostolus quatuor circa huiusmodi sanctificationem, scil. motiuum, meritum, actum & modum. Motiuum quod est dilectio quod notatur: ibi, Christus dilexit ecclesiam. Psal. Domine dilexi decorem domus tuæ. meritum quod est compassio quod notatur: ibi, semetipsum tradidit pro ea. Luc. 21. Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Actum qui est sanctificatio quod notatur: ibi, vt illam sanctificaret. Psal. Sanctificauit tabernaculum. Modum qui est sacramentalis ablutio. quod notatur: ibi, mundans eam, &c. Psalm. Asperges me Domine, &c. Tit. 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus, &c.

De eodem, Sermo 7.

COngregabuntur filii Iuda & filii Israel & ponent sibi caput vnum & ascendent de terra. Osee. 1. g. In naturalibus ita videmus quod plura membra reguntur vno capite. In artificialibus similiter plures operarii vno rectore. In peregrinationibus similiter plures homines vno duce. Sic in moralibus debet esse, sc. q plures regantur præsidente vno. quippe quia hic non habemus manentem ciuitatē sed futuram inquirimus, scil. illam quæ est sursum matrem nostram ad quam nitimur ascendere; & ideo habendum est caput bonum ne contingat aliquem deuiare: propter quod dicit Dominus per Prophetam, congregabuntur, &c.

Vbi notantur tria. Vnum antecedens, aliud concomitans, aliud subsequens electionem. Antecedens electorum congregatio: quod pertinet ad efficientem: ideo dicit, congregabuntur filii Iuda. Concomitans est ordinatio quod pertinet ad formam: ideo subdit, & ponent sibi caput vnum. Subsequens est gloriæ acquisitio quod pertinet ad finem: ideo addit, & ascendent de terra.

Sermo 8. Ad idem.

SI quis cognouerit plagam cordis sui & expanderit manus suas in domo hac tu exaudies in cœlo. 3. Reg. 8. Secundum duplicem hominis naturam patitur homo communiter defectum duplicem: corporalem, scil. & spiritualem. Corporalem: vt famem, sitim, & huiusmodi. Spiritualem vt peccata venalia & mortalia. Et secundum hoc indiget remedio duplici: cibo contra primum, pœnitentia contra secundum. Sicut ergo rex habet domum deputatam ad ministerium remedii corporalis: vt est aula vel palatium apud seculares. refectorium apud regulares, licet in alia domo possent refi[illegible]. Ita honestum est vt habeat domum deputatam & specialiter dedicatam in ministerium remedii spiritualis, scil. sacramentorum: licet possent alibi ministrari. Et hæc domus est ecclesia dedicata, in qua sacramenta communius ministrantur, orationes frequentius exaudiuntur: secundum quod Salomon innuit hic.

Vbi primo excitat ad culpæ recognitionem, cum dicit, si quis cognouerit plagā cordis sui. Secundo inuitat ad gratiæ impetrationem: ibi, & expanderit manus suas in do. hac. Tertio promittit veniæ consecutionem: ibi, tu exaudies in cœlo. Culpæ recognitio habet fieri per veram confessionem. Gratiæ impetratio per sanctam orationem. Veniæ consecutio per diuinam miserationem. In prima implicat tria. Primo nocumentum peccati: ibi, plagam. Luc. 10. Plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Secundo magnitudinem nocumenti: ibi, cordis sui. Eccl. 25. Omnis plaga tristitia cordis est. & 21. Quasi rumphea bisacuta omnis iniquitas & plagæ illius non est sa. Tertio facultatem remedii: ibi, si quis cognouerit, scil. per contritionem & confessionem. Psal. Iniquitatem meam ego cognosco & pec.

Circa secundum principale, scil. orationem tangit orationis Primo signum cum deuotione ibi, expanderit manus suas. Thren. 2. Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. Secundo locum cum dedicatione: ibi, in domo hac, scil. dedicata. de qua Ioh. 2. Domus mea domus orationis vocabitur.

Circa tertium principale, scil. veniæ consecutionem implicat. veniam dantis Primo benignitatem: ibi, tu exaudies. Psal. Ad Dominum cum tribularer. Secundo potestatem: ibi, in cœlo. Ps. Dominus in cœlo sedes eius.

Ad idem Sermo 9.

ELegi & sanctificaui locum istum vt sit nomen meum ibi. 2. Paral. 7. Inter cetera oatu raliter attrahentia præcipuum est simile. Nam similis similem sibi quærit. Eccl. 13. Omne animal diligit simile. & 27. Volatilia ad sibi similia conueniunt. Hinc est quod sanctus sanctorum Christus Iesus, omnia sua vult esse sancta & matrem sanctam. Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus, &c. Psal. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Aliter immunditia matris improperatur filio. Item sanctam familiam. Ioh. 17. Pater sanctifica eos in veritate. Stultitia enim serui Domino imponitur: & damnum quod facit ouis imputatur pastori. Item domum sanctam sicut patet luc.

Vbi commendat saluator noster domum suam. Primo tanquam acceptatam spiritualiter: ibi, elegi. 2. Paralip. 7. Elegi locum istum mihi in domum sacrificii. Psalm. Hic habitabo quoniam elegi eam. Secundo tanquam consecratam virtualiter: ibi, & sanctificaui. Psal. Domum

tuam

tuam Domine decet sanctitudo. Tertio tanquam demonstratam præsentialiter: ibi, locum istum. Genes. 28. Vere Dominus est in loco isto, &c. Quarto tanquam dotatam nobiliter: ibi, vt sit nomen meum ibi, scil. in reuerentia & diuulgatione. Psal. Confitebor nomini tuo quoniam bonum est, &c. Ergo, elegi ne sit ingrata ad desiderandum, & sanctificaui ne sit indeuota ad frequentandum, locum istum ne sit ignota ad visitandum, vt sit nomen meum ibi ne sit indigna ad venerandum.

Ad idem Sermo 10.

FEcerunt filii Israel sacerdotes & Leuitæ & reliqui filiorũ transmigrationis dedicationem domus Dei cum gaudio. 1. Esdr. 6. Sicut in benedictione nuptiarum corporalium solent concurrere tria: hominum congregatio, festiua celebratio, & corporalis exultatio.

Sic in benedictione nuptiarum spiritualium scil. Christi & ecclesiæ quæ fit in dedicationem concurrunt tria. Primo generalis congregatio: ibi, filii Israel, &c. Secundo festiualis celebratio: ibi, dedicationem domus Dei. Tertio spiritualis exultatio: ibi, cum gaudio. Circa primum ostendit quales debeant esse qui congregantur in tali solemnitate: quia non ceruicosi, sed obedientes: ibi, filii. Psal. Venite filii audite me, &c. Secundo non curiosi, sed Deũ quærentes. ibi, Israel: quod interpretatur videns Deum. Ios. 24. Seruiuit Israel Domino cunctis diebus Iosuæ. Tertio non infructuosi sed sacramenta dispensantes: ibi, & sacerdotes. 1. Reg. 2. Suscitabo mihi sacerdotem fidelem qui iuxta cor meum & animam meam faciat. Quarto non ociosi: sed in ecclesia ministrantes: ibi, & Leuitæ. Nehem. 12. Requisierunt leuitas de omnibus locis suis: vt adducerent eos in Hierusalem & facerent dedicationem cum lætitia. in actione gratiarum & in cantico & ibidem. Mundati sunt sacerdotes & leuitæ & mundauerunt sancta. Quinto non desidiosi: sed de longinquo aduenientes: ibi, reliqui filiorum trans. Esa. 60. Omnes isti congregati sunt venerunt tibi filii tui de longe ve.

Secundum principale est festiualis celebratio ecclesiæ: quæ commendatur Primo tanquam sanctissima propter solennitatem consecrationis: ibi, dedicationem. Triplicem legimus dedicationem factam: & quartam expectamus futuram. Primam sub Salomone filio Dauid. 3. Reg. 8. Secundam in reditu de captiuitate sub Zorobabel principe, & Esdra pontifice. 1. Esdr. 6. Tertiam sub Iuda Maccabæo. 1. Maccab. 4. Prima facta est in autumno. secunda in vere. tertia in hyeme. quarta fiet in æstate, scil. in gloria. Prima significat sanctificationẽ animæ per baptismum. secunda per pœnitentiam. tertia per contemptum mundi. Quarta glorificationem animæ per adeptionem præmii. Secundo tutissima propter promissionem salutis: ibi, domus. Luc. 19. Hodie huic domui salus facta est. Ecce tempus præsentis solemnitatis: quia, hodie. locus excellentis dignitatis: quia, huic domui. fructus consequentis felicitatis: quia, salus facta est. Tertio dignissima propter maiestatem possidentis. quia, Dei. Genes. 19. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli. Tertium principale est spiritualis exultatio: ibi, cum gaudio. Psal. Gaudebunt labia mea cum cantauero tibi.

Domus mea domus orationis vocabitur. supra pag. 54. colum. 1.

In dedicatione Altaris, Sermo primus.

STatuit Iudas & fratres eius & vniuersa ecclesia Israel: vt agatur dies dedicationis altaris temporibus suis. 1. Maccab. 4. Solemnitatem quamcunque commendant quædam ex parte agentis, quædam ex parte actionis. Ex parte agentis tria: scil. personarum excellentia, concordia, & pluralitas. Ex parte actionis solemnitas, & opportunitas.

Secundum hæc proponitur præsens solemnitas commendabilis quo ad quinque. Primo quo ad autenticam institutionem: ibi, statuit Iudas, i. e. pontifex confitens Deum. Psal. Constituite diem solemnem in condensis. Secundo quantum ad mutuam concordiam: ibi, & fratres eius. Vnde 2. Paral. 11. Non pugnabitis contra fratres vestros. Prouerb. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, &c. Tertio quantum ad generalem congregationem: ibi, & vniuersa ecclesia Israel. 1. Esdr. 6. Fecerunt filii Israel, &c. Quarto quantum ad festiuam celebritatem: ibi, vt agatur dies dedicationis altaris. Num. 7. Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicatione altaris. Ecce personalis excellentia: quia, singuli duces. Temporalis obseruatio, per singulos dies. Liberalis munificentia: ibi, offerant munera. Sanctimonia festiualis: ibi, in dedicatione altaris. Quinto quantum ad annuam obseruationem: ibi, in temporibus suis. Eccles. 8. Omni negotiationi tempus est & opportunitas.

De eodem, Sermo 2.

FEcerunt dedicationem altaris diebus octo: & obtulerunt holocaustum cum lætitia & salutaria laudis. 1. Maccab. 4. Si reges terræ habent domos & mensas speciales in quibus eis seruitur & offeruntur cibi corporales: quanto plus rex cœli & terræ debet habere domum & mensam specialem in quibus offerantur ei cibi spirituales: & etiam familiam mundam quæ ei seruiat. Domus est ecclesia: familia congregatio iustorum: mensa altare sibi dedicatum.

Cuius dedicatio sub figura & exemplari dedicationis legalis describitur hîc à quinque. Primo à festiua celebratione: cum dicitur, fecerunt dedicationem altaris. Nehem. 12. Requisierunt Leuitas de omnibus locis suis: vt adducerent eos in Hierusalem & facerent dedicationem in lætitia. Secundo à temporali obseruatione: ibi, diebus octo. Iste numerus solet seruari in celebrationibus magnis. vnde 2. Paral. 29. Expiauerunt templum diebus octo. Tertio à donatione liberali: ibi, obtulerunt holocausta. Psal. Acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes & holocausta: tunc imponent super altare. Quarto ab exultatione spirituali: ibi, cum lætitia. Quinto à vocatione vocali: ibi, & salutaria laudis. Ps. Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis. Ion. 2. In voce laudis sacrificabo tibi.

Dede-

De eodem, Sermo 3.

PRæcipiam filiis Iſrael & ſanctificabitur altare in gloria mea. Exod. 19. g. In quolibet humano opere concurrunt quatuor cauſæ. duæ ad eſſe: duæ ad fieri pertinentes. Materialis & formalis ſunt de eſſe: ita quod materialis inchoat formalis conſummat. efficiens & finis ad fieri: ita quod efficiens inchoat, finis conſummat.

Vnde & in opere conſecrationis ſiue benedictionis altaris tanguntur iſtæ quatuor in verbis propoſitis. Et primo efficiens: & hæc duplex: principalis, ſcilic. Deus præcipiens: ibi, præcipiam. Exod. 25. Præcipiam & loquar tibi ſuper propiciatorium. 2. Eſdr. 6. Quo præcipiente domum hanc ædificatis. Item miniſterialis: ibi, filiis Iſrael, i. e. epiſcopis qui vident Deum cæteris clarius per fidem, per ſcripturam, per creaturam: & magis appropinquant per gratiam ſecundum illud Pſal. Filiis Iſrael populo appropinquanti ſibi. Secundo formalis: ibi, ſanctificabitur. Leuit. 8. Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare, &c. Tertio materialis: ibi, altare. de quo Pſal. Introibo ad altare Dei. Habemus altare de quo non habent edere, &c. Quarto finalis: ibi, in gloria mea. 1. Corinth. 10. Omnia in gloriam Dei facite. contra illos qui multiplicant altaria propter multiplicationem feſtorum: & ſic pecuniæ.

In ordinibus, Sermo 1. generalis.

MVndaui eos ab omnibus alienigenis: & cõſtitui ſacerdotum ordines & leuitarum vnumquenque in miniſterio ſuo. Nehem. 13. Ordines eccleſiaſtici ad hoc quod commendabiliter conferantur & ſuſcipiantur exigunt quatuor: ſanctitatem, ſcil. in ſuſcipiente, auctoritatem in conferente, diſtinctionem in varietate, fidelitatem in executione.

Secundum hic deſcribitur hic ordinum collatio & ſuſceptio quantum ad quatuor, ſc. quantum ad cultum, quantum ad ſtatum, quantum ad gradum, & quantum ad vſum. Cultus autem requirit conuerſationis ſanctitatem: ibi, mundaui eos ab omnibus alienigenis, ſcil. peccatoribus & peccatis. Mundus quippe debet eſſe qui & digne Domino habet ſeruire & alios habet mũdare. Eſa. 52. Mundamini qui fertis vaſa Domini. Nehem. 3. Mundati ſunt ſacerdotes & Leuitæ & mundauerunt populum. Secundo ſtatus requirit commiſſionis auctoritatem: ibi, & conſtitui. poſſe quippe requirit ad agendum. 1. Eſdr. 6. Statuerunt ſacerdotes in ordinibus ſuis & leuitas in vicibus ſuis ſuper opera Dei in Hieruſalem, i. e. in eccleſia. Tertio gradus requirit diſtinctionis proprietatem: ibi, ſacerdotum ordines & leuitarum. Eſa. 66. Aſſumam ex eis Sacerdotes & Leuitas dicit Dominus. Quarto vſus requirit executionis fidelitatem: ibi, vnumquemque in miniſterio ſuo. Hierem. 33. Sacerdotes & Leuitæ miniſtri mei.

Sermo 2. generalis, de eodem.

NVnquid noſti ordinem cœli & pones rationem eius in terra, Iob. 38. Ordo cœli duplex poteſt intelligi: vel ordo in cœlo exiſtens: vel ordo in cœlum reducens. Primus eſt ſpirituum triumphantium in gloria. Secundus eſt hominum militantium in eccleſia. Ratio primi eſt gradus & dignitas præmiorum. Ratio ſecundi eſt gradus & dignitas officiorum per quæ reducimur ad ordinem primum. Deus enim non tantum eſt ens in ſe imo cauſa entium. omnibus enim bonitatem ſuam communicat prout congruit creaturis. Vnde communicat non tantum entitatem ſed etiam cauſalitatem. Hinc eſt quod ſuperioribus dedit cauſalitatem aliquam reſpectu inferiorum: tam in corporalibus, quam in ſpiritualibus: quoſdam ſuperiores conſtituit & quoſdam inferiores. Superioribus vero poteſtatem reſpectu inferiorum dedit. poteſtas autem in ſpiritualibus ordo hic dicitur: ſecundum quod ad præſens negotium applicatur.

Vbi deſcribitur ſacramentũ ordinis tanquam admirabile, amabile, venerabile, ſuſceptibile. Primo ergo admirabile propter ſublimitatem. vnde dicit, nunquid noſti, q. d. difficile eſt. Luc. 8. Vobis datum eſt noſſe miſterium regni Dei. 1. Iohan. 2. Vnctionem habetis à Deo & noſtis omnia & tamen iſta notitia ſine charitate non ſufficit ad ſalutem. 1. Corinth. 13. Si nouerim omnia miniſteria, &c. Secundo amabile propter vtilitatem. vnde dicit, ordinem cœli, id eſt ordinem ducentem in cœlum. ordinem eccleſiæ quę dicitur cœlum. ordinem virorum cœleſtium. Hierem. 31. Ordinem lunæ, i. e. eccleſiæ: & ſtellarum, i. e. clericorum. in lumine noctis, id eſt mundi. Tertio venerabilis propter rationabilitatem: ibi, & pones rationem eius, i. e. rationabilem inſtitutionem: & quo ad eſſe ſuum: & quo ad numerum. Iob. 28. Quis enarrabit cœlorum rationem. Eccleſ. 8. Intellexi: quia omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem: quia ratio potius cognoſcitur per reuelationem quam per inuentionem. Quarto ſuſceptibile propter adminiſtrationem: ibi, in terra, i. e. in homine qui factus eſt de terra: & reuerſurus in terram ſecundum corpus. Eccleſ. 17. Omnes homines terra & cinis.

In ordinibus ante natale Domini, Sermo 1. de tertia lectione.

SVper montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Eſa. 40. Creata eſt anima imperfecta: perfectibilis tamen virtutibus & ſcientiis. Perfectio autem duplex eſt. Vna ſufficientiæ quæ debet eſſe in omnibus. Alia excellentiæ quæ debet eſſe in ordines ſuſcipientibus: ſicut enim aſcendunt officio & dignitate. Ita aſcendere debent merito & ſanctitate: ſecundum quod hic dicitur vnicuique talium, ſuper montem excelſum, &c.

Vbi inuitat ad duo. Primo ad eminentiam ſanctæ vitæ vt ædificet exemplo ſanctitatis. Secundo ad doctrinam ſalutaris ſapientiæ: vt ædificet verbo veritatis; ibi, tu qui euangelizas Sion. In prima implicat tria. Primo vitæ ſanctitatem nomine montis: cum dicit, ſuper montem. Pſal. Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, &c. & alibi, fundamenta eius in montibus ſanctis. In vallibus enim ſordes. Secundo ad ſanctitatis eminentiam: ibi. excelſum. Eccl. 45. Excelſum fecit Aaron, &c. Tertio modum perueniendi ad illam: ibi, aſcende, ſc. de virtute in virtutem: q. d. non dormias: ſed labora vt aſcendas. Prou. 22. Ciuitatem fortium, i. e. collegium perfectorum aſcendit ſapiens. Can. 7. Aſcendam in palmam & apprehendam. ſ. e.

Circa

tuam Domine decet sanctitudo. Tertio tanquam demonstratam præsentialiter: ibi, locum istum. Genes. 28. Vere Dominus est in loco isto, &c. Quarto tanquam dotatam nobiliter: ibi, vt sit nomen meum ibi, scil. in reuerentia & diuulgatione. Psal. Confitebor nomini tuo quoniam bonum est, &c. Ergo, elegi ne sit ingrata ad desiderandum, & sanctificaui ne sit indeuota ad frequentandum, locum istum ne sit ignota ad visitandum, vt sit nomen meum ibi ne sit indigna ad venerandum.

Ad idem Sermo 10.

FEcerunt filii Israel sacerdotes & Leuitæ & reliqui filiorũ transmigrationis dedicationem domus Dei cum gaudio. 1. Esdr. 6. Sicut in benedictione nuptiarum corporalium solent concurrere tria: hominum congregatio, festiua celebratio, & corporalis exultatio.

Sic in benedictione nuptiarum spiritualium scil. Christi & ecclesiæ quæ fit in dedicationem concurrunt tria. Primo generalis congregatio: ibi, filii Israel, &c. Secundo festiualis celebratio: ibi, dedicationem domus Dei. Tertio spiritualis exultatio: ibi, cum gaudio. Circa primum ostendit quales debeant esse qui congregantur in tali solemnitate: quia non ceruicosi, sed obedientes: ibi, filii. Psal. Venite filii audite me, &c. Secundo non curiosi, sed Deũ quærentes: ibi, Israel: quod interpretatur videns Deum. Ios. 24. Seruiuit Israel Domino cunctis diebus Iosuæ. Tertio non infructuosi sed sacramenta dispensantes: ibi, & sacerdotes. 1. Reg. 2. Suscitabo mihi sacerdotem fidelem qui iuxta cor meum & animam meam faciat. Quarto non ociosi: sed in ecclesia ministrantes: ibi, & Leuitæ. Nehem. 12. Requisierunt leuitas de omnibus locis suis: vt adducerent eos in Hierusalem & facerent dedicationem cum lætitia. in actione gratiarum & in cantico & ibidem. Mundati sunt sacerdotes & leuitæ & mundauerunt sancta. Quinto non desidiosi: sed de longinquo aduenientes: ibi, reliqui filiorum transf. Esa. 60. Omnes isti congregati sunt venerunt tibi filii tui de longe ve.

Secundum principale est festiualis celebratio ecclesiæ: quæ commendatur Primo tanquam sanctissima propter solennitatem consecrationis: ibi, dedicationem. Triplicem legimus dedicationem factam: & quartam expectamus futuram. Primam sub Salomone filio Dauid. 3. Reg. 8. Secundam in reditu de captiuitate sub Zorobabel principe, & Esdra pontifice. 1. Esdr. 6. Tertiam sub Iuda Maccabæo. 1. Maccab. 4. Prima facta est in autumno. secunda in vere. tertia in hyeme. quarta fiet in æstate, scil. in gloria. Prima significat sanctificationẽ animæ per baptismum. secunda per pœnitentiam. tertia per contemptum mundi. Quarta glorificationem animæ per adeptionem præmii. Secundo tutissima propter promissionem salutis: ibi, domus. Luc. 19. Hodie huic domui salus facta est. Ecce tempus præsentis solemnitatis: quia, hodie. locus excellentis dignitatis: quia, huic domui. fructus consequentis felicitatis: quia, salus facta est. Tertio dignissima propter maiestatem possidẽtis. quia, Dei. Genes. 19. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli. Tertium principale est spiritualis exultatio: ibi, cum gaudio. Psal. Gaudebunt labia mea cum canta, r.

Domus mea domus orationis vocabitur. supra pag. 54. column. 1.

In dedicatione Altaris, Sermo primus.

STatuit Iudas & fratres eius & vniuersa ecclesia Israel: vt agatur dies dedicationis altaris temporibus suis. 1. Maccab. 4. Solemnitatem quamcunque commendant quædam ex parte agentis, quædam ex parte actionis. Ex parte agentis tria: scil. personarum excellentia, concordia, & pluralitas. Ex parte actionis solemnitas, & opportunitas.

Secundum hæc proponitur præsens solemnitas commendabilis quo ad quinque. Primo quo ad autenticam institutionem: ibi, statuit Iudas, i. e. pontifex confitens Deum. Psal. Constituite diem solemnem in condensis. Secundo quantum ad mutuam concordiam: ibi, & fratres eius. Vnde 2. Paral. 11. Non pugnabitis contra fratres vestros. Prouerb. 18. Frater qui adiuuatur a fratre, &c. Tertio quantum ad generalem congregationem: ibi, & vniuersa ecclesia Israel. 1. Esdr. 6. Fecerunt filii Israel, &c. Quarto quantum ad festiuam celebritatem: ibi, vt agatur dies dedicationis altaris. Num. 7. Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicatione altaris. Ecce personalis excellentia: quia, singuli duces. Temporalis obseruantia, per singulos dies. Liberalis munificentia: ibi, offerant munera. Sanctimonia festiualis: ibi, in dedicatione altaris. Quinto quantum ad annuam obseruationem: ibi, in temporibus suis. Eccles. 8. Omni negotiationi tempus est & opportunitas.

De eodem, Sermo 2.

FEcerunt dedicationem altaris diebus octo: & obtulerunt holocaustum cum lætitia & salutaria laudis. 1. Maccab. 4. Si reges terræ habent domos & mensas speciales in quibus eis seruitur & offeruntur cibi corporales: quanto plus rex cœli & terræ debet habere domum & mensam specialem in quibus offerantur ei cibi spirituales: & etiam familiam mundam quæ ei seruiat. Domus est ecclesia: familia congregatio iustorum: mensa altare sibi dedicatum.

Cuius dedicatio sub figura & exemplari dedicationis legalis describitur hic à quinque. Primo à festiua celebratione: cum dicitur, fecerunt dedicationem altaris. Nehem. 12. Requisierunt Leuitas de omnibus locis suis: vt adducerent eos in Hierusalem & facerent dedicationem in lætitia. Secundo à temporali obseruatione: ibi, diebus octo. Iste numerus solet seruari in celebrationibus magnis. vnde 2. Paral. 29. Expiauerunt templum diebus octo. Tertio à donatione liberali: ibi, obtulerunt holocausta. Psal. Acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes & holocausta: tunc imponent super altare. Quarto ab exultatione spirituali: ibi, cum lætitia. Quinto à vocatione vocali: ibi, & salutaria laudis. Ps. Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis. Ion. 2. In voce laudis sacrificabo tibi.

Dedi-

De eodem, Sermo 3.

PRæcipiam filiis Israel & sanctificabitur altare in gloria mea. Exod. 29. g. In quolibet humano opere concurrunt quatuor causæ: duæ ad esse: duæ ad fieri pertinentes. Materialis & formalis sunt de esse: ita quod materialis inchoat formalis consummat. efficiens & finis ad fieri: ita quod efficiens inchoat, finis consummat.

Vnde & in opere consecrationis siue benedictionis altaris tanguntur istæ quatuor in verbis propositis. Et primo efficiens: & hæc duplex: principalis, scilic. Deus præcipiens: ibi, præcipiam. Exod. 25. Præcipiam & loquar tibi super propiciatorium. 2. Esdr. 6. Quo præcipiente domum hanc ædificatis. Item ministerialis: ibi, filiis Israel, i. e. episcopis qui vident Deum cæteris clarius per fidem, per scripturam, per creaturam: & magis appropinquant per gratiam secundum illud Psal. Filiis Israel populo appropinquanti sibi. Secundo formalis: ibi, sanctificabitur. Leuit. 8. Cumque sanctificans aspersisset altare, &c. Tertio materialis: ibi, altare. de quo Psal. Introibo ad altare Dei. Habemus altare de quo non habent edere, &c. Quarto finalis: ibi, in gloria mea. 1. Corinth. 10. Omnia in gloriam Dei facite. contra illos qui multiplicant altaria propter multiplicationem festorum: & sic pecuniæ.

In ordinibus, Sermo 1. generalis.

MVndaui eos ab omnibus alienigenis: & cōstitui sacerdotum ordines & leuitarum vnumquenque in ministerio suo. Nehem. 13. Ordines ecclesiastici ad hoc quod commendabiliter conferantur & suscipiantur exigunt quatuor: sanctitatem, scil. in suscipiente, auctoritatem in conferente, distinctionem in varietate, fidelitatem in executione.

Secundum hic describitur hic ordinum collatio & susceptio quantum ad quatuor, sc. quantum ad cultum, quantum ad statum, quantum ad gradum, & quantum ad vsum. Cultus autem requirit conuersationis sanctitatem: ibi, mundaui eos ab omnibus alienigenis, scil. peccatoribus & peccatis. Mundus quippe debet esse qui & digne Domino habet seruire & alios haber mūdare. Esa. 52. Mundamini qui fertis vasa Domini. Nehem. 3. Mundati sunt sacerdotes & Leuitæ & mundauerunt populum. Secundo status requirit commissionis auctoritatem: ibi, & constitui. posse quippe requirit ad agendum. 1. Esdr. 6. Statuerunt sacerdotes in ordinibus suis & leuitas in vicibus suis super opera Dei in Hierusalem, i. e. in ecclesia. Tertio gradus requirit distinctionis proprietatem: ibi, sacerdotum ordines & leuitarum. Esa. 66. Assumam ex eis Sacerdotes & Leuitas dicit Dominus. Quarto vsus requirit executionis fidelitatem: ibi, vnumquemque in ministerio suo. Hierem. 33. Sacerdotes & Leuitæ ministri mei.

Sermo 2. generalis, de eodem.

NVnquid nosti ordinem cœli & pones rationem eius in terra, Iob. 38. Ordo cœli duplex potest intelligi: vel ordo in cœlo existens: vel ordo in cœlum reducens. Primus est spirituum triumphantium in gloria. Secundus est hominum militantium in ecclesia. Ratio primi est gradus & dignitas præmiorum. Ratio secundi est gradus & dignitas officiorum per quæ reducimur ad ordinem primum. Deus enim non tantum est ens in se imo causa entium. omnibus enim bonitatem suam communicat prout congruit creaturæ. Vnde communicat non tantum entitatem sed etiam causalitatem. Hinc est quod superioribus dedit causalitatem aliquam respectu inferiorum: tam in corporalibus, quam in spiritualibus: quosdam superiores constituit & quosdam inferiores. Superioribus vero potestatem respectu inferiorum dedit. potestas autem in spiritualibus ordo hic dicitur: secundum quod ad præsens negotium applicatur.

Vbi describitur sacramentū ordinis tanquam admirabile, amabile, venerabile, susceptibile. Primo ergo admirabile propter sublimitatem. vnde dicit, nunquid nosti, q. d. difficile est. Luc. 8. Vobis datum est nosse misterium regni Dei. 1. Iohan. 2. Vnctionem habetis à Deo & nostis omnia & tamen ista notitia sine charitate non sufficit ad salutem. 1. Corinth. 13. Si nouerim omnia ministeria, &c. Secundo amabile propter vtilitatem. vnde dicit, ordinem cœli, id est ordinem ducentem in cœlum. ordinem ecclesiæ quę dicitur cœlum. ordinem virorum cœlestium. Hierem. 31. Ordinem lunæ, i. e. ecclesiæ: & stellarum, i. e. clericorum. in lumine noctis, id est mundi. Tertio venerabilis propter rationabilitatem: ibi, & pones rationem eius, i. e. rationabilem institutionem: & quo ad esse suum: & quo ad numerum. Iob. 28. Quis enarrabit cœlorum rationem. Eccles. 8. Intellexi: quia omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem: quia ratio potius cognoscitur per reuelationem quam per inuentionem. Quarto susceptibile propter administrationem: ibi. in terra, i. e. in homine qui factus est de terra: & reuersurus in terram secundum corpus. Eccles. 17. Omnes homines terra & cinis.

In ordinibus ante natale Domini, Sermo 1. de tertia lectione.

SVper montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. Esa. 40. Creata est anima imperfecta: perfectibilis tamen virtutibus & scientiis. Perfectio autem duplex est. Vna sufficientiæ quæ debet esse in omnibus. Alia excellentiæ quæ debet esse in ordines suscipientibus: sicut enim ascendunt officio & dignitate. Ita ascendere debent merito & sanctitate: secundum quod hic dicitur vnicuique talium, super montem excelsum, &c.

Vbi inuitat ad duo. Primo ad eminentiam sanctæ vitæ vt ædificet exemplo sanctitatis. Secundo ad doctrinam salutaris sapientiæ: vt ædificet verbo veritatis: ibi, tu qui euangelizas Sion. In prima implicat tria. Primo vitæ sanctitatem nomine montis: cum dicit, super montem. Psal. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, &c. & alibi, fundamenta eius in montibus sanctis. In vallibus enim sordes. Secundo ad sanctitatis eminentiam: ibi. excelsum. Eccl. 45. Excelsum fecit Aaron, &c. Tertio modum perueniendi ad illam: ibi, ascende, sc. de virtute in virtutem: q. d. non dormias: sed labora vt ascendas. Prou. 22. Ciuitatem fortium, i. e. collegium perfectorum ascendit sapiens. Can. 7. Ascendam in palmam & apprehendam, &c.

Circa

Circa secundum principale tangit duo. Primo prædicationis actum: ibi, qui euangelizat. Apoc. 14. Vidi alterum angelum volantem per medium cœli habentem euangelium æternum vt euangelizaret se super terram. Secundo fructum: ibi, Sion, i. e. ad vtilitatem existentium in Sion, i. e. in ecclesia. Esa. 46. Dabo in Sion salu. Hierem. 51. Enarremus in Sion opus Domini, &c.

Sermo 2. de Epistola.

Rogamus vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi & nostræ congregationis in ipsum: vt non cito moueamini à sensu vestro. 2. Thess. 2. Sicut in corpore membra sequuntur caput & eius sensibus diriguntur: sic in ecclesia inferiores habet sequi superiores: & eorum sensu dirigi qui ad aliorum regnum ordinatur. Vnde sicut firmitas sensuum in capite necessaria est non solum capiti, sed etiam membris: sic firmitas sensus puri intellectus necessaria est præcipue viris ad officia ecclesiastica ordinatis. Ideo Apostolus obsecrans omnes & specialiter tales ait, Rogamus vos, &c.

Vbi tangit tria. Primo obsecrantis humilitatē: ibi, rogamus vos fratres. Rogamus dicit cum præcipere posset. fratres vocat cum prælatus esset simile. 1. Corinth. 4. Rogo autem vos fratres imitatores mei estote: sicut & ego Christi. contra illos de quibus Ezech. 34. Cum austeritate imperabat eis & cum pœna: & dispersæ sunt o. Secunda obsecrandi formam: & primo memorando quod est terribile, scil. iudicium vniuersorum: ibi, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, scil. ad iudicium, i. e. si vultis securi venire ad iudicium de quo aduentu. Esa. 3. Dominus ad iudicium veniet, &c. 1. Corinth. 4. Veniet Dominus qui illuminabit ab. te, &c. Secundo memorando quod est sensibile, scil. consortium electorū: ibi, & nostræ congregationis in ipsum, i. e. si vultis esse in nostra congregatione gloriosa. de qua Psal. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Tertio obsecrationis materiam: ibi, vt non cito mo. à sensu vestro, i. e. à puro intellectu. 1. Corinth. 1. Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia. sed heu de senibus dicitur. Dan. 13. Euerterunt sensum suum, &c.

Sermo 3. de Euangelio.

Parate viam Domini rectas facite semitas Dei nostri. Luc. 3. Eorum quę faciunt ad salutem: quædam sunt ad hoc necessaria: quædam expedientia. Necessaria sunt mandata. expedientia sunt consilia. Prima signantur per viam quæ est latior. Alia per semitam quæ est strictior. In vtraque debet ducere vir ecclesiasticus: secundum quod suadetur hic, parate viam Domini.

Et primo ad implendum & docendum præcepta. Secundo ad superaddendum & suadendum consilia: ibi, rectas facite. In prima implicat duo quæ faciunt ad impletionem mandatorum. Primo operationem bonam: cum dicit, parate viam, i. e. virtutum & mandatorum. de qua Psal. viam mandatorum tuorum cucurri. Luc. 1. Præibis ante faciem Domini parare vias eius. sed heu: quia laqueum parauerunt pedibus meis. Secundo intentionem rectam: ibi, Domini, id est ad honorem Domini vel viam per quam venit Dominus ad vos & vos ad ipsum. Luc. 12. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur, &c.

Sequitur secundum principale in quo monet ecclesiasticos viros aggredi & suadere consilia vbi tangit. Primo aggredientium commodum quod est maior rectitudo: ibi, rectas. Ideo Psal. Dirige gressus meos in semitis tuis vt non moueantur vestigia mea. Secundo aggrediendi modum qui est perfectior operatio: ibi, facite, id est ostendite verbo & exemplo. Iac. 2. Sic loquimini. & sic facite. Tertio gressus præconium quod est securitas, formositas, & amaritudo: ibi, semitas. semita dicitur quasi semis, i. e. dimidium iter. Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, &c. Quarto Christi gradientis exemplum: ibi, Dei nostri vel gressus terminum: quia ducunt ad Deum. Esa. 2. Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob & docebit nos vias su. & am. in se. eius.

In ordinibus post cineres, Sermo 1. de prima lectione.

Dominum elegisti hodie vt sit tibi Deus & ambules in semitis eius, Deut. 26. In opere sapientis concurrunt tria. ratio dirigens & eligens bonum: voluntas adhærens & consentiens in electum. virtus obediens & operans propter illud assequēdum. Sic clerici in ordinibus Deum specialiter eligunt ex ratione. Domino adhærent ex voluntate. Domino obediunt ex virtute: secundum quod hic dicitur vnicuiq; talium. Dominum elegisti, &c.

Vbi tangitur secundum hoc primo electio commendabilis in aspectu: cum dicitur, Dominum elegisti hodie, scil. in susceptione ordinum. si bonum est eligendum. ergo summe summum bonum. Iosue vlt. Testes vos estis: quia ipsi vos elegeritis Dominum vt seruiatis ei. Secundo adhæsio specialis in affectu: cum subdiur, vt sit tibi Deus. Psal. Deus cordis mei: & pars mea Deus in æternum. Tertio operatio commendabilis in effectu, & ambules in semitis eius. Psal. Beati omnes qui timent Dominum qui ambulant, &c. Sit ergo tibi Deus: eius mandata implendo cum aliis: eius consilia superaddendo præ aliis: eius sacramenta ministrādo pro aliis: eius documenta prædicando aliis. 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dis.

Sermo 2. de Epistola.

Deus pacis sanctificet vos per omnia. 1. Thes. 5. Vnumquodq; appetit sibi simile. sobrius Dominus sobriam familiam. fatuus fatuam. quia ergo Deus sanctus est sanctam appetit familiam: quod attendens Apostolus ordinatos in famulatum Christi excitat ad sanctitatem: dicens, Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester anima & corpus sine querela in aduentum Domini nostri seruetur.

Vbi notantur tria, scil. sanctificantis benignitas: quia, Deus pacis. Sanctificationis integritas: ibi, sanctificet vos per omnia. Sanctificatorum vtilitas: ibi, vt integer spiritus, &c. Notatur ergo primo sanctificantis benignitas imitanda: cum dicitur,

dicitur, Deus pacis, scil. amator, actor, & prædicator. Sicut enim animalia ad sibi similia conuertuntur. sic Deus pacis ad eos qui habent pacem. 2. Corinth. 13. Pacem habete & Deus pacis erit vobiscum. Secundo sanctificationis integritas procuranda: cum subditur, sanctificet vos per omnia. Ipse efficiēdo nos ipsi disponendo. 2. Corinth. 7. Mūdemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini. Tertio sanctificatorum vtilitas appetenda: cum additur, vt integer spiritus, &c. Tria sunt in nobis. vnum quo intelligimus, scil. spiritus. aliud quo viuimus, sc. anima. Tertio quo contrectamur, scil. corpus Sanctificatio ergo exigit integritatem in his tribus. ne, scil. intellectus corrumpatur noxio errore. anima illicito amore. corpus inhonesta cōuersatione. Psal. Cor mundum crea in me Deus vt sit homo sine querela quo ad Deum, quo ad seipsum. quo ad proximum.

Sermo 3. de Euangelio.

Leuantes oculos suos neminem viderunt nisi solum Iesum. Matth. 17. Ordinati in cultum Dei & ministerium spirituale habent tria facere. Videlicet ad superna tendere. terrena contemnere. salutem suam & aliorum procurare: & sic inferiores reducere in suum supremum, scil. Iesum Christum.

Secundum hoc notantur hic tria. Primo exemplatio seniorum. ibi, leuantes oculos. Sic viator vel dux aliorum leuat oculos ad terminum viæ quem desiderat. vbi enim amor: ibi oculus. Psal. Ad te leuaui oculos meos, &c. Econtra voluptuosi oculos suos statuerunt declinare in terram. Secundo contemptus terrenorum: ibi, neminem viderunt. qui enim tendit superius relinquit quod est inferius. Psalm. Auerte oculos meos ne, &c. scil. per amorem & ambitionem. Hoc est contra ambitiosos & symoniacos qui magis intendūt decimas quā animas nummum quam Deum. Eccles. 1. Non satiatur oculus visu. Insatiabilis est enim oculus cupidi. Tertio procuratio salutis subditorum, ibi, nisi solum Iesum. Si bruta procurant salutem corporalem fœtibus suis: Quanto plus prælatus salutem spiritualem subditis orando, scil. prædicando & exemplum salutis dando. 1. Corinth. 2. Non iudicaui me aliquid scire inter vos nisi IesumChristum & hunc cru. Phil. 3. Saluatorem expectamus Dominum, &c.

In ordinibus post pentecostes, Sermo 1. de 4. lectione.

Ambulabo inter vos & ero vester Deus vosq; eritis populus meus. Leuit. 26. In sacra scriptura frequenter loquimur de Deo sicut de homine loqueremur. Vnde sicut homo elongat se ab inimicis. appropinquat reconciliatis. adest amicis. ambulat cum familia & famulis. sic Deus cum sit vbique. dicitur tamen longe esse à peccatoribus. Appropinquate pœnitentibus: adesse iustis: ambulare cum familiaribus & specialiter ad suum seruitium deputatis: secundum quod hic dicitur.

Vbi promittit Dominus seruis suis tria. Primo familiarem comitatum quod fit per charitatem: ibi, ambulabo inter vos: sicut gallina inter pullos vt custodiat: sic magister inter discipulos vt doceat. Matth. 14. Quarta vigilia noctis venit ad eos Iesus ambolans super mare, &c. Mal. 2. In pace & æquitate ambulauit. Secundo speciale dominium quod fit per fidem: ibi, & ero vester Deus: Deus omnium est per creationem: sed iustorum per fidem. Deut. 6. Audi Israel Dominus Deus tuus: Deus vnus est. Deut. 23. Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum vt eruat te & tradat tibi inimicos t. Tertio deuotum seruitium: quod fit per obedientiam: ibi, vosque eritis populus meus. vt, scil. mea præcepta impleatis & prædicetis. mea sacramenta tractetis & dispensetis. Deut. 4. En populus sapiens & intelligens gens magna. nec est alia natio tam grandis. Psalm. Populus eius & oues pascuæ eius introite, &c.

Sermo 2. de epistola.

Posui te in lucem gentibus vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Actor. 13. Sicut in opere naturæ: & in opere artis. sic in opere moris quatuor concurrunt. In opere naturæ patet vt in illuminatione mundi concurrunt illuminans, scil. sol. illuminabile, sc. aer ipsum lumen. scil. solaris radius. Vtilitas, scil. visus humanus. Similiter in opere artis vt in picturatione parietis concurrunt pictor, color, paries, & pulchritudo.

Sic in opere moris vt illuminatione spirituali quæ fit à Deo dante gratiam & auctoritatem: vel à prælato dante exemplum & doctrinam concurrunt quatuor quæ hic tanguntur in laudem viri ecclesiastici. Primo illuminans & hic duplex, scil. primus & principalis Deus: ibi, posui. Secūdarius & ministerialis clericus in Dei ministerium ordinatus: ibi, te. Hierem. 15. Posui vos vt eatis & fructum afferatis. Secundo ipsum lumen: ibi, in lucem, scil. vt luceat verbo & exemplo. Matth. 5. Vos estis lux mundi. sic luceat, &c. Tertio illuminabile: ibi, gentibus non ficanimalia alis. Esa. 9. Populus gentium qui ambulabat in tenebris vidit, &c. Quarto sequens vtilitas: ibi, vt sis in salutem vsque, &c. 1. Tim. 4. Attende tibi & doctrinæ & sta in illis. hoc enim faciens te ipsum saluum facies & eos qui te audiunt.

Sermo 2. de Euangelio.

Oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum, Luc. 4. Quædam opera facit Deus per se tantum & non per alium. vt est creatio animarum. quædam facit per alium & non per se tantum: vt est generatio animalium. quædam facit & per se & per alium: vt est instructio hominum. Instruxit enim nos vt per se & per ministros suos. Vnde in his operibus quæ conueniunt Christo debent conuenire christiano ad Christi ministerium specialiter ordinato vt cum Christo possit dicere verbum propositum, oportet me euangelizare, &c.

Vbi notantur tria. Primo specialis obligatio: cum dicit, oportet me. Sicut seruum conductum oportet laborare. Act. 23. Oportet Romæ testificari. Actor. 5. Oportet Deo obedire magis quam hominibus. Secūdo vtilis prædicatio: ibi, euangeliza-

gelizare regnum Dei. Sicut homo clamat bonum vinum vt ematur. Act. 8. Crediderunt Philippo euangelizanti de regno Dei, & Actor. 19. Dicitur de Paulo, disputans & suadens de regno Dei. Tertio prædicationis ratio ibi, quia ideo missus sum. Sic præco à præside legatus à summo pontifice. Esa. 61. Ad annunciandum mansuetis misit me.

In ordinibus post exaltationem sanctæ Crucis, Sermo 1. de 4. lectione.

Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Zach. 8. Minister ecclesiæ potest in tribus deficere, scil. non loquendo quod debet: loquendo quod non decet: operando quod non licet. In primo arguitur negligentia. In secondo doctrina. In tertio vita. Primi ergo peccant: quia non loquuntur prædicando, orando. Isti sunt sicut idola de quibus. Psal. Os habent & non loquentur. Esa. 56. Canes muti non valentes latrare. Exemplum de pastore qui anhelitu lupi impeditur à clamore. Secundi peccant: quia loquuntur mentiendo falsitatem intermiscendo. Esa. 59. Concepimus & locuti sumus de corde verba mendacii. Tertii peccãt: quia excedunt superbe viuendo. Amos. 6. Ingredientes pompatice domum Israel, &c.

Contra hæc tria. suadet ministris ecclesiæ tria. Primo veritatem doctrinæ. Secundo humilitatem vitæ: ibi, vnusquisq; cum proximo suo: non dicit cum famulo. 1. Pet. 5. Pascite qui in vobis est. & post: non vt dominantes in clero sed forma facti gregis. Eccles. 19. Corripe proximum tuum ne forte non dixerit. hoc est contra clericos qui vocant fratres vel subditos suos rusticos. In prima primo suadet doctrinam: ibi, loquimini. Actor. 18. Dixit Dominus Paulo: noli timere sed loquere & ne taceas. præco enim tenetur loqui. Secundo docet doctrinæ materiam: ibi, veritatem. exemplo Pauli. Act. 26. Non insanio optime Feste sed verba veritatis & sobrietatis ego loquor. Mal. 2. Lex veritatis fuit in ore eius, &c. Ergo, loquimini. quod dicitur contra negligentes. Veritatem quod dicitur contra errantes, vnusquisq; cum proximo suo: quod dicitur contra superbientes: sed heu: quia dicit Psal. Diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, &c.

Sermo 2. de Epistola.

In arca vrna aurea habens manna & virga Aaron quæ fronduerat: & tabulæ testamenti. Hebræor. 9. a. Pastor animas habet ad bonum attrahere, A malo retrahere, In vero instruere: vt sic potentiæ animæ coniunctæ actibus debitis sint perfectæ. concupiscibilis dilectione boni. irascibilis detestatione mali. rationabilis cognitione veri.

Secundum hoc exiguntur in pastore animarum tria, sc. mansuetudo vitæ cuius exemplo ad bonum attrahat. sollicitudo curæ cuius zelo à malo retrahat. rectitudo doctrinæ cuius verbo in vero instruat. & hæc tria implicantur in verbo proposito. Nam per arcam significatur Prælatus in quo debet esse primo mansuetudo siue sanctitudo vitæ, quæ notatur, in manna: quod erat candidum & dulce. Ergo vrna aurea sapientis anima habens manna, id est dulcedinem & munditiem vitæ. Psalm. Et pluit illis manna ad mandendum, &c. sed sicut dicitur Ios. 5. Defecit manna postquam comederunt de frugibus terræ, i. e. de delectabilibus terrenis. Secundo sollicitudo curæ quæ notatur in virga: cum dicitur, virga Aaron quæ fron. virga frondens est sollicitudo corrigens. Sicut enim virga excutit pulueres & punit delinquentes. sic correctio excutit & punit peccata. Prouerb. 22. Stultitia colligata est in corde pueri & virga disciplinæ fugabit illam. Hierem. 1. Virgam vigilantem ego video. Esa. 11. Egredietur virga, scil. correctionis de radice Iesse, i. e. de incendio charitatis. Tertio rectitudo doctrinæ: quæ notatur in tabulis testamenti de quibus. Exod. 22. Peruersum est ponere hominem cæcum & mutum in ducem aliorum. dux ergo spiritualis debet habere sapientiam in corde ne sit cæcus & in ore ne sit mutus. Prouerb. 7. Scribe illa in tabulis cordis tui. Abacuc. 2. Scribe visum & explana eum super tabulas.

De eodem, Sermo 3.

Domine dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam & mittam stercora: & siquidem fecerit fructum sin autem in futurũ succides eam. Luc. 13. Sicut hortulanus habet plantã defendere. circa eam fodere. ab ea fructum expectare. Sic sacerdotis officium est subditos defendere orando. fodere prædicãdo. expectare fructum properando. Sacerdos ergo habet orare Deum. docere proximum. Spectare fructum.

Secundum hoc tanguntur hic tria de bono hortulano, i. e. viro ecclesiastico Primo humilis oratio respectu Dei cum dicitur, Domine dimitte, &c. Secundo vtilis instructio respectu proximi: ibi, vsque dum fodiam. Tertio patiens expectatio respectu præmii: ibi, & siquidem fecerit fructum.

Circa primum notantur quatuor quæ reddunt orationem efficacem. Ille quippe qui orat debet attendere quod ille à quo petit sit potens. illud quod petit sit expediens. ille pro quo petit sit indigens. tempus in quo petit sit conueniens. Secundum hoc tangitur hic Primo potestas illius à quo petit: cum dicit, Domine. Petere ab egeno beneficium: à fatuo consilium: ab infirmo auxilium: fatuum est. ideo leprosus ait. Matth. 8. Domine si vis potes me mundare. Secundo vtilitas rei quam petit: ibi, dimitte, scil. arborem, i. e. animam ad pœnitentiam expectando: pœnitenti remittendo: sicut agricola expectat vineam si fructificet. pius Dominus seruum debitorem vt soluat quando potest. Iob. 10. Dimitte ergo me vt plagam paululum dolorem meum, &c. Tertio necessitas eius pro quo petit. liquor enim non debet poni in vase pleno: sed in vacuo: quod notatur ibi, illam, scil. arborem, i. e. animam infructuosam. Prouerb. 25. Si esurierit inimicus tuus ciba illum. Matth. 15. Dimitte illam: quia clamat post nos. Quarto opportunitas temporis in quo petit: ibi, & hoc anno, i. e. in præsenti vita. fatuum enim est petere medicinam post mortem: & dicit, anno singulariter propter breuitatem annorum nostrorum. Iob. 16. Ecce breues anni transeunt & semitam per quam

non

non reuertat ambolo. Psalm. Benedices coronæ anni be.

Sequitur secundum priocipale scilicet vtilis instructio proximi quæ nutatur in impinguatio-oe & in fossinne arboris. Promittit ergo prædicare primo de timnre pœoe, & temporalis, & æternæ: cum dicit, donec fodiam. fossa eoim in imo est. Vode fodere est timore mortis siue pœnæ ad fructum pœnitentiæ proooeare. Luc. 6. dicitur Omnis qui venit ad me & audit sermooes meos & facit eos: ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domom qoi fodit in altum, &c. nno sicut ille qui ait. Luc. 16. Fodere non valeo: men. Secundo de abnminatiooe culpæ: ibi, & mittam stercora, i. e. peccata carnis abominabilia ad memoriam reducam vt pœniteat. Vnde de muliere fornicaria dicitur Eccl. 9. Quasi stercus in via coocnlcabitur: sed heu: qoia dicitur. Ioel. 1. Compotruerunt iumeota in stercore suo, &c.

Sequitur tertium principale scilicet patieos expectatio præmii & primo respectu boonrum: cum dicit, & siqoidem fecerit fructum: supple non succidatur sed custodiatur. Luc. 3. Facite dignos fructus pœnitentiæ. Psalm. Et erit tanquam lignum quod plan. Secũdo respectu malorum: ibi, sin autem in futuro succidet. Ioh. 15. Omnem palmitem io me ooo ferentem fructum tollet eum.

Et sic est finis omnium sermonum de tempore: & per consequens totius primæ partis.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Sermo primus.

IN baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior. Gen. 32. Sicut dicitur Sap. 2. b. Vmbræ transitus est tempus nostrum. Hoc tempore transeunt sancti martyres: Alii per submersionem in aquis: sicut beatus Clemens. Esa. 43. Cum transieris per aquas tecum ero: & flumina non operient te. Alii per combustionem ignis: sicut beatus Laurentius. Psal. Transiuimus per ignem, &c. Alii per passionem crucis: sicut Christus. Ioh. 13. a. Sciens Iesus, &c. Similiter beatus Andreas secundum quod dicitur in verbis propositis.

In quibus ad commendationem beati Andreæ tanguntur duo videlicet meritum præsentis peregrinationis, In baculo, &c. Præmium futuræ mansionis, & nunc cum duabus, &c. In primo implicatur paupertas præsentis vitæ. In secundo abundantia futuræ.

Circa primum notantur tria: mortis qualitas: quia grauis, in baculo, scil. crucis. Vitæ quantitas: quia breuis, transiui. Mundi mutabilitas: quia labilis, Iordanem istum.

Circa secundum notantur quatuor, scil. ipsa remuneratio: ibi, regredior. Remunerationis longitudo, nunc. Æternitatis magnitudo, turmis. Multitudo, duabus. scil. stolis animæ & corporis.

De eodem, Sermo 2.

ERat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Num. 12. a. In scholis Domini versatur studiũ præcipue circa mititatem. nam Christus mititatem docet. Matth. 11. Discite. Mites habet discipulos. Psal. Diriget mansuetos in iudicio, &c. Mitibus gloriam præbet. Matth. 5. Beati mites quoniam possidebũt terram. In his scholis studuit beatus Andreas & profecit. Nam & mitissimus fuit sicut sub figura Moysi dicitur in verbis propositis.

In quibus commendatur ex duobus, scil. ex comparatione: quia dicitur, Moyses. Ex comparationis ratione: quia, vir mitissimus, &c. Vbi tangitur triplex operationis ratio, scil. discretio in agendis, vir. Mansuetudo in sustinendis, mitissimus. Excellentia mansuetudinis, super omnes homines, &c. Mitis: quia crucem sustinuit patienter Mitior, quia gaudenter. Mitissimus, quia desideranter: sicut patet in legenda.

De eodem, Sermo 3.

SVspendium elegit anima mea: & mortem ossa mea. Iob. 7. c. Consideratio est in topicis quod eligit vir bonus & sapiens: illud est magis eligendum. ideo beatus Andreas doctus in eligendis: cum Christo bono & sapienti elegit humilitatem vitæ ante mortem. Psal. Elegi abiectus esse in domo. Exaltationem gloriæ post mortem. Esa. 48. Forte lignum elegit sa. Suspendium crucis in morte: sicut dicitur in verbis propositis.

In quibus notantur duo: mortis electio in corde, suspendium, &c. Electę illatio in carne. & mortem, &c. Circa primum notantur duo, scil. genus martyrii, suspendium. Voluntas patiendi: quæ exprimitur in duobus. In ratione eligente, elegit, & voluntate appetente, anima mea. Ecce ergo quod sensualitas naturaliter refugit, suspendium. Ratio prudenter eligit, elegit. Voluntas gaudenter appetit, anima mea. Caro humiliter sustinet, & mortem ossa mea.

De eodem, Sermo 4.

VEstigia eius secutus est pes meus. Iob. 23. c. Sicut dicitur Eccles. 23. Magna est gloria sequi Dominum. Idea beatus Andreas secutus est Christum: non solum per viam mandatorum, de quo Ioh. 10. Qui mihi ministrat. Psal. Viam mandatorum. non solum per semitam consiliorum de qua Matth. 19. Ecce nos reliquimus. sed per crucis vestigium de quo. 1. Petr. 3. Christus passus est pro nobis, &c. Ideo bene de eo dicitur, vestigia, &c.

Vbi notantur quatuor, scil. imitationis expressio: ibi, vestigia. Imitati specificatio, eius. Imitandi sollicitudo, secutus est. Imitantis affectio, pes meus. In primo ostenditur intentio esse expressa. in secundo recta. in tertio ordinata. in quarto deuota.

De eodem, Sermo 5.

AScendam in palmam: & apprehendam fructum eius. Cant. 4. Quidam ascendunt ad alta superbiæ exemplo luciferi. Esa. 14. Ascendam super. Quidam ad cumulum auaritiæ exemplo diuitis damnati. Amos 11. Si ascenderint. Quidam ad elationem mundanæ gloriæ: vt hypocritæ. Iob. 20. Si ascenderit. Sed omnes istos oportet descendere. Alii in arborem palmæ, i. e. crucis exemplo Christi sicut Andreas. In cuius persona dicitur, ascendam, &c.

Vbi tanguntur tria: Patiendi modus, ascendam. Passionis genus, in palmam. Patientis fructus, & apprehendam fructus eius. In primo implicatur desiderium patientis, ascendam. non leuabor violenter. In secundo acerbitas

passionis:

passionis:ibi,In palmam. In tertio vtilitas siue finis, & apprehendam fructum eius.

De eodem, Sermo 6.

EXpandi manus meas tota die ad populum incredulum. Esa. 65. Tria faciunt martyrem. pœna, perseuerantia, & causa. Pœna voluntaria, expandi manus. Finalis perseuerantia, tota die. Causa debita, ad populum incredulum, scil. vt ad fidem conuertatur.

Omnia ædificant: quia pœna voluntaria est in exemplum patientiæ. Perseuerantia in exemplum constantiæ. Causa debita in exemplum intentionis rectæ.

Sermo 7, de eodem.

ECce ego mittam piscatores multos dicit Dominus & piscabuntur eos. Hierem. 16. Tria exiguntur ad operari ex parte agentis secundum Prophetam, scil. scire, posse, & velle. Scientia illuminat intellectum artificem regulando. Voluntas inclinat affectum ad opus applicando. Potentia perducit ad effectum opus exequendo.

Hæc tria ad opus prædicationis necessaria tanguntur in his verbis. Primo potestas in auctoritate, ecce ego mittam. Scientia in arte, piscatores multos. Voluntas in opere, & piscabuntur eos. Circa primum notantur tria: mittendi propinquitas, ecce. Mittentia sublimitas, ego: Missorum auctoritas, mittam. Circa secundum notantur duo: missorum conditio, piscatores. Piscatorum multitudo, multos. & apponitur missionis certitudo, dicit Dominus. Circa tertium notantur duo. officium, piscabuntur. lucrum, eos, scil. homines.

De eodem, Sermo 8.

ILle gloriosam mortem magis quam odibilem vitam amplectens voluntarie ibat ad supplicium. 2. Maccab. 6. c. Secundum Prophetam & veritatem. melius est bene mori quam viuere male. Ideo beatus Andreas hoc elegit: secundum quod dicitur in his verbis.

In quibus fiunt quatuor. Primo commendatur quod eligendum est, gloriosam mortem. Secundo reprobatur quod est fugiendum, odibilem vitam. Tertio eligitur quod est commendatum, magis amplectens. Quarto relinquitur quod est reprobatum, voluntarie ibat ad supplicium.

Vbi tria tanguntur: voluntas, magnanimitas, & acerbitas. Voluntas patiendi, voluntarie. Magnanimitas patientis, ibat. Acerbitas passionis, ad supplicium.

De eodem, Sermo 9.

VEnite post me faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4. d. Secundum Prophetam anima creata est imperfecta: perfectibilis scientiis & virtutibus. Scientiæ perficiunt intellectum: virtutes affectum. Istam duplicem perfectionem dat Deus suis prædicatoribus: secundum quod tangitur in verbis propositis.

In quibus duo facit Dominus. Primo inuitat ad perfectionem vitæ, venite post me. Secundo promittit perfectionem scientiæ, faciam vos fieri, &c. In primo implicat tria: videlicet exhortationem, venite. ordinem, post. intentionem, me. Ecce amabilis exhortatio, debitus ordo, recta intentio. Circa promissionem implicat tria: gratiam operatricem, faciam. liberi arbitrii operationem, fieri. officii dignitatem, piscatores hominum.

De eodem, Sermo 10.

COrde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem. Rom. 10. Duobus indiget homo: pura conscientia propter seipsum, bona fama propter proximum. Primum habetur per fidem formatam. Act. 15. Fide purificans cor. Secundum per sanam doctrinam. Luc. 4. b. Fama exiit per vni. Sequitur autem secundum ex primo: quia ex fide recta oritur sana doctrina. Vnde Psal. Credidi propter quod locutus sum.

Ab his commendatur beatus Andreas in verbis propositis. Vbi circa veritatem fidei Primo notatur consensus interior in corde. Secundo confessio exterior in ore: ibi, ore autem fit. Circa primum notantur tria motus liberi arbitrii, corde. actus fidei, creditur. virtus credendi, ad iustitiam, i. e. iustificationem. Circa secundũ tria: instrumentum, documentum, & commodum. Instrumentum notatur in, ore. documentum in, confessione. commodum in, salute.

Epistola Rom. 10. Corde creditur. finis verba eorum. Euang. Matth. 4. Ambulans Iesus. finis. secuti sunt eum.

De beato Nicolao, Sermo primus.

CErte videtis quem elegit Dominus: quoniam non est illi similis in omni populo, 1. Reg. 10. g. Hominem dignum prælatione faciunt tria, scil. vocatio diuina: quia nemo sibi assumit honorem: sed qui vocatur à Deo, &c. Heb. 5. Gratiarum excellentia. 1. Tim. 3. Oportet episcopum irreprehensibilem, &c. Commendabilis fama. ibid. Oportet autem & illum testimonium habere bonum, &c. Primũ propter Deum; Secundum propter se. Tertium propter proximum.

Hæc tria ad commendationem beati Nicolai tanguntur in verbis propositis. Fuit enim specialiter à Deo vocatus: quod notatur ibi, quem elegit Dominus. Excellenter gratiosus: quod notatur ibi, quoniam non est ei. Mirabiliter famosus: quod notatur ibi, certe videtis. Ecce ergo admirabilis electio, vita imitabilis, fama commendabilis. Felix electio vbi talis eligens, Dominus. talis electus, quem, scil. Nicolaum cui non est similis inuentus. talis eligendi modus, sc. elegit. voce de cœlo lapsa. Sed commendabilis fama in assertione plebis, certe. & in euidentia sanctitatis, videtis.

De eodem, Sermo 2.

PEtra fundebat mihi riuos olei. Iob. 29. Sospitati dedit ægros olei perfusio. Ex eius namq; tumba marmorea sacrum desudat oleum, &c. secundum quod dicitur in verbis propositis.

In quibus assurgit admiratio triplicitatione

circa huiusmodi effusionem: rationem originis, liquoris, & finis. Origo admirabilis: quia supra naturam, petra. quia vltra mensuram, fundebat. finis mirabilis: quia, mihi Nicolao. id est ad honorem mei. mihi in fitmo ad curationem morbi. mihi Christo ad dilatationem fidei. liquor mirabilis & ratione quiditatis, olei. & ratione quantitatis, riuos. Specialiter commendatur beatus Nicolaus à duobus. à defensione iustitiæ: vt patet in liberatione trium puerorum morti adiudicatorum. Ab operibus misericordiæ vt patet in reuocatione virginum peccato exponendarum. Primum notatur in, Petra. Secundum in, oleo.

Circa secundum notantur quatuor quæ commendant eius misericordiam, scilicet largitas in dante, fundebat. Vtilitas in recipiente, mihi. quantitas in munere, riuos. Preciositas in quantitate, olei. vt ei dicatur illud Prouerb. 21. Thesaurus desiderabilis & oleum in tabernaculo iusti: & imprudens homo dissipabit illud. Iusti, ecce defensio iustitiæ. Oleum, ecce compassio misericordiæ. thesaurus desiderabilis, ecce largitas in dante. preciositas in munere. & etiam vtilitas in recipiente.

De eodem, Sermo 3.

TV dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas. Psal. 88. Quis est hic quia mare & venti obediunt ei? Hic est Nicolaus cui diriguntur verba proposita.

In quibus tanguntur duo. Primo admirabilis eius potestas, tu dominaris, &c. Secundo potestatis eius vtilitas, motum autem, &c. Potestas autem commendatur à tribus: à demonstratione singulari, tu. à dominio mirabili, dominaris. à specificatione dominii, potestati maris.

Circa secundum notantur duo: tempestas periculosa, tranquillitas miraculosa. Primum in, fluctuatione. Secundum in, mitigatione. Ecce ergo tria: scientia, virtus, & operatio. Scientia commendabilis, tu. Virtus admirabilis, dominatis. Operatio vtilis, mitigas. Mare, mundus subiiciendus per contemptum, mitigandus, per amorem mutuum.

De eodem, Sermo 4.

DElectabitur infans ab vbere. Esa. 11. Tria solent facere abstinentiam difficilem: pœnalitas abstinentiæ, ætas infantiæ, delectabilitas escę. Felix ergo abstinentia vbi nec pœnalitas abstinentiæ afficit: vbi nec ætas infantiæ deficit: vbi nec delectabilitas mammæ allicit. Commendabilis ergo abstinentia & ratione hilaritatis, delectabitur: & ratione ætatis, infans: & ratione delectabilitatis, ab vbere.

Mirabile ieiunium vbi hilaritas in pœnalitatē abstinentiæ: & abstinentia in ætate infantiæ: & infantia abstineus ab vbere. Vnde competit beato Nicolao illud. Ieiuno bis in sabbato. Vbi tangitur persona ieiunantis, ieiuno. & discretio temporis, bis in sabbatho, sc. 4. & 6. feria.

De eodem, Sermo 5.

ECce puer meus electus quem elegi: dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ: ponam super eum spiritum meum. Matth. 12. c. Licet secundum Prophetam nemo eligat iuuenes duces: eo quod non constet eos esse sapientes: tamen Deus cui constat de sapientia singulorum qui iuuenibus dare potest senectutis honorem iuuenem istum, scilicet beatum Nicolaum elegit in episcopum. De quo tanguntur tria in verbis propositis, scilic. quæ leguntur de ipso. Fuit enim in pueritia admirabilis sanctitatis: in iuuentute commendabilis dignitatis: in senectute venerabilis potestatis. Vere felix electus qui & sanctus est vitæ puritate: vnde dicitur, ecce puer meus. & dignus pastorali regimine, electus quem elegi. & potens in miraculorum operatione, & ponam super eum spiritum meum.

Circa primum ad commendationem sanctitatis eius notantur tria: nouitas admiranda: cum dicitur, ecce. certe quod puer carnem subiiciat: deuotione feruear: discretione polleat: insolitum est & mirandum. Propter ista tria potuit dicere beatus Nicolaus de se. Sap. 8. Puer etam ingeniosus quantum ad discretionem: & fortitus sum animam bonam quantum ad deuotionem. & cum essem magis bonus veni quantum ad carnis subiectionem. Propterea imitāda, puer. singularitas appetenda, meus.

Circa secundum notantur tria: electio, dilectio, quietatio. Valde enim dignus est quē Deus eligit, quem elegi. quem Deus diligit, dilectus meus. in quo Deus quiescit, in quo bene complacuit. &c.

Circa tertium notantur tria: virtutis collatio, ponam. Collatę susceptio, super eum. Dantis vel dati specificatio, spiritum meum. Vel in primo tangitur cooferens, ponam. Secundo recipiens, super eum. Tertio munus procedens, spiritum meum.

De eodem, Sermo 6.

BOnum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. Thren. 3. Mirificauit Dominus sanctum suum vt antequam sciret ambulare portaret iugum abstinentiæ.

Quatuor autem sunt quæ prouocant hominem ad portandum: cōsideratio mercedis, confidentia proprię virtutis, facilitas oneris, exercitium operis. De his quatuor Genes. penult. Isacar vir mercedis: in quo exercitium asinus fortis, &c. Hæc quatuor referūtur ad quatuor causas quæ concurrunt in quolibet opere. Merces laboris respicit finem. Virtus agentis efficiētem. Facilitas oneris materiam. Exercitium operis formam. Ista quatuor tanguntur in verbis propositis. Finis: ibi, bonum. efficiens: ibi, viro. materia: ibi iugum. forma: ibi, ab adolescentia sua.

De eodem, Sermo 7.

VEni & sede in medio nostri & indica nobis quia tibi dedit Dominus honorem senectutis. Dan. 13. Audiuit vocem de cœlo dicentem dignum episcopatu Nicolaum. episcopus ille à quo pendebat negotium electionis pastoris ecclesiæ: cui beatus præfuit Nicolaus. Ideo agnoscens Nicolaum dixit ei verba proposita.

Vbi

Vbi tanguntur duo. scil. optanda nostri Danielis prælatio, optandæ prælationis ratio ibi, qoia tibi dedit &c. Circa primum notantur tria: renitentis vocatio, veni. ad vocationem sequens prælatio, & sede. in quo reuerenda maturitas coortra lenitatis præcipitatiouem, in medio in quo commendanda communitas contra personarum acceptiooem, nostri. in quo gregis Dominici vnitas contra infidelitatem, ad prælationem seqoens eruditio, & indica nobis. non enim fuit imperatiui sed indicatiui modi. Circa secundum tanguntur tria quæ faciuot personam dignam prælatione: sapientia quæ notatur in, senectute. fama in, honore inspiratio diuina in, Domino dante.

Sermo 8. De Eodem.

IVstus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Deum qui fecit illum: & in conspectu altissimi deprecabitur. Ecclef. 39.

Hic commendatur beatus Nicolaus à tribus: à merito, studio, & præmio. A merito vitæ: quia, iustus. A studio doctrinæ: qnia, cor suum tradet. A præmio gloriæ, & in coospectu altissimi. Studium autem commendatur à quatuor: Ab amore: ibi, cor suum tra. A sollicitodine, ad vigilaudum. Ab acceleratiooe, diluculo. ab intentione, ad Deum qui fe. Præmium describitur à tribus. scil. à beatitudine, in conspectu. A beatificante: ibi, altissimi. A beatificato, deprecabitur. scil. pro nobis.

De Eodem. Sermo 9.

ADiunit pauperem de inopia & posuit sicut oues familias. Psalm. 106. Naturam humani generis infestat duplex iocommodum. Inopia ex parte corporis. Malitia ex parte mentis.

Contra quæ duo tanguntur hic duo exhibita à beato Nicolao. scilicet pauperis senis releuatio quia, adiouit &c. filiarum eius à culpa reuocatio: quia, posuit &c. Circa primum tangit tria: misericordiæ actum: ibi, adiuuit. Obiectum, paoperem. Nocinum, de inopia. Ioopia igitur mouebat Paoper egebat. Nicolaus iuuabat. Circa secundum tria notantur. de filiabus dispositio, posuit. virginitatis conseruatio, sicut oues. virgioum conditio, familias.

De Eodem, Sermo 10.

VIr fidelis multum laudabitur. Prouer. 28. In quatuor generibus hominom solet laudari fidelitas. sc. io amicis quando sibi inuicem consentiunt & subueniunt. Eccles. 6. amicus fidelis fortis &c. In seruis quando bona Domini multiplicant & oihil sobtrabunt. Eccl. 23. Seruus fidelis sit tibi. q. anima tua. Matth. 25. Serue bone & fidelis. In magistris quando cum diligentia veritatem instruunt. Eccl. 15. Sapientia in ore fideli abundabit. Prou. 13. legatus fidelis &c. In pugilibus quando sine fictioue vincere sataguot. Apoc. 2. esto fidelis.

Beatus. N. sic fidelis fuit. laudes ergo Nicolao coucinat hæc concio. Ad cuius laudem duo proponuntur hic scil. bonum meriti: ibi, vir fidelis. donum præmii: ibi, multū laudabitur. meritum in virtute. præmium in laude consistit. Meritum notatur in duobus: in vigore operis ibi, vir. In fidelitate intentionis: ibi fidelis. Sine fidelitate virilitas est fraudulenta: sine virilitate fidelitas est ficta. Præmium notatur in duobus. In laude sanctitatis: quia, laudabitur. In magnitudine laudis: quia, multum lau.

Epistola Eccles. 44. Ecce sacerdos sinu. odorem suauitatis. Euangel. Matth. 24. homo quidam peregrè. fini. gaudium Domini tui.

In Festo Beatæ Luciæ, Sermo primus.

VIdit Deus locem quod esset boua: & diuisit eam à tenebris. Gen. 1. Tribus modis solet res aliqoa commeodari: videlicet comparatione, approbatiooe, diuisione: Sic commeodat sponsus spoosam. Cant. 5. Comparatione rei nobilis. sicut turris Dauid collum tuum. Approbatione pulchritudinis, tota pulchra es. Amotiune turpitudinis. & macula non est in te.

Secundum hunc modum beata Lucia in verbis propositis commendatur tripliciter. Ex comparatione lucis: ibi, lucem. Ex approbatione booitatis: ibi, vidit Deus quod esset bona. Ex diuisione à tenebris: ibi, & diuisit &c. Magnificatur autem eius approbatio tripliciter. scil. ratiooe eius qui approbat: quia, Deus. Corint. 10. non enim qui seipsum commen. &c. Ratioue certitudinis qoa approbat: quia, vidit. Iohan. 3. Ameo amen dico vobis. Ratione rei de qua approbat: quia, vidit quod esset boua. Commendatur autē diuisio ratione eius qoi diuidit: quia, Deus diuisit. Ratioue eius quam diuidit: quia, lucem. Ratiooe eius à quo diuidit: quia, à renebris.

Sermo 2. De Eadem.

DOmine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Psalm. 29. Ingratitudinis vicium io duobus consistit. Io vilipendendo beneficium, in paruipendendo beueficium. Ideo gratiosa virgo nou ingrata Domino duo facit coutra prædicta duo. Magnificat beneficium, Domine &c. Appretiat beneficium, præstitisti deco. &c.

Tria autem commeodant hominem beneficum. Potestas. scil. vt possit dare. Libertas vt velit dare. Velocitas vt non differat dare. Secundum hæc commendat Locia Dominum à tribus. A generali potestate, Domine. A beniuola libertate, in voluntate tua. A promptissima velocitate, præstitisti. Non enim dicit præstas vel præstabis. Beneficium autem appretiabile reddunt tria hic iuncta simul. speciositas, fragilitas, stabilitas. Fragilitas naturæ, meo, Stabilitas gratiæ. virtutem. Speciositas vtriusque, decori. Omnia admiranda. virtus stabilitatis io muliere. virtus virginitatis in decore virtus fortitudinis in vtroque. & specialiter dedit ei Dominus virtutem immobilitatis contra lenones voleutes eam trahere ad lupanar. tanto namque pondere fixit eam Spiritus sanctus vt penitus &c.

Sermo 3. De Eadem.

DEdit mihi Dominus petitionem meā quam postulaui eum. Tria petiit beata Lucia à Domino. scil. curatiouem sanguifluæ matris, immobilita-

bilitatem corporis, inducias passionis. & obtinuit secundum quod dicitur in bis verbis.

In quibus notantur duo. videlicet rei petitę adeptio, dedit &c. Debita petitionis formatio, quam postula. Circa primum tria recolit lucia. Dei potentiam quæ dare potuit, Dominus. clementiā quæ gratis dedit, dedit. sapientiam quæ cui daret nouit, mihi, pie. scilicet petenti. Circa secundum tangit tria. scilicet petitionis materiam, quam. petendi formam, postulaui. personam petitam, eum. scil. Dominum.

Sermo 4. De Eadem.

COlumnæ aureæ super bases argenteas: & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Ecclesi. 26. Tria sunt quæ creaturam perficiunt in hac vita. bona vita, sana doctrina, & perseuerantia in vtroque. Primum perficit affectum. secundum intellectum. tertium perducit ad effectum. Ab his tribus commendatur beata Lucia hic sub quadam similitudine.

Vbi primo ponitur similitudo. Secundo similitudinis adaptatio: ibi, & pedes fir. Circa primum tanguntur tria. scil. preciositas vitæ in auro: ibi, aureæ. Confessio fidei Catholicæ in argento: ibi, argenteas. Constantia in vtroque, columnæ & merito. Columna enim excedit quamlibet suam dimensionem in longitudine. aurum quodlibet metallum in preciositate. argentum quodlibet aliud in nitore & sonorositate. Columna stabilitatem sonat. O quam stabile vbi forma columnarum: materia aurum: fundamentum argentum. Circa secundum implicantur tria. nam adaptantur columnæ aureæ firmis pedibus. bases argenteæ plantis stabilibus. & supponitur firmitas vtrobique. hæc est de qua dicitur Cant. 5. Crura eius columnæ marmoreæ quæ fundatæ sunt super bases aureas.

Sermo 5. De Eadem.

CVm ambulaueris in igne non combureris: & flamma non ardebit in te. Esa. 43. Mirabilis creatoris sapientia in suorum tentatione. mirabilis clementia in tentatorum liberatione. Sed mirabilis potentia in omni obeditione. prædicit igitur beatæ Luciæ diuina sapiētia tentationem, cū ambulaueris. promittit diuina clementia liberationem tentationis, non combureris. Subiungit diuina potentia liberationis rationē: quæ est obedientia creaturæ, & flamma non ar. in te. Et quod hæc sint à Deo subditur in dicto thema te, quia ego sum Dominus Deus tuus in quo potentia res immutandi, sanctus Israel. in quo scietia tentandi, saluator tuus. in quo clementia liberandi.

Sermo 6. De Eadem.

POsuit animam meam ad vitam & non dedit in commotionem pedes meos. Psalm. 65. In verbis propositis recolit beata Lucia duo beneficia sibi exhibita à Deo. Vnum quo ad animam. scil. ordinatio ad gloriam, posuit &c. Aliud quoad corpus. scil. corporis immobilitatem, & non dedit &c. Circa primum notantur tria. beatificans, posuit. beatificatum, animam beatitudo, vitam. Circa secundum similiter tria. stabiliens, dedit. stabilitum, pedes. stabilitas, non in commotionem. tanto namque &c.

Epistola. 2. Corinth. 10. Qui gloriatur. finis exhibere Christo. Euangelium Matth. 13. Simile est regnum celorum. th. si. noua & vetera.

In Festo beati Thomæ Apostoli, Sermo primus.

ECce cognoui quoniam Deus meus es. Psal. Triplici via habetur cognitio de re: videlicet per auditum. Esa. 33. Audite qui longe estis quid fecerim & cognoscite vicini fortitudinem meā. Psal. quanta audiuimus. per visum. Eccl. 19. Ex visu cognoscitur vir &c. per gustum siue tactum. 1. Iohan. 4. In hoc cognoscimus: quia in ipso &c. Hac triplici via cognoscitur vinum. per auditum clamatoris. per visum coloris. & per gustum sapons. Ad habendum certificationem de Christo viuente non suffecit beato Thomæ auditus ab Apostolis sed dixit nisi videro non credam. Iohan. 20. quo viso dixit: Dominus meus & Deus meus. Vnde potuit dicere versiculum propositum, ecce cognoui &c.

In quo notantur duo. Primum est cognitio cordis ad iustitiam: cum dicitur, ecce cognoui. Secundum est confessio oris ad salutem: cum subditur, quoniam Deus meus. Circa cognitionem tangit duo. Primo modum: ibi, ecce: quod est aduerbium demonstrandi demonstrans vulnera Secundo actum: ibi, cognoui. Circa confessionem confitetur tria in Christo. naturam diuinam: ibi, Deus. naturā humanam: ibi, meus. quia in mea natura mihi datus personam vnam: ibi, es. singulariter.

Sermo 2. De Eodem.

DIlectus meus misit manum suam per foramen. Cant. 5. Duo sunt valde expedientia seruienti. vnum est quod Dominum eum diligat. Aliud est quod ipse Dominum cognoscat. Per primum inuenit gratiam. per secundum custodit inuentam.

Ab his duobus commendat Dominus seruum suum Thomam in verbis propositis. Primo à dilectione sua quam habuit: cum dicit, dilectus meus. Secundo à sollicitudine cognoscendi quā adhibuit cum subdit, misit manum Dilectio exprimitur in duobus. In nomine dilectionis: ibi, dilectus. In specificatione diligentis: ibi, meus. fœlix qui diligitur: sed felicior qui à Christo diligitur. Sollicitudo exprimitur in duobus. in diligenti inquisitione: quia, misit manum suam. In inquisiti inuentione: ibi, per foramen. Circa inquisitionem tangit duo. actum: quia, misit: & quem actum: quia tactum: ibi: manum suam. non seruum: & hoc est quod dixit ei Dominus. mitte manum tuam in loca clauorum.

Sermo 3. De Eodem.

FOrte lignum & imputribile elegit artifex sapiens. Esa. 40. Consideratio est in topicis. quod est melius & diuturnius magis est eligendum: ædificium spirituale melius & diuturnius est

est temporali. Ideo beatus Thomas doctus in eligendis missus à Domino regi indorum pro artifice ædificium spirituale prælegit pecuniã acceptam pro ædificio materiali pauperibus erogãdo. & hoc est quod dicitur hic, forte lignũ &c.

Vbi duo commendantia ædificium beati Tho. notantur. Primum est ædificii debita materia: ibi, forte lignum. Secundum est ædificantis sapientia: ibi, elegit ar. Materia spiritualis ædificii est opus virtutis quod describitur ex tribus. scil. quia fructuosum persistendo in bonum: ibi, lignum: quia virtuosum sustinendo contra malum: ibi, forte: quia vigorosum perducendo ad præmium æternum: ibi, & imputribile. Dulce lignum misericordiæ in quo fructus, virtus, & duratio. Ædificantis sapientia commendatur à tribus: quia illuminatiua intellectus ad cognoscendum: ibi, sapiens. Directiua affectus ad præoptandum bonum: ibi, elegit. Eligere est duobus propositis alterum præoptare. Inductiua effectus ad recte operandum: ibi, artifex. Primum tollit agendorum ignorantiam. Secundum præcipitationem Tertium negligentiam.

Sermo 4. De Eodem.

DEdit abyssus vocem suam altitudo manus suas leuauit. Abac. 3. Secundum Philosophum visus plures rerum ostendit differentias: vt longum, latum, profundum numerum colorem & huiusmodi. ideo maiorem præbet certitudinem. Ideo diligẽs discipulus quærit videre quod audit: & benignus magister intendit discipulum docere quod quærit.

Secundum hoc primo tangitur hic inquisitio discipuli: ibi, dedit. a. Secundo certificatio magistri: ibi, altitudo manus. hic est ordo docendi vt discipulus quærat & doctor instruat. Circa inquisitionem notantur tria. Primo notificatio discipuli: ibi, abyssus. Thomas enim interpretatur abyssus. Secundo vtilitas inquirendi: ibi, dedit. id est ad vtilitatem nostram protulit expressio desiderii: ibi, vocem suam illam. nisi videro non credam. Circa certificationem magistri notantur tria. potentia, sapientia, clementia. Potentia in altitudine: ibi, altitudo. Sapientia in eleuatione: ibi, leuauit: ad hoc enim leuauit vt doceret. Clementia in manuum foramine: ibi, manus suas: & sic abyssus abyssum. id est Christus Thomam inuocat cognoscendum in voce. cauarum. id est plagarum. Ecce inuocans: inuocatus: inuocationis actus: inuocandi modus.

Sermo 5. De Eodem.

LÆtabitur iustus cum viderit vindictam. Psal. 57. Triplici de causa volunt iusti vindictam temporalem de impiis propter accelerationem plenitudinis gloriæ. Apoc. 7. Vsquequo Dominus sanctus & verus non vindicas san. propter euasionem vindictæ futuræ. 2. Mach. 6. Etenim non sinere peccatoribus. propter spem alterius emendæ. sicut canis verberatur coram leone. Vnde & beatus Thomas iniuriam sibi à pincerna regis illatam voluit statim vindicari: ne grauius & inutilius vindicaretur & vt videntes ad fidem conuerterentur. sicut patet in legenda: & hoc est quod innuitur in verbis propositis.

In quibus implicat duo, sc. beati Thomæ sanctitatem: ibi, iustus. sanctitatis probationem: ibi, lætabitur &c. Vbi circa speciale factum notantur tria. diuina vltio de pincerna: ibi, vindictam. vltionis euidentia: ibi, cum viderit. Canis enim in ore apportauit in medio conuiuantium manum pincernæ qua percusserat Apostolum. Euidentiæ vtilitas subsecuta: ibi, lætabitur. Iusti enim solent lætari de vtilibus & bonis.

Sermo 6. De Eodem.

BEnedictionem dabit legislator ibunt de virtute in virtutem. videbitur Deus Deorum in Sion. Psal. 83. Sicut flagellato cane leo humilior efficitur sic flagellato pestilente stultus sapientior erit. vnde flagellato pincerna rex factus sapientior petiit ab Apostolo vt benediceret iuuenes traditos nuptiis illa die. scil. filium & nurum. quod & fecit & sic eis gratiam & gloriam obtinuit: secundum quod dicitur in verbis propositis.

In quibus duo notantur. Primo benedictio apostolica: ibi, benedictionem &c. Secundo benedictionis efficacia: ibi, ibunt &c. Benedictionem Apostoli commendant tria. quantitas, liberalitas, & auctoritas. Quantitas muneris: quia, benedictionem. liberalitas dantis: quia, dabit. auctoritas benedicentis: ibi, legislator. fuit enim indis legislator. Magnũ donum benedictio Apostoli, non venulæ. magna liberalitas dare, non vendere. magna auctoritas legem Dei ferre. Efficacia benedictionis notatur duplex. vna in præsenti. sc. promotio gratiæ: ibi, ibunt de &c. alia in futuro. sc. adeptio gloriæ: ibi, videbitur Deus &c. Circa promotionẽ gratiæ notantur tria quæ sunt in quolibet motu. scil. terminus à quo: ibi, de virtute. terminus ad quem: ibi, in virtutem. motus medius: ibi, ibunt. Qui enim procedit de malo in bonum incipit. qui de bono in bonum proficit. qui de bono ad optimum peruenit. Hæc est triplex status hominum qui posset notari in toto verbo proposito. Circa adeptionem gloriæ notantur tria. Visio Dei: ibi, videbitur. excellentia visi: ibi, Deus Deorum. amœnitas loci, ibi: in Sion. Primum causat præmium essentiale. tertium accidentale. medium commendationem vtriusque.

Sermo 7. De Eodem.

ACceptus est regi minister intelligens. Prou. 14. Quatuor sunt commendabilia in ministro. duo ex parte Domini: auctoritas & benignitas. auctoritas vt maius est seruire regi quam militi. Seruus enim regis dicitur par comiti. benignitas: quia seruire magno: sicut crudeli tyranno magis est vituperium quam laus. Duo ex parte serui. humilitas in ministrando: vnde dicitur à seruiendo. Perspicacitas in cognoscendo: vnde dicitur à seruando. cognoscentis enim est seruare.

Ab his quatuor commendatur hic beatus Thomas scilicet quod seruiuit magno: ibi, regi. benigno: ibi, acceptus. acceptare subditos bonos benignitas est. humiliter: ibi, minister. sapienter: ibi intelligens.

Fœlix

Fœlix connexio in prælato. auctoritas & benignitas quia auctoritas sine benignitate facit odio haberi. benignitas sine auctoritate facit contemni: vtrumque timeri simul & amari. Fœlix connexio in servo: humilitas & intelligentia: quia humilitas sine intelligentia reddit contemptum. intelligentia sine humilitate inflatum vtrumque simul acceptum.

Sermo 8. De Eodem.

SEcundum gratiam Dei quæ data est mihi vt sapiens architectus fundamentū posui. 1. Corinth. 3. Ædificium spirituale fundatur in fide. erigitur in spe. consummatur in charitate. Fundamentum posuit beatus Thomas in ædificio tegis indorum cum indos ad fidem conuertit: & verbo prædicationis & exemplo sanctitatis secundum quod ipse dicit in verbis propositis.

In quibus tria commendant ipsum. sanctitas vitæ: ibi, secundum gratiam &c. claritas intelligentiæ: ibi, vt sapiens at. firmitas doctrinæ: ibi, fundamentum posui. Gratia facit sanctum quæ describitur à tribus. à principio à quo: ibi, Dei. à subiecto in quo, mihi. ab habendi modo: ibi, quæ data est. Sapientia fecit doctum. & hoc in duobus: & in cognoscendo: ibi, sapiens: & in operando siue regulando: ibi, architectus. doctrina fecit firmum: quia labium veritatis firmū erit in perpetuum.

Sermo 9. De Eodem.

QVia vidisti me Thoma credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt. Iohan. 20. Secundum Philosophum omnis virtus est de bono & difficili. Vnde quanto maior est difficultas in genere operis: tanto commendabilior est libertas operantis. credere autem sine manuductione visus difficilius quam cum manuductione: & ideo commendabilius.

Secundum hoc duo de fide hic notantur. Primo fides Thomæ videntis Christum refertur: ibi, quia vidistis. Secundo fides non videntium præfertur: ibi, beati qui non vide. Primum dat nobis occasionem certitudinis. Secundum confidentiam beatitudinis.

Circa primum tangit tria. nomen Apostoli: ibi, Thoma. boni enim debent nominari non mali. Exemplum de diuite Epulone & paupere Lazaro. Actum fidei: ibi, credidisti. Motiuum credendi: ibi, quia vidisti me: nec tamen ista visio euacuat meritum fidei: quia aliud vidit & aliud credit.

Circa secundum tangit tria commendantia fidem. assensum cogitationis: ibi, crediderunt. defectum experientiæ visionis: ibi, qui non viderunt. præmium æternæ beatitudinis: ibi, beati.

Sermo 10. De Eodem.

EAmus & nos & moriamur cum eo. Iohan. 11. Vera amicitia & perfecta duo appetit. simul cum dilecto viuere & mori: & dilectum ab omnibus velle diligi. Vnde verus amor exigit tres ad minus. diligentem, dilectum, & condiligentem per quæ nobis assignatur trinitas personarum. In his duobus fuit Thomas verus amicus Christi: quia simul cum eo viuere & mori voluit & ad idem coapostolos suos monuit: sicut patet in verbis propositis à beato Thoma.

In quibus conditio veri amoris quadruplex implicatur. dicitur enim perfectus amor esse infatigabilis, communicabilis, insuperabilis, inseparabilis. Infatigabilitas respicit facilitatem in operando: quod notatur ibi, eamus, amanti enim omnia facilia. vnde non fatigatur eundo cū amico. Communicabilitas respicit extensionem se diffundendo: quod notatur ibi, & nos. bonum enim est sui diffusiuum. Insuperabilitas respicit intentionem in amando: quod notatur ibi, & moriamur. fortis enim est vt mors dilectio. immo plus: quia superat nec timet mortem. Inseparabilitas respicit perpetuitatem in continuando: quod notatur ibi, cum eo. omni enim tempore diligit qui amicus est. Eamus ergo infatigabiliter, & nos omnes communiter, & moriamur insuperabiliter, cum eo. inseparabiliter. quod enim tunc Tho. tenuit in affectu, hodie sustinuit in effectu.

Sermo 11. De Eodem.

VIdi Dominum facie ad faciem: & salua facta est anima mea. Genes. 27. Secundum Philosophum visus plures ostendit rerum differentias: & ideo plus quam alius sensus facit ad cognitionem veri. propter quod Thomas ait, nisi videro non credam. Facit & delectationem boni: vnde & visio est tota merces: quia quando videtur ille qui est totus desiderabilis videns in omnibus delectatur. Ideo dixit Iacob quod & potuit dicere Thomas, vidi Dominum &c.

Vbi tria dicit. Primo certificat visus obiectū, vidi inquit Dominum &c. Secundo specificat videndi modum: quia non solum spiritualiter sed etiam corporaliter vidit. ideo dicit, facie ad faciem. Tertio manifestat visionis fructum: cum addit, & salua &c. scilicet ab incredulitate. Ioh. 26. quia vidisti me Thoma credidisti.

Epistola Eph. 2. Iam non estis. finis. in Spiritu sancto. Euang. Ioh. 20. Thomas vnus. finis. & crediderunt.

In Vigilia natalis Domini, Sermo primus.

AVdientes filii Israel quod visitasset eos Dominus & respexisset afflictionem eorū proni adorauerunt. Exod. 4. Præcessit quondam auditus culpabilis: secutus est auditus terribilis: sed ecce auditus delectabilis. Audiuit enim homo vocem mulieris suggerentis culpam & peccauit. Gen. 3. Pro eo quod audisti vocem vxoris. in quo instruimur non audire nociua. Eccl. 28. Sepi aures tuas. Vocem Domini redarguentis & erubuit. Gen. 3. Adam vbi es? qui ait: vocem tuam Domine audiui &c. in quo instruimur audire vtilia. Iob vlt. Auditu auris au. Vocem Dei liberantis & gratias egit sicut hic dicitur. In quo instruimur pro beneficiis gratias agere. Ideo religiosi audito in Israel. illo fœlici rumore. Iesus Dei filius in Bethleem nascitur, proni adorant in capitulo.

Secundum hoc in verbis propositis notantur duo. Primo rumor quem filii Israel audierunt.

Secun-

Secundo gratiarum actio quam exhibuerunt. Læta auditio, quia audierunt quod visitasset. Deuota gratiarum actio: quis, proni adorauerunt. Circa primum notantur tria: auditus rumoris: ibi, audierunt filii Israel. rumor visitationis: ibi, quod visitasset eos. amor visitatoris: ibi, & respexisset eos. Ecce triplex beneficium homini singulariter à Deo exhibitum: quia post peccatum vocauit ad pœnitentiam, ecce rumor dulcis, visitauit. assumendo naturam nostram. ecce visitatio amicabilis, respexit. indulgendo culpam. ecce visitator vtilis non sic fecit angelis. Ideo Psalm. Domine quid est homo quod memor es eius &c. Circa visitationem implicantur tria. Visitatoris potestas: ibi, Dominus. Visitationis vtilitas: ibi, visitasset. Visitatorum necessitas. ibi, eos. scil. qui erant in seruitute graui. Circa amorem visitatoris notantur tria verum amorem ostendentia. scil. iuuandi voluntas in respectione: ibi, respexisset. Vbi enim amor: ibi oculus. Iuuandi oportunitas in afflictione: ibi, afflictionem. Frater enim in angustiis comprobatur. Iuuandi cõtinuitas in successione: ibi, eorum. scil. filiorum. s. Iacob dilectis sui. Vulgariter dicitur. qui me amat: & canem meum: multo plus filium.

Sermo 2. De Eodem.

IVdæa & Hierusalem nolite timere neque paueatis: cras egrediemini & Dominus erit vobiscum. 2. Paral. 20. Sicut dicitur Iob. 7. Militia est vita hominis super terram. Militantibus autem in pugna triplex est occasio ruinæ: videlicet si formidolosi, si obsessi, si acephali. Formido tollit animum ne audeant resistere. Obsidio exitum ne valeant fugere. Defectus capitis regimen vt nesciant quid facere: Sic obsessi multum gaudent audiendo aduentum principis proximum, qui eos ad pugnam animet: ab hostibus liberet: ipsos præcedat & gubernet.

Attendens ergo Propheta ortũ summi principis imminentem qui venit genus humanum defendere per potentiam: liberare per clementiam: regere per sapientiam. Formidolosos animat ad securitatem: ibi, Iudæa & Hierusalem. Obsessos propter propinquam liberationem: ibi, cras egrediemini. Acephalos propter potentem principem: ibi, & Dominus erit. quasi dicat cesset metus. patet exitus: quia prope est Dominus. Securitatem gratificant tria. quia interius inerit menti: ibi, nolite timere. quia exterius inerit operi: ibi neque paueatis. quia generaliter cuilibet fideli: ibi, Iuda & Hierusalem. Liberationem gratificant duo. liberationis propinquitas: ibi, cras. scil. in ortu solis Liberatorum magnanimitas ibi, egrediemini. Principem commendant duo potestas, & humilitas. Potestas quia Dominus: ibi, Dominus. Humilitas quia socius: ibi, erit vobiscum. vnde Psal. Quis sicut Dominus Deus.

Sermo 3. De Eodem.

VIr Dei doceat nos quid facere debeamus de puero qui nasciturus est. Iud. 13. Si famulus vel nutrix filii regis terreni timorosa est & sollicita vt faciat ei quod debet: quanto plus fidelis anima debet esse sollicita vt debitum impendat obsequium puero summi regis.

Ideo ne per ignorantiam erret circa eius seruitium tria facit. Petit bonum doctorem: ibi, vir Dei. Appetit eius doctrinam: ibi, doceat nos Specificat doctrinæ materiam: ibi, quid facere &c. Fœlix doctor cuius virilis operatio: ibi, vir. Vtilis imitatio: ibi, Dei. Fœlix doctrina quæ & distribuitur: ibi, doceat. & desiderantibus tribuitur: ibi, nos. Circa materiam doctrinæ tangit duo. seruitutis debitum: ibi, quid facere &c. dominaturi ortum proximum: ibi, de puero. Circa seruitutem facit tria. fatetur seruitutis debitum: ibi, debeamus. Implicat seruiendi modum: ibi, facere. non sicut aliqui qui dicunt & non faciunt. Quærit opus seruitu determinatum: ibi, quid. Circa ortum Domini notantur duo. Humilitas diuinitatis. ibi, puero. Propinquitas natiuitatis: ibi, qui nasciturus est. Mirabile quod natus ab æterno. nasciturus est quod Deus puer est.

Sermo 4. De Eodem.

COnsurge lauda in nocte in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Thren. 2. Sicut significatum est Reg. 7. hæc dies boni nuntii est si tacuerimus & noluerimus indicare vsque mane sceleris arguemur. Vere arguenda sunt humana silentia vbi tot dantur diuina beneficia: & ideo ne tanquam pigri & ingrati sceleris arguamur: hortatur Propheta ad debitam gratiarum actionem in verbis propositis.

In quibus tria notantur laudes gratificantia. scilicet honestas, oportunitas, & integritas. Honestas respicit modum operis: quod notatur ibi, consurge. scilicet à lecto pigritiæ: à luto luxuriæ: à solio superbiæ. Oportunitas horam temporis: quod notatur ibi, lauda in nocte. Integritas deuotionem hominis: quod notatur ibi, effunde sicut aquam &c. Cum enim quod profertur ore versatur in corde; tunc integra est laus. Circa oportunitatem hortatur tria: laudis actum: ibi, lauda. Tempus debitum: ibi, in nocte. Festi huius initium: ibi, in principio vigiliarum. Cum enim alia festa incipiunt à vigilia: illud maxime incipit à principio vigiliarum. id est in laudibus noctis præcedentis vigiliam. vnde dicitur Gallice, surueille. Deuotionem quæ integrat laudem Dei gratificat quadruplex conditio affectus. Ad hoc enim quod sit deuota laus exigitur affectio multa: quod notatur ibi, effunde. Munda: ibi, sicut aquam. Quod enim effunditur abundat; sed cor quod effunditur sicut aqua remanet mundum: quia de aqua nil remanet in vase: nec color sicut de lacte: nec sapor sicut de melle: nec odor sicut de vino. Intima: ibi, cor tuum. Recta: ibi, ante conspectum Domini.

Sermo 5. De Eodem.

OPortet solem præuenire ad benedictionẽ: & ad ortũ lucis adorare. Sap. 16. In quolibet opere

opere debent quatuor attendi: actus, tempus, modus, & fructus. & hoc vt in actu sit bonitas, in tempore oportunitas; in modo humilitas, in fructu vtilitas. Ad laudem igitur conditoris pro beneficio suæ natiuitatis dicit sapiens hic quatuor oportere.

Primo ergo notatur hic temporis oportunitas: ibi, oportet solem præuenire. Actus bonitas: ibi, ad benedictionem. dandam scilicet vel obtinendam: & sic notatur effectus oportunitatis. Modi humilitas: ibi, adorare. Fructus vtilitas: ibi, ad ortum lucis. Tempus respicit efficientis discretionem: actus laudis materiam: modus formam: fructus finem. Circa primum notatur quod oportunum est petere quando est indigentia in petente: abundantia in dante: congruentia in tempore: quæ tria notantur hic. Primum ibi, oportet. Secundum ibi, solem. Tertium ibi, præuenire. Præueniamus ergo solem iustitiæ qui potens est & præsentialiter venit vt beneficia largiatur.

Sermo 6. De Eodem.

SVper te Hierusalem orietur Dominus: & gloria eius in te videbitur. Esa. 60. Adiudicatum morti vel carceri: desolantur duo. defectus redemptionis, & ignorantia redemptoris. hoc est quando non habet in se vnde redimatur nec scit alium per quem redimatur. Ideo Propheta attendens ortum redemptoris futurum consolatur genus humanum carceri infernali obligatum ex merito primæ transgressionis dicens, super te Hierusalem. &c.

Vbi duo promittit. sufficientem redemptionem: cum dicit, super te Hieru. &c. Redemptoris cognitionem: ibi, & gloria &c. Primum pertinet ad natiuitatem. secundum ad Epiphaniam. Redemptionem commendant quatuor. redemptoris sublimitas: ibi, Dominus. Humilitas: ibi, orietur. vtilitas: ibi, super te: necessitas ibi, Hierusalem. Fœlix & grata connexio: quia sublimitas sine humilitate nõ vellet: humilitas sine sublimitate non posset: sublimitas & humilitas sine humilitate non valeret: sublimitas humilitas & vtilitas sine necessitate nõ placeret, sed superflue ret. Circa redemptoris cognitionem notantur tria. gloriosa eius præsentia: ibi, gloria. præsentiæ euidentia: ibi, videbitur. per fidem & tem à pastoribus & regibus à Iudæis & gentibus. euidentiæ efficacia: ibi, in te. In primo tangitur cognitionis subiectum. In secundo medium. In tertio obiectum.

Sermo 7. De Eodem.

DOminus prope est. Philipp. 4. Duplici de causa tecipit vnus alium honorifice. Ratione potestatis: vt Monachus Abbatem, cius principem. Ratione propinquitatis: vt cognatus cognatum, frater fratrem. ideo præmunit nos Apostolus vt simus vigiles & parati in ortu Domini dicens, Dominus prope est.

In quibus verbis duo notantur. nascituri potestas: ibi, Dominus. natiuitatis propinquitas: ibi: prope est. In primo notatur exaltatio sublimitatis. In secundo dignatio humilitatis. Propter primum timendus: propter secundum amandus. Ergo timeamus Dominum: diligamus propinquum. Propinquum dupliciter & natura, & aduentu.

Prophetia Esa. 62. Propter Sion nõ. f. complacuit do. in te. Epistola Rom. 1. a. Paulus Apostolus. f. IesuChristi Domini nostri. Euang. Matth. 1. Cum esset desponsata. f. à peccatis eorum.

In Die Natalis Domini, Sermo primus.

VEnit Deus in castra. 1. Reg. 4. Verbum istud est misericordiæ, verbum lætitiæ, verbũ tristitiæ. Misericordiæ, Deo veniẽti. lætitiæ, captiuo homini, tristitiæ, diabolo captiuanti: vnde ingemuerunt Philistini per quos diabolus significatur dicentes Væ nobis non fuit tanta exultatio heri & nudiustertius: quia nec heri. id est tempore legis iustitiæ: nec nudiustertius id est tempore legis naturæ. sicut modo tempore gratiæ.

Misericordia ergo apparet si consideretur nascentis sublimitas: quia, Deus. humilitas: quia, venit. vtilitas: quia, in castra. id est in mundum. Ex his enim homo liberatus lætatur.

Sermo 2. De Eodem.

NEmo natus est in terra qualis Enoch. Eccles. 49. Secundum Philosophum tria sunt quæ attrahunt alia: scil. simile, vacuum, & calidum. Ista tria spiritualiter intellecta attrahunt ad dilectionem scilicet similitudo naturalis. Nam omne animal diligit sibi simile. Vacuitas humilitatis. vnde Eccles. 4. Fili in mansuetudine opera tua perfice: & super gloriam hominum dile. Caliditas dilectionis. Prouer. 8. Ego diligentes me diligo.

Hæc tria proponũtur nobis de rege nato quia similis in specie: quod implicatur ibi, nemo. humilis in natiuitate: quod notatur ibi, natus est in terra. singularis in charitate: quod notatur ibi, qualis Enoch. Enoch interpretatur dedicans vel ædificans vel cum Deo ambulans: quod specialiter facit charitas. Circa humilitatem notantur duo. natiuitas. ibi, natus est. natiuitatis proprietas, in terra.

Sermo 3. De Eodem.

EXortum est in tenebris lumen rectis corde: misericors & miserator & iustus. Psalm. 111. Sicut caput non influit membris nisi sibi coniunctis: Sic caput nostrum Christus vitam gratiæ sensum gloriæ non influit nisi sibi coniunctis. Hanc coniunctionem facit fides in intellectu: & charitas in affectu.

Ideo saluator noster venit in mundum vt lumen in tenebris ad fidem illuminans nos: quod notatur ibi, exortum est &c. vt misericors Dominus ad amorem nos inflammans: quod notatur ibi, misericors &c. Circa aduentum luminis notantur tria. scil. ortus, modus, & fructus. Ortus Christi: ibi, exortum est. Modus nascendi: ibi, lumen. Fructus generis humani, & hic duplex: ablatio mali: ibi, in tenebris. collatio boni: ibi, rectis corde. glo. vt tenebras tolleret & rectos corde faceret. Circa secundum notantur tria. scilicet

scilicet benignitas naturalis: ibi, misericors. exhibitio benignitatis: ibi, & miserator. æquitas remuneratoris: ibi, & iustus. vel effectus exhibitionis qui est iustificare: ibi, & Iustus.

Sermo 4. De Eodem.

REdemptionem misit Dominus populo suo. Psalm. 110.

Quadruplex conditio reddit donum quodcunque magis gratum: quæ notatur hic. Valor doni: ibi, redemptionem. Modus dandi: ibi, misit. Persona dantis ibi, Dominus. Conditio recipientis: ibi, populo suo. Ergo Deus dedit vtiliter: quia, redemptionem. Liberaliter: quia, misit. Dignanter: quia, Dominus. abundanter: quia, populo suo. non vni personæ tantum. Fœlix donum vbi nec est raritas in dono: nec difficultas in dando: nec egestas in dante nec singularitas in recipiente.

De Eodem, Sermo 5.

PArvulus natus est nobis: & filius datus est nobis: Esa. 9. Sicut ait Aug. in libro: cur Deus homo. satisfacere pro transgressione humana homo debuit: sed non potuit. Deus potuit: sed non debuit: & ideo vt satisfaceret qui potuit & debuit: decuit vt satisfactor esset homo Deus.

Et secundum hoc in verbis propositis describit Esaias. Primo nostri redemptoris humanitatem secundum quam natus est de matre: cum dicit, parvulus &c. Secundo eius diuinitatem secundum quam datus est à patre: cum subdit, & filius datus est. Et ideo quia homo per superbiam ceciderat damnandus: ideo vt contraria contrariis curentur tangitur in prima parte. Primo eius humilitas contra superbiam ibi, paruulus. Eius natiuitas contra casum siue corruptionem: ibi, natus est. Eius vtilitas contra damnationem: ibi, nobis. Humilitas enim & superbia opponuntur in moralibus: natiuitas & corruptio in naturalibus. vtilitas & damnificatio in vtrisque. Humilitas imitanda, natiuitas veneranda, vtilitas appetenda. Circa secundum principale notantur tria. Persona redemptoris: ibi, filius. Gratia redemptionis: ibi, datus est. Necessitas redempti hominis: ibi, nobis scilicet captiuis.

De Eodem, Sermo 6.

EGo ipse qui loquebar ecce assum. Esa. 52. Multipharie multisque modis olim patribus loquebatur Dei filius. Loquebatur enim mediate: quia in subiectis creaturis. obscure: quia sub variis figuris. à longe: quia cum dilatione promissionis. Nouissime vero diebus istis locutus est nobis. Personaliter nullo alio mediante. vnde dicit, ego ipse qui loquebar. Euidenter nulla figura velante. vnde dicit, ecce. Præsentialiter nulla dilatione elongante: vnde dicit, assum.

Fœlix ortus vbi est filii Dei persona: præsentia personæ: præsentiæ euidentia. Ideo expresses: quia immutabilis in Deitate: ideo bene dicit, ego ipse. Visibilis in humanitate: ideo bene subdit, ego. quod demonstrat rem visibilem. Præsens in natura vtraq;: ideo bene subditur, assum. Debemus ergo tali personæ summam dilectionem vt diligamus toto corde. Tali præsentiæ maximam reuerentiam vt caueamus ab omni deformitate. Tali euidentiæ sedulam imitationem vt ambulemus honeste.

Sermo 7. De Eodem.

ORtus est sol. Psal. 103. In quatuor locis legitur hoc verbũ iuxta quatuor remedia nobis in ortu solis iustitiæ præstita. Erat enim genus humanum errore cæcatum: quia fere omnes sequebantur idolatriam ante ortum Christi carnali affectu deprauatum: quia omnis caro corruperat viam suam. Dæmonibus subiugatum: quia multos trahebant ad culpam. Inferno obligatum: quia nullus exaltabatur ad gloriam. sed, ortus est sol. & auolauerũt locustæ errores. Naũ. 3. Ortus est sol cum ardore: & exsiccatum est fœnum carnalitatis. Iacob. 1. Ortus est sol & congregati sunt. in fugam dæmones Psal. in glo. Ortus est sol & humiles exaltati sunt. ad locum beatitudinis. Hester. 11. Ergo sol ortus fugauit errores suo documento: arefecit carnalitates suo exemplo expulit dæmones suo triumpho: exaltauit homines suo merito.

Sermo 8. De Eodem.

EVangelizo vobis gaudium magnũ quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid Luc. 2. Cum sint quatuor affectiones animæ scilicet timor, dolor, spes, & gaudiũ. Duæ sunt de malo: duæ de bono. Timor de malo futuro: dolor de malo præsenti: Spes de bono futuro: gaudium de bono præsenti. Quia ergo nuntiabat angelus præsens bonum & magnum scil. ortum Christi: ideo proponebat magnum gaudiũ dicens, euangelizo vobis gaudium. &c.

Vbi duo proponuntur. Primo magna lætitia: cum dicit, euangelizo vobis gaudium &c. Secundo lætitiæ materia: cum subdit, quia natus est &c. Lætitiam commendant duo. si bona, si copiosa. Primo ergo implicatur lætitiæ bonitas: cum dicit, euangelizo vobis. Secundo bonitatis copiositas: cum dicit, quod erit omni populo. Lętitia ista ostenditur bona secundum triplicem differentiam boni quod est honestum, vtile, delectabile. Honestas: quia euangelizatur, euangelizo, inquit. Vtilitas: quia vobis vnde ait, vobis. Delectabilitas: quia magnum gaudium. Honestas excludit gaudium reprehensibile dissolutorum & leuium. Vtilitas gaudium detestabile vitiorum. Delectabilitas gaudium detestabile mundanorum.

Circa natiuitatem quæ est materia lætitiæ tanguntur quatuor. videlicet substantia: quia, natus est vobis. Tempus: quia, hodie. Locus: quia, in ciuitate Dauid. Puer natus: quia, saluator qui est. Qui describitur à tribus. A clementia: quia, saluator. A sapientia: quia, Christus. A potentia: quia, Dominus. Clementia diligenda. sapientia retinenda. potentia reuerenda. vt ergo nato reddatur amor, honor & timor.

De Eodem, Sermo 9.

VErbum caro factum est: & habitauit in nobis. Iohan. 1. videamus hoc verbum quod factum est. Eorum enim quæ sunt in genere entis: substantia nobilior est accidente. Inter substantias spiritualis nobilior corporali. Inter spirituales intellectualis nobilior non intellectuali. Primum autem & excellentissimum in natura intellectuali est mens: & quod ei maxime assimilatur est verbum suum: non quod lingua pronuntiatur: non quod aure percipitur: non quod calamo scribitur: sed quod à mente & in mente formatur. Ergo in homine nihil sublimius verbo: nihil humilius carne: nihil vtilius præsenti habitatione in qua potest mereri gloriam.

Iuxta hoc autem notantur tria de Christo. scilicet diuinitatis sublimitas, sublimitatis humilitas, humilitatis vtilitas. Sublimitas: ibi, verbum. Humilitas: ibi, caro factum. Vtilitas: ibi, & habitauit in nobis.

In prima missa Prophetia Esa. 9. Populus gentium. finis. vsque in sempiternum. Epistola Titum. 2. Apparuit gratia Dei. finis. in Christo Iesu Domino nostro. Euangelium Luc. 2. Exiit edictum. fi. bonæ voluntatis.

In secunda missa Prophetia Esa. 61. a. Spiritus Domini. finis. à Domino Deo nostro. Episto. Tit. 3. Apparuit beni. fi. æterne in Christo Iesu &c. Euangelium Luc. 2 b. Pastores loquebantur. finis. dictum est ad illos.

In tertia missa Prophetia Esa. 52. c. Propter hoc sciet populus meus. finis. salutare Dei nostri. Epistola Hebræor. 1. Multiphariam. finis. non deficient. Euangelium Iohan. 1. a. In principio erat verbum. finis. gratiæ & veritatis.

In Natali Protomartyris Stephani, Sermo primus.

PLacuerunt seruis tuis lapides eius. Psalm. 101. Sicut opus bonum dignū est mercede quando fit libenter, innocenter & potenter. Libenter vt placeat Roman. 1. Testis est mihi. Deus cui seruio in spiritu. id est voluntarie. & Psalm. Voluntarie sacrificabo tibi: & nomen Domini inuocabo. Innocenter ne offendat. Luc. 1. Seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso &c. Potenter ne deficiat. Iohann. vltim. Seruite ei perfecto corde & verissimo. Sic pati pro Christo induit rationem meriti si patiatur fidelis, libenter, innocenter, & potenter. Sic passus est beatus Stephanus libenter: quod notatur, ibi, placuerunt. Innocenter: quod notatur ibi, seruis tuis. Potenter: quia, lapides eius. In primo commendatur patiendi voluntas. In secundo patientis sanctitas. In tertio passionis qualitas. Eius passio describitur à duobus. A genere afflictionis: quia, lapides. A scelere affligentis: quia, eius. scilicet Synagogæ quam docebat.

Sermo 2. De Eodem.

QVI transfert lapides affligetur in illis. Eccl. 10. Secundum Philosophum Passio & effectus atque illatio actionis. lapis quippe agens in carnem, in carne generat passionem. quod hodie expertus est beatus Stephanus sicut dicitur in verbis propositis.

In quibus eius passionem describunt quatuor. Primum est recta intentio Stephani ibi, qui transfert. id est transferre intendit ab errore ad fidem: à culpa ad gratiam. Secundum est obduratio populi Iudaici: ibi, lapides. Tertium acerbitas passionis: ibi, affligetur. Quartum species vel causa acerbitatis. ibi, in eis. scilicet lapidibus. Intentio bona: obstinatio mala: acerbitas magna: species congrua. scilicet vt lapides lapidibus vterentur.

Sermo 3. De Eodem.

DOmine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. vitam petiit à te. Psalm. 20. Tria solent lætificare & placere hominibus. Nouitas primitiarum: vt patet in floribus, piscibus. Victoria certaminum: vt patet in aduocatis & pugilibus. Impetratio petitionum: vt patet in romipetis & pauperibus.

Ista tria commendant passionem beati Stephani. Primitiæ passionis: quod notatur in præuentione cum dicit, Domine præuenisti. Victoria certaminis: quod notatur in coronatione: cum subdit. posuisti. Impetratio petitionis: cum addit, vitam petiit &c. Dixit enim. Domine suscipe spiritum meum &c. In primo describit meritum patientiæ. In secundo decus aureolæ. In tertio gloriam aureæ. Commendant autem primum tria. præuentio, benedictio, dulcedo. Dulcedo cordis: quia plenus erat spiritu sancto. benedictio oris quia orabat pro inimico populo. præuentio temporis: quia præuentus à Deo: præuenit alios martyrio. Commendant autem secundum quatuor: glorificans: ibi, posuisti: glorificatum: ibi, in capite eius. Gloria: ibi, coronam. Meritum gloriæ: ibi, de lapide pretioso. Vbi circa passionem tangit causam: in lapide effectum: in pretio dolorem scilicet & valorem. vnde Psalm. Pretiosa in conspectu Domini. Commendant autem tertium tria: videlicet quia, petiit. quia, vitam. sapienter quod patet in eo à quo petiit: quia, à te Deo scilicet Domino rei. efficaciter quod patet in hoc quod obtinuit: quia tribuisti ei. dixit enim. Domine suscipe spiritum meum: & sequitur. cum hoc dixisset obdormiuit in Domino.

Sermo 4. De Eodem.

QVicunque hanc regulam secuti fuerint pax super illos & misericordia. Galat. vlt. Ad bene operandum exiguntur tria. Directiuum, executiuum, allicitiuum. Norma dirigit. actor efficit. finis allicit.

Secundum hoc notantur hic tria. norma dirigens: ibi, quicunque hanc regulam i. Stephanū qui interpretatur regula. homo exequens: ibi, secuti

fecuti fuerint. finis alliciens : ibi, pax &c. In quo hoc implicantur tria scil. ad Deum reconciliatio : cum dicit, pax. Peccatorum remissio: cum addit, & misericordia. vtriusque origo ibi, super illos. Proponuntur ergo beatus Stephanus in vita rectus; quia dicitur, regula. In pœna primus vnde dicitur, fecuti fuerint. In exēplo proficuus: quia, pax super illos. & merito : quia imitantur pacificum & misericordem acquirunt sibi pacem & misericordiam.

Sermo 5. De Eodem.

Vidi angelum fortem prædicantem voce magna. Apoc. 5. De beato Stephano dicuntur tria inter cætera Actor. 6. scil. quod viderunt faciem eius tanquam faciem angeli. Item quod pro lapidantibus Christum orabat. Item quod non pôterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur.

Hæc sunt tria quæ perficiunt prædicatorem. videlicet mansuetudo vitæ : quod notatur ibi, vidi angelum. fortitudo patientiæ: quod notatur cum additur, fortem. magnitudo sapientiæ. quod notatur cum sequitur, prædicantem voce magna. fœlix qui mitis est in conuersatione. fortis in passione : magnanimus in prædicatione. In prædicatione commendat duo. actum: cum dicit, prædicantem modum : cum addit, voce magna. Primum redarguit prælatos mutos nescientes prædicare. Secundum timidos prædicantes sine deuotione. Ergo angelus fuit viuendo, fortis moriendo, sapiens prædicando, potens vociferando. vt possit dicere illud Psalm. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. quo ad primum. cum loquebar illis. quo ad vltimum: impugnabant me gratis : quo ad medium.

Sermo 6. De Eodem.

Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto. Actor. 6. Quinque sunt reprehensibilia in prælatoris scilicet malus ingressus, dissolutus incessus, actus remissus, ignorans intellectus, carnalis affectus. Primum est contra debitam electionem. Secundum contra honestam conuersationem. Tertium contra vitilem operationem. Quartum contra sufficientem cognitionem. Quintum contra spiritualem affectionem.

Econtra quinque notantur hic commendabilia in beato Stephano secundum quinque verba. Primum est vnanimis ipsius electio : ibi, elegerunt scil. omnes discipuli. religiosa conuersatio: ibi, Stephanum. qui interpretatur regula. strenua operatio : ibi, virum. debita cognitio: ibi, plenum fide. Carismatum plenitudo : ibi, & Spiritu sancto. Electio proficit ad officium. conuersatio ad exemplum. operatio ad profectum. cognitio ad documentum. carismata ad meritum vitæ æternæ.

Sermo 7. De Eodem.

Iustum deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi regnum Dei Sapien. 10. Tria solent lætificare viatorem : quando habet gratum comitatum : quando vadit iter compendiosum: quando videt terminum intentum.

Sic beatus Stephanus habuit gratum socium: quia Christum quod notatur ibi, iustum de. Dominus. Iter fuit compendiosum : quia martyrium. quod notatur ibi, per vias rectas. Terminum vidit intentum. quod notatur: ibi, & ostendit illi regnum Dei. Fœlix cui exhibita est societatis gratitudo. viæ rectitudo. termini certitudo.

Primum commendant tria. ductor quia, Dominus in quo securitas. ductus quia, iustus. in quo sanctitas : deductio non dimissio in quo fidelitas. Vltimum commendant tria. certitudo quia, ostendit. pulchritudo: quia, regnum. longitudo: quia, Dei.

Sermo 8. De Eodem.

Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi: ego autem orabam. Psalm. 108. Contingit reddere bonum pro bono : & hoc est iustitiæ. malum pro malo: & hoc est vindictæ: malum pro bono : & hoc est peruersitatis. bonum pro malo: & hoc est perfectionis.

A quo commendatur hic beatus Stephanus: & ab opposito populus Iudaicus. Primo ergo notatur Iudæorum ingratitudo: cum dicit, pro eo. Secundo martyris mansuetudo: cum addit: ego autem orabam.

Circa primum notatur primo bonum Iudæis exhibitum. Secundo malum econtra à Iudæis illatum; ibi, detrahebant mihi. Debebant Iudæi Stephanum diligere : quia docebat veritatem : ostendebat sanctitatem : & ipsi detrahebant famam blasphemando. vitam lapidando. Ipse autem orabat pro Spiritu sancto glorificando. pro peccato Iudæorum dimittendo : vnde potest dicere, retribuebant mihi mala &c.

Sermo 9. De Eodem.

Ecce video cælos apertos & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Actor. 7. Secundum Philosophum visus plures ostendit rerum differentias. ideo mediante ipso plures acquiruntur delectationes. ideo ad consolationem martyris in tormentis reuelauit ei Dominus tria pulcherrima. cælum, Iesum, Deum : secundum quod hic dicitur.

Vbi notantur tria. exclamatio videntis : ibi, ecce. præsentia visionis: ibi, video. nouitas rei visibilis; ibi, cælos &c. Vbi notantur tria pulcherrima. pulcherrimum super omnia Deus. Inter humana homo Christus. Inter sensibilia cælum superius.

Vidit ergo beatus Stephanus cælum apertum: stantem Iesum : regnantem Deum. O quanta consolatio vbi cælum apertum ad introeundū. filius hominis stans ad recipiendum. dextera Dei ad remunerandum.

Epistola. Actor. 6. d. & 7. Stephanus plenus. finis. obdormiuit in Domino. Euangelium. Matth. 23. f. Dixit Iesus tur. in. f. in nomine Domini.

In Festo beati Iohannis Euangelistæ, Sermo primus.

Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Tob. 3. Summæ iustitiæ est malum declinare bonum diligere : in his perseuerare.

Ab his tribus commendatur beatus Iohan. in verbis propositis. Ab amore munditię specialiter: ibi, mundam &c. à fuga concupiscentiæ generaliter: ibi, ab omni concupiscentia. à constantia perseuerantiæ finaliter: ibi, seruaui animam meam. ergo in concupiscentia malum declinandum. in munditia bonum diligendum. in custodia status perseuerandum.

Sermo 2. De Eodem.

AMice ascende superius. Luc. 13. Inter affectiones amor est dulcior. Inter actiones ascensus dignior. Inter loca superius eminentior. Vt ergo Christus ostendat in Iohanne priuilegium amicitiæ: dicit, amice. ascensum gratiæ: dicit, ascende eminentiam gloriæ: dicit, superius.

Ergo vocat familiariter, amice. inuitat cordialiter. ascende. remunerat fœliciter, superius. Similiter potest diui di illud Cantic. 5. Veniat dilectus meus in hortum meum.

Sermo 3. De Eodem.

PAter vero tenere diligit illum. Verba sunt Iudæ loquentis ad Ioseph de Iacob & Beniamin Gen. 49 Sicut in quolibet opere exiguntur quatuor: operans, operatum: & operatio: & modus operandi. Sic in dilectione diligens: dilectum. dilectio: & modus diligendi. Sed tunc est preciosus & attollendus amor quando in diligente est magnitudo vt si rex vel papa diligat. In diligendo teneritudo. vt si multum diligat. In dilecto continuitas. vt si semper diligat. In dilecto specialitas. vt si præ cæteris diligat.

Ab his quatuor commendatur beatus Iohan. scil. à diligentis magnitudine: quia, pater omnium scilicet Christus. à diligendi teneritudine: quia, diligit in præsenti. à dilecti specialitate: quia, illum. hic enim est discipulus ille quem diligebat Iesus.

Sermo 4. De Eodem.

NOn morieris in gladio: sed in pace morieris. Ierem. 33. Verba sunt Domini ad Sedechiã. Ierem. 34. Quæ de Iohan. Euangelista vera sunt ad litteram. Quędam viuunt gladio nec tamen moriuntur gladio. vt bellicosi, venatores. vnde dictum est Esau. Gen. 27. gladio viues &c. Quidam econuerso moriuntur nec tamen viuunt gladio. vt martyres de quibus Heb. 11. In occisione gladii mortui sunt. Tertii viuunt & moriuntur gladio: vt aliqui tyranni. vt Holofernes & huiusmodi. Matth. 26. Omnes qui acceperint gladium: gladio peribunt. Quarti nec viuunt nec moriuntur: vt confessores vt beatus Iohannes: secundum quod hic dicitur, non morieris &c.

Vbi quatuor describunt eum. Videlicet vitæ meritum in supposito verbi. tu scilicet Sedechia: qui interpretatur iustitia. vel Iohan. qui interpretatur gratia. Iohann. vltim. Quem diligebat Iesus suauem transitum: quia, non in gladio. Sic enim eum volo manere. naturæ debitum: quia, morieris. non enim dixit Iesus non morietur. fœlicem exitum: quia, in pace. sic enim eum volo manere donec ve. vide ergo vitæ meritum imitandum. Suauem transitum admirandum. naturæ debitum exsoluendum. fœlicem exitum appetendum.

Sermo 5. De Eodem.

ECce seruus meus intelliget & exaltabitur & eleuabitur & sublimis erit valde. Esa. 52. Secundum Philosophum tria appetunt homines naturaliter. scire: quia omnes homines natura scire desiderant. excellere: quia naturaliter appetunt arduum. bene viuere: quia omnes summum bonum exoptant. appetit ergo rationabilis scientiam: irascibilis excellentiam: concupiscibilis beatitudinem.

Hæc tria acquirit homo seruiendo Deo: secundum quod exprimitur in verbis propositis: vbi notantur tria circa remunerationem serui Dei. Primo manifesta veritas reddendo secundum quod debetur: cum dicitur, ecce. Secundo diuina æquitas reddendo scilicet cum debetur: cum subditur, seruus meus. Tertio appetendo fertilitas dando scilicet plusquam debetur: rum additur, intelliget &c. Vbi implicatur tria appetibilia valde. scientia: quia, intelliget. ideo Psalm. seruus tuus sum ego da mihi. potentia siue excellentia: & in corpore: quia, exaltabitur: & in anima: quia, eleuabitur. ideo Psalm. inueni Dauid seruum meum &c. Tertio bonitas siue gloria: quia, sublimis erit valde. vnde Matth. 25. Serue bone & fidelis &c. beatus iste seruus qui intelligit primam veritatem, eleuatur ad diuinam maiestatem, sublimatur ad summam bonitatem vt videat teneat & diligat Dominum suum Iesum Christum.

Sermo 6. De Eodem.

BEatus qui inuenit amicum verum & qui narrat iustitiam auri audienti. Ecclesiastic. 25. Secundum Dionysium primum appetibile est bonum. Ideo secundum duplex genus boni generatur in nobis duplex appetitus boni scilicet sequentis. quod est bonum præmii; & boni præsentis quod est bonum meriti. Ab huius duplicis boni inuentione commendatur Beatus Iohannes. A dono præmii scilicet quia, beatus. à dono meriti: quia, inuenit amicum &c. bonum meriti attollunt duo. vita sancta quæ notatur in amore boni. doctrina sana quæ hosatur in narratione veri.

Circa primum implicantur tria excitantia ad sanctitatem vitæ quam facit amicitia Dei scilicet facilitas habendi. quæ notatur in inuentione. facile enim habetur quod inuenitur. Preciositas habiti: quæ notatur in amore. nihil enim pretiosius amore: si dederit homo omnem substantiam pro dilectione &c. Cantic. 8. Veritas pretii: quæ notatur in veritate amici. multi sunt amici. mundus est amicus vanus. diabolus amicus falsus: sed Christus amicus verus.

Circa doctrinam sanam notantur quatuor causæ: scilicet efficiens: ibi, qui. forma: ibi, narrat. materia: ibi, iustitiam. finis: ibi, auri audienti. id est obedienti. Ergo debet esse in efficiente operositas contra mutos.

In forma facilitas contra curiosos. In materia vtilitas contra fabulosos. In fine opportunitas contra stultos & garrulos.

Sermo 7. De Eodem.

Congratulamini mihi quia inueni ouem meā quæ perierat. Luc. 15. Pastoris officium est oneÿs non habitas acquirere: perditas requirere: inuentas gaudenter recipere. hoc fecit specialiter beatus Iohan. circa iuuenem conuersum & deposito traditum: peruersum & per beatum Iohannem reuersum.

Secundum hoc dicuntur hic quatuor à quibus commendatur beatus Iohannes iuuenis acquisitio, cum dicit, ouem meam. acquisiti perditio: cum addit, quæ perierat. perditi requisitio: cum dicit, inueni. de inuento congratulatio: cum sequitur, congratulamini.

In primo notatur virtus prædicationis per quam cōuertimur. In secundo status corruptionis in quo peruertimur. In tertio zelus prælationis per quem reducimur. In quarto fructus reductionis de quo congratulamur.

Sermo 8. De Eodem.

Seruus tuus sum ego & filius ancillæ tuæ: dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Psal. 115. Secundum Augustinum quid melius aut corde geramus. aut ore exprimamus. aut calamo promamus quam Deo gratias. Ideo gratus Deo discipulus verus gratiæ præco super gratiis acceptis Deo gratias agit ne de ingratitudinis vitio arguatur.

Vnde primo præmittit beneficium acceptum. Secundo promittit præconium ex soluendum: ibi, tibi sacrificabo. Beneficium vero præmittit triplex in quo exprimitur amoris Christi ad ipsum triplex conditio. scil. certitudo, magnitudo, teneritudo. Certitudo in hoc quod eum elegit seruum: vnde dicit, seruus tuus sum ego. magnitudo in hoc quod eum dedit socium matri: vnde subdit, & filius ancillæ tuæ. ancilla virgo Maria cui dixit Christus. mulier: ecce filius tuus. teneritudo in hoc quod eum fecit nescium martyrii: vnde addit, dirupisti vincula mea scil. exilii veneni feruentis olei.

Epistola. Eccles. 15. a. Qui timet Deum. finis. illum Dominus Deus noster. Euangelium. Ioh. vlt. Et dixit Iesus Petro sequere me. fina. in nomine eius.

In Festo Innocentium, Sermo primus.

Saluatus est sanguis innoxius. Dan. 13. Vita iusti completur in tribus. faciendo, operando, quiescendo. Sed tunc omnia bona quando passio cum patientia. operatio cum innocentia. quies cum gloria reperitur. Fœlix iste qui patitur patienter. operatur innocenter. quiescit fœliciter. vt informetur mansuetudine patientiæ. rectitudine innocentiæ. beatitudine gloriæ.

Ab his tribus commendantur innocentes. ab innocentia ante mortem: ibi, innoxius. a patientia morte: ibi, sanguis. à gloria post mortem: ibi, saluatus est. Ecce vita imitabilis: quia, innoxia. mors commendabilis: quia, preciosa. salus appetibilis: quia, gloriosa.

Sermo 2. De Eodem.

Innocentes & recti adhæserunt mihi. Psal. 24. In summa tria sunt homini necessaria ad merendum gloriam. Priuatio mali culpæ, positio boni gratiæ, continuatio in vtroque. ideo Psalm. declina à malo & fac bonum &c. Innocentia priuat malum. rectitudo ponit bonum. adhæsio continuat statum. Ab his tribus commendat hic Deus innocentes. Fœlix ille qui non nocet proximo: rectus est in seipso & adhæret Deo.

Sermo 3. De Eodem.

Inuentus sum à non quærentibus me Esa. 64. Quidam quærunt Dominum & inueniunt: hi sunt iusti de quibus Ier. 29. Quæretis me & inuenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro inueniar à vobis ait Dominus. sic magi. Matt. 3. Pastores. Luc. 2. Inuenerunt &c. Alii nec quærunt nec inueniunt. Hi sunt infideles de quibus Oseæ. 7. Non sunt reuersi ad Dominum. Alii quærunt & non inueniunt: quia male quærunt vt stulti. vtpote auari Oseæ. 5. In gregibus suis & in armentis ibunt ad quærendum Dominum: & non inuenient: sic pigri. Cant. 3. In lectulo meo per. sic carnales. Luc. 2. b. Requirebant eum inter co. Quarti non quærunt & inueniunt. hi sunt innocentes paruuli. qui necdum habuerunt vsum rationis ad quærendum. de quibus dicitur hic.

Primum est imitabile. secundum detestabile. tertium corrigibile. sed quartum admirabile. sc. quod inueniatur à non quærentibus: vt hic dicitur, inuentus sum à non quæren. me.

Vbi notātur duo. Primum est largitas diuinæ bonitatis: in hoc quod, inuentus est. Secundum infirmitas infantilis ætatis: in hoc quod, quærere non poterant. Primū est misericordiæ diuinæ. Secundum miseriæ humanæ. Copula necessaria. misericordia & miseria: quia miseria sine misericordia non habet gaudium. misericordia sine miseria non habet locum.

Sermo 4. De Eodem.

Congrega eos quasi gregem ad victimam & sanctifica eos in die occisionis. Ier. 12. Vere misericors & iustus est Dominus. Iustus in hoc quod mala fieri permittit. misericors in hoc quod ex malis bona elicit.

Secundum hoc hic tangit Propheta. Primo malum quod fieri permisit. scil. occisionem innocentium. Secundo bonum quod inde produxit. scil. sanctificationem occisorum.

Malum vero Herodis & satellitum eius aggrauant tria. scil. occisorum multitudo: vnde dicit, congrega eos. id est congregabis permissiue. si enim vnicus suisset occisus non esset ita horribile. Innocentium mansuetudo: ideo subdit, quasi gregem. grex enim est de mitibus & paruis animalibus. Si enim iniquus occideret aliud esset. passionis magnitudo: ideo addit, ad victimam. Si enim verberassem adhuc magnū esset: sed occidere nimis est graue. Infœlix qui & multos & innoxios gladiis detruncabat.

Bonum quod inde proueoit commendant tria. quia pretiosum: vnde dicit, sanctifica. scil. dando cum gratia gloriam: quia necessarium: vnde subdit, eos. necessaria est sanctificatio morientibus: quia indilatum vnde addit. in die occisionis. vt scil. statim euoluent.

Sermo 5. De Eodem.

EFfuderunt sanguinem innocentem. Psalm. 105. Tria sunt per quæ vitioperatur operatio hominis triplex scil. defectus mensuræ, misericordiæ & causæ quando scil. non est mensura in modo: misericordia in obiecto. causa in facto.

Ab his tribus exaggeratur culpa Herodis & satellitum eius: quia non habuerunt mensuram, immo effuderunt. si traxissent guttã aliud esset. sed effuderunt vsque ad mortem. Item nec misericordiam: quia effuderunt, sanguinem. si esset vina vel alia mobilia minus malum esset. Item nec causam: quia, sanguinem innocentem. si effudissent sanguinem infidelium vel latronum excusabile videretur. sed effuderũt sanguinem innocentem.

Sermo 6. De Eodem.

NOua bella elegit Dominus Iudic. 5. Quatuor faciunt rem amabilem Domino suo. Nouitas factionis vt nouus sermo nouus pannus. Difficultas acquisitionis vt quod in bello vel magnis sumptibus habetur. Preciositas rei vt aurum vel vinum. Veritas siue euidentia pretii: vt gemma cuius virtus noscitur. Nouitas reddit rem admirabilem. difficultas commendabilem. pretiositas appetibilem. veritas siue euidentia venerabilem.

Ab his commendatur passio innocentium: quia admirabilis ex nouitate: ibi, noua. Noua quippe vbi pueri tyrannos, agni lupos, infirmi potentes, mortui viuentes superant. quia commendabilis ex difficultate: ibi, bella. non enim à natura: sed fuit ex illatione violenta. quia appetibilis ex preciositate: ibi, elegit. Pretiosa enim plus solent eligi. Venerabilis ex pretii veritate: ibi, Dominus. Vere enim pretiosum est quod à Deo eligitur.

Sermo 7. De Eodem.

SInite paruulos venire ad me: talium enim est regnum Dei. Marc. 10. Curialitas hominis apparet in duobus. Vocando scilicet ad dandum. dando magnum donum: vesir curialitas in modo, copiositas in dono. Dominus autem vocat curialiter: vnde dicit, finite paruulos venire ad me. donat abundanter: vnde subdit, talium est enim regnum Dei.

Circa vocationem facit tria. Prohibet impedientia: cum dicit, finite. exhibet expedientia: cum dicit, paruulos. Adhibet allicientiam: cum addit, me. Venire enim ad Deum impedit mundi vanitas expedit hominis humilitas: allicit Dei bonitas.

Circa abundantiam doni implicantur tria: scilicet tranquillitas: quia, talium scilicet innocentium. pretiositas: quia, regnum. æternitas: quia, Dei. ideo dicitur nolite timere pusillus grex: complacuit &c.

Sermo 8. De Eodem.

AMbulabunt mecum in albis: quia digni sunt. Apocal. 3. Secundum Philosophum actus actiuorum sunt in patiente disposito. Vnde fruitio gloriæ non est in quocunque: sed in disposito digne.

Secundum hoc notantur hic duo. habitudo innocentium: quia, ambulabunt mecum. dispositio beatorum: quia, digni sunt. Circa primum tangit tria. Attollentia huius beatitudinem: scilicet liberum deducatum: quia, ambulabunt. gratum comitatum: quia, mecum. pulcrum apparatum: quia, in albis. Hæc sunt tria valde appetibilia. & maxime pueris. Alles en deduyt, a plaisant códuyt, en minot abir. Talem deducatum facit aurea, talem comitatum auteo-la, talem apparatum dos glori æ.

Epistola A, oc. 14. Vidi supra montem. sinu. thronum Dei. Euangel. Matth 2. Angelus Domini apparuit. sinu. quia non sunt.

In Festo beati Thomæ Martyris Cantuariensis, Sermo primus.

IN nidulo meo moriar. Iob. Tria solent illatam alicui iniuriam aggrauare. Locus in quo infertur: vt si est locus sacer vel publicus. Persona cui infertur: vt est innocens vel prælatus. Genus iniuriæ quæ infertur: vt si necatur vel mutiletur.

Secundum hoc notantur tria in verbis propositis in persona beati Thomæ aggrauaoria e ius martyrium: scilicet locus passionis: quia, in nidulo, id est in ecclesia in qua geocramut spiritualiter sicut in nido. patientis status: quia, meo. id est mihi in ministerium traditio: quia in ea prælatus. passionis genus: quia, moriar. quod est summum terribilium genus. Infœlices illi qnos non terruerunt hec locus sanctus: nec gradus altus: nec horribilis actus. scil. in ecclesia Archiepis. opatum suum exe cebrare.

Sermo 2. De Eodem.

ZElus domus tuæ comedit me. Psal. 68. Tria faciunt martyrem & commendant martyrium. pœna, causa, & perseuerantia. Pœna mortis, causa virtutis, perseuerantia finalis.

Hæc tria commendant hie martyrium beati Thomæ. Causa iustitiæ: vnde dicit, zelus domus tuæ. Pœna mortis acerbæ: vnde subdit, comedit. Perseuerantia personæ: vnde addit, me scilicet Dauid qui manu fortis interpretatur. Omnia ædificant: quia pœna ostendit exemplum patientiæ. causa allicit ad amorem iustitiæ. perseuerantia inducit ad imitationem constantiæ. Sollicitudinis defendendi iustitiam ecclesiæ tangit triplicem e nditionem. quia multa: vnde dicit, zelus. quia magna: vnde dicit, domus. non tantum singularis personæ: quia tecta, vnde dicit, tuæ.

Sermo

De eodem, Sermo 3.

Filii matris meæ pugnauerunt cōtra me. Cant. 1. Ex causa operis redditur commendabile. si sint debitæ, vituperabile si sint malæ.

Secundum hoc hic notantur quatuor quæ persecutionem beati Thomæ ex parte persequentium reddunt vituperabilem. Spiritualis propinquitas quo ad causam efficientem: vnde dicit, filii vt posset dicere illud. Esa. 1. Filios enutrui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Ecclesiæ libertas quo ad materialem; vnde subdit, matris meæ, id est ecclesiæ scil. Cantuariensis. Sic enim iniustitiam defenderet: merito impugnandus esset. Longa importunitas quo ad formalem: vnde addit, pugnauerunt. non cito destiterunt nec transierunt. Nocendi voluntas quo ad finalem: vnde sequitur, contra me non pro me. Infelices illi quos non prohibet à persequendo: nec dignitas personæ: nec libertas ecclesiæ: nec laboriositas pugnæ: nec æquitas causæ.

De eodem, Sermo 4.

Audacter in occursum pergit armatis. Iob. 19. Quod dicitur de bono equo potest exponi de prælato bono qui onus portat & pro Domino pugnat. Tria enim commendant opus. Operandi modus: vt quando operatur faciliter. Operationis genus: vt quando operatur viliter. Operantis virtus: vt quando operatur potenter.

Ab his tribus commendatur hic beatus Thomas à modo operandi, scilicet propter defensionem ecclesiæ suæ: quia constans erat: vnde dicit, audacter. à genere operis: quia malos impugnabat: vnde dicit, in occursum pergit. A virtute operantis: quia nec principes timebat: vnde subdit, armatis. Felix prælatus qui constans is animo, expediens in facto, sapiens in modo reperitur.

De eodem, Sermo 5.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis: quam habitare in tabernaculis peccatorum. Psalm. 83. Triplex est opus sapientis secundum triplicem vim animæ. bonum à malo discernere quod est rationabilis. bonum tenere quod est concupiscibilis. malum respuere quod est irascibilis: secundum illud apostoli. Omnia probate, i.e. discernite: quod bonum est tenete, &c.

Ab his tribus commendatur hic beatus Thomas à discretione deliberandi: cum dicit, elegi. A dilectione boni: quia, abiectus esse in domo Dei. A detestatione mali: quia, magis quam habitare in ta. Bonum commendatur quod elegit commendator dupliciter. quia & propter pœnam quam sustinuit: quod notatur, in abiectione. & propter ecclesiam quam defendit: quod notatur, in domo Dei. Malum quod implicat duplex: quia & peccatum nomine, peccatorum: & peccandi periculum nomine, cohabitationis eorum. Felix ille qui propter Deum sustinet malum pœnæ: promouet bonum iustitiæ: fugit contagium culpæ.

De eodem, Sermo 6.

Vsque ad mortem certa pro iustitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Eccles. 4. Ideo documenta nobis dantur vt pro tempore executioni demandentur. Hoc ideirco dico: quia antiquitus sapiens in verbis propositis monuit: post modum beatus Thomas impleuit: vt patet hic.

Vbi hortatur primo sapiens ad constantiam in pugna iustitiæ. Secundo promittit triumphum victoriæ: ibi, & Deus expugnabit. Circa primum implicantur tria commendabilia. fortitudo operationis: ibi, certa. rectitudo intentionis: ibi, pro iustitia. longitudo continuationis: ibi, vsque ad mortem. Circa victoriam implicatur quadruplex grata conditio, scil. quod erit vera ratione actoris: quia, Deus. Perfecta ratione actionis: quia, expugnabit. Veneranda persona martyris: quia, pro te. Placida ratione æquitatis: quia, inimicos tuos.

De eodem, Sermo 7.

Homines impii interfecerunt virum innoxium in domo sua. 2. Reg. 4. Ad litteram verba sunt Dauid de principibus latronum qui interfecerunt Ysbosech filium Saul in domo sua. Vbi aggrauatur iniuria triplici ratione, sc. agentis, patientis, continentis. Ratione agentis: quia, impius. Ratione patientis: quia, innoxius. Ratione continentiæ: quia, propria domus.

Mistice beatum Thomam commendant hæc tria. Magnitudo patientiæ: quia, homines impii, &c. Sanctitudo innocentiæ: quia, virum innoxium. Altitudo sapientiæ: quia, in domo sua. Magnitudinem patientiæ ostendunt tria. Fragilitas naturæ: quia, homines. Si enim à Deo vel angelo pateretur: aliud esset: sed à sibi similiin natura. Iniquitas personæ: quia, impii. Signum ab innocente per infortunium passus esset: aliud esset. Quantitas iniuriæ: quia, interfecerunt. Si enim percussissent adhuc minus esset. Sanctitudinem martyris ostendunt duo. probitas personæ: quia. virum. puritas innocentiæ: quia, innoxium. Sapientiam eiusdem ostendunt duo. locus contemplationis. quia, in domo, i.e. in ecclesia. gradus dignitatis: quia, sua. sibi in custodiam tradita.

Epistola. Beatus vir qui in sapientia. &c. bæ edicauit ill ... Dominus Deus noster. Eccles. 14. Euang. Nisi granum fru. fiois pater meus. Iohan. 12.

In festo beati Syluestri, Sermo 1.

Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine: expectabam eum qui saluum me fecit. Psalm. 54. Beatus Syluester fugiens persecutione infidelium latuit solus cum suis clericis in quodam loco secreto: vnde potuit dicere dictum verbum.

Circa quod notandum quia tria reddunt hominem iustum & sanctum. mali declinatio: boni dilectio: recta in vtroque intentio. Ab his tribus commendatur beatus Syluester. Primo à declinatione mali: ibi, ecce elongaui fug. Secundo à dilectione boni: ibi, & mansi. Tertio

à recta intentione animi: ibi, expectabam eum, &c. Circa malum implicatur triplex modus debitus detestandi ipsum, scil. euidenter propter bonum exemplum dandum: ibi, ecce. distanter propter recidiuum cauendum: ibi, elongaui. festinanter propter moræ periculum enitandum: ibi, fugiens. Circa bonum notatur duplex bona conditio, scilic. quod sit continuum: ibi, mansi. quod sit purum: ibi, in solitudine, scil. à peccatis. Circa rectam intentionem implicantur duo. spei fortitudo: quia, expectabam. eius rectitudo: quia, eum qui saluum me fecit.

De eodem, Sermo 2.

Misit rex & soluit eum princeps populorum & dimisit: constituit eum Dominum domus suæ & principem omnis possessionis suæ vt erudiret, &c. Psal. 104. Tria sunt prædicatori siue prælato necessaria. Libertas propter discursum, scil. vt non sit impeditus. Auctoritas propter officium. scil. vt non sit contemptus. Operositas propter commodum, scil. vt non sit remissus.

Secundum hoc triplex priuilegium beato Syluestro collatum in hoc triplici versiculo notatur. sed beneficium liberationis: quia, misit rex, scil. Christus & soluit, &c. Fastigium prælationis: quia, constituit eum Dominum domus suæ, i.e. ecclesiæ suæ. Commodum suæ administrationis: quia, vt erudiret. Sed vt specialiter secundum ordinem historiæ præsentis festi procedamus notantur hic tria de beato Syluestro. eius, scil. vocatio: vocati sublimatio: sublimati operatio. Fuit enim primo per visionem à Constantino vocatus per libertatem veniendi ad vrbem: & sic dicitur, misit rex & sol: Secundo liberauit eum curialiter: quia, misit. totaliter: quia, soluit eum. per libertatem docendi fidem: & sic subditur, princeps populorum & di. eum, scil. docere. Sic enim detinebatur dupliciter: quia nec docere nec monere audebat. Secundo fuit à Constantino sublimatus & quantum ad imperiale sceptrum quod ei subiecit: & sic dicitur, constituit eum dominum domus suæ. & quantum ad temporalem possessionem qua ecclesiam ditauit: & sic, principem omnis pos. Tertio fuit salutem multorum operatus. & potentum quos humiliauit: & sic dicitur, vt erudiret & sapientum quos docuit: & sic sequitur, & senes eius pru. Hæc enim duo genera hominum imperatori assistebant.

De eodem, Sermo 3.

Descendit & lauit se in Iordane iuxta sermonem viri Dei. 4. Reg. 5. Vere melior est obedientia quam victimæ. quod apparuit in Constantino qui dimissa victima paruulorum & obediens apostolis per ministerium & doctrinam beati Syluestri mundatus est à lepra non tantum corporali sed etiam spirituali: quia sicut hic dicitur, descendit, &c.

Vbi Constantini obedientia commendatur à tribus. ab executione mandati: qua, descendit, &c. à discretione exequendi. quia, iuxta sermonem. ab vtilitate sequenti; quia restituta est caro, &c.

Circa executionem implicantur tria conuenientia baptizato. modus, actus, & locus. Modus humilitatis notatur in descensione. actus sacramentalis in lotione. locus lotionis in Iordane. Circa discretionem obediendi implicatur duplex dirigens in prælato. Veritas in monendo quod notatur in, sermone viri. Sanctitas in: vinendo: quod notatur, in nomine Dei. Circa vtilitatem sequentem notatur duplex mundatio, vna corporalis: ibi, & restituta est caro eius. alia spiritualis: ibi, & mundatus est.

De eodem, Sermo 4.

Magnificauit eum in conspectu regum & dedit illi coronam gloriæ. Eccles. 45. Verum est quod dixit Apostolus. quia qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habiti sunt: quia & præsenti & in futuro. hoc autem habuit beatus Syluester: secundum quod hic dicitur.

Vbi duplex honor sibi exhibitus exprimitur. Primus in præsenti vita: quia, magnificauit eum in. Secundus in futura: quia, dedit. Primus honor attollitur tripliciter. scilicet quia ingens: ibi, magnificauit. ille vero ingens est quem Deus magnificat: quia decens: ibi, eum: decens enim est honorare virtuosum. quia euidens: ibi, in conspectu regum. vbi, scil. multi & magni sunt. Honorem secundum commendabilem reddunt quatuor. liberalitas in honorante: quia, dedit, dignitas in suscipiente: quia, illi. æternitas in duratione: quia, coronam. corona enim non habet principium nec finem. delectabilitas in honore: quia, gloriæ.

Erat Moyses vir mitissimus, &c. pag. 98. columna 1.

Sermo 5, de eodem.

Subito circumfulsit eum lux de cœlo. Acto. 9. Per exteriora signa ostendit quandoque Dominus interiora facta. cum autem baptizaretur. Constantinus à beato Syluestro subito circumfulsit eum lux & vidit Christum in signum quod interius illuminabatur per gratiam.

Vbi circa hanc lucem notantur quatuor. descendendi modus: quia, subito. descendentis opus: quia, circumfulsit. suscipientis status quia eum baptizatum. descensionis locus: quia, de cœlo.

Epistola Eccles. 44. Ecce sacerdos magnus. finis in odorem suaui. Euangelium Matth. 25. Homo quidam peregre. fin. in gaudium Domini tui.

In circumcisione Domini, Sermo primus.

Infans octo dierum circumcidetur in vobis, Genes. 17. Quadruplex inuenitur circumcisionis genus. Prima est falsa & superficialis scil. hypocritarum de qua moraliter potest exponi illud. Gal. 5. Si circumcidimini Christus nihil nobis. Secunda est vana & carnalis scil. Iudæorum de qua dicitur hic, infans octo, &c. Tertia vera & spiritualis scil. iustorum de qua. Hierem. 4. Circumcidimini Domino & auferte præputia cordium vestrorum. Quarta perfecta & cœlestis scil.

scil. beatorum. de qua Esa. 52. Non adiiciet vltra vt transeat incircumcisus per eam. Primam Christus non habuit. secundam suscepit: non quia indigeret propter peccatum: sed in argumentum veræ humanitatis. In exemplum veræ humilitatis. In implementum legis desinentis. In documentum faciendæ in nobis spiritualis circumcisionis. voluit circumcidi tempore determinato in dictis verbis.

In quibus de circumcisione notantur tria, tempus, modus, & terminus. Tempus: quia in ætate infantili: vnde, infans octo dierum. Modus: quia in abscissione circulari: vnde circumcideretur. Terminus: quia manente ritu legali: vnde dicit, in vobis. Omnia mirabilia in Christo qui æternus factus est infans octo dierum. Innoxius accepit noxæ remedium. occidendus à Iudæis elegit genus Iudaicum.

De eodem, Sermo 2.

IN Christo Iesu neq; circumcisio valet aliquid neque præputium: sed noua creatura. Gal. vlt. In veritate comperi: quia non est personarum acceptor Deus. sed in omni gente siue circumcisa fuerit siue præputiata sit: qui timet Deum & operatur iustitiam acceptus est illi. Actor. 10. Et hoc implicatur in verbis propositis.

In quibus notantur duo. Primo impotentia rituum carnalium: quia, in Christo nihil valent. Secundo efficacia habituum spiritualium: quia innouant: ibi, sed noua creatura. Circa ritus carnales notatur primo, æquiparantia impotentiæ. secundo differentia essentiæ: quia, in circumcisione notatur ritus Iudæorum. In præputio ritus gentium. Ecce ergo rituum veterum terminus: quia in Christo Iesu. transitus: quia, nihil valent. genus: quia, circumcisio & præputium. successus: quia, noua creatura. ideo Gal. 5. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium. sed fides quæ per dilectionem operatur.

De eodem, Sermo 3.

IN nouitate vitæ ambulemus, Roman. 5. Tria sunt quæ solent placere hominibus. nouitas vita & profectus contraria tria odibilia. Nouitas contra vetustatem. nouis enim superuenientis vetera proiiciuntur, vita cōtra mortem, profectus contra negligentiam.

Secundum hoc hortatur Apostolus ad tria. ad nouitatem per depositionem vetustatis. ad vitam per informationem viuificantis gratiæ. ad profectum per motum operationis bonæ. Ergo in nouitate veterem hominem exuendo: quia hæc dies vocatur annus nouus, vitæ nouum habitum gratiæ induendo, ambulemus per bona opera proficiendo. vel in nouitate ne senescamus in culpa. vitæ ne moriamur in pœna ambulemus ne deficiamus in negligentis.

De eodem, Sermo 4.

VOcabis nomen eius Iesum. ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Matth. 1. Verba sunt Angeli ad Ioseph.

Vbi iuxta proprietatem rei insinuat nomen filii nascituri. secundum hoc Angelus insinuat duo. Primo impositionem nominis: quia, vocabis, &c. Secundo rationem impositionis: quia ipse saluum faciet, &c.

Circa impositionem nominis implicantur tria. Primo persona à qua imponitur. scil. Ioseph vel Angelus: ibi, vocabis. Secundo persona cui imponitur, scil. virginis filius: ibi, eius. Tertio nomen quod imponitur: ibi, Iesum. Circa rationem impositionis implicantur quatuor. actor salutis: ibi, ipse. opus salutis: ibi, saluum fa. conditio saluandorum: ibi. populum suum. modus saluationis eorum: ibi, à peccatis eorum. In primo notatur Christi potestas. In secundo benignitas. In tertio æquitas. In quarto necessitas nostra. Ideo Actor. 4. Non est alius nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. vbi notatur & nominis potestas: quia in ipso oportet sal. & potestatis singularitas non est alud.

De eodem, Sermo 5.

DEus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati de peccato damnauit peccatum. Rom. 8. Donum vel beneficium redditur gratum ex duobus, scil. quando amabile & carum est danti. quando vtile & necessarium est recipienti.

Ideo redemptio nostra debet nobis esse grata. Primo quia Deo cara & amabilis, quod notatur: cum dicitur, Deus filium, &c. Secundo quia nobis necessaria & vtilis. quod notatur: cū subditur, damnauit pec. Quod autem sit Deo cara patet ex tribus. ex incarnatione passione & circumcisione. vere grata Deo. nostra redemptio: quia ob hoc humiliatur se vsque ad carnis vnionem in incarnatione: vnde dicit, mittens Deus fi. vsque ad peccatoris similitudinem in circumcisionem: vnde sequitur in similitudinem carnis. vsque ad sceleratí reputationem in passione: vnde dicit, peccato, i.e. de eo quod factus est hostia pro peccato, Habuit tamen corpus mortale. sine causa suæ mortalitatis. Remedium medicinale sine causa suæ infirmitatis. Supplicium pœnale sine causa suæ iniquitatis. Vnde potuit dicere. neq; iniquitas mea quod assumpsi carnem mortalem. neque peccatum meum quod sustinui circumcisionem, sine iniquitate cucurri ad passionem. Incarnationem gratificant tria. Mittens in carnem: quia, Deus. Missus: quia Dei filius. Modus: quia, missi. curialiter datur quod mittitur. Ergo in mittente auctoritas. In misso preciositas. In modo curialitas reperitur. Circa circumcisionem Christi implicat duo. subiecti veritatem. in carne. causæ similitudinem, in peccati similitudine. Ideo bene significabatur Christus per serpentem æneum qui similis est venenoso.

De eodem, Sermo 6.

EFfuderunt sanguinem innocentem. Ps. 105. & 1. Maccab. 1. Sanguis Christi dicitus effusus quater & forte quinquies. Primo de circumcisione: de qua Luc. 2. Secundo in oratione de qua Luc. 22. Tertio vt dicitur in flagellatione de qua. Luc. 23. Quarto post mortem. Ioh. 19. In circumcisione ergo parentes effuderunt sanguinem innocentem: sicut hic dicitur.

Vbi

Vbi notantur duo. humilitas qua circumcidi voluit. sanctitas qua innocens fuit: quia enim in primo videbatur noxius. ideo secundo proponitur noxius.

Epistola Titum 3. Apparuit benign. fiois in Christo Iesu Domino nostro. Euangelium Luc. 2. Postquam consummati. finis. in vtero conciperetur.

In festo Epiphaniæ, Sermo primus.

QVi sedes super Cherubim appare coram Ephraim, Beniamin & Manasse. Psal. 79. Apparuit Dominus quondam modo per visionem. vnde dicebat si fuerit Propheta inter vos per visionem apparebo. Modo per subiectam creaturā. iuxta illud Exod. 3. Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis, &c. quod exponens Stephanus. Act. 6. Apparuit inquit illi angelus in igne. &c. Modo per figurarum & scripturarum ænigmata. vnde Ezech. 1. Apparuit rota vna super terram iuxta animalia. Nunc apparuit personaliter. hæc est apparitio antiquitus prophetata. Abac. 2. Apparebit in finem & non mentietur. per apostolum testificata. Tit. 2. Apparuit benignitas, &c. regibus exhibita. vt verum sit quod dicitur Leuit. 9. Hodie apparebit vobis Dominus. à patribus desiderata: vt hic, qui sedes, &c.

Vbi notantur tria. apparentis potestas: ibi, qui sedes super. potestatis humilitas: ibi, appare. humilitatis vtilitas: ibi, coram Ephraim, &c. quasi dicat tu qui appares angelis appare hominibus. Potestatem apparentis attollunt tria, scil. eius sublimitas: cum dicit, super. Sublimitatis immensitas: cum dicit, Cherubim. Immensitatis perpetuitas: cum dicit, sedes. quia pacifice & immobiliter regnas. Vtilitas triplex optatur. fructificatio per bona gratiæ: ibi, Ephraim. filiatio per hæreditatem gloriæ: ibi, Beniamin. qui interpretatur filius dexteræ. obliuio culpę per operā pœnitentiæ: ibi, Manasse.

De eodem, Sermo 2.

SIgnatum est super nos lumen vultus tui Domine. Psal. 4. Triplex signum dedit hodie Dominus de Christo quod esset filius Dei. vnum in adoratione regum. Matth. 2. Aliud in voce patris super filium baptizatum. Matth. 3. Hic est filius meus di. Tertium in mutatione aquæ in vinum. Hierem. 2. Ergo apparuit triplici modo. signo verbo & facto. & ideo potuerunt vere dicere homines signatum est, &c.

Vbi tria describunt Christi apparitionem. Ortus stellæ signantis: quia, signatum est. Situs stellæ conducentis: quia, super nos. Status signati regis: quia, lumen vultus tui Domine. Vbi implicantur tria. persona filii Dei in lumine. persona patris in Domino. emanatio filii à patre in vultu. procedit enim per modum naturæ imago patris. & eum manifestat: sicut vultus hominem manifestat.

De eodem, Sermo 3.

NOtum fecit Dominus salutare suum in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Psalm. 97. Secundum philosophum scite vnumquodque arbitramur cum causas cognoscimus. Vnde magnitudinem huius solennitatis si causas apparitionis cognouerimus sciemus. causa efficiens potentissima: quia, Dominus. non addendo determinationem. causa materialis nobilissima: quia, salutare & iustitiam, scilic. Christum qui saluat in futuro: & iustificat in præsenti. Causa formalis certissima: quia non per inuentionem vel eruditionem humanam, sed per reuelationem diuinam: vnde dicit, reuelauit & notum fecit. reuelatio ex parte docentis: notitia ex parte discentis. Causa finalis optima: quia, in conspectu gentium. Vbi notatur & illuminantis præsentia: quia, in conspectu. & illuminatorum indigentia: quia, gentium.

De eodem, Sermo 4.

BEnedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus & illuxit nobis. Psal. 117. Secundum apostolum non habemus hic manentem ciuitatem: sed futuram inquirimus. Vnde non mansionarii sed viatores sumus. Viator vero ignorans viam duobus indiget. duce & luce. duce ne deuiet. luce ne cespitet. ideo populus gentium qui ambulabat in tenebris videns lucem stellæ & per hanc ducem viæ gaudens prorumpit in laudem & propter aduentum ducis & propter ortum lucis dicens, benedictus qui venit in nomine Domini, &c.

Vbi primo commendat beneficium: quia, benedictus. Secundo recitat beneficium: & hoc duplex: quia, venit: & quia, illuxit, venit in natiuitate, illuxit in apparitione. Circa primum implicat duo. humilitatem nascentis. quia, venit scil. homo factus: auctoritatem humilis: quia mansit verus Deus: ibi, in nomine Domini. Circa secundum tanguntur tria. dignitatis sublimitas: quia Deus Dominus. sublimitatis humilitas: quia illuxit. Magna humilitas quando Dominus accendit lucernam ad conducendum seruum. Humilitatis vtilitas: quia, nobis. Felix connexio in principe vel prælato. Sublimitas, vtilitas, humilitas, vt propter sublimitatem timeatur. propter humilitatem diligatur propter vtilitatem custodiatur.

De eodem, Sermo 5.

OMnes isti congregati sunt venerunt tibi. Esa. 60. Verba possunt esse ecclesiæ gaudentis de conuersione gentium ad Christum & dicentis Christo, omnes isti, &c. Sunt autem quinque quæ amplificant honorem scil. honorantium pluralitas vt quando multi honorant. nobilitas vt quando magni sunt qui honorant. vnanimitas vt quando simul corde & corpore honorant. humilitas vt quādo se multum humiliando honorant. æquitas vt quando sanctum virum vel prælatum honorant.

In his quinque commendatur hic honor exhibitus Christo à regibus. à pluralitate: quia, omnes generaliter. à nobilitate: quia, isti scil. reges euidenter. ab vnanimitate: quia, cōgregati sunt vnanimiter. ab humilitate: quia, venerunt non præuenti sunt. ab æquitate: quia, tibi Deo & homini sanctissimo singulariter.

De eo-

De eodem, Sermo 6.

QVærite & inuenietis. Luc. 11. & Matth. 7. Vulgariter dicitur qui indiget igne digito vadit quærere. Ideo gentes indigentes salute venerunt quærere saluatorem & inuenerunt. Iuxta promissum ipsius Domini dicentis, quærite & inuenietis.

Vbi notantur duo. Primo magorum sapientia: quia, quæsierunt. Secundo quærendi efficacia: quia inuenerunt. Matth. 2. Intrantes domum inuenerunt puerum.

Sermo 7. de eodem.

DEretinquent gentes idola sua & venient in Hierusalem & gaudebunt in ea omnes reges terræ adorantes regem Israel. Tob. vlt. Quod antiquitus Tobias prædixit hic Dominus in hac die adimpleuit.

In qua fit mentio de quinque regibus scilicet Christo, tribus magis, & Herode. Primo adorando. tribus adorantibus. quinto nec adorante nec adorato. De quatuor primis fit hic mentio: & sicut in ambulatione corporali sunt tria. terminus à quo. terminus ad quem. & motus medius. Ita in conuersione spirituali gentilium notantur hic tria. declinatio mali. operatio boni. & motus medius inquisitio boni operandi. Primū: ibi, derelinquent gentes. Tertiū: ibi, & venient. Secundum: ibi, & gaudebunt. Circa primum tangit generationem quæ cōuertitur: quia, gentes. & errorem à quo conuertitur: quia, derelinquent idola. Circa motum medium notatur motus ad inquirendum: quia, venient. locus per quem transeundum: quia, in Hierusalem & inde Bethleem. Circa operationem boni notantur quinque ipsum commendantia scilicet operantium hilaritas: quia, gaudebunt. pluralitas: quia, omnes. nobilitas: quia, reges humilitas: quia, adorantes. æquitas: quia, regem Israel.

De eodem, Sermo 8.

REges videbunt & consurgent principes & adorabunt propter Dominum. Esa. 49. In omni agente ad propositum sunt quatuor sese cōsequentia scil. aspectus rationis ostendens quid agendum. affectus voluntatis inclinans ad agendum. effectus operis producens opus ipsum. rectitudo intentionis tendens in finem debitum.

Ista quatuor notantur hic ad commendationem regum. Primo visio aspectus: quia: reges videbunt. non tantum corporaliter per stellam, sed & spiritualiter per fidem. vt eis competat dicere in lumine tuo videbimus lumen. i. e. Christum. Secundo erectio affectus: quia, cōsurgent principes. Tertio operatio effectus. quia adorabunt. Quarto rectitudo intentionis: quia, propter Dominum.

Epistola. Esa. 9. Surge illuminare. finis. annunciantes. Euangelium; Matth. 2. Cum natus esset Iesus. finis. in regionem suam.

In Festo martyrum Fabiani & Sebastiani, Sermo primus.

VAcillantes confirmauerunt sermones tui. Iob 4. Sicut Gen. 45. Legitur quomodo Ioseph non hominum consilio sed Dei voluntate præmissus fuerit in Ægypto atque quasi pater Pharaonis & vniuersæ Ægypti Dominus habitus fuerit vt patrem suum Iacob cum omni domo sua nutriret. Sic de beato Sebastiano legitur quod sub habitu militari latebat christianissimus non timore passionis sed vt confirmaret christianos in persecutionibus suis quod & fecit euidenter in Marcelliano & Marco. emollitis propter lamenta filiorum suorum & vxorum: quos confirmauit vt sustinerent martyrium propter Christum: vt verum sit de eo quod hic dicitur, vacillantes, &c.

Vbi tria commendantia doctrinam notantur. congruitas, vtilitas, & veritas. Congruitas quando videtur indigentia. Vtilitas quando videtur efficacia. Veritas quando videtur rei concordia. Indigentia notatur in, vacillatione. efficacia in, confirmatione. concordia, scil. rei & sermonis in, sancti sermone. Ergo competenter, vtiliter, & veraciter docuit. Vnde ei competit illud. 2. Maccab. 15. Singulos eorum armauit non clypei & hastæ munitione: sed sermonibus optimis.

De eodem, Sermo 2.

COgnitus est in verbis suis fidelis: quia vidit Dominum lucis. Eccl. 46. Verba de Samuele dicta veritatem habent de beato Sebastiano exposita. Nam cum in publico docuisset fidei veritatem & subito circumfulsit eum lux de cœlo & in luce apparuit iuuenis pulcherrimus dicens ei: tu mecum semper eris. cuius verba audiens & locum videns Zoe vxor Nicostrati credidit in Christum: & cum mutæ esset meritis sancti Sebastiani solutum est vinculum linguæ eius & loquebatur recte: quod & videns Nicostratus conuersus est, cognitus est ergo beatus Sebastianus, in verbis suis fidelis quia vidit, &c.

In quibus verbis notantur tria. veritatis confessio in sancto prædicante: quia, in verbis suis fidelis. veritatis cognitio in populo audiente: quia, cognitus est. vtriusque ratio in lucis visione: quia, vidit Dominum lucis, i. e. dominum in luce & in luce fidei spiritualiter: & in luce ostensa materialiter.

De eodem, Sermo 3.

TEtendit arcum suum & posuit me quasi signum ad sagittam misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Thren. 3. Hodiernum festum duorum est: sed tota historia de vno loquitur qui tanquam miles strenuus se proponit in exemplum patientiæ partem describens sui martyrii in verbis propositis.

In quibus circa sagittarum perpessionem notantur tria, videlicet inchoatio, mediatio, & cōsummatio. Inchoatio mala: quia, tetendit arcum suum. Mediatio peior: quia, posuit, &c. Consummatio pessima: quia, misit in renibus, &c. In primo describitur instrumentum. In secundo disponitur iustus ad patiēdum. In tertio exequitur impius martyrium. Instrumentū terribile & ratione præparationis: quia iā, tetendit: & ratione generis: quia, arcū. qui subito ferit & à lōge: & ratione vtentis: quia, suū. eius, sc. qui vtebatur

ad oc-

ad occidendum. Mediatio siue continuatio peior & ratione violentiæ inferentis: quia posuit. & ratione innocentiæ patientis: quia, me. & ratione modi illationis: quia, quasi signum ad sagittam. Consummatio pessima & ratione facti: quia, misit in. & ratione loci: quia, renibus meis. nec animalium meorum. & ratione instrumentorum: quia filias pharetræ suæ, i. e. sagittas non acus vel huiusmodi.

De eodem, Sermo 4.

GLadium euaginauerunt peccatores intenderunt arcum suum: vt decipiant pauperem & inopem vt tru. rec. corde. Psal. 36. Geminatur festiuitas solennitatis hodiernę dum ea vna parte occurrit pontifex ex alia miles: ille decapitatus: iste sagittatus.

Propter primum dicitur: gladium euaginauerunt. Propter secundum, intenderunt arcum. Et vt plenius sanctorum martyrium describatur tria notantur circa martyrizantes: status, actus, & affectus. Status malus: quia, peccatores. Actus peior: quia, gladium euagi. Affectus pessimus: quia, vt decipiant pau. &c. Actus malus duplex. Vnus decapitatio Fabiani: propter quod dicitur. gladium euaginauerunt. Alius sagittatio Sebastiani: propter quod subditur, intenderunt arcum. Affectus malus duplex. decipere, & occidere. Decipere Fabianum conabantur nunc rationibus, nunc promissionibus, nunc demonstrationibus sicut serpens Euam. Primo per falsam rationem: cum dixit. cur præcepit Deus, &c. Secundo per falsam promissionem: cum subdit. eritis sicut dii scien. Tertio per falsam demonstrationem: cum subdidit. vidit igitur mulier lignum. Occidere Sebastianum: vnde dicit, vt trucident rectos corde. Ergo viri perfecti sunt pauperes per humilitatem. inopes per mendicitatem: sed recti corde per inflexibilitatem.

Sermo 5. de eodem.

SAgittę Domini in me sunt quarum indignatio ebibit spiritum meum: & terrores militant contra me. Iob. 6. a. Tria sunt terribilia in pœnis. acerbitas, continuitas, & varietas.

Ab his tribus describit beatus Sebastianus suum martyrium ex intensione acerbitatis: quia sagittis infixus sicut ericius vt dicitur in legenda. Ex extensione continuationis: quia fere vsq; ad mortem sagittatus: ideo dicit, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Ex innouatione variationis: quia postea multipliciter afflictus: ideo subdit, & terrores mili. Talis enim fuit processus sui martyrii. Fuit enim primo multipliciter sagittatus. deinde ex sagittis quasi extinctus & pro mortuo relictus, deinde liberatus terribilibus pœnis fuit afflictus. Sed in omnibus triumphauit quia & sagittatus per patientiam & mortificatus per constantiam: & innouatus pœnis per perseuerantiam.

Circa sagittationem implicantur tria. Percutiens: quia, sagittæ. permittens: quia, Domini. sustinens. quia, in me. Sagitta percutiebat ad occidendum: Dominus permittebat ad coronandum: sanctus sustinebat ad merendum. Circa continuationem notantur duo: impetus continuus percutientis in, indignatione. imminens egressus spiritus à corpore in spiritus ebibitione. Circa innouationem notantur multiplices pœnæ illatæ triplici de causa, sc. vt terreant: ideo dicit, terrores. vt præualeant: ideo subdit, militant. vt noceant: ideo addit, contra me. Hoc enim intendunt tyranni aduersus sanctos: terrere cruciando: præualere terrendo: nocere præualendo.

Epistola, Heb. 11. sancti per fidem. fin. Hi omnes testimonio fidei, &c. Euang. Matth. 6. Descendens Iesus de monte. fin. in cœlo.

In Festo beatæ Agnetis, Sermo primus.

NE derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis illi. Eccles. 9. Secundum Philosophum. Quod durabilius est magis est eligendum: & quia antiquitas signum est constantiæ & durationis: ideo amicus antiquus propter nouum non est derelinquẽdus secundum quod hic dicitur.

Vbi fit comparatio amici ad amicum: noui ad antiquum: præsentia ad futurum. Vbi primo ponit antiqui amici præelectionem. Secundo præelectionis rationem: quia, nouus non erit, &c. Circa primum facit tria. Proponit dilectionem: cum dicit, amicum. Apponit conditionem: cum subdit, antiquum. quod est signum constantiæ sapientiæ & experientiæ. Imponit adhæsionem: cum addit, ne derelinquas. Circa rationem præelectionis assignat triplicem conditionem noui deficientem à primo quare primus non est derelinquendus. in experientia, in nouitate contra antiquitatem: cum dicitur, nouus. contingentia in futuritione contra præsentialitatem: cum dicitur, erit. distantia in dilectione contra adhæsionem: cum dicitur, non erit similis. Hoc fecit beata Agnes quæ non derelinquit amicum antiquum imo æternum, scil. Christum qui in charitate perpetua dilexit eam propter nouum, scil. præfecti filium.

De eodem, Sermo 2.

DEnudauerunt femur virginis in confusionem. Iud. 9. Quatuor deturpant hominis opus. Immoderantia vt quando exceditur. Inuerecundia vt quando honestas non seruatur. Immisericordia quãdo miserabili personæ non parcitur. Iniustitia vt cum à rectitudine deuiatur.

Hæc quatuor aggrauant iniuriam beatæ Agneti illatam à lenonibus expoliantibus eam. Primo Immoderantia: quia, denudauerunt. Si abstulissent pallium tantum vel zonam adhuc nimis esset: sed, denudauerunt. Secundo inuerecundia: quia, denudauerunt femur. Si denudassent caput vel collum aliud esset: sed, femur, i. e. totum corpus denudauerunt. Tertio immisericordia: quia, femur virginis. Si suæ vxoris vel meretricis aliud esset. Quarto iniustitia: quia, in confusionem. Si in correctionem sicut magister puerum aliud esset: sed in confusionem, sc. virginis quantum ad intentionẽ suam. sed in suam propriam quantum ad veritatem. Vere malum opus in quo est defectus modi speciei & ordinis.

De eo-

De eadem, Sermo 3.

DAti sunt ei capilli pro velamine. 1. Corinth. 11. Triplex assignatur boni differentia, scil. honestum: vtile, & delectabile. Quodlibet autem istorum est à Deo: aliter ooo esset verum, sed apparens bonum.

Secundum hoc quatuor sunt quæ quodlibet beneficium gratum reddunt & spiritualiter exhibitum beatæ Agneti de densitate capillorum, scil. beneficii liberalitas: quia dedit non vendidit: ibi, dati sunt, dandi bonestas: ibi, ei, scil. nudæ. Inhonestum est virginem nudam apparere. doni delectabilitas: ibi, capilli; quod est delectabile mulieribus. dati vtilitas: ibi, pro velamine: non ad superfluitatem vel pompam. In primo notatur gratia dantis. In secundo indigentia recipientis. In tertio decentia muneris. In quarto sufficientia finis. Istud multum commendatur date gratis: dare quando oportet: dare quando placet: dare quod valet.

De eadem, Sermo 4.

VIuit Dominus ipse Deus noster: quoniam custodiuit me Angelus eius & hinc euntem & ibi commorantem & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua in euasione mea & in liberatione vestra. Iudic. 13. Moris est diuitum chare diligentium sponsas suas eis in via tradere famulum ad sui custodiam & ducatum. Sic agnus sponsus virginis Agneti virgini sponsæ suæ in custodiam & ducatum: secundum quod ipsa testatur in verbis propositis quæ ei conueniunt propter tria misit angelum suum.

Vbi primo de beneficio certificat per beneficii. quia, viuit Dominus. in quo potentia, Deos. in quo sapientia, noster. in quo clementia. Secundo recitat beneficium. Et hoc triplex. Primum quia custodita ab angelo: ibi, quoniam custodiuit. Secundum quia incontaminata à peccato: ibi, & non permisit. Tertium quia reuocata cum gaudio: ibi, sed sine pollutione. Circa primum Primo commendat angeli custodiam. Secundo custodię perseuerantiam: ibi, & hinc.

Circa primum implicat triplicem personam imitantem: ibi, angelus. Christum: ibi, eius. suipsius statum: ibi, me. Vbi circa perseuerantiam tangit triplicē viam in qua eam custodiuit: quia in eundo, in manendo, in redeūdo: vt vere compleatur illud, angelis suis mandauit de te, &c. In eundo habuit angelum præcursorem qui præparauit ei hospitium præparando lucem contra obscuritatem, vestem contra nuditatem, societatem contra solitudinis horrorem. Vnde ingressa Agnes turpitudinis locū, &c. vt vere compleatur illud Malach. 3. Ego mitto Ang. In manendo habuit defensorem: vnde & temerarius iuuenis suffocatus est. In redeundo habuit portatorem ad cœlum: iuxta illud Luc. 16. Factum est vt moraretur mendicus & porta. &c.

Circa incontaminationem à peccato notantur tria. Potestas sponsi eam defendens: ibi, Dominus. Humilitas sponsæ ad hoc disponens: ibi, me ancillam. Immunitas culpæ ad hæc sequens: ibi, non promisit co. inquinari: quia nec per con-

fugium iuuenis: nec per sacrificium dæmonis, nec per scortum lupanaris. sicut patet per se.

Circa reuocationem notatur triplex gaudium cum quo reuocata est ad gloriam. Vnum pro victoria Dei. aliud pro euasione sui. tertium pro liberatione populi. Hoc est triplex gaudium sanctorum quando in eorum bellis & Deus honoratur & sanctus: & proximus ædificatur.

In eodem.

Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Require supra pag. 101. col. 2.

In eodem.

Cum ambulaueris in igne ooo comburetis. Require supra pag. 102. col. 1.

De eodem, Sermo 5.

VEnerunt nuptiæ agni & vxor eius præparauit se: & datum est illi vt cooperiat se bissino splendente & candido. Apocal. 19. Sponsus virginum Agnus est: inter quas specialior sponsa Agnes est quæ cum agno participat & nomine & imitatione & familiaritate. Ideo ipsa edocta à sponso: quia quæ præparatæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias præparauis se vt hic dicitur.

Vbi triplex est consideratio. Prima est de nuptiis. secunda de imperatoriis. tertia de donatoris. & in primo commendantur virginis gaudia: quia, venerunt nuptiæ. in secundo merita: quia, præparauit se. in tertio miracula: quia, datum est ei, &c. Gaudia appetenda. merita imitanda. miracula veneranda. Gaudia appetenda propter tria, quia parata. vnde, venerunt. non sic ante aduentum quando nullus quantumcunque sanctus intrabat; quia grata. vnde, nuptiæ: quia pacifica: vnde dicitur, Agni. Omnia appetēda præsens aduentus. fertilis status. mitis Dominus. Has inchoat Deus in fide. Osee. 2. Sponsabo te mihi. ratificat in charitate. ibidem. consummat in æternitate. vnde sponsabo te mihi in sempiternum.

Circa merita notantur duo. Primo virginis nobilitas: quia vxor eius. Sagacitas: quia, præparauit se. Circa miraculum cooperitionis eius oudatæ in lupanari notantur hic tria. Cooperimenti monus: quia, datum est illi. mirabiliter. actus: quia, vt cooperiat se venerabiliter. genus: quia, bissino splendēte, &c. sed hæc magis compleotur in glorificatione. quæ dicitur bissinum ratione subtilitatis. Candidum ratione claritatis. Splendens ratione in passibilitatis.

De eodem, Sermo 6.

OMnium Dominus dilexit eam. Sap. 8. Verum dixit Dominus. Prouerb. 8. Quia ego diligentes me diligo. Inde est quod beata Agnes dilexit dominum: ideo &, omnium Dominus dilexit eam sicut dicitur hic.

Vbi amicum eius commendant tria. potentia, clementia, sapientia. Potentia patet in dominando; quia, Dominus omnium. clementia in diligendo: quia, dilexit. sapientia in discernendo: quia, eam. non enim quemcunque diligit ita vt dat gloriam. sed seruos suos & ancillas.

De eodem, Sermo 7.

Confortantum est cor tuum eo quod castitatem amaueris & post virum tuum alterum nescieris ideo manus Domini confortauit te: & ideo eris benedicta in æternum. Iudic. 15. Sicut immunditia reddit lubricum ad casum, ita amor munditiæ fortificat contra casum. sicut dicitur hic.

Vbi quinque notantur quæ commendant Agne, sc. castitatis, effectus, affectus, signum, commodum, & præmium. Effectus patet in confortatione: quia, confortatum est cor tuum. Affectus in dilectione: quia, eo quod castitatem amaueris. Signum in vnici desponsatione: quia, post virum tuum, scil. christianissimus alterum nescieris Commodum præsens in operis fortitudine: quia manus Domini eon. Præmium sequens in æterna benedictione: quia, ideo eris benedicta.

Epistola, Eccles. vlt. Confitebor tibi Domine. fin. angustiæ Deus meus. Euangelium. Matth. 25. Simile est regnum cœlorum 10. v. 7. fin. neque horam.

In Festo beati Vincentii martyris, Sermo primus.

Vidi & ecce equus & albus & qui sedebat super illum habebat arcum & data est & corona & exiuit vincens vt vinceret. Apoc 6. Sicut dicitur. Iob. 7. Militia est vita hominis super terram. Militantium autem Christo quidam militant sub armis sanctimoniæ: vt confessores. quidam sub armis sapientiæ: vt doctores, & prædicatores. alii sub armis patientiæ vt martyres.

Sub his militauit beatus Vincentius sub armis sanctimoniæ: quia innocens in vita. Ideo dicitur. equus. albus, sub armis sapientiæ: quia prudens in scientia. vnde gemina scientia claruit: ideo dicitur habere, arcum. sub armis patientiæ: quia Vinceus in pugna: ideo, data est ei co. & ex. &c. Vitam vero commendant tria. vitæ munditia quia, equus albus. equus est corpus cui insidet ratio recta. In albedine notatur munditia. munditiæ euidentia: quia, ecce. quod est aduerbium demonstrandi. vtriusque visio prophetica: quia, vidi. munditia est in meritum. euidentia in exemplū. visio in testimonium. Scientiam vero commendant tria. Sacra scriptura quæ per arcum ex quo volant sagittæ auctoritatum pertimentes errores malorum Scripturæ notitia quæ per habitum possidetur: quia, habebat. Consonans vita: quia, sedebat super equum, vt sic doceret verbo & exemplo. Patientiam vero commendant quatuor. gloria, pugna, victoria, & causa. Commendatur ergo à gloria quam sperauit & habuit: quia, data est ei corona. A pugna ad quā exiuit. A victoria quam obtinuit: ideo, Vincens. A causa debita quæ ipsum mouit: quia, vt vinceret, sed Datianum & alios idololatras. In primo commendatur eius fiducia: quia non dubitauit: sed sperauit de corona. in secundo eius audacia: quia non latuit: sed exiuit. In tertio eius constantia. quia non succubuit sed vicit. hæc est enim victoria quæ vincit mundum. 1. Iohan. 5. In quarto intentio recta: quia vincere proposuit: iuxta illud. noli vinci à malo.

De eodem, Sermo 2.

Certamen forte dedit illi vt vinceret & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Sap. 10. Fortes athletæ ad fortia reseruantur seruitia. Ideo Vincentio tanquam forti athletæ dedit Dominus forte certamen: vt de tyranno gloriosius triumpharet. nam secundum Ber. impudentissime mihi arrogo & victoriam sine pugna & coronam sine victoria.

Secundum hoc tria beatum Vincentium hic commendant pugna, victoria, & gloria. Sed amplius commendat pugnam ex fortitudine: quia, certamen forte. victoriam ex Dei munere: quia, dedit illi vt vin. sed gloriā ex plenitudine: quia, & sciret, &c. Hæc est enim vita æterna vt cognoscant, &c. Iuh. 17. Certamen forte habuit: quia cum fortibus, dæmone, præside, carnifice.

De eodem, Sermo 3.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est In paradiso Dei mei. Apo. 2. C'est vne bataille que de viure en ce siecle. Vnde mundus est sicut campus belli à quo victores transeunt ad vitam & nuptias paradisi. Victi ad mortem & patibulum inferni. ideo noli vinci à malo: sed vince in bono malum. exemplo beati Vincentii.

Ad eius laudem notantur hic duo. bonum meriti: ibi, Vincenti. fuit enim vincens & re & nomine. donum præmii: ibi, dabo, &c. In primo notantur quatuor ipsum commendantia. Immensitas quia vltra condignum: vnde non dicit reddam sed, dabo. delectabilitas quia esum: vnde subdit, edere. perpetuitas quia non manna transitorium sed, de ligno vitæ stabilitas quia extra omne periculum: vnde addit, quod est in paradiso Dei mei. Colendus Deus: quia, dabit amabilis actus: quia edere. desiderabilis cibus: quia, lignum vitæ amœnus locus: quia paradisus Dei.

De eodem, Sermo 4.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. Psalm. 40. Vere magnus Dominus Deus noster & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus. suscipiens mansuetos Dominus. Magnus Dominus propter potentiam insuperabilem. Sapientiæ eius non est numerus propter sapientiam inenarrabilem. Suscipiens mansuetos propter clementiam infatigabilem.

Hæc sunt tria quæ notantur hic Potentia in dominando: quia, Dominus. potentum enim est dominari. Sapientia opem ferendo: quia, opem ferat. sapientum enim est mederi Clementia in condolendo: quia, super lectum doloris eius. clementium enim est compati. In duobus primis innuitur martyris præmium. quia Dominus opem tulit illi. ab omni pœna liberando & in gloria beatificando. In tertio passionis meritum. Vbi notantur tria miserabilia. Angustia nomine doloris quem sustinuit. Perseuerantia nomine lecti in quo super prunas iacuit. Iniuria nomine eius qui passus fuit. Ergo eius passio fuit magna, longa & iniusta.

De eodem, Sermo 5.

Credidi propter quod locutus sum: ego autē humiliatus sum nimis. Ps. 115. Tria sunt prædicatori

dicatori necessaria quæ in beato Vincentio efficacissime claruerunt. Sapientia ad cognoscendum, eloquentia ad notificandum, patientia ad sustinendum, nam veritas odium parit.

Propter hæc tria potuit vere dicere beatus Vincentius, credidi, &c. Credidi: fide recta, propter quod locutus sum: ratione vera propter quod, humiliatus sum: multiplici pœna. Ergo fuit sapiens in credendo, eloquens in loquendo, patiens in humiliando.

De eodem, Sermo 6.

Fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio lampades eius lampades ignis atque flammarum: aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Cant. 8. Quanta sit virtus charitatis patet in Christo capite & in membris. Et hoc in quatuor effectibus iuxta quatuor clausulas. Nam charitas occidit immortalem in morte: non pepercit impassibili in passione: igniuit ipsum in eruditione: non excidit in consummatione. Vnde & ecclesia debuit reddere ei vicem pro vice: quod & fecit maxime in martyribus. Charitas enim crucifixit Petrum, lapidauit Stephanum, occidit Vincentium.

Ad cuius laudem hic notantur quatuor, scil. quod fuit fortis in diligendo: durus in sustinendo: ignitus in docendo: inextinguibilis in perseuerando. In primo commendatur sanctitas vitæ. In secundo acerbitas pœnę. In tertio lumino sitas doctrinæ. In quarto stabilitas perseuerantiæ. Felix qui sic diligit fortiter vt sit, fortis vt, &c. sic sustinet multipliciter vt sit, dura sicut, &c. sic loquitur feruenter vt sic sicut, ignis. sic perseuerat stabiliter vt, aquæ multæ, &c.

De eodem, Sermo 7.

Habet argentum venarũ suarum principium & auro locus est in quo conflatur. Iob. 28. Duo sunt quæ mirabiliter decent prædicatorem. Facundia in verbis diuinis, patientia in pœnis humanis: secundum illud Psalm. Bene patientes erunt vt annuncient.

In his duobus claruit beatus Vincentius. Fuit enim eloquens in veritate Dei. Vnde dicebat. Si iubes pater responsis iudicem aggrediar. Fuit patiens in aduersitate mundi: ideo eius eloquentia notatur in venis argenti, habet inquit argentum venarum. Eius patientia in conflatorio auri vnde, & auro locus, &c.

Circa primum notandum quod veritas habet suum esse: suum cognosci: suum diuulgari. Esse notatur in, principiis. vt patet in articulis & mandatis. Cognosci notatur in, venis, i.e. in scripturis sacris. diuulgare notatur in, argento. quod est clarum & sonorum. Ergo beatus Vincentius veritatem sicut fuit cognouit & diuulganit: quia eloquentia fluxit ex scripturis veritatis. Circa patientiam notantur tria. Fructus in auro quod melioratur in igne. passionis genus in loco, i.e. in igne. pondus in conflatorio. appetibilis fructus. terribilis locus. grauissimum pondus. Vnde potuit dicere Vincentius, probauit me quasi aurum quod per ignem transit. Ecce passio afflictoria: quia, per ignem. transitoria: quia transit. meritoria: quia, probauit quasi aurum. Vel dic quod notatur in, probatione: Dei permittentis animus. in, auro: patientis virtus. in, igne: passionis genus. in, transitu: passionis terminus.

De eodem, Sermo 8.

Curam habe de bono nomine. Eccl. 40. Ex ipso nomine palmam victoriæ præfert vir. vnde ad litteram bonum nomen habet. Sed secundum quod accipitur nomen pro fama notandum quod beatus Vincentius curam habuit de bono multiplici. Primo de bona conscientia: sicut clericus de bono libro. secundum illud. 1. Tim. 1. Milites in illis militiam bonam habens fidem & conscientiam bonam. 1. Pet. 3. In timore Dei conscientiam ha. bo. Secundo de bona doctrina: sicut scholaris de bono magistro. quia Prou. 13. Doctrina bona dabit gratiam. 1. Tim. 6. Certa bonum certamen fidei: apprehende vitam æternam. Tertio de bono opere sicut agricola de bono semine. Gal. 6. Dum tempus habemus operemur bonum, &c. ideo Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus vt, &c. Quarto de bona conuersatione: sicut mulier de decenti ornatu. 1. Petr. 2. Conuersationem vestram inter gen. ha. bo. Quinto de bona mercede: sicut mercator de bona mensura. Luc. 6. Mensuram bonam & confer. Ex his sequitur nomen bonum: de quo hic, curam habe, &c.

Vbi implicantur tria necessaria vitæ hominis, scil. studium, meritum, & exemplum. Studium notatur in habitu, curæ. ibi, curam habe. meritum in bonitate: ibi, de bono. exemplum de, nomine. Felix cuius vita studiosa in sui regimine meritoria in bono opere. ædificatoria in bono nomine. Gal. en la bonne renommee.

De eodem, Sermo 9.

Lectulus noster floridus. Cant. 1. g. Verba possunt esse Vincentii ad Christum pro quo & cum quo iacuit in lecto ferreo super prunas.

Vbi notantur tria. Genus tormenti: ibi lectulus. Causa patiendi: ibi, noster. Loquitur Christo pro quo passus est. Lætitia præmii: ibi, floridus.

Epistola, Eccles. 14. Beatus vir qui in sapientia. Euang. Domine Deus noster. Euang. Ioh. 12. nisi granum. fin. cum pater meus.

In Festo Conuersionis beati Pauli Apostoli, Sermo primus.

Hæc mutatio dexteræ excelsi. Psal. 76. Inter cætera Dei beneficia vnum est quod maxime facit ad salutem hominum, scil. tempus pœnitentiæ. Hoc enim singulariter contulit homini, non angelo licet peccauerit nec alii creaturæ. Ideo Psal. Quid est homo quod memor es eius: aut filius hominis quoniam visitas eum. Vnde post auersionem à Deo potest reuerti: & de malo in bonum conuerti: sicut patet in Paulo.

Cuius conuersio commendatur hic à duobus. Primo ex bonitate operis: quia, hæc mutatio. Secundo ex nobilitate opificis: quia, dexteræ excelsi. Bonitas operis patet ex duobus. Ex modo corrigendi: quia, hæc ex commodo obedienti: quia, mutatio. In modo singularitas admirabilis: quia dum persequebatur conuertebatur.

In commodo finis vtilis quia in bonum mutabatur. Nobilitas opificis patet in duobus. In potestate agentis: quæ notatur in, dextera. in sublimitate regnantis: quæ notatur in, excelso, de cœlo enim vocatus fuit.

De eodem, Sermo 2.

Aufer rubiginem de argento: & egredietur vas purissimum. Prouerb.25. In quolibet opere concurrunt quatuor causæ: efficiens: materialis: formalis: & finalis. sicut patet in vase argenteo vel ligneo.

Quæ in conuersione beati Pauli notantur hic. Fuit enim causa efficiēs Christus: qui designatur in supposito huius verbi, aufer. vt sunt verba patris ad filium. Ad filium enim pertinet tanquā ad mediatorē: tanquam ad legislatorem: tanquam ad iudicem pertinet auferre delicta. Causa materialis fuit Paulus: quod significatur in, argento quia clarus in scientia: sonorus in eloquentia: ductilis in obedientia. Causa formalis fuit modus virtuosus: quod notatur in præcepto: cum dicitur, aufer rubiginem, scil. æmulationis ad legem Moysi abominationis ad nomē Christi, persecutionis ad ecclesiam Christi. Causa finalis fuit finis fructuosus: qui notatur in, vase purissimo.

Vbi implicantur tria. officium, meritum, & priuilegium. Officium in vase, quia, vas electionis mihi est iste vt. Meritum in, puritate. priuilegium in, egressu. Non enim consueto modo formatum sed mirabiliter egressum: quia existens in actu contrario.

De eodem, Sermo 3.

Vas admirabile opus excelsi in meridiano exurit terram & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere: fornacem custodiens in operibus ardoris. Eccles.43. In domo cœlestis figuli quædam sunt vasa in contumeliam, & quædam in honorem. inter quæ beatus Paulus hodie de vase contumeliæ in vas translatus est gratiæ & honoris.

Cuius honor patet ex tribus. ex opere, ex opifice, ex virtute. Redditur siquidem ex opere spectabile: vnde dicitur, vas admirabile. ex opifice venerabile: vnde subditur, opus excelsi. ex virtute vtile: vnde additur, in meridiano, &c. Vbi notatur triplex vsus huius vasis virtuosus. Primus est extirpatio erroris Iudæorum: & sic dicitur, in meridiano exurit terram, i.e. Synagogam. Secundus est emollitio duritiæ gentium: & sic subditur, & in conspectu ardoris eius quis. Tertius est custoditio ecclesiæ fidelium: & sic additur fornacem custodiens, &c.

De eodem, Sermo 4.

Nolo mortem peccatoris: sed vt magis conuertatur & viuat. Ezech.18. In iustificatione sua impius triplicem tenet statum. Statum culpæ à quo recedit. statū pœnitentiæ per quem incedit. statum gratiæ ad quem accedit. Primus est status mortis. secundus viuificationis. tertius vitæ. Dominus noster non vult primum: ideo dicit, nolo mortem. vult secundum: ideo subdit, sed vt magis conuertatur tertium: ideo addit, & viuat.

Hoc autem manifeste patet in conuersione Pauli quæ commendatur ex tribus. Ex remissione culpæ: ibi, nolo mortem, ex contritione pœnitentiæ: ibi, sed vt con. ex infusione gratiæ: ibi, & viuat. Omnia inflammant ad amorem Dei, sc. si consideremus quis est qui iustificat: quia voluntas diuina: quod notatur in supposito verbi, nolo. Iniuriarum maculam à qua iustificat. quod notatur in, morte culpæ. Personam quam iustificat quia inimicū suum: quod notatur in, peccatore. Modum quo iustificat: quia sola, conuersione. Commodum propter quod iustificat: quia, vt viuat. vita gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro. Hoc est quod dicit ipse Ezech. Nolo mortem impii: sed vt impius conuertatur à via sua & viuat.

De eodem, Sermo 5.

Reuertere similis esto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bethel. Cant. 2. Mirabiliter mitis & humilis Dominus quis. tuum suum sibi iniuriantem rogat de pace, & in ipso motu iniuriæ vocat amicabiliter, dilecte mi. reuocat curialiter, reuertere. prouocat vtiliter, similis esto, &c.

Christus ergo Paulum reuocat ad pœnitentiam. vocat ad amicitiam. prouocat ad obedientiam. Pœnitentia inchoat meritum: amicitia facit gratum: obedientia & maxime in officio prædicationis auget. Circa quod officium inuitat hic Paulum ad tria necessaria. scil. ad claritatem cognitionis veri: ibi, capreæ. Caprea enim acutum habet visum. Ad agilitatem operationis bonæ: ibi, hinnulo ceruorum. quia agilis est in currendo. Ad laboriositatem vel nobilitatem executionis officii: ibi, super montes Bethel. Bethel interpretatur domus Dei. Montes ergo Bethel sunt prælati ecclesiæ. quos omnes in labore prædicationis superauit Paulus.

De eodem, Sermo 6.

Dedi te in lucem gentium vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Esa. 49. Legimus quod fecit Deus duo luminaria magna. Luminare maius, i.e. solem quis significat Petrum qui est princeps Apostolorum: sicut sol luminarium vt præesset diei, i.e. vt prædicaret Iudaicæ plebi lucem diuinæ cognitionis habenti. Luminare minus, i.e. lunam quæ significet Paulum qui est vltimus Apostolorum: sicut luna planetarum, vt præesset nocti in conuersionem gentium in tenebris errorum manentium: vt verum sit quod ait Dominus per Prophetam, dedi te ô Paule in lucem, &c.

In quibus verbis ad commendationem p. inducuntur tria. auctoritas dati: quia dedi te. necessitas dandi, quia, lucem gentium. vtilitas doni: quia, vt sis salus, &c. Circa auctoritatem implicantur duo. præstans Dominus: qui dicit, dedi. Suscipiens Apostolus: cui dicit, te. Circa necessitatem implicantur duo. populus errans qui duce indigebat: ibi, gentium. doctrina dirigens quæ illuminabat: ibi, in lucem. Circa vtilitatem notantur duo. Primo vtilitas muneris: quia, vt sis salus mea, i.e. munus salutis meæ. generalitas vtilitatis: quia, vsque ad extremum terræ. Felix prædicator qui & autenticus & necessarius & proficuus inuenitur.

De-

De eodem, Sermo 7.

STultus vt luna mutatur. Eccles. 27. Sicut luna maxima oppositione solis mutatur ab obscuro in luminosum: sic Paulus in ipsa persecutione Christi mutatus est à stulto in sapientē: de quo sua eius reuerentia potest exponi verbum propositum in bono.

Vbi notatur triplex status eius, scil. persecutionis siue culpæ nomine, stulti. conuersionis siue pœnitentiæ verbo, mutandi. gratiæ siue perfectionis nomine, lunæ quæ à minima vsque ad plenilunium procedit crescendo. Eccles. 8. Potentissimus faciem illius commutauit. glo. vt bonus fieret ex malo quod conuenit Paulo.

De eodem, Sermo 8.

AD omnia quæ mittam te ibis & vniuersa quę mandauero tibi loqueris. Hier. 1. b Quantum Deus diligat homines beneficia exhibita & variè ostēdunt missiones. habet enim Deus pater vnum sibi proprium, sc. filium & illū nobis misit. Gal. 4. At vbi venit plenitudo temporis misit, scil. in carnem in crucem. habet alium sibi & filio communem, scil. Spiritum sanctum illum misit. Gal. 4. Misit Deus spiritum filii sui, &c. habet alia sibi & filio & spiritui sancto communia. vt angelos & illos mittit. Hebr. 1. Omnes sunt ad &c. Item Prophetas & illos misit. Matth. 24. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, Apostolos & discipulos & illos misit, Luc. 10. Ecce ego mitto vos.

Vnde & hunc legatum misit ad gentes quem commendat in verbis propositis à duobus. Primum est meritum obedientiæ: quia ad omnia, &c. Secundum est ministerium doctrinæ: quia, vniuersa quæ mando. &c. Obediētiam Pauli commendant hic tria quia fuit sine mandati diminutione: quia, ad omnia. sine additione: quia, qui mittam te. sine contradictione: quia, ibis. Ergo generaliter, humiliter, personaliter obediuit. Doctrinam similiter commendant tria. quia fuit sine veri diminutione: quia, vniuersa. sine falsi additione: quia, quæ mandauero tibi sine occultatione: quia, loqueris. Ergo docuit sufficienter, vtiliter & euidenter.

De eodem, Sermo 9.

COnuersus sum & leuaui oculos meos & vidi. Ezech. 6. In aliis scientiis laudamus consummationem: sed in isto sanctorum egregio inchoationem. In aliis mortem siue exitum. in isto ingressum. In aliis victoriosa certamina. in isto mirabilia primordia. de quibus possunt exponi verba proposita.

In quibus tria notantur quæ Deus fecit; quia, ipsum conuertit, rapuit & docuit. conuertit perfectè quod notatur in motiui præterito termino & præsenti: cum dicitur, conuersus sum. rapuit alte: quia vsque ad tertium cœlum: vnde subdit, leuaui oculos, scil. intellectuales. docuit aperte: vnde addit, & vidi. vnde non ab homine didicit euangelium.

De eodem, Sermo 10.

EX Ægypto vocaui filium meum. Osee 11. a. Quia antiquitus Dominus dixit. Esa. 22. In die illa vocabo seruum meum. hoc hodie impleuit in paulo: secundum quod dicitur hic.

Vbi notantur tria quocunque donorum gratificantia. Dandi necessitas: vt quando datur indigenti quod notatur in, Ægypto. Ægyptus interpretatur tenebræ vel angustia vel tribulatio vel coangustatio. Dantis curialitas vt quando datur non petenti: quod notatur in vocatione. Doni vtilitas vt quando datur res prætii quod notatur in filiatione. Dei. quasi dicat ex errore infidelitatis vocaui vt esset filius meus per gratiam adoptionis. vnde Esa. 48. Ecce ego locutus sum, & vocaui eum adduxi eum & directa est via eius. Vbi notantur quatuor causæ conuersionis. efficiens in Deo loquente. materialis in Paulo vocato. formalis in eius adductione. finalis in directione viæ.

Epistola, Act. 9. a. Saulus adhuc spi. sin. quoniam hic est Christus. Euang. Matth. 19. f. Ecce nos relinquimus. &c. possidebunt.

In Festo purificationis beatæ Virginis, Sermo primus.

OBtulerunt puerum Heli. 1. Reg. 1. In præsenti Festo fit de tribus principaliter mentio. de Christi oblatione de Mariæ purgatione de Simeonis obuiatione: propter primum dicitur festum oblationis vel præsentationis in cuius signum offeruntur candelę, & dicitur la chandeler. propter secundum festum purificationis. propter tertium hypapanti, i. e. obuiationis. De primo potest exponi verbum propositum.

Vbi introducuntur tres personæ, scil. personæ à quibus offertur: ibi, obtulerunt, scil. parentes eius. persona oblata: ibi, puerum, sc. Samuelem per quem significatur Christus. persona cui offertur: ibi, Heli. per quem intelligitur Simeon iustus. Habemus autem in offerentibus exemplum obediētiæ in oblato exemplum innocentiæ. in suscipiente exemplum iustitiæ sine fortitudinis. Heli enim interpretatur fortis vel ascendens.

De eodem, Sermo 2.

IN vita sua vidit & lætatus est in illo. Eccles. 30. Multifarie multisque locis verbum incarnatum visum est. Innotuit siquidem in vtero conceptum. In stabulo natum. In templo oblatum. Conceptum in vtero innotuit triplici testimonio. Nam Elisabeth agnouit & exclamauit. vnde hoc mihi, &c. Luc. 2. Iohannes in suos salutauit. exultauit inquit infans in vtero, &c. Angelus Ioseph dubitanti reuelauit noli inquit timere, &c. Matth. 1. Natum vero in stabulo cœli ciues euangelizauerunt. Luc. 2. Euangelizo vobis gaudium, &c. pastores Iudeæ viderunt: quia videntes cognouerunt de verbo. reges gentium adorauerunt Matth. 2.

Sed hunc in solenni loco in templo à matre oblatus. à Simeone visus est. Responsum enim acceperat Simeon à Spiritu sancto non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini. quod & factum est hodie vt ei competat quod hic dicitur de patre bonum filium relinquente in vita sua, &c.

Vnde ostenditur Simeon non esse frustratus à desiderio suo. nec in visione: quia, vidit. nec in

tempore: quia, in vita sua. nec in effectu sequente: quia lætatus est in illo. Breue tempus: quia, vita sua. dulcis visus: quia, vidit illum. delectabilis effectus: quia, lætatus est in illo. ergo vidit Dominum facie ad faciem.

De eodem, Sermo 3.

SVscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui secundum nomen tuum: ita & laus tua in fines terræ. Psal. 47. Sicut expectatum Dominum diuersa præcurrerunt nuntia. Sic & natum diuersa sequuntur laudis cantica. Laudauerunt angeli qui nunciauerunt. Luc. 2. Et facta est cum eo. Pastores qui viderunt quia reuersi sunt pastores laudantes. Familiares qui susceperunt. vnde & Simeon laudans ait. nunc dimittis seruum.

In cuius & aliorum persona laudis Dauid ait, Suscepimus Deus, &c. Secundo laudat beneficium: quia. secundum nomen tuum sic, &c. In prima implicantur tria. grata: quia, suscepimus. munus: quia, misericordiam. locus: quia, in medio templi tui. Si quidem antea fuerit promissio: quia Abrahæ dictæ sunt promissiones. sed nunc susceptio. antea talio: quia dentem pro dente. sed nunc misericordia. antea figuratum velatio. sed nunc manifestatio: quia, in medio templi. Nunc ergo suscepimus vt veritas impleat figuram promissionis: sed misericordiam. vt pietas auferat virgam talionis. sed in medio templi vt claritas exterminet vmbram velaminis. Circa laudem benefici implicat tria: laudis rationem: ibi, secundum nomen tuum quod est Iesus. ipsam laudationem: ibi, sic & laus tua. laudandi generalitatem: quia, in fines terræ. Psal. Longitudine dierum replebo eum & ostendam illi salutare meum.

De eodem, Sermo 4.

DE negligentia tua purga te cum paucis. Eccl. 7. In prima fronte oritur quæstio de purgatione Mariæ. Cum enim sit triplex immunditia, scil. contracta, acta, indicta. Prima dicitur originalis quæ ex origine traducitur. Psal. Ecce enim in iniquitatibus. Secunda actualis quæ ex proprio actu superadditur. Thren. 1. Sordes eius. Tertia legalis quæ à lege indicitur. Leuit. 12. Mulier si suscepto semine, &c. Nihil autem purgandum in Maria nec quantum ad primam: quia sanctificata in vtero. nec quantum ad secundam: quia immaculata in viuendo. nec quantum ad tertiam: quia intemerata in gignendo. Ad quid ergo purgationem subiicit. Responsio, humilitas fuit non necessitas. nihil enim sagax & sanctam virgo negligere voluit de mandatis legis. ne ergo legem negligere videretur ad purgamentum init vt impletum sit in ea quod hic dicitur, de negligentia, &c.

Vbi implicantur tria, scil. Mariæ sanctitas fide sagacitas: ibi, de negligentia tua, i. e. ne videaris negligens, non dico de immunditia. humilitas: ibi, purga te, scil. secundum legem. paupertas: ibi, cum paucis hominibus. vel cum paucis secretum scientibus.

De eodem, Sermo 5.

ADduxit eam ad domum Domini. 1. Reg. 1. Mirabilis Deus quia & sedet in cœlo & adducitur in templo: secundum illud Psal. Dominus in templo sancto suo Dominus in cœlo sedes eius. Primum humilitatis. Secundum sublimitatis.

Omnia veneranda & domina quæ adduxit: quia mater Dei. quod notatur in supposito verbi, & persona quā adduxit: quia filius Dei. quod notatur: ibi, eum, sc. Samuelem per quem Christus: quia à Deo nominatus & postulatus: & locus in quem adduxit: quia, domus Dei. In primo virgo veniens. In secundo proles concomitans. in tertio locus conueniens.

De eodem, Sermo 6.

OCcurristi lætanti & facienti iustitiam. Esa. 64. Solet occurrere infirmus medico causa sanitatis recuperandæ. sicut decem leprosi Christo. Luc 7. Cum iret, &c. Seruus Domino causa suæ voluntatis adimplendæ. Sicut Semei descendit in occursum Dauid. 1. Reg. 19. Sic pueri Hebræorum Christo, amicus amico. causa affectionis exhibendæ: sic Martha Christo. Ioh. 11. Hospitalarius diuiti. causa mercedis lucrandæ. sic occurremus Christo in die iudicii. Si ergo Christus medicus nos infirmi. Christus Dominus, nos serui, Christus amicus. nos coamici. Christus diues, nos egeni debemus ei toto corde occurrere exemplo Simeonis de quo potest intelligi verbum propositum.

Vbi commendatur primo Simeon ab exhibitione reuerentiæ: quia, occurristi. Secundo Christus à perfectione iustitiæ: quia, lætanti, &c. Vbi commendatur quia operatur voluntaria: quia, cum lætitia: & beati: quia, cum iustitia. Sic & nos debemus bonis reuerentiam lætitiam & iustitiam.

De eodem, Sermo 7.

ECce Dominus Deus noster iste expectauimus eum & saluabit nos. Esa. 25. Antiquitus poterat dicere Simeon illud. Iob. 5. Quis mihi det vt veniat petitio mea & quod expecto tribuat mihi Deus. expectabat enim videre saluatorem mundi.

Sed hodie præsentato ipso saluatore à matre & suscepto à Simeone prorumpit Simeon in verba fidei, spei & charitatis. Fides dicit, ecce Dominus Deus noster iste. spes subdit, expectauimus eum. charitas addit, & saluabit nos: quia non est vera confessio sine fide. non est certa expectatio sine spe. non est salus sine charitate. In primo notatur oblatio saluatoris: quia, ecce, &c. In secundo expectatio Simeonis: quia, expectauimus. In tertio promissio consolationis: quia, saluabit nos. In primo procedit demonstrando & describendo Dominus Deus noster. Dominus per potentiam ideo timendus. Deus per sapientiam ideo honorandus. noster per clementiam ideo diligendus. discernendo iste quasi & non alius.

De eodem, Sermo 8.

VEnerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Sapient. 7. In solemnitate fit mentio de tribus personis notabilibus. de Dei filio oblato. de matre offerente. de sene suscipiente & de tanto

bene-

beneficio commendante & dicente, venerunt mihi omnia bona id est Christus Dei filius per quem omnia bona, cum illa. scil. cum Maria.

Vbi quatuor implicantur illud beneficium commendantia scil. modi curialitas quia, venerunt. non fui ad quærendum. Curialitatis vtilitas, mihi id est ad vtilitatem meam non suam. vtilitatis quantitas: quia, omnia bona. Rom. 8. Quomodo cum illo nō omnia nobis do. Quantitatis causalitas: quia, cum illa. id est cum sapientia diuina vel cum virgine Maria. Dicat ergo ecclesia vel fidelis anima. venerunt curialiter mihi. vtiliter omnia bona. generaliter, cum illa pariter.

De Eodem, Sermo 9.

SVrge illuminare Hierusalem quia venit lumē tuum. Esa. 60. Venit Christus multiplici via. In vterum virginis vt homo fieret. Cant. 5. Veniat dilectus. in templo Hierosolimis vt legem impleret. Mal. 3. statim ve. In consortium hominiis vt ipsum instrueret. Ioh. 4. Scimus: quia à Deo ne. Matth 9. Non veni vo. In patibulum crucis vt nos redimeret. Psalm. veni in altitudinem maris, Primus aduentus desiderabilis.

Sed secundus humilis ad cuius commendationem notantur hic tria. Primo honor exhibendus venienti: ibi, surge. Secundo fructus exhibitus honoranti: ibi, illuminare Hierusalem. Tertio humilitas honorandi Deum: ibi, lumen tuum. Vbi notatur venientis nobilitas: quia, lumen. nobilitatis vtilitas: quia, tuum. surge ergo per pœnitentiam, illuminare. per gratiā. quia, venit lumen tuum. per misericordiam. vt sine peccato cum gaudio recipias.

Epistola Mal. 3. ecce ego mitto. fi. antiqui dicit Dominus omnipotens. Euangelium Luc. 2. Postquam impleti. finit. plebis tuæ Israel.

In Festo Beatæ Agathæ, Sermo primus.

FAsciculus Myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur botrus cipri dilectus meus mihi in vineis engadi. Cant. 1. g. Decantant dilectę virgines dilectō suo Christo propter duo. propter fortitudinem constantiæ quā eis contulit in hac vita: secundum illud Psalm. Domine in voluntate tua præstitisti. propter beatitudinem gloriæ quam eis confert in patria: quia quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias,

Inter quas beata Agatha in præsenti cantico duo tangit. Primo amaritudinem suæ passionis propter quod ait, fasciculus myrrhæ &c. Secundo beatitudinem remunerationis propter quod subdit, botrus Cypri &c. Patientia proponitur imitanda: sed gloria acquirenda. Circa primum notantur tria quæ faciunt martyrem: causa, pœna, & perseuerantia. Causa notatur in dilecto: quia pro fide & amore dilecti: ideo dicit, dilectus meus mihi. pœna in fasciculo: ideo subdit. fasciculus mir. perseuerantia in mora: ideo addit, commorabitur. Pœna vero martyrii exaggeratur à tribus. ex multitudine: quia modo in carcere. modo in igne. modo in mammatum torsione: ideo dicit, fasciculus, non enim fit fasciculus ex vno ligno sed ex pluribus. ex amaritudine: ideo dicit, mirrhæ. ex genere: ideo addit, inter verba mea. quod est crudelissimum genus tormenti. cum ergo abscindebantur vbera fasciculus mirrhæ morabatur inter vbera.

Circa mercedem gloriæ notantur duo. causa: quia, dilectus meus. gloria: quia botrus. Vel potius notantur tria. beatificans: quia, dilectus meus. beatificabile: quia, mihi. ipsa beatitudo quæ commendatur hic ex tribus. ex plenitudine: quia, botrus. Nunc vix acinus sentitur. ex dulcedine: quia, cypri vbi vinum dulcissimum crescit. ex plenitudine: quia, in vineis engadi.

Sermo 2. De Eodem.

SOror nostra paruula est & vbera non habet. Cā. vlt. Sicut pater gaudens de probitate filiæ ipsam narrat aliis. sic Christus gaudens de probitate virginis ipsum narrat virginibus cæteris.

Vel etiam omnibus nobis commendans in ea virtutes quatuor. quarum simultas est valde cōmendabilis scil. obedientiam, charitatem, humilitatem, & pœnalitatem. Obedientia notatur ibi, soror. Matth. 12. Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est ipse meus frater & soror. charitas: ibi, nostra. charitas enim communicat omnia: quia non quærit quæ sua sunt. humilitas: ibi, paruula. pœnalitas: ibi, vbera non habet. Fœlix virgo cuius obedientia cum charitate vt sit meritoria. cum humilitate vt sit grata. cum pœnalitate vt sit virtuosa. ergo obedientiam charitas format. humilitas ornat pœnalitas portat.

Sermo 3. De Eodem.

AVulneribus tuis sanabo te dicit Dominus. Ier. 30. Verum dixit Iob de Domino; quia ipse vulnerat & medetur. percutit & manus eius sanabunt: sed aliter vulnerat: quia permittendo: sed carnifex efficiendo. tyrannus præcipiendo. aliter sanat efficiendo quod patuit in Agatha quam tyrannus vulnerauit amputando mammas per ministrum: sed Dominus eam sanauit restituendo mammas per Apostolum. vnde ipsa ait: quis es tu qui venisti ad me &c. vt verum sit de ea quod hic dicitur, à vulneribus tuis &c.

Vbi notantur tria. illatio multiplicis tormenti: ibi, vulneribus tuis. curatio illati: ibi, sanabo te. potentia vel promissio curandi: ibi, dicit Dominus. In primo notatur debacchatio vulnerantis. In secundo consolatio patientis. In tertio dilectio sanantis qui appropians ligauit vulnera eius Luc. 10.

Sermo 4. De Eodem.

CVra disciplinæ dilectio est. Sap. 6. Medicinam carnalem inquit beata Agatha corpori meo nunquam exhibui: sed habeo Dominum Iesum &c. Vnde sanauit eam non corporalis medicina sed dilectio diuina: secundum quod hic dicitur ad propositum exponendo, cura &c.

Vbi notantur tria: illatio tormenti: ibi, disciplinæ. quæ nimis grauis fuit. sanatio illati: ibi, cura. quæ mirabilis fuit. Ratio sanandi: ibi, dilectio. quæ fortis fuit. ergo non herba neque malagma sanauit eam sed &c.

Sermo 5. De Eodem.

DE carcere catenisque interdum quis egreditur ad regnum Eccles. 4. Secundum Philosophum cuius finis bonus ipsum quoque bonum: ideo fuit bonum Agathæ pati carcerem & vincula pro Christo: quia bonus finis scilicet regnum Dei: secundum quod hic dicitur, de carcere &c.

Vbi commendatur primo ex multiplici afflictione quantum ad meritum: quia, de carcere &c. Secundo ex regali nobilitate quantum ad primum: quia, egreditur ad re. Circa meritum primo ostenditur pœna. Secundo implicatur causa: ibi, interdum quasi non super egreditur patiens ad regnum vt pote si fur aut homicida: sed interdum scilicet quando propter Christum. Circa præmium notantur. liberatio ab omni dolore. ibi, egreditur. sublimatio in magno honore: ibi, ad regnum. accipit enim r[illegible] decoris &c.

Sermo 6. De Eodem.

PRobauit me quasi aurum quod per ignem transit. Iob. 23. Aliter vtitur igne seruus: quia ad illuminandum, aliter hostis: quia ad exterminandum, aliter faber: quia ad examinandum. Sic diabolus aliter vtitur igne auaritiæ & luxuriæ: quia ad exterminandum bona hominum: secundum illud Iob. 31. Ignis est vsque ad consummationem deuorans. Aliter Deus igne tribulationis & amoris quia ad probandum & illuminandum. Ergo diabolus ponit homines in ignem vt reprobet sed Deus vt probet. secundum quod hic dicitur, probauit me &c. cuius modi verba conueniunt beatæ Agathæ.

Et sic notantur ibi quatuor. Pius permittentis animus: quia, probauit. Virginis patientis virtus: quia, quasi aurum. Acerbæ passionis genus: quia, per ignem. Breuis passionis terminus: quia, transit. Ergo Deus permisit ad probationem, Agatha sustinuit ad meliorationem: ignis decoxit ad afflictionem: afflictio transiit mutata in exultationem: secundum illud transiuimus per ignem. &c.

Epistola Eccles. vlt. Confitebor tibi Domine. fi. angustiæ Domine Deus meus. Euang. Matth. 13. Simile est regnum cælorum. the. finis. noua & vetera.

In Cathedra sancti Petri, Sermo primus.

TV eris super domum meam & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Genes. 41. Secundum Philosophū omnis virtus vnita magis est infinita. Hinc est quod potestas quanto plus descendit tanto dilatatur & minuitur. quanto plus ascendit tanto plus vnitur. Hinc est quod plures sunt Episcopi, pauciores Patriarchæ. Sed vnus pater patrum scilicet Papa habens plenitudinem potestatis: aliter non esset ordo perfectus nec status in ecclesiastica hierarchia. Hanc potestatis plenitudinem contulit Christus Petro: secundum quod figuratur in verbis propositis dictis litteraliter à Pharaone ad Ioseph: spiritualiter à Christo ad Petrum.

Vbi notantur duo. Primo prælatio data Petro: quia, tu eris super. Secundo subiectio indicta populo: ibi, & ad tui &c. tunc bene vadit res publica quando prælatus bene regit & populus bene obedit. In primo implicantur tria. auctoritas potestatem dantis: ibi, meam. quantitas potestatis: ibi, super domum. id est ecclesiam. dignitas suscipientis: ibi, tu scil. Petre. qui interpretatur agnoscens: vel Simon qui interpretatur obediens. Commendabilis incathedratio vbi auctoritas in eligente: quia, Deus. dignitas in suscipiente: quia, Petrus. potestas in te: quia, Dei domus.

Circa subiectionem populi implicantur tria. obediendi facilitas: quia, ad tui oris. necessitas: quia, imperium. generalitas: quia, cunctus populus.

Sermo 2. De Eodem.

IN plateis parabant cathedram mihi. Iob. 29. Honor commendatur à tribus: quando scilicet exhibetur euidenter. Vnde Saul Samueli. 1. Reg. 15. Honora me coram senioribus populi. Quando diligēter vnde de habitatoribus ascalon dicitur. 1. Mach. 11. quia occurrerunt Ionathæ de ciuitate honorifice. Quando reuerenter sicut pueri hebræorum Christum sternendo vestimenta in via.

Ab his tribus commendat beatus Petrus reuerentiam sibi hodie exhibitam. Vnde primo notatur reuerentia ibi, cathedram. Secundo reuerentiæ diligentia: ibi, parabant. diligentiæ euidentia: ibi, in plateis. id est in euidenti.

Sermo 3. De Eodem.

SVper astra cæli exaltabo solium tuum. Esa. 14. Principem Apostolorum tripliciter exaltauit Dominus scil. in cathedra sublimando: à carcere liberando: martyrio coronando. Et sic facit ecclesia tria Festa de eo. Incathedrationis quia dicitur cathedra sancti Petri. Liberationis quod dicitur sancti Petri ad vincula. Passionis quia dicitur Petri & Pauli. De primo & etiam de tertio potest exponi verbum propositum: sed de primo ad præsens.

Et secundum hoc notantur hic quatuor. Primo reuerenda potestas: ibi, solium. Secundo potestatis singularitas: ibi, tuum. Tertio singularitatis sublimitas: ibi exaltabo. Quarto sublimitatis immensitas: ibi, super astra cæli. secundum illud quodcunque ligaueris super terram. &c. omnia sonant & ostendunt Petri dignitatem. & locus: quia, solium. & actus: quia, exaltabo. & gradus: quia, super astra cæli. Si ergo Dominus exaltat: exaltent eum in ecclesia plebis & in cathedra seniorum laudent eum. vt in primo notatur honor exhibitus à minoribus. In secundo laus exhibita à maioribus. Vel notatur duplex sublimatio Petri. Vna facta Antiochiæ: sic dicitur, exaltabo eum in ecclesia plebis. propter ruditatem ecclesiæ incipientis. Alia facta Romæ: sic additur, & in ca. se. lau. eum. propter auctoritatem sedis Apostolicæ.

Sermo

Sermo 4. De Eodem.

IPsam elegit ab omni viuente. Eccles. 45. Tria sunt quæ commendant electum. Eligentium iustitia: quia quod eligit vir bonus & sapiens illud est magis eligendum. Electi sufficientia: quia quod melius est magis est eligendum. Electionis terminus siue eminentia: vt quando eligitur ad superiorem gradum.

Ab his tribus commendatur electio beati Petri. ab eligente: quia Deus, qui elegit. ab electo quia Petrus quem elegit. ab electione quia summus gradus ad quem elegit. Si enim eligere est pluribus propositis alium aliis præoptare & Christus Petrum ab omni viuente elegit ipsum præ omnibus optauit: & ideo omnibus præposuit.

Sermo 5. De Eodem.

ECce Simon frater vester scio quod vir consilii est ipsum audite semper & ipse vobis erit Pater. 1. Machab. 2. Secundum Apostolum non enim qui seipsum commendat ille probatus est: sed quem Deus commendat. nec etiam est potestas nisi à Deo. Ideo Petrus vere probatus vere prælatus fuit: quia Deus enim commendauit & potestatem contulit: iuxta quod possunt exponi verba proposita.

Vbi primo Deus Petrum commendat sicut Magister Bachalarium incathedrandum: cum dicit, ecce Sim. &c. Secundo commendatum in cathedrat: cum dicit, ipsum audite &c. In prima commendat ipsum cuilibet prælato exemplarem ex duobus. Primo ex eminentia vitæ: cum dicit, ecce Simon &c. Secundo ex peritia doctrinæ: cum subdit, scio quod vir. In prima commendat eum ex tribus electo expedientibus. Primum est quod sit sine scandalo: quod notatur ibi, ecce. Secundum quod sit sine vitio: ibi, Simon, id est obediens. Tertium quod sit de gremio: ibi, frater. Circa incathedrationem facit duo. Primo subdit Petro populum: vnde dicit, ipsum audite. Secundo præfert populo Petrum: cum addit, ipse erit Pater.

Sermo 6. De Eodem.

THronus eius sicut sol in conspectu meo. Psal. 88. Licet sint verba Patris de filio cuius thronus. id est electi quibus insidet erunt sicut sol in conspectu suo: quia fulgebunt iusti sicut sol: possunt tamen esse verba filii de Petro incathedrato.

Vbi commendat eius incathedrationem ex tribus: videlicet ex potestatis sublimitate: cum dicit thronus eius. ex sublimitatis vtilitate: cum subdit, sicut sol. ex vtilitatis veritate: cum addit, in conspectu meo. quod enim vtile est in conspectu Dei vere vtile est. Reuerenda prælatio quæ & sublimis quo ad petrum: & vtilis quo ad proximum: & amabilis quo ad Deum. Honorifica Petro: quia, thronus. clara proximo: quia, sicut sol. cara Deo: quia, in conspectu suo, thronus reuerendus: sol aspiciendus: conspectus amandus.

De Eodem, Sermo 7.

TIbi dabo claues regni cælorum. Matt. 16. Ad incathedrationem principis Apostolorum more solito concurrunt tria. Scrutinium examinationis, præconiū approbationis, pontificium incathedrationis. Sic enim procedit ordo: quia incathedrandi Primo examinantur: sic Christus Petrum: cum ait, quem dicunt homines esse &c. Secundo approbantur: sic Christus Petrum cum ait, beatus es Simon &c. Tertio incathedrantur: sic Christus Petrum cum ait: & ego dico tibi &c.

Circa quam incathedrationem tangit triplicem prærogatiuam: quarum vna figuratur in vocabulo cum ait, tu es Petrus. Alia in commissio cum ait, & super hanc petram. Tertia in officio de quo hic dicitur, tibi dabo claues reg. cæl. Vbi notantur tria. Suscipientis idoneitas: ibi, tibi, sc. Petro, Simoni, Cephæ. Conferentis liberalitas: ibi, dabo. non vendam. Rei collatæ preciositas: ibi, claues regni cælorum. Vbi tria attollunt donum. potestas muneris: quia, claues. generalitas potestatis: quia, regni. Vtilitas generalitatis: quia, cælorum.

Sermo 8. De Eodem.

HAbet clauē David quę aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Apoc. 3. Quod dicitur hic de Christo potest congrue suo modo dici de eius vicario. Sicut claues materiales sunt instrumenta ad claudendam & aperiendū ostia: Sic claues ecclesiæ quædam potestas sibi data à Deo ad aperiendū & claudendū. Clausura vero regni quadruplex legitur. Quædā vniuersalis sed non perpetua quæ facta est homini propter peccatum Adæ & durauit vsq; ad Christum. Luc. 11. Ostiū iam clausum est &c. Alia vniuersalis & perpetua sc. futura per vltimam sententiam & durabit à die iudicii vsq; in æternum. Matt. 25. & clausa est. Tertia particularis sed non perpetua qua quisq; sibi claudit per propriam culpam sed potest aperiri per pœnitentiam. Matth. 23. Væ vobis Scribæ. Quarta particularis & perpetua quæ fit cuilibet per finalem impœnitentiam: sic diuiti epuloni clausum est regnum. Luc. 16. Ad aperiendam primam claues soli Christo datæ sunt. Esa. 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum. Ad aperiendam secundam & quartam nulli. quia illis non aperietur. Ad aperiendam tertiam datæ sunt ecclesiæ in Petro: vt hic dicitur, habet &c.

Vbi notantur tria circa potestatem Petri, scil. collatio: quia, habet. sc. à Christo. conditio: quia, clauem Dauid. executio & quo ad bonos: quia, aperit. & quo ad malos: quia, claudit. & vtrobique. Primo tangit executionem: Secundo executionis immutabilitatem.

Epistola Pet. 1. Petrus Apostolus Iesu Christi. fi. Iesu Christi Domini nostri. Euang. Matth. 16. Venit Iesus in partes. fi. solutum & in cælo.

In Festo beati Matthiæ Apostoli, Sermo primus.

INnocens contra hypocritam suscitabitur: & iustus tenebit viam suam. Iob. 17. Verum dicit sapiens Eccl. 33. Contra malum bonum: & contra vitam mors: Sic & contra virum iustum peccator: & sic intuere in omnia opera altissimi duo contra duo: & vnum contra vnum.

Sic contra Iudā Matthias vt hic dicitur: quia, contra hypocritam. Iudam. M. innoxius. contra mortuum Iudam. M. suscitatus. contra iniquum Iudam. M. iustus contra apostatam Iudam Matthias firmus: quia, tenebit viam suam.

Ad

Ad commendationem ergo Matthiæ notantur hic duo principaliter. Primo promotionis modus commendabilis: quia innocens &c. Secundo sanctitatis eminentia imitabilis: quia, iustus tene. &c. Promotio vero commendabilis patet ex tribus. Primo ab electi dignitate quia, innocens &c. Secundo à diuina probatione: quia, suscitatus. Suscitare enim actus diuinus est & miraculosus. Tertio ab electionis fine: quis, contra hypocritam. Ad hoc enim debet institui prælatus & prædicator vt destruat mala: Eminentia vero sanctitatis patet imitabilis in tribus. Primo in intentione rectificante: quia, iustus. Secundo in strennitate operante: quia, viam suam. In perseuerantia conseruante: quia, tenebit. Ergo verificatum est hodie illud Esa. 55. Pro saliunca ascendet abies &c.

Sermo 2. De Eodem.

SOrtes mittuntur in sinum: sed à Domino temperantur. Prouerb. 16. Antiquitus solebant fieri electiones mittendo sortes vt super ipsum sors caderet quem Dominus eligeret. Sed secundum quod dicit Augustin. super illud Ionæ. 2. cecidit sors super Ionam. Non est hæc forma modo obseruanda in electionibus propter malitiam ne fraudes introducantur. Primo modo electus fuit Matthias: vt verum sit de eo quod hic generaliter dicitur.

Vbi circa eius electionem implicantur tria. opus, modus, & virtus. Opus includit dubium ignorantiæ nostræ: ideo, sortes mittuntur. modus excludit dolum possibilis versutiæ: ideo, in sinum. id est in occultum locum. Virtus concludit certitudinē personæ electæ: quia, à Domino temperantur scil. vt ille super quem sors cadit ostendatur electus à Domino.

Sermo 3. De Eodem.

EXaltaui electum de plebe mea Psal. 88. Vbique terrarum ius est consuetum quod bonitas rei factæ principali actori attribuitur. Sicut bonitas domus carpentario non securi: quia non mouet nisi mota: ideo Deus tanquam principalis actor sibi ascribit exaltationem Matthiæ dicens, exaltaui &c.

Vbi Matthias commendatur à tribus. A societate: quia catholica: vbi dicit, de plebe mea. Ab electione quia canonica: vbi dicit electum. A dignitate: quia Apostolica: vbi dicit, exaltaui. Vel generalius notantur tria. meritum humilitatis, in plebe. plebs dicitur populus humilis. præconium puritatis in electione. sic gingiber vel pisa dicuntur electa quando ab impuris separata. Officium dignitatis in, exaltatione.

Sermo 4. De Eodem.

HVmiliaui lignum sublime & exaltaui lignū humile. Ezech. 17. Sicut in statera altera parte depressa vna eleuatur. Sic in æquitate diuina superbi desiciuntur & humiles exaltantur. Exemplum in lucifero & beata virgine. In Saule & Dauid. de quibus Samuel. 1. Reg. 17. Scidit Dominus regnum Israel à te hodie & tradidit illud proximo tuo meliori te. In Iuda & Matthia: de quibus Ps. episcopatū eius accipiat alter. nam Iudas propter malitiam condemnatus: & Matthias in humilitate exaltatus: secundum quod dicitur in verbis propositis mystice intellectis.

Vbi notatur primo deiectio Iudæ: quia, humiliaui &c. Secundo electio Matthiæ: quia, exaltaui &c. Circa deiectionem notantur tria. natura: ibi, lignum. culpa: ibi, sublime. pœna: ibi, humiliaui. vt sit natura subiectum culpæ. culpa meritum pœnæ. pœna debitum vtriusque. Circa electionem similiter notantur tria. natura: ibi, lignum. gratia: ibi, humile. excellentia: ibi, exaltaui. vt sit natura subiectum gratiæ. gratia meritum excellentiæ. excellentia debitum vtriusq; excellentia dico & societatis Apostolicæ in præsenti & angelicæ in futuro.

De Eodem, Sermo 5.

IAcob dilexi: Esau odio habui Malach. 1. Licet in omni opere Domini iustitia sit & misericordia tamen magis apparet nobis iustitia in reprobationē malorum. misericordia in dilectione bonorum. Exemplum huius habemus in reprobatione Aman & promotione Marduchei, Hester. 8. Tulit rex anulum quem ab Aman recipi iusserat & tradidit Mardochæo. similiter in eiectione Iudæ & electione Matthiæ. vt eis competat: quod hic dicitur, Iacob &c.

Vbi notantur quatuor. electus. electio: eiectus & eiectio. vt notatur primo electi iustitia: ibi, Iacob. id est supplantator: per quem Matthias. electionis gratia: ibi, dilexi. diligere est ex diuersis eligere. Eiecti malitia: ibi, Esau. id est vanus vel frustra. eiectionis miseria: quia, odio habui. electus amabilis. electio amicabilis. eiectus detestabilis. eiectio miserabilis.

Sermo 6. De Eodem.

DVo erunt in agro vnus assumetur. alter relinquetur. Matth. 24. Sicut qui ventilat in area assumit grana & relinquit paleas & lapillos. Sic Dominus in agro mundi facit: quia bonos seruos assumit & malos relinquit. sic Iudam reliquit & Matthiam assumpsit. vt de eis verificetur. quod hic dicitur.

Vbi duo notantur. Primo communis libertas in statu merendi: quia, duo erunt in agro sc. Matthias & Iudas in ecclesia. Secundo finalis diuersitas in modo meriti: quia, vnus assu. Vbi implicantur quatuor, Matthiæ commendatio: quia, vnus scilicet cum Christo per amorem. cōmendanti exaltatio: quia, assumetur ad gradum. scilicet Apostolicum. Iudæ proditio: quia, alter. per alteritatem & discordiam à Christo tradidit ipsum. proditoris eiectio: quia, relinquetur.

Sermo 7. De Eodem.

DAbitur illi fidei donum electum & sors in templo Domini acceptissima. Sap. 3. Solet dici quod benedictus sit locus vbi prauo electo probus sedet. sic amoto Iuda de loco apostolatus benedicendus est locus & Deus qui dedit Matthiam loco eius: secundum quod dicitur hic, dabitur illi scil. ecclesiæ siue congregationem Apostolicæ, fidei donum electum. id est

Matthiæ

Matthiæ qui interpretatur donatio Domini. electus ab Apostolis ad prædicationem fidei.

Vbi tangit duo scilicet Matthiæ electionem: quia, dabitur &c. Electionis modum siue formam: quia, sors in templo &c. In prima implicantur quatuor expedientia prædicatori scilicet vtilitas propter commodum ibi, dabitur. sanctitas propter exemplum: ibi, illi scil. societati incoinquinatæ. cum sancto enim sanctus eris. veritas propter documentum; ibi, fidei donum. auctoritas propter officium: ibi, electum. Primum commendat finem. secundum formam. tertium materiam. quartum auctoritatē prædicationis. Circa modum electionis notantur tria. scil. antiquus modus: quia, sors. locus debitus: quia, in templo Domini. fructus multus; quia, accepiissima. accepta propter sanctitatem electi. acceptior propter dignitatem Apostoli. accepiissima propter vtilitatem officii.

Sermo 8. De Eodem.

NEc quisquam assumit sibi honorem sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron Heb. 5. Quidam nec assumunt nec vocantur ad honorem: sic multi subditi. sicut Nicodemus. Alii assumunt & non vocantur: sicut Ozias rex Amos. 6. Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus. n. c. de quibus Oseæ. 8. Ipsi regnauerunt: sed non ex me. sic voluit facere lucifer. Tertii non assumunt & vocantur: sicut Euangelista Marcus qui ne esset Episcopus abscidit sibi pollicem. sic Christus fugit cum vellent eum facere regem. Iohan. 6. & Hebr. 12. Qui proposito sibi gaudio sus. &c. Quarti assumunt & vocantur: sicut Nicolaus & Matthias. qui commendantur in verbis propositis à duobus. Ab exclusione ambitionis: quia, non assumpsit sibi. Ab auctoritate eligentis: quia, vocatur à Deo. Exclusio ambitionis ostenditur in duobus. Primo dignitatem sibi non vsurpando: quia, sibi non assumpsit. Secundo in aliis non parui pendendo: cum dicit, honorem. Circa auctoritatem electionis notantur tria. Sublimitas siue potestas in eligente: quia, Deus. Regularitas in electione: ibi, vocatur. ille à Deo vocatur qui canonice eligitur. Exemplaritas de vtroque: ibi, tanquam Aaron qui diuino nutu est electus virga eius florente. Num. 17. Et mandato Dei consecratus. Exod. 28. & Leuit. 18.

Epistola Actor. 2. Surgens Petrus. fi. cum. 11. Apostolis. Euangelium Matth 11. Respondens Iesus dixit confiteor. finis. leue.

In Festo beati Gregorii, Sermo primus.

NEphthalim ceruus emissus dās eloquia pulchritudinis. Gen. vlt. In tribus debent pollere doctores & prælati scil. in gratia: in vita in doctrina. vt sit gratia in meritum. vita in exemplum. doctrina in documentum. Ideo Apostolus gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me, &c.

In his tribus splenduit specialiter Gregorius vt verum sit de eo quod hic dicitur, Nephthalim &c. Vbi notantur tria ipsum cōmendantia. Magnitudo gratię ibi, Nephtalim. qui interpretatur habitatio: quod conuenit secundum gratiam incipientem. dilatatio quod conuenit secundum gratiam proficientem. conuertens eos quod cōuenit secundū gratiam redundantem. Ipse enim multos conuertit ad Dominum. Sanctitudo vitæ: ibi, ceruus emissus. Ceruus enim est animal mundum in quo figuratur munditia conuersationis. expeditum: in quo strenuitas operationis. desiderans fontes aquarum: in quo anxietas affectionis. Pulchritudo doctrinæ: ibi, dans eloquia pul. Inter cæteros enim doctores habuit pulchrum modum docendi: & in ordinatione officiorum: & in expositione librorū: & in prædicatione sermonum. Ergo dans, non vendens contra doctores venales. Matth. 10. gratis accepistis gratis date. Eloquia. i. euloquia id est bona verba non insania contra se obiectantes. Ps. Eructauit cor meum &c. Pulchritudinis non turpitudinis contra deturpantes per malam vitam: vel inuoluentes per obscuram expositionem.

Sermo 2. De Eodem.

VIrgam vigilantem ego video. Ier. 1. Inter cætera prælatus comparatur virgæ: pastori: & luci. Virgę propter rectitudinem. pastori propter sollicitudinem. luci propter plenitudinem. Debet enim prælatus rectus esse ex operatione insta quo ad seipsum. Intentione directa quo ad Deū. Correctione modesta quo ad proximum. Virga enim in se est recta, in altum tendit: minus quam claua lædit. Esa. 11. a. Egredietur virga de radice Iesse &c. Item debet esse sollicitus vigilando vt non minuatur, vt multiplicetur, vt Domino reddatur. exemplum in Iacob Gen. 31. & Luc. 2. Pastores erant in regione. eadem vigilantes &c. Itē debet lucere vt videatur ad proximi ædificationem: ad Dei glorificationem: ad meriti sui augmentationem. Matth. 5. Vos estis lux mundi: sic luceat lux vestra coram hominibus.

Ab his tribus commendatur Grego. A rectitudine vitę: quia, virga. A sollicitudine vitæ: quia, vigilans. Greg. enim vigilans interpretatur. A plenitudine gratiæ in exemplum: quia, ego video. & sic præfuit & profuit merito vitæ: officio curæ: exemplo gratiæ.

Sermo 3. De Eodem.

LAudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude. Ps. 68. Circa laudem hominum videmus quia quidam laudant quod nō est laudandū. Ps. quomodo lau. pec. in de. Alii econtra non laudant quod est laudandum. Ps. Nō mortui in peccatis sc. laudabunt te Domine. Tertii non laudant quod nec est laudandum. Eccles. 11. non laudes virum in specie sua. eodem. Ante mortem ne laudes hominē. Quarti laudāt quod est laudandum. Psal. Confitebor Domino nimis in ore meo &c. Primi committunt. secundi omittunt. tertii non cōmittunt. quarti non omittunt: quia laudant quod est laudandū. quod fecit specialiter Greg. qui ordinauit tantum in ecclesia: vnde vere potuit dicere, laudabo nomen Dei cum cantico &c.

Vbi commendatur à quatuor secundum quatuor causas in quolibet opere concurrentes. Primo ex laudis actore: cum dicit, laudabo scilicet ego Dauid per quem greg. Ex materia cū subdit, nomen Dei. Ex forma cum addit, cum cantico.

Ea fine cum soperaddit, & magnificabo &c. In actore habemus actionem imitandam: quia, laudabo. In materia dignitatem venerandam: quia, nomen Dei. In forma solemnitatem abundantem: quia, cum cantico. In fine vtilitatem adipiscendam: quia, magnificabo.

Sermo 4. De Eodem.

AB initio confirmatus sum consiliatus sum & cogitaui & scripta dimisi. Eccl. 39. Doctor siue prælatus debet firmos esse in sancta vita ad ædificationem proximi. Et firmus in via Domini vt fit Petrus. Matth. 16. Doctus in sana doctrina ad cognitionem. Eccl. 39. adhuc consiliabor vt. Studiosus in sacra doctrina ad aliorum eruditionem. Eccl. 6. Cogitatum habe in præceptis Dei. Operosus in scribendo cogitata ad memoriæ commendationem: Ecclesi. 38. Sapientiam scribe in tempore va. Propter primum comparatur domui super Petram stanti. Matth. 7. Propter secundum lunæ lumen à sole recipienti. Ecclesi. 43. Propter tertium lucernæ omnibus lucenti. Matth. 5. Propter quartum calamo velociter scribenti. Psal.

Hæc sunt quatuor quæ specialiter & excellenter fuerunt in beato Gregorio. Fuit enim firmus in sanctitate vitæ: vt diceret, ab initio confir. Edoctus in veritate scientiæ: vt diceret, & consiliatus sum. Studiosus in expositione sacræ scripturæ vt diceret, & cogitaui. Operosus in scribendo veritatem expositionis sanæ: vt diceret, & scripta dimisi. Omnia faciunt ad sapientiam habendam: quia bona vita præparat Ecclesi. 2. Fili accedens ad sapientiam. Sanam doctrinam præstat. Eccl. 6. Si dilexeris audire sapien. Studium multiplicat. Eccl. vlt. Modicum laboraui. Scriptura conseruat nostræ memoriæ. Psal. Scribantur hæc in generatione altera.

In Eodem.

Iustus cor suum tradet ad vigilandū. &c. supra pag. 101. col. 2.

In Eodem.

Curam habe de bono nomine &c. supra pag. 121. col. 1.

Epistola Sap. 7. Optaui. si. amicitia Dei. Euang. Matt. 24. vigilate. finis. constituet eum.

In Festo sancti Benedicti, Sermo primus.

INgredere benedicte Domini cur foris stas? præparaui domum & locum camelis tuis. Gen. 24. Tribus modis trahitur aliquis ad obediendum. Ex hortando ad propositum. allegando supra oppositum. promittendo futurum commodum. Sic Dominus volens nos trahere ad salutem ait Matth. 11. g. Venite ad me omnes. ecce exhortatio. qui laboratis & onerati estis. ecce allegatio. & ego reficiam vos. ecce promissio. ideo festinemus ingredi in illam requiem.

Sic Dominus congaudens benedicto inuitat ad ingressum siue religionis siue contemplationis siue fruitionis, ingredere &c. allegat periculum dilationis, cur foris stas. promittit hospitiū beatitudinis, præparaui &c. Fœlix qui dignus est tali inuitatione. tali festinatione. tali mansione. Circa primum implicantur tria s. vitioni gloriæ necessaria. scilicet glorificans, glorificabile, glorificatio. ecce glorificantis potestas. quia Dominus. glorificabilis congruitas: quia benedictus glorificationis veritas: quia. ingressus vt ei competat illud Matt. 25. intra in gau. Circa hospitium beatitudini implicantur duo. Amænitas quia, præparaui domum. Capacitas quia, locum camelis. id est sequacibus suis.

Sermo 2. De Eodem.

BEnedictos eris ingrediens & egrediens. Deut. 28. a. Hominum viatorum quidam benedicuntur in ingressu sed maledicuntur in egressu: sicut qui finaliter à statum gratiæ cadunt, vt Iudas. Psalm. dilexit maledictionem & veniet ei & non. sic Iudæi. Alii econtra maledicuntur in ingressu sed benedicuntur in egressu: sicut qui in fine ad statum gratiæ veniunt: sicut latro bonus: sicut Paulus. Zach. 8. d. Sicut eratis maledictio in gentibus: sic eritis benedictio. Tertii maledicuntur in vtroque: sicut qui nunquam gratiam præsciunt. Deut. 28. d. Maledictus eris in &c. Quarti benedicuntur in vtroque: sicut qui gratiam baptismalem finaliter custodiunt. Psalm. Benedictionem dabit legisla.

Sic beatus Benedictus iuxta nomen suum benedictus fuit ingrediendo mundum per gratiam præuenientem: ideo dicit, ingrediens. progrediendo per mundum per gratiam proficientem: ideo dicit, eris. in quo notatur continuatio ad summam. egrediendo de mundo per gratiam consummantem: ideo dicit, & egrediens.

Sermo 3. De Eodem.

BEnedicam tibi & magnificabo nomen tuum: erisque benedictus Gen. 12. Hominum viatorum quidam benedicuntur & sunt maledicti: quia benedicuntur à mundo non Deo. Ps. Quomodo laudatur peccator in desi. &c. Alii maledicuntur & sunt benedicti: quia maledicuntur à mundo non à Deo Psalm. Maledicent illi & tu bene. Tertii maledicuntur & sunt maledicti quia à Deo & à mundo. Psal. Increpasti superbos &c. Deut. 28. Quarto benedicuntur & sunt benedicti: quia & à Deo & à mundo. sicut dicitur hic de Abraham. & Eccl. 44. de Isaac. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.

Sic Benedictus fuit benedictus à Deo per infusionem gratiæ: vnde dicit, benedicam tibi. Benedictus à mundo per dilatationem famæ: vnde subdit, magnificabo nomen tuum. Benedictus in cælo per magnitudinem gloriæ: vnde addit, & eris benedictus. Ergo Benedictus fuit in gratia in statu incipientium. fama in statu proficientium. gloria in statu beatorum.

Sermo 4. De Eodem.

DIlectus Deo & hominibus cuius memoria in benedictione est similem fecit illum in gloria sanctorum. Eccl. 45. Secundum Philosophum omnes transferentes secundum similitudinem transferunt. ideo verba dicta de Moyse ad Benedictum transfero propter multiplicem similitudinem quam inuenio. Primo in nocui derelictione: quia. M. Ægyptum. B. mundum dese-

deseruit. Secundo in proficui electione: quia Moyses desertum. B. desertum siue clausttrum petiit. Tertio in multorum regimine: quia M. Iudæos in desertum. B. monachos in eremum duxit. Quarto in ipsorum instructione. quia. M. legem. B. regulam dedit. Quinto in victoria tentationum: quia. M. tentationes populi. B. tentationes carnis superauit. Sexto in operatione miraculorum: quia vterque multis miraculis claruit. Septimo in veritate nominum quia ille Moyses & re & nomine. iste Benedictus re & nomine fuit. dicamus ergo de Benedicto, dilectus Deo &c.

Vbi sapientia commendat sanctum suum tripliciter. Primo ex gratia qua placuit viuis in mundo: & sic dicitur, dilectus Deo. cui seruiuit humiliter: & humilibus quos ædificauit multipliciter: secundum illud Deut. 33. Benedictus in filiis asser sit placens fratribus suis &c. Secundo ex memoria quam redolet mortuus in sepulchro: & sic dicitur, cuius memoria in benedictione est. Tertio ex gloria qua resplēdet assumptus in cælo: & sic sequitur, similem illum fecit &c. Ergo in vita dilectus: in memoria benedictus: in gloria beatus. Circa quam gratiam implicantur tria. Glorificans Deus: quia, similem fecit. glorificabile benedictus: quia, illum. ipsius gloriæ status: quia, in gloria.

De Eodem.

Ecce elongaui fugiens & mansi. supra pag. 114. col. 1.

De Eodem.

Elegi abiectus esse in domo &c. sup. pag. 112. col. 2.

De Eodem.

Curam habe de bono nomine &c. supra pag. 121. col. 2.

Epistola Eccles. 45. Dilectus Deo. & disciplina Dei. Euang. Luc. 11. Nemo ascendit. finis. & illuminabit.

In Festo Annunciationis, Sermo primus.

VIdens vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto & gemitum eius audiui & descendi liberare eos. Act. 7. & Exod. 3. Sicut nobilis videns vel audiens aduersarios terram suam vastare, homines suos vexare descendit de palatio vt arma accipiat ad reprimendum aduersarios & liberandum subditos: Sic Dei filius descendit in virginem vt in ea humanitatem quasi armatură acciperet & dæmones captiuantes genus humanum redimeret & suos de captiuitate liberaret: vt vere possit dicere, videns vidi &c.

Vbi duo notantur. Humana miseria: quia, afflictionem populi &c. Diuina misericordia: quia, vidi & descendi. Circa primum tangit tria miseriam aggrauantia Statum: quia, afflictus populus. Locum: quia, Ægyptus. Signum: quia, gemitus. In afflictione notatur miseriæ magnitudo. In Ægypto multitudo secundum multiplicem interpretationem: quia tenebræ. In limbo coangustatio. In mundo tribulatio: quia sine paradiso. In gemitu longitudo. gemitus enim frequentius ex languore prouenit. Circa secundum tangit tria misericordiam commendantia: motiuum, motum, commodum. Motiuum charitas: quia, vidi & audiui. Motus humilitas: quia, descendi. Commodum vtilitas: quia, liberare eos scilicet quia vna manu diaboli repellebantur frequentius ad peccatum. Alia trahebantur communiter ad infernum. Hunc descensum petebat Dauid. Domine inclina cælos &c. Esa. vtinam dirum. cæ. & de. Sed hodie inclinauit cælos & descendit.

Sermo 2. De Eodem.

HOmo natus est in ea & ipse fundauit eam altissimus. Psal. 86. Secundum omnem cursum conceptionis non coocipitur homo actu sed in potentia. non manet concipiens virgo sed corrupta. non est mater posterior sed prior prole. non est proles alterius: sed tantū naturæ eiusdem cum matre. In hac autem sacra & mirabili conceptione inueniuntur quatuor opposita iuxta testimonium verbi propositi. quia concipitur actu perfectus homo: vnde dicit, homo natus est. hoc est nouum super terram factum: quia mulier circumdedit virum. Ierem. 31. d. Concipiens manet vera virgo: vnde dicit, in ea scilicet virgine. hoc est signum Moysi ostensum scilicet ignis in rubro non comburens eum. Exod. 3. Mater posterior est prole: quia, ipse fundauit eam. hoc est verbum sapientis in ipsa impletum. Eccl. 24. c. Qui creauit me requi. in taber. Proles alterius non tantum eiusdem naturæ cū matre. quia, altissimus. & ita Deus. hoc est signum Achaz datum. Esa. 7. c. Ecce virgo conci. & pa. fi. & vo. &c.

Ergo secundum hæc verba in Christo commendantur duo. humanitas: quia, homo &c. diuinitas: quia, ipse fundauit &c. Humanitas commendatur ex duobus. ex concepti perfectione: quia, homo. ex concipientis incorruptione: quia, in ea scil. virgine. Diuinitas ostenditur ex duobus. ex mirabili potestate: quia, ipse fundauit matrem. ex singulari sublimitate. quia. altissimus. Eccl. 38. a. Altissimus creauit de terra medicinam. Vbi notantur quatuor causæ conceptionis.

Sermo 3. De Eodem.

SOlem nube tegam. Ezech 32. Si sol in rota nō potest videri ab oculis nostris propter excellentiam suæ lucis sed videtur sub nube: quanto minus Dei filius qui lucem habitat inaccessibilem potest videri ā corporalibus oculis in Deitate sua. Ideo vt nobis visibilis appareret sub nube humanitatis latuit. ergo nubes beata virgo. Humida per deuotionem: frigida per virginitatem: obscura per humilitatem. dissolubilis per mortem. Sol purus in substantia. speciosus in forma. sublimis in gradu. vtilis in effectu Dei filius. Tegimen est assumptio carnis ex virgine.

Secundum hoc circa incarnationem notantur hic tria. diuinitas in sole. humanitas in nube. vnio vtriusque in tegimine. Erit ergo diuinitatis sublimitas reuerenda in sole. Sublimitatis humilitas imitanda in nube humanitas appetenda tu regimine.

iii Sermo

Sermo 4. De Eodem.

DEus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ. Psalm. 63. Tria sunt quæ reddunt opus commendabile. operantis strenuitas. Eccl. 9. In manu artificum opera laudatur. Operationis vtilitas. Matth. 26. Quid molesti estis huic mulieri &c. Vtilitatis generalitas. Psal. quam magnificata sunt opera tua Domine omnia in sapientia &c.

Ista tria commendant opus nostræ salutis scilicet incarnationem. strenuitas operantis: quia, Deus. vtilitas operationis: quia, salus. generalitas vtilitatis: quia, in medio terræ. scilicet vt omnes possint attingere. ideo ponitur in medio vt percipiatur ab omnibus. Strenuitatem operantis commendat sapientia: quia, Deus qui dicitur à theaste quod est videre. potentia: quia, rex noster. bonitas: quia, ante secula. nihil enim est æternum nisi summum bonum. bonum enim & ens conuertuntur. Vtilitatem operationis cõmendant præsentia boni exhibiti: quia, operatus est. excellentia doni necessarii: quia, salutem. glo. incarnationem quæ fuit causa totius nostræ salutis. Generalitatem vtilitatis commendant & locus melius qui magis potest participari. & status terrenus qui indigebat saluari: vnde dicit, in medio terræ. id est in vtero Mariæ. vel secundum glo. in Hierusalem quæ est medium & quasi vmbilicus terræ. mirabile quod Deus circumscriptus: quia, Deus in medio terræ. talis rex artifex: quia, rex noster operatus est. æternus conceptus: quia existens ante sæcula: factus Iesus, id est Saluator.

Sermo 5. De Eodem.

SImul in vnum diues & pauper. Psalm. 48. Secundum Ans. congruit vt debitum reddat qui debet & potest. Emendę pro reatu naturæ humanæ homo debitor erat sed reddere non poterat. Deus reddere poterat: sed debitor non erat. Ideo congruit ad solutionem debiti vt qui solueret simul Deus & homo esset. Deus qui posset. homo qui propter naturam generalem deberet: vt essent, simul diues & pauper. quod factum est in incarnatione: secundum quod prædictum est in verbis propositis.

Vbi implicantur quattuor circa personam incarnatam. potestas diuinitatis: quia, diues. paupertas humanitatis: quia, pauper. vnio & permanentia vtriusque naturæ: quia, simul. non enim factus homo desiit esse Deus vnitas suppositi siue personæ: quia, vnum. Deus enim & homo vnus est Christus. Ecce ergo potestas insuperabilis in diuite. paupertas miserabilis in paupere. simultas admirabilis in vnione. vnitas indiuisibilis in personalitate.

Sermo 6. De Eodem.

DIlectus meus misit manum suam per foramen venterque meus intumuit ad tactum eius. Cantic. 5. Libenter debet seruiri Dominus dum est amicabilis. curialis. humilis obsequendo. vtilis operando. Hæc enim consequenter se habent. Nam ex charitate procedit curialitas. Ex curialitate humilitas. Ex humilitate vtilitas.

Hæc beata virgo commendat recitans incarnationis beneficium. Primo motiuum charitatis in dilectione Dei: vnde dicit, dilectus meus. Secundo modum curialitatis in missione filii: vnde subdit misit manum: id est filium. Tertio actum humilitatis in assumptione carnis: vnde addit ad tactum eius. Quarto fructum vtilitatis in impregnatione virginis: vnde sequitur, venter. Curialitatem vero Dei circa incarnationem ostendunt tria. Modus dandi: quia, misit. non merita nostra aduocauerunt. Pretium doni: quia, manum. id est filium non angelum, non aliam creaturam. Facilitas habendi: quia, per foramen id est per consensum & obedientiam virginis: nisi enim patiens cederet & obediret agenti. nunquam fieret foramen.

Sermo 7. De Eodem.

GIrum cæli circuiui sola. Ecclesiastic. 24. Vere Dei filius est sphæra intelligibilis cuius centrum est vbique circumferentia vero nusquam. Sphæra ista quædam habet à patre. quædam à matre. A patre habet quod circumeat: & quod circumeat cælum: ideo dicitur, girus cæli. A matre habet quod circumeatur à terra: ideo dicit virgo, circuiui sola. Ergo à patre habet duo. continentiam potestatem. quæ notatur in giru. Continendi generalitatem quæ notatur in cælo: quia si cælum regit omnia: si continet cælum continet omnia. Item à matre duo. modicitatem: quia circuitur: nouitatem: quia à sola muliere scilicet sine viro.

Ecce ergo in matre duo. virginitas: quia, sola. fœcunditas: quia, girus. immensitas: quia, cæli. Est enim Christus girus ingirabilis. Ergo ista conceptio habet nouitatem ex virginitate matris. veritatem ex fœcunditate virginis. dignitatem ex potestate prolis. admirationem ex immensitate potestatis ideo Ierem. 31. Nouum fa. Dominus super terram &c.

Sermo 8. De Eodem.

TErra nostra dabit fructum suum. *Psalm.* 84. Tunc habetur spes de fructu quando semen bonum germinat tempore suo in terra bona: secundum illud Matth. 13. Alia ceciderunt in terram bonam & dederunt fructum. & Lucæ. 8. Hodie semen in quo benedicentur omnes gentes scilicet Dei Filius in terram bonam scilicet virginem Mariam descendit. Ideo hoc præuidens. Psalm. sperans de fructu ait, terra nostra &c.

Vbi iuxta numerum vocabulorum beata virgo commendatur à quinque. Primo ab humilitate: quia, terra. terra enim est infima elementorum: secundum illud cælum sursum & terra deorsum. Prou. 25. Sed mirabile, quia hodie cælum & terra sunt simul iuncta: quia nõ habuit ibi locũ aqua fluxibilis immunditię. aer vẽtosus superbiæ. ignis ardens auaritiæ: quia sine vitio facta est
conce-

conceptio. Secundò à charitate: quia, nostra. si enim dedit quod plus amabat incomparabiliter quam seipsam scil. filium quanto plus seipsam. Tertiò à libertate: quia, dabit. pater enim dedit ipsum in incarnatione: quia sic Deus dilexit mūdum vt vnigenitum. 1. Iohan. 3. Mater in natiuitate. Psal. confiteantur tibi populi Deus confite. &c. Ipse dedit semetipsum pro nobis vt nos re. ab omni nō. Quarto ab vtilitate: quia, fructum quo scil. fruemur in cælis. Psal. cum dederit dilectis suis somnum &c. Quinto à virginitate: quia, suum sc. proprium sine viri participatione. quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est.

Sermo 9. De Eodem.

HÆc dies boni nuntii est: si tacuerimus & noluerimus nuntiare vsq; mane sceleris arguemur. 4. Reg. 7. Duplex famosum nuntium legimus in scriptura. vnum quod fecit diabolus euæ. Aliud angelus Mariæ. Antiquitus ergo præcessit dies mali nuntii: quia ad damnationem nostram, sed hodie secuta est dies boni nuntii: quia ad redemptionem nostram. Et ideo exultemus & lætemur in ea. sicut captiuus in aduentu diei qua debet liberatio eius inchoari: secundum hoc dicitur, hæc dies &c.

Vbi duo proponuntur. beneficium acceptum scil. nuntium nostræ salutis: propter quod dicit, hæc est dies boni nuntii: præconium debitum scil. gaudium diuinæ laudis: propter quod subdit, si tacuerimus &c. Circa primum implicantur quatuor secundū quatuor vocabula ad commendationem huius diei scil. singularis dignitas. claritas, vtilitas, nouitas. Ecce ergo dies clara. ideo dicitur, dies à dian quod est clarum quippe quia hodie conuenerunt lumen angelicum in salutatione. vnde expauescit virgo de lumine. virgineum in responsione. Eccl. 26. Sicut sol oriens &c. diuinum in incarnatione. Iob. 1. erat. Item dies priuilegiata. ideo cum distinctione dicitur, hæc. Psal. Hæc dies quam fecit. Item dies fructuosa: ideo dicitur, boni. Eccl. 7. In die bona fruere &c. Item dies noua: ideo dicit, nuntii. vere nouum nuntium: quia virgo fæcundatur: sed sine viri semine. Deus humanatur: sed in sola virgine: homo reconciliatur: sed mediante homine Deo. ideo Esa. 46. Aperiatur terra & ger. sal. &c. Sed quia vbi tot sunt beneficia reprehensibilia sunt silentia. Ideo addit præconium laudis debitum. Vbi tangit duo. Primo triplicem reprehensibilem defectum scil. tacere, negligere, differre. Secundo reprehensionis argumentum: quia, sceleris arguemur. tacere dicit defectum in ore. nolle nuntiare in corde. differre in vtroque.

Sermo 10. De Eodem.

VInea nostra floruit. Cantic. 7. Sicut legitur Gen. 21. Plantauit Abraham pater omnium nemus in Bersabeæ. id est congregationem fidelium in ecclesia. in quo nemore plantauit vineam electam id est virginem Mariam: quæ sicut vinea habet frondes. id est verba in vmbraculum fruitoris. Ezech. 10. Vitis frondosa Israel. habet flores id est exempla. in spiramentum odoris. Cant. 2. Vineæ florentes odo. de. habet fructum id est Christum in cibum fruitionis. Ecclesi. 24. Ego. quasi vitis fructificaui. ideo sapiens videns hanc vineam concepisse ait gaudendo, vinea nostra floruit.

Vbi notantur tria. conditio matris: quia, vinea. conceptio prolis: quia, floruit. vinea dum floret habet intus formatum granum. sic concepit virgo formatum puerum. communicatio vtilitatis: quia, nostra. Ecce ergo vinea de qua processit vua passa cuius liquor inebriat Deum & homines.

Sermo 11. De Eodem.

AVe gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. Ad hoc quod creatura rationalis sit perfecte bona. oportet quod habeat rectam ordinationem ad tria. scilicet ad illud quod est infra. ad id quod est supra. ad id quod est iuxta. id est ad seipsam ad Deum. & ad proximum. sicut domus bonitas patet ex debita cameratione. ex debita altitudine. ex debita coniunctione ad aliam.

Ab his commendat angelus specialiter beatam virginem. scilicet à recta ordinatione respectu sui: cum dicit, Aue gratia plena. respectu Dei: cum subdit, Dominus tecum. respectu proximi: cum addit, benedicta tu in mulie. Ipsam vero respectu sui commendant tria scilicet omnis mali carentia: ibi, aue. id est sine væ. spiritualis boni præsentia: ibi, gratia. præsentiæ abundantia: ibi, plena. Ipsam vero respectu Dei commendant duo. humilitas, & societas. humilitas exhibita Domino: ibi, Dominus. cuius scilicet se fatetur ancillam. societas exhibita spōso: ibi, tecum scil. in mente & in carne. Ipsam respectu proximi commendant duo. sanctimoniæ euidentia ad exemplum propter quod dicitur, benedicta tu. euidentiæ eminentia in præconium: propter quod subditur, in mulieribus. id est à mulieribus vel super mulieres. Alia quæ in salutatione dicuntur non sunt de verbis angeli: sed vnum. scil. Maria additur ab Ecclesia. Aliud scil. benedictus fructus ventris tui. assumptum est de verbis sanctę Elizabeth.

Epistola. Esa. 11. Egredietur virga. fi. regnum eius. Euangelium. Luc. 1. Missus est angelus. finis. secundum verbum tuum.

De beato Ambrosio, Sermo primus.

DEclinauit Samson vt videret cadauer leonis: & ecce examen apum in ore leonis erat & fauus mellis Iudic. 14. In Ambrosió dormiente pater eius vigilans vidit quod in leone mortuo Samson inuenit non sine præsagio futurorum, Vnde inquit pater puer iste aliquid magnū erit. Ideo ad commendationem Ambrosii verba ista non immerito proponuntur.

In quibus tria circa Ambrosiū notantur. meritum vitæ, priuilegium sapientiæ, magisterium doctrinæ. In Ambrosio enim inuenitur vita cum perfectione quod notatur in proprietate leonis, declinauit inquit San. &c. Sapientia cum dulcedine: quæ notatur in mellificatione apis. & ecce inquit examen apum &c. Doctrina cum plenitudine quæ notatur, in fauo mellis. Circa perfectionem vitæ notantur tria. pater testificās: quia,

 decli-

declinauit san. visus certificans: quia, vt videret visio significans: quia, cadauer leonis. Hæc patent in legenda. Circa dulcedinem sapientiæ similiter notantur tria. euidentia: ibi, ecce. quod est aduerbium demonstrandi. abundantia: ibi, examen apum non vna apis. efficacia: ibi, in ore leonis. non tantū in corde. Circa plenitudinem doctrinæ notantur duo. redūdantia in fauo. gratia in melle. Ergo de perfectione leonis sequitur mellificatio apis. ad mellificationem apis redundatio mellis. Prou. 16. Fauus mellis verba composita. Psal. quam dulcia faucibus.

Sermo 2. De Eodem.

OS prudentis quæritur in ecclesia: & verba illius cogitabunt in cordibus suis. Eccles. 21. Duo sunt quæ complent officium prædicationis. gratia in prædicante: & obedientia in audiente: secundum illud Psal. docebo iniquos vias tuas & impii ad te conuertentur.

Ab his duobus merito commendatur Ambrosius videlicet: quia gratiosus in verbo: ideo in ecclesia quærebatur sicut patet in legenda sua. quia fructuosus in populo. ideo verbum eius seruabatur. gratiosum vero reddebant eum tria: facundia verborum: ideo dicitur, os. secundum illud Psal. Domine la. m. &c. noticia dicendorum: ideo subditur, prudentis. Prou. 9. Sancta sanctorum prudentia. eminentia amborum: ideo additur, quæritur in ecclesia. Prou. 10. Cor sapientis quæret doctrinam. Fructuosum in populo reddebat eum auditorum obedientia quam commendant tria. obedientiæ materia: quia, verba illius. Matth. 7. Qui audit verba mea &c. materiæ noticia. quia, cogitabunt vi. Cogitatum habe in præceptis Dei. noticia diligentia: quia in cordibus suis: secundum illud Ps. in corde meo abscondi eloquia tua. Ad hoc enim quod aliquis recte obediat oportet quod mandatum audiat, intelligat & diligat. auditus in verbis. intelligentia in cogitatu. dilectio in corde notatur.

Sermo 3. De Eodem.

IN labiis sensati inuenitur gratia Eccl. 21. Triplex est potentia in homine quæ debet esse perfecta in doctore. cognitiua, affectiua, interpretatiua. perficit autem cognitiuam nitor prudentiæ vt videat. affectiuam feruor gratiæ vt ardeat. interpretatiuam decor facundiæ vt doceat. vt sit doctrina verax feruens & aperta.

Ista tria in verbis propositis ad commendationem Ambrosii implicantur. nam in labiis facundia: in sensato: prudentia. in inuentione gratiæ gratia inuenitur. Hæc tria petebat. Psal. bonitatem in affectu & disciplinam in fatu: & scientiā in intellectu. doce me: & alibi Deus docuisti me &c.

Sermo 4. De Eodem.

AD silicem extendit manum suam subuertit à radicibus montes in Petris riuos excidit omne pretiosum vidit oculus eius profunda quoque fluuiorum scrutatus est abscondita produxit in lucem. Iob. 28. Secundum diuersos ordines sanctorum sic est diuersitas præconiorum in quibus præeminent. Vnde sicut in Apostolis laudamus gratiam qua fundata est & plantata ecclesia. in martyribus constantiam qua roborata est & munita. In confessoribus vitam qua ædificata est & multiplicata. In virginibus munditiam qua decorata est & ornata. Ita in sacris doctoribus doctrinam qua illustrata est & edocta.

Vnde verba proposita ad commendationem Doctoris Ambrosii exposita insistunt laudi doctrinæ suæ. Et primo quia proficua in conuersione malorum: secundum quod fuit prædicator in populo. secundo quia profunda in expositione sacrorum librorum: secundum quod fuit Doctor in studio. propter primum dicitur quod, ad silicem extendit &c. propter secundum: quia, omne pretiosum. &c. Eccl. 15. In medio ecclesiæ aperuit os eius ad eruditionem turbæ: & impleuit eū Dominus Spiritu sa. & in. ad expositionem scripturæ. In primo commendat fructum prædicatoris secundum tres actus. Quorū primus est, ad silicem manum extendere. secundus mōtes subuertere. tertius fontes in petris producere. in silice resistentia & obstinatio infidelium quam contriuit. In montem superbia potentum quam humiliauit. in petra duritia impœnitentium quam emolliuit. Fœlix prædicator qui & infideles conuertit ad fidem vt Augustinum & alios qui ante conuersionem erat silex durus obtusus & ponderosus: & hic, misit manum ad silicem. contra eum disputando vt à secta Manichæorum reuocaret: erudiendo vt Esaiam legeret: eum baptizando vt regeneraret. Fœlix qui & potentes humiliauit ad obedientiam vt hæreticos quos subuertit aut conuincendo doctrinis: aut extirpando iudiciis: aut conuertendo miraculis. sicut patet de quodā qui vidit angelum loquentem ad aures eius & conuersus est. Fœlix qui impœnitentes & duros emolliuit ad pœnitentiam vt Theodosium Imperatorem: & sic, in petris, id est in peccatoribus duris excidit riuos compunctionis deuotionis & compassionis; & hoc verbis. Et omne pretiosum &c. Hic commendat studium Doctoris: secundū tres actus qui sunt videre: inquirere: & producere. Videre. scil. pretiosa. inquirere profunda. & producere abscondita. Videre commendat actū contemplationis, omne enim pretiosum. i. bona cælestia vidit. Inquirere actū meditationis. profunda quoque fluuiorum. i. sacrorum librorum, scrutatus. producere actum lectionis. abscondita enim produxit in lucem. Ergo fuit sublimis & eleuatus in contemplando pretium gloriæ. subtilis & ingeniosus inquirendo profunditatem sapientiæ. diligens & studiosus exponendo difficultatem scripturæ.

Sermo 5. De Eodem.

SI Dominus magnus voluerit spiritu intelligentiæ replebit eum & ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ & in oratione confitebitur Domino. Eccl. 39. Quatuor inueniuntur quæ attollunt beneficium siue donum. Ex parte dantis sublimitas. ex parte muneris pretiositas. ex parte finis vtilitas. ex parte suscipientis congruitas.

Ab his commendatur sapientia beati Ambrosii ex parte dantis: quia, Dominus in. ex parte muneris: quia, sapientiæ spiritus. ex parte finis: quia, doctrinæ fructus. ex parte suscipientis: quia, confessor sanctus. Ergo non defuit ei bene-

ei beneficium Dei in largiendo. non donū intelligentiæ in cognoscendo. non magisterium sapientiæ in docendo. non sanctimonia in conuersando. Dantem vero commendant tria. Authoritas: quia, Dominus. Potestas: quia, magnus. Facilitas: quia, si voluerit. Ergo dat cui vult: quia, Dominus. Rom. 9. Cui vult miseretur. quantum vult: quia, magnus. Cor. 12. diuidens singulis pro. quando vult: quia, si voluerit. Sap. 12. Subest enim tibi &c. Donum vero commendant tria. Pretiositas: quia, spiritus intelligentiæ. Copiositas: quia, replebit. Idoneitas: quia, eum. scil. Ambrosium qui sapientiam exquisiuit studendo, laborando, orando: sicut permittitur in ecclesia. Doctrinam similiter commendant tria. Primo quia abundans siue fecunda: vnde dicit, tanquam imbres. Secundo quia lucida siue clara: vnde subdit, emittet eloquia. Tertio quia feruens siue sapida: vnde addit, sapientiæ suæ. Vitam similiter commendant tria. scil. recta affectio quæ notatur in oratione. nam oratio est affectus in Deum directus. Recta locutio quæ in, confessione notatur siue mentali siue vocali. Recta intentio: quæ notatur in, Domino.

Epistola Eccl. 44. Ecce sacerdos. fi. in odorem suauitatis. Euang. Matth. 24. Vigilate quia. fi. constituet eum.

De beato Georgio, Sermo primus.

CVnctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat immutatio mea: vocabis me & ego respondebo tibi. operi manuum tuarum porriges dexteram. Iob. 14. Sicut dicitur Iob. 7. Militia est vita hominis super terram. Militantium autem Deo super terram quidam militant sub armis pœnitentiæ: vt confessores. 1. Cor. 10. In carne ambulantes. Alii sub armis sapientiæ: vt doctores. 1. Tim. 1. Milites in illis militiam. Tertii sub armis patientiæ: vt martyres vt hic.

Vbi ad commendationē strenui militis Georgii proponuntur tria. scilicet merendi modus & actio, cunctis diebus &c. Merentis intentio: ibi, expecto. Meriti remuneratio: ibi, vocabis &c. Vide ergo merendi modum in militatione. meritum in expectatione. præmium in vocatione. Modum merendi complent tria. Strenuitas operis: ibi, milito. Opportunitas temporis: ibi, nunc. Continuitas operatoris: ibi, cunctis diebus. Circa intentionem expectantis implicantur tria quæ notantur in verbo, expectandi. Sollicitudo: ibi, expecto. Luc. 12. & vos similes. Longanimitas: ibi, donec veniat. Abac. 2. si moram fecerit ex. Desiderium: ibi, immutatio mea. Rom. 8. Et ipsi intra nos ge. Circa remunerationem similiter tangit tria: vocationem, responsionem, dexteræ porrectionem. Vocabit enim Dominus ad vitam suscitando. Iohan. 5. omnes qui in mo. sunt &c. Ad iudicium congregando. Iocl. 3. Congregabo ad iudicium omnes gentes. Ad regnum inuitando. Matth. 25. Venite benedicti &c. Et sequitur responsio iustorum: scil. per obedientiam, lætitiam, & gratiarum actionem. Matth. 25. Respondebunt iusti di. &c. Sed demum porriget dexteram secum ducendo introducendo: ad dexteram collocando. iuxta illud Psal. Tenuisti manum dexteram meam.

Sermo 2. De Eodem.

INduit se loricam sicut Gigas & succinxit se arma bellica in præliis & protegebat castra gladio suo. 1. Mach. 3. De strenuo milite non immerito militaria proponuntur: quæ strenuitatem eius ostendunt in tribus in quibus militaris strenuitas innotescit. scil. quando se munit & defendit quod est magnum, aduersarium expugnat & deuincit quod est maius: populum suum liberat & protegit: quod est maximum.

Secundum hoc tria notantur hic quæ commendant beatum Georgium. Primum defensio sui: propter quod, induit se &c. Secundum impugnatio inimici: propter quod, succinxit se &c. Tertium liberatio fidelis populi. & sic, protegebat &c. Primum pertinet ad aggressum spiritualis militiæ. Secundum ad progressum. Tertium ad profectum. Circa munimen suæ defensionis tanguntur tria. Munitionis actus in quo prouidentia: ibi, induit se. Munimenti genus: in quo prudentia: ibi, loricam. Muniendi modus in quo constantia: ibi, sicut Gigas. Circa impugnationem inimici similiter notantur tria. Præparationis modus: quia, succinxit se. in quo promptitudo. Paramentorum genus: quia, arma bellica. in quo fortitudo. Parandi tempus: quia, in præliis. in quo necessitudo. Circa liberationem fidelis populi similiter notantur tria scil. eius potentia: quia protegebat. iustitia: quia, castra sua. scientia: quia, gladio suo.

Sermo 3. De Eodem.

LAbora sicut bonus miles Christi Iesu. 2. Tim. 2. De omni statu hominum ad sanctorum ordinem assumuntur vt nullus extollatur, nullus desperet. Non enim solum Monachi & Abbates, non solum clerici & pontifices: sed laici & milites gloriam adepti sunt.

Ad informandum ergo religionem militiæ Christianæ quatuor hortatur Apostolus ad Christi milites pertinentia: quæ in hoc milite refulserunt. scil. seruire Deo diligenter, decenter, constanter, & salubriter. Ergo diligentia in, labora. decentia in, miles. constantia in, bonus miles. salubritas in, Iesu Christi nomine designatur. Fœlix qui habet tale ministerium, talem modum, talem Dominum.

Sermo 4. De Eodem.

CVM ipso sum in tribulatione eripiam eum & glorificabo eum longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum. Psal. 90. Tria appetit infirmus siue qualitercunque afflictus: videlicet in afflictione consolationem. ideo Thren. 1. Audierunt quia ingemisco ego: & non est qui consoletur me: Ab afflictione liberationem. ideo Psalm. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus: Ex afflictione remunerationem. 1. Cor. 9. Omnis qui in agone contendit: ab omnibus se abstinet & illi vt &c. Ista tria contulit Christus beato Georgio in tribulatione posito apparens & dicens: Confortare quia ego tecum sum. vt dicat Christus de eo, cum ipso sum &c.

Vbi notantur tria. Consolatio ex apparitione:

ibi, cum ipso sum in. Promissio de liberatione: ibi, eripiam eum. Certificatio de remuneratione: ibi; & glorificabo. Vbi remunerationem commendant tria appetibilia. scil. delectatio quæ debetur charitati: ideo dicit, glorificabo eum. Tentio quæ debetur siue succedit spei ideo subdit, longitudine dierum. Visio, quæ succedit fidei. imo addit, & ostendam illi sa. Ergo videbimus, amabimus, tenebimus in æternum.

Sermo 5. De Eodem.

SI homo Dei sum descendat ignis de cælo: & deuoret te & tuos. 4. Reg. 1. Sancti faciunt imprecationes suas aliquando amore gratiæ. 2. Thessal. vlt. Dominus dirigat. Aliquando odio culpæ. Gal. 5. Vtinam abscindantur qui vos conturbant. Aliquando zelo iustitiæ. Psalm. Conuertantur peccatores in infernum. Sic beatus Georgius cum duceretur ad martyrium videns obstinationem Datiani & suorum zelo iustitiæ admodum Eliæ dixit Datiano, si homo Dei &c.

Vbi notantur tria ad laudem eius. scilicet sanctitas, potestas, æquitas. Sanctitas in Dei formitate: cum dicit, si homo Dei sum. Potestas in ignis impetratione: cum subdit, descendat ignis. Æquitas in malorum pugnitione: cum addit, & deuoret te. & sic factum est quia ignis descendens de cælo deuorauit Datianum & 72. reges qui conuenerant ad eum. & quinque millia paganorum qui citari venerant vt omnes viderent tormenta nomen Christi confitentibus præparata vt territi nomen Christi confiteri non auderent.

Epistola Ecclesiastic. 31. Beatus vir qui inuentus. &c. omnis ecclesia sanctorum. Euang. Matth. 16. Si quis vult venire. finis, regnum Dei.

In Festo beati Marci Euangelistæ, Sermo primus.

CAtulus leonis Iuda ad prædam ascendisti fili mi requiescens accubuisti vt leo quis suscitabit eum? Genes. 49. Inter figuras cælestium animalium secundum Ezech. 1. & Apoc. 4. figura leonis Marco attribuitur. Facies enim quatuor demonstrantur. Hominis, bouis, leonis, & aquilæ. Prima attribuitur Matthæo: eo quod insistat humanitati Christi. Secunda Lucæ qui passioni. Tertia Marco qui resurrectioni. Quarta Iohanni qui ascensioni. Specialiter ergo conueniunt Marco verba proposita. Et hoc secundum quadruplicem statum suum: scilicet conuersionis, prædicationis, passionis, & glorificationis. Conuersio facit Christi discipulum. prædicatio euangelistam, passio martyrem. glorificatio beatum. secundum statum discipuli, catulus leonis: fuit. secundum magisterium euangelii, ad prædam: ascendit, secundum triumphum martyrii, vt leo accubuit. Secundum exaltationem gloriæ, suscitari meruit. Discipulatum vero commendant tria Magister Christus Deus: qui notatur in, leone. Deiformis discipulus Marcus: qui notatur in, catulo. Excellens opus quod notatur in, Iuda: qui interpretatur confitens vel glorificans. Prædicationem Euangelii commendant tria. Status humilis in prædicatore: ibi, fili mi. Actus sublimis in prædicatione: ibi, ascendisti. Fructus vtilis in aliorum conuersione: ibi, ad prædam hæc præda nihil aliud est quam conuersio hominum ad fidem Christi quos prædant sancti à diabolo, à mundo, à sensu proprio. Passionem martyrii commendant tria. transitus, terminus, triumphus. Sancti transeunt in morte fœliciter: ideo dicit, accubuisti. Triumphant per mortem nobiliter: ideo dicit, vt leo. Quiescunt post mortem delectabiliter: ideo dicit, requiescens. Exaltationem gloriæ describunt tria. glorificans Deus: ibi, quis. glorificabile Marcus: ibi, eum. glorificatio vita post mortem: ibi, suscitabit. q. d. nullus suscitabit eum nisi Deus.

Sermo 2. De Eodem.

SImilis factus est leoni in operibus suis: & sicut Catulus leonis rugiens in venatione. 1. Machab. 3. Duo sunt necessaria prædicatori siue euangelistæ: vita, & doctrina. Vita sancta vt ædificet exemplo sanctitatis. doctrina sana vt prædicet verbo veritatis. exemplo Christi qui cæpit facere & docere. Act. 1. contra illos qui dicunt & non faciunt.

Ab his commendatur beatus Marcus à sanctitate vitæ. in operibus leonis. A veritate doctrinæ in, rugitu venationis. Sanctitas vitæ eius tangitur in tribus. Principium: quia, factus est: scilicet à Deo. Præconium quia, similis leoni. Exercitium: quia, in operibus suis. Veritatem doctrinæ commendant tria. Similitudo summi doctoris: ibi, sicut catulus leonis. Feruor prædicationis: ibi, rugiens. Rectitudo intentionis: ibi, in venatione.

Sermo 3. De Eodem.

MArcum assume & adduc tecum est: enim mihi vtilis in ministerio. 2. Timoth. vlt. Sicut quod eligit vir bonus & sapiens illud est magis eligendum: Sic quod commendat vir bonus & sapiens illud est magis commendandum. de laude praui non est curandum. Ideo beatus Marcus est commendabilis quia commendatur à Paulo in verbis propositis.

Et hoc tripliciter. scil. quia assumptibilis propter multiplicem gratiam. Ductibilis per humilem obedientiam. Vtilis per euangelicam doctrinam. Ergo prælectio commendat gratiam: propter quod dicit, Marcum assume. Associatio obedientiam. vnde subdit, & adhuc te. Fructificatio doctrinam: vnde addit, est enim mihi vtilis in mi. s. euangelii & prædicationis.

Sermo 4. De Eodem.

VIdi alterum angelum volantem per medium cælum habentem euangelium æternum: vt euangelizaret sedentibus super terram. Apocal. 14. Licet ad laudem cuiuslibet prædicatoris siue Euangelistæ possent exponi verba proposita. Specialiter tamen beato Marco conueniunt. qui à beato Matthæo alterum locum tenet. Tria autem prædicatorem siue Euangelistam perficiunt. gratia, vita, & doctrina. Gratia propter

Deum.

Deum. vita propter seipsum. doctrina propter proximum. 1. Corinth. 15. Gratia Dei sum id quod sum. ecce gratia dans esse gratuitũ & gratia eius in me vacua non fuit. ecce vita dans opus meritorium. sed plus omnibus la. ecce doctrina exigens laborem multum.

Ab his tribus commendatur beatus Marcus à gratia, vita & doctrina. Felix cuius talis gratia: quia angelica. vidi inquit, alterum an. talis vita: quia cælica, volantem per medium cœ. talis doctrina: quia euangelica, habentem euangelium, &c. Vbi tria implicantur ad excellentiam doctrinæ. facultas ex parte doctoris: quia, habentem. scil. in corde per fidem & cognitionem. In ore per doctrinam & prædicationem. In manu per scripturam & impletionem. nobilitas ex parte operis: quia, euangelium æternum. rectitudo ex parte intentionis: quia, vt euangelizaret sedentibus super terram.

De eodem, Sermo 5.

DEsolata est terra & plenitudo eius à voce rugitus illius, Ezech. 19. Leo generosus est in natura irrationabili. vnde nomen habet græce quod dicitur rex latine. Sagax industria naturali. vnde delet vestigia cum cauda ne capiatur à venatoribus. Virtuosus in potentia corporali. Prouerb. vlt. Leo fortissimus. Ideo merito inter figuras cœlestium animalium figura leonis Marco attribuitur: quia generosus natura: quia de genere leui. Sagax in doctrina: quia Euangelista Christi. Virtuosus in potentia: quia perseuerans in gratia Dei: ideo quod de Leone hic dicitur ei attribuitur.

Vbi commendatur ex tribus. Ex strenuitate vitæ: ibi, illius, scil. leonis. Ex claritate doctrinæ: ibi, à voce rugitus. Ex vtilitate vtriusque quæ notatur duplex. deletio ritus antiqui quæ notatur in desolatione terræ. dilatio cultus fidei: quæ notatur in terræ plenitudine. Felix qui malum fugat bonum. multiplicat verum prædicat & implet.

De eodem, Sermo 6.

DIxerunt ligna ad arborem ficum veni & super nos accipe regnum: quæ respondit eis: nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusq; suauissimos & ire vt inter cætera ligna promoueat. Iudic. 9. b. Tria minuuntur vel amittuntur in homine propter prælationes. videlicet pinguedo deuotionis ad Deum: propter occupationem secularium negotiorum. Titum 2. Nemo militans. Dulcedo pacis ad seipsum. Luc. 10. Martha sollicita es, &c. Et hoc propter turbationem euentuum variorum. Lætificatio amoris ad proximum propter correctionem delictorum. Ioh. 3. Hoc est iudicium: quia lux venit in mundum & dilexerunt. Propter primum excusauit se oliua. propter secundum ficus. propter tertium vitis. Sic beatus Marcus qui merito dicitur oliua. propter pinguedinem deuotionis ad Deum. ficus: propter suauitatem conscientiæ quo ad seipsum. vitis: propter influentiam doctrinæ quo ad proximum noluit ad dignitatem promoueri. Sed amputasse sibi pollicem dicitur vt reprobus sacerdotio haberetur: tamen quia prædestinata electio patuit tandem Alexandriæ Episcopus fuit. vnde ei competunt verba proposita.

In quibus notantur tria. Primo electionis conditio: quia, dixerunt ligna. ad prælationis oblatio, veni. & oblatæ refutatio, quæ respondit, &c. Electio commendatur quia elegerunt vnanimiter: cum dicit, ligna. generaliter quia euidenter: vnde, dixerunt. quia vtiliter, scil. arborem ficum. Circa prælationem oblatam quatuor faciunt. inuitant ad prælationem: ibi, veni. implorant obligationem: ibi, & accipe. promittunt subiectionem: ibi, super nos. quærunt prouisionem: ibi, regnum. quod dicitur à regendo. prælatus enim debet induci: obligari: præesse & prouidere. Circa refectionem prælationis notantur duo. Primo duplex refutationis ratio. Secundo ipsa prælationis refutatio: ibi & ire, &c. Prima ratio est commissio pacis interioris: ibi, nunquid possum dese. dul. Secunda amissio fructus sequentis: ibi, fructusque suauissimos. Matt. 5. Expedit vt vnum membrorum pereat quam totum corpus, &c.

De eodem.

Nec quisquam assumit sibi honorem, &c. supra pag. 129. col. 1.

Epistola, Eccles. 15. Qui timet Deum. fin. Dominus Deus noster. Euangelium, Iohan. 15. Ego sum vitis. finis. impleatur.

In festo beati Petri martyris de ordine Prædicatorum, Sermo 1.

VOx sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, Gen. 4. Sicut dicit August. in libro de mirabilibus sacræ scripturæ, In Abel totius forma iustitiæ seruata est. quæ consistit in tribus. In virginitate: sacerdotio: & martyrio. sic & in Petro martyre. nam fuit virgo. prædicator & martyr. Ideo in antiquo martyrio Abel nouum Petri martyrium merito designatur.

Et hoc quantum ad quinque. Primo quantum ad personam martyris qui passus est: cum dicitur, tui. scil. Abel per quem Petrus. tum ratione vocabuli quod interpretatur luctus. tum ratione offertorii: quia munus acceptum. Secundo quantum ad genus gentis à quo passus est: cum dicit, fratris quia natus de infidelibus. ab eis occisus est, sic Christus à Iudæis. Tertio quantum ad pœnam martyrii quam passus est: quæ notatur, in sanguine. effusio enim sanguinis fuit pœna vtriusque. Quarto quantum ad causam propter quam passus est: quæ notatur in voce. Non enim quilibet sanguis habet vocem. sed secundum differentiam martyrii est differentia vocum: & quanto causa nobilior tanto vox altior. Quinto quantum ad euidentiam quomodo passus est: quæ notatur in, clamore: clamat enim per testificationes fidelium qui viderunt. per curationes infirmorum qui senserunt. per conuersiones aduersariorum qui fuderunt.

De eodem, Sermo 2.

FEra pessima comedit Ioseph, Gen. 37. Malum est omittere bonũ. peius est conuertere malum. sed pessimum est defendendo malum impugnare bonum. quod fecerunt hæretici qui ob hoc defensorem veritatis & impugnatorem hæresis occiderunt. vt possit dicere ecclesia cum Iacob, fera pessi. &c.

Vbi tria implicantur aggrauantia afflictio-

nem martyrii. atrocitas affligentis: quia, fera pessi. acerbitas passionis: quia, comedit. sanctitas patientis: quia, Ioseph. Non ergo aliquis simplex hoc fecit ex ignorantia. sed fera pessima. nõ verberauit cum misericordia sed occidit. non maleficium ex iustitia: sed iustum, scil. Ioseph. qui interpretatur ac crescens. & Petrus nũquam defecit sed semper profecit in gratia. Ergo fuit in agente malitia non ignorantia: quia, fera pessi. In actione insania non misericordia: quia, comedit. In patiente iustitia non iniuria: quia, Ioseph. quia in visitatione fratrum ab eis venditus est. sic Petrus.

De eodem, Sermo 3.

Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus. Cant. 5. Antiqua quæstio de nouo martyre proponitur ecclesiæ in canticis qualis est inquiunt deuotæ animæ dilectus tuus ô pulcherrima mulierum. ecclesia pulchra in laicis. pulchrior in clericis. pulcherrima in religiosis. & respondet, dilectus meus, &c. sed dicet aliquis. verba ista intelliguntur de sponso ecclesiæ Christo non de martyre Petro. Responsio verba dicta de sponso ad sodalem sponsi transfero & merito propter multiplicem similitudinem quam inter ipsos inuenio.

Similem enim sibi fecit Christus Petrum specialiter in quatuor quæ notantur hic. quæ sunt amor charitatis, candor puritatis, rubor passionis, nitor veritatis. ergo charitas fecit dilectum: ideo dicitur, dilectus. puritas candidum: ideo subditur, candidus. passio rubicundum: ideo additur, rubicundus veritas electum: ideo sequitur, electus. Felix creatura in qua amor gratiæ baptismalis. candor innocẽtiæ virginalis. rubor patientiæ inamissibilis nitor sapientiæ salutaris perseuerant.

De eodem, Sermo 4.

Quis in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis: gener regis & pergens ad imperiũ tuum: & gloriosus in domo tua. 1. Reg. 22. Solet fieri interrogatio per hoc nomen quis, ad tria principaliter. Aliquando ad inquirendum veritatem. sic dicitur Matth. 21. Commota est vniuersa ciuitas dicens, quis est hic. populus autem dicebat. Aliquando ad notificandum veritatem: sic dicitur Esa. Quis est iste qui venit de Edom, &c. Aliquando ad ostendendam rationem: sic dicitur Eccles. 31. Quis est hic & laudabimus eum, &c. & hic, quis in omnibus seruis tuis, &c. Ad ostendendum ergo raritatem talium modernorum qualis fuit Petrus. potest dicere ecclesia de Petro summo regi quod dixit Abimelech de Dauid Sauli.

Vbi quatuor exprimuntur commendantia Dauid. Fidelitatis specialitas: quia, quis in omnibus. affinitatis nobilitas: quia, gener regis. obedientiæ strenuitas: quia pergens, &c. gloriæ sublimitas: quia, gloriosus, &c. Sic Petrum excellenter commendant hic quatuor. fidelitas in custodia gratiæ quam nunquam amisit: & sic dicitur, fidelis in omnibus, &c. Nobilitas in assumptione religionis eximiæ in qua vixit. assumpsit enim filiam regis. scilicet religionem prædicatorum in consortium inseparabile: & sic dicitur, gener regis. strenuitas in executione mandati Papæ in qua mortuus fuit: & sic, pergens ad imperium tuum. Sublimitas in statu gloriæ quam meruit: & sic gloriosus in domo tua. In primo commendatur à radice merendi: quia, gratiam baptismalem seruauit. In secundo à statu viuendi: quia, tutiorem semitam vitæ elegit. In tertio à causa moriendi: quia pro dilatatione fidei cõtra hæreticos inquisitor peremit. In quarto ab excellentia gloriæ: quia cum aurea triplicem aureolam habuit.

De eodem, Sermo 5.

Amasa conspersus sanguine iacebat in media via. 2. Reg. 20. Peregrinantium in hac vita quidam sunt extra viam rectam vt infideles. de quibus Iob. 21. Dixerunt Domino recede à nobis scientiam viarum tuarum no. Isti errauerunt in inuio & non in via. Alii secus viam vt mali fideles. Matth. 20. Ecce duo cæci sedentes secus viam, &c. Matth. 10. Cæcus sedebat secus viam. Tertii in via vt boni fideles quorũ quidam currunt in via per bonam operationem. Psal. Viam mandatorum tuorum cucurri. Alii iacent in via per finalem passionem: vt hic, amasa, &c.

Vbi sub nomine Amasæ qui erat princeps militiæ Dauid & iuerat ad vocandum populum Iuda ad regem: & in via interfectus est. Sicut & Petrus qui erat prior fratrum Cumis & ibat ad vocandum hæreticos ad Christum & in media via, scil. inter Cumis & Mediolanum occisus est. Petrus commendatur à tribus quæ efficiunt martyrem, scil. pœna. perseuerantia & causa. à pœna martyrii: ibi, Amasa conspersus sanguine. à perseuerantia inamissibili: ibi, iacebat. à causa fidei: ibi, in media via. In via notatur rectitudo in medio perfectio. Ecce pœna in exemplum patientiæ. perseuerantia in exemplum constantiæ, causa in exemplum intentionis rectæ. Circa primum implicantur tria. persona sustinẽs, Amasa. factum euidens, conspersus. pœna affligens, sanguine. Amasa ergo Petrus. quia furens & indigens contra pestem hæreticam. sustollena gentem catholicam: popularis plasmatio ad mores & fidem.

De eodem, Sermo 6.

Qui diligunt te sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilant, Iudic. 5. Antiquorum disputatio fuit quid esset summum bonum in hac vita? & dixerunt quidam quod voluptas. hi fuerunt Epicurei de quorum secta videntur esse illi quorum Deus venter est quibus & luxuriæ deseruiunt. Alii dixerunt quod honestas. Vnde prisci. quid est summum bonum in vita. Honestas. Hanc sectam tenent qui magis appetunt videri: quam esse & non videri. Vtrique errauerunt. sed vltimi minus. Apostolus vero diffiniens veritatem dicit quod charitas. Vnde enumeratis bonis. dicit. Maior autem horum est charitas. cuius scientiæ vna ratio assignatur hic. qui diligunt te, &c.

Vbi tria commendant martyres Christi generaliter: sed Petrum specialiter, scil. amor Dei: ibi, qui diligunt te. Robur martyrii: ibi, rutilant. Decor exempli: ibi, sicut sol in or. Ergo vitæ meritum in dilectione, mortis supplicium in rutilatione. euidens exemplum, in sole oriente notatur.

tur. Circa dilectionem tangit tria. cum enim diligere sit quidam motus ab anima exigit terminum à quo: ibi, qui. Terminum ad quem: ibi, te. Motum medium: ibi, diligunt. vt sit dilectio debita quo ad subiectum. reddita per actum. recta ad obiectum. Exemplum describunt tria. modus, sicut sol. tempus, in ortu. actus, splendet. splendor ad gloriam. ortus ad mortẽ. nam mors martyrum dicitur natalis eorum. sol ad continuitatem pertinet. Ergo habent in morte splendore gloriæ in perpetuum. Sol enim non cessat lucere. sia nec ipsi in gloria.

De eodem, Sermo 7.

EXaltaui electum de plebe mea, Psal. 88. Tota intentio hominis debet esse vt à statu miseriæ per statum gratiæ veniat ad statum gloriæ. vt sic de valle penuriosa per ascensum gratiosum veniat ad montem gloriosum: quod fecit Petrus teste Domino & dicente, exaltaui electum, &c.

Vbi triplex dictus status innuitur. status à quo: quia, de plebe mea. status per quem; quia electum. status ad quem: quia, exaltaui. status à quo est religio non quæcunque: sed prædicatorum. ideo dicit Dominus, de plebe mea. status per quem est electio non quæcunque sed prædestinatorum: ideo dicit, electũ. status ad quem est exaltatio non quæcunq; sed beatorum. Ergo religio sapiẽtiam, electio gratiam. exaltatio gloriam. in Petro cõmendat. vel exaltauit de mundo ad altum claustri. de claustro ad altum martyrii. de martyrio ad altum cœli.

De eodem, Sermo 8.

PErcussit Petram & fluxerunt aquæ. Psalm. 77. Solet fieri percussio vel ad tentandum siue probandum; sic percutitur dolium vel vitrum. Iob 2. Percussit Iob vlcere pessimo Dominus, sc. permissiue. vel ad excitandum sic percutitur equus vel Asinus vt festinet. Acto. 2. Percusso latere Petri excitauit eum. vel ad sanandum sic vena percutitur lanceola. Deut. 32. Percutiam & ego sanabo. vel ad alium corrigendum sic percutitur catulus coram leone. vel ad potentiam manifestandum. Sic Moyses eleuans virgam percussit aquam fluminis. Exod. 2. Sic percusso Petro probata est eius constantia: accelerata eius gloria: sanata eius miseria. Conuersa plebs incredula. ostensa Dei potentia in variis miraculis: & sic, fluxerunt aquæ. probantes eius innocentiam. Salientes in vitam æternam, sanantes omnem miseriam. lauantes sordem hæreticam. ostendentes Dei potẽtiam; & sic percussit Petram Dominus permissiue. hæreticus effectiue, & fluxerunt aquæ.

Vbi notantur tria. modus passionis. quia non combussit. non submersit. sed percussit in capite in corpore. virtus patientis: quia, Petram. id est Petrum. fructus sequenaea his: quia, fluxerunt aquæ. ad emolliendum ad refrigerandum, ad laudandum, ad potandum.

De eodem, Sermo 9.

MAledictus qui accipit munera vt percutiat animam sanguinis innocentis. Deut. 27. Si quis Petri passionem audierit: sub compendio implicatam inuenit in his verbis: tum ex persona agente: quia, maledictus. tum ex causa inducente: quia, accepit munera. tum ex actu affligente: quia, percutiat animam. tum ex iniuria eminente: quia, sanguinis innocentis. Ergo contra legem: ideo maledictus à lege. contra iustitiam: quia, accepit munera. contra misericordiam: quia, percussit animam. contra rationem: quia, sanguinis innocentis. Ergo cum circa passionem ex.gantur duo. agens, & patiens. Agentem vituperant duo, scil. damnum assecutum: quia, maledictus fuit, scil. à Deo & hominibus. Principium motiuum: quia conductus fuit muneribus. Patientem commendant duo. patiencia in sustinendo: quia percussus vsque ad mortem fuit. Innocentia: quia viuendo: quia mortale nunquam commisit.

De eodem, Sermo 10.

TV es Petrus. Matth. 16. Solent vocari ex nomine homines se inuicem cognoscentes se inuicem diligentes: sibi inuicem seruientes. Ideo sancti: quia in cœlo conuersantur à Deo cognominantur & nominantur: secundum illud. Exo. 33. Quod dixit Dominus Moysi noui te ex nomine. Mali autem licet secundum Psal. Vocauerint nomina sua in terris. tamen eos Dominus nominare dedignatur: Magnates enim quos magno habet odio nominare dedignatur. Psalm. Nec memor ero nominũ eorum per labia mea. Item quia Deo famulantur. Milites enim qui fideliter Domino suo seruiunt. similiter & creditores qui carnes & cætera necessaria alicui Domino præstant. Nomina sua in dispensatoris libro scribi faciunt vt tempore suo soluantur. Luc. 10. gaudete quia nomina vestra, &c. Ideo in signum sanctæ conuersationis, veræ dilectionis. fidelis famulationis potuit dicere Dominus Petro Apostolico quod dixit Petro Apostolo, scil. tu es Petrus.

Vbi proponitur Petrus martyr demonstrabilis in exemplum conuersationis honestæ: cum dicitur, tu quod est pronomen demõstratiuum, stabilis in veritate vitæ sanctæ cum subditur, es, ens enim & verum conuertuntur: esse etiam est verbum substantiuum. habilis ad documentum doctrinæ sanæ: cum additur, Petrus. qui interpretatur agnoscens. nullus enim aptus est docere nisi agnoscens. Felix cuius conuersatio honesta ad exemplum. vita sancta ad meritum. doctrina sana ad documentum & quis est talis & laudabimus eum dicentes tu es Petrus.

De eodem.

Mundam seruaui animam meam, &c. supra pag. 109. col. 2.

De eodem.

Saluatus est sanguis innoxius. supra pag. 112. col. 1.

Epistola, 2. Tim. 2. Nemo militans. finis. cum gloria cœlesti. Euangelium. Luc. 9. Si quis vult venire. finis. & sanctorum angelorum.

In Festo Apostolorum Philippi & Iacobi, Sermo primus.

VOcauit Philippum vnum de amicis suis & præposuit eum super regnum suum & dedit ei diadema & stolam & annulum. 1. Maccab. 6. Solent diuites ad promotionem suorum eos ad se vocare. officium aliquod committere & sic præmiare. sic Dominus Philippum vocauit ad suam sequelam. præposuit super suam ecclesiam assumpsit ad suam gloriam: secundum quod potest videri in verbis propositis de alio Philippo.

Vbi patet Christi curialitas in vocando, vocauit inquit Philippum. familiaritas in committendo, & præposuit eum. largitas in honorando, & dedit ei dia, &c. Commendatur ergo in primo Philippi meritum: quia amicus regis. In secundo eius officium: quia, præpositus regis. In tertio eius præmium: quia, coheres regis. Beneficium vocationis attollunt tria. benignitas Christi: quia, vocauit. idoneitas serui secundū quam vocauit: quia, Philippum. qui interpretatur os lampadis. vtilitas rei ad quam vocauit: quia, vt esset vnus de amicis suis, scil. de Apostolis. Ioh. 1. Inuenit Iesus Phil. & ait ei sequere. Officium prælationis eius attollunt tria. Auctoritas regis: quia, præposuit scil. Christi. Congruitas militis quem præposuit: quia, eum, scil. Philip. Dignitas gradus ad quē præposuit: quia, super regnum suum, i.e. ecclesiam suam: Psalm. Constitues eos principes. Primum contra male ingerentes. secundum contra insufficientes. tertium contra mundanos principes. Præmium glorificationis attollunt tria. stolæ preciositas, diadematis dignitas, annuli. perpetuitas. stola pertinet ad gloriam substantialem. corona ad accidentalem. annulus ad vtriusque perpetuitatem.

De eodem, Sermo 2.

HÆc dicit Dominus faciens & formans te auxiliator tuus: noli timere serue meus Iacob rectissime quem elegi. Esa. 44. Gesta Iacobi quantam habeant excellentiam patet in historia.

Ad quorum laudem sermo diuinus ad ipsum Iacobum directus sub compendio gesta imitanda perstringit. Et hoc quantum ad tria. sc. quantum ad eorum primordia, media, & vltima. Ad primordia pertinet gratia sanctificationis. dicitur enim sanctificatus ex vtero matris: vnde & per excellentiam frater Domini dictus est & iustus cognominatus: propter quod dicit, faciens & for. te. au. Ad vltima pertinet constantia passionis. nam præcipitatus à templo cōfractus ceruicibus manus erexit deprecans pro inimicis: ideo sequitur, noli ti. ia. Ad media pertinet sanctimonia conuersationis. Legitur enim de eo quod vinum & siceram non bibit: nullam carnem comedit: nec curam aliquam carnis egit. flexis genibus deprecabatur Deum: ita vt in camelorum duritiam genua eius transisse viderentur: ideo additur, serue meus rectissime quem elegi. Circa gratiam sanctificationis notatur triplex beneficium. Conditionis in natura: & sic dicitur, faciens. Sanctificationis à culpa: & sic sequitur, formans te protectionis à sequela: & sic additur, auxilia. Circa constantiam passionis notatur triplex eius fiducia. scil. in corde: ibi, noli. in opere: ibi, timere. in sermone: ibi, Iacob. i.e. luctator, scil. contra errores. & est hic liptote. minus dicit & plus significat: quia non solum non timuit: sed constans fuit. Circa sanctimoniā conuersationis notantur tria. Inchoatio quam dedit electio gratiæ: ideo dicit, quem elegi. Iohan. 15. Non vos me ele. Promotio quam dedit rectitudo vitæ: ideo subdit, rectissime. Consummatio quam dedit mancipatio seruitutis diuinæ ideo dicit, serue.

De eodem, Sermo 3.

LAmpades eius lampades ignis atq; flammarum. Cant. 8. Sicut in templo accenduntur lampades materiales ad illuminationem templi: Sic in mundo accendit Deus lampades spirituales, id est apostolos ad illuminationem mundi. Lampas Philippus: sed ambo lampades ignis quibus accendimur ad amorem Dei & flammarum quibus illuminamur ad cognitionem fidei.

Fuerunt ergo lampades non vacuæ: sed plenæ vt contineant oleum gratiæ. non extinctæ sed ignitæ vt accendant ad amorem gloriæ. non absconditæ sed aperte vt luceant in domo ecclesiæ. Primum commendat eorum gratiam quæ est radix merendi: & sic, lampades plenæ oleo. Secundum eorū vitam quæ est opus meriti: & sic, lampades ignis. Sed inter Iudæos Iacobus, Philippus inter gentiles quos accendebant miraculis, suffragiis, & exemplis ad amorem Christi. Tertium eorum doctrinam quæ est augmentum meriti: & sic, lampades flam. O quantum illuminauit Iacobus in canonica sua Iudæos quibus scripsit. Quantum Philippus in prædicatione sua Samaritanos quos conuertit & eunuchum quem baptizauit. Actor. 8. Felix in quo continetur liquor sanctitatis vt sit, lampas. ardor charitatis vt sit ignis. splendor veritatis vt sit, flamma. & hoc in corde, in opere, in sermone.

De eodem, Sermo 4.

SOl & luna steterunt in habitaculo suo in luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. Abac. 3. c. Secundum philosophū nihil cadit in intellectu quin prius fuerit in sensu. Vnde & cognitio nostra incipit à sensu. hinc est quod ex similitudine sensibilium deuenimus in cognitionem & commēdationem spiritualium. Vnde per claritatem corporalem istorum duorum luminarium intelligimus & commendamus claritatem spiritualem istorum duorum Apostolorum vt dicamus de eis, sol & luna, &c.

Vbi notantur tria ipsorum prædicationem commendantia. Primo prædicantium constantia: quia, steterunt. Secundo prædicandi forma, in luce & splendore. Prædicationis efficacia: quia, ibunt, scil. illuminando fidem Christi. Ergo docuerunt constanter, feruenter, & vtiliter. Constantiam vero causant & commendant tria. Altitudo sanctæ conuersationis. Castra enim fortiora sunt ex altitudine situs: ideo dicit, sol & luna. Promptitudo magnanimitatis. Magnanimus enim fortioris est defensionis: ideo subdit, steterunt. Rectitudo veritatis. Qui enim ha-

bet tectam causam fortior debet esse. ideo addit, in tabernaculo suo. in fide & ecclesia Christi Sed sol qui praeest diei dicitur Iacobus qui scripsit & praedicauit Iudaeis qui in maiori luce cognitionis erant. Luna quae praeest nocti Philippus: qui praedicauit gentibus qui in maiori nocte ignorantiae erant. Formam vero praedicandi commendant tria. Feruor, splendor, & terror. Praedicauerunt enim feruenter ad accendendum tepidos: quod notatur in, luce; quae est vehiculum caloris. Euidenter ad illuminandum ignaros: quod notatur in, splendore. Terribiliter ad pungendum pigros: quod notatur in, sagittis & hasta fulgurante. Nam in sagittis quae percutiunt à longe notatur comminatio poenae aeternae. In hasta quae percutit de prope comminatio praesentis poenae.

De eodem, Sermo 5.

FAc tibi duas tubas argenteas ductiles quibus conuocare possis multitudinem. Numer. 10. Antiquitus tubis vtebantur in quatuor. In bellis aggrediendis, in populis conuocandis, in castris mouendis, in festis solemnizandis. De his omnibus Numer. 10. Ideo quia filius Dei venerat in mundum ad ista quatuor scilicet ad expugnandum hostes fidei. ad vocandum populos ad cultum Dei. ad mouendum castra per viam charitatis. ad praeconizandum festum aeternae iucunditatis. Ideo merito voluit vti tubis, id est, apostolis & apostolicis viris: inter quas duae fuerunt Philippi & Iacobi: de quibus ait pater filio, fac tibi, &c.

In quibus verbis commendantur à quatuor secundum quadruplex genus causae. Ab efficiente quia Christus: ibi, fac tibi. in quo notatur in ipsis officii auctoritas. A materia quia, tubas argenteas. In quo notatur in ipsis eloquentiae claritas. in tuba sonus terribilis ad mouendum affectum, in argento sonus leuis & facilis ad docendum intellectum. A forma quia, duas ductiles. In quo notatur in ipsis vitae sanctitas. in dualitate gemina charitas quae bonum inchoat. in ductibilitate patientiae firmitas quae inchoatum continuat. A fine quia, quibus conuocare, &c. In quo notatur ipsorum vtilitas. in multitudine vtilitatis generalitas designatur. Haec sunt quatuor quae perficiunt & commendabilem reddunt praedicatorem. Auctoritas propter officium. eloquentia propter documentum. sanctitas propter exemplum. vtilitas propter meritum & praemium.

De eodem, Sermo 6.

HI sunt duae oliuae & duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes. Apocal. 11. a. Sicut videmus ad oculum duobus competit oleum. luctanti vt vngatur ad pugnandum. lampadi vt impleatur ad lucendum. Ideo Iacobus qui interpretatur luctator: & Philippus qui os lampadis merito dicuntur oliuae. ille propter vnctionem olei spiritualis in lucta. iste propter illustrationem olei spiritualis in ecclesia. & etiam propter constantiam in vtroque dicuntur candelabra: quae scil. sustinent & exaltant lumen: vt verum sit de istis quod hic dicitur, hi sunt, &c.

Vbi commendantur ex duobus. Primo ex bono meriti: quia, duae oliuae & duo can. Secundo ex dono praemii: quia, in conspectu Domini ter. stan. Meritum commendant tria. Aggregatio honestatis: quia honestius & melius est duos esse simul quam vnum: quod notatur ibi, duae. Vnctio charitatis: ibi, oliuae. Sustentatio veritatis: ibi, candelabra. Primum est in exemplum. secundum in meritum. tertium in documentum. Primum commendat famam. secundum vitam. tertium doctrinam. Praemium similiter commendat tria. Visionis felicitas: ibi, in conspectu. Felicitatis securitas: ibi, Domini terrae. Vtriusq; perpetuitas: ibi, stantes. Talis non est felicitas fortunae: quia nec vera nec secura nec perpetua.

De eodem, Sermo 7.

ISti sunt duo filii olei splendoris qui assistunt dominatori vniuersae terrae: Zach. 4. Distingue illud sicut praecedens: vt primo notetur bonum meriti: secundo donum praemii: ibi, qui assistunt. Circa meritum tria. Honestas in, dualitate. charitas in, olei filiatione. Vnctio enim charitatis facit filium Dei. veritas in splendore. Circa praemium similiter tria. Visio beatificans, tentio perpetuans: quod notatur in assistentia. dominatio allecurans: quia, dominatori, &c.

Epistola, Sap. 5. Stabunt iusti. fin. fortissimorum. Euangel. Ioh. 9. Non turbetur. finis. hoc faciam.

In inuentione sanctae Crucis, Sermo 1.

PRoduxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suaue: lignû etiam vitae in medio paradisi. lignumq; scientiae boni & mali. Genes. 2. In principio creationis rerum ad ornatum paradisi materialis tria maxime Dominus adhibuit. Primum est productio omnis ligni: de quo hic. Secundum irrigatio fluuii: quia fluuius egrediebatur. Tertium habitatio & custodia tam nobilis coloni: quia tulit Dominus Deus hominem & posuit in. Sic in principio recreationis hominum tria iuxta tria dicta adhibuit ad ornatum paradisi spiritualis, i. e. ecclesiae: scil. omne lignum, i. e. perfectum lignum crucis. fluuium: id est euangelium: quod diuiditur in quatuor capita. colonum & custodem: id est Christum qui nobiscum est vsque ad consummationẽ seculi. Ergo non solum in principio sed & in fine seculorum produxit Dominus Deus lignum de humo in quo crescebat: & hoc in ligni conditione. de humo in quo iacebat in ligni electione ad patibulum. de humo in quo latebat in inuentione de quo, fit praesens festum. Primum produxit ante passionem. secundum in passione. tertium post passionem.

Sic ergo ad laudem crucis notantur hic duo. Primo crucis inuentio in productione ligni. Secundo inuentae commendatio in commendatione ligni: quia, pulchrum visu, &c. Circa inuentionem tria tangit. Locum, modum, & lignum. Locus vilis: quia, de humo. Modus mirabilis quia reuelante Deo: ideo dixit, produxit Dominus Deus. Arbor vtilis. quia, omne lignû, i. e. crucem quae est super omnia ligna quae ex omnib. lignis nobilior ib. composita. Circa commendationem tangit quatuor: quia, pulchrum: quantû ad aspectũ. & hoc mirabile: quia vbi maior deformitas in patiente: ibi, maior formositas in cru-

in cruce. Quippe. quia candidata ex membris virgineis: rubricata ex guttis sanguineis: illustrata titulo passionis, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Suaue quantum ad gustum. & hoc mirabilius: quia vbi maxima amaritudo: ibi, maxima dulcedo. Cantic.2. Et fructus eius dulcis. Vtile quantum ad affectum: quia, lignum vitæ. & hoc adhuc mirabilius: quia, vbi mors ibi vita. Colos. 3. Cum essemus mortui. Sed delectabile quantum ad experimentum: quia, lignum scientiæ boni & mali.

De eodem, Sermo 2.

Clamauit Moyses ad Dominum qui ostendit ei lignū: quod cum misisset in aquas in dulcedinem verserunt. Exod. 15. In omni opere Dei relucent eius potentia, sapientia, & clementia. Sed potentia maxime in rerum magnitudine. sapientia in pulchritudine. clementia in exauditione clamoris: quia, clamauit mo. per quem beata Helena. sapientia in ostensione Crucis: quia, ostendit ei lignum. potentia in dulcoratione amaritudinis: quia, cum misisset in a. &c.

Primum commendat inuenientis meritum. Secundum inueniendi modum. Tertium inuentionis fructum meritum dum clamatur. modum dum reuelatur. fructum dum probatur. Hæcenim tria concurrunt circa inuentionem sanctæ Crucis. deuotio orationis. reuelatio sanctæ Crucis. operatio cœlestis virtutis. Circa primum notantur tria in orante quæ valent ad efficaciam orationis. munditia quæ notatur in Moyse. qui interpretatur assumptus ex aquis. instātia quæ notatur in clamore. sapientia quæ notatur in directione, ad Dominum, scil. qui potest. Circa secundum, scil. inueniendi modum similiter notantur tria. ostendentis potestas, scil. Dominus ostendit ostensionis congruitas, ei, scil. clamanti. qui enim quærit inuenit. ostensę rei vtilitas siue dignitas. lignum absolute: quia super omnia ligna. Circa tertium, scil. inuentionis fructum similiter notantur tria. crucis ad mentem remotio: ibi, quia quod cum misisset. tribulationum mundatio: ibi, in aquas. mundantium mitigatio: ibi, in dulcedinem versæ sunt. In primo commendatur hominis sapientia. In secundo eius miseria. In tertio crucis potentia.

De eodem, Sermo 3.

Mulier gratiosa inueniet gloriam Prouerb. 10. Inter cætera quatuor sunt quæ valent multum & mouent multum ad habēdum quod desideratur. diligentia quærentis. familiaritas possidentis. facilitas habendi. vtilitas habiti. Res quippe citius obtinetur quando diligenter quæritur. quando à familiari possidetur. quando pro modico datur. quando vtilis probatur.

Secundum hoc quatuor notantur circa Helenam inuenientem: & crucem inuentam, scilicet conditio naturæ quæ ostendit diligentiam: ibi, mulier. mulieres enim sollicitę sunt in quærendo. Luc. 15. Quæ mulier habens dragmas 10. perfectio gratiæ quæ ostendit familiaritatem: ibi, gratiosa. Psal. Diffusa est gratia in la. &c. Inuentio gloriæ quæ ostendit facilitatem: ibi, inueniet: secundum illud Sap. 1. Sentite, &c. gloria crucis inuentæ quæ ostendit vtilitatem: ibi, gloriam. Gal. vlt. Mihi absit glo. nisi in Cru. &c. Si ergo ad mulierem sequitur inuentio & ad gratiam gloria, mulier gratiosa inue. glo. i. e. Helena crucem.

De eodem, Sermo 4.

Effodientes thesaurum gaudent vehementer cum inuenerint sepulchrum. Iob. 3. Mena humana versatur in præsenti. Circa quatuor, sc. circa bonum & malum. bonum duplex: præsens vel futurum. malum duplex: præsens vel futurum. secundum hoc distinguuntur quatuor. affectiones animæ. gaudium de bono præsenti. spes de bono futuro. dolor de malo præsenti. timor de malo futuro. Hinc est quod effodientes thesaurum gaudent propter bonum præsens quod inueniunt: secundū quod dicitur in verbis propositis quæ inuentionem sanctæ Crucis non immerito conueniunt propter tria quæ in eius inuentione gesta sunt. quæ sunt effossio in quærendo. inuentio in effodiendo. exultatio in inueniendo: & se habent per ordinem. quia thesaurus est causa effodiendi. effossio causa inueniendi. inuentio causa exultandi.

Secundum hoc circa inuentionē sanctæ Crucis notantur tria. diligentia in quærendo: ibi, effodientes thesaurum. efficacia in inueniendo: ibi, cum inuenerint sc. vehementia in gaudendo: ibi, gaudent vehe. Circa diligentiam quærendi tangit duo: modum: quia, effodientes. motiuum: quia, thesaurum, i. e. crucem in qua fuit repositum precium nostræ redemptionis. Circa efficaciā inueniendi similiter tangit duo. actum: quia, sepulchrum. Circa vehementiam gaudendi similiter tangit duo. lætitiam & lætitiæ vehementiam. vnde poterat dicere sancta Helena illud Luc. 15. Congratulamini mihi: quia inueni dragmam quam perdideram.

De eodem, Sermo 5.

Suscitans suscitabis arcum tuum iuramenta tribubus quæ locutus es. Abac. 3. Sicut perire dicitur quod perditur. secundum illud Luc. 15. Congratulamini, &c. Ita suscitari dicitur quod inuenitur. ergo per suscitationem intelligimus inuentionem. Item per arcum crucem siue notetur arcus cœlestis siue terrestris. ergo crux arcus cœlestis tum propter varietatem coloris: quia ibi color rubeus ex cruore. viridis ex liuore. aqueus ex aqua manante de latere. tum propter girationem aeris, i. e. ecclesiæ militantis quam girat per cultus ampliationē. per virtutis protectionem. per imaginis suæ sculpturam. tum propter significationē fœderis. In hoc enim quod habet cornua ad terram signum est quod non vult percutere terram. Coloss. 1. Pacificans per sanguinem crucis. Item crux arcus terrestris. tum propter cornua ligni. tum propter cordam extensam, i. e. carnem Christi. tum propter sagittam emissam, i. e. vltionem peccati. Item in locutione iuramenti: impletio promissi facta in cruce. Omnia ergo consonant crux & arcus inuentio & suscitatio. iuratio & promissio.

Secundum hoc tria notantur hic. crucis commendatio in, arcu. commendatæ inuentio in suscitatione: quia, suscitans in passione. suscitabis in inuentione. inueniendi ratio: quia, iuramenta supra adimpletionem quæ.

De eodem, Sermo 6.

BEnedictum est lignum per quod fit iustitia. Sap. 14. Solent homines benedici propter iustitiam. sic boni iustitiarii dum puniunt maleficos. Prouerb. 10. Benedictio Domini super caput iusti. Item propter misericordiam: sicut diuites benedicuntur cum dant largas eleemosynas. Prou. 22. Qui pronus est ad misericordiam benedicetur. Item propter humilitatem sicut Episcopi benedicunt inclinantes & petentes benedictionem humiliter. Matth. 10. Amplexans paruulos benedicebat eos. quia ergo in ligno crucis declarata est & iustitia in solutione condigni pretii. & misericordia in redemptionem inimici populi & humilitas in passione filii Dei. Ideo merito dicitur, benedictum lignum, &c.

Vbi notantur tria commendantia instrumentum redemptionis nostræ, scil. tenerent debita: ibi, benedictum. Eccl. 43. Vide arcum id est crucem inuentam & benedic qui fecit. &c. Materia congrua: ibi, lignum. vt scil. qui per lignum vincebat per lignum quoque, &c. Efficacia necessaria: ibi, per quod fit iustitia.

Epistola, Gal. 5. Confido in vobis. finis. & ego mundo. Euangelium, Ioh. 3. Erat homo ex Pharisæis. fin. vitam æternam.

In Festo Coronæ Domini, Sermo 1.

FAcies coronas & pones in capite Iesu, Zach. 6. Triplex corona legitur facta Iesu filio Dei. Prima carnea. secunda spinea. tertia aurea. Prima miseriæ qua coronauit eum mater sua Maria. Cant. 3. Egredimini filiæ Sion, &c. Secunda contumeliæ qua coronauit eum nouerca sua Synagoga. Matth. 27. Plectentes milites spineam coronam po. super ca. eius. Tertia gloriæ qua coronauit eum pater suus. Psal. Gloria & honocoron. Prima fuit subiectum secundæ. secunda meritum tertiæ. tertia præmium vtriusque. Prima patuit in natiuitate. secunda in passione. tertia in resurrectione. Propter secundam de qua est festum introducuntur verba proposita.

In quibus tria prædixit circa ludibrium & derisionem respectu coronati. scil. actorem: ibi, facies, scil. tu miles infidelis. Instrumentum: ibi, coronas. Modum: ibi, & pones in ca. Subiectum ibi, Iesu. Si consideres omnia inuenies ludibrium perniciosum ratione actoris mali: quia, facies. Derisorium ratione instrumenti: quia, coronas. Afflictorium ratione modi: quia, po. in ca. ita quod spinæ intrabant carnem non tantum super caput. Iniuriosum ratione subiecti: quia, Iesu: qui interpretatur salus.

De eodem, Sermo 2.

OMnes videntes me deriserunt me locuti sunt labiis & mouerunt caput, Psal. 21. Aliter recitat beneficia quæ aliis confert stultus. Aliter doctus: quia stultus ad improperandum. exigua enim dabit & multa improperabit. Eccl. 1. Doctus ad amorem excitandum & nutriendum. Ideo Dominus ea quæ pro nobis sustinuit recitat vt ad amorem accendat & ad simile animet dicens, omnes videntes me, scil. coronatum spinis, crucifixum clauis, deriserunt me, &c.

Vbi tangit prophetia tria. Multitudinem deridentium: quia, videntes me. Derisionis actum. & habet triplicem quia in factis: ibi, deriserunt, scil. coronando genua flectendo. In verbis: quia, locuti sunt la. Aue rabbi. & alios. sal. fe. In signis: quia, mouerunt caput. De his omnibus Matth. 27. Ideo Iob. 19. Deridetur iusti simplicitas.

De eodem, Sermo 3.

ECce equus albus & qui sedebat super eum habebat arcum & data est illi corona: & exiuit vincens vt vinceret. Apocal. 6. Omne instrumentum tanto fortius agit quanto à fortiori mouetur. Et ideo quia humanitas in Christo erat instrumentum quasi diuinitatis: quia ea in omnibus regebatur & mouebatur propter vnionem personalem sicut equus sessore. Ideo & actiones & passiones Christi hominis quasi infinitæ excellentiæ & valoris erant. Vnde potuit vincere diabolum & redimere genus humanum passione sua: quod purus homo non potuisset. Ideo hoc videns beatus Iob. commendat Christum à quadruplici excellentia.

Vbi primo commendat sanctimoniæ excellentiam: quia, ecce equus albus. Secundo excellentis sapientiam: quia, habebat arcum. Tertio sapientis patientiam: quia, data est ei co. & exi. Quarto patientis victoriam: quia, vincens vt vinceret. Ecce ergo albedo munditiæ: arcus sane doctrinæ: corona contumeliæ: victoria contrariæ potestatis. Circa primum, scil. sanctimoniam personæ notantur duo, scil. puritas humanæ naturæ in equo albo. sublimitas diuinæ in sedente super eum. De hoc supra pag. 120. col. 1.

De eodem, Sermo 4.

EGredimini filiæ Sion & videte regem Salomonem in diademate qua coronauit eum mater sua. Cant. 3. Recordatio passionis Christi spiritualiter valet ad tria. Ad detestationem peccati: quia propter peccata destruenda passus est. Ad dilectionem Dei: quia vice nostri passus est. Ad sustentationem proximi exemplo eius qui pro ptet alios non propter se passus est. Ideo inter alia tormenta passionis hortatur mater ecclesia vnumquemque ad considerationem ludibrii coronæ spineæ in his verbis.

In quibus primo hortatur. Ad considerationem: ibi, egredimini & videte. Secundo subdit considerationis materiam: ibi, regem Salomonem. Ad considerandum diuina ei agunt duo: disponens: ibi, egredimini, scilic. à tenebris peccati à negotiis mundi. efficiens: ibi, & videte oculis corporeis in picturis: oculis mentis in meditationibus sanctis. Circa considerationis materiam tangit duo. coronati patientiam: quia, regem Salomonem in diademate. coronantis iniuriam: ibi, qua coronauit eum mater sua. Patientiam commendant tria. potentia in, rege. sapientia in, Salomone. clementia in, diademate. Felix qui potens non coactus: qui sapiens non fatuus: qui clemens non superbus patitur. Iniuriam aggrauant tria: conditio iniuriantis, quia mater sua, scil. Synagoga. Innocentia patientis: quia, eum, scilicet verum Salomonem. Derisio operationis: quia, coronauit: deridendo non coronando.

De eodem, Sermo 5.

MIlites plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius. Matth. 27. & Ioh. 19. Dicitur communiter de homine qui est obligatus multis debitis quæ non potest soluere quod est in forti spineto. Sic nos propter reatum parentum nostrorum in forti spineto eramus: in cuius signum dictum est Adæ, Gen. 3. Maledicta terra in opere tuo. Ideo Dei filius nobis condolens pastor oui detentę à spinis vt nos de spineto eriperet caput posuit inter spinas: quia, plec. coro. de spi. po. su. ca. Iesu.

Vbi circa hanc coronam tangit euangelista quatuor causas, efficientem: quia, milites. formalem: quia, plectentes coronam. materialem: quia, de spinis. finalem: quia posuerunt super ea. Omnia aggrauant: quia in efficiente est indecentia, scil. quod miles operetur de spinis, hoc enim est rusticorum. In forma contumelia: quia, plectebant ad deridendum non ad honorandum. In materia angustia: quia, de spinis: pungitiuis non de floribus. In fine iniuria: quia, posuerunt super caput eius.

Epistola, Can. 3. Lectulum Salomonis fin. coronaberis. Euang. Ioh. 19. Apprehendit Pilatus. fin. & purpureum vestimentum

In Festo beati Iohannis ante portam latinam, Sermo primus.

PArasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum & calix meus inebrians quam preclarus est. Psal. 22. Sicut renouantur festa: renouari debent præconia. Duplex festum habet beatus Iohannes Euangelista. Vnum ratione viæ. Aliud ratione patriæ. In primo proponuntur martyria in exemplum. In secundo gaudia in præmium: vt si sumus socii passionum: erimus & consolationum.

Tria autem legimus martyria in verbis propositis expressa. Vnum in exilio: quia à Domitiano fuit relegatus. Secundum in oleo: quia in feruentis olei dolio missus. Tertium in veneno quo fuit potatus. Exilium solet esse penuriosum vnde & affligit. oleum feruidum vnde & comburit. venenum mortiferum vnde & occidit. Sed Dominus parauit in exilio conuiuium vnde dicitur, parasti in con. meo mensam aduersus. in oleo balneum: vnde subdit, impinguasti in oleo caput. m. in veneno potum vnde addit, & calix meus. Ergo refecit in exilio: quia multa ei reuelauit. Apoc. 1. Fui in spiritu Dominica die. Impinguauit in oleo quia illæsum seruauit. Ioh. vlt. sed sic eum volo manere. Inebriauit veneno quia potabile fecit. Marc. vlt. Et si mortiferum quid bibe. Vel inebriauit fluentis sapientiæ: quando supra pectus Domini recubuit. Et sic, calix plenus. propter plenitudinē sapientiæ. clarus: propter claritatem eloquentiæ. sed, inebrians propter feruorem doctrinæ: quia sapienter erudiuit & feruenter docuit. Impinguauit charismatibus gratiæ. Psal. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. & sic, impingauit in mente: quia spiritualiter dilectus fuit in capite: quia Archiepiscopus fuit: sed refecit in epulis gloriæ. Apparuit enim ei Dominus dicens. veni vt epuleris cum fratribus tuis. Ecce ergo fertilitas in prouidentia parantis. iucunditas in aspectu fruentis. securitas in deiectione tribulantis: quia, aduersus eos qui tribulant me.

De eodem, Sermo 2.

PRotegetur sub tegmine illius à feruore: & in gloria eius requiescet, Eccles. 14. Quondam proposuit Christo quæstionem de Iohanne Euangelista Petrus Apostolus dicens. Domine hic autem quid. Ioh. vlt. Cui respondit Christus. Sic eum volo manere donec veniam. quasi quæreret Petrus. Domine tu vis quod sequar te per passionem crucis & Iohannis quid faciet? Et Dominus respondit quod non per passionem martyrii: sed quieta senectute vitam finiret. Vnde & in feruentis olei dolium missus diuina se protegente gratia illæsus exiuit: cui concordat quod antiquitus sapiens prædixit quia, protegetur. scil. Iohannes. sub tegmine, i. e. sub gratia illius Christi, scil. à feruore. scil. olei. & in gloria requiescit.

In quo verbo notantur tria, scil. beneficium à Christo collatum: quia, protegetur sub te. illius. tormentum à tyranno excogitatum: quia, à feruore, sc. olei præmium à Deo speratum: quia, in gloria illius re. Vbi commendatur præmium ex iucunditate: gloria ex securitate: quia, illius, scil. sapientiæ increatæ. ex perpetuitate: quia, requiescet. secundum illud Psal. Hæc requies mea in seculum seculi.

De eodem, Sermo 3.

CAro mea immutata est propter oleum. Psal. 108 Subtiliter inspicienti in omnibus apparet commendabilis Dei sapientia: quia minus pro maiori vt corpus pro anima seruanda & beatificanda exponit: sic serpens corpus pro vita capitis. Matth. 10. Nolite timere Clementia: quia magna pro modico tribuit. Corinth. 4. Id enim quod in præsenti momentaneum est, &c. Potentia: quia naturas immutat & virtutes reprimit. Dan. 3. De flamma quæ non combussit tres pueros sed alios. Fecit enim medium fornacis quasi ventum roris flantem.

Hæc tria in præsenti sancto patent. Sapientia in exceptione carnis. persequebantur enim corpus: quia in animam non poterant vnde dicit, caro mea. Clementia in præmiatione Iohannis: quia, immutata, i. e. in melius mutata. Potentia in mitigatione feruoris: ibi, propter oleum, scil. feruens quod tamen eum non læsit. In primo notificat subiectum. In secundo præmium. In tertio modo pœnæ à persecutoribus intentæ.

De eodem, Sermo 4.

IVstus de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo. Prouerb. 11. b. Vita hominum ad modum stateræ mouetur. Vna enim parte stateræ eleuata deprimitur alia & econuerso. Sic tyranni in præsenti eleuati deprimunt pauperes & iustos: sed econuerso in futuro, iustis eleuatis tyranni deprimentur. exempla in Susanna & senioribus. Dan. 13. In Petro & Herode. Acto. 12. In Domitiano & Iohanne. vt de his verum sit quod hic dicitur.

Vbi

Vbi notantur duo. Primo decus & exaltatio sancti. Secundo dedecus & oppressio tyranni; ibi, & tradetur in. Eodem enim anno quo Domitianus iussit Iohannem exulari interfectus est à Senatu Romano & tunc Iohannes cum honore ad Ephesum redijt. Circa primum notantur tria sanctum decorantia. Iustitia in operando: ibi, liberatus est. In primo notatur opus sancti quod est iuste viuere. In secundo opus impij quod est angustiare. In tertio opus Dei quod est liberare. Circa dedecus & oppressionem tyranni similiter notantur tria: iustitia puniens: quia, tradetur. persona sustinens quia, impius. culpa exigens: quia, pro eo. id est pro malo quod intulit iusto. Ecce ergo statera mutata: quia iustus liberatus: & impius traditus est.

Epistola & Euangelium & themata in alio Festo supra pag. 109. col. 2.

In Festo translationis beati Dominici, Sermo primus.

IOseph natus est homo princeps fratrum: firmamentum gentis: rector fratrum: stabilimentū populi & ossa illius visitata sunt & post mortem prophetauerunt. Ecclesiast. 49. Quanto radix in terra magis profundatur & dilatatur: tanto arbor super terram amplius inaltatur: Sic homo quanto humilius Deo seruit & perfectius ante mortem: tanto post mortem amplius honoratur. Ideo beatus Dominicus quia Deo humiliter & gratanter seruiuit, exaltatus est & honoratus multipliciter post mortem: quia in anima post glorificationem de quo est aliud festum suum: & in corpore per translationem de quo est præsens festum.

Secundum quod in verbis propositis commendatur à duobus. Primo ab excellentia suæ perfectionis: & hoc ante mortem: quia Ioseph natus est, &c. Secundo à gloria suæ translationis. & hoc post mortem: quia ossa illius, &c. Manifestatur autem perfectio suæ sanctitatis ex tribus magnalibus. Ex sanctitate suæ conuersationis: quia, natus est. Ex institutione religionis suæ: quia, princeps & rector fratrum: princeps auctoritate institutionis. rector vtilitate gubernationis. ex vtilitate suæ prædicationis: quia, firmamentum gentis. quantum ad fidem, & stabilimentum populi. quantum ad mores. Sanctitatem conuersationis ostendunt tria. sanctimonia: quia, homo. in quo discretio: quia homo est animal rationale. Item mansuetudo: quia homo est animal mansuetum natura. Item humilitas: quia homo ab humo. sanctimoniæ euidentia: quia, Ioseph. qui accrescens interpretatur. euidentia perseuerantiæ. quia, natus. Consuetudo enim perseuerantiæ altera natura est. Gloriam translationis attollūt duo. visitatio & prophetatio: nam, visitata sunt ossa eius à populo per deuotionem. à Deo per signorum ostensionem. à clero per canonisationem. à fratribus per translationem. prophetauerunt per fragrantiam: non verbis sed miraculis. non voce: sed virtute. prophetauerunt eius gratiam. munditiam. doctrinam & tandem gloriam.

De eodem, Sermo 2.

ECce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus, Genes. 27. Cum cognitio nostra à sensu incipiat: secundum diuersos sensus diuersas rerum cognoscimus conditiones. nam auditu rumores, visu colores, olfactu odores, gustu sapores, tactu cæteras cognoscimus qualitates. ergo Dominus perfectè virtutem serui sui manifestauit. auditu sane prædicationis. visu sacræ religionis. gustu missi de cœlo panis. tactu libelli & ignis: sed hodie olfactu miri odoris. Nam in translatione corporis vbi corpus incineratum naturaliter dat fœtorem. mirabiliter nouum & gratissimum spirauit odorem. vt possit ecclesia dicere, ecce odor. &c.

In quibus verbis proponitur Dominicus tanquam odoriferus proximo. plenus in seipso benedictus à Deo. Hæc enim tria commendabilem reddunt præsentem solennitatem. gratitudo odoris. plenitudo virtutis. magnitudo benedictionis. Est enim odor ex plenitudine. plenitudo ex benedictione. propter primum dicitur, ecce odor filii mei. Vbi tria commendabilia implicantur. specialis filiatio propter fidem: ibi, filii mei. suauis eusporatio propter opinionem: ibi, odor. mirabilis demonstratio propter certitudinem vtriusque: ibi, ecce. propter secundum subditur, sicut odor agri pleni, scilicet floribus virtutum. propter tertium: additur, cui benedixit Dominus. Psalm. Benedictionem dabit legislator.

De eodem, Sermo 3.

TEmpus affuit quo sol refulsit qui prius erat in nubilo & accensus est ignis magnus ita vt omnes mirarentur. 2. Maccab. 1. Cum tempus sit mensura motus rerum mutabilium secundum variationem statuum mutabilium distinguuntur varia tempora. In summa vero secundum statum triplicem variantur homines: & secundum hoc triplex eorum tempus variatur, scilicet ante mortem. in morte. post mortem. Primum est tempus merendi in quo sancti fulgent per gratiam. Tertium præmiandi in quo refulgent per gloriam. Secundum quasi medium, scilicet ex hoc in illud transeundi in quo obnubilantur per mortem. Hoc tripliciter tempus videtur breuiter: secundum triplicem statum beati Dominici. vnum quo claruit: & sic, sol fuit. Secundum quo latuit: & sic fuit sub nubilo, scilicet mortis. Tertium quo refulsit & sic, refulsit. Primum respicit statum vitæ præsentis. secundum mortis. tertium translationis. Finito igitur tempore fulgentis vitæ per nubilum mortis & sepulturæ; postmodum, tempus affuit, &c.

Vbi notantur tria circa translationem. tangit enim translationis debitum, modum, & commodum. Debitum: quia, tempus affuit. modum: quia, in quo sol refulsit. Vbi notatur triplex status prætactus vitæ laudabilis, in sole. mortis humilis in, nubilo. translationis venerabilis in iterato fulgore. commodum: quia, accensus est ignis. Et hoc duplex. charitatis accensio siue in conuersione clericorum: siue in deuotione populorum: siue in extirpatione errorum. Laudis admiratio. quia omnes mirabantur, scil. propter miracula in translatione facta.

De eodem, Sermo 4.

ENoch placuit Deo & translatus est in paradisum vt det gentibus sapientiam, Eccl. 44. Si ęquos honoratur propter Dominum qui in eo habuit victoriam: & corpus debet honorari propter animam victoriosam: vt sicut anima transfertur ad paradisum gloriæ à loco exilii: sic corpus transferatur ad paradisum ecclesiæ, id est ad locum venerabilem à loco sepulchri. Hinc est quod quia Dominus transtulit animam beati Dominici in paradisum: ecclesia transtulit corpus in venerabilem locum: vt verum sit de eo quod dicitur de Enoch, Enoch placuit Deo.

Vbi notantur tria magna ad laudem beati Dominici. Primum tangit magnitudinem meriti: quia placuit Deo. Secundum magnitudinem præmii: quia, translatus est in paradisum. Tertium magnitudinem officii: quia, vt daret gentibus sapi. In primo commendat eum bonum gratiæ. In secundo donum gloriæ. In tertio commodum vtriusque. Circa primum implicatur triplex bonum, scil. honestum: quia, Enoch. de quo dicitur quod cum Deo ambulauit. delectabile: quia, placuit. vtile: quia, Deo. Circa secundum principale notantur duo. translationis opus: quia, translatus est. locus: quia, in paradisum. religionis, sc. ante mortem. Gen. 2. Plantauerat autem Dominus paradisum, &c. Regni cœlestis in morte. Apoc. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Ecclesiæ militantis post mortem: de quo est præsens festum. Circa tertium principale notantur etiam duo, sc. vtilitas: quia, vt daret. vtilitatis generalitas: quia, gentibus. scil. videntibus miracula. imitantibus exempla: non solum viui sed etiam defuncti.

De eodem, Sermo 5.

NVnquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila. Iob. 39. Sicut ad picturationem imaginis exiguntur tria, scil. pictor, color, & imago: Sic ad honorationem alicuius exiguntur tria. honorans, honorabile, & honor ipse. Honorabile est vir præditus virtute. Honor est exhibitio reuerentiæ. Honorans est testificans de virtute. Nam secundum Tullium. Honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. Quia ergo beatus Dominicus præditus fuerat multiplici virtute: Deus hunc attestans per miracula multiplicia ipsum voluit honorari: & quo ad animam ipsam in cœlū eleuando: & quo ad corpus ipsum eleuatum de terra in solennem locum transferendo: vt congratulans ecclesia dicere possit, nunquid ad præceptum tuum, &c.

Vbi notantur tria: honorans, honorabile, & honor. Honorans Deus præcipiens ideo dicit, nunquid ad præceptum. t. Honorabile aquila volans: ideo dicit, aquila. Honor eleuatio euidens: ideo addit, eleuabitur, id est extra terram eleuabitur. In primo commendatur transferentium auctoritas: quia, ad præceptum Dei. In secundo translati dignitas: quia, aquila. id est Dominicus propter volatum altiorem, visum acutiorem. In tertio translationis solennitas: quia, eleuabitur. & in arduis faciet nidum suum.

De eodem, Sermo 6.

EXaltasti super terram habitationem meam, Eccles. 51. Corpora sanctorum de terra producuntur operante diuina potentia. Eccles. 17. Deus de terra creauit. In terram reducuntur exigente diuina iustitia. Gen. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo donec reuertaris in terram. Super terram exaltantur ordinante diuina sapientia: vt hic. Super cœlum gloriabuntur remunerante diuina clementia. Iob. Credo quod Redemptor meus viuit, &c. Primum est in conditione. secundum in morte. tertium in translatione. quartū in resurrectione. Propter tertium potuit hodie dicere beatus Dominicus regratians Deo, exaltasti super terram, &c.

Vbi notantur tria: Actus delectabilis: quia, exaltasti. Situs venerabilis: quia, super terram. Finis commendabilis: quia, habitationē meam, id est locum in quo habitarem secundum corpus.

Epistola & Euangel. sicut in alio festo sequenti.

In Festo sancti Barnabæ Apostoli, Sermo primus.

IOseph qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis: quod interpretatum est filius consolationis leuites & cyprius, Actor. 4. Multa commendabilia legimus de hoc Apostolo in actibus Apostolorum: Quorum quædam pertinent ad principium suæ conuersionis: vt quod hic dicitur. Quædam ad modum suæ conuersationis. Actor. 11. Miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam qui cum venisset, &c. Quædam ad officium suæ prædicationis. Act. 13. Segregate mihi Barnab.

Circa principium suæ conuersionis hic commendatur à quinque. Primo ex nomine. secundo ex cognomine. tertio ex officio. quarto ex genere. quinto ex opere. Siquidem nomen celebre: quia, Ioseph. quod interpretatur accrescens. Cognomen desiderabile: quia, cognominatus est Barnabas: quod interpretatum est filius consolationis. Officium sublime: quia, leuites. Genus nobile: quia, cyprius. quod interpretatur merens. Opus perfectionis apostolicæ quia cum haberet agrum vendidit eum & attulit pretium & posuit ante pedes Apostolorum. Vbi notatur triplex eius perfectio. Paupertatis: quia, vendidit agrum ad relinquendum. Charitatis: quia attulit pretium ad distribuendum. Obedientiæ quia posuit ante pedes Apostolorum ad renunciandum. Si talis fuit in nouitiatu: quid in discipulatu: quid in apostolatu.

De eodem, Sermo 2.

HOrtabatur Barnabas omnes in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus plenus Spiritu sancto & fide. Act. 11. Sicut vas plenum esse ostenditur quando de redundantia sua aliis influit: quando superinfusa non recipit & quando humilem sonum emittit.

Sic plenitudo gratiæ in hoc sancto ostenditur hic ex tribus. Primo ex sana doctrina per quam aliis influebat. Actorum primo, Repleti sunt

sunt omnes Spiritu sancto. ideo dicit, hortabatur. Secundo ex bona vita per quam super infusiones alienas respuebat. Caro enim tentat superfundere voluptatem: mundus cupiditatem: diabolus vanitatem. ideo dicit, quia erat vir bonus. Tertio ex gratia & fide per quam humiliter fidei se subiecit: ideo addit, plenus Spiritu sancto. Et beatus vir cuius intellectus perfectus est fide: affectus charitate: effectus bonitate: affatus exhortatione. Doctrinam eius commendant quatuor causæ. Efficiens: quia, Barnabas. formalis: quia, hortabatur. Materialis: quia, in proposito cordis permanere, i.e. ad perseuerantiam in bono. finalis: quia, in Domino, i.e. ad honorem Domini. vel in dilectione & fiducia Domini.

De eodem, Sermo 3.

SEgregate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod assumpsi eos, Actor. 13. Sicut dicitur Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit vsq; ad perfectum diem: quod etiam in Barn. qui de nouitio in discipulum: de discipulo in Apostolum assumptus est vt accedat quod dicitur, segregate, &c.

Vbi Barnabas commendatur tripliciter. Ex priuilegio electionis vnde, segregate mihi, &c. Ex consortio dilectionis: quia Barnabam & Paulum. Ex officio prædicationis: quia, in opus ad quod. Vbi tria commendant officium illud ad quod assumpti: quia in, opus in quo notatur labor prædicationis. Ergo ad operandum, non ad dominandum, non ad spaciandum, non ad imbursandum. Item illud à quo assumpti: quia, à Spiritu sancto. assumpsi inquit. in quo notatur honor auctoritatis. Item illi qui assumpti: quia, eos. in quo notatur decor idoneitatis.

De eodem, Sermo 4.

BEatus quem elegisti & assumpsisti inhabitabit in atriis tuis. Psal. 64. Ita est in hoc mundo quod quilibet glorificat in alio quod habere desiderat in seipso. Hinc est quod pauper diuitem: eger sanum: miser beatum beatificat. Vnde nec mirum quilibet beatitudinem desiderans & officium prædicationis considerans: clamat illud propheticum, beatus quem elegisti, &c. quod specialiter impletum est in Barnaba & etiam in Paulo: secundum quod dixit Spiritus sanctus, segregate mihi, &c.

Vbi dicitur duplex felicitas, h. prima quam confert Dominus in hac vita: quæ tenet rationem meriti. Alia quam in futuro: quæ tenet rationem præmii vnde dicit, inhabitabit in. Circa primum tangit tria desiderabilia. statum, priuilegium, & gradum. Statum, scilicet felicitatis: quia, beatus. Priuilegium electionis: quia, quem elegisti. Gradum apostolicæ prædicationis siue dignitatis: quis, & assumpsisti. Ergo elegit Barnab. in discipulum: assumpsit in Apostolum: & sic fecit beatum. Circa præmium tangunt tria: Perpetuitas gaudii: quia, inhabitabit. Amœnitas loci: quia, in atriis. Securitas ratione Domini: quia, Deus.

De eodem, Sermo 5.

QVi videbantur columnæ esse dextras dederunt mihi: & Barnabæ societatis vt nos in gentes: ipsi autem in circumcisione: tantum vt pauperum memores essemus. Gal. 2. Ideo vocantur prælati pastores quia pascere debent subditos. & hoc triplici pabulo, scilicet exempli, verbi, & temporalis subsidii. In signum huius dixit Dominus Petro. ter pasce, scilic. ædificando exemplo: prædicando verbo: sustentando temporali subsidio.

Ab his tribus commendantur hic Paulus & Barnab. Primo à sanctitate vitæ quæ fuit in exemplum. Secundo ab auctoritate doctrinæ quæ fuit in documentum. Tertio à sollicitudine misericordiæ quæ fuit in subsidium. Sanctitati vitæ attestatur approbatio aliorum Apostolorum: quia, qui videbant, &c. Veritati doctrinæ attestatur conuersio gentilium quia, vt nos in gentes. Sollicitudini misericordiæ attestatur memoratio pauperum: quia, tantum vt &c. Approbationem sanctitatis illorum commendant tria. approbantium auctoritas: quia, qui videbantur colum. esse. scilicet Petrus, Iacobus, & Iohannes. Approbationis firmitas: quia, dextras de. Approbatorum idoneitas: quia, mihi & Bar. so. i.e. in signum societatis.

De eodem, Sermo 6.

ITe Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam ad populum terribilem. Esa. 18. Quatuor sunt quæ mirabiliter displicent in seruo. Ociositas. ideo Dominus Matth. 20. Quid hic statis tota die ociosi. Propria voluntas. ideo Dominus. Iohan. 5. Non quæro voluntatem meam: sed voluntatem eius, &c. Tarditas. ideo Prouerb. 22. Vidisti hominem velocem in opere. Inutilitas. ideo Matth. 25. Seruum inutilem proiicite, &c.

E contrario notantur hic commendantia Paulum & Barnabam quatuor. Mobilitas in operando: quia iuerunt secundum quod dicitur eis, ite. Humilitas in obediendo: quia non vsurpauerunt sed missi fuerunt: ideo dicitur, Angeli. Agilitas in proficiendo: quia, veloces. Vtiles in consummando: quia, ad gentem. scilic. conuertendam. gentem inquam à Deo. auulsam propter errorum offensam. in se dilaceratam propter obligationem ad multiplicem pœnam. populum terribilem: propter maculam. Iuerunt ergo ad miserendum & reconciliandum auulsam. ad absoluendum obligatam. ad reformandum terribilem. Hæc enim tria erant in illis: offensa, pœna, & macula.

De eodem, Sermo 7.

IVstus de angustia liberatus est. Prouerb. 11. Quidam nec in præsenti nec in futuro angustiantur. non sunt homines sed angeli boni. Ideo benedicite Domino omnes angeli eius qui fa. &c. Alii & in præsenti & in futuro angustiantur: sicut impœnitentes hic infernum incipientes vt Herodes. Alii in futuro non in præsenti angustiantur: vt epulones qui ducunt in bonis dies suos & in puncto ad infer. descen. Quarti in præsenti non in futuro: sicut iusti: quia multæ tribulationes iustorum. de his iustis fuit Barn. qui & appellatus est iustus. Actor. 1. Vt verum sit de eo quod hic dicitur.

Vbi commendatur à tribus in quibus consistit vita iustorum scilic. agere bonum, pati malum, recipere præmium.

De eodem.

Dedi te in lucem gentium, &c. supra pag. 122. colum. 2.

De eodem.

Iustus cor suum tradet, &c. supra pagin. 95. colum. 1.

Epistola, Ephes. 2. Iam non estis ho. fin. Dei in Spiritu sancto. Euangelium, Ioh. 15. Hoc est præceptum meum. fin. det vobis.

In Festo sanctorum Geruasii & Prothasii, Sermo primus.

Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Psal. 132. Sicut diuisio naturaliter est causa doloris iuxta illud Philosophi: dolor est sensus diuisionis impatiens: Ita vnio socialis causa est iucunditatis: quod approbans Psal. ait, ecce quam bonum, &c. quod impletum est in his duobus fratribus Geruas. & Prothas.

Propter quod ad eorum commendationem proponuntur verba ista. & in ipsis notantur tria, scil. Generis propinquitas: quia, fratres. & carne & fide. Propinquorum vnanimitas: quia, habitabant in vnum. & in vita & in morte. Vnanimitatis vtilitas: quia, bonum & iucundum. bonum, scil. contra malum gehennæ: iucundum propter statum gloriæ. vel bonum contra culpam: iucundum contra pœnam. bonum propter vtilitatem: iucundum propter securitatem. bonum operantibus: iucundum quiescentibus. Fraternitatem fecit natura: vnanimitatem gratia: iucunditatem gloria.

De eodem, Sermo 2.

Super plumbum quid grauabitur: & quod illi aliud nomen quam fatuus. Eccles. 22. Antiqua quæstio sapientis instruit nos de genere passionis horum martyrum. Nam ille fatuus comes Anastasius iussit Geruasium tamdiu plumbatis cædi: quamdiu exalaret spiritum.

Ecce grauis passio duplici de causa: quia & sine misericordia quod notatur in plumbo grauante: & sine iustitia: quod notatur in fatuo præcipiente. Ergo in plumbo instrumentum agentis: in grauamine tormentum patientis: in fatuo error imperantis notatur.

De eodem, Sermo 3.

Fratres in adiutorium in tempore tribulationis: & super eos misericordia liberabit. Eccl. 40. Retrogrado gradu videntur procedere status bonorum & malorum: quia mali procedunt ab honoribus quibus nunc eleuantur: diuitiis quibus dilatantur: & deliciis quibus impinguantur. ad vilitatem, egestatē, & angustiam inferni secundum illud. ducunt in bonis dies suos, &c. Sicut mulier quod eum dolore parit: antea eum delectatione concepit. Boni econuerso ab humilitate vitæ: paupertate substantiæ: & austeritate pœnitentiæ procedunt ad honorem: fertilitatem & delitias paradisi: secundum illud tristitia vestra vertetur in gaudium. Exemplum in diuite & Lazaro. Sic isti fratres per viam martyrii processerunt ad gaudium paradisi: vt verum fit de eis quod hic dicitur, fratres, &c.

Vbi duplex eorum tangitur status. Primus aduersitatis. secundus prosperitatis. Primum permittit diuina iustitia. secundum mittit diuina misericordia. Primus est tribulationis. secundus liberationis. Circa primum notatur triplex vinculum quo ligati fuerunt martyres isti. Primum naturæ: quia, fratres. Secundum gratiæ: quia coadiutores consulando verbo sapientiæ: ædificando exemplo patientiæ. Tertium miseriæ: quia, in tempore tribulationis. cuiusmodi tribulatio patet in legenda. Circa statum liberationis per beatitudinem notantur tria. beatificans: ibi, misericordia. beatificabile: ibi, eos. beatitudo: ibi, liberabit. Vel in toto verbo notantur tria. affectus: quia, fratres. effectus: quia, in adiutorium. & fructus: quia, eos. scili. veniens misericordia liberabit.

De eodem, Sermo 4.

Melius est duos simul esse quam vnum: habent enim emolumentum societatis. Eccl. 4. Secundum philosophum plura bona paucioribus sunt eligenda. Vnde opera Dei quæcunque per se bona: & cuncta simul bona: quia vnum iuuat & decorat aliud. Ideo Dominus sanctos suos colligit & congregat vt sint ex societate potiora & ante mortē & in morte & post mortem: quia sicut sunt socii passionum, sic & consolationis. quod considerans sapiens ait, melius est, &c. quod impletum est in his duobus quim verbis propositis à sancta societate commendantur.

Vbi sapiens primo proponit veritatem socialis vitæ. Secundo apponit rationem veritatis propositæ: quia, habent emolumentum. Circa primum tangit tria. Primo duplicem vitam socialem & solitariam cum dicit, duos & vnum. Secundo socialis debitam circumstantiam quod est, esse simul. per amorem & concordiam. Tertio ipsius excellentia: cum dicit, melius est. Circa secundum, scil. rationem veritatis propositæ tangit duo, scil. mutuam societatem: societatis vtilitatem: ibi, emolumentum.

Epistola, Sap. 3. a. Iustorum animæ. finis. illorum in perpetuum. Euangelium. Marc. 13. a. Egrediente Iesu de tem. fin. hic saluus erit.

In natiuitate beati Iohannis baptistæ, Sermo primus.

Dominus ab vtero vocauit me. Esa. 49. In tebus temporalibus videmus quatuor quæ impensa beneficia magnificant & attollūt. Dantis immensitas: vt cutellus datus à rege plus magnificaretur quam datus à paupere. ideo Apostolus, Gal 1. Magnificans euangelium suum ait. nec enim ab homine ac. Recipientis egestas. vnde plus magnificatur auxilium in aduersitate quam in prosperitate. Ideo Dominus Matth. 25. Esuriui & dedistis. Dandi curialitas & cum sine precibus donum offertur hilariter. ideo Psalm. Beatus qui intelligit super ege. Luc. vlt. Et coegerunt. Doni spiritualitas vt cum dator vni præ aliis. ideo Psalm. Non fecit taliter omni nationi, &c.

Ista

Ista quatuor attollunt gratiam beato Iohanni Baptistæ collatam quæ notantur per ordinem in his verbis: videlicet Dantis immensitas: quia, Dominus. de quo Psal. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Recipientis egestas: quia, ab vtero. in quo nullus se potest iuuare. Luc. 1. & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suę. Dandi cutialitas: quia, vocauit Esa. 41. Quis suscitauit ab oriente iustum: vocauit eum vt sequeretur se. & similiter 43. Doni spiritualitas: quia, me. Ioh. 1. Fuit homo missus à Deo.

Sermo 2. De Eodem.

AD omnia quæ mittam te ibis: & quæcunque mandauero tibi loqueris ad eos. Ier. 1. Secundum Philosophum anima creata est imperfecta. scil. quo ad bene esse: perfectibilis scientiis & virtutibus. A summo vero perfecto procedit ista perfectio: quia seruos suos perficit virtutibus propter vitam: & discipulos scientiis propter doctrinam vt sic operentur ex virtute & decorentur in scientia: quod euidenter patuit in Baptista vt impletum sit in eo quod hic dicitur.

Vbi commendatur primo eius vita virtuosa: quia, ad omnia &c. Secundo doctrina fructuosa quia, vniuersa quæcunque &c. Rectus ordo vt prius vita ædificet & post lingua prædicet. Vitam vero commendat obedientia diuina sub triplici conditione: quia scil. integra, discreta, operosa. Obediuit enim generaliter: quia, ad omnia. sapienter: quia, quæ mittam te. efficaciter: quia, ibis. Doctrinam vero commendant tria. Auctoritas sancti: quia, quæcunque mandauero tibi. Præclaritas verbi: quia, loqueris. Vtilitas populi: quia, ad eos scil. peccatores conuertendos.

Sermo 3. De Eodem.

TV puer Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciē Domini parare vias eius. ad dandam scientiam salutis &c. Luc. 1. Verba sunt Zachariæ de filio suo Iohanne. quod enim pater prædixit: filius postmodum adimpleuit. Et videte quia tria sunt quę commendant summo & perficiunt hominem. Meritum vitæ contra malos. officium personæ contra otiosos. commodum causæ contra imperfectos 1. Corint. 13. Charitas non quærit quæ sua sunt: sed quæ Iesu Christi. In nomine charitatis notatur meritum. in verbo quærendi officiū. in his quæ sunt Christi commodum.

Ab his tribus commendat Zacharias filium Ioh. in his verbis. Primo à merito: cum dicit, tu puer Propheta al. vo. Secundo ab officio: cum subdit, præibis ante fac. &c. Tertio à commodo: cum addit, ad dandam scientiam &c. Ecce meritū imitandum. officium venerandum. commodum appetendum. Meritum vitæ commendant tria. Puritas conscientiæ: quia, puer. claritas sapientiæ: quia, Propheta al. generalitas famæ: quia, vocaberis. Officium similiter cōmendant tria. modus, Dominus, & opus. Venerabilis modus: quia, præibis. familiaris Dominus: quia, ante faciem Domini. vtile opus: quia, parare vias eius. Commodū similiter cōmendant tria. Donum appetibile: quia, ad dandam scientiam. Omnes enim natura scire desiderant. Donum vtile: quia, scientiam salutis. Donum spirituale: quia, in remissionem peccatorum. Aliqui enim dant: sed fabulationes non scientia vt Poetæ. Alii dant scientiam: sed erroris non salutis vt magi. Alii scientiam salutis: sed corporalis non spiritualis vt medici. Sed iste dedit scientiam salutis in remis. peccatorum.

Sermo 4. De Eodem.

QVI futurus est iam vocatum est nomen eius & scitur quod homo sit: & non possit contra fortiorem in iudicio contendere. Eccl. 6. Sicut testatur saluator inter natos mulierū non surrexit maior Ioh. Bapt. Ad cuius magnitudinem exprimendam notantur hic quatuor quæ solent fieri istis magnis. Solet enim eorū aduentus prænuntiari: sicut Prophetæ aduentū Christi. Item eorum nomen à magnis imponi: sic angelus nomen Iesu Christi. Tertio eorum genus commendari: sicut Raguel patrem Tobiæ. Tob. 7. Quarto eorum officium insinuari: sicut Christus officiū Pauli ananiæ. Act. 9.

Sic ad commendationem Ioh. Baptistę sapiens prænuntiat. Primo eius aduentum. secundo eius priuilegium. tertio statum. quarto officium. Aduentū in præcursione, qui futurus est. s. præcursor Christi. Priuilegium in nominis impositione, iam vocatum est nomen eius scil. Iohan. statum in conditione: & scitur quod homo sit. s. purus. non Deus sicut Christus. quod & ipse Iohannes dixit: non sum ego Christus. officium in comparatione: quia prædicabat Christum fortiorem se. & hoc est, & non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. Ergo præconizauit Iohannē Dominus quantum ad tempus. nomen, genus, & officium. de omnibus his habetur in euangelio. Luc. 1. & alibi.

Sermo 5. De Eodem.

DAbit tibi Dominus panem artum & aquam breuem & non faciet auolare à te vltra decorem tuum. Esa. 30. Commendabilem reddunt hominem & famosum duo. s. Abstinentiæ singularitas. secundo decoris perpetuitas.

Hæc duo in beato Iohanne fuerunt: ideo dicitur, dabit &c. Abstinentia notatur: ibi, dabit &c. Decoris obseruantia: ibi, & non faciet auo. Abstinentia vero commendatur ex duobus. ex causa: quia à Deo & propter Deum. vnde ait, dabit tibi Dominus. ex mensura: quia, panem & c. parua mensura & cibi. quod patet. & ex qualitate: quia panem non panes. non varia fercula. ex quantitate: quia, artum. non abundantiam panis. Item parua mensura potus quod patet & ex qualitate: quia, aquam non vinum nec aliud inebrians: & ex quantitate: quia breuem. quasi vix ad satietatem. Efficacia similiter commendatur ex duobus. ex decore. innocentiæ: quia, decorem tuū. Ex decoris perpetua conseruatione: quia, non faciet auolare.

Sermo 6. De Eodem.

NOlite inebriari vino in quo est luxuria: sed impleamini spiritu sancto loquentes vobismetipsis Eph. 5. c. Ad perfectionem boni operis requiruntur tria: vnum antecedens tanquā inductiuū. s. fuga mali. ideo Ps. declinate à me ma. &c. alud cōcomitans tanq̄ effectiuū. s. gratia spiritus sancti.

sancti. 1. Corinth. 15. abundantius omnibus laboraui: non ego sed gratia. Tertium consequens tanquam conseruatiuũ scil. lætitia animi. Psal. redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me. Ista tria eleganter Iohannes habuit: quia nihil inebrians bibit. Spiritu sancto ex vtero plenus fuit. ea vtero in Deo exultauit. vnde perfecte tenuit quod Apostolus postmodum docuit in his verbis.

Vbi primo monet ad fugam mali, nolite &c. Secundo ad amorem boni, sed impleamini. Tertio ad cautelam perseuerandi, loquentes &c. In primo hortatur duo fugere mala quæ maximam partem mundi subuertunt. gulam & luxuriam. Primo ergo malum præuenit, nolite inebriari. Secundo causam ostendit: ibi, vino. Tertium periculum prætendit, in quo est luxuria. Ad bonum vero hortatur & abundans: ibi, impleamini. & expediens: ibi, Spiritu sancto. non vino. Cautelam perseuerandi in lętitia spirituali quam describit ea locutione interiori: quia, loquentes vo. Et in materia: quia, in psalmis &c.

Sermo 7. De Eodem.

ERit enim puer Nazaræus Dei ab infantia & ea vtero matris suę vsque in diem mortis suæ. Iudic. 13. Nato Iohanne quærebant audientes mirabilem eius ortum. quid putas puer iste erit. hanc quæstionẽ soluit veraciter antiqua responsio angeli de Samsone, erit puer na. &c.

Vbi commendatur Iohan. à duobus. Primo ob innocentia vitæ: quia, puer &c. Secundo à perseuerantia innocentiæ: quia, ex vtero matris &c. Innocentiam vero perficiunt tria scil. pura, honesta, & integra vita. Secundum hoc commendatur hic à tribus. à puritate in viuẽdo: quia, puer. ab honestate in conuersando: quia, nazarenus. id est floridus. ab integritate in continuando: quia, ab infantis. Perseuerantiã vero innocentiæ commendant tria. scil. principium, medium, & finis: quia semper purus. vel terminus à quo: quia, ex vtero. terminus ad quem: quia, ad diem mortis. medium per quod: quia, vsque: quod est nota continuationis. vnde potuit dicere mundam seruaui animam meam.

De Eodem, Sermo 8.

MOyses fidelis erat in tota domo eius tanquã famulus in testimonium eorũ quæ dicenda erant Heb. 3. Solent diligere & commendare homines in seruis suis fidelitatem. Eccl. 33. Si est tibi seruus fidelis sit tibi. quasi anima tua. Operositatem: ideo Matth. 20. Quid hic statis tota die otiosi. Sapientia. Eccl. 7. Seruus sensatus sit tibi dilectus. q. s. Commeodabilis seruus qui est fidelis in custodiendo. humilis in operando. sapiens in cogitando & loquendo. talis fuit beatus Iohannes vt verum sit de eo quod hic dicitur de Moyse.

Vbi commendatur à tribus. à fidelitate: quia nihil vnquam fecit contra Dominum, vnde fidelis erat in tota contra quod facit homo peccando. Secundo ab humilitate: quia, tanquam famulus. confessus est enim se non esse Christũ. sed eius famulum. Tertio à veritate: quia, in testimonium &c. Iohann. 1. Hic venit in testimonium. Primum commendat eius meritum. Secundum eius statum. Tertium eius officium. Fidelitas eius ostenditur: quia, Moyses & bene dicitur Moyses quia habitabat circa aquas. ex expressione: quia, fidelis erat. ex generalitate: quia in omni domo eius.

Sermo 9. De Eodem.

ECce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis & conuertet corda patrum ad filios. Mal vlt. g. Quantum Deus diligat hominem patet inter cætera ex his quę misit ei. misit ei filium. Spiritum sanctum Angelos, Prophetas, Apostolos. Inter quos promisit & misit virum magnum Ioh. Baptistam. de quo sub typo Eliæ exponuntur verba proposita.

Quatuor enim solent commendabilem & reuerendum reddere nuntium. Sublimitas Domini à quo mittitur. vnde dicitur seruus regis est par comiti. Sagacitas nuntii qui mittitur. Opportunitas temporis in quo mittitur. Vtilitas officii propter quod mittitur. Ista quatuor notantur de Christo. Galat. 4. At vbi venit plenitudo temporis.

Ab his quatuor commendatur hic beatus Iohannes. Primo quia à magno Domino. scil. Deo missus qui dicit, ecce ego mittam vobis. Ioh. 1. Fuit homo missus à Deo. Secundo quia iustus & doctus: ideo dicit, Eliam Prophetam. Matt. 17. Elias iam venit & non cognouerunt quia de baptista loquerentur. Tertio quia opportunum tempus: ideo dicit, antequam veniat dies Domini. Luc. 7. Ego mitto angelum meum. & Exod. 33. Mittam præcursorem tui angelum. Vbi notantur dicta quatuor. Quarto quia vtilis & proficuus: ideo dicit, vt conuertet &c. Luc. 1. Multos filiorum Israel ad Dominum Deum eorum conuertet.

Sermo 10. De Eodem.

PAraui lucernam Christo meo. Psal. 131. Sicut rex de nouo mittens filium in aliquam ciuitatum suarum mittit præcursores vt parent vias & huiusmodi & certificent ciues de filio venientε. Sic Deus pater misit Ioh. præcursorem filii parare viam Domino & illuminare eos & inflammare ad amorem & notitiam filii quod ipse fecit. vnde Dominus de ipso ait. Ioh. 5. Ipse autem erat lucerna ardens & lucens. Ergo vere dicere potuit Deus, paraui lucernam Christo meo.

Vbi commendantur tres personæ. Patris prouidentia: quia, paraui. Iohan. sapientia: quia, lucernam. Christi excellẽtia: quia, Christo meo. In patre habemus exemplum prouidentiæ: vt paremus quæ debemus. in Iohanne documentum sapientiæ vt aliis luceamus. in Christo vnguentum gratiæ si ei adhæreamus.

De Eodem.

Curam habe de bono nomine &c. supra pag. 121. col. 2.

Ecce elongaui fugiens &c. supra pagina 124. col. 2.

De Eodem.

Dilectus meus candidus & ru. &c. supra pag. 138. col. 1.

De Eodem.

Elegi abiectus esse in domo &c. supra pa. 133. col. 1.

De Eodem.

Epistola Esa. 49. Audite Insulæ. &c. qui elegit te. Euangelium Luc. 1. Elizabeth impletum est. &c. plebis suæ.

In Festo martyrum Iohannis & Pauli supra pag. 148. col. 1.

Ecce quam bonum & quam iocundum habitare &c. supra pag. 148. col. 1.

Fratres in adiutorium &c. supra pag. eadem. col. 1.

Isti sunt duo filii olei. supra pag. 142. col. 2.

Epistola Rom. 8. Quis nos separabit. &c. Christo Iesu Domino nostro. Euangelium. Luc. 12. Attendite à fal. coram angelis Dei.

In Festo Apostolorum Petri & Pauli, Sermo Primus.

PRincipes populorum congregati cum Deo Abraham. Psal. 46. In grosso numerando triplicem legimus congregationem. infimam, mediam & supremam. Infimam in inferno vbi congregantur mali cum malis. sicut paleæ & ligna ad comburendum. Ezech. 22. Congregabo vos & succendam in igne furoris mei. Mediam in hoc mundo: vbi congregantur mali cum bonis. sicut paleæ cum granis, zizania cum tritico ante ventilationem areæ. Psal. Sperate in eo omnis congregatio populi. Matth. 13. Simile est regnum cælorum sage. mis. Supremam in paradiso. vbi congregantur boni cum bonis: sicut amici ad festiuandum. Matth. 24. Congregabunt electos eius à quatuor ventis. Matt. 13. Triticum autem congrega. sic, congregati sunt principes populorum cum Deo Abraham cũ Christo: sicut hic dicitur.

Vbi notantur duo. Primo generaliter istorum auctoritas: quia, principes po. Secundo principum fælicitas: quia, congregati sunt cum Deo. In primo implicantur duo. Primo ipsorum potestas: quia, principes. Potestatis generalitas: quia, populorum. Paulus princeps gentium in docendo. Petrus omnium in præsidendo. Fœlicitas describitur in duobus. In grata societate: quia, congregati sunt. In diuina visione: quia, cum Deo Abraham.

Sermo 2. De Eodem.

VEnite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam. Matth. 11. Licet hæc verba possent conuenire omnibus sanctis generaliter: tamen in his duobus conueniunt specialiter. Paulo propter laborem: quia plus omnibus laborauit. Petro propter onus quia totius ecclesiæ curam habuit. dicit ergo Christus specialiter quod conuenit electis omnibus generaliter, venite &c. Libenter seruiendũ est Domino qui soluit curialiter. Sapiẽter & humiliter. talis est Christus. Remunerat enim curialiter: quia vocat. Matt. 20. Voca opera. &c. Sapienter: quia vocat. laborantes. Luc. 22. Vos estis qui per. Abundanter: quia ad regnum hereditandum vocat. In hunc enim vocati estis vt benedictio. he. pos. Ideo non immerito isti Apostoli seruierunt Christo: quibus dicit, venite.

Vbi notantur tria prædicta. Inuitantis curialitas cum dicit, venite ad me omnes. Inuitandi æquitas: cum subdit, qui laboratis. Inuitationis vtilitas: cũ addit, & ego refi. Curialitas inuitantis ostenditur in tribus. In eius benignitate: quia vocat, venite. Humilitate: quia ad se non tantum ad sua vocat: ibi, ad me. Largitate: quia sine personarum exceptione vocat: ibi, omnes. Æquitas ostenditur in vocatione hominum qui remunerari debent. s. operantes bona qui dicuntur laboriosi: & sustinentes mala qui dicuntur onerati. Vtilitas ostenditur in tribus. In præmiante: ibi, ego. In præmiatione: ibi, reficiam. In præmiatis: ibi, vos.

Sermo 3. De Eodem.

HAbitabit lupus cum agno. Esa. 11. Glo. dicit ibi: Paulus cum Petro. vel cum Anania qui dicitur ouis. agnus etiam dicitur ab agnoscendo, Petrus agnoscens. Paulus autem lupus. Gen. 49. Beniamin lupus rapax &c. Quod verificatum est in Paulo qui fuit de tribu Beniamin. Dicamus ergo de Apostolis, habitabit lupus cum ag. Mirabilis ardor videretur in igne si arderet in aqua sibi repugnante. Sic mirabilis ardor amoris apparuit in Christo: dum repugnantem sibi Paolum vocauit & coapostolum fecit Petro & lupum sociauit agno: vt impletum sit in his quod Esa. antiquitus prædixit, habitabit &c.

Vbi notantur tria. Pauli conditio: quia, lupus. Petri discretio: quia, agnus. ab agnoscendo. Ad modum enim agni statim secutus est Christum vocantem. Vtriusq; commendatio: quia, habitabit. scilicet in ecclesia militante per gratiã & doctrinam & triumphante per gloriam. Conditio Pauli notatur secundum duplicem statum scil. culpæ: quia lupus. gratiæ: quia, cum agno. Fœlix societas vbi relicta superbia: humilitas habitat cum sapientia. s. Paulus. i. modicus cum Petro agnoscente. quippe vbi humilitas ibi sapientia. quia vbi Petrus ibi Paulus.

Sermo 4. De Eodem.

QVi elucidant me vitam æternam habebunt. Eccl. 24. Si bonus paterfamilias seruitium sui boni famuli reddit: quanto citius summus paterfamilias. Immo certe non solum secundum meritum sed etiam supra meritum reddet seruis suis. quia in paucis vexati: in multis bene disponentur: & hoc est quod antiquitus promisit & hodie in his Apostolis excellenter adimplenit. Nam veritatem fidei & morum in lucem posuerunt, ideo vitam æternam adepti sunt: quia, qui elucidant &c.

Vbi commendantur à duobus. à merito præsenti: quia, elucidant. à præmio sequenti. quia, vitam æternam habebunt. Meritũ notatur in officio prædicationis: quod commendatur ex tribus. ex materia: ex forma. ex actore. Ex materia vtili: quia, me. non fabulosa. non Philosophica ex forma facili: quia, elucidant. non extorsionibus & vanitatibus quæ obtenebrant. ex actore sufficienti: cum dicit, qui, vt referatur ad præcedens. qui audit me. & qui operantur. Præmium commendatur ex tribus. ex rei pretiositate: quia, vitam. perpetuitate: quia, æternam. possessione: quia, habebunt.

Sermo

Sermo 5. De Eodem.

Dixit Deus fiant luminaria in firmamento cæli & diuidant diem & noctem. Gen. 1. Sicut à principio creationis mundi fecit Deus duo corpora luminosa ad illuminandum istum orbem. Sic tempore gratiæ fecit duo lumina spiritualia ad illuminandum hominem. Petrum qui significatur per solem. Paulum qui per lunam. nam sicut sol ad illuminationē diei. luna ad illuminationem noctis. Sic Petrus ad eruditionē Iudæorum in quibus erat maior Dei cognitio. Paulus ad eruditionem gentium in quibus cognitio minor. & sicut sol pater planetarum: sic Petrus princeps Apostolorum, dixit ergo Deus.

Vbi quatuor commendant Apostolos. auctoritas prælationis: quia, dixit Deus. claritas eruditionis: quia, luminaria. sanctitas conuersationis: quia, in firmamento cæ. vtilitas ministrationis: quia, vt diuidant diem & no. In primo commendantur ex efficiente: quia fecit. faciliter: quia solo, dictū. potenter: quia, Deus. In secundo ex materia: quia, luminaria. In tertio ex forma: quia, in firmamento cæli. Et sic firma & pura: & accipitur firmamentum quicquid est à globo lunari vsque ad cælum stellatum. In quarto à fine: quia, vt diuidant diem & noctem. bonum à malo discernendo. vel diem id est Iudæos & noctem. i. gentiles qui diuisi sunt. Iudæi scilicet in prædicatione Petri. gentiles in prædicatione Pauli.

De Eodem, Sermo 6.

Gladium euaginauerunt peccatores intenderunt arcum suū ut amaram vt decipiant pau. & mo. vt tru. rec. corde. Psalm. 36. Quatuor solent illatam alicui iniuriam aggrauare. vt vituperabilior sit iniurians: & commendabilior sit patiens. Primum est iniquitas operantis, ideo Abac. 1. Quare taces impio conculcante iustiorem se. Secundū est atrocitas operationis, ideo Matt. 14. Tanquam ad latronem existis cum gladiis & lignis comprehendere me. si enim dure loquerentur ad eum adhuc nimis esset. Tertium est peruersitas intentionis. ideo Marci. 15. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. vnde etiam osculum Iudæ malum iudicatur propter intentionem peruersam. Quartum sanctitas patientis ideo Luc. 23. Nos quidem hæc iuste patimur. hic vero nihil male gessit. Psalm. effuderunt sanguinem io oo.

Ista quatuor aggrauant passionem & commendant patientiam Apostolorum. Primum est iniquitas tyrannorum: cum dicit, peccatores. secundum atrocitas tormentorum: quia, gladiū eua. ad decapitandum Paulum, intenderunt arcum scil. crucis ad crucifigendum Petrum. Tertium est peruersitas intentionum: quia, vt decipiant: ad errorem trahendo quod non potuerunt. vel trucident mortem inferendo quod fecerunt. Quartum est sanctitas sustinentium: quia, pauperes & ino. & rec. corde. Reliquerunt enim isti sua. suos. & seipsos. Sua, scil. temporalia: & ideo, pauperes suos scilicet amicos carnales: & ideo, inopes. i. sine ope. seipsos non flectendo se secundum propriam fragilitatem. sed regulando secundum diuinam voluntatem: & ideo, recti corde: & sic sancti: quia sine terra. sanguine tincti & firmi.

Idem thema habetur supra pag. 510. col. 4.

Sermo 7. De Eodem.

Elegit nobis hereditatem suam speciem Iacob quem dilexit. Psal. 46. Tria solent donum facere gratum & acceptum Videlicet dantis liberalitas: vt cum dat voluntarie & gratis non meritis obligatus non metu coactus. non precibus inductus. dandi specialitas. vt cum dat vni vel duobus præ aliis. doni immensitas: vt cum dat rem necessariam & preciosam.

Ista tria confitentur Apostoli circa beneficium sibi collatum. dantis liberalitatem: quia, elegit. & ab æterno prædestinando. elegit nos ante mundi constitutionem. & in tempore præferendo Paulum gentibus: Petrum omnibus. Vnde parum ante. subiecit populos nobis: & gentes. Iohan. 15. Non vos me elegistis: sed ego elegi. dandi specialitas: quia, nobis. non enim fecit taliter omni nationi. doni immensitas: quia, hæreditatem suam. scilicet secundum ecclesiam militantem præferendo eos. secundum ecclesiam triumphantem glorificando eos. quæ commendatur à perpetuitate: quia, hæreditatem suam. à speciositate: quia, speciem Iacob, id est populi Christiani. à pretiositate: quia, dilexit. dicunt ergo Pet. & Pau. elegit nobis. glo. Apostolis supple dare, hæreditatem suam &c.

Sermo 8. De Eodem.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo: diuites in fide & hæredes regni, quod repromisit Deus di. se. Iac. 2. Tria sunt quæ multum mouent & iuuant viatorem ad perueniendum in patriam optatam scil. leuitas oneris. virtus siue sanitas corporis. spes iocundæ quietis. Sic tria adiuuant hominem ad veniendum in gloriam. contemptus temporalium. ideo Petrus. Matth. 19. Ecce nos relinquimus &c. Abundantia spiritualium: quia gratiam & gloriam dabit Dominus. Confidentia & amor cælestium. vnde Dominus. ego diligentes me diligo & qui &c.

Ab his tribus possunt isti Apostoli excellenter commendari. à temporalium abiectione: ideo, pauperes in mundo. à spiritualium adeptione: quia, diuites in fide. à cælestium expectatione: quia, hæredes regni. Circa primum implicantur tria. diuina potentia: quia, Deus. sapientia: quia, elegit. clementia: quia, pauperes. Circa vltimum ostendit Apostolus quod Dominus abunde: quia, regnum. voluntarie: quia ex promisso. discrete: quia, diligentibus se.

Sermo 9. De Eodem.

Statuit duas columnas in porticu tēpli. 3. Reg. 7. Triplex inuenitur officium columnarum. dirigere sicut legitur Exod. 13. De columna nubis per diem & ignis per noctem. Item sustentare. Eccl. 25. Columnæ aureæ super bases ar. & pe. Item ornare. Cant. 5. Crura eius columnæ marmoreæ. ideo merito isti duo Apostoli dicuntur duæ columnæ quas statuit Salomon id est Christus in porticu templi, i. in ecclesia militante quæ

est

est quasi porticus triumphantis: quia direxerunt errantes in fide dirigendo. sustentauerunt conuersus defendendo. ornauerunt secundum regulam ecclesiæ ordinando. vt vere dicatur de Christo & ipsis: quia, statuit duas &c.

Vbi commendantur ab efficiente. scil. Christo qui statuit. à forma: quia, duas columnas. à materia: quia æreas sicut supra tetigit. à fine: quia, in porticu templi. qui sustentatus fuit. In primo commendatur auctoritas reuerenda. In forma sanctitas imitanda. In materia stabilitas commendanda. In fine vtilitas appetenda. Hæ enim quatuor causæ commendant vel vituperant opus: sicut patet in vase quocunque.

Sermo 10. De Eodem.

DOminus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis: & per noctem in columna ignis. Exod. 13. Sicut pius princeps siue hospes præstat peregrinis ductores ad ostendendam viam ne errent. Sic Dei filius filiis Israel euntibus ad terram promissionis dedit ductores. scil. duas columnas. vnam scil. nubis per diem. aliam ignis per noctem. Sic & nobis peregrinantibus in hoc mundo: dedit duos ductores siue doctores pe. & pau. ad ostendendam viam salutis. Petrum Iudæis qui erant in die propter cognitionem legis & Prophetarum vnde figuratur per columnam nubis. Paulum gentibus qui erant in nocte erroris. vnde figuratur per columnam ignis. vt verum sit de existentibus in primitiua ecclesia: quia, Dominus præcedebat &c.

Vbi commendantur Apostoli à quatuor causis in quolibet opere cōcurrentibus. ab efficiente à quo auctoritas: quia, Dominus præce. à fine. à quo vtilitas: quia, ad ostendendam viam. à forma à qua firmitas: quia, in columna. à materia à qua sanctitas: quia, nubis refrigerantis contra malum, ignis accendentis ad bonum.

Sermo 11. De Eodem.

CVrauit gentem & liberauit eam à perditione qui præualuit amplificare ciuitatem: & adeptus est gloriam in conuersione gentis Eccl. 50. Sicut homo constat ex duabus partibus scilicet corpore & anima. Sic indiget duplici medicina corporali & spirituali. Et licet multi hominum magis curant de medicina corporali tamen Deus curat magis de spirituali. vnde & propter hanc venit: & duos generales medicos nobis misit Petrum & Paulum. Paulum ad curandum gentem Petrum ad curandum Iudæam. vt verum sit specialiter de Paulo quod hic dicitur de Simeone.

Vbi notantur quatuor opera medici. quæ exercuit Paulus circa gentes. scil. Primo curatio erroris. Vbi implicatur: & medicus sanans: quia curauit. & infirmus egens: quia, gentem. Secundo euasio mortis. Vbi implicatur & amaritudo mortis: quia, perditio & euasio amaritudinis: quia, liberauit. Tertio amplatio veritatis. Vbi implicatur etiam fortitudo amplianus: quia, præualuit: & latitudo ampliationis: quia, ampli. ci. Ecclesiæ. Quarto adeptio fœlicitatis. Vbi implicatur iocunditas fœlicitatis: quia, gloria: & idoneitas recipientis in conuersione gentis.

Epistola Actor. 12. Misit Herodes. fuit. Iudæorum. Euangelium Matth. 16. Venit Iesus in partes cæ. phi. fi. solutum in cælis.

Epistola in commemoratione Pauli. Galat. 1. Notum vobis fa. fi. quia non mentior. Euangelium. Matth. 19. Ecce nos reli. omnia. finis. possidebit.

De beata Margaretha virgine, Sermo primus.

INimicitias ponam inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum. Genes. 3. Duplex est operatio animæ interior in voluntate scilicet amare & odire. exterior in re scilicet bene vel male facere. Secundum hoc tota est pulchra anima quando est dissensus peccati in voluntate: & nullus sensus in re. vt sit pulchritudo & virtus in corde & exterius in corpore vt vere dicat cor meum & caro mea exul. &c. Hanc perfectam pulchritudinem dedit Dominus Margarethæ: quia & peccatum odio habuit: & suggestionem superauit. & non solum spiritualiter: sed etiam corporaliter. vt accedat de ea quòd hic dicitur, inimicitias ponam &c.

Vbi commendatur primo ab odio peccati: cui inimica fuit. Secundo à victoria diaboli quem in carcere contriuit. Circa odium tangit tria. virginis ad peccatum contrarietatem: ibi, inimicitias. contrarietatis causam tam efficientem quam finalem. scilicet Deum qui dicit, ponam. contrariantium conditionem: ibi, inter te & mulierem. Circa victoriam tangit tria in virgine. conditionem naturæ: quia, ipsa scilicet mulier. additionem gratiæ: quia, conteret. discretionem pugnæ: quia, caput tuum. & sic tangit subiectum habitum & vsum gratiæ. Vicit ergo mirabiliter: quia in sexu fragili. Integraliter: quia, contriuit id est simul triuit: & visibiliter & inuisibiliter. Sapienter: quia, caput in quo dicitur esse & vita & venenum serpentis.

Sermo 2. De Eodem.

ELeuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Psalm. 140. Sicut rex terrenus habet varia locorum genera. quædam lætitiæ vt est palatium in quo conuiuia facit. thalamus in quo cum sponsa quiescit. quædam tristitiæ vt est carcer in quo maleficos retrudit. locus patibuli in quo eosdem affligit. quædam pugnæ vt est campus belli in quo iudicia & huiusmodi discernit. Sic rex æternus habet locum lætitiæ in quo electos glorificat scilicet paradisi locū. tristitiæ in quo reprobos cruciat scilicet infernum. locum pugnæ in quo omnes examinat. s. mundū istum. vnde lætitia est vita hominis super cælum. tristitia vita hominis infra terram. sed militia vita hominis super terrā. locus ergo aptus pugnæ est regio sublunaris: & merito vt vbi elemēta pugnāt agendo & patiendo naturaliter: ibi homines pugnent agendo & patiendo moraliter. Vñ & iuxta nume-

numerum quatuor elementorum sancti inueniuntur passi in quatuor locis. Quidam in terra incarcerati & viui sepulti vt Iohannes & Paulus: vt patet in legenda eorum. Alii in aqua submersi: vt beatus Clemens. Alii in igne combusti: vt Laurentius, Vincentius. Alii in aere suspensi: vt Andreas. Sic & Margaretha & in terra reclusa & in aere eleuata. & per manus suspensa fuit vt virgis cederetur corpus eius: & sic offerebat se Deo sacrificium acceptum: vt vere posset dicere, eleuatio ma. m. sa. vespertinum.

Vbi notantur duo. scil. tormenti acerbitas per eleuationem manuum. Acerbitatis vtilitas per sacrificium vespertinum. quod erat acceptabilius quam matutinum. Pœna ergo huius fuit afflictoria & meritoria. Afflictoria ex intentione agentis. meritoria ex intentione patientis.

Sermo 3. De Eodem.

INuenta vna pretiosa Margarita abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Matth. 13. Mercator cælestis in nundinis mundi huius quærens merces pretiosas: inter cæteras inuenit vnā pretiosam scil. Margaretham; cuius pulchritudinem & valorem cupiens eam emit & in cælesti thesauro reposuit cum gemmis aliis pretiosis.

Quem commendat Dominus à duobus: multum appetibilibus à mulieribus quæ sunt, decor proprius, & amor alienus. Primo ergo commendatur à decore interno qui est vtilior: cum dicitur, vna pτæ. mat. Secundo ab amore diuino qui est melior: cum dicitur, inuenta, præelecta, & empta. Decorem internum ostendunt tria. Incorruptibilitas castitatis: quia, vna. Vnum enim est quod est indiuisum in se & diuisum ab aliis. Cant. 5. vna est columba. Vtilitas prædicationis: quia, pretiosa. Prou. 8. Melior est sapientia cum o. præ. Soliditas passionis: quia, margarita. quæ vix frangitur. Commendabilis decor & in corde per munditiam, & in ore per sapientiam, & in opere per constantiam. Amorem vero diuinum ostendunt tria: quia, inuenit. Amantes enim de facili sibi occurrunt. Sap. 6. Facile videtur ab his qui diligunt eam: quia, præelegit. quia, abiit & vendidit omnia. quia, emit eam. Inuenit dū eam fecit: vendidit omnia dum pro ea pauper fieri voluit: sed emit dum pro ea sanguinem fudit. Sic & viceuersa ipsa eum inuenit dum in eum credidit. vendidit omnia: dum & res & parentes paruipendit: sed emit dum pro eo sanguinem fudit.

Sermo 4. De Eodem.

ADuersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. 1. Petr. 5. Multum expedit viatori vt cognoscat pericula transitiuum: Sic & pugili conditiones hostium: quia nullum malum euitatur nisi præcognitum. Ideo Apostolus videns omnes quos oportet peregrinari in hac via periculosa, commorari inter hostes: docet periculum & cautelam contra ipsum: in quo periculo beata Margaretha fuit. Nam eam diabolus & tentauit visibiliter & deuorauit corporaliter: sed ei restitit per fidem fortiter. vnde potuit dicere illud. Ierem. 51. Absorbuit me quasi draco impleuit ventrem suum teneritudine mea & eiecit me: ideo dicit Apostolus, aduersarius.

Vbi primo specificat dæmonis astutiam: quia, aduersarius &c. Secundo indicat ad vincendum cautelam: ibi, cui resistite. Notificat autem eius astutiam ex quinque. quia bonum impedit: ideo dicitur, aduersarius. quia ad malum trahit: ideo, diabolus. rugit comminationibus deterrendo: ideo dicitur, tanquam leo rug. circuit. perplexitatibus inuoluendo. Deuorat immisericorditer seducendo. Ecce ergo nequitia inuidiæ in aduersario. miseria pœnæ in diabolo. Potentia naturæ: quia, tanquam leo. Instantia astutiæ: quia, rugiens circuit. Intentio instantiæ: quia, quærens quem deuoret. Cautelam vero pugnandi dat quantum ad tria. quæ fuerunt in. M. f. audaciam in resistendo. fortitudinem in pugnando. confidentiam in consummando.

De Eodem, Sermo 5.

LIberasti corpus meum à perditione. Eccl. vlt. Nitebantur quondam multi perdere corpus mar. modo tyrannus illud corrumpere quærendo. modo diabolus illud in carcere deuorando. modo minister illud in aere suspendendo & verberando. sed Dominus illud ab omnibus his liberauit. Vnde non immerito gratias agens ait Domino regi, liberasti cor &c.

Vbi recitat tria. liberantis potestatem: quia, liberasti. scil. tu Domine rex. liberandi necessitatem: quia, corpus. quod persecutoribus erat expositum. liberationis vtilitatem: quia, à perditione. scil. & spirituali quam intendebant & corporali siue pœnali quam exercebant.

De Eadem.

Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. supra pag. 101. col. 2.

Epistola Corinth. 10. Qui gloriatur. s. exhibere Christo. Euangelium Matth. 13. Simile est regnum cælorum. ibe si. noua & vetera.

In Festo beatæ Mariæ Magdalenæ, Sermo primus.

TErra illa inculta facta est quasi ortus voluptatis. Ezech. 36. g. Exigente peccato hominis & diuina iustitia terra sibi derelicta sine cultu non germinat necessaria. Gen. 3. Spinas & tribulos ger. tibi. sed tamen alieno adiutorio tam diuino siue cælesti quam humano germinat bona. Ideo frequenter comparatur homo terræ: quia non faceret fructum de se: tamen influente Deo plenniam gratiæ & libero arbitrio cooperante fructum germinat Deo gratum. Sic Magdalena Primo sequens proprias concupiscentias tanquā terra inculta spinas peccatorū protulit. Sed postmodum influente diuina gratia & ipsa cooperante facta est ortus voluptatis: quia vbi abundauit peccatum super abundauit & gratia: vt de ea verum sit quod Propheta quondam dixit, terra &c.

Vbi duplex eius status notatur. Primo culpæ. Secundo gratiæ. Statum culpæ ostendunt tria. vtilitas propter deprimens vitium: ideo dicitur, terra. quæ est fex elementorum. nobilitas propter eminens scandalum: ideo dicitur, illa. sterilitas propter deficiens meritum, ideo dicitur, inculta.

culta. Sed tamen post fluxę carnis scandala. fit ex lebete Phiala: vnde sequitur, facta est quasi ortus vo. Vbi circa statum gratiæ notantur tria contra tria dicta in statu culpæ. s. nouitas contra notabilitatem: quia, facta est. quæ scil. notabiliter deficiebat. fœcunditas cōtra sterilitatem: quia, quasi ortus. ortus dicitur ab oriente. Amœnitas contræ vilitatem. quia, voluptatis. hæc mutatio dexteræ excelsi.

Sermo 2. De Eodem.

INueni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam. Cant. 3. Sicut ad complendam viam peregrinationis oportet viam intrare: continuare & consummare: Sic ad complendam viam eundi ad paradisum oportet viam intrare quod est incipientium. continuare quod est proficientium. consummare quod est peruenientium: Sic M. videns se in deuio ad viam redit scil. ad Christum qui est via veritas & vita. Iohan. 14. & inuenit. Inuenit enim eum in domo discumbentem: Luc. 7. & sic viam rectā intrauit. In horto stantem, Ioh. 20. quando viam continuauit. In cælo beatificantē. Luc. 10. Maria optimam &c. quando viam consummauit: & ideo gaudens dicere potuit, inueni quem di. &c.

Vbi notantur tria iam dicta. Rectæ vitæ inchoatio quando, inuenit. Inchoatę continuatio: quia, tenuit. Continuatæ consummatio: quia, non dimisit. Circa primum notantur tria. Amoris specialitas: ibi, diligit. i. ē diuersis elegit. Specialitatis veritas: quia, anima mea. non sicut illi qui dilexerunt eum in ore suo. Veritatis vtilitas: quia, inueni. quæramus vt inueniamus.

Sermo 3. De Eodem.

VOcabo non dilectam meam dilectam meā: & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam. Rom. 9. & sumitur Oseæ. 1. Inter mala quæ facit peccatum animæ peccatrici tria magna sunt scilicet quia à salute elongat. Psalm. Longe à peccatoribus salus: quia odium Dei generat. Psalm. iniquos odio habui. Misericordiæ obuiat. Psal. Non miserear omnibus qui operan. iní.

Sed econtra misericordia Dei adueniens elongatam vocat: odiosam reconciliat: ream iustificat. quod patuit in Magdalena quam elongatam attraxit: ideo ait, vocabo. odiosam dilexit: vnde ait, non dilectam. miseræ misertus fuit: vnde subdit, & non misericordiam &c. Primum fecit in inspiratione pœnitentiæ. s. quod vocauit. Secundum in iustificatione gratiæ, scil. quod dilexit. Tertium in remissione culpæ. sc. quod misertus fuit: vnde potuit de ea dicere. Miserebor eius quæ fuit absque misericordia. Oseæ. 2.

Sermo 4. De Eodem.

MVlier fugit in solitudinem vbi habebat locum paratum à Deo vt ibi pascat eā. Apoc. 12. Ad abneganda secularia vt liberius possit quilibet satisfacere de malis præteritis & cauere à futuris tria sunt valde expedientia scilicet mundana consortia fugere: Deo vacare: carnem domare. Facit enim hominem viuere solitudo iuste quo ad proximum. contemplatio pie quo ad Deum. maceratio sobrie quo ad seipsum. Sic abnegatur illud noxium ternarium. 1. Ioh. 2. Omne quod est in mundo &c. Abnegatur quippe per solitudinem concupiscentia oculorum. Per contemplationem superbia vitæ. Per macerationem concupiscentia carnis. Hinc est quod Magdalena abnegans omnia secularia desideria tria dicta exercuit.

Ideo commendatur hic à tribus. Primo à contemptu mundi: cum, fugit in solitudinem. Secundo ab effectu Dei cum subdit, vbi habebat locum paratum à Deo. Tertio à pastu mirabili: cum subdit, vt ibi pascat eam: annis triginta. vel citra non comedit nisi quod Dominus per angelos ministrauit. Circa primum implicantur duo. Conditio naturæ: quia, mulier. Discretio prudentiæ: quia, fugit in solitudinem. Circa secundum implicantur duo contemplationi congrua. Locus secretus: ibi, vt habebat locum. Amicus gratus: ibi, paratum à Deo. Magna gratia parare & locum & pastum in solitudine. In primo commendatur Mariæ cautela: quia, fugit in solitudinem. In secundo eius tutela: quia, habuit locum paratum. In tertio eius medela: quia, habuit cælestem pastum. Parasti ergo in dulcedine tua pauperi Deus.

Sermo 5. De Eodem.

REuocata est Maria. Num. 20. Sicut bonus pastor ouem errantem: sicut nobilis auem volantem: sicut pius pater filiam propter offensam fugientem reuocat: Ergo sic Christus reuocat peccatorem ad pœnitentiam: modo verbis veritatis. Matth. 4. Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cælorum. Modo miraculis potestatis: vt patet in Paulo. Act. 9. Modo exemplis bonitatis: vt patet in Magdalena: cui dimissa sunt peccata multa: quoniam dilexit multum. Luc. 7. vt verum sit de Maria sorore Lazari quod hic dicitur de Maria sorore Moysi quia, reuocata est Maria.

Vbi exprimitur & nomen pœnitentis scilicet Maria. quę interpretatur illuminata vel amarum mare: & curialitas recipientis: quia, reuocata est. scilicet in via ad gratiam: sed in patria ad gloriam. Vnde specialius notatur triplex status Mariæ scil. innocentiæ, culpæ, & pœnitentiæ. Vocauit enim eam Dominus in regeneratione spirituali: recessit Maria in perpetratione peccati: sed reuocauit eam Christus in remissione delicti. Ergo status innocentiæ notatur in prima vocatione: quia, vocata. Status culpæ nomine, Mariæ: quod dicitur amara. Status pœnitentiæ in reuocatione: quia, reuocata: scil. à macula lepræ, à loco pœnæ.

Sermo 6. De Eodem.

MAria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Luc. 10. Secundum Philosophicam veritatem quod melius est magis est eligendum. Sunt autem quædam bona quæ habentur in via: sed non in patria propter suam essentialem imperfectionem: vt sunt fides & spes. quædam quæ habentur in via & in patria: vt est charitas: & hæc videntur nobiliora & me-

numerum quatuor elementorum sancti inueniuntur passi in quatuor locis. Quidam in terra incarcerati & viui sepulti vt Iohannes & Paulus: vt patet in legenda eorum. Alii in aqua submersi: vt beatus Clemens. Alii in igne combusti: vt Laurentius, Vincentius. Alii in aere suspensi: vt Andreas. Sic & Margaretha & in terra reclusa: & in aere eleuata, & per manus suspensa fuit vt virgis cederetur corpus eius: & sic offerebat se Deo sacrificium acceptum: vt vere posset dicere, elenatio ma.m.sa. vespertinum.

Vbi notantur duo, scil. tormenti acerbitas per eleuationem manuum. Acerbitatis vtilitas per sacrificium vespertinum. quod erat acceptabilius quam matutinum. Pœna ergo huius fuit afflictoria & meritoria. Afflictoria ex intentione agentis. meritoria ex intentione patientis.

Sermo 3. De Eodem.

INuenta vna pretiosa Margarita abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Matth. 13. Mercator cælestis in nundinis mundi huius quærens merces pretiosas: inter cæteras inuenit vnā pretiosam scil. Margaretham: cuius pulchritudinem & valorem cupiens eam emit & in cælesti thesauro reposuit cum gemmis alus pretiosis.

Quem commendat Dominus à duobus multum appetibilibus à mulieribus quæ sunt, decor proprius, & amor alienus. Primo ergo commendatur à decore interno qui est visiui: cum dicitur, vna præ. mar. Secundo ab amore diuino qui est melior: cum dicitur, inuenta, prælecta, & empta. Decorem internum ostendunt tria. Incorruptibilitas castitatis: quia, vna. Vnum enim est quod est indiuisum in se & diuisum ab aliis. Cant. 5 vna est columba. Vtilitas prædicationis: quia, pretiosa. Prou. 8. Melior est sapientia cum o. præ. Soliditas passionis: quia, margarita. quæ vix frangitur. Commendabilis decor & in corde per munditiam, & in ore per sapientiam, & in opere per constantiam. Amorem vero diuinum ostendunt tria: quia, inuenit. Amantes enim de facili sibi occurrunt. Sap. 6. Facile videtur ab his qui diligunt eam: quia, prælegit. quia, abiit & vendidit omnia, quia, emit eam. Inuenit dū eam fecit: vendidit omnia dum pro ea pauper fieri voluit: sed emit dum pro ea sanguinem fudit. Sic & viceuersa ipsa eum inuenit dum in eum credidit. vendidit omnia: dum & res & parentes paruipendit: sed emit dum pro eo sanguinem fudit.

Sermo 4. De Eodem.

ADuersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. 1. Petr. 5. Multum expedit viatori vt cognoscat pericula transitiuum: Sic & pugili conditiones hostium: quia nullum malum euitatur nisi præcognitum. Ideo Apostolus videns omnes quos oportet peregrinari in hac via periculosa, commorari inter hostes: docet periculum & cautelam contra ipsum: in quo periculo beata Margaretha fuit. Nam eam diabolus & tentauit visibiliter & deuorauit corporaliter: sed ei restitit per fidem fortiter. vnde potuit dicere illud. Ierem. 51. Absorbuit me quasi draco impleuit ventrem suum teneritudine mea & eiecit me: ideo dicit Apostolus, aduersarius.

Vbi primo specificat dæmonis astutiam: quia, aduersarius &c. Secundo indicat ad vincendum cautelam: ibi, cui resistite. Notificat autem eius astutiam ex quinque. quia bonum impedit: ideo dicitur, aduersarius. quia ad malum trahit: ideo, diabolus. rugit comminationibus deterrendo: ideo dicitur, tanquam leo rug. circuit. perplexitatibus inuoluendo. Deuorat immisericorditer seducendo. Ecce ergo nequitia inuidiæ in aduersario. miseria pœnæ in diabolo. Potentia naturæ: quia, tanquam leo. Instantia astutiæ: quia, rugiens circuit. Intentio instantiæ: quia, quærens quem deuoret. Cautelam vero pugnandi dat quantum ad tria. quæ fuerunt in M. s. audaciam in resistendo. fortitudinem in pugnando. confidentiam in consummando.

De Eodem, Sermo 5.

LIberasti corpus meum à perditione. Eccl. vlt. Nitebantur quondam multi perdere corpus mar. modo tyrannus illud corrumpere quætendo. modo diabolus illud in carcere deuorando. modo minister illud in aere suspendendo & verberando. sed Dominus illud ab omnibus his liberauit. Vnde non immerito gratias agens ait Domino regi, liberasti cor &c.

Vbi recitat tria. liberantis potestatem: quia, liberasti. scil. tu Domine rex. liberandi necessitatem: quia, corpus. quod persecutoribus erat expositum. liberationis vtilitatem: quia, à perditione. scil. & spirituali quam intendebant & corporali siue pœnali quam exercebant.

De Eadem.

Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. supra pag. 101. col. 2.

Epistola Corinth. 10. Qui gloriatur s. exhibere Christo. Euangelium Matth. 13. Simile est regnum calorum. the. s. noua & vetera.

In Festo beatæ Mariæ Magdalenæ, Sermo primus.

TErra illa inculta facta est quasi ortus voluptaris. Ezech. 36. g. Exigente peccato hominis & diuina institia terra sibi derelicta sine cultu non germinat necessaria. Gen. 3. Spinas & tribulos ger. tibi. sed tamen alieno adiutorio tam diuino siue cælesti quam humano germinat bona. Ideo frequenter comparatur homo terræ: quia non faceret fructum de se: tamen influente Deo pluuiam gratiæ & libero arbitrio cooperante fructum germinat Deo gratum. Sic Magdalena Primo sequens proprias concupiscentias tan quā terra inculta spinas peccatorū protulit. Sed postmodum influente diuina gratia & ipsa cooperante facta est ortus voluptatis: quia vbi abundauit peccatum super abundauit & gratia: vt de ea verum sit quod Propheta quondam dixit, terra &c.

Vbi duplex eius status notatur. Primo culpæ. Secundo gratiæ. Statum culpæ ostendunt tria. vtilitas propter deprimens virium: ideo dicitur, terra. quæ est fex elementorum. nobilitas propter eminens scandalum: ideo dicitur, illa. sterilitas propter deficiens meritum, ideo dicitur, inculta.

culte. Sed tamen post fluxę carnis scandala. fit ex lebete Phiala: vnde sequitur, facta est quasi ortus vo. Vbi circa statum gratiæ notantur tria contra tria dicta in statu culpæ. sc. nouitas contra notabilitatem: quia, facta est. quæ scil. notabiliter deficiebat. fœcunditas cōtra sterilitatem: quia, quasi ortus. ortus dicitur ab oriente. Amœnitas contra vilitatem. quia, voluptatis. hæc mutatio dexteræ excelsi.

Sermo 2. De Eodem.

INueni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam. Cant. 3. Sicut ad complendam viam peregrinationis oportet viam intrare: continuare & consummare: Sic ad complendam viam eundi ad paradisum oportet viam intrare quod est incipientium. continuare quod est proficientium. consummare quod est perueniēntium: Sic. M. videns se in deuio ad viam rediit scil. ad Christum qui est via veritas & vita. Iohan. 14. & inuenit. Inuenit enim eum in domo discumbentem: Luc. 7. & sic viam rectā intrauit. In horto stantem. Ioh. 20. quando viam continuauit. In cælo beatificantē. Luc. 10. Maria optimam &c. quando viam consummauit: & ideo gaudeos dicere potuit, inueni quem di. &c.

Vbi notantur tria iam dicta. Rectæ vitæ inchoatio quando, inuenit. Inchoatę continuatio: quia, tenuit. Continuatæ consummatio: quia, non dimisit. Circa primum notantur tria. Amoris specialitas: ibi, diligit. i. ē diuersis elegit. Specialitatis veritas: quia, anima mea. non sicut illi qui dilexerunt eum in ore suo. Veritatis vtilitas: quia, inueni. quæramus vt inueniamus.

Sermo 3. De Eodem.

VOcabo non dilectam meam dilectam meā: & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam. Rom. 9. & sumitur Oseæ. 1. Inter mala quæ facit peccatum animæ peccatrici tria magna sunt scilicet quia à salute elongat. Psalm. Longe à peccatoribus salus: quia odium Dei generat. Psalm. iniquos odio habui. Misericordiæ obuiat. Psal. Non misereat omnibus qui operan. ini.

Sed econtra misericordia Dei aduenienselongatam vocat: odiosam reconciliat: ream instificat. quod patuit in Magdalena quam elongatam attraxit: ideo ait, vocabo. odiosam dilexit: vnde ait, non dilectam. miser æ misertus fuit: vnde subdit, & non misericordiam &c. Primum fecit in inspiratione pœnitentiæ. s. quod vocauit. Secundum in iustificatione gratiæ, scil. quod dilexit. Tertium in remissione culpæ. sc. quod misertus fuit: vnde potuit de ea dicere. Miserebor eius quæ fuit absque misericordia. Oseæ. 2.

Sermo 4. De Eodem.

MVlier fugit in solitudinem vbi habebat locum paratum à Deo vt ibi pascat eā. Apoc. 12. Ad abneganda secularia vt liberius possit quilibet satisfacere de malis præteritis & cauere à futuris tria sunt valde expedientia scilicet mundana consortia fugere: Deo vacare: carnem domare. Facit enim hominem viuere solitudo iuste quo ad proximum. contemplatio pie quo ad Deum. maceratio sobrie quo ad seipsum. Sic abnegatur illud noxium ternarium. 1. Ioh. 2. Omne quod est in mundo &c. Abnegatur quippe per solitudinem concupiscentia oculorum. Per contemplationem superbia vitæ. Per macerationem concupiscentia carnis. Hinc est quod Magdalena abnegans omnia secularia desideria tria dicta exercuit.

Ideo commendatur hic à tribus. Primo à contemptu mundi: cum, fugit in solitudinem. Secundo ab effectu Dei cum subdit, vbi habebat locum paratum à Deo. Tertio à pastu mirabili: cum subdit, vt ibi pascat eam: annis triginta. vel circa non comedit nisi quod Dominus per angelos minisstrauit. Circa primum implicantur duo. Conditio naturæ: quia, mulier. Discretio prudentiæ: quia, fugit in solitudinem. Circa secundum implicantur duo contemplationi congrua. Locus secretus: ibi, vt habebat locum. Amicus gratus: ibi, paratum à Deo. Magna gratia parare & locum & pastum in solitudine. In primo commendatur Mariæ cautela: quia, fugit in solitudinem. In secundo eius tutela: quia, habuit locum paratum. In tertio eius medela: quia, habuit cælestem pastum. Parasti ergo in dulcedine tua pauperi Deus.

Sermo 5. De Eodem.

REuocata est Maria. Num. 20. Sicut bonus pastor ouem errantem: sicut nobilis auem volantem: sicut pius pater filiam propter offensam fugientem reuocat: Ergo sic Christus reuocat peccatorem ad pœnitentiam: modo verbis veritatis. Matth. 4. Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cælorum. Modo miraculis potestatis: vt patet in Paulo. Act. 9. Modo exemplis bonitatis: vt patet in Magdalena: cui dimissa sunt peccata multa: quoniam dilexit multum. Luc. 7. vt verum sit de Maria sorore Lazari quod hic dicitur de Maria sorore Moysi quia, reuocata est Maria.

Vbi exprimitur & nomen pœnitentis scilicet Maria. quę interpretatur illuminata vel amarum mare: & cordialitas recipientis: quia, reuocata est. scilicet in via ad gratiam: sed in patria ad gloriam. Vnde specialius notatur triplex status Mariæ scil. innocentiæ, culpæ, & pœnitentiæ. Vocauit enim eam Dominus in regeneratione spirituali: recessit Maria in perpetratione peccati: sed reuocauit eam Christus in remissione delicti. Ergo status innocentiæ notatur in prima vocatione: quia, vocata. Status culpæ nomine, Mariæ: quod dicitur amara. Status pœnitentiæ in reuocatione: quia, reuocata: scil. à macula lepræ, à loco pœnæ.

Sermo 6. De Eodem.

MAria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Luc. 10. Secundum Philosophicam veritatem quod melius est magis est eligendum. Sunt autem quædam bona quæ habentur in via: sed non in patria propter suam essentialem imperfectionem: vt sunt fides & spes. quædam quæ habentur in via & in patria: vt est charitas: & hæc videntur nobiliora & meliora

liora. Vnde & vita contemplatiua quæ & in via habetur & in patria non auferetur nobilior & melior est quam actiua quæ hic incipit & hic definit. Ideo Maria docta in eligendo contemplatiuam elegit: & sic teste saluatore verum est quod, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Vbi commendatur Maria ex duobus. Primo quia discreta in eligendo: quia, optimam partem elegit. Secundo quia beata in possidendo: quia non auferetur ab ea: scilicet in gloria. Discretionem eius ostendunt tria. Gratia illuminans quod implicatur nomine, Marię. Interpretatur enim illuminata vel stella maris. Anima deliberans: quia, elegit. Bonum præeminens: quia, optimam partem. Sicut enim ad videndum exiguntur tria, scilicet virtus visiua, actus lucidi, obiectum coloratum: Sic ad eligendum efficaciter æterna bona exigitur lux gratiæ dirigens: voluntas præoptans: & excellens bonum mouens.

Sermo 7. De Eodem.

BOnum opus operata est in me. Matth. 26. Quam bonum sit sensate tacere patet in hac muliere sensata & tacita. Accusata enim coram summo Abbate Christo tacuit. Accusauit eam Pharisæus de infamia vitæ. Luc. 7. Hic si esset Propheta sciret quæ & qualis est ista &c. & non respondit: sed Christus pro ea commendans eam ex vera humilitate. quare dimissa sunt ei peccata multa. Accusauit eam soror eius de otiositate. Luce. 10. Domine non est tibi curæ &c. & non respondit: sed Christus pro ea commendans eam ex discretione: quia Maria optimam partem elegit. &c. Accusauit autem eam Iudas de prodigalitate. Iohan. 12. & similiter quidam discipuli. Matth. 26. & Marc. 14. Vt quid perditio hæc &c. & non respondit: sed Christus pro ea. scilicet verbum propositum, bonum opus &c.

Vbi commendat eam à tribus. A bonitate operis: quia, bonum opus. A perfectione operantis: quia, operata est. A rectitudine intentionis: quia, in me.

De Eodem, Sermo 8.

PLorans plorauit in nocte: & lachrymæ eius in maxillis eius. Threno. 1. Tres legimus causas plorandi. quæ sunt contritio, compassio, dilectio. Secundum hoc Maria legitur ter plorasse: videlicet ex contritione reatus proprii: & hoc in domo Simeonis Luc. 7. Stans retro secus pedes eius cœpit. Ex compassione fratris mortui. Iohann. 11. Vt autem vidit Iesus eam plo. Ex dilectione Christi Iohann. 20. Maria autem stabat ad mo. fot. plor. Et semper legitur quod Christus eam vidit. Plorantis ex contritione dimittendo peccata. Plorantis ex compassione fratrem resuscitando. Plorantem ex dilectione instruendo: vnde & hic ponitur actus luctus, plorans plo.

Vbi notantur tria. ploratus frequentia: quia, plorans plo. Plorandi causa: quia, in nocte scilicet culpæ propriæ: mortis fraternæ: absentiæ diuinæ. Plorationis vehementia: quia, lachrymæ eius &c. Ergo plorauit frequenter, prudenter, abundanter.

Sermo 9. De Eodem.

CVM esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Cant. 1. g. Ad hoc quod pauper & debitis obligatus se absoluat & diues fiat: oportet quod laboret & negotietur Maria multum obligata erat: quia septem peccatis mortalibus inuoluta. sed negotiata est cum pio & diuite mercatore cum quo satis lucrata est. Attulit paucas merces: sed diuiti. id est Christo placentes, scilicet vnguenta, lachrymas, & oscula. qui diues recepit & omnia debita relaxauit. Et signanter tria attulit contra tria quæ sunt in peccato mortali: quæ sunt offensa diuina, macula propria, pœna debita. Ergo osculabatur vt reconciliaretur ab offensa. lachrymabatur vt lauaretur à macula. vngebat vt mitigaretur pœna. Ideo gaudens Maria de tam pio mercatore & de tam vtili mercatione potuit dicere, dum esset rex in accubitu &c.

Vbi commendatur eius instantia in procurando salutem: quia inter conuiuias se ingessit. ideo ait, dum esset rex &c. Prudentia in venerando saluatorem: quia vnguento nardi odoriferi pedes Christi vnxit: ideo ait, nardus mea &c. Circa primum implicat duplicem naturam. scil. maiestatem diuinam dicendo, rex absolute. Egestatem humanam dicendo, in accubitu suo. Circa secundum implicat duo. vnguenti genus: quia, nardus. virtus quia, dedit odorem. In primo notatur charitas pœnitentis. nardus enim est herba parua & calida. In secundo efficacia charitatis: quia, dedit odorem suum. scilicet suauitatis coram Domino.

Sermo 10. De Eodem.

VBi abundauit delictum: superabundauit & gratia. Roman. 5. e. Admirans Propheta Dei misericordiam erga genus humanum quærebat antiquitus. Domine quid est homo quod memores eius: aut filius hominis quoniam visitas eum. Duo miratur in Domino quia memor est hominis post peccatum. ad pœnitentiam reuocando, Quia visitat personaliter naturam eius assumendo. Hoc est quod alibi petebat. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui. Angelus peccauit nec post ea gratiam obtinuit: nec in vnitatem personæ diuinæ assumptus fuit: quia nusquam angelos apprehendit: sed semen Abrahæ: vnde in hominibus verum est quia, vbi abundauit delictum &c. quod euidenter in ista patet Domina: vt verum sit de ea quia, vbi abundauit delictum. &c.

Vbi tangitur duplex status eius. Primus culpæ. secundus gratiæ. In primo notatur miseria humana scil. in delicto abundante. In secundo diuina misericordia. s. in gratia superabundante. Vituperabilis miseria & propter qualitatẽ: quia, delictum. & propter quantitatem abundans. Sed commendabilis misericordia: & quia gratuita quia, superabundauit. ergo non sicut delictum: ita & donum. immo multo maius donum.

De Eodem.

Aufer rubiginem de argento &c. supra pag. 122. col. 1.

De Eodem.

Hæc motatio dexteræ ex. &c. pagina eadem. col. eadem.

De Eodem.

Nolo mortem peccatoris &c. pag. 122. col. 1.

De Eodem.

Omnium Dominus dilexit eam &c. supra pa. 119. col. a.

De Eodem.

Doctrix est disciplinæ &c. infra in Festo sanctæ Catharinæ.

Epistola Prou. vlt. Mulierem fortem. si. opera eius. Euangel. Luc. 7. Rogabant Iesum. si. vade in pace.

In Festo beati Iacobi Apostoli, Sermo primus.

SEruiuit Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Gen. 29. Seruus dignus est mercede quando viriliter laborat. ideo Psal. viriliter agite & confor. cor. ve. Quando mercedem promissam expectat. ideo Psal. Expecta Dominum & custodi viam eius: non sicut hypocritæ qui ante finem dietæ recipiunt mercedem: nō tamen præmissam Quando opus finaliter consummat. ideo Psalm. Exibit homo ad opus &c. Iohan. 17. Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem. quando ex amore seruitium acceptat & modicum reputat: secundum illud Eccl. vlt. Modicum laboraui & inueni mihi multam re.

Secundum hæc quatuor hic notantur quæ sub figura Iacob Iacobum commendant. vtilis operatio: ibi, seruiuit Iacob. qui interpretatur luctator siue supplantans. fidelis intentio siue expectatio: quia, pro Rachel. quæ interpretatur visio Dei. finalis consummatio: quia, septem annis. per septenarium etiam annū completio notatur. quia tota vita nostra septem diebus agitur & in anno cursus solis consummatur modica sui operis reputatio: quia, videbantur ei dies &c. Vbi circa humilitatē implicat tria. subiectum io videore. obiectum in paucitate. principium to amoris magnitudine.

Sermo 2. De Eodem.

IAcob dilexi. Mal. 1. Sicut dicit sapiens Eccl. 15. Ante hominem vita & mors bonum & malum quod placuerit ei dabitur illi. vita scilicet gloriæ. mors gehennæ. bonum gratiæ. malum culpæ. Malum & mors ante hominem tanquam respuenda & impugnanda. bonum & vita tanquam eligenda & acquirenda: secundum illud: declina à malo & fac bonum.

Ab his duobus commendatur hic Iacobus. A victoria mali quod supplantauit vt hermogenem dæmones. ideo iuste vocatum est nomeo eius, Iacob. Ab influentia boni quod suscepit: quia, dilectionem Dei. A dilectione enim prædestinationis diuinæ influit in nos bonum gratię in præsenti: & vita gloriæ in futuro.

Sermo 3. De Eodem.

CVM leonibus lusit quasi cum agnis in vrsis similiter fecit sicut cum agnis ou. ū. Eccl. 47. Præter hostem domesticum carnem. i. homo habet in hac vita duo genera hostiū ipsum exterius impugnantium. dæmones. scil. & homines. Primi inuisibiliter. secundi visibiliter impugnant. Primi vincuntur per fidem resistendo: secundum illud. 1. Pet. 5. Aduersarius vester diabolus tanquam leo ru. &c. Secundi ad fidem conuertēdo: secundum illud Ps. docebo iniquos vias tuas. & in. Dæmones ergo dicuntur leones propter ferocitatem ad malum. Sed homines mali dicuntur vrsi propter tarditatem ad bonum. Contra istos hostes militans Apostolus Iacobus victoriā obtinuit. in dæmonibus testitit & ligauit. infideles. s. Hermogenem Philetum & alios conuertit.

Secundum hoc notatur eius victoria. Primo dæmonum: quia, cum leonibus &c. Secundo hominum: quia, in vrsis similiter. Victoria dæmonum ostenditur gloriosa ex tribus. quia inuasit. Audacter quod notatur: ibi, cum leonibus. Audacia magna est inuadere leones: quia deuicit faciliter. quod notatur ibi, lusit. i. faciliter ac si lusisset deuicit: quia deduxit mirabiliter: quod notatur ibi, quasi cum agnis. secundum potest distingui similiter.

Sermo 4. De Eodem.

NEquaquam Iacob appellabitur nomen tuū sed Israel. Gene. 32. Hominum quidam habent laborem in præsenti & in futuro: similes igni qui semper est in motu & nunquam dicit sufficit. tales sunt cupidi & auari. vnde Psal. de cupido. laborabit in æternum &c. Alii habent quietem & in præsenti & in futuro. similes empyreo quod nunquam est in motu. tales sunt contemplatiui. Lucæ. 10. Maria optimam partem elegit &c. Psal. ecce elongaui. Tertio habent quietem in præsenti sed laborem in futuro. similes lethargico qui dormit vsq; ad angustiam mortis. tales sunt voluptuosi & superbi qui in labore hominū non sunt &c. Luc. 12. Anima mea multa bona habens reposita io. am. p. requiesce. ergo ducunt in bonis dies suos. Quarti habent laborē in præsenti sed quietem in futuro similes luminaribus cælestibus tales sunt boni actiui prædicatores & prælati: secundum illud Eccl. vlt. Modicum laboraui & inueni mihi. m. re. talis fuit Apostolus Iacobus qui primo fuit Iacob in lucta prædicationis. sed modo, Israel, in quiete visionis vt vere dicatur ei, nequaquam &c.

Vbi notantur tria. videlicet lucta prædicationis: ibi, Iacob. terminatio luctationis: ibi, nequaquam appellabitur. visio iocunditatis: ibi, Israel. Tali Domino seruiendum est: quia pro breui labore dat requiem in æterna iocunditate.

Sermo 5. De Eodem.

TEmpus tribulationis Iacob & ex ipso saluabitur. Ier. 30. Quemadmodum in corporalibus contrarius est ordo in lucrando & expendēdo. nam in lucrando præcedit quod est difficile. s. operari & laborare succedit quod est delectabile. s. præmiari & quiescere. In expendendo vero ex contrario: præcedit quod est delectabile. scil. comedere & bibere. succedit quod est difficile. s. computare & soluere. Sic in spiritualibus. modo qui expendunt ea modo vacant delectabilibus Sed sequitur quod est difficile. s. cōpotus ad vnguem in iudicio & solutio in inferno. nā ducunt in bonis dies suos &c. Exemplum de diuite epulone. Luc. 16. Alii qui lucrantur modo vacant

difficilibus. scilicet vigiliis. ieiuniis & orationibus. Virtus enim est de bono & difficili. Sed sequitur quod est delectabile scil. præmiari & quiescere: quia multæ tribulationes iustorum &c. Alibi. cum ipso sum in tribulatione. Sic Apostolus Iac. per tribulationes præsentes venit ad salutem æternam. vt verum sit de eo quod hic dicitur, tempus &c.

Vbi notantur tria. tribulatio prædicationis, & passionis: quia, Iacob. transitus tribulationis: quia, in tempore. non in æternitate. Vtilitas sequens ex his: quia ex ipso saluabitur.

Sermo 6. De Eodem.

Occidit Iacobum fratrem Iohannis gladio. Act. 12. Hominum quidam occidunt & occiduntur vt Ioab occisus fuit. 3. Reg. 2. Quia occiderat Amasan. 2. Reg. 20. Alii nec occidunt nec occiduntur: vt confessores & multi alii. Tertii occidunt & non occiduntur vt homicidæ innoxii: & Dauid & alii. Quarti non occidunt & occiduntur: vt martyres. Psal. quoniam propter te mortificamur tota die.

Ista combinatio quadrimembris implicatur in verbis propositis. occidens & occisus scilicet Herodes qui occidit sanctos & occisus est à vermibus percutiente angelo. quod notatur: ibi, occidit. scilicet Herodes. non occidens & occisus, Iacobus. nec occidens nec occisus, Iohannes occidens & non occisus, gladius. ergo occisus fuit Iacobus vt hic dicitur.

Vbi notantur duo. conditio patientis: quia, Iacobus frater Iohannis. afflictio passionis: quia, occisus gladio. Primum commendat sanctimoniam in viuendo. Secundum patientiam in moriendo. Circa primum commendatur ex duobus. ex nomine: quia, Iacobus. ex genere: quia, frater Ioh. In Iacob supplantatio culpæ. In fratre Iohannis cognatio gratiæ. Circa secundum commendatur ex patientia ex morte horribili: quia, occisus. ex instrumento terribili: quia, gladio.

Epistola Ephes. 2. Iam non estis hospi. &. Spiritu sancto. Euangelium Matth. 20. Accessit ad Iesum &. à patre meo.

In Festo beati Petri ad vincula, Sermo primus.

Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiā laudis. Psalm. 115. Sicut videmus ad oculum hominum quidam reddunt bonum pro malo. & hoc est misericordiæ & pietatis: sicut Ioseph fratribus dicens Genes. vlt. Vos cogitastis de me malum & Deus vertit illud in bonum. ideo. Roman. 12. Si esurie. &c. & post. noli vinci à ma. Alii reddunt malum pro bono: sicut Iudæi Christo. Et hoc est nequitiæ & infidelitatis. Psal. retribuebant mihi mala pro bo. Hoc admirans Ieremias. ait. Ier. 18. Nunquid redditur pro bono malum quasi dicat non debet. Tertii reddunt malum pro malo & hoc est vindictæ & austeritatis contra illud Roman. 12. Nulli malum pro malo reddentes. quod intelligitur specialiter in personis priuatis non in iudicibus. Matth. 6. Dimittite. Quarti reddunt bonum pro bono. & hoc est iustitiæ & æquitatis. Prouerb. vlt. Reddet ei bonum & non malum. Ecclesiast. 39. Bonis bona creata sunt. Sic beatus Petrus pro beneficio liberationis vsus est præconio commendationis. Actor. 12. Nunc scio vere quia misit Dominus &c. vnde potuit dicere cum Psal, dirupisti &c.

Vbi notantur duo. Primo beneficium exhibitum: ibi, dirupisti. Secundo præconium debitum: ibi tibi sacrificabo. Beneficium commendant Potentia liberantis: quia dirupisti. Indigentia liberationis: quia, vincula. Liberat ergo Deus integre & oportune. Præconium commendant tria. finis debitus: quia tibi. affectus deuotus: quia, sacrificabo. effectus discretus siue placidus: quia, laudis.

Sermo 2. De Eodem.

Vincula illius alligatura salutaris. Eccli. 6. Solent ligari homines vt crucientur: panni vt seruentur. vulnera vt sanentur. Ligatura prima fit causa supplicii. sic ligatus fuit Achior ad arborem. Iudic. 6. & Matth. 22. Ligatis manibus & pedibus mittite eum in te. Secunda causa lucri. sic ligauit Gyezi duo talenta argenti in duobus saccis. 4. Reg. 5. & Prouer. 6. Liga eum in corde tuo iugiter: & circumda eam gutturi tuo. Tertia causa remedii: sic Samaritanus ligauit vulnera sauciati. Luc. 10. & Psalm. Qui sanat contritos corde &c.

Iuxta dicta triplicem effectum habuerunt catenæ Petri. scil. naturalem, moralem, & mirabilem. Quo ad naturalem fuerunt in supplicium. quo ad moralem in meritum. quo ad mirabilem in remedium. Fuerunt ergo in supplicium naturæ sustinentis: ideo dicuntur. vincula. In meritum personæ acceptantis: ideo dicitur, illius. scil. sapientiæ per quam notatur Petrus qui interpretatur agnoscens. In remedium puellæ tangentis: ideo dicitur, alligatura salutaris.

Sermo 3. De Eodem.

A Peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam & in vinculis non dereliquit eum. Sapien. 10. Ad certitudinem custodiæ alicuius tres solent tria adhiberi. custodia hominum sicut patet Matth. 27. de custodia sepulchri. clausura locorum sicut patet Genes. 39. de Ioseph qui clausus fuit in carcere: Ieremias in lacu. Ier. 18. Nunquid reddetur &c. ligatura vinculorum sicut patet de Achior. Iudic. 6. Omnia ista adhibita fuerunt Petro vt certius custodiretur: quia à militibus custoditus: in carcerem missus: catenis ligatus vt habetur Act. 12.

Sed sapientia Dei Christus propter quem hoc sustinebat. Fuit ei comes & fortis & humilis & fidelis. Fortis: quia à custodibus, liberauit. humiliter quia cum eo in carcerem, descendit. Actor. 12. Ecce angelus Domini astitit & lumen. Fidelis: quia, in vinculis non dereliquit. ceciderunt enim catenæ de manibus eius. vnde potuit dicere Psalm. laqueus contritus est & nos liberati sumus. adiutorium nostrum &c. Circa primum commendatur in Christo. Potentia: quia, liberauit. sapientia, scilicet iustum: quia eum. clementia: quia, à peccatoribus libe-

liberauit. Circa secundum commendatur Christus: quia ei astitit. humiliter: quia, descendit. amicabiliter: quia, cum illo opportune: quia, in carcerem. Circa tertium similiter commendatur Christus: quia illi astitit. continue: quia, non dereliquit opportune: quia, in vinculis. discrete quia, eum. non sic Apostoli Christo quando relicto eo omnes fugerunt. Vnde modo contra oppressionem peccatorum habet exultationem potentiæ. contra foueam: regnum. contra vincula: sceptrum. vnde Sap. 10. sequitur, donec afferret illi sceptrum regni & potentiam aduersus eos qui eum oderunt.

Sermo 4. De Eodem.

Mittite virum istum in carcerem & sustentate eum pane tribulationis & aqua angustiæ. 4. Reg. 22. c. Verba sunt regis Israel ministris suis de Michea Propheta. sed mystice sunt verba Herodis regis ministris suis de incarceratione Petri.

Secundum Auicen. homo inclusus appetit. Primo liberationem. secundo aerem. tertio potum. quarto cibum. Econtra quatuor oddibilia intulerunt Petro. pro liberatione apprehensionem. pro aere carcerem. pro cibo tribulationem. pro potu angustiam. Ergo corporaliter affligebatur ex quatuor. ex homine impellente: ibi, mittite virum istum. ex loco detinente: ibi, in carcerem. ex cibo deficiente: ibi. & sustentate eum pane tribulationis. ex potu affligente: ibi, & aqua angustia.

Sermo 5. De Eodem.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti. Psalm. 141. In dubio erant quondam Apostoli quod magis eligerent vel mori vt essent cum Christo vel viuere vt prodessent. Ideo Apostolus Philip. 1. Quod si viuere in carne hic mihi fructus est operis. ecce quod eligam ignoro. Coarctor enim è duobus desiderium habens dis. &c.

Secundum hoc dupliciter potuit dicere Petrus verba proposita. vel de liberatione sua de carcere vt prodesset proximo. vel de liberatione animæ à corpore vt esset cum Christo. Primo modo petit Petrus tria. corporalem libertatem: cum dicit, educ de custodia. libertatis vtilitatem: cum subdit, ad confitendum nomini tuo. s. confessione laudis. societatem gratam: quia me expectant iusti. scil. in gloria. Expectant enim completionem numeri electorum. vnde in sanctos offendunt qui peccando eos expectare faciunt.

De Eodem, Sermo 6.

Ostendis quoniam potens es ex omnibus sanare. Sap. 14. In omni opere Dei relucent eius potentia. sapientia, bonitas. Sed euidentius patet potentia in creatione rerum & in mutatione. sapientia in dispositione earum & gubernatione. clementia in ordine ipsarum ad se & beatificatione. Creatio respicit opera mirabilia: mutatio opera miraculosa: quæ ostendit in Petro hodie quantum ad duo. Primo quantum ad eius liberationem & de custodia multum & de angustia locorum & de ligatura catenarum. Secundo quantum ad puellæ guturosæ sanationem. Sanabat Christus infirmos ad verba Petri. Act. 9. Ænea sanet te Dominus Iesus Christus. Ad vmbram Petri. Act. 6. In lectulis ponebant infirmos ad vincula Petri sicut patet in puella deosculante cathenas eius vt adhuc possit dicere sapiens Christo quomodo potens es &c.

Vbi implicatur quadruplex causa mirabilis sanationis siue liberationis. finalis quæ est nostra instructio ibi, ostendis. efficiens quæ est diuina operatio: ibi, potens es. formalis quæ est facilitas sanationis: ibi, ex omnib. materialis quæ est subiectum sanitatis: ibi, saluare. vel dicendum quod Dominus operatur euidenter, potenter, generaliter, & vtiliter.

De Eodem.

Subito circumfulsit eum lux &c. supra pag. 114. col. 2.

De Eodem.

De carcere cathenisque interdum quis egre. ad regnum. pag. 126. col. 1.

Misit rex & soluit eum &c. sup. pag. 114. co. 1.

De Eodem.

Iustus de angustia liberatus est. pag. 139. col. 2. & pag. 147. col. 2.

Tu es Petrus. supra pag. 139. col. 2.

Epistola Actor. 12. Misit Herodes. s. plebis Iudæorum. Euangel. Matth. 16. Venit Iesus in partes. s. solutum est in cælo.

In inuentione beati Stephani, Sermo primus.

Ostendam vobis quid agere debeatis. Exod. 4. Triplici modo potest homo in notitiã rei venire. per inuentionem propriam, per eruditionem humanam. per reuelationem diuinam. Primo modo venerunt antiqui Philosophi. Secundo Philosophorum discipuli. Tertio viri sancti. vt Paulus & alii. Prima cognitio certa. secunda certior. tertia certissima. prima & secunda deficiente quandoq; habetur tertia. Ideo Dominus corpora sanctorũ Stephani & aliorũ volens deuenire in notitiã quæ non habebatur per inuentionem vel eruditionem humanam ostẽdit Luciano presbytero Iohanni Episcopo & aliis quid agerent vt dicta corpora inuenirent: vt competit istis pro inuentione & translatione corporũ quod antiquitus ait Dominus Moysi & Aaron, pro translatione Hebræorum. scil. ostendam &c.

Vbi notantur tria. reuelantis sapientia: quia dicitur, ostendam. reuelandi indigentia: quia, vobis. scil. ignorantibus. reuelationis materia: quia, quid agere debeatis. ergo instruit euidenter, competenter, & vtiliter.

De Eodem.

Effodientes thesaurum gaudent sup. pag. 145. colum. 1.

De Eodem.

Ecce odor filii mei. supra pag. 145. col. 2. The. quę habetur in translatione beati Dominici. sup. pag. 145. Euangel. & Epistula sicut in alio Festo beati Stephani.

De beato Dominico, Sermo primus.

Misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent quia parata sunt omnia. Luc. 14. Quantum Deus velit salutem hominum clare patet ex multiplicitate missorũ. misit ei primo

Prophetas. Matt. 23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas &c. Secundo proprium filium. Gal. 4. At vbi venit plenitudo temporis. Tertio sibi & filio communem scil. Spiritum sanctum. Gal. 4. Misit Deus spiritum sanctum. Quarto Apostolos & discipulos. Matth. 10. Ecce mitto vos. Quinto Doctores sacros Prou. 9. Misit ancillas suas vt. Sed in fine seculi misit ordinem prædicatorum: cuius pater & institutor fuit B. Dominicus. vt verum sit de eo & de ordine suo specialiter: quia, misit spiritum suum &c.

Vbi notantur quatuor propter quæ solent homines separare & venire ad inuitationem. mittentis auctoritas qui Deus est qui, misit ser. temporis opportunitas: quia hora cœnæ. quia secundum glo. est finis mundi. festinemus ergo ingredi ne porta claudatur. Instantia nunciorum: quia, dicere inuita. vt. ve. Noritia paratorum: quia, parata sunt omnia. ergo commendatur Dominicus a ex fœlici merito: quia seruus ex Dei nobili officio quia prædicator mundi: ibi, dicere inui. ex tempore oportuno: quia in fine seculi: ibi, hora cœnæ. ex generali commodo, quoniam vt veniret: quia, parata &c. meritum describunt tria. auctoritas Domini qui misit: humilitas Dominici qui seruiuit. specialis charitas adoptandi quæ, suum dicit.

Sermo 2. De Eodem.

SVrrexit Elias Propheta quasi ignis & verbum eius quasi facula ardebat. Eccles. 48. Duo sunt prædicatori necessaria. s. vita & doctrina. sed tunc est commendabilis quando est feruor operationis quo ad vitam. & ardor prædicationis quo ad doctrinam. vt sit lucerna lucens & ardens. lucens per exemplū boni operis: secundum illud Matt. 5. Sic luceat lux vestra &c. sed ardens per feruorem prædicationis: secundum illud Psal. ignitum eloquium &c.

Ab his duobus sub typo Eliæ commendatur hic beatus Dominicus. Primo a feruore vitæ: quia, surrexit. Secundo ab ardore doctrinæ: quia, verbum &c. Feruorem vitæ & charitatis in ipso commendant quatuor. animarum æmulatio: cū dicitur, Elias. æmulationis executio: quia, surrexit. æmulationis discretio: quia, Propheta. istorū intentio: quia, ignis. Commendat autem æmulatio affectum. executio effectum. discretio aspectum. intentio conatum. Ardorem doctrinæ cōmendant tria. ipsius eloquentia: quia, verbum: eloquentiæ efficacia: quia, quasi facula. hoc attestatur viso in catulo portante faculam in ore inflammantem mundum. vnde ecclesia: in figura catuli &c.

Sermo 3. De Eodem.

DEsiderium animæ eius tribuisti ei & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Psal. 12. Sicut fumus incensi non ascenderet nec fragaret nisi ardor ignis inflammaret. sic nec oratio vocis sine igne deuotionis. vnde Psal. Dirigatur oratio mea sicut incensum &c. Hæ sunt duæ alæ quibus oratio volat ad Deū vt obtineat quod optat scilicet desiderium cordis & eloquium oris. Cor. 4. Orabo spiritu orabo & mente. Hæc duo videtur beatus Dominicus semper habuisse in suis orationibus. Hic saltem primum quia nunquam in spiritualibus orationibus suis passus est repulsam sicut dicitur in legenda: vt accedat pro eo quod dicitur, desiderium animæ &c.

Vbi ostenditur primo deuotio mentalis, secundo petitio vocalis: ibi, & voluntate la. Primū commendant tria scil. quod orabat ardenter, salubriter, & efficaciter. Salubriter: quia pro anima vnde dicit animæ. Ardenter: quia cum desiderio. Efficaciter: quia cum obtentu. vnde ait, tribuisti. Secundum. scilos petitionem vocalem commēdant tria. Deuota petitio: ibi, voluntate. Peritionis expressio: ibi, labiorum. Vtriusq; adeptio ibi, non fraudasti. Ergo voluntas. q. radix. labia. q. rami. obtentus. q. fructus. Huic attestatur ingressus magistri Cotrardi in ordinem.

Sermo 4. De Eodem.

QVi custos est Domini sui glorificabitur. Pro. 27. Quatuor sunt propter quæ res solent specialiter custodiri. Propter præceptū sicut subditus custodit mandatum prælati: sicut creatura mandatum Dei, ideo Psal. Tu mandasti mandata tua cu. nimis. Propter pretium: sicut homo melius custodit aurum quam ferrum: cor quam vestimentum. Prou. 4. Omni custodia serua cor tuū. Propter affectum: sicut mater custodit filium, dues bonum vinū. Ps. Custodit Dominus omnes diligentes se. Propter lucrum: sicut pastor gregē: dives bladum. Psal. Etenim seruus tuus custodit ea in custo. &c. Ergo ad costodiendam gratiam Domini debent nos monere rigor præcepti: valor pretii: amor rei: decor præmii.

Ab his quatuor commendatur hic beatus Dominicus ab impletione præcepti: quia, custos. secundum illud. custodiuit anima mea testimonia tua. Ab electione pretii: quia, Domini, secundū illud Iosuæ vlt. Ego autem & domus mea seruiemus Domino. A dilectione electi: quia, sui. vnusquisq; diligit quod suum est. Ps. Diligam te Domine. Ab adeptione præmii: quia, glorificabitur. Quippe si custos gratiæ habebit gloriam & gratiam quia gloriam dabit Dominus. ideo Ps. Expecta Dominum & custodi viam eius. Ideo merito iste vocatus est Dominicus. q. Domini custos. custodiuit enim regem, gregem, & legem.

Sermo 5. De Eodem.

CRescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Gen. 41. Videmus res crescere tā per naturam quam per artem secundum quadruplicem dimensionem. In profundum sicut foueæ, radices. In altum sicut ædificia, arbores. In latum viæ, stipites. In longum sicut mensuræ, dies.

Sic creuit B. Dominicus per gratiam: in profundum per contemptum terrenorum: sicut eiicitur terra vt cellarium crescat in profundum. similiter fons. Hester. 10. Fons paruus creuit in fluuium maximum: & hoc quando vitum canonicum auxit in Apostolicum: sic lux abiecta. In altū per desiderium supernorum. Sic arbor vel ignis quanto plus tendit sursum: tanto plus crescit. Eph. 4. Veritatē facientes in charitate crescamus in illa. In latum per dilatationem fidei & morum: sicut scholæ vel cognitio per dilatationem discipulorum vel librorum. Pet. 4. Crescite in gratia & in cognitione Domini nostri Iesu Christi. sic Christus Luc. 2. In longum per institutionem ordinis prædicatorū: sicut pecunia crescit per multitudinem. Vnde Iacob Gen. 48. Angelus qui eripuit

puit me de cunctis malis benedicat pueris istis: crescatque in multitudine. Hic ordinem ædificauit super fundamentum paupertatis: vt vere possit dicere cum Ioseph, crescere me fecit Deus, &c.

Vbi circa hoc crementum notantur quatuor. Agricola: quia, Deus. Planta: quia, Dominicus. qui dicit, me in terra. Cultura: ibi, paupertatis. In agricola operatio. in planta dispositio. in terra ministratio. in cultura adiutorium notatur ad crementum.

De eodem, Sermo 6.

ECce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari. 3. Reg. 18. Quemadmodum quædam per mare mouentur: sicut pisces, naues. Quædam in mari merguntur: vt lapides. Quædam à mari eleuantur: sicut nubes: Ita in hoc mundo tanquam mari periculoso quędam mouentur remis operum: vt viatores. quædam merguntur pondere peccatorum vt impœnitentes. Alii eleuantur præmiis virtutum: vt iusti perseuerantes. De primis Ecclef. 43. Qui nauigant mare, &c. Psal. In mari via. De secundis, Exod. 15. Ingressus eques Pharao. &c. De tertiis, ecce nubecula. Sic eleuatus est beatus Dominicus trahente Christo & beata virgine: sicut patet in visu ipsius post mortem. imo hora mortis in scal. &c. vt specialiter verum sit de eo, ecce nubecula, &c.

Vbi ostenditur eleuatio eius in cœlum. vera, iusta, manifesta, & honorifica. Ergo eleuatus est in cœlum vere: quod notatur, ibi, ecce. quod demonstrat rem existentem & visam. Iuste siue digne: quod notatur in, nubecula parua. In nubecula virginitas propter frigiditatem & facilem euanitionem. In parua humanitas manifesta: quod notatur: ibi, quasi vestigium hominis. Sub specie enim fratris mortui visus est ascendere in cœlum honorifice: quod notatur: ibi, ascendebat de mari. nubes enim ascendit de mari vehementi calore solis eleuante. Sic Dominicus solis amore, i.e. Christi & virginis eleuante.

De eodem, Sermo 7.

POsitus sum ego prædicator. 1. Tim. 2. Secundum Apostolum Rom. 12. & Cor. 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent. Pedes quippe cætera membra sustinent: manus defendunt: lingua instruit: Sic in vno corpore ecclesiæ cuius Christus est caput posuit Deus diuersos status hominum propter diuersa officia. Coloni quippe sustinent alios labore suo: milites defendunt suo vigore: prædicatores instruunt in moribus & fide. Ad quod officium temporibus nostris posuit Deus in ecclesiæ corpore beatum Dominicum: cui attestatur visio Apostolorum Petri tradentis baculum & Pauli librum, &c. vt vere possit dicere, positus sum, &c. Vnde & ad tale officium sub tali nomine confirmatus est eius ordo.

In quibus verbis commendantur tria prædicatori necessaria. Idoneitas ministri: ibi, ego. Auctoritas ministrandi: ibi, positus sum. Vtilitas ministri: ibi, prædicator. Hæc tria notantur: ibi, elegi vos. quo ad primum, & posui vos vt eatis. quo ad secundum, & fructum afferatis. quo ad tertium. Ioh. 15.

De eodem, Sermo 8.

IN igne probatur aurum & argentum. Eccles. 2. Triplicem effectum videmus in igne, scil. naturalem, violentum, & mirabilem. Ignis quippe naturaliter ascendit & accendit. Violenter descendit: vt patet in fulgure. Mirabiliter spiritus affligit & combustibilibus parcit. Dan. 3. Flamma ignis naturaliter ministros combussit. Violenter in fornace se circumflexit. Mirabiliter tribus pueris pepercit. Sic disputante beato Dominico cum hæreticis: ignis statim libellum hæreticorum combussit ad reprobationem doctrinæ hæreticę. Libellum Dominici eiecit ad approbationem doctrinæ Dominicæ: vt verum sit quod hic dicitur, in igne probatur, &c. i. e. doctrina & sapientia diuina.

Vbi proponitur doctrina fidei tanquam virtuosa, in igne. vera, in probatione. pretiosa, in auro. manifesta, in argento. Apparet autem eius virtus dum agitur. veritas dum creditur. pretiũ dum præmiatur. manifestatio dum prædicatur. Vnde & Dominicus fuit virtuosus in operando, verax in credendo. pretiosus in præmio. manifestus in verbo.

De eodem.

Vidi alterum angelum vo. &c. pag. 136. col. 2.

De eodem.

Amice ascende superius. pag. 110. col. 1.

De eodem.

Audacter lo occursum. pag. 113. col. 1.

Epistola, 2. Tim. 4. Testificor coram Deo. fin. aduentum eius. Euang. Matth. 5. Vos estis sal terræ. fin. in regno cælorum.

In Festo beati Laurentii, Sermo 1.

POne thesaurum tuum in præceptis altissimi: & proderit tibi magis quam aurum. Eccl. 29. Solent diuites huius mundi libenter pecuniam ponere vbi seruetur sine metu, sine defectu, & cum profectu. In manibus autem pauperum sic seruantur: quia sine metu corruptionis. Matth. 6. Thesaurizate vobis thesauros, &c. Sine defectu amissionis. Luc. 12. Vendite quæ possidetis: & date eleemosynam, &c. Cum profectu præmiationis. Tob. 4. Si multum tibi fuerit, &c. hoc attendēs sapiens: ait, pone the. &c. quod & Laurentius adimpleuit. nam thesauros ecclesiæ dedit pauperibus.

In quibus verbis notantur tria quæ solent homines inducere ad faciendum aliquid vel dimittendum, scil. honor facti propter quod multi nituntur ad probitates: vt in torneamentis milites: in argumentis clerici. Rigor mandati propter quod subditi vadunt & veniunt propter obedientiam prælati. Amor pręmii propter quem conducuntur & laborant operarij. Hæc tria allegat sapiens inducens ad dandum eleemosynam. Primum quia honorificum: ibi, pone thesaurum. t. Victoriam enim & honorem acquirit qui dat munera. Prou. 22. Secundo quia debitum: ibi, in præceptis al. Eccles. 4. Redde debitum, &c. Tertio quia fructuosum: ibi, & proderit tibi, &c. Circa primum ostendit quomodo debemus dare: quia ordinate: ibi, pone. Positio enim est situs partium in suo toto: quia abunde: ibi, thesaurum. Discrete; quia, tuum. non sicut illi qui de alieno corio faciunt largas corrigias.

De eodem, Sermo 2.

DIspersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Psalm. 111. Cum dare pauperibus sit opus misericordiæ videtur quod debuisset dicere misericordia eius, &c. potius quam iustitia. Responsio in hoc intelligitur quod diuites sunt pauperum depositarii: quia res communes sunt de iure naturali: & ideo debitores visa necessitate proximi & ideo si simpliciter misericordia; tamen in necessitate est iustitia dare pauperibus: quod sciens Laurentius, dispersit de. &c.

Vbi commendatur ex tribus. Ex modo abundanti: quia, dispersit dedit. Ex motiuo ingenti: quia, pauperibus. Ex commodo sequenti: quia, iustitia, id est merces iustitiæ, &c. Modum dandi commendant duo, scil. quando satis & quando gratis datur: sicut Laurentius fecit. Satis: quia, dispersit. gratis: quia, dedit.

De eodem, Sermo 3.

IGne me examinasti: & non est inuenta in me iniquitas. Psalm. 16. Solet examinari clericus in disputatione, amicus in necessitate, vas in fornace. Sed tunc probatur clericus quando bene respondet opponenti. amicus cum semper subuenit indigenti. vas cum solidatur in igne ardenti.

Hoc triplici modo examinatus fuit Laurentius. Primo de fide & bene respondit: quia confessus est nomen Iesu Christi. secundum illud: credidi propter quod lo. Secundo de amore & signum exhibuit: quia thesauros pauperibus dedit. Tertio de firmitate & non defecit: imo gaudebat; quia hostia Christi effici meruit vnde potuit dicere, igne me, &c.

Vbi notantur tria. crudelitas tyranni affligentis in igne. benignitas Dei permittentis in examinatione. vtilitas martyris sustinentis in innocentiæ ostensione. Felix qui propter Christum sustinet tantam afflictionem, subiit talem examinationem. obtinet talem approbationem.

De eodem, Sermo 4.

OBtulerunt ei partem piscis assi. Luc. 24. In grosso numerando triplicem substantiam habet homo, temporalem: corporalem: & spiritualem. Gall. la chate. le corps & lame. & qualem debet offerre Deo. Temporalia secundum illud Psal. Offeram tibi boues cum hircis. Eccl. 7. Datum bra. &c. Corpus secundum illud Michææ 6. Quid dignum offeram Domino. curuaboge. &c. Animam secundum illud Psal. Sacrificium Deo spiritus contri.

Hæc tria obtulit beatus Laurentius. Temporalia: dum thesauros pauperibus dedit. Corpus: dum ignem sustinuit. Animam: dum eam Deo reddidit: vt verum sit de carnificibus ministrantibus carbones: quia, obtulerunt ei: scil. Christo, partem piscis assi. Piscis assus Laurentius. pars corpus eius.

Ecce ergo quatuor causæ huius oblationis. efficiens: quia, obtulerunt, scil. Laurentium ex intentione: sed carnifices præter intentionem. Materia: quia, pars piscis. Forma: quia, assi. Finis eius, scil. Christo. Ecce ergo patiendi efficacia: quia per hoc martyr Deo offertur. Patientis munditia nomine piscis: quia in aquis non submergitur sed abluitur. Afflictionis angustia: quia assatur.

De eodem, Sermo 5.

COnsolabitur me lectulus meus, Iob. 7. Licet amara sit potio medicinæ: tamen consolatur infirmus eam accipiendo propter spem sanitatis sequentis. Sic gaudebant martyres sustinendo grauia propter spem gloriæ filiorum Dei. Vnde Laurentius. Gaudeo plane quia ostia Christi effici merui: ideo vere potuit dicere verbum propositum, consolabitur me lectulus meus.

Vbi proponit suam passionem sub triplici conditione: quia meritoriam; afflictoriam; voluntariam. Meritoriam, scil. consolationis: ideo dicit, consolabitur. afflictoriam corporis: ideo dicit, lectulus, scil. ferreus in quo super ignem iacebat. voluntariam rationis: vnde dicit, meus. Illud est meum quod est in vol[untate] mea positum.

De eodem, Sermo 6.

LIberasti corpus meum à pressura flammæ. Eccles. 51. Verum dicitur quia quot patriæ tot consuetudines. quod patet: quia in hoc præsenti seculo frequenter boni premuntur sed non mali. vt patet in diuite. & Lazaro, & Barraba, & Christo. In futuro econuerso. mali premuntur & boni liberabuntur. Sap. 5. Stabunt iusti, &c. Sic Laurentius in hoc seculo pressus modo est liberatus: ideo gratias agens potest tria dicere liberasti, &c.

Vbi commendat liberantis veritatem: ibi, liberasti. liberandi necessitatē: ibi, corpus meum, corpus enim potest egi: ideo indiget alieno adiutorio non sicut anima. Liberationis qualitatem: quia, à pressura flammæ.

De eodem, Sermo 7.

ILluminans oculos dans sanitatem & vitam & benedictionem, Eccl. 34. Quatuor sunt appetibilia valde ab hominibus: secundum diuersos eorum status. Appetit quippe cæcus vt videat. Tob. 5. Quale gaudium. & Matth. 20. Æger vt conualeat. Iohan. 5. Erat ibi multitudo languentium vt viuat. Corinth. 5. Nolumus expoliari sed superuestiri. viuens vt gaudeat. Psal. Lætifica animam serui tui quoniam ad te.

Hæc quatuor impetrauit multis beatus Laurentius. Visum cæcos illuminando. sanitatem infirmos curando. vitam gratiæ ad fidem conuertendo. benedictionem gloriæ ad martyrium animando vt patet in Hyppolito & aliis.

De eodem.

Corde creditur ad iusti. supra. pag. 99. col. 2.

De eodem.

Fortis est vt mors dilectio. supra pagin. 121. colum. 1.

De eodem.

Probauit me quasi aurum. supra. pagin. 126. colum. 2.

De eo-

De eodem.

Cum ambulaueris. supra pag. 102. col. 1. Cætera quære in festo beati Vincentii supra pa. 120.

Epistola, 9. Qui parce seminat. si. fru. iusti. nostræ. Euangelium Iohan. 12. Nisi granum fru. fin. eum pater meus.

De sanctis Hyppolito sociisque eius, Sermo primus.

EGo & domus mea seruiemus Domino. Iosue vlt. Reprobata opinione quæ dicit vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum quia custodimus præcepta eius? hoc dicunt fatui attendentes præsentia non futura. contempta etiam societate eorum qui seruiunt diis alienis & non Deo beatus Hyppolitus cum tota familia baptizatus à beato Laurentio potuit dicere cum Iosue, ego & domus mea, &c.

Vbi confitetur quadruplicem conditionem in diuino officio exhibendam. debet enim quilibet Deo seruire in persona propria: secundum illud Psalm. Ego seruus tuus: contra illos qui negligunt operari de alienis bonis cõfidentes. baculus enim Helisæi quem misit per Gyezi non suscitauit puerum. sed ipse Helisæus. 4. Reg. 4: Secundo cum tota familia: secundum illud Psalm. Adorabunt enim omnes reges omnes, &c. contra illos qui sustinent prauã familiam sicut Helis. 1. Reg. 2. Apo. 2. De angelo Thiatiræ ecclesiæ. Tertio cum perseuerantia: secundum illud Luc. 1. Seruiamus illi in sanctitate & iusti. &c. contra illos qui in 40. ei seruiunt & postea intentatione recedunt. Quarto cum singulari reuerentia: secundum illud Matth. 4. Dominum Deum tuum adora, &c. contra illos qui volunt seruire Deo & peccato. contra quos Matth. 6. Nemo potest duobus Dominis seruire & 3. Reg. 18. Ait Helias. vsquequo claudicatis, &c. Ideo potuit dicere Hypol. Ego, personaliter, & domus mea: vna nimiter, seruiemus finaliter, Domino. singulariter, & vere finaliter: quia propter eius seruitium mortui sunt.

De eodem, Sermo 2.

HIs dictis confestim ad supplicium trahebatur, 2. Maccab. 6. Quatuor solent aggrauare iniuriam alicui illatam. Defectus iuris vt quando sine causa. Iohan. 18. Non inuenio causam in eo. Hierem. 18. Nunquid redditur pro bono malum. Impetus torquentis vt quando sine mora. Acto. 7. Impetum fecerunt vnanimiter in eum. Genus tormenti vt quando grauiter. Psalm. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam. Modus torquendi vt quando turpiter. Matth. 26. Tanquam ad latronem existis, &c.

Sic afflixerunt impii beatum Hyppolitum, sc. sine ratione vt pote quia cõfitebatur Christum: quod notatur ibi, his dictis. sine deliberatione: quia, confestim. sine compassione: quia ad supplicium, scil. mortis. sine veneratione: quia trahebatur. scilic. per spinas & tribulos & ad colla equorum.

De eodem, Sermo 3.

TRahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Cant. 1. Triplici tractu trahebantur quondam sancti martyres propter Christum. Trahebantur enim ad iudicium, ad supplicium, & ad cœlum. Ad iudicium vt exterminarentur Iac. 2. Ipsi trahunt vos ad iudicium. Matth. 10. Ducemini ad supplicium vt exterminarentur sicut lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem. Acto. 14. Ad cœlum vt præmiarentur: quia sicut ait Christus Iohan. 6. Nemo venit ad me nisi pater. Primus tractus intolerabilis. Secundus terribilis. Tertius delectabilis.

Hoc triplici tractu tractus fuit Christus. Primus & secundus non propter se: sed propter tertium petebatur: ideo sancta anima ait, trahe me, &c.

Vbi primo ostenditur afflictio corporis. scil. in tractu. Secundo afflictio cordis in cursu. Afflictio proponitur tanquã voluntaria in hoc quod petit trahi. Afflictoria in actu trahendi. Maritoria in sequela Domini: ibi, post te. Circa affectionem notantur tria. Affectus tendens: quia, curremus. Aspectus videns: quia, odorem. gloria mouens: quia, vnguentorum tuorum.

De eodem, Sermo 4.

VErberauerunt me & non dolui: traxerunt me & ego non sensi. Prouer. 27. g. Tria sunt propter quæ non tantum sentit homo nec reputat passionem scil. ebrietas vt hic ad litteram & Esdr. 4. Amor. vt Gen. 29. De Iacob cui videbantur dies pauci præ amoris magnitudine. Præmium Hebr. 11. De Moyse. qui maiores æstimans, &c.

Hinc est quod beatus Hyppolitus propter inebriationem gratiæ Spiritus sancti. propter dilectionem Christi. propter considerationem præmii verberabatur & non dolebat, scil. per impatientiam. trahebatur ad colla equorum & non sentiebat, i. e. non multa reputabat. ideo potuit vere dicere verbum propositum.

Vbi primo tangitur afflictio mortem antecedens: quia, verberauerunt. Secundo afflictio mortem inducens: quia, traxerunt. & vtraque proponitur & tanquam violenta ex parte inferentis: quia vulnerauerunt & traxerunt: ex parte sustinentis: quia, non dolui. non sensi quippe: quia cito liberauit eum Dominus. iuxta illud Prouer. 24. Qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Themata de militibus conueniunt ei supra.

Epistola Heb. 11. Sancti per fidem. fi. inuentis in Christo Iesu Domino nostro. Euang. Luc. 12. Attendite à fermento. fin. coram Angelis Dei.

In Assumptione beatæ virginis Mariæ, Sermo primus.

OStendisti autoræ locum suum. Iob. 37. In conuiuiis mundi solet Dominus assignare & ostendere loca sua cæteris pro statu suo sedentibus. Sic in conuiuio cœli ostendit Dominus matri suæ tanquam nobiliori locum immortalitatis super omnes alios sanctos: vt congratulans ecclesia dicat Christo, ostendisti, &c.

Vbi commendantur tria. Primo glorificantis curialitas prouida: quia, ostendisti. Secundo glorificatæ dignitas præcipua: quia, autoræ. Tertio gratiæ specialis excellentia: quia, locũ suum.

Dic-

De eodem, Sermo 2.

TRansibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Psal. 41. Verbum David filia Dauid potuit imminente assumptionis suæ tempore dicere: & hoc non ad vanam gloriam, sed ad commendationem Dei & ædificationem proximi, ad iucunditatem sui. In hoc quippe verbo & Deus commendatur dum ita suos præmiat. Et proximus promonetur dum ad hoc præmium anhelat. Et virgo iucundatur dum hoc præmium sibi imminere recitat.

Vbi quatuor circa suam glorificationem insinuat, scil. modum, fructum, excessum, & terminum. Modum commendabilem: quia sine pœna retardante peruenit ad portum gloriæ: ideo dixit, transibo. Iob. 9. Dies mei transierunt quasi naues poma portantes: quæ propter leuitatem cito veniunt ad portum: & odorem relinquunt post se. Fructum desiderabilem: cum dicit, ad locum. locatum enim in suo loco quietatur: sicut lapis proiectus non quietatur donec veniat ad imum. Apocalyp. 12. Datæ sunt mulieri alæ duæ quasi aquilæ magnæ vt volaret ad locum suum. Excessum admirabilem cum dicit, tabernaculi admirabilis. tabernaculum admirabile fuit beata Virgo: quia vltra modum aliorum fuit capax & gratiæ in sanctificatione: & personæ diuinæ in incarnatione: & gloriæ in assumptione. Psal. Sanctificauit tabernaculum suum. Terminum sublimem: quia supra mansiones omnium aliorum vsque ad propriam domum dicitur. Et tunc quoque positus est thronus matris regis quæ sedet ad dexteram eius, sicut significatum est, 3. Reg. 2.

De eodem, Sermo 3.

DOminus assumpsit me. Psal. 26. Si mundani glorian tur se assumi in domum & familiam regis terreni: non est mirum si virgo Maria gloriatur recipiendo se esse assumptam, non tantum ad palatium: sed & ad thalamum regis æterni dicens, Dominus assumpsit me.

Vbi recitat tria necessaria in qualibet informatione, scil. informans, informatum, & forma: vt patet in illuminatione aeris: in fabricatione vasis. Sic in sua glorificatione tangit Maria glorificantis nobilitatem: quia Dominus non tantum Angelus: quia surrexit rex in occursum matris. 3. Reg. 2. Glorificate sanctitatem: quia, me: secundum illud Psalm. Tenebit me dextera tua. Gloriæ maiestatem: quia, assumpsit. id est, ad se sumpsit. secundum illud Psal. Assumpsit me de aquis multis, &c.

De eodem, Sermo 4.

TEnuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me & cum gloria suscepisti me. Psal. 72. Tria placent & expediunt cuilibet viatori: scil. vt in via defendatur: vt per viam dirigatur: vt in termino viæ hospitetur: vt sic eat per viam tutam, rectam, & bonam.

Hæc tria contulit Christus Mariæ. quia fuit pergranti in tutorem, itineranti in ductorem: peruenienti in procuratorem. Ideo tria potest dicere, sc. tenuisti manum dexteram meam: gratiam conferendo ne caderem: vt in passione omnibus cadentibus ipsa stetit: secundum illud, tenebit me dextera tua & in voluntate tua deduxisti me. gratiam augmentando vt proficerem: secundum illud. deduxisti me quia factus es spes & cum gloria suscepisti me. gratiam consummando vt præmium acciperem: secundum illud humilem spiritu suscipiet gloria. Prou. 29. Ergo tenuisti me, amirabiliter: quia, per manū quod est signum familiaritatis, deduxisti me: sapienter: quia, in voluntate quod est discretionis, suscepisti me: honorabiliter: quia, cum gloria quod est signum dignitatis.

De eodem, Sermo 5.

IN plenitudine sanctorum detentio mea. Eccl. 24. Libenter solent homines tendere & morari ad loca. Vbi est bonorum fertilitas. bonorum societas. bonorum perpetuitas. In vniuerso vero sunt. 4. loca habitabilia: mūdus, purgatorius, infernus, & paradisus. In mundo sunt dictorum bonorum pauca. In inferno nulla. In paradiso omnia. In purgatorio aliqua. Ideo ad paradisum debemus tendere vt ibi moremur sequēdo beatam virginem quæ ibi elegit morari non alibi: secundum illud in omnibus requiem quæsiui & in hære. do. mo. Vnde ascendens in paradisum super thoros angelorum potuit dicere verbum propositum, scil. in plenitudine, &c.

Vbi commendant gloriam virginis tria. vbertas delectabilis: quia, in plenitudine. societas venerabilis: quia, sanctorum. perpetuitas indefectibilis: quia, detentio mea.

De eodem, Sermo 6.

MVlier gratiosa inueniet gloriam. Prou. 10. Testante Angelo. Luc. 5. Virgo Maria fuit mulier gratiosa. Aue inquit gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus. & quia per gratiam inuenitur gloria. quia gratiā & gloriam dabit Dominus. ideo ipsa inuenit gloriam vt vere prædixit de ipsa sapiens verbum propositum. quære de hoc supra.

De eodem, Sermo 7.

FEcit mihi magna qui potens est. Luc. 1. Tria magna beneficia Deus fecit virgini gloriosæ. Vnum in principio. Aliud in medio. Tertium in vltimo. Primum in vtero matris quando eam à peccato seruauit. Magnum fieret adiudicato perpetuo carceri & exhæredato qui eum liberaret & hæreditatem restitueret. Psalm. Quoniam magnificata sunt opera tua Domine. Secundum magnum fuit in incarnatione filii. Magnum fuit quod Deus de muliere. puer de virgine. pater de filia nasci voluit. Psalm. Quam magnificata sunt opera tua Domine nimis profunde, &c. Tertium magnum fuit in assumptione. Aues enim magis plumosæ & pennatum magis integrarum altius volant: sic virgo Maria: secundum illud. Psal. Magnificentia tua eleua. est super ce. Ideo virgo Deo grata Deo gratias ait, fecit mihi magna, &c.

Vbi exprimit tria tribus personis attributa, sc. maiestatem: ibi, qui potens est. discretionem sapientiæ: ibi, mihi. Sapientiæ enim est melius eligere. bonitatem clementiæ: ibi, fecit magna. Vere magnæ bonitatis fuit vni mulieri impendere tot

tot & tanta beneficia. & sic potest exponi vel de conceptione siue natiuitate virginis: vel de annunciatione: vel de assumptione.

De eodem, Sermo 8.

Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole & luna sub, &c. Apoc. 12. Quia potest vix expresse narrari de beata virgine & pulchritudo vitæ & plenitudo gloriæ, ideo sub similitudine rerum nobiliũ commendamus eam, & luminaribus coopertam eam audiendo & luminaribus coopertam videndo. Luminaribus comparatur, scil. lunæ: soli: & auroræ. Cant. 6. Quia sicut in nocte nihil pulchrius luna. in die nihil pulchrius sole. inter diem & noctem nihil pulchrius aurora. Sic nec tempore legis scriptæ fuit mulier pulchior Maria. Luminatibus ostenditur cuoperta in laudem magnitudinis suæ gloriæ. vnde beatus Io. ait signum magnum, &c.

Vbi proponitur virginis glorificatio. Primo tanquam admirabilis quantum ad rationabilem & hoc ratione insolitæ singularitatis: ibi, signum magnum appa. Vere insolitum: quia pura creatura & in sexu fragili super omnes angelus exaltetur. vnde angeli Cantic. 8. Quæ est ista quæ ascendit, &c. Secundo tanquã delectabilis quantum ad concupiscibilem: & hoc ratione perfectæ iucunditatis: ibi, mulier amicta sole. Eccles. 20. Dulce lumen & delectabile. Sicut enim sol cæteris planetis splendidior & feruentior: sic Maria cæteris creaturis. Tertio tanquam venerabilis quantum ad irascibilem & hoc ratione suæ potestatis: ibi, & luna, i. e. mundus. sub pedibus, i. e. sub potestate eius. vnde domina cœli & luna terræ nominatur. Quarto vt comendabilis quantum ad interpretatiuam: & hoc ratione abundãtis dignitatis: ibi, corona duodecim stellatum in capite eius. duodecim enim est numerus abundans quia parte aliquote faciunt ipsum & plus quia quindecim. sic gloria eius abundantiur est gloria cæterorum.

De eodem, Sermo 9.

Qvæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum. Cant. 8. Iste mundus situs est inter altum & imum, paradisum, scil. & infernum. Vnde quidam ascendunt ad altum, scil. boni: secundum illud Psalm. Ascendens in altum. alibi. quis ascendet in montem Domini, &c. Alii descendunt ad imum. secundum illud Exod. 15. Descenderunt in profundum quasi lapis. Et sicut in descendẽdo sunt gradus sicut patet de captiuis in carcere. Sic in ascendendo. Nam quidã alte. alii altius ascendũt. Quia ergo inter omnes puras creaturas virgo altius ascendit. Ideo admirantes angeli dixerunt, quæ est ista quæ as. &c.

Vbi admirantur quatuor, sed virginis singularitatem: ibi, quæ est ista ascendentis nouitatem: quia in anima & corpore: ibi, quæ ascendit. perfruentis felicitatem: quia, deliciis affluens. Multæ enim filiæ congregauerunt diuitias: sed ista supergressa est vniuersas. excellentem familiaritatem: quia, iuxta super dilectum suum, scil. Christum. Ecce singularitas admiranda. ascensio imitanda. felicitas appetenda. familiaritas veneranda.

De eodem, Sermo 10.

Tota pulchra es amica mea & macula non est in te: veni de Libano sponsa veni de Libano veni coronaberis. Cantci. 4. Intendens ire ad nuptias debet esse ornatus: inuitatus & honoratus. Ornatus: secundum illud Matth. 25. Quæ paratæ erant. & 22. Amice quomodo huc intrasti non habens. Inuitatus: secundum illud Luc. 14. Misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis. Honoratus: secundum illud Luc. 14. Amice ascende superius, &c. Similiter tendens ad dignitatem debet esse perfectus: secundum illud. Exod. 18. Eligite ex vobis viros, &c. Vocatus. Hebr. 5. Nec quisquam sumit sibi. Reuereodus Eccles. 10. In medio fratrum rector illorum. Hic est quod secure potuit ire virgo Maria ad nuptias Agni: ad diadema regni: quia decenter ornata teste Christo: ibi, tota pulchra, &c. quia instanter inuitata dicente Christo, veni. quia excellenter honoranda promittente Christo, coronaberis. Ecce ornatus mirabilis. Inuitatio delectabilis: honor appetibilis. Ornatus ergo notatur in pulchritudine quæ proponitur sub triplici conditione, scil. quia integra. vnde dicit, tota pulchra. quia grata: vnde dicit, amica. quia pura: vnde dicit, & macula non est in te. Ad hoc sequitur inuitatio delectabilis quæ fuit amicabiliter: vnde dicit, veni de Libano non de luto. Instanter: vnde recitat, veni. Felix qui meretur audire tale inuitatorium.

De eodem, Sermo 11.

Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Ps. 44. Astate Deo in cœlis communis est gloriæ. 3. Reg. 10. Beati viri tui qui astant corã te semper. Sed astare à dextris eius singularis est prærogatiuæ virginis Mariæ: vt de ipsa sola dicat congratulans ecclesia Christo, astitit, &c.

Vbi commendantur in Maria quinque. Primo potestatis imperium: cum dicitur, regina. Secundo pietatis officium: cum dicitur, astitit. scil. tanquam aduocato & mediatrix nostra apud filium. Tertio dignitatis fastigium cum additur, à dextris tuis. Quarto singulare priuilegium: quia, in vestitu deaurato. i. e. in corpore glorificato: secundum quod pie creditur. Psal. Surge Domine in requiem tuam tu, &c. Quinto inenarrabile gaudium: quia, circumdata varietate, scil. & angelorum iubilantium & donorum glorificantium.

De eodem.

Nunquid ad præceptum, &c. quære infra 146.

De eodem.

Maria optimam partem, &c. supra pag. 155. col. a.

Epistola Eccles. 24. In omnibus requiem. fin. suauitatem odoris. Euangel. Luc. 10. Intrauit Iesus in quoddam. fin. non auferetur ab ea.

In Festo beati Bernardi, Sermo 1.

Cvm esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum, Cant. 1. Sicut dicitur Matth. 21. Turbæ quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant Hosanna filio Dauid. Sanctorum quippe quidam in sua prædicatione Christum præcesserunt. vt Prophetæ & antiqui. quidam

quidam concomitati sunt vt Apostoli & discipuli. Alii subsecuti sunt vt doctores moderni. & licet tempora variata sint: tamen idem odor fidei ab omnibus spirabatur. De modernis vero qui prædicauerunt Christum postquam accubuit in quiete gloriæ fuit Bern. vnde potuit dicere, cum esset rex, scil. Christus, in accubitu suo, i.e. in gloria, nardus mea, i.e. doctrina & vita, dedit odorem suum.

In quibus verbis notantur tria. tempus suæ prædicationis: quia, cum esset rex in ac. status prædicatoris: quia, nardus mea. nardus est herba parua & calida & significat humilitatem & charitatem Bernardi. Bernar. Interpretatur fons vel puteus: & ipse fuit fons nardi. fructus sequens ex his: quia, dedit odorem suum.

De eodem, Sermo 2.

HAbitabit iuuenis cum virgine, Esa. 62. Nuper festiuauimus de ingressu virginis in supernam habitationem: sed hodie festiuamus de ingressu iuuenis, sc. Ber. in eandem. vt vere prædixit Esa. quia, habitabit iuuenis cum virgine. Secundum Dionysium, amor est quædam vis vnitiua. vnde & amantes libenter simul habitant. & quia Ber. fuit spiritualis simphonides & amicus virginis ideo meruit habitare cum virgine: vt accedat quod prędixit Esa. quia habitabit iu. &c.

Vbi proponuntur tria. locus beatitudinis in habitatione virginis. status fortitudinis in nomine iuuenis. comitatus dulcedinis in consortio virginis. Ergò locus gloriæ est temperatus: ideo habitabilis sanus: ideo nec senectute corruptibilis. sanctus: ideo nec turpitudine fœdabilis.

De eodem, Sermo 3.

FOns paruus creuit in fluuium maximum. Hest. 11. Quasi tribus gradibus ascendunt iusti vt perueniant ad supernam mansionem cœli. incipiendo: proficiendo: & perficiendo. secundum illud Prou. 4. Iustorum semita, &c.

Hunc triplicem gradum ascendit eleganter Ber. si quis consideret gesta eius. Inchoauit enim humiliter: ideo dicitur, fons paruus. Bern. enim dicitur fons. nardus est herba parua: & ita Bernardus est fons paruus. profecit multipliciter dilatando ordinem suum: ideo dicitur, creuit. profecit vtiliter: ideo dicitur, in fluuium maximum, scil. ad irrigandum multos & potandum & exemplo vitæ & verbo doctrinæ: & sic commendatur hic à nomine: ab opere: ab vtilitate.

De eodem.

Nephtalim ceruus emissus. supra pagin. 129. col. 1.

De eodem.

Dilectus meus can. & ru. supra pag. 138. co. 1.

De eodem.

Surrexit Helias Propheta. supra pagin. 160. col. 1.

De eodem.

Ab initio conciliatus sum. supra pa. 130. col. 1.

De eodem.

In labiis sensati inue. supra pag. 134. col. 1.

De eodem.

Si Dominus magnus vo. spiritu. supra pag. eadem col. 2.

Epistola, Eccles. 45. Dilectus Deo. fin. disciplina. Euangelium. Luc. 11. Nemo ascendit. finis. & illuminabit te.

In Festo beati Bartholomæi Apostoli, Sermo primus.

EXpoliauit se Ionathas tunica qua erat indutus & dedit eã Dauid, 1. Reg. 18. Multi faciũt largas corrigias de alieno corio: sed paruas de suo. quia bene volunt quod alii faciant opera pœnitentiæ. eant vltra mare, sustineant tormenta. ieiunent diu: sed ipsi nolunt hoc facere. non sic Bartholomæus: imo totum corium proprium dedit propter fidem Christi: & ædificationem: vt verum sit de eo quod hic dicitur: quia, expoliauit se, i.e. voluntarie expoliari permisit, tunica, i.e. pelle sua, & dedit eam Dauid, i.e. Christo.

Tunc vero commendabilis est amicus quando patitur pro alio libenter, innocenter, grauiter, & vtiliter: vt sit promptitudo in perpessione. exemplo Pauli Actor. 21. Ego non solum alligari sed & mori paratus. mansuetudo in affectione exemplo Christi. Hier. 11. Ego quasi Agnus man. magnitudo in afflictione exemplo Christi. Thren. 1. O vos omnes qui tran. rectitudo in intentione exemplo Christi. Hiere. 13. Nunquid redditur pro bono malum.

Hæc quatuor attollunt passionem Barth. patiendi promptitudo: quia, expoliauit se. patientis mansuetudo: quia, Ionathas qui interpretatur columba. passibilitatis magnitudo: quia, tunica, i.e. pelle. passionis rectitudo: quia, dedit eam Dauid, i.e. Christo.

De eodem, Sermo 2.

PEllem pro pelle & cuncta quæ habet dabit homo pro anima sua. Tria substantialia habet homo à Deo: castellum. corpus & animam, i.e. bona temporalia: corporalia: & spiritualia. & licet omnia à Deo data diligenda sint: tamen secundum maius & minus. Nam temporalia minus. corpus magis. anima maxime. Vnde & contra sententiam Domini videntur facere qui animam propter corpus & corpus propter temporalia perditioni exponunt.. cum econtrario sapientes Christus & Apostoli fecerint sicut patet in Barth. qui pellem fortunæ. Gallice la peleure des biens temporels. pro pelle carnis macerandà, & etiam illam pro anima saluanda dedit: vt verum sit de eo quod hic dicitur de Iob.

Vbi notantur tria ipsum commendantia, sc. paupertatis status in datione pellis fortunæ. passionis genus in datione pellis naturæ. vtriusque fructus in salute animæ.

De eodem, Sermo 3.

EStote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ. Matth. 10. Magister noster Christus docet nos tripliciter. verbis, miraculis, & exemplis. verbis veritatis, vnde Petrus. Ioh. 6. Verba vitæ æternæ habes. Psal. Lucerna pedibus. miraculis potestatis. Ioh. 4. Rabbi scimus quia à Deo ve. magister. Exemplis bonitatis. Iob. 12. Interroga iumenta, &c. & hic, estote prudentes, &c. Prudentia serpentis est exuere pellem veterem vt sub noua prolonget vitam: Sic Barthol. exuit pellem corruptibilem vt haberet in gloria incorruptibilem: & ita fuit prudens sicut serpens & impleuit ad litteram verba proposita.

In quibus docet nos habere duo. cautelam ad malum: & simplicitatem ad bonum. In pri-

ma primo docet cauere malum: cum dicit, estote pru. Secundo docet cauendi modum: cum subdit, sicut serpentes. qui vt saluent vitam pellem deponunt. Similiter in secunda docet primo recte facere bonum: cum dicit, & simplices. Secundo subdit exemplum: cum addit, sicut columbæ.

De eodem, Sermo 4.

AVdiui vocem tanquam tubæ magnæ. Apoc. 1. Testante dæmone Berich collega Astaroth capilli Bart. erant nigri: caro candida: vox quasi tuba: vt posset India cuius 12. ciuitates conuertit dicere de ipso, audiui, &c.

Vbi tangit tria. Actum doctrinæ, in voce. Modum loquelæ in, tubæ. Fructum vtriusque in, auditione. tunc enim doctrina bene & vtiliter auditur quando ei obeditur.

De eodem, Sermo 5.

BEatus qui vigilat & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet. Apoc. 16. Sicut homo ex duplici natura constat: spirituali scil. & corporali, i.e. anima & corpore. Sic duplici indiget vestimento. Vestimenta corporis sunt vestes corporales: vestimenta animæ sunt virtutes. Huius duplicia vestimenta custodiuit Bart. illæsa. Primum fuit mirabile, sc. quod vestimenta eius non veterascebant sed manebant incorrupta. Secundum fuit morale, sc. virtutum custodia.

Licet secundo modo exponendo notantur hic quatuor commendantia Bartholomæum. Primo frequētia orationis. quod notatur in, vigilia. Secundo stabilitas virtutis: quod notatur in, custodia. Tertio honestas conuersationis: ibi, ne nudus ambulet. Quarto veritas glorificationis: ibi, beatus. Prima tria commendant bonum meriti. quartum bonum præmii. Hæc enim quatuor sapientem inuigilare faciunt bonis operib. sc. Præmium quod expectatur cum dicit, beatus. Factum quod commendatur: cum dicit, qui vigilat. bonum quod conseruatur: ibi, & custodit vestimen. Periculum quod euitatur: ibi, ne nudus ambulet.

De eodem, Sermo 6.

PErcusserunt me: & vulnerauerunt me, tulerūt pallium meum custodes murorum. Cant. 5. Solent isti milites veterani iuuenibus narrare vexationes quas quondam passi sunt vt animent eos ad similes probitates si necesse fuerit. Sic Bar. hic narrat tormenta quæ pro Christo passus est: vt eius patientiam & constantiam si necesse fuerit imitemur.

Vnde tangit triplicem afflictionem gradatim ascendentem. Primo duram in, percussione. Secundo duriorem in vulneratione. Tertio durissimam in excoriatione. Primo ergo tangit hanc triplicem afflictionem. Secundo affligentium rebellionem: ibi, custodes murorum. Qui enim custodiunt muros: rebellant aduersariis.

De eodem, Sermo 7.

DIlectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus. Can. 5. Testatus est dæmon de Bartholomæo quod amicus Dei est: quia, candidus. secundum carnem: sed, rubicundus propter excoriationem. sed, electus ex millibus propter multiplicem gratiam quæ narratur in legenda sua. quare supra pag. c. 29.

De eodem, Sermo 8.

LAuabit in sanguine vuę pallium suum. Gen. 49 Signum est pręcipuę dilectionis vel eiusdem religionis quando duo homines similibus vestiuntur. Christus vero habuit indumentum rubeum tinctum sanguine suo: ideo propter amorem eius & similem religionem voluit Bartholomæus habere rubeum indumentum: ideo, lauit pallium suum, i.e. pellem suam, in sanguine vuæ, i. e. Christi qui fuit vua pressa in torculari crucis: vt verum sit de eo quod dixit Iacob de Christo in persona Iudæ.

Vbi notatur tria. fructus passionis: quia, lauabit. omnia enim lauantur in baptismo sanguinis. Intentio patientis: quia, in sanguine vuæ, i.e. in sanguine effuso pro Christo vera vua. Genus passibilitatis: quia, pallium suum. per quod signatur pellis quæ tegit exterius omnia membra: sicut pallium omnia vestimenta.

Epistola, Ephes. 2. Iam non estis ho. fin. in Spiritu S. Euangel. Ioh. 15. Hoc est præceptum. fin. in nomine meo det vobis.

In Festo beati Augustini, Sermo 1.

PErcussit petram & fluxerunt aquæ. Psal. Alia de causa percutit mater puerum: quia vt corrigat: sessor equum quia vt citius ire faciat: rusticus lupum: quia vt occidat. Sic alia & alia de causa percutit Deus peccantes: innocentes & impœnitentes. Peccantes percutit vt per pœnitentiam reuertantur secundum illud Deut. 22. Percutiam & ego sanabo. Innocentes vt per patientiam mereantur. Iob. 2. Percussit eum vlcere pessimo. Esa. 53. Nos putauimus eum quasi leprosum & percus. Impœnitentes vt propter cōtumaciam torqueantur. Prouerb. 19. Parata sunt derisoribus iudicia & mallei percutientes, &c. Primo modo percussit Deus Augustinum & reduxit ab errore: vt verum sit de eo quod hic dicitur, percussit.

Vbi notantur tria scil. duritia Augustini errantis: ibi, petram. clementia Christi reuocantis: ibi, percussit. efficacia reuocationis: ibi, & fluxerunt aquæ, sc. pœnitentiæ ipsum mundantis: sapientiæ ignaros potestatis: sanctæ vitæ clericos regulantis.

De eodem, Sermo 2.

QVasi stella matutina in medio nebulæ: & quasi luna plena in diebus suis: & quasi sol refulgens: sic iste effulsit in templo Dei. Eccl. 50. Sicut videmus in operibus naturalibus & etiam in artificialibus: ita & in moralibus quod imperfecta successiue exeunt ad perfectum. Non enim granum subito surgit in spicam: nec lapis subito formatur in imaginem: Sic nec homo repente fit summus: sed per triplicem gradum ascendens, scil. incipientium, proficientium, & perfectorum: de bono in melius variatur quod patuit in Augustino:

Qui ideo in verbo proposito luminari triplici

P compa-

comparatur. Stellæ quantum ad statum incipientium. Lunæ quantū ad statum proficientium. Soli quantum ad statum perfectorum. nec comparatur stellæ simpliciter: sed stellæ matutinæ, nec lunæ simpliciter: sed lunæ plenæ. nec soli simpliciter: sed soli refulgenti: in quo notatur eius elegantia in qualibet statu. Ergo stella fuit in primordio humiliter inter alios conuersando stella enim minor apparet quam sit. luna fuit in studio lumen sapientiæ à sole Christo recipiendo. sed sol in magisterio lumen doctrinæ diffundēdo. Primum specialiter commēdat vitam. secundum sapiētiam. tertium doctrinam. Vitam commendant tria. Puritas quia, stella. speciositas: quia, matutina. stabilitas: quia non deficiens in nebula. Similiter distingue de sapientia & doctrina eius sub nomine lunæ & solis.

De eodem, Sermo 3.

PRo puero isto oraui & dedit mihi Dominus petitionem meam quam postulaui eum. 1. Reg. 1.g. Quod fecit anniquitus Anna pro generatione filii naturalis: hoc fecit mater Aug. pro generatione filii spiritualis. Anna flebat & orabat vt Deus daret sibi filium: ista flebat & orabat vt Deus conuerteret sibi filium: & exaudita est oratio vtriusque. Vnde quidam Episcopus, impossibile est quod filius tantarum lachrymarum pereat: ideo gratias agens mater August. potuit dicere, pro puero isto oraui, &c.

Vbi circa eius orationem tangitur quadruplex causa: videlicet quia, pro isto. formalis quia, oraui, scil. cum lachrymis. finalis quia, dedit mihi Dominus pe. efficiens quia, postulaui eum.

De eodem, Sermo 4.

FIlii Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ. Ioel. 2. Solent gaudere religiosi quando sentiunt ingressum magni viri: sic & scholares quando audiunt aduentum boni magistri. Quia ergo futurus erat August. & speculum religionis & doctor veritatis: ideo hortatur Propheta filios ecclesiæ ad gaudendum de eius conuersione dicens, filii Sion, &c.

Vbi circa tantum Dei beneficium tangit tria. quia primo hortatur populum beneficiatum ad gaudendum: cum dicit, filii Sion, &c. Secundo describit beneficium in quo est gaudēdum: cum subdit, & lætamini in Domino: in quo potentia. Deo: in quo sapientia. vestro: in quo clementia. Tertio subdit beneficium de quo gaudendum: cum addit, quia dedit. Cuius beneficium attollunt tria. dantis nobilitas: ibi, dedit, scil. Dominus Deus. recipientis vtilitas: quia, vobis. doni preciositas: quia, doctorem iustitiæ.

De eodem, Sermo 5.

DEscendit hic iustificatus in domum suam. Luc. 18. Exigente peccati malitia infestat hominem triplex inordinatio contra quam necesse est triplex remedium adhibere. Deordinatur enim peccator à Deo per iniustitiam inobedientiæ. à seipso per repugnantiam virium animæ. à proximo per carentiam charitatis mutuæ: & sic deordinatus est à Deo in seipso & à proximo. Ideo triplici remedio opus habet, scil. conuersione ad Deum per obedientiam. humilitate ad seipsum per misericordiam. communicatione ad proximum per charitatem. Ab hoc triplici remedio commendatur Aug. Primum est conuersio vtilis: quia, iustificatus. Secundum est cōuersatio humilis: quia, descendit. Tertium est communicatio fidelis: quia, in domum suam, i. e. in ecclesiam per fidem & charitatem.

De eodem, Sermo 6.

ABraham magnus pater multitudinis: & non est inuentus similis illi in gloria qui conseruauit legem excelsi. Eccles. 44. Quadruplex genus hominum reperitur quorum quidam nec ædificant exemplo sanctitatis nec verbo veritatis: sicut infideles & multi mali christiani. de quibus Hierem. 8. Nemo quod bonum est loquitur: nemo est qui agat p:. Alii ædificant exemplo sanctitatis sed non verbo veritatis: sicut simplices iusti. de quibus Iob. 10. Oues meæ vocē meam. Tertii ædificant verbo veritatis sed non exemplo sanctitatis: sicut doctores mali in moribus: de quibus Math. 20. Qui dicunt facite, &c. Quarti ædificant & verbo veritatis & exemplo sanctitatis: sicut doctores sacri. de quibus Matt. 5. Vos estis lux mundi. Inter istos multum præcellens tempore suo fuit August. & quantum ad vitam cui attestatur institutio religionis. & quātum ad doctrinam cui attestatur defensio veritatis contra Fortunatum & alios hæreticos. & hoc est quod sub typo Abrahæ potest dici de ipso, Abraham, &c.

Vbi duo commendant ipsum Primum est institutio religionis vt sic ædificaret exemplo: & sic dicitur, magnus pater mul. Magnus quia præcellens perfectione sanctitatis, pater: quia primus institutione suæ religionis, multitudinis: quia fœcundus in multiplicatione prolis spiritualis. Secundum est defensio veritatis vt sic ædificaret verbo: & sic additur, quia non est inuen. si. Vbi primo commēdatur doctoris præcellentia: quia, non inuentus. si. Secundo doctrinæ efficacia: quia, conseruauit, i. e. simul corde, opere & ore seruauit legem excelsi, scil. contra hæreticos impugnantes.

De eodem, Sermo 7.

LEuauit Agar vocem suam & fleuit & exaudiuit Dominus vocem pueri. glo. matris pro puero. Genes. 21. In quolibet opere concurrunt quatur causæ vt patet in cypho argenteo: quæ notantur hic in petitione matris Augustin. quæ per Agar significatur & merito. Agar enim interpretatur conuertens & ipsa cōuertit filium suum ad Christum flendo & orando: vt verum sit de ea quod hic dicitur, leuauit, &c.

Vbi circa orationem eius tangitur primo causa efficiens: ibi, Agar. Secundo formalis: quia, leuauit vocem & fleuit. Tertio finalis: quia exaudiuit Dominus. Quarto materialis: quia, vocem pueri.

De eodem.

Quicunque hanc regulam sc. supra pag. 108. col. 2.

De eodem.

Vidi angelum fortem prædi. &c. supra pag. 109. col. 1.

Quære themata in conuersione Pauli. pagin. 122. In festo Ambrosii. supra pag. 134. Et in festo Gregorii. supra pag. 129.

Epistola, Eccles. 44. Ecce sacerd. fin. in odorem suauitatis. Euangel. Luc. 12. Sint lumbi vestri. fin. hominis veniet.

In decollatione beati Iohannis baptistæ, Sermo primus.

QVærunt extinguere lucernam meam. 2. Reg. 4. Sicut lucernam materialem quidam parant: quidam sequuntur: & alii extingunt. Parant sapientes: sequuntur viatores: sed extingunt fures ne videantur eorum opera mala. Sic lucernam spiritualem, scil. Iohannem baptistam. de quo Christus Ioh. 5. Ille erat lucerna ardens & lucens. parauit Deus: secundum illud Psal. Paraui lucernam Christo meo. Secutus est fidelis populus sed extinxit Herodes impius: filia postulante & matre instigãte: vt possit dicere Christus vel ecclesia, quærunt.

Vbi notantur tria Primo sollicitudo existens in voluntate: ibi, quærunt. Secundo operatio procedens ex sollicitudine: ibi, extinguere. Tertio ingratitudo apparens in operatione: ibi, lucernam meam. Magna ingratitudo: quia dirigebat eos. quærebant eum occidere & interfecerunt.

De eodem, Sermo 2.

ODio habuerunt corripientem in porta. Amos 5. Hominum quidam odiunt quod odiendum est: vt boni peccatum secundum illud Psal. Iniquitatem odio habui & ab. &c. Quidam diligunt quod diligendum est: vt boni bonum secundum illud Cant. 1. Oleum effusum nomen tuum ideo, &c. de his Psal Dilexisti iustitiam & odisti, &c. Tertii diligunt quod odiendum est: sicut mali peccatum. Ioh. 3. Dilexerunt homines tenebras, &c. Quarti odiunt quod diligendum est: sicut mali bonum secundum illud Psal. Retribuebant mihi mala pro bonis: & odium pro dilectione. De primis fuit Iohannes qui propter amorem iustitiæ arguebat peccatum Herodis. de aliis fuit Herodes & eius vxor qui Iohannem eos corripientem odio habuerunt: vt in illis verificetur quod hic dicitur, odio, &c.

Vbi notatur primo malum ingratitudinis in Herode & eius familia: quia, odio habuerunt. Secundo bonum æmulationis in Iohanne baptista: quia, corripientem in por. vbi commendatur eius audacia: quia in aperto corripiebat.

De eodem, Sermo 3.

NVnquid scitis quod miserit filius homicidæ vt præscindatur caput meũ. 4. Reg. 6. Verba sunt Helisæi de rege Israel: sed verius possunt esse verba baptistæ de rege Herode. Tria admirantur multi contingentia in hoc mundo non in alio. Inconsiderationem multorum: præsumptionem malorum: oppressionem bonorum. Abac. 1. Quare taces conculcante impio iustiorem se. Esa. 57. Iustus perit & non est qui recogitet in corde suo.

Hæc tria potest admirari baptista inconsiderationem multorum propter quod dicit, nunquid scitis. præsumptionem malorum: propter quod subdit, quod miserit filius ho. oppressionem bonorũ: propter quod addit, vt præscindatur caput meum. Ergo primo excitat attentionem populi dicens, nunquid scitis. Secundo recitat seriem rei subdens, quod miserit filius ho. Tertio explicat speciem martyrii addens, vt præscidãtur caput. In primo arguitur negligentia hominis. In secundo nequitia Herodis. In tertio patientia Iohannis.

De eodem, Sermo 4.

MAle tractauerunt eum qui à ventre matris suæ consecratus est Propheta. Eccles. 49. Tria sunt quæ mirabiliter magnificant & commendant hominem. Patientia in sustinendo, innocentia in viuendo, sapientia in cognoscendo. vt sit perfectus in irascibili per patientiam. in cõcupiscibili per innocentiam. in rationabili per sapientiam.

Ab his tribus commendatur hic baptista ad quod ostendendum ponitur primo materia patientiæ: quia male tractauerunt. scil. decollando, incarcerando. Secundo causa innocentiæ: quia, à ventre matris. Tertio donum sapientiæ: quia, Propheta. Innocentiam commendant duo scil. sanctificationis talis priuilegium: quia, à ventre matris. sanctitatis tantę beneficium: quia, consecratus est.

De eodem, Sermo 5.

COngere ossa quæ igne succendam. Ezech. 24. Sicut narrat ecclesiastica historia cum ad venerabile sepulchrum baptistę multa fierent miracula quidam pagani inuidentes ossa eius tempore Iuliani Apostatæ extraxerunt & sparserunt & postmodum colligi fecerunt & combusserunt. Vnde quidam in signum huius in die natiuitatis suæ colligunt ossa & comburunt: vnde potuit dicere gentilium turba satelliti suo, congere ossa, &c.

Vnde ostendit malitiam suam in duobus, scil. quod intendit adnihilare memoriam sancti & generaliter vnde dicit, congere oss. & irreparabiliter vnde subdit, quæ igne succendam. quod enim aqua mergitur vel terra absconditur potest recuperari: sed non sic quod igne comburitur.

De eodem, Sermo 6.

ILlum oportet crescere: me autem minui. Ioh. 3. Tunc est verbum veritatis vtile & audiendum quando dicitur ad laudem Dei: vel ad dicentis vtilitatem vel ad audiẽtis ædificationem. Ista vero tria concurrunt in verbo proposito.

Vbi Ioh, confitetur duplicem veritatem. Primo de Christo: quia, illum oportet cre. Secundo de seipso, me autem mi. in hoc proficit proximo qui hoc credit. Creuit autem Christus & quo ad opinionem hominum: quia primo Iohannes putabatur Christus & Christus Propheta, sed postmodum visis miraculis Iohannes creditus est propheta: & Christus Christus. Et quo ad passionis modum: quia Christus exaltatus in cruce: Iohannes decollatus in carcere. Et quo ad baptismi tempus & fructum: quia in baptismo Iohannis non conferebatur gratia & cito cessauit: sed in baptismo Christi conferebatur gratia & vsque in finem durabit. Circa veritatem de Christo implicat tria. Personam: ibi, illum. famam: ibi, crescere. causam: ibi, oportet. Vel alio modo holocaustum imolandũ: ibi, illum. imolandi modum: ibi; crescere. immolationis fructum: ibi, oportet. oportuit enim Christum pati. Similiter potest distingui secundum vt sc. primo notetur persona Iohannis: ibi, me. Secundo modus mortis: quia minui.

Quære themata in alio festo supra pag. 149.

De eodem, Sermo 7.

IVstus de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo. Prouer. 11. Narrat Iosephus quod parum post decollationem baptistæ exercitus regis Aretæ Herodem regno priuauit: captum ligauit: & postmodum Deus eum tormentis æternis damnauit. Sed Deus econtra Iohannem in cœlo hæreditauit & ab omni pœna liberauit. Quære diuisionem supra folio. 144. col. 2.

De eodem.

De carcere catenisque interdum quis egre. pag. 126. col. 1.

Epistola, Prou. 10. Expectatio iustorum. fin. exaltabitur ciuitas. Euang. Matth. 7. Misit Herodes. fin. in momento.

In natiuitate beatæ Mariæ virginis, Sermo primus.

PRotulit terra herbam virentem & facientem semen iuxta genus suum. Gen. 1. Inter cætera terræ nascentia: illud quod præcipue terram decorat, oculos delectat, animantia sustentat: est herba virens & fructificans: sicut patet in virore & fructum segetum. Sicut inter cætera rationabilia illud quod præcipue mundum decorat: iustos delectat: vitá granæ sustentat est virgo cum fructu suo: vt sub similitudine verificetur verbũ propositum de virginis natiuitate, protulit terra, i.e. natura humana. herbam virentem, id est virginem Mariam, &c.

In quo notantur tria. Mariæ iucunda natiuitas: quia, protulit terra her. Nata grata virginitas: quia, virentem. Virginis mira fœcunditas: quia, facientem semen iuxta genus suum, quia iuxta veritatem generis. Veram enim naturam assumpsit Christus de ea. & præter genus: quia præter operationem generis: quia non ex virili semine. & supra genus: quia non exigentibus meritis generis. & propter genus: quia ad salutem generis.

Si quis voluerit prædicare de exaltatione crucis simul cum natiuitate virginis addat dicto themati quod sequitur: ibi, & lignum faciens fructum. ita quod Primo notetur natiuitas virginis. Secundo exaltatio crucis. Vbi tangit circa crucem Primo materiam: quia, lignum. Secundo efficaciam: quia, faciens fructum.

De eodem, Sermo 2.

AVro locus est in quo conflatur Iob. 28. Sicut aurifaber volens facere vas aliquod pulchrum & nobile Primo ædificat, fabricat & eligit locum ad hoc idoneum deinde ponit ibi aurum & accenso igne format vas suum: Sic fabricator omnium volens facere vas admirabile opus inauditum quia non fuit tale opus in vniuersis regnis, scil. filium suum hominem: ædificauit fabricam elegit locum ad hoc præ cæteris idoneum. scil. vterum virginalem: & hoc in virginis natiuitate. deinde posuit aurum in filii conceptione: & sic operatione Spiritus S. conflauit, i.e. cõformauit diuini amoris igne vt sub ista metaphora & natiuitas virginis & fœcunditas demonstretur in verbis propositis.

In quibus tria notantur Primo natiuitas Dominæ idoneæ ad conceptionem filii: quod notatur in, loco. Secundo excellens dignitas filii cõcipiendi: quod notatur in, auro. Tertio euidens potestas operationis Spiritus sancti quod notatur in conflatione. & sic vel de natiuitate Mariæ vel de conceptione Christi possunt exponi.

De eodem, Sermo 3.

VAs admirabile opus excelsi. Eccl. 43. Quando pater genuit multos filios & vnus præ cæteris est ei similis in figura & moribus: dicitur hic est vere filius eius. Sic & quando artifex formauit multa vasa & in vno præ cæteris apparet subtilitas eius: dicitur hoc est de opere eius. Ita quia in beata virgine ostendit Deus præ cæteris puris creaturis suam potentiam, sapientiam, & bonitatem. Potentiam in capacitate: quia quem totus non capit orbis in se continuit: Sapientiam in speciositate: quia virgo post partum permansit. Bonitatem in preciositate: quia cibum gloriæ nobis ministrauit merito dicitur, vas admirabile opus excelsi.

Vbi circa natiuitatem eius possumus tria commendabilia videre. Primo nostræ vtilitatis euidentiam: quia, vas. Vas enim ordinatur ad ministerium: & ipsa nobis ministrauit cibum angelorum. Baruch. 6. In vase vtili gloriabitur qui fecit illud. Secundo suæ dignitatis eminentiam: quia, admirabile. quippe quia nunquam fuit tale. Tertio summi artificis efficaciam: quia, opus excelsi. quia homo natus est in ea & ipse fundauit eam altissimus.

De eodem, Sermo 4.

FOns ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ. Gen. 2. Circa principium creationis rerum non existentibus pluuiis nec agricultura hominum ascendebat fons de terra terram irrigans vniuersam. Sic circa principium recreationis hominum deficientibus meritis & virtute ad habendum regnum ascendit fons de terra, i.e. nata est virgo Maria: cuius riuulus, i.e. filius terram irrigauit vniuersam: vt iam omnes possint fructificare in gloriam: quia dat aquas salientes in vitam æternam.

Metaphorice ergo in verbis propositis circa natiuitatem virginis notantur quatuor. Imitabilis nascentis virtus: quia, fons. Fons enim de terra nascitur: & tamen terræ conditiones non sequitur: quia cum terra vilitatem, opacitatem, ponderositatem habeat: fons econtra habet puritatem: claritatem: agilitatem. Sic virgo nata de massa corruptionis non tenuit conditiones corruptionis: sed habuit puritatem mentis, agilitatem boni operis, claritatem conuersationis. Admirabilis nascendi modus: quia, ascendit. natiuitas nostra descensus est. quia omnes nascimur filii iræ: illa autem prius sancta quam nata. Commune nascentium genus: quia, de terra, i.e. de natura humana. Spiritualis natiuitatis fructus: quia, irrigans vni. sc. riuulo suæ emanationis. exemplo suæ conuersationis. suffragio suæ intercessionis.

De eodem, Sermo 5.

ORietur stella ex Iacob. Num. 24. Cupientes aliquẽ excellẽter cõmendare nõ tantũ verbis

bis simplicibus: sed rerum similitudinibus vtimur vt de aliquo multum largo dicimus quod est quidam Alex. de alio multum benigno quod est Agnus Dei. Sic quia excellentiam beatæ virginis verbis simplicibus exprimere non possumus: ideo eam rebus nobilibus comparamus: quinque artificialibus. vnde nunc Archæ: nunc tabernaculo: nunc domui: nunc ferculo: nunc turri: nunc castello comparamus. quinq; naturalibus & inferioribus: vt nunc herbam nunc fontem: nunc terram: nunc nubem eam dicimus. Et superioribus: vnde nunc comparatur auroræ: nunc lunæ: nunc luci: nunc stellæ. Vnde & antiquitus Balaam prædicens eius natiuitatem sub nomine stellæ ait, orietur stel. &c.

Vbi prædicatur eius natiuitas sub triplici cõditione, scil. quia famosa & vera ostenditur ex prophetia quæ dicit, orietur. Fructuosa & pura ex influentia: quia, stella. Generosa & alta ex Genealogia: quia, ex Iacob. In primo prædicatur virginis natiuitas: quia, orietur. In secundo nascentis puritas: quia, stella. In tertio generis dignitas: quia ex Iacob Patriarcha.

De eodem, Sermo 6.

EGredietur virga de radice Iessæ: & flos de radice eius ascendet. Esa. 11. a. Quia omnes transferentes secundum similitudinem transferunt: Ideo Esa. loquens de generatione virginis translatiue vsus est congrua similitudine: scil. radicis, virgæ, & floris. vt radix sit pater virginis virga Dei genitrix virgo: flos filius eius. Laudabilis generatio ex radice: quia radix regia. Fuit enim Iesse pater Dauid regis. Magis ex virga: quia virgo intacta. Maxime ex flore: quia præ aliis speciosus forma. Ergo secundum Origenem. comparantur hic tres personæ tribus. Quia comparatur Iesse radici terræ inherenti propter culpam originalis corruptionis. virgo virgæ de radice egredienti propter gratiam puritatis. Christus flori ascendenti propter prærogatiuam conceptionis.

Secundum hoc in verbis propositis notatur duplex solennitas. Prima natiuitas virginis in egressu virgo. Secundo conceptio saluatoris, scil. in ascensu floris. Et sic commendatur duplex generatio virginis. actiua, scil. & passiua. Circa natiuitatem virginis notantur tria. puritas natiuitatis: ibi, egredietur, scil. de radice conditiones radicis non habens: vtpote recta sine tortuositate originalis. sursum tendens sine pronitate ad descensum criminis. pulchra sine deformitate repugnantis sensualitatis. Sanctitas innocentiæ: ibi, virga. nobilitas generis: quia, de radice Iesse. Circa conceptionem filii notantur tria in Christo. scil. veritas naturæ, in radice. puritas gratiæ in flore. nouitas Genealogiæ in, ascensione. quia non secundum rationem seminalem conceptus est de virgine.

De eodem, Sermo 7.

SApientia ædificauit sibi domum excidit columnas 7. Prouerb. 9. Sicut sapiens artifex volens de nouo alicubi habitare in silua elegit lignum operi suo cõgruum & facit inde domum. Sic omniũ artifex Dei filius nouo modo volens in hoc mundo habitare: in silua huius mundi elegit lignum operi suo congruentissimum, scil. virginis vterum de quo fecit sibi domum. hoc attendens sapiens ait, sapientia.

Ergo domus ædificium designat virginis ortum qui hic proponitur tanquam nobilis ex actore: quia, sapientia, i.e. Dei filius, ædificauit: tanquam vtilis ex fine: quia, sibi, i.e. suæ habitationi, domum. tanquam venerabilis ex materia: quia, ex columnis, i.e. patribus sanctis. tanquam imitabilis ex forma quod notatur in excisione. Excisa enim fiunt ab omni deformitate & polita omni virtute. Primum commendat natiuitatem. Secundum filiĩ conceptionem. Tertium parentelam. Quartum sanctitatem.

De eodem, Sermo 8.

FEcit beseleel archam de lignis Sethim & vestiuit eam auro purissimo intus ac foris & fecit ei coronam auream per girum. Exod. 37. Ad reponenda sanctorum corpora solent archæ fieri deauratæ venerationi sanctorum debite competentes. Ideo ad reponendum corpus Christi sanctissimum viuum non mortuum debuit archa artificiosius fieri & melius deaurari. huiusmodi archa virgo Maria: fabrica arcæ natiuitas Mariæ.

Vbi commendatur ex quatuor. ex actore: quia, beseleel qui interpretatur Dei misericordia. per quem Spiritus S. ex fine quia, archam. Archa dicitur eo quod arcanum aliquod imponi debeat. ex materia: quia, de lignis sethim. quæ sunt imputribilia. albæ spinæ similia incremabilia. leuia & significant beatæ virginis membra. ex forma: quia, vestiuit eam auro, &c. In quo notantur duo. virginitas incorrupta: & hoc in auro purissimo ratione incorruptionis præciositatis & claritatis. fecunditas inaudita: & hoc in corona aurea quæ est signum quod futura erat mater regis. Vel in vestitu aureo intus & foris notatur copiositas gratiæ. In corona aurea dignitas gloriæ vt primum tangat festũ natiuitatis. secũdum annunciationis. tertium gratiam conceptionis, quartum gloriam assumptionis.

De eodem, Sermo 9.

IVdæis noua lux oriri visa est gaudium honor & tripudium. Hester. 8. In natura elementari quam præ cæteris experimur iuxta numerũ quatuor elementorum: quatuor pulchra & delectabilia reperimus: videlicet ex aqua fontium emanationem: ex terra herbarum florentium productionem: in aere luminarium irradiationem: in igne lucis effusionem. Ideo nitens exprimere aliquid de delectabili pulchritudine virginia cõparamus eam modo fonti, modo flori, modo cuilibet luminari, modo luci. vt habet.

Vbi sub ortu nouæ lucis significatur ortus beatæ virginis. Et notantur tria. Expediens virginis natiuitas: quia, Iudæis oriri visa. qui, scil. tunc liberati fuerunt ex magna miseria. Excellens nascentis sanctitas: quia, lux noua. quia sine omni peccato & pronitate ad peccatũ nata est. Ingens natiuitatis vtilitas: quia, gaudium ho. & tri. Gaudium expectantibus in limbo propter propinquam carceris euasionem: honor pugnantibus in hoc mundo propter facilem hostis deiectionem: tripudium regnantibus in cœlo propter reparationem ruinæ. Hæc est lux quam fecit oriri Dominus secundum illud Eccles. 24. Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens.

Vbi commendatur eius ortus ab opifice qui

fecit: quia, ego, scil. sapientia. & ab opere quod fecit: quia, lumen indeficiens. In opifice commendatur sapientia: quia, ego. virtus: quia, in cœlis. & operatio: quia, feci. In opere commendatur natiuitas virginis: quia, vt orietur. sanctitas nascentis: quia, lumen. vtilitas natiuitatis: quia, indeficiens: nec enim in se nec aliis deficit.

De eodem, Sermo 10.

O Quam pulchra est casta generatio cum claritate. Sap. 4. Exigente culpa primorum parentum natiuitas siue generatio nostra triplex incommodum patitur. Deformitatem quia culpæ obnoxia. Fœditatem: quia concupiscentia fomitis inflammata. Obscuritatem: quia lumen iustitiæ & gratiæ inexperta. Sed econtra beata virgo antequam nasceretur ex vtero fuit sanctificata: à concupiscentia refrigerata: luce gratiæ illustrata. ideo hoc attendens fidelis quilibet exclamare debet, ô quam pulchra est, &c.

Vbi commendatur virgo nascens ex triplici debito ordine, scil. ad Deum: quia, pulchra. ad seipsam: quia, casta. ad proximum: quia, clara. Eius enim claritas diffusa est ad illuminationem totius vniuersi: secundum illud Eccles. 26. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei: sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.

Vbi Spiritus sanctus Primo exponit ortum virginis. Secundo præconium orientis: ibi, sic mulieris, &c. Primũ commendat à tribus. A peccati immunitate ex parte mentis: quia, sol. A generis nobilitate ex parte carnis: quia, in altissimis. A consequente vtilitate ex parte humani generis: quia, mundo oriens. De his tribus Matt. 1. Liber generationis Iesu Christi. Præconium virginis surgit ex tribus. Ex suffragio intercessionis: ideo dicitur, mulier. quasi molliens erum. i. e. Christum. Ex merito operationis: ideo dicitur, bona. Ex honestate conuersationis: ideo dicitur, speciosa. Primum est nobis in patrocinium. secũdum in exemplum. tertium in ornamentum.

De eadem.

Ecce nubecula parua ascendebat, &c. pagin. 161. col. 1.

Epistola Eccles. 24. Ego quasi vitis. fin. vitam æternam habebunt. Euang. Matth. 1. Liber generationis. fin. Iesus qui vocatur Christus.

In exaltatione sanctæ Crucis, Sermo primus.

EXaltaui lignum humile. Ezech. 17. Sicut dicitur Sap. 11. Omnia disposuit Deus in numero, pondere, & mensura. In numero vt nihil esset confusum: in mensura vt nihil esset superfluum vel diminutum: in pondere vt nihil inordinatum: vt sic omnia essent distincta numero, limitata mensura, ordinata pondere. Duplex autem põdus inuenitur in rebus. Leuitas per quam quædam naturaliter ascendunt: vt patet in igne. Grauitas per quam naturaliter descendunt: vt patet in terra.

Sic est in moralibus. humilitas ergo quia nihil reputat de se naturæ leuis est: ideo meretur ascendere. Quia ergo lignum crucis humiliatum fuit quando factum est patibulum, saltem secundum iudicium hominem: ideo postmodum exaltatum est in conspectu hominum quando ad aspectum crucis & victoriæ sunt obtentæ & miracula perpetrata præstante crucifixo quæ vere potuit dicere hodie, exaltaui lignum humile.

Vbi notantur tria. Crucis materia naturalis: quia, lignum. forma artificialis: quia, humile. efficacia mirabilis ideo, exaltata. Ergo homo qui comparatur ligno si vult exaltari in patria; humilietur in via.

De eodem, Sermo 2.

LEuabit signum in nationes & congregabit profugos Israel: & dispersos Iuda colliget. Esa. 11. Leuare solent quatuor genera hominum 4. videlicet pauperes vocem ad ostium diuitis vt eleemosynam impetrent. Gen. 21. Leuauit Agar vocem & fleuit. aqua; scil. deficiente in deserto. Viatores oculos vt viam considerent. Sic sapientes oculos interiores vt statum considerent. Hierem. 2. Leua oculos tuos in directum & vide vbi, &c. Natantes caput vt sine submersione natent: Sic sapientes corda temporalibus vt Deo liberius inhæreant. Thren. 3. Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlum. Nobiles vexillum vt exercitum congregent & hostes vincant. Hierem. 6. Leuate vexillum, &c. Sicut christianis in persecutione cosdroe æ positis ad Deum leuantibus vocem leuauit Dominus signum crucis: cuius virtute victoriam obtinuerunt & etiam hostes ad fidem conuersi sunt: vt verum sit de Christo quod prædixit Esa. leuabit, &c.

Vbi notatur primo exaltatio crucis: quia, leuabit, &c. Secundo vtilitas exaltationis: quia, congregabit. In primo Christi potentia. In secundo eius misericordia demonstratur. Exaltauit autem crucem veraciter; quia, leuauit. euidenter: quia, signum. communiter: quia; in nationes. & christianorum & barbarorum. Vtilitas appa et in duobus. In conuersione Infidelium: & sic congregauit, scil. ad fidem, profugos Israel, i. e. infideles qui fugiunt visionem Dei. In reuocatione fidelium vel glorificatione, & sic collegit dispersos Iuda. qui propter persecutionem cosdroe fugerant.

De eodem, Sermo 3.

DEdisti metuentibus te significationem vt fugiant à facie arcus: vt liberentur dilecti tui. Psalm. 59. Ad oculum videmus quatuor quæ dona magnificant & exaltant. Dantis nobilitas. ideo Haman Hest. 5. dixit. Regina nullum alium vocauit ad concu. præter me. Doni preciositas. Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum vt. Necessitas receptionis. Matth. 25. Esuriui & dedistis. Vtilitas recipientis. Psalm. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Ista quatuor concurrerunt in beneficio exhibito Heraclio & aliis christianis virtute crucis. ideo gratias agens Deo ecclesia dicit, dedisti, &c.

Vbi notantur dicta quatuor. Primo dantis nobilitas: quia, dat. potenter quod notatur in supposito verbi. liberaliter: ibi, dedisti. sapienter: ibi, metuentibus te. Secundo doni preciositas: quia, significationem. glo. vexillum crucis. necessitas receptionis: quia, vt fugiant: sibi cauendo, à facie arcus, i. e. persecutionis cosdroe. Vtilitas recipientis: quia, vt liberentur dilecti tui. quod factum est habita victoria virtute crucis. & porta Hierusalem clausa & aperta: & infirmis sanatis.

De eo-

Sermo 4. De Eodem.

VIdit Iacob scalam super terram stantem & cacumen illius tangens cælum: angelosque ascendentes & descendentes per eam & Dominum innixum scalæ. Genes. 28. Sicut res furata quãdoq; cum fure suspenditur: secundum illud Sap. 14. & 2. quod factum est cum illo qui fecit tormenta patietur. Sic quãdoq; equus vel ensis in quo miles multas obtinuit victorias cum milite exaltatur. Sic Dauid exaltauit gladium quo amputauit caput Goliæ. Quia ergo Christus victoriam obtinuit in cruce: ideo debuit crucem exaltare quod & fecit hodie: sicut ostendit Heraclii victoria: ianuæ clausura: & infirmorum medela virtute crucis quam vidit Heraclius & etiam alii sursum in aere quantum ad lignum: & etiam inter manus in terra: quantum ad lignum: verum fit de eo quod antiquitus dictum est, quia vidit ia.

Vbi tangit crucis apparitionem: quia, vidit scalam. exaltationem: quia, stantem super ter. conditionem: quia, cacumen &c. Vtilitatem quia, angelos ascen. & descen. Dignitatem: quia, Dominum innixum scalæ.

Sermo 5. De Eodem.

VIrga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Psalm. 22. Valde bona consolatio esset captiuo vel incarcerato si princeps ostenderet ei signa amoris ex quibus haberet spem liberationis. Inter cætera signa amoris quæ ostendit nobis Deus duo fuerunt præcipua. Vnom incarnatio quando humanitatem suæ diuinitati vniuit in vna persona. Aliud passio quando pro nobis sustinuit tam dura supplicia: ideo hæc considerans fidelis quisque dicere potest, virga tua &c.

Vbi implicans duplicem solennitatem cum fructu sequente tangit tria. Priuilegium virginis in virga. Esa. 11. Egredietur virga &c. Ministerium crucis in baculo. Gen. 32. In baculo meo transiui Ior. Commodum sequens ea his in consolatione. Psalm. Secundum multitudinem dolorum.

In Eadem.

Benedictum lignum &c. pag. 143. col. 1.

Epistola Philip. 2. Christus factus est-s. in gloria Dei patris. Euangel. Ioh. 12. Nunc iudicium est mundi. finis. filii lucis sitis.

De beato Matthæo Apostolo & Euangelista, Sermo primus.

SI quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam introibo ad illum: & cænabo cum illo & ipse mecum. Apocal. 3. Valde magna apparet misericordia Dei erga hominem & plusquam erga angelum: quia & peccantem reuocat. exemplum in Paulo Actor. 9. Audiuit vocem &c. & pœnitentem acceptat. exemplum in Magdalena. Luc. 7. & perseuerantem glorificat. exemplũ in latrone Luc. 23. Istud triplex beneficium misericordiæ exhibuit Christus beato Matthæo. nam peccantem vocauit. Matth. 9. & Luc. 5. Pœnitentem acceptauit: perseuerantem glorificauit: secundum quod hic dicitur.

Vbi notantur tria dicta. Primo Matthæi vocatio: ibi, si quis audierit vocem. Vocati acceptatio: ibi, introibo &c. Acceptati glorificatio: ibi, & ipse mecum. Bona vocatio, melior acceptatio, optima glorificatio. Circa vocationem Domini cui debemus obedire tangit quatuor. Obedientium paucitatem: cum dicit, quis. Obediendi libertatem: cũ dicit, si audierit. Obedientiæ necessitatem: cum addit, vocem meam. Obeditionis modum siue formam: cum subdit, & aperuerit. Circa acceptionem tanguntur duo. Gratiæ infusio: cum dicit, introibo ad illum: Non enim intrat per præsentiæ essentiam qui vbique est: sed per infusionem gratiæ. Operis boni continuatio: cum addit, & cænabo cum illo. Hic est enim cibus Dei vt faciamus eius voluntatem.

Sermo 2. De Eodem.

ANte faciem hominis similitudo alterius hominis. Eccl. 34. Similitudo quatuor animalium antiquitus in veteri lege apparuit Ezechieli: & in noua lege Euangelistæ Iohanni. cuius visionis mysterium in quatuor Euangelistis est impletum. Quatuor enim facies apparebant. hominis, bouis, leonis, & aquilæ. Prima attribuitur Matthæo: eo quod insistat humanitati Christi. vnde incepit Euangelium. Liber generationis Iesu Christi filii Dauid. Secunda Lucæ qui passioni. Tertia Marco qui resurrectioni. Quarta Iohanni qui ascensioni. Similitudo vero hominis. id est Christi in medio quatuor animalium: a cuius dextera ante faciem describitur Matthæus sub similitudine hominis: vt verum sit de Matthæo quod hic dicitur, quia ante faciem hominis. id est, Christi. similitudo alterius hominis id est Matthæi.

Vbi Matthæus attollitur a tribus. A sublimitate positionis: quia, ante faciem hominis. id est Christi. Ab antiquitate visionis: quia, similitudo. nondum enim erat res nec diu postea fuit. A dignitate conditionis: quia, alterius hominis. Inter figuras quippe animalium figura hominis est dignior.

Sermo 3. De Eodem.

NOn sicut delictum: ita & donum. Rom. 5. Antiquitus ait Psal. Domine Mirabilia opera tua. Vere mirabilia opera Dei qui & de suspenso latrone fecit cælicolam primum. Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiso. & de persecutore præcipuum doctorem. Actor. 9. Vas electionis mihi est iste. & de piscatore summum pontificem. Matth. 16. Et ego dico tibi quia tu es Petrus &c. & de teloneario primum Euangelistã. Matt. 9. vt multo magis sit donũ diuinum quam delictum humanum. secundum quod hic dicitur quia non sicut delictum ita & donum, immo donum maius: quod specialiter potest exponi de Matthæo & ratione nominis & ratione conuersionis: quia per donum gratiæ conuersus est a delicto.

Vbi notatur triplex status Matthæi scil. Culpæ præcedentis, in delicto. gratiæ præsentis, in dono. excellentię sequentis in præeminentia: quia, non sicut immo maius donum: quia non solum ad expellendum peccatum: sed etiam ad exercendum officium Apostolicum.

Sermo 4. De Eodem.

DEus Deorum Dominus locutus est & vocauit terram. Psal. 49. Omnes homines conueniunt in materia ex parte corporis: quia omnes homines de terra: sed differunt in fine ex parte intentionis: quia insti cælestibus vacant, mali terrenis inhiant: ideo Psal. in persona bonorum ait. Ad te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis. Sed de malis ait idem. Oculos suos statuerunt declinare in terrā. hinc est quod boni cælo: mali terræ comparantur. Matthæus ergo qui terrenis inhiabat lucris: merito dicitur terra. quem Dominus alloquens ad suum collegium vocauit vt de his verificetur quod hic dicitur, Deus Deorum &c.

Vbi circa conuersionem Matthæi notantur tria. Conuertentis potestas: quia, Deus Deorum lo. Conuertendi curialitas: quia, vocauit. Conuersionis necessitas: quia, terram. Domino loquenti debemus reuerentiam. vocanti obedientiam. terram vocanti gratiarum actionem. Circa primum notantur duo. Maiestas diuinitatis: quia, Deus Deorum Dominus. veritas humanitatis: quia, locutus est.

Sermo 5. De Eodem.

NOlo mortem peccatoris: sed vt conuertatur & viuat. Ezech. 18. Murmurantes Pharisæi quærebant à discipulis Christi: quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester. Quod audiens Iesus respondit: quia non est opus valentibus medicū: sed male habentibus. non enim veni vocare iustos: sed peccatores ad pœnitentiam. cuius rationem antiquitus ostendit dicens, nolo mortem &c. quære supra pagina 111. col. 2.

De Eodem, Sermo 6.

EPulari & gaudere oportebat: quia frater tuus mortuus fuerat & reuixit: perierat & inuentus est. Luc. 15. Non est culpandus sed laudandus artifex si officium perficit & maxime quando facit libenter, sapienter, & potenter. Quia ergo officium medici est inter infirmos cōuersari: & Christus mederi peccatoribus venerat laudandus erat quia cū peccatorib. conuersabatur immo cum infirmis quos sanabat epulari & gaudere debebat: quod fecit quando Matthæum conuertit: quia non obstante Pharisæorum murmure cum eo manducauit. Vnde mysticè impleta est parabola de filio prodigo: vt intelligatur per patrem filium recipientem Christus. Pharisæi per filium seniorem indignantem. Matthæus per filium prodigum redeuntem: vt sic dicat Christus de Mathæo, epulari &c.

Vbi notantur tria. saluatoris clementia, clementis potentia, potentis sapientia. Clementis est gaudere: potentis resuscitare: sapientis inuenire. Notatur ergo Christi clementia cum dicit, epulari & gau. Potentia cum dicit, quia frater tuus mor. fu. & re. Sapientia cum dicit, perierat & inuen. Fœlix pœnitentia quæ lætificat mæstum: viuificat mortuum: recuperat perditum. Nam peccator est mæstus propter pœnā sensus: mortuus propter pœnam damni: perditus propter vtrumque. Circa primum notatur & gaudii multiplicitas: quia, epulari: quoad corpus, & gaudere: quo ad animam. & gaudii veritas quia, oportebat. Circa secundum de quo, scilicet gaudendum est notantur tria. Similitudo naturæ: quia, frater tuus. Præteritio culpæ: quia, mortuus fu. & recuperatio gratiæ: quia, reuixit. Similiter distingue tertium.

Sermo 7. De Eodem.

HIerusalem Euangelistam dabo. Esa. 41. Cum enim nobilius sit dare quam accipere: qui plus dat & minus accipit nobilior est. quod legimus secundum triplicem gradum fieri. Nam saluator nobis dat sapientiam & non accipit: sicut sol lumen. Iacob. 1. omne datum optimum &c. Prædicator dat & accipit: sicut luna. Matth. 10. Gratis accepistis: gratis date. Auditor simplex non dat: sed accipit sicut aer. Prou. 9. Doce iustum & festinabit accipere: ideo iustus auditor est nobilis Doctor nobilior: sed Deus nobilissimus qui dedit nobis doctores: inter quos dedit nobis Matthæum in Euangelistam: vnde & Donatus interpretatur vt & iuxta proprietatem rei & nominis dicat Christus de Matthæo, Hierusalem Euangelistam dabo.

Vbi apparent tria. Clementia magistri Christi. scilicet qui dicit, dabo. Sapientia ministri. sc. Matthæi. de quo dicit euangelistam. Vtilitas populi. sc. Christiani de quo dicit, Hierusalem. quæ interpretatur visio pacis: & hic est populus qui videt per fidem pacis principem. s. Christum.

De Eodem.

Vidi alterum angelum volantem. pag. 136. col. 2.

De Eodem.

Filii Syon exultate & lætamini &c. pag. 168. col. 1.

De Eodem.

Aufer rubiginem de argento &c. pag. 122. colum. 1.

Epistola Ephes. 4. Vnicuique vestrum &c. s. plenitudinis Christi. Euang. Matth. 9. Cum transiret Iesus. usque, sed peccatores.

De sancto Mauritio ac sociis eius, Sermo primus.

NVmerabo vos in gladio & omnes in cæde corruetis. Esa. 55. Excogitata patet tyranni malitia si consideretur modus martyrii Thebeæ legionis. Nam tyrannus primo fecit Christi milites numerari: ita quod decimus necabatur: vt sic alii territi fidem Christi negarent, iussi sunt omnes interfici. Vnde tyrannus impleuit hodie in electis verbum quod comminatus est antiquitus implere Dominus in reprobis: vt posset tyrannus dicere Mauritio & sociis eius, numerabo &c.

Vbi notantur duo. Primo passionis initium in numeratione. Secundo complementum in communi cæde. In primo astutia. In secundo immisericordia patet tyranni. In primo implicantur duo. Modus torquendi: quia, numerabo vos. genus tormenti: quia, in gladio. sic Christus in præmio. Apo. 5. Donec impleatur numerus &c. Psalm. qui numerat multitudinem stellarum. In secundo similiter notantur duo. Modus torquendi:

quendi: quia, omnes correctis. genus torquendi: quia, in cęde.

Sermo 2. De Eodem.

INferte omnem decimam in horreum meum. Mal. 3. In eodem agro similiter crescit triticū & lolium: sed tempore messis separatur vnum ab alio. Lolium vero igne comburitur: triticum in horreo reponitur iuxta doctrinā Domini. Matt. 13. Ager est mundus. lolium mali. triticum boni qui simul viuunt in hoc mundo. messis est cōsummatio. angeli messores. In consummatione ergo. id est in fine & vitæ & mundi separabunt angeli malos à bonis: ita quod mali efferentur in infernum: boni vero inferentur in cælum. Sicut triticum excussa flagello palea in horreum: & sicut triticum primo decimatur, decima Deo redditur. Sic milites isti primo decimati fuerunt & Deo per martyrium oblati; vt vere dixerit Deus de suis martyribus angelis suis, inferte decimam &c. & non solum decimam: sed & totum residuum tanquam largus agricola obtulit patri filius.

In quibus verbis notantur tria circa beatitudinem sanctorum. Curialitas beatificantis, cum dicit ministris suis, inferte, id est intus ferte. Populus beatificabilis: cum subdit, decimam. Beatitudinis locus: cum addit, in horrea mea. In Domino liberalitas: in populo dignitas: in loco securitas implicatur. Fœlix qui subest tali Domino, regnat cum tali populo, habitat in tali loco.

Sermo 3. De Eodem.

CIrcumdabo domum meam ex his quæ militant mihi euntes & reuertentes: & nō transibit vltra super eos exactor. Zach. 9. Secundum quod dicitur Iob. 7. Militia est vita hominis super terram. Sed hominum quidā militant mundo: vt nobiles & magni viri. de quibus Lucæ. 3. Interrogauerunt Iohannem milites dicentes, quid faciemus & nos? Alij militant diabolo scilicet mali contra quos Corinth. 10. In carne ambulantes: non secundum carnem militantes. 1. Pet. 2. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos. Tertii militant Deo scil. boni. Tim. 2. Labora sicut bonus miles Iesu Christi. Primis prædicatur periculum. Secundis comminatur supplicium. Tertiis promittitur regnum. Quia ergo Mauritius & socii eius militauerunt Christo propter quem passi sunt: ideo regnum permissum obtinuerunt secundum quod promiserat Deus in verbis propositis.

In quibus notantur tria consummantia gaudium bonorum. Primum est veri boni adeptio: ibi, circumdabo domum &c. Secundum est totius mali euasio: ibi, & non transibit super eos ex. Tertium est vtriusque perpetuatio: ibi, vltra. Esa. 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt: & fugiet dolor & gemitus. Circa adeptionem veri boni quod est gloria tangit tria appetibilia. scil. gloriæ modum, locum, & meritum. In modo delectabilitas: quia, circumdabo. sicut mons circumdatur pecudibus refectorium fratribus, chorus cantantibus. Psalm. Montes, id est sancti in circuitu eius. In loco amœnitas: ibi, domum meam. ideo Psalm. Beati qui habitant in domo Domini. In merito laboriositas: ibi, ex his quæ militant mihi &c.

Vbi notantur tria complentia meritum. Strenua operatio: ibi, militant. Recta intentio: ibi, mihi. Finalis continuatio: ibi, euntes & reuertentes. euntes ad vineam: reuertentes ad mercedem: secundum illud Psal. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.

Sermo 4. De Eodem.

SCientes quia sicut socii passionum estis: sic eritis & consolationis. 2. Corinth. 1. Cupientes acquirere diuitias huius mundi libenter se associant bonis mercatoribus in quorum societate æstimant sibi lucrum. Sic & viatores libenter se associant bonis viris qui sciunt & vadunt rectam viam. Hinc est quod Apostolus videns nos viatores in hoc mundo & mercatores consolationis æternæ docet nos associari bonis mercatoribus & viatoribus qui illam mercantur & ad illam vadunt. scil. patientibus mala præsentia propter Christum: vt sunt pœnitentes, pugnantes, & martyres: vnde dicit, scientes &c. quod patet adimpletum in istis sociis passionis.

Vbi notantur tria. Primo præmittitur certificatio de dicenda veritate: ibi, scientes. Scientia enim non est nisi verorum. Secundo proponitur associatio cum præsenti aduersitate, sicut socii pas. Tertio promittitur consolatio in futura prosperitate: ibi, sic eritis &c. Econtra mali socialiter ducunt in bonis dies suos &c. Quære the. de beato Georgio. supra pag. 135.

Epistola Hebr. 11. Sancti per fidem vicerunt regna. si. Inuenti in Christo Iesu Domino nostro. Euangelium. descendens Iesus. si. multa est in cælis.

De sanctis Cosma & Damiano, Sermo primus.

MEdici suscitabunt & confitebuntur tibi. Psalm. 87. Sicut homo eget triplici ordine in seipso, ad proximum & ad Deum. sic & debitor est tribus: sibi: proximo: & Deo. Sibi debet quilibet prouidentiam salutis. Roman. 8. Debitores sumus non carnis &c. Proximo beneficientiam charitatis. Roman. 13. Nemini quicquam debeatis nisi &c. Deo gloriam laudis. Lucæ. 16. Quantum debes Domino meo. Istud triplex debitum exsoluerunt Cosmas & Damianus qui cum essent carne sancti, arte medici, fide catholici. sanabant morbos non tantum corporales sed & spirituales in confessione nominis Christi: vt vere possit dici de eis Domino, medici sus. &c.

Vbi commendantur à tribus. Ab artis facultate: quia, medici. A facultatis vtilitate: quia, suscitabunt. Ab vtilitatis auctoritate: quia, confitebuntur tibi. Ergo bene ordinati fuerunt quo ad seipsos in custodia sui: quia, medici. Lucæ. 4. Medice cura te ipsum. quoad proximos in cura egeni: quia, suscitabunt. Prou. 6. Festina suscita amicum. quo ad Deum in confessione laudis & fidei: quia, confitebuntur tibi. Psalm. Confitebor Domino nimis in ore meo.

Sermo

Sermo 2. De Eodem.

TRansiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium. Psalm. 65. Solent milites mundi narrare pericula quæ sustinuerunt in pugna & probitates quas fecerunt de victoria gloriando. Sic martyres Christi in verbis propositis narrantes mala quæ sustinuerūt de victoria gloriam Deo tribuunt: dicentes, transiuimus &c.

Vbi circa tormenta illata tangunt tria. breuitatem: quia, transiuimus. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum. Sap. 2. Non sic erit de tormentis inferni: quia ignis eorum non extinguetur. multiplicitatem: quia, per ignem & aquam. Immo in quolibet elemento attentata sunt eis tormenta: quia in aquam proiecti. in ignem positi. in aculeo suspensi: & virtute diuina liberati. ad vltimum gladio sunt necati. Vtilitatē: quia, eduxisti nos in re. Eius vtilitas ostenditur in duobus. in euasione mali quam petit. Psalm. Educ de carcere animam meam. In adeptione boni: cum dicit, in refrigerium. Sap. cap. 3. Iustus si morte.

Sermo 3. De Eodem.

ECce peccatores intenderunt arcum parauerunt sagittas suas in pharetra vt sagittent in ob. rec. corde. Psalm. 36. Tria admirantur iusti circa peccatores. videlicet eorum fatuitatem: quia non curant de bonis gloriæ. Psalm. ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum. Prosperitatem: quia abūndant bonis fortunæ. Psal. ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo op. Crudelitatem: quia, impugnant bona gratiæ. secundū quod dicitur hic, ecce peccatores. Quod specialiter impletum est in istis martyribus: quos nitebantur sagittare: sed sagittæ redibant ad percussores.

In quibus verbis admiratur ecclesia peccatorum statum damnosum. actum perniciosum, affectum iniquum. Ergo status malus: quia, peccatores. actus peior: quia, intenderunt ar. & pa. affectus pessimus: quia, vt trucident.

De Eodem.

Ecce quam bonum &c. supra pag. 148. col. 1.

De Eodem.

Melius est duos esse simul &c. supra pag. 148. col. 2.

De Eodem.

Fratres in adiutorium in tempore tribulationis. supra pag. 148. col. 1.

Epistola Prouerb. 15. Lingua sapientes. finis. diligitur à Domino. Euangel. Matth. 5. Videns Iesus turbas, finis. copiosa est in calis.

In Festo beati Michaelis Archangeli, Sermo primus.

DIuisit Deus lucem ac tenebras. Genes. 1. In mundo videmus triplex lucis corporalis genus. Est enim lux infundens non infusa: vt in sole. lux infundens & infusa: vt in luna quæ recipit lumen à sole. lux non infundens sed infusa: vt in superficie terræ. Et sicut est in luce corporali: ita & in luce spirituali. nam lux infundens non infusa est Deus. de qua Iohan. 1. Erat lux vera &c. Lux infundens & infusa est angelus & doctor bonus. Matth. 5. Vos estis lux mundi. Lux infusa non infundens est simplex iustus. Prou. 4. Iustorum semita quasi lux &c. Lux diuidens est Deus. Lux diuisa est angelus. secundum quod hic dicitur: quia, diuisit Deus lucem &c. Nam secundum Augustinum per cælum intelligitur creatio angeli per naturam. Per lucem conuersio eius ad Deū per gratiam. Per tenebras auersio quorundam à Deo per culpam. Ergo Deus diuisit lucem à tenebris quando malos separauit à bonis.

In quibus verbis commendatur angelica gratia ex tribus. ex formositate sui suppositi. ex deformositate sui expositi: quia, tenebras. eximunitate sui periculi: quia, diuisit. quādiu enim boni militant cum malis semper sunt in periculo: sed non quando diuisi.

Sermo 2. De Eodem.

VIdit Iacob scalam stantem super terram & angelos Dei ascendentes & descendentes per eam. Gen. 28. In angelis sanctis duplex est vis. scil. ministratiua qua nobis mittuntur: & sic dicuntur descendere. Et contemplatiua qua Deo fruuntur: & sic dicuntur ascendere. Scala autem est charitas: quia vterque motus ex charitate elicitur vel imperatur: quod satis declarat præsens visio.

In qua ostenduntur quatuor in angelis. Primo veritas in essendo: quia, à Iacob visi sunt. Illud enim quod videtur est. Secundo charitas in agendo: quia in scala visi sunt. sine scala charitatis nemo ascendit sursum. Tertio fœlicitas contemplationis: quia ascendebant. Quarto vtilitas ministrationis: quia, descendebant per eam. scil. ad exhibenda nobis officia charitatis.

Sermo 3. De Eodem.

NVnquid est numerus militum eius & super quem fulget lumen eius Iob. 25. Sicut dicitur Sap. 15. Omnia disposuit Deus in numero, pondere, & mensura. Cum ergo angelici milites sint de numero entium dispositi sunt in numero. quomodo ergo quæritur si est numerus in angelis: Plana est responsio: quia dispositi sunt sub numero certo & noto Deo: sed nobis ignoto propter multitudinem. Vnde nobis sunt innumerabiles sicut stellæ. vnde si principes mundi quanto nobiliores & altiores: tanto plures habent ministros & milites. Non est mirum si de principe cuius nobilitatis & sapientiæ non est numerus quæritur, nunquid est numer' mi. eius.

Vbi notantur quatuor. angelorum pluralitas nobilitas, sanctitas, fœlicitas. Pluralitas notatur in numero. numerus quippe est plurium. Nobilitas in militia. Militare enim est nobilium. Sanctitas in relatione. scil. eius. Militare enim Deo est sanctorum. Fœlicitas in lumine. Psalm. quoniam apud te est fons vitæ &c. Illuminati enim ibi est fœlicitas. scil. in lumine. fœlicitatis immensitas in fulgore. Immensitatis generalitas: quia super vnumquenque.

Sermo 4. De Eodem.

BEnedicite Domino omnes angeli eius potētes virtute facientes verbum illius. Psal. 102. Solet

Solet homo benedicere Deum quando exaltatur in aliqua dignitate aliis indigentibus. ideo Psalm. Benedicam Dominum qui tribuit mihi. m. Quando roboratur in victoria vel sanitate aliis infirmantibus Psalm. Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus &c. Quando liberatur à ruina proximis periclitantibus. Psal. Benedictus Domin'. qui non de. nos in cap. dē. eorum. ideo Psalm. attendens sanctos angelos sublimatos vt sint legati cælestis curiæ. confirmatos in statu gloriæ. liberatos à periculo ruinæ: ait implicās tria ista beneficia, benedicite Domino &c.

Vbi primo incitat ad exsoluendum præconium: cum dicit, benedicite Domino. Secundo recitat impensum beneficium: cum subdit, omnes angeli &c. Vbi commendat tria in angelis. sapientiam, potentiam, & bonitatem. Sapientiam: quia angeli Dei. i. nuntii. Sapiens enim nō facit de fatuo nuncium suum. Deus autem facit angelos suos spiritus. Potentiam: cum subdit, potentes virtute. quod patet in victoria draconis. Apoc. 12. Michael & angeli eius pugnabant cum Dracone. Bonitatem: cum addit, facientes verbum illius. ideo Psalm. Benedicite Domino omnes virtutes eius ministri eius qui fa. vo. Similiter etiam potest diuidi sicut aliud.

Sermo 5. De Eodem.

SPiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Psalm. 142. Triplex legitur spiritus bonus & quilibet deducit in terram rectam. spiritus diuinus. angelicus & humanus. Spiritus diuinus deducit principaliter mouendo. Sap. 12. O quam bonus & suauis est Dominus &c. Spiritus humanus humiliter merendo. Psal. cor mundum crea in me &c. Spiritus angelicus diligenter ministrando vt hic, spiritus tuus &c.

Vbi notantur tria angelos sanctos commendantia. sc. naturæ simplicitas: quia, spiritus tuus. gratiæ preciositas: quia, bonus. officii vtilitas: bonus. officii vtilitas: quia, deducet me in. Appetenda deductio & ratione termini à quo: quia, deducet, id est de hac miseria ducet: & ratione termini ad quem: quia, terram rectam. id est in gloriam. & ratione motus medii: quia ducet. & ratione nobilis sancti: quia me ad Deum. sc. fugientem. In primo notatur euasio miseriæ. In secundo adeptio gloriæ. In tertio curialitas angelica. In quarto dignitas humana. Ideo Psal. angelis suis mandauit &c.

Sermo 6. De Eodem.

ECce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum. Dan. 10. Sicut in ecclesiastica Hierarchia est distinctio triplex. scilicet statuum generalium: sicut prælatorum, clericorum, laicorum. In quolibet statu est distinctio graduum & officiorum: vt in clericis, presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum: & in officiis distincta idoneitas personarum. Sic in angelis triplex distinctio reperitur. Vna Hierarchiarū. Sunt enim tres Hierarchiæ. suprema, media, & infima. Altera ordinum in eadem Hierarchia. Sunt enim in qualibet Hierarchia tres ordines. supremus, medius, & infimus. Tertia personarum in eodem ordine quæ distinguuntur penes gradum virtutum. Primum medium & infimum. Ergo Michael fuit de principibus primis: siue quo ad Hierarchiam siue quo ad ordinem in aliqua Hierarchia. siue quo ad personam in aliquo ordine: secundum quod dicitur hic, ecce &c.

Vbi notantur tria. scil. Michaelis nobilitas: quia, vnus de prin. pri. nobilitatis humilitas: quia, venit. humilitatis vtilitas: quia, in adiutorium meum. Circa primum notantur tria. Euidentia visionis reuelatę: ibi, ecce. nomen personæ visæ: ibi, Michael. gradus naturæ siue gratiæ: ibi, vnus de prin. primis.

Sermo 7. De Eodem.

ANgelis suis Deus mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis. Psalm. 90. Secundum Boetium. 10. de consol. Deus prouidentiam quam de rebus habet mediantibus causis quibusdam exequitur. Est enim lex suæ prouidentiæ per superiora inferioribus prouidere. Vnde per creaturam angelicam regit humanam, non propter sui insufficientiam: sed propter suæ sapientiæ & bonitatis ordinem. In hoc enim patet maior dignitas hominis. maior nobilitas angeli hominem ad Deum reducentis. maior charitas Dei ad hominem qui tot ei custodes adhibet. custodit enim & per seipsum. Iob. 6. O custos hominum &c. & per prælatos. Cant. 5. Inuenerunt me custodes ciuitatis: & per angelos secundum quod dicitur homini, angelis suis &c.

Vbi notantur quatuor. Angelorum dignitas ratione officii: quia angeli. id est nuntii Dei. cui seruire regnare est. Auctoritas ratione mandati: quia, mandauit Deus. non vsurpauerunt. Vtilitas ratione custodiæ: ibi, vt custodiant. Necessitas ratione viæ: ibi, in omnibus viis tuis. vnde viatores non alios custodiunt.

De Eodem, Sermo 8.

CLamabant Seraphin alter ad alterum & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituū, plena ėst terra gloria eius. Esa. 6. Clamor oritur ex diuersis causis. Nam clamare faciunt: culpa, pœna, doctrina, & lætitia. Primi clamant ad faciendum peccatum: sic clamauerunt duo presbyteri contra Susannam. Dan. 13. ideo Eph. 4. Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blasphemia tollatur à vobis. Alii ad puniendum peccatum. vel in contritione & oratione. Psal. à finibus terræ ad te clamaui dum anxiaretur cor. vel in damnatione. Zach. 7. Sicut non audierunt me: sic clamabunt & ego non exaudiam eos. Esa. 65. Serui mei comedent &c. Alii ad fugiendum peccatum. Esa. 58. Clama ne cesses. Quarti ad iocundandum: sic angeli clamant in gloria laudantes Dominum secundum quod vidit Esaias: quia, clamabant.

Vbi implicatur in angelis triplex affectio gaudiosa. vna angeli ad angelum cum quo gaudet: vnde subdit, clamabant alter ad alterum. Alia angeli ad Deum in quo gaudet: vnde subdit, & dicebant sanctus. Tertia angeli ad hominem glorificandum de quo gaudet: vnde addit, plena est omnis terra. In secunda confitentur

angeli de Deo suo personatum trinitatem cum dicunt ter, sanctus. Essentiæ vnitatem: cum dicunt semel, Dominus Deus. Dominus in quo potentia. Deus in quo sapientia, exercitunm quibus scil. communicat sua bona: in qno bonitas.

Sermo 9. De Eodem.

Respicite volatilia cæli quæ non serunt neque metunt neque congregant in horrea & pater vester cælestis pascit illa. Matth. 6. Inclinatur pauper ad seruiendum diuiti quando respicit omnes qui ei seruiunt diuites & supra condignum remuneratos. vnde Psalm. Inclinaui cor. m. &c. Ideo Dominus volens nos retrahere à cupiditate temporalium & attrahere ad suum seruitiū monet nos respicere gaudium angelorum sibi seruientium dicens, respicite &c.

Vbi monet ad respiciendum duo in angelis. s. agilitatem in ministrando: propter quod dicuntur, volatilia. fœlicitatem in contemplando: propter quod subditur, quæ non serunt &c. Cuius fœlicitatem proficiunt duo. Immunitas ab omni miseria: quia, non serunt &c. Perpetuitas in cæli gloria: quia, pater vester ce. &c. Ideo mirandi sunt in merito vt & in præmio.

Sermo 10. De Eodem.

Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Heb. 1. a.

Ad hoc quod ministet vel nuncius commendetur debet habere tria. scil. in obediendo agilitatem. 2. Cor. 6. In omnibus exhibeamus, id est operando auctoritatem. 2. Cor. 3. Idoneos nos fecit mi. in intentione vtilitatem. Tim. 4. Hæc proponens fratribus. Propter hæc tria. Esa. 18. Ite ecce auctoritas. angeli veloces: ecce agilitas. ad gentem conuulsam: ecce vtilitas.

Ab his tribus commendantur angeli in verbis propositis. Ab agilitate obediendi: quia, omnes sunt admi. spiritus. Ab auctoritate operandi: quia, in ministerium missi. Ab vtilitate generis humani: quia, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. i. propter homines.

Sermo 11. De Eodem.

Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est. Matth. 18. Duo habet homo facere propter salutem suam. Impugnare malum & operari bonum. Et secundum hoc habet duplicem angelum. malum ad exercitium in pugna mali. bonum ad adiutorium in operatione boni. de quibus habetur Matth. 4. In tentatione Iesu Christi. De bonis vero angelis verificatur verbum propositum qui (quod est mirabile) simul vacant ad custodiam nostri & feruntur in contemplationē Dei sicut hic innuitur: quia, angeli eorum. scil. paruulorum custodes, semper vident &c.

Vbi circa gloriam angelorum notantur tria. glorificabile. quia, angeli eorum. gloria: quia, semper vident fa. glorificans: quia, patris mei qui est in cælis. Circa gloriam implicat tres dotes animæ. visionem præsentem in actu videndi: quia, vident. dilectionem perfectam in obiecto visæ rei: quia, faciem. tentionem perpetuam in modo continuandi: quia, semper.

De Eodem.

Circumdabo domum meam ex his &c. supra pag. 175. col. 1.

Epistola Apocal. 1. Significauit Deus. s. in sanguine meo. Euangelium Matth. 18. Accesserunt disci. s. qui est in cælis.

De Beato Hieronymo, Sermo primus.

Qui loquitur lingua oret vt interpretetur: sicut dicit Apostolus. 1. Cor. 14. Loqui lingua ignota non prodest auditoribus sine expositione. vnde prædicantes laicis quod loquuntur lingua Latina statim exponūt lingua Gallicana. Sic Hieronymus intendens prodesse Latinis omnibus: canonem sacræ scripturæ transtulit in Latinum. orans vt in eodem spiritu quo scripti fuerant libri posset eos in Latinū transferre sermonem adimplens documentum Apostolicum in his verbis, qui loquitur &c.

Vbi commendatur ex tribus. Ex locutione veraci: ibi, qui loquitur lingua. Oratione humili: ibi, oret. Expositione vtili: ibi, vt interpretetur. Hæc enim docent prædicatorem. veritas in loquendo. humilitas in orando. vtilitas in exponendo. vt sit vtilis proximo. humilis Deo. verax in seipso.

Sermo 2. De Eodem.

Sine fictione didici sapientiam & sine inuidia communico & honestatem illius non abscondo, Sap. 7. Ad vnumquodque opus exiguntur tria. ex parte agentis scire, velle, & posse. Sic ad proficiendum in doctrina requiruntur tria. Nitor cognitionis: quia docti in populis docebunt plurimos. Dan. 11. Amor communicationis. vnde Psalm. Iustitiam tuam non abscondi in cor. Decor operationis quia peccatori dixit Deus quare tu enar. insti. Cognitionem impedit ignorantia. Communicationē inuidia. Opus bonum infamiam. Ab his commendabilis fuit Hieronymus vt vere possit dicere cum sapiente, sine fictione di.

Vbi primo commendatur ex cognitionis nitore: quia, sine fictione di. Secundo ex magisterio doctrinæ quando, sine inuidia communicatio. Tertio ex decore & exemplo bonæ vitæ: quia, honestatem &c. Et in qualibet parte implicat tria commendabilia, actum, modum, & obiectum.

Sermo 3. De Eodem.

Ponam in lucem scientiam illius & non prætéribo veritatem nec cum inuidia tabescente iter habebo. Sap. 6. g. Commendatur translator sine doctor quando transfert scripturā siue docet faciliter, integraliter, & libenter. Faciliter. vnde Prouer. 14. Doctrina prudentium facilis. Integraliter. vnde Iohan. 16. Cum autem venerit ille spi. ve. d. v. o. libenter. vnde 1. Tim. 4. Attende tibi & doctrinæ, insta in illis. vnde Hieronym. inuehebat contra quosdam: qui vel docebant obscure vel transferebant imperfecte:

vel

vel dimittebant ex linore innuens quod debet doctor transferre euidenter, sufficienter, & libenter. quod & ipse fecit. Vnde potuit dicere cū sapiente, ponam in lucem &c.

Vbi describit modum suæ translationis commendabilem ex tribus. sc. quia transtulit euidenter sine innolutione: ideo dicit, ponam in lucem. s. integraliter sine diminutione: ideo subdit, & non præteribo veritatem. libenter sine liuore: ideo addit, nec cum inuidia ta. &c. Primo implicantur tria commendabilia. Actor ordinans: vnde dicit, ponam. Modus euidens: vnde subdit, lucem. Materia ædificans: ideo addit, scientiam illius. s. Dei. i. Theologiam.

Quære alia themata in festo beati Gregorii. supra pag. 129. col. 1.

In festo sancti Ambrosii. supra pagina 133. col. 2.

De Eodem.

In Festo beati Augustini. supra pag. 167.

Epistola Sapien. 10. Iustum deduxit Dominus. Eu. Domine Deus noster. Euangelium. Luc. 11. Nemo accendit lu. finis. illuminabit te.

De sancto Francisco, Sermo primus.

CReauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam Gen. 1. Secuodum Philosophum omnibus animantibus data est vis generatiua vt quia transeunt in esse sui: continuentur in suo simili. Sic passio Christi iam transierat in esse actuali: & ideo incipiebat tradi à multis obliuioni vt merito possit dicere crucifixus & conqueri: quia obliuioni traditus sum tanquam mortuus à cor. & ideo creauit Deus hominem non iam parentem antiquum: sed pauperem nouum. sc. Franciscum, ad imaginem & similitudinem suam.

In quibus verbis commendatur ex tribus. Ex actore suæ conuersionis: quia, Deus creauit. i. de nihilo aliquid fecit: quando de peccato ad gratiam reduxit. Psal. emitte spiritum tuum & creabuntur. Ex decore suæ conuersationis: quia hominem qui est animal rationale & mansuetum natura. ideo Psal. Domine quid est homo quia memor es eius &c. Ex amore sui redemptoris: quia, ad imaginem & similitudinem. Similitudo enim vulnerum Christi quæ in Francisco apparuit. certitudo ardentis amoris fuit. Nam amor transformat amantem in amatum.

Sermo 2. De Eodem.

POtentissimus faciem illius commutauit. Eccles. 8 Si sapiens in suum consortium non recipit fatuos & discolos nisi mutant mores prauos: nec sapientissimus Christus in suum consortium siue seruitium recipit nisi mutatus fuerit.

Ideo potentissimus volens Franciscum cuius facies denigrata erat æstibus peccatorum in familiarem famulum vocare, faciē illius commutauit. glo. vt de malo esset bonus. Sic mutauit cinerem in vitrum. terram in aurum: vt inde formaret vas gratum in ministerium domus suæ.

Mutauit enim eum quadruplicitet: quia de peccatore in pœnitentem: de pœnitente in proficientem: de proficiente in perfectum: de perfecto in beatum. In primo habuit faciem iusti. In secundo religiosi. In tertio crucifixi. In quarto gloriosi. In primo mutauit animam. In secundo habitum. In tertio vultum. In quarto mundum. Ergo quatuor facies vni. s. Francisco facies hominis in conuersione. leonis in cōuersatione. vituli in passionis repræsentatione. aquilæ in beata visione, sic potentissimus faciem illius cō. Cuiusmodi mutatio facta est potenter: quia, potentissimus. Nullus enim alius poterat hoc facere nisi opus. patenter: quia, faciem illius. integraliter: quia, commutauit. i. simul animam vultum & habitum mutauit.

Sermo 3. De Eodem.

AMbulauit seruus meus Esaias nudus & discalciatus. Esa. 20. Audito verbo Domini: quia diues difficile iotrabit in regnum cælorum: non est sapiens qui non timet diuitias possidere. Hinc est quod beatus Franciscus vt sequeretur Christū securius & expeditius se totaliter à possessionibus temporalibus denudauit: vt iterum de eo possit Dominus dicere verbum propositum, ambulauit &c.

In quo commendantur quatuor eminentia in Francisco. vera sanctitas: cum dicit Dominus de eo, seruus meus. sanctitatis continuitas: cum dicitur, ambulauit. continuitatis perfectio: quia, nudus & dis. perfectionis remuneratio: quia, Esaias qui interpretatur salus Dei. Et sic commendatur quadruplex eius status. scil. conuersionis cōuersationis religionis. Fœlix qui sequitur eius vestigia post ipsum nudus ambulando.

Sermo 4. De Eodem.

EGo enim stigmata Iesu in corpore meo porto. Gal. vlt. g. Solēt nuntii principum & prælatorum pixidem portare depictam sua imagine in qua deferunt literas in testimonium veritatis famulorum & indicium voluntatis dominorum. Ideo quia beatus Franciscus nuntius Iesu Christi erat in prædicatione Euangelii placuit Domino signum passionis suæ depingere carni suæ & ibi ponere literas euāgelicæ veritatis: propter quod adoptans se in nuntium Iesu Christi: Franciscus potuit merito dicere, stigmata &c.

Vbi commendat tantum donum: quia speciale, nobile, vtile, amabile & venerabile. Speciale sibi: quia non fecit taliter omni nationi. vnde potuit dicere, mihi absit gloriari &c. Nobile in se: quia, stigmata. i. signa passionis. Vtile credenti quia, Iesu. qui interpretatur salus. Amabile portanti. Multum enim crucem amaret qui eam in carne sua consueret: quod notatur ibi, in corpore meo. Venerabile omni fideli: quod notatur ibi, porto. Ideo Apostolus. glorificate & portate: sicut portauimus imaginem terreni &c.

Sermo 5. De Eodem.

PAuper sum ego & in laboribus à iuuen. mea. Psal. 77. Solent antiqui iuuenibus probitates suas & labores ostendere & narrare non propter vanam sui commendationem: sed propter audientium animationem ad simile faciendum: sic Paulus. 2. Cor. 11. Enumerat & pericula sua & labores: sic Patriarcha pauperum Fran. ad ædificationem audientium potuit dicere illud Psalm. Pauper sum ego &c.

Vbi proponit tria imitanda. Statum perfectionis: quia, pauper. Matth. 19. Si vis perfectus esse &c. Exercitium conuersationis: quia, in laboribus, iuxta illud Psal. Laboraui clamans &c. Tempus conuersionis quia, à iuuentute mea. Post vanitatem iuuentutis aggressus est veritaté perfectionis. Psal. Deus docuisti me.

Sermo 6. De Eodem.

IVstus qui ambulat in simplicitate sua: bonos post se filios derelinquet. Prouerb. 20. Secundum sententiam Domini Matth. 7. Omnis arbor bona fructus bonos facit: & quanto profundius radicatur, tanto altius & amplius ramificat. Sic iustus filios ex se procedentes per imitationem operum & exemplorum relinquit bonos. hinc est quod beatus Franciscus quia vir iustus & simplex fuit, bonos post se filios dereliquit, scilicet fratres minores sicut & beatus Dominicus prædicatores. secundum quod prædixit sapiens in verbis propositis.

In quibus commendatur Franciscus ex tribus. Ex radice rectæ intentionis: quia, simpliciter ambulauit Luc. 11. Si oculus tuus fuerit simplex. Ex stipite fortis operationis quia iustus fuit. qui enim facit iustitiam iustus est. Ex fœtu suæ successionis: quia bonos post se filios dere. Esa. 60. g. Minimus erit in mille: & paruus in gentem fortissimam.

Sermo 7. De Eodem.

A Vulneribus tuis sanabo te dicit Dominus. Ierem. 30. Alia de causa vulnerat diabolus: alia de causa Dominus Deus: & alia tyrannus: Diabolus vt necet æternaliter: secundum illud Iob. 16. Conuulnerauit lumbos meos non pepercit. &c. Tyrannus vt occidet temporaliter. Genes. 4. Occidi virum in vulnus meum. Deus vt sanet spiritualiter. Iob. 5. Ipse vulnerat & medetur. Sed præter hos modos nouo modo vulnerauit Francisc. vt scilicet eum sibi conformaret spiritualiter. Primum vulnus fit gladio peccati. secundum gladio materiali. tertium gladio contritionis. sed quartum gladio amoris. A dolore istorum vulnerū sanauit Dominus Franciscum: vt ei competat quod ait Dominus, à vulneribus tuis sanabo te.

Vbi notantur quatuor. Primo plagarum Christi impressio: ibi, à vulneribus. Zach. 13. Quæ sunt plagæ istæ in medio. m. r. his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Secundo impressionis ratio: ibi, tuis. quasi dicat à te. id est à tui amoris feruore non aliunde impressis. Tertio à dolore liberatio: ibi, sanabo te. ipse enim sanat omnes infirmitates. Quarto sanationis certificatio: ibi, dicit Dominus. qui scilicet non mentitur.

De Eodem.

Crescere me fecit Dominus &c. pagina 166. colum. 2.

De Eodem.

Lauabit in sanguine vuæ pallium &c. pa. 167. col. 2.

De Eodem.

Dilectus meus candidus &c. pagina 138. colum. 1.

Epistola Ecclesi. 45. Dilectus Deo & hominibus. ff. & disciplinæ. Euangelium Luc. 11. Nemo ascendit. finis. illuminabit te.

In Festo sancti Dionysii, Sermo primus.

DIonysius Areopagita credidit. Act. 17. Igni comparat Dominus verbum suum. Ier. 23. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis ardēs: & merito: quia sicut ignis comburit siluam, emollit ceram, accendit candelam: sic verbum Domini comburit peccatum. Psal. Misit verbum suum & sana. Emollit ad credendum Rom. 10. Fides ex auditu &c. Psalm. Emittet verbum suum & lique. Accendit ad operandum. Luc. 5. In verbo autem tuo laxabo rete. Hinc est quod Dionysius audiens verbum Dei à Paolo relicto errore credidit: secundum quod dicitur in verbo proposito.

In quo describitur ex nomine: quia, Dionysius. ex cognomine: quia, Areopagita. ex conuersione: quia, credidit. In nomine commendatur discretio. Dionysius enim interpretatur diiudicans vel vehementer fugiens. In cognomine deuotio. Areopagita enim interpretatur primitiæ solennes. Et dicitur ab arioch mara & pagus vicus: quasi vicus martis. In conuersione religio: quia, credidit. quod totùm impletum est in illo post conuersionem.

Sermo 2. De Eodem.

NVnquid nosti ordinem cæli & pones rationem eius in terra. Iob. 38. Cum habeatur notitia de rebus triplici via. sc. per inuentionem propriam, per reuelationem diuinam: & per eruditionem humanam. Ordinem cæli nemo nouit per inuentionem studii proprii: Paulus nouit per reuelationem Dei: Dionysius per eruditionem Pauli vt dicitur. Dionysius enim amplius cæteris doctoribus in terra posuit rationabilem ordinem triplicis cæli. Nam cælum vno modo dicitur summa trinitas: cuius ordinem posuit in supercælesti hierarchia. Alio modo cælū dicitur angelica natura: cuius ordinem posuit in cælesti hierarchia. Tertio modo cælum dicitur ecclesia: cuius ordinem posuit in subcælesti hierarchia: & sic nouit ordinem cæli & posuit rationem eius in terra.

Vbi commendatur à duobus, Primo à notitia cælestium ordinum. Secundo à doctrina eorum: ibi, & pones. Hic enim est ordo prius cognoscere & postea docere: secundum illud Psal. Deus docuisti me à iouentute &c. Notitiam vero eius commendant tria. demonstratio magistri spiritualis: ibi, nunquid tu. non tantum opinasti vel credidisti. celsitudo obiecti cogniti: quia ordinem cæli. i. angelorum. Doctrinam similiter commendant tria. quod scil. docuit ornate: ibi, pones. Positio enim est situs partium in toto. Discrete: ibi, rationem. Fructuose: ibi, in terra in qua incognitus erat ordo ille.

Sermo 3. De Eodem.

ANimam meā porto in manibus meis. Iob. 13. Quāuis anima sit in qualibet parte corporis: tamē principalius debet esse in aliquibus partib⁹. Vnde dicunt quidā ꝙ in sanguine: sicut Moyses. Leuit.

Leuit. 17. Anima omnis carnis in sanguine est. Alii quod in corde: sicut sapiens. Prouerb. 4. Omni custodia serua cor tuum: quoniam ex ipso vita pro. Tertii quod in cerebro siue in capite: quoniā caput influit corpori sensum & motum. Hinc est quod propter læsionem cordis, propter effusionem sanguinis, propter abcisionem capitis separatur anima à corpore violenter. Ideo apertum miraculum fuit quod beatus Dionysius caput abscisum io manibus portauit à loco passionis vsque ad locum sepulturæ: vt vere possit dicere verbum propositum scilicet, animam meam &c.

Vbi surgit admiratio ex tribus. Ex conditione delatæ rei: quia, animam. id est caput per quod anima debet corpus portare. si eorn portares autem vel pedem aliud esset. Ex modo deferendi: quia, in manibus meis. mirabile quomodo manus mortuæ potuerunt aliquid portare. Ex motu corporis decapitati: quia, porto. caput enim abscissum non influit motum corpori: & tamen capite abscisso mouebatur.

Sermo 4. De Eodem.

Refulsit sol in clypeos aureos & resplanduerunt montes ab eis: & fortitudo geotium dissipata est. 1. Macb. 6. Rerum quædam alia illuminant & ab aliis non illuminantur: vt sol. quædam alia illuminant & ab aliis illuminantur: vt luna quæ recipit lumen à sole. quædam oon illuminant alia sed ab aliis illuminantur: vt superficies terræ. Alia nec illuminant nec ab aliis illuminantur: vt profundum terræ. Sic loquendo de spirituali lumine quidam illuminant alios & non ab aliis illuminantur: vt Deus. Iohan. 1. Erat lux vera quæ illo. Quidam illuminant & illuminantur: vt boni prædicatores & doctores. Matth. 5. Vos estis lux mundi. Alii non illuminant sed illuminantur: vt boni simplices. Psalm. Illuminet vultum suum super nos &c. Alii nec illuminant nec illuminantur: vt mali obstinati. Iob. 24. Cum ipsi fuerint rebelles lumini.

Hæc quatuor genera notantur hic. Illuminans non illuminatum. scil. Deus: ibi, sol. Illuminans & illuminatum, scilicet Dionysius & eius socii: ibi, in clypeos au. Non illuminans & illuminatum. s. Parisiensis populus: ibi, & resplenduerunt montes. nec illuminans nec illuminatum. s. aliqui in errore obstinati: ibi, & fortitudo gentium dissipata est. nam multa idola destruxit Dionysius.

Sermo 5. De Eodem.

Caput meum doleo. 4. Reg. 4. Secundum Philosophū dolor est sensus diuisionis impatiens. Cum ergo caput sit maxime sensibile inter membra humana: non est mirum si in diuisione capitis senditur vis doloris. Ideo beatus Dionysius cuius caput carnifex gladio trusit vere dicere potuit, caput meum doleo.

Vbi implicantur tria. Innocentia Dionysii decentis: quod notatur io supposito verbi. Hoc enim ad literam dixit puer vadens ad messores patris. Angustia patientis: ibi, doleo. Genus passionis: ibi, caput meum.

De Eodem, Sermo 6.

Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio ecclesiæ laudabo te. Psalm. 21. Primus coluit Dionysius Deum ignorum: sed postmodum notum ex nomine: vnde & librum composuit de diuinis nominibus vt vere possit dicere, narrabo &c.

Vbi commēdatur eius doctrina ex causa quadruplici. Ex efficiente: quia, ego. ex forma quia, narrabo. ex materia: quia, nomen tuum. prius. s. ignotum. Ex fine. & hoc duplici. Vnū est ædificatio proximi: ibi, fratribus meis. Alius commendatio Dei, in medio ec. In efficiente sanctitas. in forma facilitas. in materia sublimitas. in fine vtilitas commendatur.

Epistola Sap. 3. Iustorum animæ. finis illorum in perpetuum. Euangelium Luc. 6. descendens Iesus. s. multa in cælis.

De Beato Luca Euangelista, Sermo primus.

Salutat nos Lucas medicus charissimus meus qui est in Domino fidelis. 1. Col. vlt. Omnia naturaliter salutem propriam exoptant: vnde & antiqui patres saluatorem mirabiliter appetebāt. vnde Ierem. 15. Sana me Domine & sa. Psalm. Saluum me fac Deus &c. Sed sancti viri non solum sibi sed etiam aliis salutem appetuot & procurant. Vnde de Iohanne dicitur Luc. 1. Tu puer Propheta al. &c. Hinc est quod de zelo salutis aliorum commendatur ab Apostolo beatus Lucas in verbis propositis.

In quibus commendatur quia salutis precator, prædicator, amator, & professor. Professor per fidem: ideo dicitur, fidelis in Domino. Roman. 10. Corde creditur &c. Amator per charitatem: ideo dicitur, charissimus. Ideo Psal. Diligam te &c. Prædicator per doctrinam & scripturam: ideo dicitur, medicus Esa. 61. Spiritus Domini super me &c. Peccator per deuotam orationem: ideo dicitur, salutat. v. Iacob. vlt. oratio fidei sa. &c.

Sermo 2. De Eodem.

Disciplina medici exaltabit caput eius: & in medio magnatorum collaudabitur. Eccl. 38. Sicut medici corporales honorantur apud homines mundi: sic medici spirituales apud Deum & ciues cæli. Quia igitur Lucas fuit medicus non tamen corporalis: sed etiam spiritualis: ideo non solum ab hominibus: sed etiam à Deo exaltatus est vt verificetur io illo quod hic dicitur, disciplina &c.

Vbi commendatur ex duobus. Primo ex perfectione meriti: ibi, disciplina me. Secundo ex sublimitate præmii: ibi, exal. ca. &c. Meritum perficiunt duo. Honestas sanctæ vitæ: quæ notatur in disciplina. Vtilitas sanctæ doctrinæ: quæ notatur in medicina. Fœlix qui ædificat exemplo vitæ: & prædicat verbo doctrinæ. Præmium vero attollunt duo. Sublimitas fœlicitatis in ecclesia triumphante: quia, exaltabit caput eius. Solemnitas festiuitatis in ecclesia militante: quia in medio magnatorum collaudabitur.

Sermo 3. De Eodem.

Vbi plurimæ segetes: ibi manifesta fortitudo bouis. Prouerb. 14. Similitudo quatuor

animalium antiquitus apparuit in veteri lege Ezechieli & in noua Iohanni: cuius visionis mysterium in quatuor Euangelistis est impletum. Quatuor enim facies apparebant. hominis quæ attribuitur Matthæo. leonis quæ Marco. aquilæ quæ Iohanni. bouis quæ Lucę. cuius bouis fortitudo apparuit in cultura Dei & conuersione gentium plurimarum: quia secundum quod hic dicitur, vbi plurimæ &c.

Vbi duo notantur Lucam commendantia. Probitas inducens vtilitatem in fortitudine bouis. Vtilitas ostendens probitatem in multitudine segetis. Circa primum implicantur tria, scil. quod laborauit euidenter: ibi, manifesta. Viriliter: ibi, fortitudo. Humiliter: ibi, bonis. Circa secundum notantur duo. Probitatis vtilitas: quia, segetes. Vtilitatis multiplicitas: quia, plurimæ.

Sermo 4. De Eodem.

COgnouit bos possessorem suum. Esa. 1. Debet homo quilibet subiectus esse tripliciter. debet quippe subiicere intellectum fidei: secundum illud Cor. 10. In captiuitatem redi. omnem carnem spiritui. Rom. 8. & Col. 3. Si spiritu carnis factam. m. hominem totum diuinæ voluntati. Ps. Subditus esto Domino & ora eum. Primum fit propter cognitionem diuinorum. secundū propter repressionem vitiorum. tertium propter adeptionem præmiorum.

Hæc tria commendant Lucam in verbis propositis. fidei cognitio: ibi, cognouit. carnis mortificatio ibi, bos. qui est animal laboriosum & immolaticium. & de ipso dicitur quod crucis mortificationem in suo corpore portauit. præmij possessio: ibi, possessorem suum.

Sermo 5. De Eodem.

NArrationem virorum nominatorum conseruabit sapiens. Eccl. 39. Sanctorum narratio conseruanda est ab homine, propter se, & propter alios id est propter regimen sui: & propter documentum proximi. Propter se conseruat sapiens narrationem sanctorum dupliciter. In corde ad meditandum secundum illud Prou. 6. Cōserua fili præcepta pa. t. liga ea in corde tuo iugiter. In opere ad implendum: secundum illud Psal. Seruaui mandata tua & testi. t. Luc. 2. Maria autem conseruabat omnia verba hæc. Item propter proximum conseruat dupliciter. in doctrina, & scriptura. & hoc vt seruiat duplici sensui discipuli. auditui per doctrinam. Ioh. 2. Tu autem seruasti vinum bonum &c. Visui per scripturam. Gen. 41. Seruetur frumentum & paretur futuræ fami. Istis quatuor modis simul seruauit Lucas narrationem Christi & Apostolorum. in memoria, in vita, in doctrina, in scriptura. vt in Euangelio & in actibus Apostolorum patet vt vere prædictum sit de eo; quia, narrationem virorum &c.

Vbi notatur duo. Primo Lucæ discretio: quia, sapiens. Discretionis probatio: quia, narrationē &c. Discretio vero eius probatur ex doctrina facili: quia, narrationem. vtili: quia, virorum nominatorum. i. Christi & Apostolorū. multiplici: quia, cōseruabit. s. docendo: scribendo: viuendo.

Sermo 6. De Eodem.

HOnora medicum propter necessitatem: etenim illum creauit altissimus. Eccl. 38. Tria sunt propter quæ solet honorari famulus alienus. scil. sapientia serui. Sap. 8. Propter hanc. sc. sapientiam habeo claritatem ad turbas & honorem. s. apud se. Vtilitas seruitii. Psal. Eruam te & honorificabis. Potestas Domini sui. Eccl. 7. Honora Dominum ex tota anima tua & honorifica sacerdotes. Quia ergo Lucas fuit sapiens in se ipso: proficuus proximo: seruiens Deo: ideo meruit honorari iuxta verbum sapientis, honora medi. &c.

Vbi hortatur primo ad sancti venerationem. Secundo subdit venerandi rationem. Et hanc triplicem. s. sagacitas in cognoscendo: quia, medicus. Vtilitas in operando: quia, necessarius. Auctoritas in intendendo: quia, ab altissimo missus.

De Eodem.

Dedit te in lucem &c. pag. 122. col. 1.
Vidi alte. an. pag. 136. col. 2.
Legatus fidelis infra de vno Apostolo.

Epistola Eccles. 15. qui timet Deum. si. illum Dominus Deus noster. Euangelium Luc. 10. Designauit Dominus. si. merced. suæ.

In Festo sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum, Sermo primus.

IVdas Machabæus & Simon frater eius præliabantur prælium Israel cum lætitia. 1. Mach. 3. Secundum Philosophū omnis virtus est de bono & difficili. Hinc est quod ad opus perfectę virtutis exiguntur quatuor. Eo enim quod difficili exigitur virilitas in operante & difficultas in opere. Eo vero quod de bono exigitur rectitudo in intentione & promptitudo in voluntate: quia bonum & tenet rationem finis & est in subiecto voluntario. de his quatuor Psal. expecta Dominum viriliter age &c.

Ideo viri virtuosi ab his quatuor commendantur in verbo proposito. Quorum primum est virilitas in operante: quia, Iudas & Sim. Secundum difficultas in opere: quia, præliabātur. Tertium rectitudo in intentione: quia, præliū Israel. Quartum est promptitudo in voluntate; quia, cum lætitia. Primum commendat efficientem, secundum materiam, tertium finem. quartum formam. Virilitatem ostendunt tria. Audacia in confitendo quod verum est: quod notatur in Iuda. qui interpretatur confitens. Obedientia in exequendo quod bonum est: quod notatur in Simone. qui interpretatur obediens. Constantia in defendendo quod iustum est: quod notatur in Machabæo. qui interpretatur protectio.

De Eodem, Sermo 2.

ECce duo gladii hic. Luc. 22. Ad maiorem expressionem laudis vel vituperii solet vti in scriptura non tantum verbis simplicibus; sed etiam rerum similitudinibus. Vnde & de multum largo dicitur quod est quidam Alexander: de gulosu quod est vnus canis. Ideo ad expressionem laudis istorum Apostolorum vtimur similitudine gladiorum: & ratione numeri: quia, duo. & ratione officii: quia, gladii. Sicut enim vsus gladii est ad defendendum, ad impugnandum, ad secandū. Sic officiū istorum Apostolorum fuit ad defendendū veritatē, ad impugnandū falsitatē, ad sece-

ad resecandum à se superfluitatem & omnis iniquitatis: quod notatur in Iuda. qui dicitur confitens. & etiam propriæ voluntatis: quod ootatur in Simone. qui dicitur obediens. Ergo vere potest dici de his duobus Apostolis, ecce duo gladii hic.

Vbi quatuor commendantia ipsos ootantur. Veritas quæ notatur in aduerbio demonstrandi, ecce. Charitas quæ notatur in oomero binarii, duo. Vrilitas quæ notatur in officio gladii. Probitas quæ notatur in præsentia periculi, hic. qui etiam vbi mors immioebat præsentabant se propter defensionem catholicæ veritatis non enim erant mercenarii.

Sermo 3. De Eodem.

COgnosceris veritatem: & veritas liberabit vos. Iohan. 8. Secundum Philosophum duo sunt opera sapientis. non meotiri de quibus nouit. mentientem vero manifestare posse. Vnde Apostolis isti diuina pollentes sapientia dicta veritate super euentu cuiusdam belli manifestauerunt mendacia respondentium idolorum: & sic confusis aduersariis suis liberati sunt: vt patet in legenda sua. vt specialiter impletum sit in ipsis verbum Domini propositum.

Vbi commeodat Dominus. Primo ipsorum sapientiam in cognitione veritatis. Secundo sapientiæ efficaciam in virtute liberationis. & sic tangit sapientiæ actum, in cognitione: obiectum in veritate. fructum in liberatione. subiectum in cognosceodo: cum dicit, vos. vnde potuerunt dicere tuoe Apostoli. Laqueus contritus est. i. deceptio dæmonum enodata. & oos liberati sumus. adiutorium nostrum &c.

Sermo 4. De Eodem.

QVi arguunt laudabuntur & super eos veniet benedictio. Prouer. 24. Sicut non tantum peccare sed peccantes sostinere vel eis consentire est vituperabile. quia oon tantum qui peccata agunt digni suot morte: sed etiam qui consentiunt facientibus. Roman. 1. g. Sic noo tantum non peccare: sed etiam peccantes arguere laudabile est. Vnde non tantum innoceotes laudantur: sed etiam boni iustitiarii qui maleficos extirpant laudantur & benedicuntur ab oppressis. Hinc est quod quia isti Apostoli arguerunt modo dæmonia de mendacio super euento belli, modo filiam principis de mendacio super partu pueri, modo infideles de errore circa culturam Dei merito laudantur à populo & benedicuntur à Deo: quia, qui arguunt laudabuntur &c.

Vbi notantur tria commendabilia. Primo beneficium ab Apostolis impensum: ibi, qui arguunt. Secundo præconium Apostolis exhibitum: ibi, laudabuntur. Tertio præmium à superois collatum: ibi, & super eos veniet benedictio. s. gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro.

In Eodem.

Scientes quia sicut socii passionum &c. pag. 175. col. 2.

In Eodem.

Fratres in adiutorium in tempore tri, &c. pag. 148. col. 1.

In Eodem.

Melius est duos esse simul &c. pag. 148. col. 2. *Epistola Rom. 8. Scimus quoniam diligentibus Deum, s. in Christo Iesu Domino nostro. Euangel. Ioh. 15. Hec mando vo. s. vestrum impleatur.*

In Festo omnium Sanctorum, Sermo primus.

GLoria hæc est omnibus sanctis eius. Ps. 149. Sicut proponitur merces famulo vt seruiat denariata peregrino vt emat: reclamatorium aui vt redeat. Sic gaudium gloriæ cuilibet homini vt illuc tendat. nam apprehensio boni desiderabilis mouet affectum ad illud appetendum & habendum: & ne homo in eundo erret Dominus per Psal. viam docet. nam per sanctitatem vitæ peruenitur ad æternitatem gloriæ: quia, gloria hæc est &c.

In quibus verbis notantur tria valde grata. Sicut quippe ad depicturationem imaginis requiruntur tria. s. pictor, color, & imago progeoda: Sic ad beatificationem hominis beatificans, scil. Deus beatificabile. s. homo. beatitudo. s. gloriæ status. gloria namque, hæc est omnibus sanctis eius. Beatitudo notatur in gloria hæc. beatificabile: ibi, omnibus sanctis. beatificans: ibi, eius sc. Dei. omnia mouent appetitum: quia perenne gaudium: quia, gloria hæc. & delectabile cōsortium: quia, omnes sancti. & dulce dominiū: quia, eius. s. Dei. tunc enim cessabit omnis prælatio & dulcissimus Deus dominabitur.

Sermo 2. De Eodem.

COngregate illi omnes sanctos eius qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Psal. 49. Solet fieri rerū congregatio triplici de causa. Propter electionem sic vinū varia congregantur in conuiuio: & dicitur eligatis quod vobis potius placuerit. Sic ecclesia omnes sanctos congregando nobis proponit vt accipiamus aliquid de quolibet. de angelis charitatem. de Patriarchis spem. de Prophetis fidem. de Apostolis prudentiam. de martyribus patientiam. de confessoribus iustitiam. de virginibus mundiciā. Prou. 10. qui congregat in messe sapiens est. Item propter venerationem sicut amicus facilius & solennius honorat multos simul. Sic Ecclesia omnes sanctos simul congregat: quia de vnoquoque per se non possemus festinare: ideo Psal. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in con. Item propter intercessionem sicut religiosi in capello vt simul omnium orationes petantur quas difficile esset petere sigillatim: ideo hodie congregamus conuentum paradisi vt omnium sanctorum simul suffragia imploremus vt dicitur hic, congregate illi &c.

Vbi notantur quatuor monentia nos ad honorem omnium sanctorum. Primum est egestas honorantium. quilibet enim libenter honorat illum quo indiget: secundum illud Eccl. 38. honora medicum. quod notatur in supposito verbi, congregate sanctos. vos de ecclesia militante. Secundum est simultas honorandorum. Si enim honor exhibendus est vni fratri: multo plus toto conuentui. vnde Ps. Mihi autem nimis honorati sunt, quod notatur ibi, congregate. Tertium est honorandi motiuū. Solet enim honorari seruus pro-

 pter

pter honorem Domini. quod notatur ibi, illi. i. ad honorem illius. s. Dei. Quartum est honoris debitum. quilibet enim debet soluere debita. Rom. 13. cui honorem. quod notatur ibi, sanctos eius. qui ordinant &c. In primo notatur efficiens in secundo forma. in tertio finis. in quarto materia huius Festi.

Sermo 3. De Eodem.

HÆreditabunt eam electi mei: & serui mei habitabunt eam. Esa. 65. Ad hoc quod homo adultus assequatur finem vltimum & optimum. s. Deum & obiectum beatitudinis requiruntur tria. Gratia gratum faciens: quia gratiam & gloriam dabit Dominus. Voluntas operans Matth. 20. Voca operarios & redde illis mercedem. Gloria beatificans: quia, exultabunt sancti in gloria. ideo Apostolus. 1. Cor. 15. Plus omnibus laboraui non ego: sed gratia Dei mecũ. Hæc sunt tria quæ commendabiles & imitabiles reddunt omnes sanctos. s. gloria, gratia, & operatio bona. Gloria notatur in hæreditatis possessione. gratia in electione. operatio bona in seruitute. vt gratia sit radix merendi. operatio ramus. gloria fructus.

Gloriam describit ex tribus. Ex eius possessione. si enim gloria esset & haberi non posset: parũ nobis esset: ideo dicit, habitabunt. Ps. Beati qui habitant in domo tua. Ex possessionis conditione: ideo dicit, eam. supernã. s. ciuitatem. Ps. sicut audiuimus sic vidimus in ciuita. &c. Ex vtriusque perpetuatione: ideo dicit, hæreditabunt Psalm. Cum dederit dilectis suis &c.

De eodem, Sermo 4.

LAudemus viros gloriosos & parẽtes nostros. Eccl. 44. a. Virorum quidam sunt innocentes, alii peccatores, tertii damnati, quarti beati. Debemus autem innocentibus imitationem: secundum illud Cor. 11. imitatores mei estote sicut & ego Christi. peccatoribus correctionem: secundum illud Gal. 6. fratres si præoccupatus &c. Damnatis detestationem: secundum illud Matt. 25. Ite maledicti. &c. Beatis laudẽ: vt hic dicitur.

Vbi primo exhortatur ad laudem: cum dicit, laudemus. Secundo ostendit triplicem laudis rationem. s. gratiam, gloriam, & naturam. Notatur autem sanctorum gratia in hoc quod dicuntur, viri. gloria in hoc quod, gloriosi. natura in hoc quod parentes nostri.

Sermo 5. De Eodem.

MEmores estote quomodo salui facti sunt patres nostri. 1. Machab. 4. Cum ad vnumquodque opus exigantur tria in agente. sc. scire, velle, & posse. Scire facit studium discentis. velle bonitas finis. posse libertas voluntatis. Sic & ad opus salutis exiguntur dicta tria: ideo secundum hoc strenuus miles proponit nobis in consideratione sanctorum tria. studium virtutis propter quod dicit, memores &c. præmiũ salutis propter quod subdit salui facti sunt. libertatem voluntatis propter quod addit, patres nostri. Proponitur ergo studium vt sciamus. libertatem qua possimus operari salutem.

Sermo 6. De Eodem.

GAudeamus & exultemus & demus gloriam Deo: quia vene. no. agni & vxor agni præpa. se. Apoc. 19. Si gloriatur vnum membrum congaudent omnia membra: quia ergo nos sanctorum commembra sumus. Et hodie gloriam non vnius membri. i. sancti tantum: sed sanctorũ omniũ recolimus: ideo gaudeamus & exultemus: secundum quod hortatur beatus Iohan. in verbis propositu.

In quibus primo monet nos ad debitam iocundationem: cum dicit, gaudeamus & exul. Secundo allegat cogentem iocundationis rationẽ: cum subdit, quia venerunt nuptiæ agni. Tertio implicat vtilem iocundantium conditionem: cũ addit, & vxor agni. i. ecclesia præparauit se scil. ad laudandum & sequendum sanctos. Imperfecta vero iocunditate debent esse tria. s. gaudium hominis quo ad se ipsum, exultatio. i. extra saltatio quo ad proximum. gratiarũ actio quo ad Deum. ideo dicit, gaudeamus & exultemus & demus gloriam Deo.

Sermo 7. De Eodem.

DIsposui testamentum electis meis. Ps. 88. Ab æterno disposuit Dominus quasi in legato dare gloriam electis suis: sed legatum huius solutum non est donec post mortem testatoris sicut in testamentis terrenis contingit: quia primo disponitur viuente testatore. post eius mortẽ executioni mandatur. Vnde & ante mortem Christi testatoris nullus hominum obtinuit gloriam: sed post mortem eius electi obtinuerunt: quia illa proposuerat dare: secundum quod dicit in verbis propositis, disposui &c.

In quibus notantur tria. ad beatitudinem necessaria. prouidentia Dei beatificantis: ibi, dispo sui. euidentia ipsius beatitudinis: ibi testamẽtum. gratia populi beatificabilis: ibi, electis meis. Istud testamentum scriptum est vbi dicitur Matt. 5. Beati pauperes quoniam &c.

Sermo 8. De Eodem.

BEati qui per portas intrant ciuitatem. Apoc. vlt. Vniuersum distinguuntur in tres ciuitates: secundum aug. quarum vna est infima. s. infernus. alia media. s. mundus. tertia suprema. scil. paradisus. In infimam intrant mali sine bonis. vbi tristantur sine lætitia. In mediam intrant mali cum bonis. vbi tristantur cum lætitia. In supremam intrant boni sine malis. vbi lætantur sine tristitia. & ideo primi reprobi. secundi miseri. tertii beati: quia secundũ hoc dicitur beati qui &c.

Vbi circa introitum gloriæ tangit quatuor. actum iocundum: ibi, intrant. Matth. 25. Intra in gaudium. modum proficuum: ibi, per portas. Vnusquisque enim ordo sanctorum est vna porta quorum vitam imitando intramus portam gloriæ. Ps. diligit Dominus portas Sion. locum amœnum: ibi, ciuitatem. de qua Ps gloriosa dicta sunt de te ciui. statum perfectum: ibi, beati. Beatitudo quippe est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Psal. Beati habitant in domo tua. d. Apoc. 19. Beati qui ad cœnam agni vo.

Sermo 9. De Eodem.

SApientiam sanctorum narrant populi & laudem eorum nunciet ecclesia. Ecclesi. 44. Sicut com-

commendabile est in puero quod patrem naturalem imitetur & veneretur. Sic commendabile est in quolibet quod patres spirituales, i.e. beatos imitetur & veneretur: & quia sapientia narrata mouet ad appetendũ & imitandum. laus nunciata ad venerandum. ideo dicit sapiens verbum propositum, sapientiam sanctorum, &c.

Vbi hortatur ad loquendum Primo de sapientia imitanda: cum dicit, sapientiam san. nat. populi. Secundo de laude veneranda: cum subdit, & laudem eorum nunciet ecclesia. Circa primum notantur quatuor propter quæ approbatur locutio. honestas quo ad materiam: ibi, sapientiam. non turpia non friuola. Psal. Narrauerunt mihi iniqui fabu. vtilitas quo ad finem: ibi, sanctorum. non sapientiam mundi quæ stultitia est apud Deum. facilitas quo ad formam: ibi, narrent. Doctrina enim prudentum facilis. communitas quo ad efficientem: ibi, populi. In ore enim plurium testium stabilitur omne verbum: similiter potest distingui secundum principale.

De eodem, Sermo 10.

Laudate eum sol & Luna laudate eum omnes stellæ & lumen. Psal. 140. Tria sunt quæ mouere debent vnumquemque ad aliquid faciendum. consilium sapientis. Ioh. 2. Quodcunque dixerit vobis facite. Eccles. 32. Fili sine consilio nihil fa. dominium superioris. Luc. 7. Dico huic vade & vadit. & Debitum operantis. Esa. 5. Quid vltra debui facere, &c.

Hæc tria mouent omnes sanctos ad laudem Dei. Primo consilium sapientis: qui dicit, laudate. Secundo dominium omnipotentis: de quo dicit, eum scil. dominum de cœlis. Tertio debitum laudantis: cum dicit sol, i.e. Christus homo, luna, id est mater virgo, omnes stellæ, id est omnes alii beati, & lumen, i.e. viatores christiani: & ordinantur hic secundum ordinem gratiæ & gloriæ.

De eodem.

Circumdabo domum meam ex his supra pag. 175. col. 1.

De eodem.

Nunquid est numerus militum eius, &c. supra pag. 176. col. 2.

Epistola, Apoc. 7. Ecce ego Io. vidi an. fin. seculorum. Euangel. Matth. 5. Videns Iesus turbas. fin. copiosa est in cœlis.

In commemoratione defunctorum, Sermo primus.

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur. 2. Maccab. 12. Secundum Augustinum defunctorum tria sunt genera. quidam valde mali, scil. damnati quibus non prosunt ecclesiæ suffragia. quidam valde boni, scil. beati quibus non sunt necessaria. alii mali malitia veniali non damnabili, scil. qui sunt in pœna purgatoria & his prosunt ecclesiæ suffragia: de quibus dicitur hic, sancta & salubris.

Vbi notantur quatuor motiua ad iuua dum alium. Primum est iuuantis vtilitas: ibi, sancta & salu. est co. Iuuari necessitas: ibi, pro defunctis. qui scil. non possunt se iuuare: quia nec mereri. Iuuandi facilitas: ibi, exorare. ab hoc enim nullus compos mentis potest se excusare. Iuuaminis opportunitas: quia, vt à peccatis, i.e. à pœnis pro peccatis debitis, soluantur.

De eodem, Sermo 2.

Beati mortui qui in Domino moriuntur. Apoc. 14. Communis est mors omnibus: quia omnes morimur: sed conditio morientium diuersa. Nam quidam moriuntur contra dominum hoc est in peccato. Iohan. 3. Quæretis me & non inuenietis: & in peccato vestro moriemini: & isti sunt damnati: quia mors peccatorum pessima. Alii moriuntur in Domino, id est in gratia Domini. de quibus Psal. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius: & isti sunt beati: secundum quod hic dicitur, beati. modo in spe, tandem in re, mortui qui in Domino moriuntur.

Vbi implicantur tria bona in iustis mortuis contra tria mala viuentium. Modo enim viuimus in periculo, in peccato, in flagello. Sed mors naturæ tollit periculum. donum gratiæ peccatum. bonum gloriæ flagellum.

Secundum hoc notãtur hic tria. bonum gloriæ: ibi, beati. debitum naturæ: ibi, mortui. donum gratiæ non tuiuscunque sed finalis: ibi, in Domino moriuntur. Sed quomodo beati sunt qui adhuc pœnam purgatoriam sentiunt. Responsio beati sunt spei certitudine: sed postea in re.

De eodem, Sermo 3.

Memor esto iudicii mei sic enim erit & tuũ: mihi heri & tibi hodie. Eccles. 38. In grosso numerando triplicem locum legimus. cœlum, mundum, infernum: & de quolibet loco docet nos Deus. de cœlo per filium suum & angelos. de mundo per Apostolos & prædicatores alios. de inferno per mortuos loquentes ad viuos. Vnde hic introducitur mortuus vino, memor esto iudicii mei, &c. quasi dicat sicut sententiarum est de me ita sententiabitur de te. ideo caue tibi & succurre mihi.

Vbi facit tria. Primo excitat meditationem: ibi, memor esto. Secundo explicat meditandi materiam: ibi, iudicii mei. Tertio iudicat meditationis causam & hanc duplicem. Prima est æqualis mortis necessitas: ibi, sic enim erit & tuũ. Secundo est festiua morien di celeritas: ibi, mihi heri tibi hodie. Ecclesia 14. Memento quoniam mors non tardabit, &c.

De eodem, Sermo 4.

Considera Israel pro his qui mortui sunt. 2. Reg. 1. Iudas Maccabæus quia considerauit quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant optimam haberent repositam gratiam: misit oblationes & fudit orationes pro peccatis mortuorum. 2. Maccab. 12. Ideo Dauid volens quemlibet fidelem similiter facere: ait, considera Israel pro his qui mortui sunt. quod non des obliuioni mortuos sicut multi faciunt: propter quod dicitur communiter quod homo mortuus non habet amicum: sed, considera pro his qui mortui sunt: secundum quod hic dicitur.

Vbi implicantur quatuor causæ huius considerationis. Efficiens: cum dicit Israel: i.e. videns Deum, sc. per fidem. illius enim est considerare qui recte sentit de veritate. Materialis: cum dicit mortui.

mortui. Finalis: cum dicit, pro his. Non enim dicit considera mortuos: sed pro his, i.e. ad vtilitatem eorum qui mor. sunt. Formalis: cum dicit, considera, scil. in præsenti non expectes in futuro vt innes eos ante tuam mortem: & ante suam liberationem: quia tunc non valeres & ipsis non valeret.

De eodem, Sermo 5.

IPse saluus erit sic tamen quasi per ignem. 1. Corinth. 2. Mortuorum quidam sunt in igne nec saluantur quia ignis eorum non extinguetur. Esa. vlt. Et hi sunt reprobi. Alii non sunt in igne & saluantur. Dan. 13. In die illa saluatus est sanguis innoxius etiam sine igne licet esset ei paratus: & hi sunt innocentes, martyres & pœnitentiam integre facientes. Tertii nec sunt in igne nec saluantur & hi sunt paruuli non baptizati quibus debetur pœna damni non sensus. Quarti sunt in igne & saluantur: & hi sunt purgandi de quorum vnoquoque potest intelligi verbum propositum.

In quo notantur tria purgatorium status: cum dicit, ipse. qui scil. super fundamentum fidei ædificauit cremabilia. Purgationis terminus: cum subdit, saluus erit. Purgandi modus: cum addit, sic tamen. quasi per ignem. In primo notatur purgationis æquitas. In secundo vtilitas. In tertio acerbitas.

De eodem, Sermo 6.

MElior est mors quam vita amara: & requies æterna quam languor perseuerans. Ecclesi. 30. Transeuntium per purgatorium quadruplex inuenitur status sibi succedens. Primus enim est vitæ. fecit enim Deus hominem in animam viuentem. Secundus est mortis. omnes enim mori. 2. Reg. 14. Tertius est purgatorii. 1. Corinth. 3. Ipse saluus erit sic tamen quasi per ignem. De his tribus. Psal. Quis est homo qui viuet & non videbit mortem. e. a. Quartus est paradisi de quo Dominus latroni. Hodie mecum eris in paradiso.

Iste quadruplex status notatur sub quadam comparatione in verbo proposito. Primo status vitæ mortalis: ibi, amara vita. Secundo transitus mortis naturalis: ibi, mors. Tertio anguaria porgatorii: ibi, languor perse. Quarto requies paradisi: ibi, requies æterna. Et præfertur mors vitæ triplici ratione. propter vitæ afflictionem. vnde dicitur, languor, requiei dilatationem: vnde dicitur, perseuerans. Quamdio enim perseuerat differtur requies.

De eodem, Sermo 7.

MElius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuii in illa enim finis cunctorum admonetur hominum: & viuens cogitat quid futurum sit. Ecclesi. 7. Frequenter legitur in scriptura quod præsens voluptas vertitur in aduersitatem perpetuam. Iob. 21. Gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis, &c. Prouerb. 14. Extrems gaudii luctus. Iac. 4. Risus vester in luctum ver. & econtra. aduersitas præsens vertitur in voluptatem perpetuam. Ioh. 16. Tristitia vestra vertetur. exemplum de vtroque in Lazaro & diuite. Sic ergo cuius finis bonus est & ipsum bonũ. sed finis luctus est bonus. finis gaudii non. Melius est ergo ire ad domum luctus quam, &c. quasi dicat melius est ire per recordationem & compassionem ad domum in qua iacet mortuus quam ad domum conuiuii: secundum quod hic icitur.

Vbi tangit quatuor. Præsentem aduersitatem, in domo luctus. Mundanam volnptatem, in domo cõuiuii huius ad hanc comparationem: quia, melius est ire. Comparationis rationem duplicem: quia, in illa, &c. Prima ratio est excitatio ad considerandum necessitatem proximi defuncti. Secunda est recordatio finis proprii: & viuens cogitat quid futurum sit.

De eodem, Sermo 8.

ERue eos qui ducuntur ad mortem & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Prouerb. 24. Secundum August. duplex est malum hominis. malum quod agimus, scil. culpa. malum quod patimur, sc. pœna. Malum vero quod est pœna triplex est. Vnum voluntarie assumptum vt in pœnitentia. & hoc est meritorium & satisfactorium. aliud iuste inflictum, scil. pœna purgatoria: & hoc est satisfactorium sed non meritorium, tertio perpetuo tolerandum, scil. gehenna & hoc nec est meritorium nec satisfactorium. A primo malo non expedit liberari: quia ad salutem iuuat. A secundo expedit liberari: quia à salute retardat. A tertio non potest quis liberari: quia salutem priuat. Ergo principaliter debet quilibet niti ad liberandum viuos à morte culpæ. defunctos vero ab interitu pœnæ purgatoriæ. secundum quod monet nos hic sapiens.

Vbi hortatur ad adiutorium proximi. Primo contra malum culpæ: cum dicit, erue, &c. Secundo contra malum pœnæ: cum addit, & qui trahuntur, &c. Circa culpæ malum implicatur triplex eius conditio, sc. quod est contagiosum: ibi, ducuntur. damnosum: ibi, ad mortem. remissibile: ibi, erue, i.e. extra ruinam pone. Ergo caue contagium: vide damnum: quære medium. Circa malum pœnæ purgatoriæ similiter implicantur tria, scil. rigor iustitiæ: quia, trahuntur velint nolint. sensus angustiæ: quia, ad interitũ, i.e. pœnam plusquam mortem acerbam. locus misericordiæ: ibi, liberare ne cesses: quia, eleemosynis & orationibus & huiusmodi liberantur.

Epistola, 2. Macc. 12. g. Vir fortissimus. fin. soluantur. Euang. Ioh. 5. Amen, amen dico vobis quia venit ho. finis. iudicii.

De beato Martino, Sermo primus.

OCuli mei semper ad Dominum, Psal. 24. Sicut dicitur communiter vbi amor: ibi oculus. vbi dolor ibi manus: & quia amor beati Martini semper ad Dominum ideo & oculi. Vnde de ipso legitur: oculis ac manibus in cœlum semper, &c. Hinc est quod vere potuit dicere cum Prophera verbum propositum, oculi mei semper ad Dominum.

In quo triplex commendabilis conditio orationis innuitur, scil. deuotio, continuatio, & rectitudo. Debet enim oratio esse deuota: quod nota-

notatur; ibi, oculi mei. sc. intellectus & affectus. Psal. Leuaui oculos meos in montes. continua: ibi, semper. oportet enim semper orare, &c. recta: ibi, ad Dominum. Psal. Ad Dominum cum tribularer, &c.

De eodem, Sermo 2.

SOl cognouit occasum suum. Psalm. 103. Iusti comparantur soli & in præsenti propter lucem gratiæ. Eccl. 50. Quasi stella matutina, &c. & in futuro propter lucem gloriæ. Matth. 13. Fulgebunt iusti sicut sol, &c. quia ergo Martinus abundanter refulsit & refulget vtraque luce. ideo merito sol Dei dicitur: & specialiter sol cognoscens occasum suum: quia Martinus obitum suum longe ante præsciuit: & hoc est quod hic dicitur, sol cognouit occasum suum.

Vbi notantur tria ipsum commendantia, scil. meritum vitæ: quia, sol. priuilegium scientiæ: quia, cognouit occa. debitum naturæ: quia, occasum suum. Ecce meritum imitandum: priuilegium appetendum: secundum illud Ps. Notum fac mihi Domine finem meum. debitum necessario exsoluendum. quis enim est homo qui viuet & non videbit mortem.

De eodem, Sermo 3.

OStendit illi finem vitæ suæ, Eccles. 45. Tria sunt hominibus naturaliter incognita. Meritum alterius personæ. Io. 4. Vos adoratis quod nescitis. Vnde solus Deus nouit merita hominum. Finalis status gratiæ. Eccles. 9. Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit. Hora finis vitæ: quia nescit homo finem suum. Hæc tria reuelauit Dominus beato Martino. vnde latronem dixit quem homines sanctum adorabant. statum proprium bonum. vnde dixit: nihil in me reperiet inimicus. vitæ terminũ: vnde obitum suum longe ante præsciuit. vt quod dictum est de Samuele verificetur in ipso: quia, ostendit illi finem vitæ suæ.

Vbi notantur tria, magister docens: quia, ostendit. discens: quia, finem vitæ suæ. Ergo magistro credamus: discipulum imitemur: doctrinæ studeamus: quia magister verax: discipulus bonus: doctrina salubris.

De eodem, Sermo 4.

VEnit princeps mundi huius & in me non habet quicquam. Ioh. 14. Solent nobiles gloriantur narrare bellorum pericula & in quib. fuerunt & victorias quas obtinuerunt & maxime quando de aliquo magno principe triumphauerũt: qui ergo strenuus miles Martinus. Sic contra magnum principẽ diabolum militauit: quod diabolus nihil de suo abstulit: secundum illud quod ait, nihil in me reperiet inimicus. Ideo in Domino gloriando proximum ædificando potest dicere cum Domino suo, venit princeps, &c.

Vbi ante cautelam adhibendam notantur tria de diabolo. Primo instantia in percussa: quia, venit in fine. vnde Martinus: quod hic astas cruenta bestia. Secundo potentia vsurpata: quia, princeps mundi. Tertio inimicitia manifesta: quia, in me non habet quicquam. In primo implicatur malitia diaboli: quia contra nos venit. In secundo stultitia mundi: quia tali tanquam principi se subiicit. In tertio innocentia sancti: quia in eo nihil habuit.

De eodem, Sermo 5.

CVm videris nudum operi eum & carnem tuam ne despexeris. Esa. 58. Dominus iudicaturus est viuos & mortuos: secundum duplicem legem clementiæ, scil. & iustitiæ: secundum legem clemẽtiæ feretur sententia ad laudẽ & gloriam electorũ qui legem misericordiæ seruauerunt. Ad laudem cum dicit Dominus. esuriui & de. mihi man. nudus fui & co. me. Ad gloriam: cum dicet, venite benedicti, &c. Matth. 25. O quam beati tunc misericordes: quia misericordiam consequentur. Matth. 5 Secundum legem iustitiæ feretur sententia ad ignominiam & damnationem reproborum qui legẽ misericordiæ contempserunt. Ad ignominiam cum dicet Dominus: esuriui & non de. &c. Ad damnationem cum dicet: ite maledi. &c. Ideo Esaias hoc præuidens bene consulit, cum videris nudum. o. e. quod & Mart. adimpleuit teste Domino & dicente. Martinus adhuc cathechumenus hac veste me contexit.

Esaias ergo in verbo proposito implicat quinque mouentia ad subueniẽdum proximo. compassio cordis: ibi, cum videris. Compassio enim monet ad videndum. ideo Eccles. Oculos tuos ne transuertas à paupere. magnitudo egestatis: ibi, nudum. Psal. Respice in me & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego. facilitas subueniendi: ibi, operi eum. quod ad necessitatem de. cui sufficit modicum. similitudo naturæ: ibi, & carnem tuam. euasio culpæ: ibi, ne despexeris. Iob. 31. Si despexi prætereuntem eo quod non haberet indumentum & absque operimento pauperẽ. si non benedixerit mihi latera eius, &c.

De eodem, Sermo 6.

HOnorat Dominum qui miseretur pauperis. Prou. 14. Sicut honorat patremfamilias qui curialitatem facit eius nuntio propter ipsum: & sicut honorat actorẽ qui recipit & sustinet opus suum: quia vbi vnum propter alterum vtrobique vnum, vos Dominus. Matth. 25. Quod vni ex minimis meis fe. &c. Sic qui miseretur pauperis propter Dominum honorat Dominum. quod fecit B. Martinus quãdo misertus pauperis dedit partem clamidis: vt ei competat quod hic dicitur.

Vbi implicantur tria ipsum commendantia; sc. pietas dantis: ibi, miseretur. egestas recipientis: ibi, pauperis. æquitas finis, ibi, honorat Dominum. omnia enim ad honorem Dei debemus facere.

De eodem, Sermo 7.

BEatus qui intelligit super egenum & pauperẽ in die mala liberabit eum Dominus. Ps. 40. Tria leguntur genera hominum dantium pauperib. Dant enim primi tracti pauperũ importunitate; Luc. 11. Et si non dabit eo quod amicus eius sit propterim. Secundi muti leni pauperum præce. Iob. 31. Si negaui pauperib. quod volebant & ocu. Tertii præuenientes precem inquisita eorum necessitate subueniunt eis. Luc. 14. Cum facies prandiũ voca pauperes, &c. Primũ dare est bonũ.

Secun-

Secundum est melius. Sed tertium est optimum & beatum: propter quod dicit Psal. Beatus qui intelligit super egenum, &c. quod specialiter competit beato Martino.

Vbi notantur tria ipsum commendantia, scil. status præmii: quia, scil. beatus. modus merendi: quia, intelligit super. e. & pau. tempus præmiandi: quia, in die mala liber. Modum merendi qui est dare eleemosynam commendant duo. dandi voluntas attenta: quia, intelligit. eleemosynæ veritatis debita: quia, super egenum & paup. dare autem diuiti non est vera eleemosyna. Tempus præmiandi commendant tria. opportunitas: quia, in die mala, scil. mortis vel iudicii. vtilitas: quia, liberabit. Securitas: quia, Dominus.

De eodem, Sermo 8.

FActum est vt moreretur medicus & portaretur ab angelo in sinum Abrahæ. Luc. 16. Secundum Apostolum omnes quidem currunt: sed non omnes accipiunt brauium: sed aliquid sic: aliqui non. Sic omnes moriuntur & boni & mali: sed mali moriuntur & præcipitantur in infernum; sicut patet in diuite Epulone. ideo Psal. Mors peccatorum pessima. Boni vero moriuntur & portantur in requiei locum sicut patet de Lazaro. ideo Psal. Preciosa in conspectu Domini. Hinc est de beato Martino cantat ecclesia. hic Martinus pauper & modicus diues cœlum ingreditur, &c. vt accedat de eo quod hic dicitur, factum est vt more, &c.

Vbi tangitur triplex status eius. videlicet status vitæ mortalis in qua fuit mendicus. status mortis naturalis in qua fuit mortuus. status gloriæ immortalis in qua fuit ab angelo deportatus. Cuius modi status commendatur ex tribus. ex veneratione admiranda: quia, portatus. ex societate veneranda: quia, ab angelis. ex æquitate appetenda: quia, in sinum Abrahæ.

De eodem, Sermo 9.

TV vero vigila: in omnibus labora opus fac Euangelistæ. 2. Tim. 4. Verum dixit sapiens quod iustorum semita sicut lux splendens procedit, &c. Prou. 4. Quod patuit in beato Martino qui gradatim procedẽs sub triplici statu profecit. Fuit enim in statu seculari. regulari, & sacerdotali. In primo fuit miles. In secundo Monachus. In tertio Archiepiscopus. In primo vigilauit propter periculum vitæ secularis. In secundo laborauit propter onus disciplinæ regularis. In tertio euangelizauit propter officium curæ pastoralis. Ad hæc tria hortabatur Apostolus Timotheum & in eo quemlibet prælatum. Primo, scil. ad cautelam fugiendi malum: ibi, tu vero vigila. Matth. 26. Vigilate & orate vt non intretis in tent. Secundo ad laborem faciendi bonum: ibi, in omnibus labora. 2. Tim. 2. Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Tertio ad zelum instruendi proximum: ibi, fac opus euangelistæ. 1. Corinth. 9. Si non euangeliza. vobis mors mihi est.

De eodem, Sermo 10.

DImidium bonorum meorum do pauperibus Luc. 19. Vulgariter dicitur qui nõ dat quod amat non capit quod optat. Ideo Martinus dedit bona temporalia vt caperet æterna. vnde & dimidium pallium dedit pauperi vt vere possit dicere cum Zachæo verbum propositum.

In quo notantur tria ad quodlibet donum recurrentia, sc. donum, donans, & recipiens. Donum commendant duo, sc. quantitas: quia, dimidium. contra illos qui vix decimam dant imo nec reddunt. qualitas: quia, bonorum: contra illos qui non dant temporalia donec sint corrupta. Dantem commendant duo. fidelitas: quia, meorum. liberalitas: quia, do. Recipientem describunt duo. egestas & pluralitas. egestas in significato. pluralitas in consignificato huius nominis pauperibus. Et sic commendatur Martin. ex largitate: quia, dimidium. ex curialitate: quia, bonorum. ex fidelitate: quia, meorum. ex liberalitate: quia, do. ex discretione: quia, pauperibus. Vnde in Martino verificatum est illud Prouerb. 22. Diues & pauper obuiauerunt sibi vtriusque operator est Dominus. Quære themata de beato Georg.

Epistola, Eccles. 44. Ecce sacerdos magnus sin. sanctatis. Euangel. Luc. 12. Sint lumbi vestri præ. sin. dominus veniet.

De sancta Cæcilia, Sermo primus.

SAnctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem. 1. Corinth. 7. Aliter iudicatum est de coniugali cohabitatione fidelis cum infideli in statu ecclesiæ primitiuo: aliter in moderno. Nam modo obstinati sunt infideles ita quod pauci cõuertuntur: ideo non licet fidelem cum infideli contrahere nec commanere: quia hoc non fieret sine contumelia creatoris & scandalo mulieris: sed in statu primitiuo multi conuertebantur: ideo tunc licebat vt infidelis per fidelem conuerteretur ad fidem: quod accidit in beata Cæcilia. Nam virum suum cõuertit ad fidem: & sic, sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem secundum quod dicitur in verbo proposito.

In quo commendatur beata Cæcilia à quatuor. Primo ex dignitate speciei: quia, mulier homo enim est dignissima creaturarum. Secundo ex veritate fidei: ibi, fidelis. Tertio ex vtilitate veritatis: quia, sanctificatus est. Quarto ex necessitate vtilitatis: quia, vir infidelis.

De eodem, Sermo 2.

MVlier diligens corona est viro suo. Prouer. 12. Distingue sicut prius: quis, commendatur hic. Cæcilia ex dignitate speciei: quia, mulier. Ex æmulatione fidei: quia, diligens. ex vtilitate æmulationis: quia, corona est. ex necessitate vtilitatis: quia; viro suo, scil. infideli.

De eodem, Sermo 3.

BReuis in volatilibus apis & initium dulcoris fructus eius, Eccl. 11. Legimus de beata Cæcilia quod Vrbanus Papa ait. Domine Iesu Christe seminator casti consilii suscipe seminum fructus quos m. e. seminasti. Cæcilia enim famula tua quasi apis tibi argumentosa deseruit. Vnde Papa teste conuenit ei verbum propositum.

Vbi sub similitudine notantur tria ipsam commendantia, sc. humilitas conuersationis: quia, breuis. Sublimitas contemplationis: quia, volatilis

rilis. Vtilitas operationis: quia, initium dulcoris fru. eius.

Vbi commendatur, Operans in animali laborioso: ibi, apis. Opus, operantis in fructu gratioso: ibi, fructus. Finis operis in dulcore glorioso: ibi, initium dulcoris. cuius dulcoris perfectio in gloria sentietur.

De eodem, Sermo 4.

CAntabo Domino qui bona tribuit mihi. Ps. 12. Solent pauperes cantare coram diuitibus à quibus aliqua bona acceperunt vel accipere intendunt. Quia ergo bona omnia quæ habemus à Deo accipimus non à mundo: ideo Deo debemus cantare non mundo, exemplo Cæciliæ de qua legitur quod cantantib. organis Cæcilia Domino decantabat: vt vere possit dicere cum Propheta verbum propositum, scil. cantabo Domino, &c.

In quo notantur tria laudem suæ orationem gratificantia. Laudis deuotio: quia, cantabo. Laudantis discretio: quia, Domino. Psal. Laudabo nomen Domini cum cantico. Laudandi ratio: quia, qui bona tribuit mihi. vnde de sapientia increata dicitur. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Sap. 7.

De eodem, Sermo 5.

IN corde meo abscondi eloquia tua vt nõ peccem tibi. Psal. 119. Solet seruus sapiens mandatum sibi à Domino impositũ memoriæ commendare vt illud pro loco & tempore impleat ne Dominum offendat. vnde Psal. Mandata tua meditatio mea est. Sic & nos mandata Dei debemus in corde abscondere exemplo Cæciliæ: de qua legitur quod Euangelium Christi semper gerebat in suo pectore vt vere posset Domino dicere cum Propheta, in corde meo, &c.

Vbi circa custodiam Euangelii diuini notantur quatuor commendabilia. Locus competens: quia, in corde meo. nõ tantum in archa vel quaterno. Modus diligens: quia, abscondi. res enim absconditur ne amittatur. Depositum valens: quia, eloquia tua. non fabulationes vel burdas. Fructus sequens: quia, vt non peccem tibi. vnde potuit dicere: A mandatis tuis intellexi: propterea odiui, &c. Sic beata virgo conseruabat õmnia verba Christi conferens in corde suo.

De eodem, Sermo 6.

CVstodiuit me Angelus Domini. Iudic. 13. Moris est diuitum charè diligentium sponsas suas eis in via tradere famulum ad sui custodiam & consortium. Sic Christus dilectæ suæ Cæciliæ tradidit spiritualiter angelum ad sui custodiam. Vnde ipsa ait sponso suo. Habeo amatorem Angelum Domini qui nimio zelo custodit corpus meum: vt vere possit dicere sicut Iudith, custodiuit me Angelus, &c.

Vbi circa tantum beneficium tria commendant. Mittentis potestatẽ: quia, Dominus. Missi nobilitatem: quia, Angelus. Missionis vtilitatem: quia custodiuit me.

Domine in vo. tua. pag. 101. col. 2.
Mundam seruaui ani. pag. 109. col. 2.

Epistola. Eccles. vlt. Domine Deus meus. sic. Domine Deus meus, Euangel. Matth. 25. Simile est regnum cælorum decem virginibus. sic. neque horam.

De sancto Clemente, Sermo primus.

SAluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Psal. 68. Sicut ceruus desiderat vmbram & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui. Iob. 7. Sicut sitiens & famelicus panem: sic periclitans salutem. Et quia salus iustorum à Domino: ideo iustus vir Clemens in transitu huius vitæ periculose submersus in mare salutem petens & appetens potuit dicere verbum propositum, saluum me fac, &c.

In quo duo facit. Primo suam format petitionem: cum dicit, saluum me fac Deus. Secundo suam allegat petitionis necessitatem: cum subdit, quoniam intrauerunt, &c. In primo exprimitur affectus patientis. In secundo gemus passionis. Forma vero suæ petitionis commendabilis redditur ex quatuor: quia scil. petit salubriter: quia non pecuniam sed salutem: ibi, saluum. Spiritualiter quia pro seipso: ibi, me. Humiliter quia vt fiat ab alio: ibi, fac. Fideliter quia ab eo in quem debet credere: ibi, Deus. Necessitatem vero petendi causabant duo. Horror passionis: quia, intrauerunt aquæ: horribile est nauigatori quando aqua superabundans intrat nauem. Dolor patientis: quia, vsque ad animam meam, i.e. vsque ad diuisionem animæ.

De eodem, Sermo 2.

IN mari via tua. Psalm. 76. Secundum August. via tua vita tua vnde & viatores dicimur. In hac via sancti martyres ambulauerũt ad patriam gloriosam alii per ignem: vt Laurentius, Vincentius qui igne fuerunt combusti. Alii per aerem: vt Petrus & Andreas qui in aere fuerunt suspensi. Alii per terram: vt Iohannes & Paulus qui in terra fuerunt viui sepulti. Alii per aquam: vt Clemens & alii qui in aqua fuerunt submersi; vt vere possit ecclesia Clementi dicere recolendo & passionem eius & passionis vtilitatem, in mari via tua.

Vbi notantur tria circa passionem Clementis Genus: ibi, in mari, virtus: ibi, via. fructus: ibi, tua. quod dupliciter exponitur, via tua, i.e. tibi ad eundem in cœlum: vel populo ad eundum ad templum tuum marmoreum. Genus passionis nos monet ad compatiendum, virtus ad admirandum, fructus ad imitandum. Quia passio terribilis, virtus supernaturalis, fructus delectabilis, scil. portus æternæ salutis.

De eodem, Sermo 3.

VOcaui te nomine tuo seruus meus es tu: cũ transieris per aquas tecum ero & flumina non operient te. Esa. 43. Prædixit Psalm. nobis antiquitus quod frequenter experti sumus. gustate, scilicet & videte quoniam suauis est Dominus: cuiusmodi suauitas videri potest. In vocatione peccantium: vt patet in Paulo. Actor. 9. In promotione pœnitentium: vt patet in Matthæo quem fecit Euangelistam de teloneario. Matth. 9. In consolatione patientium: vt patet in Stephano cui ostendit seipsum

aperto

aperto cœlo. Act. 7. In veneratione peruenientium: vt patet in quolibet beato. Matth. 25.

Hæc quatuor exhibuit beato Clementi. Nam vocauit ad fidem: vnde dicit, vocaui te. Promouit in Papam: vnde subdit, seruus meus es tu. Sociauit per aquam: vnde addit, cum transieris per aquas tecum ero. Honorauit eum post mortem: vnde sequitur, & flumina non operient te. imo diuisis fluctibus maris præbuit viam populo ad eius templum marmoreum angelicis manibus factum.

Secundum hoc notantur hic quatuor eius sanctitatem ostendentia & commendantia: videlicet eius gratiosa conuersio, officiosa prælatio, gloriosa passio, miraculosa reuelatio. Imitemur ergo conuersionem, veneremur prælationem, memoremur passionem, admiremur reuelationem. hinc est quod potuit dicere illud Cantic. 2. Sub vmbra illius quam desideraue. sedi. id est quieui ab erroribus & vitiis quantum ad conuersionem. Introduxit me rex in cellam vinariam, i. e. in ecclesiæ regimen quantum ad prælationem: ordinauit in me charitatem ad sustinendum passionem, fulcite me floribus propter miraculosam reuelationem.

De eodem, Sermo 4.

Domine Deus meus audi clamorem populi huius: & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ. Num. 20. Secundum Boetium in libro de consol. cura diuinæ prouidentiæ est per superiora inferioribus prouidere. Sicut enim paterfamilias per dispensatorem prouidet suæ familiæ: sic & Deus ecclesiæ, vnde & corporalia mediantibus spiritualibus & inferiores mediantibus superioribus regit. Dispensatorem vero supremum suæ familiæ fecit Clementem. vnde & eo mediante & orante fideli populo poculum ministrauit secundum quod legitur: quia orante sancto Clemente apparuit ei agnus Dei de sub cuius pede fons viuus emanat: oratio vero eius fuit sicut & Moysi. scil. Domine Deus, &c.

Vbi præsentat Domino populi desiderium: cum dicit, Domine Deus, &c. Secundo implorat diuinum beneficium: cum subdit, & aperi eis thesaurum tuum. Tertio declarat donum necessarium: cum addit, fontem aquæ viuæ. In primo allegat indigentiam populi sitientis. In secundo implicat facultatem Domini potentis. In tertio postulat copiam boni reficientis. In primo allegat tria concurrentia ad quodlibet opus. posse, scire, & velle. Primo ergo in Deo à quo petit audiri supponit posse: cum dicit, Domine. Secundo proponit scire: cum subdit, Deus. Tertio exposcit velle: cum addit, audi cla. populi huius.

De eodem, Sermo 5.

Si iubes vadam in agrum & colligam spicas quæ fugerint manus metentium. vbicunque Clementis patrisfamilias reperero gratiã. Ruth. 2. Sicut gloria fontis est fœcunditas riuulorum: & gloria pastoris multiplicatio ouium: Sic gloria prælati est honorum multiplicatio filiorum. In quo spiritualiter beatus Clemens gloriari potuit. nam viros industrios in diuersas regiones misit per quos infideles conuersi & fideles fuerunt multiplicati. Misit enim Cenom. Iulianum: Parisii Dionysium & sic de aliis. vnde quilibet eorum Deo potuit dicere verbum propositum, si iubes, &c.

In quo proponit diuinæ voluntatis visionem: ibi, si iubes: supple ô Deus. Iussionis impletionem: ibi, vadam in agrum. i. e. in Galliam vel in aliam regionem. Impletionis vtilitatem: ibi, & colligam spicas, i. e. conuertam infideles. Vtilitatis necessitatem: ibi, quæ fugerint manus me. i. e. doctrinam Apostolorum qui fuerant principales messores. Executionis auctoritatem: ibi, vbicunque Clementis, &c. A beato enim Clemente fuerunt missi: qui commendatur hic ex tribus. Ex nomine in quo mansuetudo: ibi, Clementis. Ex prælatione in quo celsitudo: ibi, patrisfamilias. Ex discretione in quo sanctitudo: ibi, gratiam reperero, i. e. discretionem eius gratam.

De eodem, Sermo 6.

Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum tanquam cristallum procedentem de sede Dei & Agni, Apoc. vlt. Mirificauit Dominus sanctum suum Clementem quando ipso orante apparuit ei Agnus Dei de sub cuius pede fons viuus emanauit vt sic clemens Dei clementiam recolens posset dicere, quia, ostendit mihi fluuium, &c. Vbi commendat tria, scil. reuelationem factam sibi oranti: ibi, ostendit mihi. Reuelationem datam populo sitienti: ibi, fluuium aquæ viuæ. Manifestationem virtutis Dei: ibi, procedentem de sede, i. e. de potestate Dei & Agni. In primo sapientia. in secundo clementia. in tertio potentia Dei commendabilis indicatur. Fons vero sitim releuans commendatur ex tribus. Ex copiositate: ibi, fluuium. Ex viuacitate: ibi, aquæ viuę. Ex limpiditate: ibi, splendidum tanquam cristallum. hoc est quod promiserat. Apoc. 21. Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.

De eodem, Sermo 7.

Vir amabilis ad societatem magis amicus erit quam frater. Prouerb. 18. Quod antiquitus dictum est de Moyse: quia dilectus Deo & hominibus. Eccles. 45. Vere potest dici de Clemente. Nam omnibus amabilem se exhibuit. gentilibus: quia eorum errores piè & rationabiliter arguebat. Iudæis: quia eos dilectos Dei præcipue fuisse & fore si crederent asserebat. Christianis: quia necessitatibus singulorum subueniebat. vnde in eo impletum est illud veri prouerbii: quia, vir ama. &c.

Vbi quatuor commendant ipsum, scil. operatio strenua: ibi, vir. secundum illud Psal. Viriliter agite. Conuersatio mansueta: ibi, amabilis ad so. Dilectio ex his secuta: ibi, amicus erit. Dilectionis excellentia: ibi, magis quam frater.

De eodem.

Dilectus Deo & hominibus Moyses, &c. pag. 130. col. 2.

Epistola, Hebr. 13. Doctrinis variis. fin. promeretur Deum. Euang. Matth. 24. Vigilate. fi. constituet eum.

De

De sancta Catharina, Sermo primus.

OStende mihi faciem tuam, sonet vox tuæ in auribus meis: vox enim tua dulcis & facies tua decora. Can. 2. Secundum Prophetam duo sunt sensus disciplinabiles in homine: visus, scil. & auditus: ita quod visui deseruit euidentia rei: auditui eloquentia verbi. Hinc est quod per duo efficaciter instruitur homo in bono exemplo, scil. sanctitatis & verbo veritatis: & hæc inter cætera ecclesiæ officia vtilius iudicantur, scil. ædificare aliquos exemplo & verbo. Hoc officium exercuit Dominus in propria persona: quia cœpit Iesus facere & docere: hoc etiam discipulis suis iniunxit. vnde illi profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante. h. e. quod inspirauit scholari suæ Catharinæ quando commota contra idololatras eos conuicit: vt verificentur in ipsa verba sponsi ad sponsam, ostende, &c.

Vbi sponsus sponsam Catharinam primo monet ad efficacem doctrinam: cum dicit, ostende, &c. Secundo subdit monitionis causam: cum addit, vox enim tua, &c. In primo monet eam ad exemplum sanctitatis dandũ: ibi, ostende mihi fa. Secundo ad verbum veritatis docendum: ibi, sonet vox tua. Vt autem det bonum exemplum monet eam ad tria. Ad operum euidentiam: ibi, ostende. Rectitudinem: ibi, mihi, i.e. ad meam gloriam. Discretionem: ibi, faciẽ tuam, i.e. conuersationem discretam. In facie enim vigent & patent omnes sensus. Vt similiter det bonum documentum monet eam ad tria. Ad verborum eloquentiam: ibi, sonet. Veritatem: ibi, vox tua. non aliena. Rectitudinem: ibi, in auribus meis, i.e. infidelium vt sint mei. Causam vero huius monitionis assignat duplicem. Prima est dulcedo vocis in grata infidelium conuersione. Secunda est decor faciei in honesta conuersorum conuersatione.

De eodem, Sermo 2.

DOctrix est disciplinæ Dei: & electrix operum eius. Sap. 8. a. Secundum Philosophum anima creata est imperfecta: perfectibilis scientiis & virtutibus. quod intelligitur de anima rationali non de alia: quæ perficitur scientiis quantum ad intellectum: & virtutibus quantum ad affectum. Hanc duplicem perfectionem perfecte habuit beata Catharina. Nam & eius scientia apparuit in doctrina sana: propter quod dicitur, doctrix disciplinæ Dei. Eius virtus in operatione sancta propter quod dicitur, electrix operum eius. Hæc enim duo perficiunt hominem. Gall. grand clergé, & bonne vie. Scientia vero eius commendatur: quia vtilis, delectabilis, & honesta. Vtilitas in doctrina. Honestas in doctrina disciplinæ. delectabilitas in doctrina disciplinæ Dei. & sic probatur doctrina bona: quia omne bonum aut est vtile: aut delectabile: aut honestum.

De eodem, Sermo 3.

NVnquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila. Iob. 39. Tria sunt quæ acceptat Dominus in seruo suo. Facilitas obedientiæ, fidelitas custodiæ, perspicacitas intelligentiæ. Quia seruus cum non obedit faciliter Dominum tristificat: cum non dispensat fideliter Dominum damnificat: cum non intelligit perspicaciter Dominum vilificat.

Ab his commendatur beata Catharina: quia obediuit faciliter: ibi, ad præceptum tuum. Psal. In auditu auris obe. quia dispensauit fideliter, sc. verbum Dei: ibi, eleuabitur contra idololatras insurgendo. quia intellexit perspicaciter: ibi, aquila. Aquila enim irreuerberatis oculis videt solem in tota. Catharina enim eleuata fuit tripliciter. Primo contra infideles insurgendo: & sic procedit dicta diuisio. Secundo in cœlum ascendendo quo ad animam. Tertio in montem Sinai transeundo quo ad corpus. Et sic notantur ibi tria concurrentia ad honorem, scil. honorans qui est Deus. præcipiens: ibi, nunquid ad præceptum tuum. honorabile quod est virgo fidem docens: ibi, aquila. honor ipse qui est eleuatio & animæ in montem paradisi: & corporis in montem Sinai: ibi, eleuabitur.

De eodem, Sermo 4.

OMnis gloria eius filiæ regis ab intus: in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Psa. 44. Quatuor inuenimus propter quæ solent acceptari & commẽdari mulieres. Vnum est munditia cordis: ideo Daniel commendauit Susannam, Dan. 13. Sic faciebatis filiabus. Secundum est nobilitas generis: ideo Elizabeth commendauit virginem, Luc. 1. & vnde hoc mihi vt. Tertium est prudentia sermonis: ideo serui Holofernis commendabant Iudith. Iud. 11. Non est talis mulier super terram, &c. Quartum est decor conuersationis, ideo omnes commendabant Hester. Hester. 2. erat enim formosa.

Ab his quatuor commendari potest Catharina in verbo proposito. Primo ex puritate conscientiæ: quia, omnis gloria eius ab intus. Secundo ex nobilitate parentelæ: quia, filia regis. Tertio ex doctrina salutis: quia, in fimbriis aureis. glo. in doctrina sapientiæ. Quarto ex honestate conuersationis; quia, circumamicta varietatibus, scil. virtutum. Beatus qui fulget hac quadruplici nobilitate, scil. conscientiæ, parentelæ, doctrinæ & vitæ ad exemplum B. Catharinæ.

De eodem, Sermo 5.

DEuorauit virga Aaron virgas eorum. Exod. 7. Quondam dixit Apostolus quod infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia: eius cõfusio magis procedit ex virtute eligentis Dei quã electi infirmi. Vnde quem Deus vult iuuare nullus ei potest nocere: secundum illud Psal. Dominus mihi adiutor; & ego despiciam omnes inimicos meos. Et ideo quia adiuuit Moysen contra magos non potuerunt ei nocere: imo deuorauit virga Aaron virgas eorum. Sic quia adiuuit Catharinam contra sapientes Græciæ nõ potuerunt resistere sapientiæ & [illegible]ritui loquebatur: Imo eos conuicit & conuertit; vt adhuc verum sit dicere: quia, deuorauit virga Aaron, id est sapientia Christi loquentis per virginem, virgas sapientum: sapientia mundi secundum glo.

Vbi commendatur Catharina ex tribus. ex virtute: ibi, virga. Virga enim secundum Isidorum, dicitur à virtute. Ex nobilitate: ibi, Aaron. id est Christi cuius sapientia nobilior est aliis. Ex vtilitate: ibi, deuorauit virgas eorum, i.e. erro-

tes mundanæ sapientiæ eorum. vt per eam factum sit quod Dominus antiquitus prædixit. Perdam sapientiam sapientum. 1. Cor. 1.

De eodem, Sermo 6.

NOn potest ciuitas abscondi supra montem posita. Matth. 5. Beata Catharina posita fuit supra montem mundanæ sapientiæ quo ad totum coniunctum: vnde potuit dicere, Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui. Supra montem Sinai quo ad corpus: supra montem cœli quoad animam: & ideo abscondi non potuit secundum quod dicitur hic.

Vbi commendatur ex tribus. Ex merito: quia, ciuitas. Ciuitas quippe sine multiplici ædificio non construitur: nec ipsa sine multiplici merito fuit. Ex præmio: quia, supra montem posita. Ex præconio: quia, non potest abscondi. Ecce ergo in Catharina gratia imitanda: gloria appetenda: fama commendanda.

De eodem, Sermo 7.

SVper senes intellexi: quia mandata tua quæsiui. Psal. 119. Triplici modo acquirit sibi homo intelligentiam pertinentium ad salutem: videlicet per speculum creaturæ: sic intellexerunt primi Philosophi. Rom. 1. Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt, &c. Sap. 13. Speciei enim genera. Per studium scripturæ sic intellexerunt doctores: secundum illud Psalm. Declaratio sermonum tuorum il. Per donum diuinæ gratiæ secundum illud Psal. A mandatis tuis intellexi. Sic intellexerunt sanct. Dei. Prima cognitio est certa. secunda certior. tertia certissima. de hoc potest dicere Catharina Domino, super senes intell. &c.

Vbi commendatur in ea primo excellentia sapientiæ: quia, super senes intelle. Secundo sanctimonia vitæ: quia, mandata Dei quæsiuit.

De eodem, Sermo 8.

DOcebo iniquos vias tuas: & impii ad te conuertentur. Psal. 50. Quatuor causæ reperiuntur in quolibet opere quæ doctrinam beatæ Catharinæ commendant iuxta verbum propositum. Primo efficiens: ibi, docebo. Secundo formalis: ibi, iniquos. Tertio materialis: ibi, vias tuas. Quarto finalis: ibi, & impii, scil. sapientes contra eam disputantes, ad te conuertentur.

De eadem.

Domine in voluntate tua præstitisti, &c. pag. 101. col. 2.

De eadem.

Petra fundebat mihi riuos, &c. pag. 99. col. 1.

De eadem.

Certamen forte dedit illi vt vinceret, &c. pag. 120. col. 1.

De eadem.

De carcere catenisque, &c. pag. 126. col. 1.

Epistola, Corinth. 10. Qui gloriatur. sinu. exhibere Christo. Euangel. Matth. 13. Simile est regnum cœlorum thesau. fin. noua & vetera.

Singulorum sanctorum expletis sermonibus: communes iam omnibus secundum diuersas illorum aureolas subnectamus.

De vno Apostolo, Sermo primus.

VOx turturis audita est in terra nostra. Cant. 2. Sicut transeunte hyeme & verno tempore accedente grata surgunt auium cantica: Sic transeunte vmbra legis & veniente tempore gratiæ grata surrexerunt Apostolorum dogmata: vnde vox turturis, i. e. cætus apostolici secundum gloss. audita est in terra nostra, i. e. in ecclesia: & spiritualiter huius Apostoli qui per turturem designatur. Turtur enim est auis munda: habet gemitum pro cantu: mortuo compare non copulatur. Sic iste munditiã vitæ: gemitum doctrinæ: fidem vnius, scilic. Christi seruauit: vt verum sit de eo quod hic dicitur quia, vox turturis audita est in terra nostra.

Vbi implicantur tria à quibus commendatur: videlicet sanctitas vitæ, in turture, claritas doctrinæ, auditione vocis. vtilitas ecclesiæ nomine terræ nostræ. Ecce sanctitas imitanda, doctrina audienda, vtilitas admiranda.

De eodem, Sermo 2.

AD omnia quæ mittã te ibis & vniuersa quæcunque mandauero tibi loqueris, Hierem. 1. Solet pax inter principes aliquando per viam coniugii reformari: & sic principes inuicem nuptialiter epulantur: Sic summus pater disposuit filium suum mittere ad desponsandum humanitatem nostram & in ea pati mortem: vt sic pace reformata inter ipsum & homines & dilectos filios vocaret ad epulas cœlestes nuptiarum. vnde dicitur Matth. 22. Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo: & misit vocare inuitatos ad nuptias. Serui isti fuerũt Apostoli inter quos iste missus fuit ad partes quasdam qui mandatum Domini exercuit diligenter: vt vere possit ei Dominus dicere quod & dixit Hierem. quia, ad omnia quæ mittam te ibis, &c.

Vbi commendat eum Dominus à duobus. Primo à perfectione obedientiæ debitæ: propter quod ait, ad omnia, &c. Secundo ab eruditione sapientiæ diuinæ: propter quod subdit, & vniuersa quæ, perfectio obedientiæ commendatur ex tribus, scil. quia obediuit vniuersaliter sine exceptione: ibi, ad omnia. Humiliter sine vsurpatione: ibi, quæ mittam te. Personaliter sine substitutione: ibi, ibis. Felix obedientia in qua nihil diminutum quia, ad omnia. nihil superfluum: quia, quæ mittam te. nihil inordinatum: quia, ibis. Eruditio sapientiæ similiter commendatur ex tribus: quia veritatem docuit. Integraliter sine diminutione: ibi, & vniuersa. Veraciter sine errore: ibi, quæ mandauero ibi. Euidenter sine timore, loqueris, secundum illud Psalm. Loquebar de testimoniis.

De eodem, Sermo 3.

LEgatus fidelis sanitas. Prouerb. 13. Christus assistens pontifex futurorum bonorum volens dare præbendas triumphantis ecclesiæ quæ vacabant: misit per mundũ legatos suos, i. e. Apostolos vt fidem prædicando sanarent incredulos ab errorũ cæcitate: & mores corrigẽdo sanarent peccatores à vulnerib. peccatorum. iuxta illud Matt. 10. Euntes prædicate dicẽtes: quia appropinquauit reg. cœlorũ: infirmos curate: mortuos suscitate. tales enim qui carent scientia vel vita

non

non sunt digni recipi ad præbendas. Inter quos legatos iste gloriosus Apostolus fuit vnus qui multos sanauit & corporaliter & spiritualiter: vt verum sit de eo quia, legatus fidelis sanitas.

In quo verbo commendatur ex tribus iuxta numerum trium verborum. Primum est auctoritas ministerii: quia, legatus. Abdi. 1. Legatum ad gentes misit. Secundum est sanctitas ministri: quia, fidelis. 1. Reg. 12. Quis in omnibus seruis tuis. Tertium est vtilitas ministrandi: quia, sanitas, i. e. causa sanitatis. Prouerb. 12. Lingua sapientium sanitas est, & Sap. 6. Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum. Ecce ergo in hoc Apostolo auctoritas veneranda: quia, legatus Christi. Sanctitas imitanda: quia, fidelis ei. Vtilitas appetenda: quia, sanitas populi.

De eodem, Sermo 4.

Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis. Prou. 14. Consuetudo iuris est quod cum alicuius causa in iudicio ventilatur & ei iniuste contradicitur: bonos testes adducit: quorum testimonio causam committit qui & fidem præbeant veritati. Ideo quia causa Christi & christianæ fidei coram principibus imo & coram populis omnibus ventilanda erat & multos habitura cõtradictores adduxit Christus testes fide dignos: scil. Apostolos & eorum sequaces qui veritati fidei testimonium prohiberent: & sic animas infidelium ab errore & peccatis aliis liberarent: hoc est quod dicit Apostolis Act. 1. Accipietis virtutem Spiritus S. superuenientis in vos & eritis mihi. de quorum numero iste gloriosus Apostolus fuit vnus conuertens acquiescentes & conuincens rebelles. vt manifestũ fit in ipso verbum propositum: quia, liberauit animas, &c.

In quo notantur duo ipsum commendantia. Primum est suæ prædicationis vtilitas: quia, liberat animas. Secundum vtilitatis necessitas: ibi, profert mendacia. In primo commendatur prædicatio Apostoli. In secundo vituperatur contradictio populi. In primo commendantur tria, sc. ministerium Apostoli: quia, testes Christi. Esa. 50. Ecce testem in populis dedi eum. præconium ministri: ibi, fidelis. Matth. 25. Serue bone & fidelis. Commodum ministri: quia, liberat animas. Eccles. 9. Vir pauper & sapiens liberauit vrbem per sapientiam suam. In secundo principali vituperantur tria. Primo falsitas cordis: ibi, mendacia. Mentiri enim est contra mentem ire. Euidentia falsitatis: ibi, profert: fallacia operis: ibi, versipellis. In primo vituperatur actus cordis. In secundo actus oris. In tertio actus operis.

De eodem, Sermo 5.

Deus præcinxit me virtute & posuit immaculatam viam meam. Psal. 27. Mos est nobilium vt regum & principum quando filios de milites faciunt: alios quosdam ad militiam promouent propter filiorum honorem & amicitiam specialem. vt cõtra regni insidiatores commilitones habeant in hostium expugnatione & regni dilatatione. Procul dubio Deus pater filiũ suum in incarnatione nouum militem fecit: & in natiuitate contra diabolum & exercitum eius in campo mundi pugnaturum destinauit: cui statim diabolus per Herodem & suos letale bellum indixit. Ideo Deus elegit & fecit milites strenuissimos. scilic. Apostolos inter quos beatissimum N. specialiter elegit & armis filii sui decorauit: propter quod Deo gratias agit & dicit, Deus præcinxit, &c.

Vbi commendat duo sibi data à Deo. Primum est constantia in pugna: quia, virtute præcinxit, Secundum est iustitia in causa: quia, immaculatam viam posuit. Constantiam vero hominis iuuat quatuor. Principis scil. potestas insuperabilis: quod notatur ibi, Deus. quia non est fortis sicut Deus noster. 1. Reg. 2. Potentis charitas infallibilis: quod notatur: ibi, præcinxit, i. e. præarmauit. Apocal. 1. Vidi similem filio hominis præcinctum ad mammillas zona aurea. Armati magnanimitas indefectibilis: quod notatur ibi, me scil. Dauid qui interpretatur manu fortis. Armorum bonitas inseparabilis; ibi, virtute. Psal. Præcinxisti me virtute ad bellum. Vnde bene significatur per Caleph. de quo Eccles. 46. Dedit Dominus Caleph fortitudinem. In quo constantia: & vsque in senium permansit illi virtus. In quo constantiæ perseuerantia. vt ascenderet in excelsum terræ locum. In quo perseuerantis gloria.

De eodem.

Positus sum ego prædicator & Apostolus. supra pag. 161. col. 1.

De pluribus Apostolis, Sermo primus.

A Finibus terræ laudes audiuimus gloriam iusti, Esa. 24. Sicut dicitur in principio de anima. Nobilior est vna scientia alia: aut quia est de nobiliori subiecto: aut quia procedit nobiliori modo. Item aut quia habet meliorem actorem. aut quia assequitur vtiliorem finem. Hinc est quod ratione horum vituperatur doctrina vtpote ratione actoris. Magica: ratione materiæ. Poetica: ratione formæ. Sophistica: ratione finis hæretica. Econtra Apostolorum discipuli more aliorum discipulorum commendant doctrinam apostolicam à quatuor, scil. ab actoris veritate: ibi, à finibus terræ. glos. fines terræ Prophetæ sunt & Apostoli qui de terrenis ad cœlestia volant: & hoc vt ibi videant veritatem. vnde Psalm. Cœli enarrant. A materiæ nobilitate: ibi, laudes. Nihil est similius vitæ cœlesti quam laudare Deum. Psalm. Enarrantes laudes Domini & virtutes eius. A formæ facilitate: ibi, audiuimus, scil. aure interiori, id est intelleximus. Actor. 2. Audiuimus vnusquisque linguam suam illos loquentes. A finis vtilitate: ibi, gloriam iusti. glos. gloriam Christi iustificantis: & sic implicatur duplex vtilitas & gloria Dei & iustificatio impii. vnde parum ante dicitur: in doctrinis glorificate Dominum.

De eodem, Sermo 2.

Sapientia filiis suis vitam inspirauit. Eccles. 4. Secundum Philosophum 2. libro Ethic. Tria habent filii à parentibus. esse, nutrimentum & disciplinam. Sic Deus tria dat sanctis prædicatoribus esse naturæ. nutrimentum gratiæ. disciplinam sapientiæ. ex quibus assequuntur præ-

mium gloriæ. Hæc est quadruplex vita sine qua nullus per prædicationis officium venit ad regnum cœlorũ quam inspirat sapientia filiis suis. gloss. Christus discipulis. vita naturæ est subiectum meriti. vita gratiæ est forma merendi. vita sapientiæ est meritorum nutrix. vita gloriæ est merentium finis. Primam inspirauit Christus discipulis in infusione animę per quam habuerunt viuere. Secundam in infusione gratiæ per quam habuerunt bene viuere. Tertiam in vocatione ad apostolatum per quam habuerunt alios iustificare. Quartam in assumptione ad regnum per quam habuerunt beate viuere. vt de qualibet vita verum sit: quia sapientia, i.e. Christus filiis suis, i.e. Apostolis, vitam inspirauit.

Vbi notantur quatuor vitam apostolicam à Christo datam commendantia, scil. dantis facultas: ibi, sapientia. quæ cum sit vna omnia potest. Sap. 7. Recipientium idoneitas: ibi, filiis suis. parentes enim debent thesaurizare filiis non econuerso. de quibus Eccles. 3. Filii sapientiæ ecclesia iustorum. Doni pretiositas: ibi, vitam. Hoc est quod omnia appetunt. Dandi veritas: ibi, inspirauit, i.e. intus spiraui. Spiritus enim vbi vult spirat: Ioh. 3.

De eodem, Sermo 3.

ERit dies in qua clamabunt custodes in monte Ephraim surgite & ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum. Hierem. 31. Inuitantes alios pro inuitatis non solent mittere donec parata sunt omnia competenter: & etiam tales mittunt qui sciant in via dirigere ignorantes. Ante passionem Domini ianua non erat aperta: vnde nec intrare possent homines si venirent. Item vnum de præcipuis ferculis, scilic. Deus homo nondum erat paratus. Sed per Christi passionem aperta est ianua: parata sunt complete omnia. Ideo post passionem loquens nunciis suis de regno Dei misit illos publice per mundum clamare & dicere hominibus vt surgerent & ascenderent ad nuptias agni: secundum quod prædixit antiquitus Hieremias: quia, in die illa, scil. gratiæ, clamabunt custodes. gloss. Apostoli & Apostolici viri, surgite, &c.

Vbi notantur quatuor motiua veniendi siue ascendendi ad illud conuiuium. Primum est horæ competentia: ibi, erit dies, scil. tempus gratiæ. de qua Rom. 13. Nox præcessit: dies autem appropinquauit. elapsa hac hora claudetur ianua: nec intrabit aliquis vltra. Secundum est nunciorum instantia: ibi, clamabunt custodes in monte Ephraim surgite. Esa. 58. Clama ne cesses. Tertium est dirigentium per viam sapientia: ibi, ascendamus in Sion. glos. in ecclesiam per fidem: quia aliter sumus extra viam. Esa. 2. Venite ascendamus ad montem Domini & ad do. Quartum est intrantium ad festum iugis lætitia: ibi, ad Dominum Deum nostrum. ibi enim erit Grata reuerentia summæ maiestatis: quod notatur in, Domino. Aperta visio primæ veritatis quod notatur in, Deo. Beata fruitio summæ bonitatis: quod notatur in, nostrum. Ergo videbimus, amabimus, laudabimus, secundum Augustinum.

De eodem, Sermo 4.

VIdebitis & gaudebit cor vestrum. Esa vlt. Sicut mulier cum parit tristitiã habet sed gaudet post modum cum viderit pulchrum quem peperit filium: & sicut agricola laborat in agricultura: sed tamen gaudet visa messe multa & bona: Sic Apostoli laborauerunt & multa perpessi sunt in prædicatione: sed gauisi sunt visa multorum conuersione. secundum illud Psalm. Euntes ibant, &c. hoc est quod prædixit Esaias quasi loquens Apostolis, videbitis. gloss. ô Apostoli multitudinem gentium venientium ad fidem: & gaudebit cor vestrum de salute eorum.

Vbi prædicuntur tria futura in Apostolis. Primum est præsens intuitio laboris fructiferi: ibi, videbitis. Ioh. 4. Leuate oculos vestros & videte re. Secundum est sequens iucundatio de fructu tali: ibi, & gaudebit. 1. Thessal. 2. Quæ est enim nostra spes aut gaudium aut co. gloriæ. nonne vos ante Dominum. Tertiũ est ingens intentio talis gaudii: ibi, cor vestrum. Non enim est oblectamentum super cordis gaudium.

De eodem, Sermo 5.

MIhi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Psal. 38. Aliud præmium habebunt amici mundi: aliud amici Dei: quia amici mundi in fine omni gloria & honore exuentur: quia nouissima senectus eorum sine honore. Sap. 3. Propter quod Psal. ne timueris cum diues factus fuerit homo & cum multiplicata. sed amici Dei omni gloria & honore coronantur. Nam gloria & honor & pax omni operanti bonum. Rom. 2. Licet quidam fatui non sperauerunt mercedem iustitiæ: & ideo non iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Sap. 2. Qui videntes exitum rei contrarium postmodum dixerunt nos insensati vitam illorum æsti. insa. & finem sine honore, ecce, &c. Reprobata ergo talium opinione ait Psalm. Mihi autem. id est iudicio meo, nimis honorati, &c.

Vbi primo promittit suam sententiam esse firmam cum dicit, mihi. quasi quicquid sit de aliis: ita est de me. Secundo proponit sententiam promissam: cum subdit, nimis honorati, &c. In qua tangit quatuor: videlicet quorũdam amicitiam: ibi, amici: & quia non omnes amici sunt honorandi: subdit amicorum differentiam: ibi, tui Deus: & quia soli tales honore sunt digni. assetit talium gloriam: ibi, honorati. & quia honor ille est ineffabilis: addit gloriæ excellentiam: ibi, nimis. Hest. 6. Hoc honore dignus est quem rex voluerit honorare.

De eodem, Sermo 6.

HOc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Ioh. 15. Vnusquisque quod habet in se vult alios habere nisi forte sit inuidus. Inde est quod dicitur quod scabiosus vellet omnes alios esse scabiosos: & latro latrones. Hinc est quod Dominus diligit omnia & nihil odio habet eorum quæ fecit. vult omnes se inuicem diligere: vnde & hoc præcipit dicens, hoc est præceptum, &c.

Vbi implicantur sex conditiones ad dicta verba implenda mouentes. Prima est singularitas demonstrationis: ibi, hoc est. illud enim quod specialius iniungitur magis oblig. Io. 15. Hoc mando vobis vt dili. gl. sæpe dilectio commendatur quasi sola sit præcipienda. Secunda est districtio obli-

obligationis sibi, præceptum transgressio enim præcepti peccatum graue est quod non simplicis admonitionis. 1. Ioh. 3. Qui non diligit manet in morte. Psal. Tu mandasti mandata tua custo. Tertia est auctoritas obligantis: ibi, meum. glo. ne contemnat. Deut. 6. Custodi præcepta Domini Dei tui. Quarta est facilitas executionis: ibi, vt diligatis. dilectio enim sine dispendio alicui rei ab omnibus potest obseruari. 1. Iohan. 5. Et mandata eius grauia non sunt. Quinta est æqualitas naturalis: ibi, inuicem. omne enim animal diligit simile sibi. Ro. 13. Nemini quicquam de. Sexta est vtilitas imitationis. non enim est curanda dilectio quæ non est meritoria; sicut carnalis vel mercenaria: sed dilectio similis dilectioni Christi est meritoria ideo habenda. Ioh. 13. Cum dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos.

De eodem.

Qui arguunt laudabuntur & super eos, &c. supra pag. 183. col. 1.

Disposui testamentum electis meis. supra pa. 184. col. 2.

Circumdabo domum meam ex his, &c. supra pag. 175. col. 1.

De vno Martyre, Sermo primus.

DEfecit in dolore vita mea. Psal. 30. Probitas iudicatur in milite siue in alio quocunque homine quando magis vult victoriose mori quã ignominiose viuere. Hanc sententiam approbant sapientes & in tempore legis naturæ: quia secundum Philosophum melius est bene mori quam male viuere: & in tempore legis scriptæ. Vnde Eleazarus magis gloriosam mortem quam odibilem vitam amplectens voluntarie præibat ad supplicium. Math. 6. Et in tempore legis gratiæ. Vnde 1. Cor. 9. Bonum enim est mihi mori magis quam vt gloriam meam quis euacuet. Ideo iste gloriosus martyr magis elegit dolorem mortis sustinere quam viuere in errore: & quia quilibet loquitur libenter de sua probitate ideo ad Dei laudem & sui iucundationem & aliorum animationem potuit dicere verbum propositum, defecit in dolore vita mea.

Vbi notantur tria quæ faciunt martyrem. pœna, perseuerantia, & causa. pœna notatur, in dolore. sine dolore quippe non est martyrium vnde potuit dicere illud Matth. 6. Cum à morte possem liberari duros sustineo corporis dolores. Perseuerantia notatur in defectu: ibi, defecit, sc. per mortem. Si enim propter dolorem relinquat quis veritatem non est martyr. Ideo Ecel. 4. Vsque ad mortem certa pro iustitia. Causa notatur: ibi, vita mea. quia enim viuebat in fide sua siue Christi: fecerunt eius vitam deficere naturalem. quid enim defraudat vitam: mors.

De eodem, Sermo 2.

NOn coronabitur nisi qui legitime certauerit. 2. Tim. 2. Sicut dicitur Iob. 7. Militia est vita hominis super terram. nam ex vna parte caro concupiscit aduersus spiritum & è conuerso. Gal. 5. Ex alia parte aduersarius vester diabolus tanquã leo rugiens circumit quærens quem deuoret. 1. Pet. 5. Ex alia parte in mundo pressuram habemus sicut ait Dominus Ioh. 16. Vnde vere necesse habemus certare in hoc mundo. Sed quia non omnis qui portat ensem est bonus miles: nec omnis qui portat coronam bonus clericus: nec omnis qui vadit ad pugnam habet victoriam. Ideo Apostolus tanquam Heraudus spiritualis torneamenti exhortans pugiles spirituales ad certandum docet eos modum vt sic veniant ad triumphum dicens. non coronabitur nisi, &c. Quod audiens iste martyr legitime certauit ideo coronari meruit.

In quo verbo tangit Apostolus tria. Vnum ineuitabile. Aliud vtile. Tertium delectabile. Actus ineuitabilis, scil. certare ideo Ecclesi. 4. Vsque ad mortem certa pro iustitia. Modus vtilis scil. legitime certare. Vnde 1. Corinth. 9. Sic pugno non quasi aerem. Fructus delectabilis, scil. corona gloriæ. Psal. Gloria & honore. Ergo martyr subiit pugnam. habuit patientiam obtinuit coronam: vt possit de eo dicere Ps. Posuisti Domine super caput eius.

De eodem, Sermo 3.

MOdicum laboraui & inueni mihi multam requiem. Eccles. vlt. Sicut terra in se considerata magna est & lata: tamen cœlo comparata reputatur modica. Sic merita sanctorum martyrum in se considerata magna sunt. tamen futuræ gloriæ comparata modica reputantur. Ideo Rom. 8. Existimo quod non sunt condignæ passiones, &c. Hinc est quod iste martyr expertus & laborem martyrii & requiẽ paradisi ad commendandum curialitatem Dei ad animandum pusillanimitatem proximi. ad reprimendum incunditatem sui. potuit vere dicere verbum propositum, modicum laboraui, &c.

In quo duo tangit. Primò modũ meriti: quia, modicum la. Secundo excessum præmii: quia, inueni, &c. Gallice l'ay prou ahané & ay moult trouué grand repos. Meritum describit ex duobus. Ex exercitio pœnali: quia, laboraui. Esa. 1. Laboraui sustinens. Ex mensura exercitii: quia, modicum. 1. Pet. 1. Modicum si contristari oportet in variis tri. Præmium vero describit ex quatuor. Ex habendi facultate: quia, inueni. Matth. 11. Discite à me: quia mitis sum, &c. Ex habentis vtilitate: quia, mihi. i. e. ad vtilitatem meam. Ioh. 4. Domine da mihi hanc aquam. Ex habiti delectabilitate: ibi, requiem. Eccles. 30. Melior est requies æterna quam languor per. Ex delectabilitatis multiplicitate: ibi, multam. Ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

De eodem, Sermo 4.

SEruaui mandata tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in cõspectu tuo. Ps. 118. Verba proposita potuit dicere Deo martyr iste. Sed posset aliquis dubitare cum laudare se sit reprehensibile: quomodo vir sanctus bona sua recitet laude digna. Ad quod Dauid quod alia de causa recitant fatui bona sua; alia de causa iusti. Fatui recitant propter solam gloriam hominum: hi sunt qui faciunt opera sua vt videantur non à Deo sed ab hominibus: de quorum numero fuit Pharisæus. de quo Luc. 18. Non sum sicut cæteri hominum, &c. Sed iusti recitant aut propter honorem Dei quem habent. Aut propter vtilitatem proximi cui exemplum præbent, quibus dicit

Dominus. Matth, 5. Sic luceat lux vestra coram. de quorum numero fuit Paulus qui ait. Corinth. 11. In laboribus plurimis, &c. Sic iste gloriosus martyr dicere potuit sine reprehensione, seruaui, &c.

Vbi dat nobis exemplum in tribus. In operando bonum. In patiendo malum. In ordinando ad Deum. In primo dat exemplum obedientiæ: cum dicit, seruaui mandata tua. Psal. Ab omni via mala prohi. &c. In secundo exemplum patientiæ: cum subdit, & testimonia tua. glos. martyria. Martyr enim idem est quod testis. Act. 1. Eritis mihi testes, &c. In tertio exemplum prudentiæ, quæ scil. dirigit per viam in debitum finem: ibi, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. non in conspectu hominum. Eccles. 23. Oculi Domini multo plus lucidiores, &c. Obedientiæ debemus imitationem. patientiæ compassionem. prudentiæ venerationem.

De eodem, Sermo 5.

EGo sum lux mundi qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ. Iohan. 8. Ambulantes de nocte & ignorantes viam desiderant mirabiliter quatuor, scilic. aspectum lucis, ducatum sapientis, securitatem societatis, finem bonum itineris. Quia ergo omnes ambulamus & nemo quiescit: inuoluti tenebris & incerti de fine mirabiliter desiderare debemus quatuor supradicta: videlicet fidem tanquam lucem. charitatem tanquam ducem. spem tanquam securitatem. gloriam tanquã finem. Hæc autem quatuor habemus à Christo secundum quod ipse innuit in verbo proposito.

In quo proponit se. Primo lucem quam debemus intueri credendo: ideo dicit, ego sum lux mundi. ergo dum lucem habetis credite in lucem vt, &c. Ioh. 12. Secundo ducem quem debemus sequi imitando: ideo subdit, qui sequitur me. Matth. 16. Qui vult venire post me, &c. Tertio tutorem in quo debemus assecurari sperando: ideo addit, non ambulat in tenebris. Eccles. 24. Illuminabo omnes sperantes in Domino. Quarto vitam in qua debemus glorificari fruendo: ideo sequitur, sed habebit lumen vitæ. Lumen enim vitæ est his qui apprehenderint eam & qui tenuerit eam beatus. Prouerb. 3. Sine hac luce rationabilis errat in credendis. sine hoc duce concupiscibilis deuiat in agendis. sine hoc tutore irascibilis trepidat in expectandis. sine hac vita totus homo periclitatur in æternis. Vnde bene dicebat ego sum via veritas & vita.

De eodem, Sermo 6.

CAntate Domino laudate Dominum quia liberauit animam pauperis de manu malorum. Hierem. 20. Consuetudo est cum aliquis exercitus triumphat de suis aduersariis quod fiunt cantilenæ ad laudem principis cuius virtute & sapientia victoria est obtenta. Vnde adhuc cantatur de Carolo, Oliuerio, & Rolando. Quia ergo exercitus martyrum triumphauit de aduersariis fidei virtute & sapientia Domini. quod specialiter patet in isto martyre. ideo clamat Propheta, cantate Domino, &c.

Vbi primo monet soluere præconii debitum: cum dicit, cantate Domino. l.d. Et sic primo inuitat ad gratiarum actionem. Secundo allegat gratias agendi rationem. Gratiæ vero agendæ sunt tripliciter. aperte: quia, cantando, discrete: quia, Domino. pure, canticum nouum laus eius. Circa beneficium martyrii exhibitum implicantur tria secundum tres personas: videlicet tyrannus crudeliter affligens: ibi, de manu malorum. sanctus humiliter patiens: ibi, animam pauperis. Deus potenter eripiens: ibi, liberauit.

De eodem.

Vsque ad mortem certa pro iustitia, &c. supra pag. 153. col. 1.

Certamen forte dedit illi, &c. supra, pag. 120. col. 1.

De eodem.

Fortis est vt mors dilectio. supra pagin. 121. col. 1.

De eodem.

His dictis confestim trahebatur, &c. supra pa. 153. col. 1.

De pluribus Martyribus, Sermo 1.

VIctricem manum tuam Domine laudauerunt pariter. Sap. 10. In libro de causis dicitur quod causa prima plus influit super suum causatum quam secundaria. Quia ergo bonum humanum siue consistat in operando siue in patiendo & est à Deo & est ab homine, sed à Deo tanquam à causa prima. ab homine tanquam à secundaria. Magis influit Deus ab omne bonum quam homo. & ideo magis laudandus. Sicut Dominus qui dat eleemosynam per seruum magis est in hoc laudãdus quam seruus. Hinc est quod sancti Martyres laudabant potentiam Dei per quam sustinentes victoriose peruenerunt ad coronam regni: secundum quod dicitur hic, victricem, &c. glos. laudauerunt loquentes verbum Dei & per martyrium peruenerunt ad præmium regni.

Vbi ad commendationem martyrum sapiens tangit tria. Primo beneficium præstitum: ibi, victricem. Ioh. 16. Confidite ego vici mundum. Beneficium inclitum, ibi: manum t. Psal. Emitte manum tuam de alto. Præconium debitum: ibi, laudauerunt pariter. Apoc. 19. Laudem dicite Deo omnes sancti eius. Vide ergo beneficium appetendum quod est, victoria. Beneficium venerandum quod est manus diuina. Præconium exsoluendum quod est laus multa. Corinth. 15. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum qui mor. pro nobis.

De eodem, Sermo 2.

MVltæ tribulationes iustorum & de omnibus his liberauit eos Dominus. Psalm. 33. Creaturarum rationabilium quædam nec patiuntur tribulationem in præsenti neque in futuro. Sic angeli boni qui nec peccatum contraxerunt originaliter. nec commiserunt actualiter. de quorum quolibet potest exponi illud Esa. 63. In omni tribulatione eorum, scil. dæmonum & hominum non est tribulatus. Quædam patiuntur tribulationem & in præsenti & in futuro: sicut mundani cupidi & iracundi obstinati. de quibus Esa. 46. Cum clamauerit ad eum non exaudiet: de tribulatione non saluabit eos. Alii non patiuntur tribulationem in præsenti: sed in futuro vt voluptuosi qui ducunt in bonis dies suos & in pun. de quibus Prou. 1. Despexistis omne consilium meum, &c. & post. ego quoque

inu-

In interitu vestro ridebo. quando venerit super vos tribulatio &c. Quartæ patiuntur tribulationem in præsenti: sed non in futuro vt viri iusti. de quibus dicitur hic. multæ tribulationes iustorum & de omnibus his &c.

In quibus verbis notatur duplex status martyrum: Primus est aduersitatis præsentis qui notatur in multiplicitate tribulationis. Secundus est prosperitatis sequentis qui notatur in generalitate liberationis. Sic enim magnanimus princeps volens probare strenuitatem filii sui ipsum diu flagellari permittit: sed ad vltimum succurrit secundum illud Psalm. Clamauerunt iusti & Dominus exaudiuit eos & ex omnibus tri. Circa statum aduersitatis notantur in istis tria imitanda. scil. innocentia in operando: ibi, iustorum. Iustus enim est qui reddit vnicuique quod suum est, & ita nulli nocet. Prou. 13. Iustitia custodit innocentis viam. Patientia in sustinendo. ibi, tribulationes. tribulatio enim materia est patientiæ Rom. 12. Spe gaudentes in tribulatione pa. perseuerantia in continuando: ibi, multæ. Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in reg. cæl. Circa statum prosperitatis implicantur commendabilia. sc. liberantis potestas: quia, Dominus. Ps. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Liberationis veritas: ibi, liberauit. Ioh. 8. Si filius vos liberauerit vere liberi eritis. Liberandi generalitas: ibi, de omnibus his. Apoc. 7. Absterget Deus omnem lachrymam.

Sermo 3. De Eodem.

IVstorum semita quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectam diem. Prouer. 4. Populus gentium qui ambulat in tenebris per vias ignotas: gaudenter sequitur aspectum lucis quia ostendit viam & dirigit viatorem. nos quippe inuoluimur tenebris & ambulamus vias ignotas: quia nemo scit an odio vel amore dignus sit. ideo gaudenter debemus sequi viam, id est imitari vitam sanctorum: quia, iustorum semita quasi lux &c. secundum quod hic dicitur.

Vbi & horum & aliorum sanctorum vita nobis proponitur in exemplum quantum ad tria. quantum ad inchoationem. progressionem & consummationem, id est quantum ad initium medium & finem. quantum ad initium ingressus dicitur, iustorum semita. quantum ad medium progressus dicitur, lux splendens procedit. quantum ad finem egressus dicitur, & crescit vsque ad perfectam diem. Initium bonæ vitæ proponitur in duobus quæ debet habere pœnitens. In punitione mali; ibi, iustorum. Tob. 13. Conuertimini peccatores & facite iustitiam coram Domino &c. In aggressione boni: ibi, semita. Semita enim dicitur arcta & recta via. Prou. 12. In semita iustitiæ vita. Progressus vero bonorum proponitur in tribus quæ debet habere iustus. debet quippe lucere in seipso per puritatem: secundum illud Matth. 6. Vos estis lux mundi. quod notatur ibi, lux. Splendere in exemplo per honestatem: secundum illud Abac. 3. Splendor eius vt lux erit: quod notatur ibi, splendens. Procedere in merito per probitatem secundum illud Psalm. Spem tuam &c. quod notatur ibi, procedit. Consummatio vero bonorum proponitur in tribus. In multiplicatione boni meritorii ibi, & crescit. 2. Pet. 3. Crescite in gratia & in cognitione Domini nostri Iesu Christi. In continuatione boni multiplicati: ibi, vsque ad perfectam. Matth. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem. In adeptione boni desiderati: ibi, diem. Hæc est dies quam fecit Dominus de qua Psal. Melior est dies vna &c.

Sermo 4. De Eodem.

REddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Sapient. 10. Antiquitus permisit Dominus mercedem suis seruientibus. Ierem. 31. quiescat vox tua a ploratu & oculi tui a lachrymis: quia est merces operi tuo ait Dominus. ideo Ecclesiast. 36. Da mercedem Domine sustinentibus te vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Sicut autem promisit; sic reddidit. non enim est Deus quasi homo vt mentiatur: nec vt filius hominis vt mutetur, sicut dicitur. Num. 23. Hinc est quod congratulans gloriæ martyrum sapiens ait reddidit Deus merc. &c.

Vbi de hominibus quatuor dicuntur. scilicet apud quem merentur: quia apud Deum. ideo dicit, reddidit Deus. Roman. 2. In die iusti iudicii Dei qui reddet vnicuique iuxta opera sua. Quid merentur: quia, mercedem. Matth. 20. voca operarios & redde illis mercedem. Per quem merentur: quia, per laborem suum. Qui merentur quia, sancti; ideo dicit, sanctorum suorum. Psalm. Gloria hæc est omnibus sanctis eius. In primo commendatur præmiantis veritas: quia, reddidit. In secundo præmii integritas: quia, mercedem. In tertio præmiandi æquitas: quia, laborum. In quarto præmiatorum idoneitas: quia, sanctorum suorum.

Sermo 5. De Eodem.

GAudium victoriæ huius celebratum est cũ Iudith. Iud. 16. Anima versatur in motibus suis secundũ quatuor affectiones, scil. gaudium, & spem, dolorem & timorem. Nam mouetur anima: aut propter bonum: aut propter malum. Si propter bonum aut præsens & tunc gaudet: aut futurum & tunc sperat. Si propter malum aut præsens & tunc dolet: aut futurum & tunc timet. Quia ergo victoria martyrum est quoddam magnum bonum; ideo cum gaudio debet celebrari secundum quod hic innuitur cũ dicitur, gaudium victoriæ huius. glo. passionis, resurrectionis, ascensionis, martyrum, confessorum quæ colit ecclesia vita & motibus gloriosa.

Vbi innuitur quod debemus festiuare lætanter; rationabiliter, solenniter, & innocenter vt lætitia ea hilarem efficientem: ideo dicit, gaudiũ. Psal. Tunc repletum est gaudio os nostrum &c. Rationabilitas teneat materiam vt non de vanitate sed de bono gaudeamus: ideo dicit, victoriæ huius. Sap. 10. Victricem manum tuam &c. solennitas decoret formam: ideo dicit, celebratum est. Eccl. 47. dicitur de Dauid. dedit in celebrationibus decus. Innocentia seruet finem; ibi, cum Iudith. i. in confessione peccati: quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Naum. 1. celebra festiuitates tuas Iuda &c.

Sermo 6. De Eodem.

AScenderunt de monte Galaad Cant. 4. Antiquitus quæsiuit vnus de senioribus paradisi à Iohanne Apocal. 7. Hi qui sunt amicti stolis albis, qui sunt & vnde venerunt. Et respondit idem senior. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna & lauerunt stolas suas in sanguine agni: ideo sunt ante thronum Dei. Hoc est quod dicitur hic per alia verba, ascenderunt de monte Galaad, glo. de mõte martyrum. Sic enim scholares post augustias examinationis approbati ascenderunt ad cathedram. Sic martyres ad gloriã secundum quod dicitur hic.

Vbi notantur tria de martyribus Vitæ nobilitas: ibi, de monte. Psal. suscipiant montes pacem populo. Mortis acerbitas: ibi, Galaad. i. Martyrum. Heb. 11. Egentes angustiati &c. Premii sublimitas: ibi, ascenderunt. Apoc. 11. Ascenderunt in cælum in nube: quia viderunt illos inimici eorum. Vita est in exemplum innocentiæ. Mors in exemplum patientiæ. Premium in appetitum gloriæ.

Sermo 7. De Eodem.

BEati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matth. 5. Pugiles isti conductitii dubitant subire gagium belli siue duelli propter duo. quãdo scilicet non constat eis de merito causæ nec de præmio pugnæ, id est quando nesciunt vtrum iusta sit causa aut iniusta: & vtrum magnum præmium habeant aut paruum: sed cum aliquis magnus fide dignus: de bonitate causæ certum facit & præmium magnum promittit, libenter aggrediuntur bellum.

Ideo Martyres gloriosi contra tyrannos pro iustitia fidei pugnabant: quia ipse Deus & causam commendabat & præmium promittebat. commendando causam dicit, beati qui persecutionem patiuntur propter iusti. 1. Pet. 4. Si quid patimini propter iustitiam beati. promittendo mercedem addit, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matth. 10. Sinite paruulos venire ad me &c. Circa primum implicantur tria quæ faciunt Martyrem, scilicet pœna: ibi, persecutionem. Psal. principes persecuti sunt me. perseuerantia: ibi, patiuntur. Eccl. 1. Vsque ad tempus sustinebit patiens & postea redditio. iocunditatis causa: ibi, propter iustitiam. Act. 5. Ibant Apostoli gaudentes &c.

De Eodem.

Scientes quod sicut socii passionum &c. supra pag. 175. col. 2.

Fratres in adiutorium in tempore &c. supra pag. 148. col. 1.

De Eodem.

Melius est duos esse simile quam vnum. supra pag. 148. col. 2.

De Eodem.

Ecce quam bonum & quam iocundum &c. pag. 148. col. 1.

De vno Confessore & prælatis, Sermo primus.

VIdete quoniam non mihi soli laboraui sed omnibus exquirentibus veritatem. Eccl. 24. Sicut oculus corporalis non tantum videt ad dirigendum & conducendum se sed ad dirigendũ alia membra: sic oculus spiritualis. s. doctor & prædicator. Vnde glo. Ecclesia. Doctor nõn solum sibi sed & aliis scribendo & docendo proficit: quod patet in hoc sancto Doctore. Vnde potuit vere dicere verbum propositum.

In quo facit duo. Primo excitat alios ad aspectum veri: cum dicit, videte. Sed heu multi sunt sicut idola. de quibus Psalm. Oculos habent & non videbunt. Secundo proponit se in exemplũ boni: cum subdit, quoniam non mihi soli. Charitas enim non quærit quæ sua sunt: tantum supple. Cor. 13. Vbi tangit tria commendabilia, scil. suam sollicitudinem: cum dicit, laboraui. Psal. laboraui clamans. sollicitudinis ordinem: cum subdit, mihi. Tim. 4. Attende tibi & doctrinæ. ordinatę sollicitudinis amplitudinem: cum addit, sed & omnibus exquirentibus. 2. Corint. 11. Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum.

Sermo 2. De Eodem.

SEmen honorabitur hoc quod timet Deum. Eccl. 10. Aliter exhibetur honor in præsenti seculo, aliter in futuro. Nam in præsenti quandoque honorantur indigni secundum illud Psal. Inimici vero Domini mox vt honorificati fue. &c. Et exhonorantur sancti: secundum illud. Sap. 2. Non iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Sed in futuro soli digni honorabuntur. Vnde in inferno nullus honorabitur; quia nullus dignus. Sap. 3. Sine honore erit nouissima senectus eorum. In paradiso quilibet honorabitur: quia quilibet dignus: quia semen honorabitur hoc quod timet Deum. quod specialiter patet in hoc confessore qui timuit Deum: & ideo merito modo honoratur.

In quo verbo tria notantur. Subiectum meriti: quia, semen hominum. Eccl. 15. Ante hominem vita & mors: bonum & malum &c. Radix merendi: ibi, hoc quod timet Deum Eccles. 15. Qui timet Deum faciet bona &c. Opportunitas præmii: ibi, honorabitur in paradiso & si non semper in mundo. Luc. 14. Amice ascende superius & erit tibi honor coram simul dis. Fœlix in quo vigent ista tria. Natura humana: quæ notatur in semine. Gratia diuina: quæ notatur in timore. Gloria æterna: quæ notatur in honore.

Sermo 3. De Eodem.

SErue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. Antiquitus promisit Dominus seruis suis refectionẽ gaudii cælestis dicens. Ecce serui mei comedent & vos esurietis. &c. Sed quia clausa erat ianua interdicto posito propter peccatum primorum parentum: nullus intrabat ad illam refectionem: nec promissio soluebatur. Sed modo aperta ianua per passionem Christi, promissio antiqua soluitur & dicitur, serue bone &c.

Vbi Dominus duo facit. Primo vocat curialiter: cum dicit, serue bone &c. Secundo remunerat excellenter: cum addit, intra in gaudium. Ergo vocat commendando meritum. remunerat conferendo præmium. Circa primum implican-

tur tria propter quæ seruus meretur præmium quæ sunt: humilitas in officio, bonitas in seipso, fidelitas in comonisso. Hoc est dictu quando seruit humiliter propter quod dicitur, serue. Psal. Seruite Domino in timore. quando viuit innocenter: propter quod dicitur, bone. Roman. 6. Nunc autem liberati à peccato serui autem facti Deo &c. Luc. 1. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi. Quando dispensat fideliter: propter qood additur, & fidelis. Prouerbior. 28. Vir fidelis multum laud.

Circa primum impleantur tria. Obtinendi veritas: cum dicitur, intra Sapient. 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. Obtenti iocunditas: cum subditur, in gaudium. Esa. vlt. Videbitis & gaudebit cor vestrum. Obtinentis securitas: cum additur, Domini tui. Psal. Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo &c.

De eodem, Sermo 4.

IN memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit. Psalm. 111. Sicut dicitur. 1. Iobann. 2. Mundus transit & concupiscentia eius. Et omnes mundani pariter erunt gementes & memoria eorũ peribit vt dicitur. Sapient. 4. & in Psalm. Peribit memoria eorum cum sonitu horrendo: videlicet vocis Christi iudicantis: cum dicet illis. Nescio vos discedite à me operarii iniquitatis. Qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum. Vnde & si moriatur iustus secundum carnem in hac vita: viuit tamen secundum animam æternaliter in gloria. Sapient. 5. Iusti autem in perpetuum viuent. viuit etiam indelebiliter laudabili fama. Prouerb. 10. Memoria iusti cum laudibus. hoc patet in hoc sancto de cuius memoria annuatim solemnizat ecclesia: vt verum sit de eo quod antiquitus dicit Psalm. quia in memoria æterna erit iustus.

Vbi notantur tria ipsum commendantia, scilicet meritum iustitiæ: cum dicitur, iustus. Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens &c. Præmium laudis perpetuæ: cum subditur, in memoria æterna. Psalm. Iustitia eius manet in seculum seculi. Euasio omnis pœnæ: cum additur, ab auditione mala non timebit. Quoniam mala est auditio ite maledicti in ignem æternum. Iustus autem quasi leo confidens absq; terrore erit.

Sermo 5. De Eodem.

DE omni corde suo laudauit Dominum & dilexit Deum qui fecit illum. Ecclesiast. 47. Inter cætera quæ sunt in hac vita duo sunt quæ maxime repræsentant ea quæ erunt in vita æterna. Vnũ exterius scilicet exhibitio laudis. Aliud interius scilicet deuotio amoris. Vnde Augustinus: videbimus, amabimus, laudabimus. Ab his duobus commendatur sanctus iste. Primo ex deuotione laudis: quia, de omni corde suo laudauit Ecclesiast. 43. Benedicentes Dominum exaltate eum quantumcunque potestis maior est enim omni laude. Secundo ex feruore dilectionis: quia, dilexit Deum &c. secundum illud Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. In primo tangit tria. opus debitum: ibi, laudauit. Psalm. Benedicam Dominum &c. modum perfectum: ibi, de omni corde. Prouerb. 23. Præbe fili mi cor tuum mihi. subiectum: ibi, Dominum. Psalm. Laudate Dominum omnes gentes. In secundo similiter tangit tria. opus gratum: ibi, dilexit. subiectum congruum: ibi, Deum: motiuum debitum: ibi, qui fecit illum.

Sermo 6. De Eodem.

IN pace & æquitate ambulauit mecum & multos auertit ab iniquitate. Malach. 2. Sicut ait Apostolus Corinth. 10. Non enim qui seipsum commendat ille probatus est: sed quem Deus commendat. Hinc est quod sanctus iste probatus esse dicitur quia à Deo commendatur: sicut bonus bacalarius à Magistro à quo didicit vel sub quo incepit: sicut vere pacificus & fidelis à Domino cui seruiuit. dicit ergo Dominus de sancto isto, in pace &c.

Vbi commendat eum à duobus. Primo à sanctitate vitæ: quia, in pace & æquitate ambu. Hoc est quod Dominus volt secundum illud. Genes. 23. Ambula coram me & esto per. Secundo ab vtilitate doctrinæ: quia, multos auertit ab iniquitat. Esa. 28. Vocaberis ædificator sæpium auertens semitas iniquitatis. Tria vero ostendunt sanctum istum perfectum in vita. Tranquillitas ad seipsum: quod notatur, in pace. Matth. 5. Beati pacifici. Conformitas ad proximum: quod notatur, in æquitate. Leuit. 30. Nolite iniquum aliquid facere in regula, in pondere, in mensura, in statera iusta & æqua sint pondera. Humilitas ad Deum: quod notatur, ambulauit mecum. Nouerat enim illud Mich. 6. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum. &c. Beatus ille seruus qui & pacatus in seipso & conformis proximo & humilis Deo inuenitur. Doctrina vero eius commendatur: quia docuit generaliter: ibi, multos secundum illud Iob. 4. Ecce docuisti plurimos. efficaciter: ibi, auertit. Iob. 2. Erudiens eos instruit disciplina vt auertat hominem ab his quæ fecit. vtiliter: ibi, ab iniquitate. Psalm. Docebo iniquos vias. Ergo vixit tranquilliter, conformiter, humiliter. docuit generaliter, efficaciter, vtiliter.

De pluribus Confessoribus, Sermo primus.

HVmiles spiritu saluabit. Psalm. 33. Aliud intendit diabolus: aliud Deus. Nam diabolus intendit hominem per superbiam deiicere sicut & ipse deiectus est. secundum illud Esa. 14. Detracta est ad inferna superbia tua. Econtra Deus intendit hominem per humilitatem saluare. Nam cum ipse sit humilis: humiles vult habere socios. Ideo sancti Confessores humiliter Deo seruierunt & viuere studuerunt: & ideo à Deo saluari meruerunt: quia sicut hic dicitur, humiles spiritu saluabit.

Vbi ostenduntur duo de ipsis Confessoribus. Primo meritum humilitatis: quia, humiles. Secun-

Secundo præminm fœlicitatis: quia, saluabit. Circa primum implicantur duo. Primo sanctorum humilitas: quia, humiles. Secundo humilitatis veritas: quia spiritu. Et sic secundũ tria verba notantur tria cõmendabilia vitæ sanctorum. humilitas: quia, humiles. Audierunt enim illud Matth. 11. Discite à me quia mitis &c. Humilitatis veritas: quia, spiritu. secundum illud Matt. 5. Beati pauperes spiritu. Est enim qui nequiter se humiliat. Veritatis vtilitas: quia, saluabit. Iob. 22. Qui humiliatus fuerit erit in gloria.

Sermo 2. De Eodem.

SInt lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes & vos &c. Lucæ. 12. Antiquitus dixit Propheta de Christo Abac. 3. Si moram fecerit expecta eum: quia veniens veniet & non tardabit. Veniens enim indilate veniet insperate: & non tardabit iustitiam facere: quia in morte cuiuscunque. Volens ergo Dominus nos esse paratos ait, Sint lumbi vestri præcincti. &c. Exemplo sanctorum confess. ad quorum laudem recitantur verba dicta. In quibus monet Dominus nos esse præcinctos: seruidos & excicatos. Vnde vult nos habere cingulum castitatis: propter quod dicit, sint lumbi vestri præcin. Iob. 40. Accinge sicut vir lumbos tuos. Cereum charitatis: propter quod subdit, & lucernæ ardentes. Iohan. 4. Erat Iohannes lucerna ardens & lucens. Habitũ probitatis: propter quod addit, & vos similes &c. Psalm. Expecta Dominum & custodi viam eius &c. In primo monemur ad vitandum malum. In secundo ad operandũ bonum. In tertio ad constanter perseuerandum.

De Eodem.

Iustus cor suum tradet ad vigilandum. supra pag. 101. col. 1.

De Eodem.

Vir fidelis multum laudabitur supra pag. 101. colum. 1.

Iustum deduxit Dominus per vias rectas. sup. pag. 109. col. 1.

De Eodem.

Amice ascende superius. supra pag. 61. col. 1. & pag. 110. col. 1.

De vna Virgine & plurimis, Sermo primus.

TOta pulchra es amica mea & macula non est in te: veni de libano sponsa mea veni de libano veni coronaberis. Cant. 4. Quoniam autem videmus in corporalibus quod post sponsalia sequitur coniugium in quo coniuges optatis nuptiis potiuntur. Sic & in spiritualibus post sponsalia contracta per fidem & gratiam animæ cum Christo. Iuxta illud Oseæ 2. Sponsabo te mihi in fide. sequitur coniugiũ contractum per gloriam. In quo anima regali diademate coronata fruitur sponso suo ineffabili delectatione.

Ad quam gloriam vocat Christus sponsam istam ostendens affectum suum ad ipsam tripliciter, scilicet commendando, inuitando, promittendo. Ergo primo commendat mirabiliter præcipuam sanctitatem: cum dicit, tota pulchra es amica. Secundo inuitat cordialiter ad suam societatem: cum subdit, veni de libano. Tertio promittit veraciter perpetuam dignitatem: cum addit, coronaberis. Commendat autem eam ex tribus. Primo ex honestate conuersationis: ibi, tota pulchra. Iudith. 11. Non est talis mulier &c. Ex veritate dilectionis: ibi, amica mea. Prou. 22. Qui diligit cordis mundiciam &c. Ex integritate castitatis: ibi, & macula non est in te. Apoc. 14. Sine macula sunt ante thronum Dei. Ecce ergo honestas in corpore, charitas in corde, castitas in vtroque. Inuitat autem virginem sic commendatam ad tria & propter tria. Primo ad thalamũ: quia, sponsa. & hoc quantum ad locum patriæ: ideo dicit, veni sponsa. Cant. 5. Veni in hortum meum soror mea sponsa. Secundo ad amplexum quia munda: & hoc quantum ad statum gloriæ: ideo subdit, veni de libano. libanus interpretatur candidatio. Cant. 2. Surge propera amica &c. Tertio ad regnum: quia coronanda & hoc quãtum ad gradum aureolæ: ideo addit, veni coronaberis. Apocal. vlt. Sponsus & sponsa dicunt veni.

Sermo 2. De Eodem.

ORa pro nobis quoniam mulier sancta es. Iudith. 8. Consuetudo & cautela bona fuit antiquorum habentium causam magnam vel negotium arduum coram rege vel principe prius interpellare aliquem familiarem principi & ei negotium suum recommendare. sic Adonias interpellabat Bersabee vt pro ipso loqueretur Dauid. 3. Reg. 2. Sic Mardochæus Hester. Procul dubio gloriosa ista summi regis est amica & dilecta: reginæ domicella. ideo expedit nobis ad ipsam deuote clamare verbum propositum. scil. ora pro nobis &c.

In quo primo imploratur voluntas adiuuandi: cum dicitur, ora. Apocal. 8. Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum in conspectu Dei. Secundo implicatur necessitas adiutorii: cum subditur, pro nobis. Hest. 15. Loquere regi pro nobis & libera nos de morte. Tertio potestas impetrandi: cum additur, quoniam mulier sancta es. Eccl. 24. In plenitudine sanctorum detentio mea. Ideo Iob. 5. Ad aliquem sanctorum conuertere.

Sermo 3. De Eodem.

MVlier timens Deum ipsa laudabitur. Prou. vlt. Sicut scientia in clerico, fidelitas in seruo, probitas in milite, sic timor laudatur in muliere: quia sicut dicitur Eccl. 26. Mulier sensata & tacita non est immutatio eruditæ animæ: gratia super gratiam mulier sancta & pudorata: & ista quatuor, scilicet sensus & taciturnitas pudor & sanctitas proueniunt ex timore Dei, ideo mulier timens Deum ipsa laudabitur: & ideo quia talis fuit ista merito verificata sunt de ipsa verba antiquitus dicta.

In quibus notantur tria. sexus conditionis: quia, mulier. signum perfectionis: quia, timens Deum. premium commendationis: quia, laudabitur. In primo commendatur ex specie naturæ: quia mulier. Eccl. 26. Sicut sol oriens mundo &c. In secundo ex dono gratiæ: quia, timens Deum. Eccl. 15. Qui timet Deum faciet bona. In tertio ex præmio gloriæ: quia, laudabitur. Ps. Initium sapien-

ſapientiæ timor Domini intellectus &c. Eccl. 1. Timenti Deum beoe erit &c.

Sermo 4. De Eodem.

SPecies mulieris bonæ eſt ornamentum domus ſuæ. Eccleſiaſt. 26. Sicut dicitur Prouer. vlt. Fallax gratia & vana eſt pulchritudo: vnde verificatur illud quod communiter dicitur. parũ valet pulchritudo ſine bonitate. immo quandoq; nocet. ſed quando mulier eſt pulchra & bona tunc eſt appretianda.

Ideo Dominus iſtam virginem oſtendens per omnia commendabilem: nominat in ipſa tria ſpecialiter approbanda. quæ ſunt: bonitas, ſpecioſitas, & honeſtas: quaſi dicat fuit bona, pulchra, & honeſta. Bona dicitur propter ſanctitatem vitæ. Eccleſiaſt. 26. Pars bona mulier bona. Specioſa propter decorem operationis bonę. Pſalm. ſpecie tua & pulchritudine &c. Ornata dicitur propter decentiam conuerſationis honeſtę. 1. Pet. 4. Sic enim ſanctæ mulieres in Domino non in ornatu veſtium ornabant ſe.

De pluribus Virginibus, Sermo primus.

PRudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Matth. 25. Secundum Philoſophum habitus cognoſcuntur per actus. Quia ergo in hoc mundo alii ſunt prudentes: alii fatui; ſicut videmus fere in qualibet congregatione. Vnde & communiter dicitur quod non omnes poſſunt eſſe ſapientes: nec expedit quod omnes ſint fatui. Prudentes diſtinguimus ab aliis per ipſorum opera. Nam prudentes ſibi prouident de futuro ſicut prudentes mercatores de mercimoniis lucroſis. Fatui enim quia non timent, donec experiantur. Hoc enim patuit in hac proceſſione virginum quarum quinq; erant fatuæ & quinque prudentes. Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus ſicut dicitur hic.

Vbi commendatur à tribus. Primo à gradu excellentiori munditiæ: ibi, virgines. Corinth. 7. Innupta & virgo cogitat quæ Dei ſunt vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Secundo ab habitu interiori prudentiæ: ibi, prudentes. Prouerbio. 14. In corde prudentis requieſcet ſapientia. Tertio ab actu interiori prouidentiæ: ibi, acceperunt oleum, ſcilicet pietatis, cum lampadibus. honeſtæ conuerſationis. Epheſ. vlt. Accipite armaturam Dei. munditia ornat affectum. prudentia intellectum. prouidentia effectum.

Sermo 2. De Eodem.

QVæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias. Matth. 25. Feſtinantes ingredi in illam requiem ſemper debent eſſe parati. ideo Eccleſiaſt. 18. ante iudicium para iuſtitiam. Ad præparationem vero ſpiritualem debet nos mouere quatuor quæ mouent vnumquemque ad operandum, ſcilicet quando opus eſt gratum, neceſſarium, honorificum, fructuoſum. Parare vero eſt opus gratum. Pſalm. Præparationem cordis eorum audiuit au. t. Amos. 4. Præparate in occurſum Dei tui. Intrare in cælum opus neceſſarium. Matth. 7. Intrate per anguſtam portam. Lucæ. 14. Compelle intrare ſed cum Chriſto honorificum. Eccleſiaſt. 23. Gloria magna eſt ſequi Dominum: quanto maior intrare cum eo, ſed ad nuptias fructuoſum. Apocal. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. Ideo iſtæ glorioſæ Dominę parauerunt ſe & intrauerunt &c. ſecundum quod dicitur in verbo propoſito.

In quo dicto quatuor notantur à quibus commendantur. gratioſitas debita: quia paratæ erant. Apocalyp. 19. Vxor agni præparauit ſe. Introductio neceſſaria quia intrauerunt. Matth. 25. Serue bone. Societas honorificata; quia, cum eo. Apoc. 3. Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo. Feſtiuitas fructuoſa: quia, ad nuptias. Matth. 22. Omnia parata ſunt venite ad nuptias.

Sermo 3. De Eodem.

ADducentur regi virgines poſt eam. Pſalm. 24. Secure vadit ad Feſtum qui habet bonum conductum. præceſſit virgo Maria ad illud iocundiſſimum Feſtum ſecundum illud Eſter. 2. Ducta eſt Heſter ad cubiculum regis & adamauit eam pluſquam omnes mulieres. Ideo poſt ipſam tanquam in eius conducto debent procedere cæteræ mulieres & præcipue virgines tanquam eius ſpecialiſſimæ domicellæ. Videmus autem quod domicellæ reginarum in Feſtis cum reginis honorifice recipiuntur ſicut patet in iſtis: de quibus dicitur, adducentur regi virgines &c.

Vbi notantur quatuor ſecundum quatuor verba, ſcilicet beatificans, beatificabile, beatitudo, gradus beatitudinis. Vide ergo ingreſſum inclitum: quia, adducentur. ſcilicet ab angelis ad regnum. Pſalm. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Heſter. 2. quærantur regi virgines &c. Gradum debitum: quia, poſt eam. ſcilicet beatam virginem. Ipſa enim ſuperior eſt cunctis. Prouerb. vltim. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu ſupergreſſa &c. Delectabilem dominatorem: quia, regi. de quo Eccleſiaſt. vlt. Confitebor tibi Domine rex & collaudabo. Beatificabilem comitatum ſiue conductum: quia, virgines. Matth. 25. Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.

De Eodem.

Domine in voluntate tua præſtitiſti. pagina 101, colum. 2.

De Eodem.

Omnium Dominus dilexit eam. ſupra pag. 119. colum. 2.

Et ſic terminantur communes ſanctorum Sermones: parſque tota ſecunda clauditur.

Sequitur ergo tertia & vltima: pulcherrimorum ad ſtatus materiaſque communes contentiua Sermonum.

In Synodo, Sermo primus.

Mundati sint Sacerdotes & Leuitæ & mūdauerunt populum. Exech. 12. Secundum August. ordo charitatis est vt prius Deum, secundo seipsum, tertio proximum, quarto corpus propriū diligat homo. ex quo concluditur quod quilibet debet primo attendere proprio commodo: deinde alieno. Vnde Act. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi. ideo proprie & ordinate dicitur hic, mundati suot facerd. &c.

Vbi notantur tria consequentes se habentia. Primo ministrorum ecclesiasticorum idoneitas: cum dicitur, mundati sunt. Mundus quippe Dominus vult habere mundos ministros. Esa. 52. Mundamini qui fertis vasa Domini. Secundo idoneorum ordo & auctoritas: cum subditur, Sacerdotes & Leuitæ. Exod. 28. Applica ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel: vt sacerdotio fun. mihi. Tertio ordinatorum vtilitas: cum additur, & mundauerunt populum. 4. Reg. 5. Vade & lauare septies in Iordane & recti. Ecce ergo meritum imitandum quia, mundati. officium venerandum: quia, sacerdotes. cōmodum exhibendum: quia, mundauerunt populum.

Sermo 2. De Eodem.

Viri pastores sumus serui tui. Genes. 46. Antiquitus dedit Ioseph consilium fratribus suis quid responderent Pharaoni quærenti ab eis quod esset opus eorum. Respondebitis inquit, viri pastores sumus serui tui. Charissimi dies venit in qua fiet quæstio prædicta. scilicet quod est opus vestrum. scil. quando dicetur Redde rationem villicationis tuæ: & vt vere possitis dicere summo regi, viri pastores sumus serui tui.

In quibus verbis commendantur boni prælati à tribus ad quæ debet quilibet ordinari: ad seipsum, ad proximum, & ad Deum vt sit vtilis in seipso: secundum illud Psalm. Viriliter age. Vtilis proximo secundū illud Matt. 28. Si peccauerit in te. Humilis Deo: secundum illud Psalm. Seruite Domino in timore. Secundum hoc notantur hic tria commendabilia in prælatis. Virilitas per strenuitatem bonæ operationis quo ad seipsos: cum dicitur, viri. Psal. Viriliter agite: non muliebriter. Vtilitas per veritatem sanæ instructionis quo ad proximos: cum subditur, pastores. Iohan. 20. Pasce oues meas. Humilitas per impletionem diuinæ voluntatis quo ad Deum: cum additur, serui tui 1. Reg. 7. Præparate corda vestra Domino & seruite.

Sermo 3. De Eodem.

Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. Verba Pauli Actor. 20. Antiquitus comminatus est Ieremias maledictionem negligenter facientibus opus Dei. Maledictus inquit qui facit opus Domini negligenter. Ierem. 48. Sic paterfamilias videns operarios caute conductos in vinea mussitare: turbatus maledicit eis. Psalm. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Operarii quos specialiter locauit Dominus ad excolendum vineam suam, id est ecclesiam sunt prælati quos posuit regere ecclesiam. Matth. 20. Ite & vos in vineam meam. Hinc est quod egregius doctor Paulus ne per negligentiam curæ incurratis maledictionem ait, attendite &c.

Vbi exprimuntur quinque necessaria cuilibet prælato, scilicet sanctitudo eminentis vitæ, solicitudo pastoralis curæ, celsitudo potestatis collatæ, magnitudo vtilitatis intentæ, teneritudo charitatis paternæ: ideo monet Apostolus, attendite vobis: vt sitis sancti viuendo. Eccles. 35. Sacrificium salutare est attendere mandatis & discedere ab iniqui. 1. Timoth. 4. Attende tibi & doctrinæ, & vniuerso gregi vt sitis solicitì in pascendo, 1. Pet. 5. Pascite qui ita. vobis est, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, id est Sacerdotes: vt sitis superiores in præessendo. Corinth. 12. Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia. primum quidem Apostolos &c. regere ecclesiam Dei. vt sitis vtiles in regendo. Eccles. 23. Rectorem te posuerunt esto in illis quasi vnus ex eis curam illorum habe, quam acquisiuit sanguine suo. vt sitis teneri in diligendo. 1. Iohann. 3. In hoc cognoscimus charitatem Dei quoniam ipse animam suam pro nobis posuit & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.

Sermo 4. De Eodem.

Videte quid faciatis. non enim hominis exercetis iudicium sed Domini: & quodcunque iudicaueritis in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum: & cum diligentia cuncta facite. 2. Paralip. 19. Antiquitus rex Iosaphat constituit iudices in cunctis ciuitatibus suis quibus hæc verba proposuit. Per quem regem intelligere possumus regem summum qui prælatos posuit tanquam iudices in ciuitatibus suis: quibus possunt dirigi verba proposita. scilicet videte quid faciatis &c. & merito cum sint oculi in corpore ecclesiæ videre debent & sibi & aliis membris quid facere debeant vt non sint idola: de quibus Psalm. Oculos habent & non videbunt.

In quibus verbis ad nostram instructionem duo facit Dominus. Primo excitat attentionem ad cautelam operationis: cum dicit, videte quid faciatis. Secundo allegat multiplicem causam dictæ excitationis cum subdit, non enim hominis exercetis. &c. Et est prima causa honor officii: quia, non hominis exercetis iudicium sed Domini. Secunda amor boni proprii: quia, quodcunque iudicaueritis in vos re. Tertia timor Domini quare dicit, sit timor Domini in vo. Quarta terror periculi: quia qui offendit in vno: factus est omnium reus: ideo addit, & cum diligentia cuncta fa. non vnum tantum. Ergo videte attente quia estis oculi in ecclesia Dei. Matth. 13. Videte, vigilate, orate. Iudicate iuste: quia estis officiales in curia Domini. Sapient. 6. Audite ergo reges & intelligite &c. Expectate caute: quia estis capaces retributionis debitæ. Luc. 19. De ore tuo iudico. Timete vere: quia serui hominum & Dei. Psalm. Timete Dominum omnes sancti eius. Operamini discrete: quia operarii in vinea Christi. Matt. 20. Ite & vos in vineam &c.

Sermo 5. De Eodem.

SEparauit vos Dominus & iunxit sibi vt seruiretis ei. Num. 16. Sicut lapis de terra tollitur & per manum artificis in aurum vertitur de quo formatur vas aptum seruitio regis vel principis: secundum illud Iob. 28. habet argentum venarum suarum &c. Sic de ritu & consortio secularium separat Dominus sanctos suos formans eos in ordine clericali seruos sibi quod est valde magnum & honorificum: & hoc est quod nobis proponitur in his verbis.

Vbi ad laudem clericalis ordinis tria specialiter ostenduntur. Primo specialis à populo distinctio cum dicitur, separauit vos Dominus &c. 2. Paralip. 23. Separatus est Aaron vt ministraret in sancta sanctorum ipse & filii eius & benedicerent nomini eius in perpetuum. Secundo specialis à Deo electio: cum subditur, & iunxit sibi. Ecclesiast. 2. Coniungere Deo & sustine. Tertio singularis in Dei seruitio subiectio: cum additur, vt seruiretis ei. Iosue vltim. Testes vos estis quia elegistis vobis Dominum vt seruiatis ei. In primo idoneitas. In secundo auctoritas. In tertio vtilitas in ministris ecclesiarum implicantur. Habent quippe idoneitatem ex sancta vita. Auctoritatem ex cura collata. Vtilitatem ex seruitute impensa.

Sermo 6. De Eodem.

QVi bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. 1. Timoth. 5. Sicut dicitur Iob. 7. Militia est vita hominis super terram. sed non omnis qui militat bonus miles est: nec omnis qui allegat bonus aduocatus. Sic nec omnis qui præest bonus prælatus est. ideo hoc attendens Apostolus ait distincte, qui bene præsunt &c. Nam qui male præsunt & si sunt honorandi quia prælati: non tamen quia boni. Item si ab hominibus non tamen à Deo. Item si in præsenti non tamé in futuro: secundum quod innuit Apostolus.

Vbi ad laudem bonorum Prælatorum notantur tria. Primo meritum bonæ prælationis: cum dicitur, qui bene præsunt &c. Secundo præmium geminæ venerationis: cum subditur, duplici honore digni habeantur. Tertio signum magnæ perfectionis: cum additur, maxime qui laborant &c. Circa primum tangit in ministris ecclesiæ quatuor. Primo supremum ipsorum ordinem quia, presbyteri. Ordinatorum potestatem: quia, præsunt. Potestatis debitam executionem: quia, bene. Debite exequentium paucitatem: cum dicit, qui. quasi dicat non omnes, sed aliqui. Ordini debetur reuerentia. Ecclesiastic. 4. Presbytero humilia animam tuam. Potestati obedientia. Ephes. 5. Filii obedite parentibus. Bonitati imitatio. Ecclesiastic. 6. In multitudine presbyterorum prudentia. Paucitati admiratio. Corinth. 4. Hic iam quæritur inter dispensatores &c.

Sermo 7. De Eodem.

LAbia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent de ore eius: Angelus enim Domini exercituum est. Malach. 2. Sicut oculus corporis humani non videt actu nisi sit animatus apertus & sanus: Sic nec oculus corporis mystici. scilicet prælatus non bene valet alios dirigere nisi habeat animam sanctam, doctrinam apertam, scientiam sanam vt sit animatus gratia, apertus eloquentia, sanus scientia.

Hinc est quod electum genus Sacerdotum commendat Dominus ab his tribus cum dicit, labia Sacerdotis &c. Primo à discretione: cum dicit, labia Sacerdotis custodiunt scientiam. Leuitic. 10. Habeatis scientiam ad discernendum inter sanctum &c. Ridiculum est facere de cæco speculatorem. Secundo à ministratione doctrinæ: cum subdit, & legem requir. de ore eius. quia os iusti meditabitur sapientiam &c. Ridiculum est facere de muto rectorem. Tertio à puritate vitæ: cum addit, angelus enim Domini exercit. est. Apocalyp. 18. Vidi alterum angelum descendentem de cælo habentem potestatem magnam & terra illuminata est. Scientiam vero commendat à tribus. scilicet quia prompta: ibi, labia Ecclesiastic. 21. In labiis sensati inuenietur gratia: quia practica: ibi, custodiunt. Scientia enim custoditur per exercitium operis. Leuitic. 19. Custodite omnia præcepta mea & vniuersa iudicia & facite ea quia certa: ibi, scientiam. non dicit opinionem. Scientia enim verorum est 2. Timoth. 1. Scio cui credidi & certus sum. Doctrinam vero describit à tribus: quia Sacerdos debet docere vtiliter: quod notatur ibi, legem. non fabulas. Psalm. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes &c. Placenter: ibi, requirent. 1. Petr. 3. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide, & spe. Personaliter: ibi, de ore eius. Malach. 2. Lex veritatis fuit in ore eius.

Sermo 8. De Eodem.

PAstores ouium sumus serui tui & nos & patres nostri. Genes. 46. Omnes transferentes secundum similitudinem aliquam transferunt: Vnde nomen pastoris ad prælatum transferimus propter similitudinem officii quam inuenimus. Pastor enim est supra gregem quem pascit: sub Domino cui seruit: post alium cui succedit. Sic prælatus vel curatus qui est pastor spiritualis debet esse fidelis quantum ad gregem quem regit, humilis quantum ad regem cui seruit, docilis quantum ad bonum patrem quem habuit.

Secundum hoc tanguntur hic tria quæ commendant Sacerdotem. Primo fidelitas quantum ad regimen suorum subditorum: ibi, pastores ouium sumus. Secundo humilitas quantum ad obseruationem diuinorum mandatorum: ibi, serui tui. Tertio docilitas quantum ad imitationem præcedentium sanctorum: ibi, & nos & patres nostri.

Circa primum ostendit quod regere debet subditos curatus. Primo vtiliter: ibi, pastores. non derisores per superbiam contra illos qui vocant fratres suos rusticos. non excoriatores per cupiditatem. non oppressores per crudelitatem: sed Pastores per prouidentiam. Ierem. 3. Dabo

vobis pastores iuxta cor meum : & pascent vos scientia & doctrina ; sed heu quia impletum est illud 3. Regum. vltim. Vidi Israel dispersum in montibus sicut oues non habentes pastorem. Secundo prudenter : ibi, ouium. non luporum. id est non concubinarum : non histrionum, sed subditorum. Iohann. 20. Pasce oues meas. sed heu : quia hodie impletum est illud Ierem. 34. Pastores pascebant semetipsos ; & greges meos non pascebant : propterea audite Pastores verbum Domini. Tertio veraciter : ibi, sumus. non apparemus, non simulamus vt mercenarii : sed sumus in veritate. Iohann. 10. Ego sum pastor bonus &c. Sed heu impletum est illud Zach. 11. O pastor & idolum derelinquens gregem.

Circa secundum principale implicantur duo. Primo obedientiæ executio quo ad mandatum diuinum : ibi, serui. Psalm. Seruite Domino in timore. Secundo recta intentio quo ad finem debitum : ibi, tui. non mundi. Psalm. O Domine quia ego seruus tuus sum. 1. Regum 17. Pascebat seruus tuus gregem patris &c.

Circa tertium principale implicantur duo. Primo qui debent pascere : quia, nos. personaliter : non firmarii. Iohann. 21. dixit Petrus : vado piscari. dicunt ei : venimus & nos tecum. Matth. 20. Ite & vos in vineam meam. Secundo quo exemplo quia eorum qui sunt boni patres spiritualiter : ibi, & patres nostri. Ecclesiastici. 32. Mortuus est pater eius & quasi non est mortuus &c. Hebræor. 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores.

Sermo 9. De Eodem.

NVnc fratres quoniam estis presbyteri in populo : & ex vobis dependet anima illorum : ad eloquium vestrum corda eorum erigite. Iudic. 8. Tria contingit reperire circa ministerium Sacerdotis : ordo Sacerdotii, obligatio ad curam populi subditi, & executio officii. Primo debetur honor. secundo onus. tertio opus. Honor requirit decorem conuersationis : onus inducit timorem obligationis : opus exigit laborem executionis.

Secundum hoc in verbo proposito nobis presbyteris directe proponuntur tria. Primo honor qui nobis impenditur. Secundo onus quod nobis imponitur : ibi, & ex vobis dependet anima illorum. Tertio opus quod a nobis exigitur : ibi, ad eloquium vestrum &c. Circa primum implicantur tria. Primo opportunitas temporis obseruanda quia, nunc. non post mortem quando cessabit & prælatio & cura. 2. Corinth. 6. Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc &c. Secundo humilitas Sacerdotii habenda : ibi, fratres. Genes. 13. Ne quæso sit iurgium inter me & te &c. Tertio dignitas Sacerdotii honoranda : ibi, quoniam presbyteri estis in populo. 1. Timoth. 5. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore. d. h. Circa secundum principale onus, scilicet impositum tangit tria. Primo onerarorum gradum : ibi, ex vobis, scilicet presbyteris ; quibus dicitur. 1. Petr. 5. Pascite qui in vobis est. id est vestri custodia gregem. Secundo onerandi modum : ibi, dependet : sic vita membrorum ex capite : velum ex columnis de quo Exod. 38. & Genes. 43. ego suscipio puerum : de manu mea require illum. Tertio oneris pretium : ibi, anima illorum. 3. Reg. 20. Custodi virum istum qui si lapsus fuerit erit anima tua pro anima illius. Circa tertium principale, scilicet opus exactum tangit duo. Primo aptam doctrinam : ibi ad eloquium nostrum. Deuteron. 32. Concrescat vt pluuia doctrina mea : fluat vt ros eloquium meum. Secundo doctrinæ efficaciam : ibi, corda eorum erigite. Psalm. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Prouerb. 29. Vir iustus erigit terram &c.

Sermo 10. De Eodem.

ANgelis suis Deus mandauit de te ; vt custodiant te in omnibus viis tuis. Psalm. 90. Vt dicit Boetius lib. de consolatione. Deus prouidentiam suam quam de rebus habet mediantibus causis quibusdam exequitur. Est autem lex suæ prouidentiæ per superiora inferioribus prouidere : vnde custodit pueros per parentes : simplices per sapientes : subditos per superiores : secundum quod Propheta hic innuit loquens ad ecclesiam Dei de Christo mandante Sacerdotibus vt eam custodiant in omnibus viis suis.

Secundum hoc o Sacerdotes qui estis angeli officio non natura proponitur vobis hic : in quo gloriemini : ad quid obligemini ; de quo sollicitemini ? Proponitur ergo primo gloriatio pro gratia vobis concessa : vt vosipsos sanctos custodiatis. qui estis angeli : vnde dicit, angelis suis. Malach. 2. c. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent de ore eius : quia angelus Domini exercituum est. Sed heu quia ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles & in angelis suis reperit prauitatem. Iob. 4. Et timeant, quia bene sequitur Angeli mali ergo diaboli. Secundo obligatio ex regula vobis expressa vt Deo firmiter obediatis : ibi, Deus mandauit de te. Malach. 2. a. Et nunc ad vos mandatum hoc si nolueritis audire. sed heu quia verificatum est in multis illud. 1. Machabæor. 2. Dissipauerunt mandatum regis. Tertio sollicitatio de cura vobis commissa vt proximum vestrum fideliter regatis : ibi, vt custodiant te in omnibus viis tuis. 3. Reg. 20. Custodi virum istum &c. Sed heu quia multi possunt dicere illud Cantic. 1. Posuerunt me custodem in vineis vineam meam non custodiui.

Sermo 11. De Eodem.

IVdicium patris audite filii & sic facite vt salui sitis. Ecclesiastic. 3. In ordinatione superioris ad inferiorem sunt quædam spectantia ad superiorem specialiter. quædam ad inferiorem principaliter. quædam ad vtrumque generaliter. In prælato namque debet esse æquitas iudicii & auctoritas officii. In subdito humilitas obedientiæ & sinceritas beniuolentiæ

lentiæ. In vtroque operatio ftrenua & intentio recta.

Ecifta sex per ordinem notantur hic. Primo æquitas iustitiæ: ibi, iudicium. Psalm. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. Sed heu quia non est iudicium io gressibus eorum. Esa. 59. Secundo auctoritas potentiæ: ibi, patris. Prouerb. 6. Conserua fili præcepta patris. Sed heo quia hodie contigit illud. Ecclesiast. 41. de patre impio queruntur filii. Tertio humilitas obedientiæ: ibi, audite. Prouerb. 1. Audi fili disciplinam patris. Sed heu: multi sobditi sunt sicut filii Eli. de quibus 1. Reg. 2. Non audierunt vocem patris. Quarto sinceritas honoris & beniuolentiæ: ibi, filii. Malach. 1. Filius honorat patrem. Sed heo quia iam impletum est quod dicitur Matth. 10. Insurgent filii in parentes. Psalm. Vani filii hominum. Quioto strenuitas operationis: ibi, & sic facite. Galat. 6. Bonum facientes non deficiamus &c. Psalm. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas &c. Sed heu quia tempus faciendi Domine dissipauerunt legem tuam. Sexto simplicitas intentionis: ibi, vt salui sitis. 1. Timoth. 4. Attende tibi & doctrinæ: insta illis. Hoc enim faciens teipsum saluum facies & eos qui te audiunt. Sed heu: quia longe à peccatoribus salus.

Sermo 12. De Eodem.

Elegit Iudas Sacerdotes sine macula: habentes voluntatem in lege Domini. 1. Machab. 4. In Sacerdotibus & Prælatis exiguntur tria: scilicet vt bene intrent, bene viuant, bene regant. Vnde triplex quæstio malo Sacerdoti proponitur. Iudic. 18. dicitur enim Miche Sacerdoti: quis te huc adduxit. ecce quæstio de intrando: quid hic agis. ecce quæstio de viuendo: quam ob causam venisti. ecce quæstio de regendo. Respondet Psalm. Deus venerunt gentes. scilicet non vocati: ecce male intrantes. Polluerunt templum tuum: ecce male viuentes. Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam: ecce male regentes. Ideo dicitur Sapient. 5. Iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Durum: quia male intrauerunt. durius: quia male vixerunt. durissimum: quia male rexerunt. Econtra boni Sacerdotes commendantur hic à triplici bonitate. Primo à bonitate intrandi: ibi, elegit Iudas. Iohann. 15. Elegi vos & posui vos vt eatis & fructum afferatis &c. Hebr. 5. Nemo sibi assumit honorem: sed qui vocatur. Secundo à bonitate viuendi: ibi, Sacerdotes sine macula. Psalm. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Psalm. Sacerdotes tui induantur iustitiam. ecce dignitas venerabilis: quia, sacerdotes. Vtilitas desiderabilis: quia, tui. Pretiositas impretiabilis: quia, induentur. Æquitas indeclinabilis: quia, iustitiam. Tertio à bonitate regendi: ibi, habentes voluntatem in lege Domini. scilicet tenenda & docenda. Psalm. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum & in via &c. Malach. 2. Labia Sacerdotis custodiunt &c.

Sermo 13. De Eodem.

Attendite vobis & vniuerso gregi in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. Actor. 20. Antiquitus comminabatur maledictionem Ieremias 48. b. dicens: maledictus qui facit opus Domini negligenter. opus autem Domini est in homine custodia sui & proximi. Quod attendens nobilis animarum zelator Apostolus Paulus exhortatur prælatos ad sui & gregis Domini sollicitudinem specialem dicens, attendite vobis &c.

Vbi tria facit. Primo excitat attentionem quæ ad opus dirigit: cum dicit, attendite vobis &c. Secundo insinuat obligationem quæ ad hoc inducit: ibi, in quo posuit &c. Tertio explicat rationem quæ ad hoc attrahit: ibi, quā acquisiuit &c. In prima excitat ad agendum. Primo sollicite: ibi, attendite. non negligite. Psalm. Attendite popule meus legem meam. Secundo ordinate quia primo vobisipsis: ibi, vobis id est bonori vestro vt custodiatis. 1. Petr. 2. Vos estis genus electum &c. Videamus ergo priuilegium electionis: quia, genus electum. Fastigium prælationis: quia, regale Sacerdotium. Beneficium sanctificationis: quia gens sancta. Pretium redemptionis: quia, populus acquisitionis. vel vobis id est in periculo vestro: quia transgressio grauior. vel vobis id est iudicio vestro: quia damnatio maior. Secundo vestris subditis: ibi, & vniuerso gregi. pascendo, custodiendo, defendendo. 1. Pet. 5. Pascite qui in vobis est gregem.

Circa secundum principale scilicet obligationem siue commissionem tanguntur tria inductiua ad regendum attente. Primo sublimitas committentis: ibi, in quo posuit vos Spiritus sanctus. non mundus per pecuniam: non diabolus per malitiam: non caro per amicitiam. 1. Corinth. 12. Quosdam quidem dedit Deus Apostolos &c. Secundo dignitas commissionis: ibi, vos Episcopos. id est Superintendentes. 1. Timoth. 3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. Tertio pretiositas rei commissæ: ibi, regere ecclesiam Dei. Vide ergo quia commisit rem magnam quia, ecclesiam. non pecuniam: non terram: non vnam animam. Item rem altam: quia, Dei, non hominis, non angeli. Ioel. 2. Sanctificate Ecclesiam: quia secundum Psalm. laus eius in ecclesia sanctorum. Item rem pretiosam: quia, acquisiuit sanguine. glo. non paruo pretio. Et hoc est tertium principale. scilicet ratio quæ ad regendum attrahit. Roman. 14. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Philip. 2. Facti estis prope in sanguine Christi.

Sermo 14. De Eodem.

Oculi eius tanquam flamma ignis Apocal. 1. Sicut in corpore humano diuersa membra diuersa habent officia. Nam pedes sunt ad sustentationem: manus ad defensionem: oculi ad directionem. Sic in corpore Christi mystico sunt diuersi fideles diuersa officia habentes. coloni sicut pedes sustentāt. principes sicut manus

 defen-

vobis pastores iuxta cor meum: & pascent vos scientia & doctrina: sed heu quia impletum est illud 2. Regum. vltim. Vidi Israel dispersum in montibus sicut oues non habentes pastorem. Secundo prudenter: ibi, ouium. non luporum. id est non concubinarum: non histrionum, sed subditorum. Iohann. 20. Pasce oues meas. sed heu: quia hodie impletum est illud Ierem. 34. Pastores pascebant semetipsos: & greges meos non pascebant: propterea audite Pastores verbum Domini. Tertio veraciter: ibi, sumus. non apparemus, non simulamus vt mercenarii: sed sumus in veritate. Iohann. 10. Ego sum pastor bonus &c. Sed heu impletum est illud Zach. 11. O pastor & idolum derelinquens gregem.

Circa secundum principale implicantur duo. Primo obedientiæ executio quo ad mandatum diuinum: ibi, serui. Psalm. Seruite Domino in timore. Secundo recta intentio quo ad finem debitum: ibi, tui. non mundi. Psalm. O Domine quia ego seruus tuus sum. 1. Regum 17. Pascebat seruus tuus gregem patris &c.

Circa tertium principale implicantur duo. Primo qui debent pascere: quia, nos. personaliter: non firmarii. Iohann. 21. dixit Petrus: vado piscari. dicunt ei: venimus & nos tecum. Matth. 20. Ite & vos in vineam meam. Secundo quo exemplo quia eorum qui sunt boni patres spiritualiter: ibi, & patres nostri. Ecclesiastici. 32. Mortuus est pater eius & quasi non est mortuus &c. Hebræor. 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores.

Sermo 9. De Eodem.

NVnc fratres quoniam estis presbyteri in populo: & ex vobis dependet anima illorum: ad eloquium vestrum corda eorum erigite. Iudic. 8. Tria contingit reperire circa ministerium Sacerdotis: ordo Sacerdotii, obligatio ad curam populi subditi, & executio officii. Primo debetur honor. secundo onus. tertio opus. Honor requirit decorem conuersationis: onus incutit timorem obligationis: opus exigit laborem executionis.

Secundum hoc in verbo proposito nobis presbyteris directe proponuntur tria. Primo honor qui nobis impenditur. Secundo onus quod nobis imponitur: ibi, & ex vobis dependet anima illorum. Tertio opus quod à nobis exigitur: ibi, ad eloquium vestrum &c. Circa primum implicantur tria. Primo opportunitas temporis obseruanda quia, nunc. non post mortem quando cessabit & prælatio & cura. 2. Corinth. 6. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc &c. Secundo humilitas Sacerdotii habenda: ibi, fratres. Genes. 13. Ne quæso sit iurgium inter me & te &c. Tertio dignitas Sacerdotii honoranda: ibi, quoniam presbyteri estis in populo. 1. Timoth. 5. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore. d. h. Circa secundum principale onus, scilicet impositum tangit tria. Primo oneratorum gradum: ibi, ex vobis, scilicet presbyteris: quibus dicitur. 1. Petr. 5. Pascite qui in vobis est. id est vestri custodia gregem. Secundo onerandi modum: ibi, dependet: sic vita membrorum ex capite: velum ex columnis de quo Exod. 38. & Genes. 43. ego suscipio puerum: de manu mea require illum. Tertio oneris pretium: ibi, anima illorum. 3. Reg. 20. Custodi virum istum qui si lapsus fuerit erit anima tua pro anima illius. Circa tertium principale, scilicet opus exactum tangit duo. Primo apertam doctrinam: ibi ad eloquium nostrum. Deuteron. 32. Concrescat vt pluuia doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum. Secundo doctrinæ efficaciam: ibi, corda eorum erigite. Psalm. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Prouerb. 29. Vir iustus erigit terram &c.

Sermo 10. De Eodem.

ANgelis suis Deus mandauit de te: vt custodiant te in omnibus viis tuis. Psalm. 90. Vt dicit Boetius lib. de consolatione. Deus prouidentiam suam quam de rebus habet mediantibus causis quibusdam exequitur. Est autem lex suæ prouidentiæ per superiora inferioribus prouidere: vnde custodit pueros per parentes: simplices per sapientes: subditos per superiores: secundum quod Propheta hic innuit loquens ad ecclesiam Dei de Christo mandante Sacerdotibus vt eam custodiant in omnibus viis suis.

Secundum hoc ô Sacerdotes qui estis angeli officio non natura proponitur vobis hic: in quo gloriemini: ad quid obligemini: de quo sollicitemini? Proponitur ergo primo gloriatio pro gratia vobis concessa: vt vosipsos sanctos custodiatis qui estis angeli: vnde dicit, angelis suis. Malach. 2. c. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent de ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Sed heu quia ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles & in angelis suis reperit prauitatem. Iob. 4. Et timeant, quia bene sequitur Angeli mali ergo diaboli. Secundo obligatio ex regula vobis expressa vt Deo firmiter obediatis: ibi, Deus mandauit de te. Malach. 2. a. Et nunc ad vos mandatum hoc si nolueritis audire. sed heu quia verificatum est in multis illud. 1. Machabæor. 2. Dissipauerunt mandatum regis. Tertio sollicitatio de cura vobis commissa vt proximum vestrum fideliter regatis: ibi, vt custodiant te in omnibus viis tuis. 2. Reg. 20. Custodi virum istum &c. Sed heu quia multi possunt dicere illud Cantic. 5. Posuerunt me custodem in vineis vineam meam non custodiui.

Sermo 11. De Eodem.

IVdicium patris audite filii & sic facite vt salui sitis. Ecclesiastic. 3. In ordinatione superioris ad inferiorem sunt quædam spectantia ad superiorem specialiter: quædam ad inferiorem principaliter: quædam ad vtrumque generaliter. In prælato namque debet esse æquitas iudicii & auctoritas officii. In subdito humilitas obedientiæ & sinceritas beneuo-

lentiæ

lentiæ. In vtroque operatio strenua & intentio recta.

Et ista sex per ordinem notantur hic. Primo æquitas iustitiæ: ibi, iudicium. Psalm. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. Sed heu quia non est iudicium in gressibus eorum. Esa. 59. Secundo auctoritas potentiæ: ibi, patris. Prouerb. 6. Conserua fili præcepta patris. Sed heu quia hodie contigit illud. Ecclesiast. 41. de patre impio queruntur filii. Tertio humilitas obedientiæ: ibi, audite. Prouerb. 1. Audi fili disciplinam patris. Sed heu: multi subditi sunt sicut filii Eli. de quibus 1. Reg. 2. Non audierunt vocem patris. Quarto sinceritas honoris & beniuolentiæ: ibi, hii. Malach. 1. Filius honorat patrem. Sed heu quia iam impletum est quod dicitur Matth. 10. Insurgent filii in parentes. Psalm. Vani filii hominum. Quinto strenuitas operationis: ibi, & sic facite. Galat. 6. Bonum facientes non deficiamus &c. Psalm. Inclinani cor meum ad faciendas iustificationes tuas &c. Sed heu quia tempus faciendi Domine dissipauerunt legem tuam. Sexto simplicitas intentionis: ibi, vt salui sitis. 1. Timoth. 4. Attende tibi & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens teipsum saluum facies & eos qui te audiunt. Sed heu: quia longe à peccatoribus salus.

Sermo 12. De Eodem.

ELegit Iudas Sacerdotes sine macula: habentes voluntatem in lege Domini. 1. Machab. 4. In Sacerdotibus & Prælatis exiguntur tria: scilicet vt bene intrent, bene viuant, bene regant. Vnde triplex quæstio malo Sacerdoti proponitur. Iudic. 18. dicitur enim Miche Sacerdoti: quis te huc adduxit. ecce quæstio de intrando: quid hic agis. ecce quæstio de viuendo: quam ob causam venisti. ecce quæstio de regendo. Respondet Psalm. Deus venerunt gentes. scilicet non vocati: ecce male intrantes. Polluerunt templum tuum: ecce male viuentes. Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam: ecce male regentes. Ideo dicitur Sapient. 5. Iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Durum: quia male intrauerunt. durius: quia male vixerunt. durissimum: quia male rexerunt. Econtra boni Sacerdotes commendantur hic à triplici bonitate. Primo à bonitate intrandi: ibi, elegit Iudas. Iohann. 15. Elegi vos & posui vos vt eatis & fructum afferatis &c. Hebr. 5. Nemo sibi assumit honorem: sed qui vocatur. Secundo à bonitate viuendi: ibi, Sacerdotes sine macula. Psalm. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Psalm. Sacerdotes tui induantur iustitiam. ecce dignitas venerabilis: quia, sacerdotes. Vtilitas desiderabilis: quia, tui. Pretiositas impretiabilis: quia, induentur. Æquitas indeclinabilis: quia, iustitiam. Tertio à bonitate regendi: ibi, habentes voluntatem in lege Domini. scilicet tenenda & docenda. Psalm. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum & in via &c. Malach. 2. Labia Sacerdotis custodiunt &c.

Sermo 13. De Eodem.

ATtendite vobis & vniuerso gregi in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. Actor. 20. Antiquitus comminabatur maledictionem Ieremias 48. b. dicens: maledictus qui facit opus Domini negligenter. opus autem Domini est in homine custodia sui & proximi. Quod attendens nobilis animarum zelator Apostolus Paulus ea hortatur prælatos ad sui & gregis Domini sollicitudinem specialem dicens, attendite vobis &c.

Vbi tria facit. Primo excitat attentionem quæ ad opus dirigit: cum dicit, attendite vobis &c. Secundo insinuat obligationem quæ ad hoc inducit: ibi, in quo posuit &c. Tertio explicat rationem quæ ad hoc attrahit: ibi, quá acquisiuit &c. In prima excitat ad agendum. Primo sollicite: ibi, attendite. non negligite. Psalm. Attendite popule meus legem meam. Secundo ordinate quia primo vobis ipsis: ibi, vobis id est honori vestro vt custodiatis. 1. Petr. 2. Vos estis genus electum &c. Videamus ergo priuilegium electionis: quia, genus electum. Fastigium prælationis: quia, regale Sacerdotium. Beneficium sanctificationis: quia gens sancta. Pretium redemptionis: quia, populus acquisitionis. vel vobis id est in periculo vestro: quia transgressio grauior. vel vobis id est iudicio vestro: quia damnatio maior. Secundo vestris subditis: ibi, & vniuerso gregi. pascendo, custodiendo, defendendo. 1. Pet. 5. Pascite qui in vobis est gregem.

Circa secundum principale scilicet obligationem siue commissionem tanguntur tria inductiua ad regendum attente. Primo sublimitas committentis: ibi, in quo posuit vos Spiritus sanctus. non mundus per pecuniam: non diabolus per malitiam: non caro per amicitiam. 1. Corinth. 12. Quosdam quidem dedit Deus Apostolos &c. Secundo dignitas commissionis: ibi, vos Episcopos. id est Superintendentes. 1. Timoth. 3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. Tertio pretiositas rei commissæ: ibi, regere ecclesiam Dei. Vide ergo quia commisit rem magnam: quia, ecclesiam, non pecuniam: non terram: non vnam animam. Item rem altam: quia, Dei. non hominis, non angeli. Ioel. 2. Sanctificate Ecclesiam: quia secundum Psalm. laus eius in ecclesia sanctorum. Item rem pretiosam: quia, acquisiuit sanguine. glo. non paruo pretio. Et hoc est tertium principale. scilicet ratio quæ ad regendum attrahit. Roman. 14. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Philip. 2. Facti estis prope in sanguine Christi.

Sermo 14. De Eodem.

OCuli eius tanquam flamma ignis Apocal. 1. Sicut in corpore humano diuersa membra diuersa habent officia. Nam pedes sunt ad sustentationem: manus ad defensionem: oculi ad directionem. Sic in corpore Christi mystico sunt diuersi fideles diuersa officia habentes. coloni sicut pedes sustentat. principes sicut manus

defendunt. prælati sicut oculi dirigunt: de quibus dicitur hic, oculi eius &c.

Vbi tangitur primo prælatorum sublimitas. quia, eius. Secundo prælationis vtilitas: ibi, tanquam flamma ignis. Sublimitas patet in duobus. Primo in pulchritudine claritatis: ibi, oculi. Genes. 49. Pulchriores oculi eius vino. Vtinam ecclesia possit dicere oculi mei semper ad Dominum. Secundo in magnitudine pretiositatis: quia, eius. scilicet qui vos vocauit in admirabile lumen suum. vt dicitur 1. Pet. 2. Psalm. Sacerdotea eius induam salutari. Omnia commendabilia & pulchritudo officii quod faciunt: quia, oculi. & magnitudo Domini cui seruiunt: quia, eius.

Circa secundum principale notatur vtilitas duplex. Primo illuminatio intellectus ad cognitionem veri: ibi, tanquam flamma. Esa. 4. g. Creauit Dominus super omnem locum montis Sion splendorem ignis flammantis in nocte. Secundo ascensio affectus ad amorem boni: ibi, ignis. Psalm. qui facit angelos suos spiritus & ministros suos ignem vrentem. Psalm. Concaluit cor meum.

In Visitationibus, Sermo primus.

SOL illuminans per omnia respexit & gloria Domini plenum est opus eius Eccl. 42. Quemadmodum corpora superiora naturalem habent influentiam in inferiora: sic membra superiora ecclesiæ spiritualem habent influentiam in inferiora. id est prælati in subditos. Debent quippe prælati subditos illuminare verbo veritatis & calefacere exemplo sanctitatis. Ideo frequenter in scriptura prælati & doctores comparantur corporibus superioribus. modo cælo: modo soli: & sic de aliis. Hinc est quod sub similitudine solis potest exponi verbum propositum.

Vbi notantur tria. Primum est sanctitas quæ requiritur in visitatore: ibi, sol illuminans. Secundum est sagacitas quæ exigitur in visitatione: ibi, per omnia respexit. Tertium est vtilitas quæ sequitur ex vtroque: ibi, & gloria Domini &c. Sic & subditi visitati debent habere tria correspondentia scilicet lumen recipere, vt sol illuminet. statum reuelare: vt sol per omnia respiciat. lucrum reportare, vt gloria Domini plenum sit opus eius. Sanctitatem visitatoris perficiunt duo. Primum est puritas interior propter meritum: quod notatur ibi, sol. Psalm. in sole posuit tabernaculum suum. Honestas exterior propter exemplum: quod notatur ibi, illuminans. Psalm. illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. Sagacitatem visitandi similiter perficiunt duo. Solicitudo diligens: quod notatur ibi, respexit. Prou. 27. Diligenter agnosce. Inquisitio sufficiens: quod notatur ibi, per omnia. Prouer. 5. Respicit Dominus viā hominis & omnis gressus eius considerat. Præmium sequens similiter perficiunt duo. s. ipsius delectabilitas: quia gloria Domini. Prouer. 3. Gloriam sapientes possidebunt. Delectabilitatis multiplicitas: quia, plenum est opus eius. Eccles. 4. In plenitudine sanctorum detentio mea.

Sermo 2. De Eodem.

FRatres tuos visitabis si recte agant: & cū quibus ordinati sunt disce. 1. Reg. 17. Quemadmodum in naturalibus videmus tria quæ naturaliter attrahunt. sc. simile, calidum, & vacuum. Sic in spiritualibus tria debent nos attrahere ad vnum. s. simile naturæ, calidum amicitiæ, & vacuum obedientiæ. Hæc sunt quæ mouere debent prælatos nostros ad visitandum subditos. secundū quod dicitur vnicuiq;, fratres tuos &c.

Vbi primo ponitur triplex visitandi ratio: cū dicitur fratres tuos visit. Secundo additur super quibus debet fieri visitatio: cum subditur, si recte agant &c. Circa primum vt dictum est implicatur triplex ratio motiua ad visitandum. Prima est similitudo speciei: quod notatur ibi, fratres. Exod 4. ait Moyses. Vadam ad fratres meos in Ægypto. Iob. 5. Visitans speciem tuam non peccabis. Secunda est dilectio sui subditi vel proximi. Prou. 27. Diligenter agnosce vultum: quod notatur ibi, tuos. Tertia est præceptio Dei: quod notatur ibi, visitabis. 1. Esdr. 4. A facie regis missus es vt visites Iudæam & Hierusalem. Circa secundum notantur duo super quibus debet fieri visitatio. Primo super actionibus: ideo dicit. Si recte agant. Hest. 2. Deambulabat Mardochæus quotidie ante vestibulum domus in qua electę virgines seruabantur curam agens salutis Hester. Secundo super conuersationibus ideo addit, cū quibus ordinati sunt disce. Ier. 5. Saturaui eos & mœchati sunt & in domo meretricis luxuriabantur: nunquid super his non visitabo.

Sermo 3. De Eodem.

VAde & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos & pecora & renuntia mihi quid agatur Gen. 37. Antiquitus comminatus est Dominus maledictionem prælatis negligentibus subditos visitare. Ier. 23. dicens. Væ pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pas. m. & postea dicit Dominus. Vos non visitabitis eos. ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum: & ideo ne prælatus incurrat maledictioné diuinam: dicitur ei, vade &c.

Vbi circa visitationis officium tangit tria. scil. ingressum, progressum, & regressum. In ingressu implicatur auctoritas: cum dicitur à Deo vel superiori prælato, vade. Luc. 7. Dico huic vade & vadit. In progressu sedulitas: cum dicitur, & vide si cuncta. Gen. 18. descendam & videbo vtrū. In regressu vtilitas: cum dicitur, & renuntia mihi quid agatur. Exod. 18. Quicquid grauius erat referebant ad Moysem. Circa progressum tangit tria. Primo sedulum visitantis aspectum: cum dicit, vide. Mat. c. 14. Videre vigilare & orate. Secundo finem visitationis intentum; cum dicit, si cuncta prospera sint. Psal. specie tua & pulchritudine &c. Sufficientem visitandi modum: cum dicit, apud fratres & pec. i. prælatos & subditos maiores & minores. Act. 15. dixit Paulus ad Barnabam. visitemus fratres nostros quibus prædicauimus verbum Dei quomodo se habeant. Act. 7. Ascendit in cor. Moy. vt visi. fratres suos filios Israel.

Sermo 4, De Eodem.

DEscendi in hortum meum vt viderem poma conuallium. Cantic. 6. Attendens ecclesia visitationis commodum inuitat prælatum ad visitandum. Canticum. 5. dicens. Veniat

dilectus

dilectus meus in hortum suum vt comedat fructum pomorum suorum: id est veniat prælatus in claustrum sibi commissum vt delectetur fructibus bonorum operum ibidem repertorum. Ideo prælatus tanquam bonus hortulanus huic inuitationi acquiescens ne videatur recusate dicit, descendi in hor. &c.

Vbi tangit quatuor quæ debant esse in visitatore. scil. descensum in hortum suum, visum, & fructum, id est humilitatem, auctoritatem, sedulitatem, & vtilitatem. Primo notatur humilitas: ibi, descendi. Genes. 11. Descendit Dominus vt videret ciuitatem & turrim quam ædificauerant filii Adam: Secundo auctoritas: ibi, in hortum meum. non alienum. Eccles. 24. Dixi rigabo hortum. plan. m. Tertio sedulitas: ibi, poma conuallium: i. odores humilium personarum. Cant. 7. Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.

Sermo 5. De Eodem.

Videte vigilate & orate Marc. 13. Secundum diuersa prælatorum officia diuersimode nominantur in sacra scriptura: modo oculi, modo pastores, modo mediatores: & hoc quia oculi corporis mystici, Apocal. 1. Oculi eius tanquam flamma ignis &c. Pastores gregis dominici. Ierem. 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum. & pascent vos scientia & doctrina. Mediatores hominum & Dei. Deut. 5. Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos. Et quia oculorum est videre: pastorum vigilare: mediatorum orare: ideo dicit Dominus prælatis, videte vigilate & orate.

Videte visitando quia oculi estis. Habac. 1. Mundi sunt oculi tui ne videas malum. Cant. 7. Videamus si floruerit vinea, vigilate. custodiendo: quia pastores estis. Lucæ. 2. Pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super, orate. pacificando: quia mediatores estis. 1. Timoth. 2. Mediator Dei & hominum &c. In primo implicatur prælatorum sagacitas: quia, vident. In secundo sedulitas: quia, vigilant. In tertio humilitas: quia, orant.

Sermo 6. De Eodem.

Visitabo oues meas & liberabo eas. Ezech. 34. Quanto pretiosior anima est corpore: tanto magis salus animæ quam corporis est quærenda. Si ergo pastor visitat gregem suum: medicus infirmum propter salutem corporis: certe multo plus prælatus qui est pastor & medicus spiritualis visitare debet populum sibi subditum propter liberationem & salutē animarum. Ideo bonus pastor Christus ponens in se exemplum dicit, visitabo oues meas &c.

In quibus verbis notantur quatuor ad visitationem debitam concurrentia. Primo visitandi sedulitas: cum dicit, quasi deliberans visitabo. Psalm. si autem dereliquerunt filii eius legem &c. Secundo visitationis necessitas: cum dicit. oues. oues enim debiles sunt minus potentes ad defendendum se: adeo magis indiget bono pastore. Iohan. 10. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Tertio visitatoris auctoritas: cum addit, meas. Ioh. 10. Oues meæ vocem meam au. &c. Quarto visitatorum vtilitas: cum subdit, & liberabo eas. Prouer. 14. Liberat animas testis fidelis.

Sermo 7. De Eodem.

Vade & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos & pecora & renuntia mihi quid agatur. Genes. 37. Sicut dicitur Ecclesiast. 17. Mandauit Deus hominibus vnicuique de proximo suo, de paupere sustentando, de afflicto consolando, de peccante corrigendo, de iusto promouendo. Et licet hoc sit omnium in omnes ex charitate generaliter: tamen prælatorum est in subditos ex officio pastorali: secundum quod innuitur in verbo proposito quod literaliter dixit Iacob ad Ioseph filium suum quem misit ad visitandum fratres suos, sed spiritualiter potest esse verbum Christi ad quemlibet prælatum vel superiores ad alium.

Vbi tangit tria. Primo eius qui mittitur fidelem operationem: ibi, vade & vide. Secundo eorum ad quos mittitur inuentam vtilitatem: ibi, si cuncta prospera sint. Tertio eius à quo mittitur excellentem auctoritatem: ibi, & renuntia mihi quid agatur. Circa primum ostenditur eius qui mittitur fidelitas in duobus. Primo in promptitudine laborandi: cum dicit, vade & vide non iace somnolentus: non sta otiosus: sed vade sollicitus. Matth. 25. Ite & vos in vineam meam: & quod iustum &c. Secundo in sollicitudine considerandi: ibi, & vide. prælatus enim est sicut oculus in corpore Ecclesiæ. principes sunt brachia: pedes sunt plebani. Marci. 13. Videte vigilate & orate. Circa secundum patet eorum ad quos mittitur intenta vtilitas. Primo in prouectorum confirmatione: ibi, si cuncta prospera sint erga fratres tuos. 2. Paralip. 20. Credite Prophetis eius & cuncta euenient prospera. sed heu. Nehe. 2. dicitur, contristati sunt quia venisset homo qui quæreret prosperitatem Israel. Secundo in simpliciorum eruditione: ibi, & pecora. Prouerb. 27. Diligenter agnosce vultum pecoris t. Ierem. 13. Vbi est grex qui datus est tibi pecus inclitum tuum. Circa tertium patet mittentis auctoritas: Primo in præcepto deferendi: ibi, & renuntia mihi. Matth. 11. Euntes renunciate Iohanni. Lucæ. 16. Redde rationem villicationis tuæ. Secundo in iudicio de factis: ibi, quid agatur. Ecclesiastic. vltim. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicio pro omni errato siue bonum siue malum sit. Iohann. 4. Qui male agit odit lucem.

Sermo 8. De Eodem.

Visitatio tua custodiuit spiritum meum. Iob. 10. Sicut medicus corporalis nititur ad custodiam corporis dando medicinam contra morbum præsentem & præseruatiuam contra morbum sequentem. Sic medicus spiritualis prælatus, scilicet vel visitator ad custodiam spiritus debet niti vt adhibeat medelam contra peccata commissa & cautelam contra futura.

Vnde & Iob ſentiens effectum diuinæ viſitationis ait, viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum: & vtinam hoc vere poſſet dici cuilibet viſitatori.

In quo verbo commendatur officium viſitationis. Primo à viſitantis diligenti fidelitate ibi, viſitatio tua. Secundo à viſitati euidenti vtilitate: ibi, cuſtodi ſpiritum meum. Viſitantis fidelitas conſiſtit in frequenti & circumſpecta examinatione. Secundum hoc implicantur ibi duo. Primo frequentia examinandi: ibi, viſitatio. id eſt frequens viſio. viſitare enim eſt verbum frequentatiuum. Ezech. 34. Requiram oues meas & viſitabo illas: ſicut viſitat paſtor gregem ſuum. Secundo circumſpectio viſitantis: ibi, tua. loquitur Deo qui circumſpicit omnia. 2. Eſdræ. 8. Viſitent ea quæ aguntur in Iudæa & Hieruſalem obſeruantes. ſicut habes in lege Domini. Pſalm. Virga tua & baculus tuus ipſa &c. Sequitur ſecundum principale, ſcilicet viſitati vtilitas quæ conſiſtit in perfecta ſanctificatione. eſt autem opus ſanctum quando actus tranſit ſuper materiam debitam: ſecundum hoc tangit duo. Primo laudabilem actum: ibi, cuſtodiuit. hoc petebat. Pſalm. Cuſtodi nos Domine vt pupillam oculi. Secundo obiectum: ibi, ſpiritum meum. Multi enim viſitatores plus curant de corpore quam de ſpiritu & de corpore ſuo quam de alieno: non ſic antiqui patres: ſed curabant de ſpiritu. Tob. 3. Recipe in pace ſpiritum meum. Pſalm. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Epheſ. 4. Renouamini ſpiritu.

Sermo 9. De Eodem.

POnam viſitationem tuam pacem & præpoſitos tuos iuſtitiam. Eſa. 25. Sicut in extremitatibus elementorum contingit corruptio eo quod vnum ioirat quod eſt alterius. Sic in ſocietatibus hominum contingit diſcordia ex hoc quod vnus concupiſcit & rapit quod eſt alterius. Iacob. 4. Vnde bella & lites in vobis nonne ex concupiſcentiis veſtris. A contrario ſenſu pax & concordia prouenit quando vnicuique redditur & ſufficit quod ſuum eſt quod facit iuſtitia: & ideo iuſtitia cauſat pacem. Vulgariter dicitur baculus portat pacem. Vnde quando præpoſiti faciunt iuſtitiam: ſubditi habent pacem & concordiam: ſecundum quod dicit Dominus congregationi fidelium in verbo propoſito.

Vbi tangitur Primo vnum quod reſpicit ſtatum ſubditorum, ſcilicet, bonum concordiæ: cum dicitur, ponam viſitationem tuam pacem. Secundo aliud quod reſpicit ſtatum prælatorum, ſcilicet exhibitio iuſtitiæ: ibi, & præpoſitos tuos iuſtitiam. Circa primum implicat tria. Primo bonitatem diuinam operantem in viſitatione: ibi, ponam. poſitio eſt ſitus partium in ſuo toto. totum quod intenditur in viſitatione eſt pax hominis, ad Deum ad proximum, ad ſeipſum: hoc autem facit Deus. Pſalm. qui poſuit fines tuos pacem. Secundo rigiditatem congruentem in examinatione: ibi, viſitationem tuam. Pſalm. Probaſti cor meum & viſitaſti nocte &c. Tertio tranquillitatem conſequentem in approbatione: ibi, pacem. Pſalm. Suſcipiant montes pacem populo &c. Eſa. 32. Erit opus iuſtitiæ pax. Circa ſecundum principale tangit duo. Primo dignitatem præſidentis: ibi, & præpoſitos tuos. Heb. 13. Obedite præpoſitis veſtris &c. Secundo æquitatem iudicandi: ibi, iuſtitiam. Sapient. 1. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.

Sermo 10. De Eodem.

COrripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput m. Pſalm. 140. Sicut in medicinis corporalibus eſt aliquid amarum per quod morbus curatur aliquid dulce vt zuchara vel nebula ne medicina abhorreatur. Sic in medicinis ſpiritualibus correptionibus ſcilicet debet eſſe virtus iuſtitiæ & dulcedo miſericordiæ. Vnde & opera prælati per cornua ſignificantur. Cornu enim durius eſt carne & minus durum oſſe. ſic prælatus nec debet eſſe nimis mollis vtendo miſericordia ſine iuſtitia. nec nimis durus vtendo iuſtitia ſine miſericordia: ſed vtrumque debet habere: ſecundum quod innuit Pſal. Corripiet me iuſtus in miſericordia &c.

Vbi implicatur quadruplex cauſa in quolibet opere concurrens. Primo cauſa efficiens: ibi, iuſtus Sapient. 1. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Nehe. 12. Mundati ſunt Sacerdotes & Leuitæ & mundauerunt populum. Secundo materialis: ibi, me ſcilicet peccatorem Pſalm. Propter iniquitatem corripuiſti hominem. Eſa. 38. Corripies me & viuificabis me. Tertio formalis: ibi, in miſericordia & increpabit. Miſericordia enim ſine increpatione vergit in remiſſionem. Increpatio ſine miſericordia in crudelitatem. Pſ. cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis. Sic Samaritanus vulnerato infudit vinum pungens. ſcilicet per increpationem: & oleum mitigans. ſcilicet per miſericordiam.

In electione Prælati, Sermo primus.

HIc iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur. Corinth. 4. Facile eſt quærere: ſed difficile eſt reſpondere. Vnde hic quæſtio proponitur ſed de difficili ſoluitur. Audio quid quæratur: quia fidelis diſpenſator: ſed neſcio quid reſpondeatur. niſi forte per interemptionem vt dicatur nullus inuenitur fidelis ad diſpenſandum: quodlibet ſit doloroſum: non tamen timeo quin non ſit verum.

In hoc ergo verbo conſidero primo egentium anxietatem: ibi, hic iam quæritur. Eccleſiaſt. 21. Os prudentis quæritur in eccleſia & verba illius cogitabunt in cordibus ſuis. Secundo egentium pluralitatem: ibi, inter diſpenſatores. ad bene diſpenſandum hortatur beatus Petrus. 1. Pet. 4. Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum adminiſtrantes. ſicut boni. di. multi. Tertio ſufficientium paucitatem: ibi, fidelis quis inueniatur. Prouerb. Multi homines miſericordes vocabuntur: virum autem fidelem quis inueniet. Pſalm. Apoc. 2. Eſto fidelis vſque ad mortem & dabo.

De eodem, Sermo 2.

TV Domine qui nosti corda hominum ostende quem elegeris. Acto. 1. Hortatur vnumquemque sapiens. Eccles. 37. dicens. Cor boni consilii statue tecum: siue in socium: siue in famulum: siue in prælatum. Et quia solus Deus nouit omnia corda: ideo ab ipso petenda est institutio boni prælati exemplo Apostolorum dicentium, Domine qui nosti corda hominū, &c.

Vbi tanguntur tria de Deo. Primo potentia maiestatis quam inuocant: ibi, tu Domine. Apo. 19. Rex regum & Dominus dominantium. Secundo notitia veritatis qua indigent: ibi, qui nosti corda hominum, 1. Reg. 16. Homo videt ea quæ parent Deus autem intuetur cor. Eccles. 23. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem. Tertio clementia bonitatis quam implorant: ibi, ostende quem elegeris. 4 Reg. 6. Ostendam virum quem quæritis.

De eodem, Sermo 3.

QVia erit electus quem præponam ei. Hiere. 49. Sicut in exercitu militiæ corporalis eligitur aliquis strenuus qui præponatur exercitui regendo & conducendo: sic in exercitu militiæ spiritualis oportet aliquem strenuū opere: prouidum discretione: validum virtute eligere qui aliis præponatur. Et quia pauci sunt sufficientes sollicitat Dominus electores dicens, quis erit electus, scil. à vobis, quem præponam ei. ecclesiæ, sc. vel conuentui.

Vbi implicat Dominus tria. Primo paucitatem sufficientiū: cum dicit, quis. Eccles. 31. Beatus diues, scilic. in thesauro spirituali qui inuentus est sine macula peccati: & qui post aurum non abiit, &c. 1. Corinth. 4. Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Secundo paucorum ingressum canonicum: ibi, erit electus. non violenter intrusus non fraudulenter positus. Psalm. Exaltaui electum de plebe mea. 4. Reg. 10. Eligite meliorem & eum qui vobis placuerit de filiis Domini vestri & eum ponite super solium patris sui & pugnate pro domo Domini vestri. Verba sunt hieu. ad optimates ciuitatis. Tertio ingredientium statum supremū: ibi, quem præponam ei. Eccles. 17. In vnamquamque gentem imposuit rectores. In primo supponitur sanctitas vitæ vt sit, quis. non quasi quis sicut hypocrita. In secundo claritas famæ: quia, electus. In tertio dignitas siue auctoritas: quia præpositus.

De eodem, Sermo 4.

COngregabuntur filii Iuda & filii Israel pariter & ponent sibimet caput vnum. Osee 1. g. Sicut ad illuminationem mundi exiguntur tria, scil. illuminans, illuminabile, & ipsum lumen. Illuminans est sol: illuminabile aer, ipsum lumen est solaris radius. Sic ad electionē rite celebrandam exiguntur tria, scil. eligens, eligibilis & forma electionis.

Secundum hæc notantur tria in verbo proposito. Primo eligentium conuentus: cum dicitur, congregabuntur filii, &c. Secundo electionis actus: ibi, & ponent sibimet. Tertio eligilis status: ibi, caput vnum. In prima ostenditur quales debent esse eligentes. Primo quod non diuisi sed pariter conuenientes non tam loco quam animo bono: ibi, congregabuntur. Actor. 1. Oportet ex his viris qui nobiscum sunt cōgregati, &c. Secundo non ceruiciosi sed veraciter humiles: ibi, filii, Psalm. Ego dixi dii estis & filii ex. omnes vos autem, &c. Tertio non fatui sed sapientes: ibi, Israel quod interpretatur videns Deum. Ps. notus in Iudæa Deus in Israel magnum nomen eius. Quarto non muti sed confitentes: ibi, filii Iuda. Iudas interpretatur confitens. Deut. 23. Audi Domine vocem Iuda, &c.

Sequitur electionis actus. vbi primo exprimitur actus: ibi, & ponent, 3. Reg. 10. Eligite meliorem & eum qui vobis placuerit de filiis Domini vestri & eum ponite super solium. Ergo electio debet esse discreta: quia de meliori. voluntaria: quia de quo placuerit. virtuosa: quia, ponite super solium. Secundo implicatur fructus: ibi, sibimet, i. e. ad vtilitatem suam. Heb. 23. Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei.

Sequitur electi status cuius tangitur. Primo dignitas: quia, caput. in quo sunt aures obedientiæ, oculi intelligentiæ, olfactus bonæ famæ, gustus deuotionis, tactus dilectionis. Cant. 5. Caput eius aurum optimum. Secundo dignitatis singularitas: ibi, vnum vt fiat vnum ouile multarum scilicet ouium: & vnus pastor scil. ouium. Istud caput debet esse vnum in se per eminētiam dignitatis, vnum cum aliis per humilitatem. Eccles. 34. Rectorem te posuerunt noli extolli, &c. vnum cum Deo per charitatem. 1. Corinth. 6. Qui adhæret Deo vnus, &c. Primum est contra illos qui non possūt concordare in vno: sed eligunt duos. Secundum contra illos qui eligunt maiores genere vel potestate. Tertium contra illos qui eligunt scienter malos.

In prima Missa noui Sacerdotis, Sermo primus.

SVscitabo mihi sacerdotem fidelem qui iuxta cor meum & animam meam faciat. 1. Reg. 2. Sicut omne esse est à primo ente: omne verum à prima veritate. Sic omnis bonitas à summa bonitate: omnis potestas à diuina maiestate. Vnde ipso Deo suscitante viuit & bonitas & potestas in homine: secundum quod ipse innuit in verbo proposito.

In quo describitur officium sacerdotale vel electio prælati. Primo à gratitudine vocationis qua à Deo eligitur: ibi, suscitabo mihi. i. e. in ministerium meum. 1. Reg. 2. Suscitans de terra inopem & de stercore erigens pauperem vt sedeat, &c. Secundo à celsitudine sublimationis qua aliis præficitur: ibi, sacerdotem. 1. Maccab. 4. Elegit sacerdotes sine macula, &c. Tertio à sollicitudine executionis quæ in officio requiritur: ibi, fidelem. Luc. Quis putas est fidelis dispensator, &c. Quarto à promptitudine obeditionis qua Deo astringitur: ibi, qui iuxta cor meum & animam meam faciat. exemplo Christi dicentis Iohan. 8. Ego quæ placita sunt illi facio semper. & dicit iuxta cor quantum ad conformitatem voluntatis iuxta animam quantum

ad continuationem operis. anima enim causa est & spiraculum vitæ, faciat. quantum ad veritatem conuersationis contra illos qui dicunt & non faciunt. Debet ergo sacerdos esse complacens in ingressu, præeminens in gradu, diligens in exercitio, & innocens à vitio.

Ad idem, Sermo 2.

SAcerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur ne percutiam eos. Tripliciter inducit Dominus homines ad sanctitatem: videlicet allegando, promittendo, comminando. Allegando exemplum. Leuit 11. & 19. Sancti estote quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Promittendo præmium. 1. Tim. 2. Saluabitur autem per fidem si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione. Psalm. Exultabunt sancti in gloria. Comminando supplicium: vt hic.

Vbi verbum congruenter proponitur nouis & etiam quibuscunq; sacerdotibus. quibus proponitur Primo officij dignitas quæ est acceptanda: cum dicitur, sacerdotes qui accedunt ad Dominum. Omnia ponderanda & gradus honoris: quia, sacerdotes. Eccles. 7. Honora Deum ex tota anima & honorifica sacerdotes: & actus amoris: quia, accedunt. Psalm. Accedite ad eum & illuminamini. & locus timoris: quia, ad Dominum. Psal. Seruite Domino in timore. Secundo innocentiæ puritas quæ est obseruanda: ibi, sanctificentur. Eccl. 2. Qui timent Dominum præparabunt corda sua: & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Mundus Dominus vult habere mundam familiam. Tertio pœnæ seueritas quæ est præcauenda: ibi, ne percutiam eos. Hierem. 30. Plaga inimici percussi te.

Ad idem, Sermo 3.

STans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est & cessauit plaga. Num. 17. Antiquitus docuit sapiens similitudinem exemplatem factorum & faciendorum dicens Eccles. 1. Quid est quod fuit ipsum quod futurum est. quid est quod factum est ipsum quod faciendum est. Facta igitur antiquorum sunt figuræ & exemplaria modernorum. Vnde in facto Aaron sacerdotis antiqui innuitur qualis debeat esse sacerdos Noui Testamenti.

Debet esse quippe primo eminens & erectus: quia habet alios sursum erigere: q; notatur: ibi, stans. Homo enim iacens vix potest alium erigere. Esa. 21. Super custodiam meam ego sum stans tota nocte. Secundo sapiens & discretus: quia habet inter bonum & malum discernere: ibi, inter mortuos & viuentes. Medicus qui nescit discernere inter febrem & non febrem non potest sanare febricitantem. 3. Reg. 3. Dabis seruo tuo cor docile vt possit iudicare populum tuum & discernere inter bonum & malum. Tertio innocens & deuotus: quia habet pro aliis intercedere: ibi, pro populo deprecatus est. aliter enim nõ est dignus exaudiri qui non placet. Leuit 9. Accede ad altare & immola pro peccato tuo: offer holocaustum & deprecare pro te & pro populo. Quarto potens & virtuosus quia habet iram Dei auertere: ibi, & cessauit plaga. Multum virtuosus est cuius meritis auertitur ira Dei ab aliis. Esa. 21. Gemitum eorum cessare feci. Matt. 14. Cum ascendisset in nauiculam cessauit ventus.

Ad Religiosos, Sermo primus.

NE quæso sit iurgium inter me & te & pastores meos & pastores tu. fratres enim sumus. Genes. 13. Voluit diuina sapientia vt omnes homines propagarentur ex vno: vt propter maiorem colligantiam confœderati essent non tantum vinculo naturæ, sed etiam amicitiæ tanquam fratres. Non sic in cæteris animantibus quæ non tenentur ad amorem mutuum: sed simul in sexu duplici sunt producti. quod attendens Abraham dixit Loth verbum propositum quod quilibet debet dicere proximo suo, ne quæso, &c.

Vbi procedit Abraham humiliter deprecando: ibi, quæso. Vtiliter dehortando: ibi, ne sit iurgium, &c. Rationabiliter allegando: ibi, fratres enim sumus. Intendit ergo inclinare ad obediendum Primo humili deprecatione cum dicit, quæso. Hoc enim verbo vtimur in deprecando. 1. Reg. 15. Nunc quæso porta peccatum meum dixit Saul ad Samuelem. Secundo vtili monitione: ibi, ne sit iurgium inter, &c. Prou. 26. Cum defecerint ligna extinguetur ignis: & susurrone subtracto iurgia conquiescunt. Tertio rationabili allegatione: ibi, fratres enim sumus. Hebr. 13. Charitas fraternitatis maneat in nobis. Omne enim animal diligit sibi simile.

Ad idem, Sermo 2.

ECce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Psalm. 132. Bonum eo quod habet rationem finis trahit ad se. Est autem triplex boni differentia. Est enim bonum vtile, delectabile, & honestum. Cum ergo fraterna charitas illud triplex bonum habeat: maxime ad se trahit & allicit sapientes: propter quod ait Psal. Ecce quam bonum, &c.

Vbi tangit Primo motiuum ad fraternam charitatem: quia, bonum & iucundum. Secundo charitatis virtutem vnitiuam: ibi, habitare in vnum. Psal. Qui habitare facit vnius moris in domo. In prima tangit triplex motiuum. Primo vtilitatem: quia, bonum. Prouerb. 18. Qui inuenit mulierem bonam: ecce bona societas. inuenit bonum: ecce vtilitas. Secundo delectabilitatem: quia, iucundum. Eccles. 1. Religiositas, i. e. religiosa societas custodiet & iustificabit cor: iucunditatem atque gaudium dabit. Tertio honestatem: quia decus fraternum. Rom. 12. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes: honore inuicem præuenientes.

Ad idem, Sermo 3.

FRater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma. Prouerb. 18. Omnis virtus quanto plus est vnita: tanto plus infinita. Vnde quod duo diuisi non possunt facere: duo coniuncti simul faciunt: vt trahere nauem: habere securitatem: quia vnus adiuuat alium sicut innuit hic sapiens dicens, frater qui adiuuatur. &c.

Vbi commendatur fraterna charitas à tribus. Primo à debita dilectione: ibi, frater à fratre. 1. Ioh. 4. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt Deum: quem non videt quomodo potest dilige-

diligere: & hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, &c. Secundo à mutua subuentione: ibi, qui adiuuatur. 1. Maccab. 3. Adiuuabant Iudam fratres & præliabatur prælium Domini cum lætitia. Tertio à sequenti vtilitate: ibi, quasi ciuitas firma. 1. Maccab. 2. Qui fugiebant à malis additi sunt illis & facti sunt illis ad firmamentum. Primum est in affectu. secundum in effectu. tertium in fructu.

Ad idem, Sermo 4.

OMnes honorate; fraternitatē diligite: Deum timete. 1. Pet. 2. Fraterna societas debet esse ædificatoria ex vrbanitate: consolatoria ex dilectione meritoria ex sanctitate. Vrbanitas quippe ædificat per honorem: ideo dicit, omnes honorate. Rom. 12. Honore inuicem præuenientes. Mihi autem nimis honorati sunt, &c. Societas confœderat per dilectionem: ibi, fraternitatem diligite. 1. Pet. 1. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis in fraternitatis amore. 1. Ioh. 3. Scimus quoniam translati sumus de morte, &c. Sanctitas humiliat timorem: ibi, Deum timete. Eccles. vlt. Deum time: & mandata eius obserua. Eccl. 33. Timete Deum non occurrent mala, &c.

Ad religiosos & etiam religiosas, Sermo primus.

CLaudit stellas quasi sub signaculo. Iob. 9. Sicut aspis claudit aurem ne decipiatur ab incantatore: sicut princeps claudit castrum ne capiatur ab hoste: sic anima sapiens de salute timorosa includit se in claustro sub regulari obseruantia ne decipiatur in mundo & capiatur à peccato. Et quia hoc facere est à Deo inspirante: ideo dicitur Iob. 9. Claudit stel. &c.

Vbi ostenditur quales debent esse personæ religiosæ. Primo clausæ per fugam tumultuationis mundanæ: sic clauditur naris contra fœtorem. Iud. 8. Cubiculum secretum sibi fecit Iudith in quo cum puellis suis clausa morabatur: & hoc notatur ibi, claudit stel. &c. Matth. 6. Clauso ostio, &c. Secundo altæ per contemplationem dulcedinis diuinæ: quia vbi amor ibi oculus: ibi, stellas. Gen. 1. Fecit stellas & posuit eas in firmamento cœli. Phil. 3. Conuersatio nostra in cœlis est. Tertio subiectæ per obseruantiam disciplinæ regularis, quasi sub signaculo. sicut littera clauditur sigillo vt seruetur secretum mandatum. Eccles. 22. Quis dabit ori meo custodiam: & super labia mea signaculum certum. Vel dicendum quod in verbo proposito notatur triplex votum religiosorum. Primo obedientiæ: ibi, claudit. Secundo continentiæ: ibi, stellas, quæ mundæ sunt. Tertio paupertatis voluntariæ, i. e. viuendi sine proprio: ibi, sub signaculo. quasi nihil habentes luminis.

Ad idem, Sermo 2.

STellæ dederunt lumen in custodiis suis & lætatæ sunt: vocatæ sunt & dixerunt assumus, Baruch. 3. Stellæ habent quantum ad materiam puritatem: quantum ad influentiam virtuositatem: quantum ad situm firmitatem: quantum ad formam luciditatem: quantum ad motum velocitatem.

Istæ proprietates debent conuenire religiosis personis vt commendentur à quinque. Primo à puritate vitæ exemplaris: ibi, stellæ. Psal. Videbo cœlos tuos opera manuum tuarum lunam & stellas, &c. Secundo à virtute influentiæ spiritualis: ibi, dederunt lumen. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. Tertio ab obseruantia vitę regularis: ibi, in custodiis suis. Prouerb. 10. Via vitæ custodienti disciplinam. Quarto à gloria quæ est conscientiæ testis: ibi, lætatæ sunt. 2. Corinth. 1. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Eccles. 51. Lætatum est cor meum cum ea. Quinto à promptitudine bonæ operationis: ibi, vocatæ sunt, &c. Iob. 14. Vocabis me & ego respondebo tibi. Primum congruit stellarum puritati. secundum virtuositati. tertium firmitati. quartum luciditati. quintum velocitati.

Ad idem, Sermo 3.

VEnit sponsus & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias & clausa est ianua. Matth. 25. Antiquitus dixit sapiens. Eccles. 33. cōtra bonum malum est: & contra vitam mors sic & contra virum iustum peccator: & sic est inuenire in omnia opera altissimi duo contra duo: vnum contra vnum. Sic & in præsenti parabola virginum proponuntur quinq; contra quinque: sapientes contra fatuas: paratæ contra imparatas: electæ contra reprobas.

Vnde sub figura & metaphora virginum ad nuptias procedentium proponitur fideli animæ. Primo quid amādum quia sponsi aduentus: ibi, venit sponsus, scil. ad iudicium. Psal. Tunc exultabunt omnia ligna syluarum, &c. 2. Tim. 4. Bonum certamen certaui, &c. Secundo quid imitandum: quia iustorum apparatus: ibi, & quæ paratæ erant. Apoc. 19. Venerunt nuptiæ agni & vxor agni præparauit se. Tertio quid desiderandum: quia nuptiarum introitus: ibi, intrauerunt cum eo ad nuptias. Luc. 13. Contendite intrare per angustam portam. Quarto quid formidandum, quia clausura domus: ibi, & clausa est ianua. Iob. 9. Claudit stellas, id est beatos quasi sub signaculo: id est sub firmitate gloriæ: vt nec mali introeant nec boni exeant. Circa tertium implicantur tria bona valde appetibilia. Vnum quod est supernæ felicitatis: quia, intrauerunt. Apoc. 22. Beati qui per portas intrant ciuitatem. Aliud, quod est fraternæ societatis: ibi, cum eo. Ioh. 17. Pater quos dedisti mihi volo vt vbi sum ego & illi sint mecum vt videant claritatem. m. quam de. mihi. Tertium quod est æternæ iucunditatis: ad nuptias. Apoc. 19. Gaudeamus & exultemus & demus, &c.

Ad idem, Sermo 4.

OMnia honeste & secundum ordinem fiant in vobis. 1. Corinth. 14. Artifici summo dirigit sermonem sapiens. Sap. 11. Dicens omnia in numero & mensura & pondere disposuisti. In numero vt nihil deficiat: in mensura vt nihil superfluat: in pondere vt nihil inordinatum fiat. Ad exemplar huius artificis docet moralis & verus Philosophus Paulus omnes fideles: sed maxime religiosos operari hortans in verbis propositis.

Primo

Primo ad numerum operum sufficientem contra boni amissionem: ibi, omnia. Matth. 19. Omnia hæc custodiui à iuuentute mea. Psal. Ad omnia mandata tua dirigebar. Secundo ad mensuram superflua rescindentem: contra mali commissionem. Omne enim peccatum superfluum est & indecens: ibi, honeste. Rom. 13. Abiiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis sicut in die hone. ambulemus: non in, &c. Tertio ad pondus siue regulam inter se & inter finem ordinantem: ibi, & secundum ordinem. Cant. 2. Ordinauit in me charitatem. Iud. 5. Stellæ manentes in ordine & cursu suo, &c. Quarto innuit perseuerantiæ complectionem: cum dicit, fiant in vobis. Psalm. Fiat cor meum immaculatum, &c.

In ingressu religionis, Sermo primus.

INduite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Ephes. vlt. Quoniam primi parentes nostri propter auersionem à Deo fuerunt gratuitis nudati: in naturalibus vulnerati: virtute debilitati: in peccatum prostrati: per diabolum defraudati: & nos horum originaliter participes facti sumus & pronitatem ad actualia contrahimus. Ideo Apostolus in ve. supposito monet prolem Euæ vt recuperet per conuersionem quod amisit perauersionem.

Hortatur igitur primo ad habitum gratiosum contra gratiæ nudationem: cum dicit, induite vos. Turpe est nudum esse vel inhoneste indutum in seruitio & præsentia magni Domini: ideo Prouerb. 30. Fortitudo & decor indumentum eius. Secundo ad munimentum preciosum contra naturæ vulnerationem: ibi, armaturam Dei. Periculosum est esse inermem in bello. Rom. 13. Abiiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis, i. e. opera virtutum. Tertio ad fulcimen virtuosum contra virtutis debilitationem: ibi, vt possitis. Parum est armatum esse si desit voluntas pugnandi & vincendi fiducia. Phil. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. Quarto ad stabilimentum speciosum contra peccati prostrationem: ibi, stare, non cadere. Eccles. 2. Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & timore. In duello corporali multum nititur pugil stare & videre ne cadat. Abac. 2. Super custodiam meam stabo. Quinto ad studium cautelosum contra diaboli fraudationem: ibi, aduersus insidias diaboli. Si aniculæ perpendẽtes laqueos aucupis cauent ab eis, quanto plus homines cauere debent insidias dæmonis. Eccles. 11. Multæ sunt insidiæ dolosi. 1. Pet. 5. Aduersarius vester diabolus, &c.

Ad idem, Sermo 2.

GLoria magna est sequi Dominum longitudo dierum assumetur ab eo. Eccles. 23. Sicut omne quod obliquare potest indiget regula dirigente: Sic omne quod deuiare potest indiget aliquo conducente: Homo autem in hac vita tanquam inuia: & periculosa de facili potest deuiare: & ideo indiget bono duce qui caueat à deuio & conducat in directo. Hic autem est qui nouit omnes vias hominum, scilicet Dominus quem sequens homo fugit mundi pericula & tendit ad gloriam sempiternam: secũdum quod innuit sapiens in verbo proposito.

In quo tangit sex quæ alliciunt hominem ad perfectionis propositum viriliter exequendum. Primo enim ponit quod est mortalitatis exterminatiuum: ibi, gloria. In gloria enim Saluatur homo ab omni miseria. 2. Tim. 2. Salutem consequamur quæ est in Christo Iesu cum gloria cœlesti. Psal. Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. Secundo quod est cupiditatis satiatiuum: ibi, magna. gloria mundi inanis est vnde non satiat sed gloria Dei. Psal. Satiabor cum apparuit gloria tua. Psa. Quam magna multitudo dulcedinis, &c. Tertio quod est dubietatis certificatiuum: ibi, est, non tantum apparet sicut quercus puttida videtur in tenebris lucida sed non est: Sic gloria mundi videtur gloria sed non est. Psal. Gloria hæc est omnib. sanctis eius. 1. Iohan. 2. Charissimi nunc filii Dei sumus: sed nondum apparuit gloria nostra. Quarto quod est obliquitatis directiuum: ibi, sequi, quod enim coniungitur totaliter recto rectum est. Iob. 8. Qui sequitur me non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. Iob. 10. Oues illum sequuntur. Quinto quod est humilitatis excitatiuum: ibi, Dominum. Deut. 13. Dominum Deum vestrum sequimini & ipsum timete. Mal. 1. Seruus timet Dominum suum. Sexto quod est vtilitatis expressiuum: ibi, longitudo dierum assumetur ab eo. id est æternitas visionis Dei. Psal. Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum. hoc enim est quod naturaliter appetitur scilicet esse.

In consecratione Virginum, Sermo 1.

QVæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem quæ stet coram rege & ministret ei. 3. Reg. 1. Sicut in naturalibus simile attrahit simile: animalia enim ad sibi similia conuertuntur: Sic in moralibus. mundus enim sponsus vult habere mundam sponsam. Quia ergo Dominus noster mundissimus est, est enim candor lucis æternæ & speculum sine macula: ideo vult habere mundam sponsam & electam: ideo dicunt prælati tanquam paranymphi, quæramus Domino nostro, &c. quod ad litteram dictum est de Dauid & Abisay.

Vbi commendatur castitas virginalis à quatuor. Primo à dispensationis nobilitate: ibi, quæramus Domino nostro regi. Si sponsa regis trahit nobilitatem ex rege: quam nobilis est quæ desponsatur summo regi? Psal. Audi filia & vide & inclina aurem tuam, &c. Hester. 2. Quærantur regi virgines puellæ adolescentes ac speciosæ. Secundo ab incorruptionis integritate: ibi, adolescentulam virginem. fœdam enim vel leprosam non desponsat sibi vir nobilis. 1. Corinth. 2. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Cant. 1. Oleum effusum nomẽ tuum: ideo adolescentulæ di. r. Moraliter hoc est contra nolentes conuerti vsque ad senectutem. Tertio à contemplationis claritate: ibi, quæ stet coram rege. quanto enim oculus purior: tanto clarius videt. 1. Corinth. 7. Mulier non nupta & virgo cogitat quæ Domini sunt: vt sit sancta mente & corpore: & ideo stat. ad hoc enim stat homo & leuat caput vt longius videat. Haba. 2. Super custodiam meam stabo & figam gradum super munitionem: & contemplabor vt videam quid

quid dicatur mihi & quid respondeam arguenti me. Quarto ab obsequii sedulitate: ibi, & ministreret. Luc. 4. Imperauit febri & dimisit illam: & surgens ministrabat illis.

Ad idem, Sermo 2.

DEspondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. 1. Corinth. 7. Secũdum quod est coniugium duplex est & duplex copula. copula scil. corporalis quæ est fœminæ cum viro. Copula spiritualis quæ est animæ cum Christo. In prima virginitas corrumpitur: in alia consecratur. Prima fit in coniunctione hominum. Secunda generaliter in iustificatione fidelium. Sed specialiter in consecratione virginum.

Quæ describitur hic quantum ad tria quæ ad virginitatem sanctam requiruntur. Primum est firmitas obligationis intransgressibilis. Hierem. 2. a. Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam & charitatem desponsationis tuæ. quando secuta es me in deserto, i. e. in claustro in terra in qua non seminatur. Secundum est singularitas copulationis indissolubilis sibi, vni viro Christo, de quo Eccles. 7. Virum vnum de mille repperi: mulierem ex omnibus non inueni. Psal. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, &c. Si bonitas appetitur in sponso: iste est optimus. Tertium est sanctitas intentionis inuiolabilis: ibi, virginem castam exhibere Christo. Exemplum de illa quæ noluit maritari vt de toto corde diligeret Christum & ei adhæreret. Esa. 62. Habitabit iuuenis cum virgine. Roman. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam Deo placentem, &c.

Ad idem, Sermo 3.

HOrtus conclusus fons signatus soror mea sponsa. Cant. 4. Sex sunt quæ sponsam reddunt amabilem: scil. si est fœcunda, munda, prouida, pulchra, amica & vera.

Secundum hæc spiritualiter notantur hic sex de sponsa spirituali Christi. Primo virtutum fœcũditas: ibi, hortus. Hest. 7. Intrauit rex in hortum arboribus consitum. Secundo carnis integritas: ibi, conclusus, scilic. ne intret per consensum aliquid ad turpe vel nociuum. Iob. 11. Qui claudit stellas quasi sub signaculo. Iud. 8. Cubiculum secretum fecit sibi Iudith vbi clausa morabatur cum puellis suis Tertio indeficiens prouidentia siue pietas: ibi fons. Eccles. 21. Consilium illius sicut fons permanet: Prouerb. 13. Lex sapientis fons vi. Quarto speciei specialitas: ibi, signatus. Psalm. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiã in corde meo. Eccl. 45. Corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis: gloria honoris & opus virtutis: desiderio oculorum ornata. Quinto vitæ cõformitas: ibi, soror mea. Matth. 7. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei ipse meus frater soror & mater est. Sexto charitatis vnitas: ibi, sponsa. Hierem. 2. Recordatus sum tui miserans, &c.

Ad impetrandum serenitatem, Sermo primus.

ADduxit spiritum super terram & m. imminutæ sunt aquæ. Genes. 8. Antiquitus propter diluuium peccatorum factum est diluuium aquarum: Sic & modo propter inundationes peccatorum fiunt inundationes pluuiarum. Et quia cessante causa facilius cessat effectus: ideo pœnitentib. diuina condescendit benignitas vt mundana cesset aduersitas: sicut patet in verbo proposito.

Vbi tangitur diuinæ benignitatis condescensio: quia, adduxit spiritum. Humanæ fragilitatis conditio: quia, super terram. Mundanæ aduersitatis amotio: quia, imminutæ sunt aquæ. Primum est ad nostram excitationem. Secundum ad nostram humiliationem. Tertium ad nostram consolationem. Tangitur ergo primo diuina benignitas vt excitemur ad animi deuotionem: quia, adduxit spiritum. Sap. 12. O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in nobis ideo, &c. Psalm. Emitte spiritum tuum & creabuntur, &c. Secundo humana fragilitas vt humiliemur ad nostri recognitionem: quia terra sumus vnde dicit super terram. Eccles. 10. Quid superbis terra & cinis. & 17. Omnes homines terra & cinis. Tertio amota aduersitas vt consolemur per malorum euasionem: quia, imminutæ sunt aquæ. Luc. 8. Ille surgens increpauit ventum & tempestatem aquæ & cessauit & facta est tranquil.

Ad idem, Sermo 3.

IVnge currum tuum & descende ne præoccupet te pluuia. 3. Reg. 18. Verbum est Heliæ ad Achab & potest esse verbum Christi ad ecclesiam.

Vbi hortatur ad tria quæ dant efficaciam petitioni, scil. quando fit vnanimiter, humiliter, & vtiliter. Hortatur ergo primo ad vnanimiter cõueniendum: ibi, iunge currum tuum. tunc enim ecclesia currum iungit, quando fit sancta & vnanimis congregatio. Hierem. 46. a. Iungite equos & ascendite equites state in galeis. Matth. 18. Vbi duo vel tres congregati fuerint, &c. Secundo ad humiliter procedendum: ibi, & descende. tunc descendit ecclesia quando fit humilis processio & deuota. Esa. 47. Descende sede in puluere. Tertio ad vtiliter postulandum: ibi, ne præoccupet te pluuia. tunc enim non præoccupat pluuia quando placatur indignatio diuina. Apoc. 11. Potestatẽ habent claudendi cœlum ne pluat, &c. Ergo iunge currum tuum faciendo sanctam & vnanimem congregationem. descende faciendo deuotam & humilem processionem, ne præoccupet te pluuia euadendo diuinam indignationem.

Ad idem, Sermo 3.

NOn delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis & post lachrymationem & fletum exultationem infundis. Tob. 3. Tria incommoda molestant hominem in hac vita, scil. pœna commissi, pœna omissi, lætitia amissa. secundum hæc indiget homo triplici remedio, scil. remissione culpæ, mitigatione pœnæ, recuperatione lætitiæ: ideo proponitur nobis Dominus noster tãquam miserator benignissimus peccatorum: tanquam liberator piissimus afflictorum: tanquam consolator gratissimus desolatorum.

Est ergo Dominus noster Primo culpæ commissæ relaxator: quod notatur ibi, non delectaris in perdi-

perditionibus nostris. id est in peccatis quæ sunt causa nostræ perditionis. Eccles. 35. Dominus exauditor in illis non delectabitur, scil. in peccatis impiorum. Ideo dicitur Prou. 4. Ne delecteris in semitis impiorum nec tibi placeat malorum via. Secundo pœnæ immissæ mitigator: ibi, quia post tempestatem tranquillum facis. Psal. Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tem. Luc. 8. Increpauit ventum & cessauit tempestas & facta est tranquil. Tertio lætitiæ amissæ restaurator: ibi, & post lachrymationem & fletũ ex. i. e. sicut medicus post amaritudinem medicinæ dat iucunditatem sanitatis. Luc. 6. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis. Ioh. 16. Tristitia vestra vertetur in gaudium. Luc. 22. Vos estis qui permansistis.

De eodem, Sermo 4.

ORauit Helias vt non plueret super terram & non pluit. Iac. 5. Helias qui nobis proponitur in exemplum. feruens fuit in deuotione: quia, orauit. Innocens in conuersatione: quia, Helias. Prudens in petitione: quia, vt nõ plueret super terram. Efficax in impetratione: quia, non pluit. Feruor deuotionis nos debet inflammare ad exorandum. Innocentia cõuersationis debet ædificare ad imitãdum. Prudentia petitionis debet informare ad discernendum. Efficacia impetrationis debet confortare ad confitendum.

Proponitur ergo nobis oratio huius Prophetæ in exemplum. Primo quantum ad feruorem deuotionis: cum dicitur, orauit. oratio enim est pius affectus mentis in Deum. Psalm. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Secundo quantum ad innocentiam conuersationis: ibi, Helias. quod interpretatur Dominus robustus de conuersatione Heliç. Eccl. 48. a. Surrexit Helias quasi ignis. Tertio quantum ad prudentiam petitionis: ibi, vt non plueret super terram. Apoc. 11. Potestatem habent claudendi cœlum ne pluat. Quarto quantum ad efficaciam impetrationis: ibi, & non pluit. Iob. 28. Ponebat pluuiis legem: & 38. Quis est pluuię pater. proles enim debet obedire: pluuia obedit Deo.

Ad impetrandum pluuiam, Sermo 1.

SI clausum fuerit cœlum & non pluerit propter peccata eorum: & orantes in loco isto pœnitentiam egerint nomini tuo & à peccatis suis conuersi fuerint propter afflictionem suam exaudies eos in cœlo, 3. Reg. 8 Nunquam est decus culpæ sine decore iustitiæ. nec decor iustitiæ sine amore misericordiæ. Vnde in omni opere Domini & est iustitia qua punit & est misericordia qua parcit: peccantem punit, pœnitenti parcit sicut patet in hoc verbo.

In quo proponuntur tria. Primo diuina vltio puniens culpam humanam: cum dicitur, si clausum, &c. Secundo humana satisfactio emendans ipsam, & orantes, &c. Tertio implorata miseratio auertens iram: ibi, propter afflictionem suam. In prima implicantur duo. Primo pœna à Deo inflicta: cum dicitur, si clausum fuerit cœlum: scil. aereum, & non pluerit. Deut. 11. Cauete ne forte decipiatur cor vestrum & recedatis à Domino: iratusq; Dominus claudat cœlum & pluuiæ non descendant, &c. Secundo causa pœnæ demeritoria: ibi, propter peccata eorum. peccatum quippe meretur pœnam. Hierem. 5. Pecca[illegible]stra prohibuerunt bonum à vobis.

Sequitur secundum principale, scil. hominis illuminatio emendans culpam. Vbi implicantur tria. Primo imploratio misericordiæ releuantis: cum dicitur, & orantes. Eccles. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Secundo specialis locus implorationis: ibi, in loco isto. Matt. 21. Domus mea domus orationis vocabitur. Genes. 28. Quam terribilis est locus iste, &c. Tertio conditio siue idoneitas implorantis: ibi, pœnitentiam egerint, &c. Vbi implicatur quod ille qui orat Deum debet detestari peccatum. Primo corde pœnitendo: cum dicit, pœnitentiam egerit. Hierem. 18. Si pœnitentiam egerit gens ista à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Secundo opere ipsum relinquendo: ibi, & à peccatis suis conuersi fuerint. Sicut conuertitur infidelis ab errore. viator à deuio. Ioel. 11. Et nunc conuertimini ad me in toto corde, &c.

Sequitur tertium principale, scil. implorata miseratio auertens iram. vbi tangitur Primo causa ad misericordiam disponẽs: cum dicitur, propter afflictionem suam. Sicut afflictio pauperis mouet diuitem ad misericordiam. Exod. 4. Vidi afflictionem populi mei, &c. Secundo effectus sequens: ibi, tu exaudies eos. Iudic. 4. Exaudiet Dominus preces nostras si manentes per mansistis in ieiuniis & orationibus.

De eodem, Sermo 2.

DA pluuiam super terram quam dedisti populo tuo possidendam. 3. Reg. 8. Quia omne bonum est ab vno & summo bono Deo: ideo debemus & preces effundere pro bono quo indigemus & gratias agere pro bono quod iam habemus secundum quod innititur in verbo proposito quod partim est deprecatiuum: partim regratiatiuum.

Continet enim. Primo precum effusionem: ibi, da pluuiam super terram. deuota enim deprecatio meretur exaudiri. Esa. 30. Dabitur pluuia semini tuo vbicunque seminaueris in terra: vnde si promissa Dei non implentur nostræ iniquitati non diuinæ seueritati imputandum est. Secundo gratiarum actionem: ibi, quam dedisti populo tuo, &c. Psal. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Deprecemur ergo pro nostra euidenti necessitate. Regratiemur pro superfluenti Dei bonitate.

De eodem, Sermo 3.

PEtite pluuiam à Domino. Zach. 10. a. In supplicationibus siue petitionibus petitum debet esse possibile, vtile, & desiderabile. vt sic possit haberi. prosit habenti: placeat indigenti. Secundum hoc Propheta confidens de Domino qui potest: loquens populo qui indigens est: dicit, petite pluuiam à Domino.

Vbi notantur tria iam dicta. Primo quomodo petendum: quia, cum desiderio & assiduitate: ibi, petite. quasi preces iterate. Phil. 4. In omni

mni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescãt apud Deum. Secundo pro quo: quia pro indigentia siue vtilitate: ibi, pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.

Vbi describitur Dei nostri auxilium suscipiendi vtilitate: quia. pluuiam. à largiendi liberalitate: ibi, voluntariam. à dispensandi sagacitate: ibi, segregabis. à præsidendi dignitate: ibi, Deus à gubernandi pietate: ibi, hæreditati. à diligenda intimitate: ibi, tuæ. Tertiò à quo quia ab eo qui pollet potentia & benignitate: ibi, à Domino. Exod. Dominus omnipotens nomen eius: igitur, petite. quia est securitas obtinẽdi pluuiam. quia est necessitas habendi, à Domino apud quẽ est potestas tribuendi.

De eodem, Sermo 4.

ORauit Helias & cœlum dedit pluuiam & terra dedit fructum suum, Iac. vlt. Tria sunt quæ mouent hominem ad operandum. Exemplum imitandum, desiderium adimplendum, commodum assequendum. Propter exemplum volitat aquila super pullus. Propter desiderium sequitur puer ludos. Propter commodum colit colonus agros.

Secundum hoc proponit nobis beatus Iacobus in verbo proposito tria. Primo exemplum quod est imitandum & deuotionis accensiuum: cum dicitur, orauit Helias qui interpretatur robustus dominator. Actor. 1. Erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus: & Maria matre eius & fratribus eius. Secundo beneficium quod est desiderandum & est miserationis ostensiuum: ibi, & cœlum dedit pluuiam. Leuit. 26. Si in præceptis meis ambulaueritis dabo vobis pluuiam temporibus suis. Tertio commodum assequendum quod est consolationis impensiuum: ibi, & terra dedit fructum suum. Psal. Dominus dabit benignitatem & terra & nostra dedit fructum suum.

Pro quacunque tribulatione, Sermo primus.

STans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est & cessauit plaga. Numer. 17. Quanta sit virtus orationis patet in verbo proposito: quod non solum potest dici de sacerdote. Sed etiam de quolibet iusto homine per cuius preces placatur Dei indignatio. Debet enim homo huiusmodi Primo persistere in sanctitatis proposito: ideo dicit, stans. Eccles. 2. a. Fili accedens ad seruitutem Dei in iustitia & timore. Non enim bene potest leuare alium qui de facili cadit. Secundo assistere in necessitatis articulo: ibi, inter mortuos & viuentes, i. e. inter peccatores & iustos. vt peccatores releuet. iustos confirmet. Phil. 2. Sciatis conuersari in medio prauæ & peruersæ nationis inter quos lucetis tanquam, &c. Tertiu insistere pietatis suffragio: ibi, pro populo deprecatus est, Leuit. 9. e. Offer holocaustum & deprecare pro te & pro populu. Quartu resistere aduersitatis periculo: ibi. & cessauit plaga. Num. 25. Cessauit plaga à filiis israel.

De eodem, Sermo 2.

AD Dominum cum tribularer clamaui & exaudiuit me. Psalm. 119. Sicut dicitur in illo versiculu. Psal. Magnus Dominus noster & magna virtus eius & sapientiæ eius non est numerus, &c. In Deo sunt tria attributa, potentia, sapientia & bonitas. Potentia qua flagellat. Sapientia qua expectat. Bonitas qua liberat. potentia metuenda, sapientia admiranda, bonitas amplectenda. Et hæc tria implicantur in verbo proposito. Primo potentia flagellans propter culpam quod notatur in tribulatione: cum dicitur, cum tribularer. Psalm. Tribulatio & angustia inuenerunt me mandata tua meditatio mea est. Secundo sapientia expectans ad pœnitentiam. Dat enim peccanti tempus clamandi & pœnitendi & orandi: quod notatur: ibi, clamaui ad Dominum.

Vbi innuitur quod oratio debet fieri feruenter: ibi, clamaui. Psal. Clamaui in toto corde exaudi me Domine. Secundò prudenter, scil. ei qui potest iuuare: ibi, ad Dominum. Psal. Ad te Domine leuaui animam meam Deus meus in te cõfido non erubescam. Tertio bonitas liberans per gratiam: ibi, & exaudiuit me. Psalm. Expectans expectaui Dominum & intendit mihi & exaudiuit preces meas. Exemplum de rege Ludouico qui liberauit incarceratos super paruum pontem.

De Cruce Sermo.

AScendamus & possideamus terram quoniam poterimus obtinere eam. Num. 13. Aspirantibus ad patriam aliquam peruenire. tria sunt expetentia, virtus viam aggrediens. affectus patriam desiderans. animus de perueniendo cõfidens.

Secundum hoc notantur tria in verbo proposito. Primo exercitium virtutis: ibi, ascendamus. Virtutis enim est ascendere in terram sanctam & per hanc in terram gloriosam. Esa. 2. Venite ascendamus in montem Domini & domum Dei Iacob, &c. Secundo desiderium salutis: ibi, & possideamus terram, sc. Hierusalem. de qua Gen. Semini tuo dabo terram hanc, &c. vel terram gloriosam. de qua Psal. Credo videre bona Domini in terra viuentium. Tertio cõfidentia cordis: ibi, quoniam poterimus obtinere eam. Esa. 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt, &c. ex primo autem stimulamur ad exsequendum. ex secundo excitamur ad affectandum. ex tertio inflammamur ad perseuerandum.

Et ſic terminantur omnes ſermones communes cum tertia parte ac toto hujus libri complemento.

INDEX.

SEQVITVR TABVLA ALPHABETICA.

Prior } Numerus { paginam } denotat.
Posterior } Numerus { columnam } denotat.

A.

B.

C.

Dominus

INDEX.

INDEX

INDEX.

M.

N.

O.

INDEX.

Reges

INDEX.

S.

T.

Th

INDEX.

FINIS.

IHS